IONALE
8
— B
8
VITT. EMANUELE
OMA

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P.


LVDOVICI DE PONTE, E SOCIETATE IESV,

MEDITATIONVM

DE PRAECIPVIS FIDEI NOSTRAE MYSTERIIS; Vitæ ac Paſſionis D. N. Ieſu Chriſti; B. V. Mariæ, & aliquorum Sanctorum, Euangeliorumq́ occurrentium,

TOMVS SECVNDVS

Continens tres Partes poſteriores.



...ESV BIBL. SEC...

Ex Leg.o M. Coccini

COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud IOANNEM KINCHIVM, ſub Monocerote.
ANNO M. DC. XIX.
Permiſſu ſuperiorum, & priuileg. S.C.M.

TOMVS SECVNDVS
CONTINET

Par. 4. De myſterijs vniuerſæ Paſsionis D. N. IESV Chriſti.

Par. 5. De Myſterijs Reſurrectionis, Apparitionis, & Aſcenſionis vſque ad Spiritus S. aduentum & Euangelij promulgationem.

Par. 6. De myſterijs Diuinitatis, Trinitatis & Attributis ac Perfectionibus eius, de beneficijs naturalibus, ac ſupernaturalibus quæ ab eo promanant.

R. P. PE-

R. P. PETRVS RIBADENEIRA IN CATALOGO *Scriptorum Societatis Ieſu.*

LVDOVICVS Pontanus, natione Hiſpanus, patria Pincianus, ab ipſis incunabulis factus, atque educatus videtur ad pietatẽ. Societatem noſtram expetiuit annum agens xx. atque admiſſus eſt anno ſalutis M. D. LXXV. cum iam & philoſophicis diſciplinis eſſet inſtructus, & duos annos in ſacra Theologia vtiliter poſuiſſet. Deinde proſecutus eſt ſtudia litterarum, in quibus longo poſt ſe interuallo condiſcipulos omnes reliquit, propter ardorem animi, ingenium, atque acre iudicium. Itaque Ariſtotelis curſum (vt vocant) docendo confecit, & ſacram etiam Theologiam profeſſus eſt acutè, grauiter, eruditè. Sed cum non minus vitæ integritate, ac religione quàm ingenio, atque doctrina excellat, Magiſtri nouitiorum, atque Rectoris partes Ludouico ſæpè mandatæ ſunt, eaſque peregregiè obiuit. ſed tenui, vel potiùs nulla valetudine, qua ſemper conflictabatur, coactus eſt interrumpere, & gubernandi, & docẽdi curſum, & animum ad ea ſcribenda transferre, quæ longo vſu, aſsidua meditatione, perpetua ſui mortificatione didicit. & non tam ex aliorum libris hauſit, quàm in ſe ipſe expertus eſt. Scripſit materna lingua pias, doctas, perutiles *Myſteriorum fidei Meditationes* quas duobus Tomis complexus eſt.

Item alterum tomum, quem *Ducem ſpiritualem* inſcripſit.

Et aliud opus *de perfectione hominis Chriſtiani in omnibus vitæ ſtatibus in* IV. partes tributum, &c.

FACVLTAS R. P. PROVINCIÆ CASTELLÆ.

EGo Alfonſus Ferrerius Societatis Ieſu Præpoſitus Prouincialis, ex commiſſione R. P Claudij Aquauiuæ Præpoſiti Generalis, concedo vt Meditationes de præcipuis fidei noſtræ myſterijs cum orationis mentalis circa eadem praxi, vt quæ fuerint à viris grauibus & doctis Societatis noſtræ examinatæ & probatæ excudantur. In cuius rei teſtimonium has ſignari & ſigillo officij mei ordinarij muniri curaui Vallis Oleti, 10. Auguſti Anno 1604.

ALFONSVS FERRERIVS.

Digitized by Google

POTENTISSIME DOMINE.

EX mandato S. Veſtræ, & particulari Domini D. Diego Alderetij commiſsione, perlegi librum, cui titulus: Meditationes de præcipuis S. Fidei noſtræ Myſterijs, cum orationis mentalis circa eadem praxi, à P. Ludouico de Ponte Societ. IESV Religioſo concinnatũ: quod mihi videtur opus eruditum, pium, valdeq; vtile: ex quo animus legentis intelligat, quantis beneficijs, Deo ſit obſtrictus; eaque agnoſcens, ad debitum amoris tributum eidem reddendum permoueatur. Et licet multa de hoc argumento ſint aliàs edita, inter omnia tamẽ hoc mihi opus videtur pium valde ac deuotum, iiſque omnino conſonum, quæ Sancta Fides, & Concilia docent, Doctoreſque Sancti tradunt: neque in eo aliquid inueniatur, quod illis repugnet. Quare iudico, quam petit facultatem merito ei concedendam, in magnum Chriſtiani populi bonum, & vtilitatem communem. Datum Vallis-Oleti apud S. Franciſcum, die 20. Sept. anni 1604.

F. GREGORIVS RVITIVS
Profeſſor emeritus.

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

CVM Sacræ Cæſareæ Maieſtatis decreto, omnibus & ſingulis Typographis & Bibliopolis, ac alijs quamcũq; librariam negotiationem exercentibus, ſeriò firmiterque inhibeatur, ne quiſquam vllos libros à noſtris Patribus hactenus editos, vel in poſterum edendos, intra ſacri Romani Imperij, regnorum, & dominiorum ſuæ Cæſ. Maieſtatis hæreditariorum fines, ſimili, vel alio characteris genere, aut forma ſiue in toto, ſiue in parte recudere, vel aliò recudendos mittere; aut alibi etiam impreſſos adducere, vendere & diſtrahere clam ſeu palam, citra iudicium ac teſtimonium ſupradictorum Patrum audeat, vel præſumat: concedo ego Henricus Scherenus, Societatis Ieſu per Rheni prouinciam Prouincialis, Ioanni Kinchio Bibliopolæ Colonienſi facultatem excudendi R. P. Ludouici de Ponte Vallis Oletani, è Societate IESV *Theologi, Meditationes de præcipuis Fidei noſtræ Myſterijs in ſex partes diuiſas, per R. P. Melchiorem Treuinnium eiuſdem Societatis Sacerdotẽ, ex Hiſpanico in Latinum translatas de peculiari mandato R. P. N. Claudij Aquauiuæ Præpoſiti Generalis. In quorum fidem hoc ei teſtimonium propria manu ſubſcriptum, dare voluimus. Coloniæ Agrippinæ 3. Feb. 1612.*

HENRICVS SCHERENVS.

AVTHOR

AVTHOR PIO LECTORI.

INFINITAS mihi linguas optarem eaſque igneas, quales Apoſtolis fuerunt datę: quibus liceret orbi vniuerſo manifeſtare infinitas altiſsimi & ſupremi Dei noſtri excellẽtias, & myſteria clariſsima, quæ de ſe ipſo & ſuis operibus nobis reuelauit, vt omnes infideles magna certitudine agnoſcerent, & ſuſciperent veritatem & præſtantiam Sanctæ fidei noſtræ: omnes verò Chriſtiani exultarent, ob ſuam felicem ſortem, eò quòd agnouerint illam atque admiſerint, & vtrique inflammarentur amore infinitæ bonitatis magni huius Dei, & ad ſanctiſsimam eius voluntatem perfectiſsimè amplectendam animarentur. Tres Ex- entiæ Chriſti Sed quia hoc mihi conceſſum non eſt, operam dedi, vt in reliquis tribus partibus huius operis, tria eius exemplaria ſiue ideas, quàm poſſem accuratiſsimè & ad viuum exprimerem. VNVM erit magnitudinum diuinitatis 1. eius, diuini ſcilicet eius, ESSE, in vnitate eſſentiæ & trinitate perſonarum: æternitatis, bonitatis, charitatis, miſericordiæ, liberalitatis, immẽſitatis, ſapiẽtiæ, & omnipotẽtiæ, & operũ glorioſiſsimorũ, quæ ab eo promanarũt; qualis eſt creatio huius vniuerſi, cũ toto eius ornatu, conſeruatio & gubernatio eiuſdẽ, cũ innumeris naturalibus & ſupernaturalibus beneficijs, quę à paterna eius prouidentia in commodũ omniũ hominum proueniunt, præcipuè verò electorum, donec illos in altiſsimis gloriæ ſuæ thronis collocet. Quæ omnia, in *ſexta parte* pertractantur. 2.

ALTERVM exemplar, quod contrarium refert extremum, erit abiectionum & vilitatum, quas Dei viui filius ſuſcepit in ſanctiſsima humanitate, quam diuinæ ſuæ perſonæ coniunxit, dum ſeipſum vſque ad mortem crucis humilians, innumeras ignominias, in Paſsionis ſuæ decurſu ſuſtinuit, de quibus in *quarta parte* agitur; in quibus adeò eſt DEVS admirabilis, & incomprehenſibilis, propter infinitas bonitatis & charitatis excellentias, quæ his vilitatibus ſunt permixtæ, vt ipſi a *Seraphini duabus alis velent eius pedes. ſicut aliis duabus velant faciem eius*; ad ſignificandum, ſe victos ac ſuperatos, ab incomprehenſibilitate horum duorum extremorum; ſibique ſatis eſſe, ſi magnis vocibus & affectibus, ſanctitatem illam promulgent, quæ in illis reſplendet.

a Iſai. 6. S. Bern. *ſerm. in verba.*

TERTIVM exemplar (quod veluti medium eſt inter prædicta duo extrema) eſt magnitudinum Sacratiſsimæ IESV CHRISTI Domini noſtri 3.

humanitatis,quæ,in præmium ſuæ humiliationis,fuit glorificata immenſis donis, vſque ad ſeſsionem ad dextram Dei Patris, in præcipuis eius gloriç bonis,quæ etſi ad propria ipſius diuinitatis bona comparata,exigua ſint:in ſe ipſis tamen ſunt maxima.

Qvae autem ſuis meritis obtinuit,ea diſtribuit hominibus, vt illos in hac vita ſanctificet,cupiens eoſdem ad regnum,quo ipſe fruitur in altera, ſecũ deducere:de quibus agit pars quinta;quæ magis adhuc explicãtur iis,quæ in ſexta dicentur,vt in eiſdem apparebit.Id tantum à Chriſtiano Lectore peto,vt tria prædicta exemplaria, in tribus his partibus delineata,ita intueatur,vt cum ea leget,meditabitur, aut contemplabitur, perſuadeat ſibi,quicquid dicitur & ſcribitur de Deo,& eius myſteriis;omninò parum & ferè nihil eſſe,reſpectu infinitorum, quæ dicenda & ſcribenda ſuperſunt:ad perfectè verò intelligenda ipſa pauca,quæ dicuntur, neceſſe eſſe amare plurimum:nam vt non intelligit Græcè, qui nunquam didicit,ita (ait Sanctus Bernardus)non aſſequitur excelſos amoris ſenſus & affectus,qui non ſcit,quid ſit amare:quando autem amabit, conetur *b* ſtatim,*in eandem viuam*(vt ait Apoſtolus)perfectionis *imaginem*, quam eſt meditaturus,*ſeipſum transformare*; vitam ſuam primùm cum Christi humilitate & crucifixi vita conformando;deinde cum eiuſdem vita iam exaltati,& in throno collocati:ac demum cum eius diuinitatis imagine,& exemplaribus virtutibus,quæ in ea reſplendent,conando ſimul iuuare,vt alij etiam homines auxilio diuinæ gratiæ,imaginem propriæ naturæ, ad hanc diuinam reforment,ea ratione,quæ in ſubſequentibus meditationibus proponetur.

rm. 19. in ant.

b *Cor.3.18*

Digitized by Google

R. P. LVD. DE PONTE

MEDITATIONVM IV·PARTIS
SYNOPSIS ET SVMMARIA.

Summarium Introductionis:

M*Editatio Paſsionis Dominicæ vtilis eſt*, 1.Peccatoribus *vt purgentur*, 2.Tyronibus *vt mortificentur*, 3.Proficientibus *vt creſcant in virtutibus* 4.Perfectis, *vt vniantur ardentiſsimè Deo*, 5.Omnibus *denique vt ſugant mel de petra, oleumq́; de petra Chriſto, quia ad Paſsionem Domini terra tremit. petræ ſcinduntur, & c.* 6.*Præcellit externis mortificationibus & exercitijs, ex teſtimonio Alberti Magni.* Fundament.

§.1. *Finis meditandi Paſsionem Domini, quatenus hæc ſummum Dei beneficium, eſt affectus gaudij, de quo in 6.p.*

Quatenus vero amara fuit, Finis eſt 1. Compaſsio in Spiritu, 2. Compaſsio in corpore 3.Imitatio virtutum Chriſti.

§. 2. *Ad aſſequendũ fines iſtos accedendũ ad meditandũ cum 4. diſpoſitionibus, quarũ 1. eſt* cordis humilitas, 2. Fiducia de miſericordia *Chriſti, quã fiduciã excitat Paſsionis acerbitas, compaſsionis* Chriſti *erga peccatores magnitudo, liberalitas in latronem*, 3. Feruor ingens *cuius ſigna ſunt, attentio, profunditas, deuotio meditationis*, 4. Cordis munditia.

§.3. *Duo ſunt præcipui modi meditandi* Paſsionem *Dominicam*, 1. *vniuſcuiuſque myſterij conſideratio particularis quoad* perſonas *quæ interueniunt, earumq́; verba & opera*, 2. *Specialis alicuius doloris aut virtutis Chriſti conſideratio*, 3. *Applicatio ſenſuum internorum & ad ſingula myſteria.*

MEDITATIO. I.

Quæ eſt fundamentum, & ſummarium reliquarum, myſterorumq́; pag.11.

1. *Conſidera in* Perſona quæ patitur, 1. Innocentiam & ſanctitatem, 2. Omnipotentiam & liberalitatem, 3. Infinitam charitatem. Punct.
2. *Chriſtum paſſum plurima & atrociſsima*, 1. *In omnibus* rebus *externis*, 2. *In omnibus* Senſibus *externis*, 3. *In omnibus* membris *externis*, 4. *In* Spiritu *etiam grauiſsima.*
3. 1. *Quam multi & varij homines perſecuti ſint Chriſtum*, 2. *Quanta perſequentium* crudelitas, 3. *Quanta & Dæmonum in Chriſtum rabies*, 4. *Aeſtimandam illam ex animo perſequentium, non ex opere tantum, atque hinc creuiſſe dolorem Chriſto.*
4. *Chriſtum paſſum* 1. Pro omnibus *hominibus, vt promereretur ipſis gratiam & gloriam*, 2. Pro inimicis, 3. *Pro* vnoquoque noſtrum *quaſi ſingulariter.*
5. 1. Deſiderium *Chriſti vt pateretur*, 2. *Fortem &* ſpontaneam *Paſsionis* adgreſſionem, *cum* nulla recuſatione, 3. Promptitudinem *animi ad plura patiendum.*
6. 1. *Chriſtum in paſsione exercuiſſe* virtutes *in* gradu heroico, & *quas ob cauſas, noſtrum puta ad* Exemplum, vtilitatem, & virtutum honorem, 2. *Exercuiſſe ibidem* Octo beatitudines, 3. *Obedientiam* fortiſsimè, integerrimè, promptiſſimè, humillimè & conſtantiſsimè.

7. In

7. *In ſeptem ſtationibus quas obijt Chriſtus in ſua paßione, conſidera* 1. *Perſonæ gradientis affectus & finem,* 2. *Socios* 3. *Vnde, quo, quomodo gradiatur*, 4. *Quid in ſingulis locis dicat, faciat, patiatur.*

8. *Magnitudinis dolorum B Virginis in paßione filij, geminam radicem.* PRIMA *Radix eſt* Amor *ingens* in filium. *Huius amoris cauſa ſunt ſeptem,* 1. *quia naturalis eius filius,* 2. *quia vnigenitus,* 3. *quia ſimillimus,* 4. *ſanctißimus & ſapientiſſimus,* 5. *quia infinitus ſuus benefactor,* 6. *quia etiam filius Dei,* 7. *quia Spiritu filio erat coniunctißima.* SECVNDA *radix eſt* viua repræſentatio & apprehenſio *dolorum filij.*

9. *Quatuor Heroicas virtutes B. Virginis in paßione filij exercitas.* 1. *eſt, altißima* Reſignatio, 2. *Profundißima* Humilitas, 3. *Inſignis* Fortitudo & Magnanimitas, 4. *Ardentißima* charitas.

MEDITATIO II.

De Aſcenſu in Hieruſalem, cùm Apoſtolis aperuit, quæ pati haberet, pag. 31

1. *Conſidera cauſas cur ita properet Chriſtus in aſcenſu Hieruſalem,* 1. *Quia impellitur* Ardore Paſsionis, *amor enim diuinus properat ad dura, amor proprius ad leuia,* 2. *Quia in laborando &* patiendo omnes præcurrit, 3. *Quia* prouocat *Apoſtolos & nos* ad imitandum *& ſequendum ſe.*

2. *Cur Apoſtolis ſuis Chriſtus iam tertiò Paßionem ſuam aperuerit, & qua occaſione,* 1. *Quia Paßionem ſuam iugi in memoria habebat, & amabat: adeo vt in transfigurationis gloria eam quoque memoret. Vt & te ſemper de ea cogitare, & loqui delectet,* 2. *vt Apoſtolos in* Fide *confirmaret, & ad patientiam conſtantiamque prepararet,* Et tu etiam in die bonorum, ne immemor ſis malorum.

3. *Apoſtolos non intellexiſſe quæ dicebat de Paßione ſua Dominus:* 1. *quia adhuc erant imperfecti: & denotabant eos qui paßionem audiunt aut legunt, nec tamen ſentiunt, eiuſq; myſteria penetrant,* 2. *Quia contemptum & ignominiam deſpiciebant, ac timebant. Hæc eſt cauſa ariditatis multorum in meditatione paſsionis.*

MEDITATIO III.

De Chriſti ingreſſu in Hieruſalem pag. 36.

1. *Cum* Ramis palmarum *& applauſu populi Chriſtum quaſi cum triumpho ingredi Ieroſolymam conſidera, quinque ob cauſas: quarum prima vt intelligeremus* Propenſionem *ipſius & lætitiam ad patiendum,* 2. Gaudium & exultationem *ſuperioris partis ſpiritus in dolorum triſtitia & agonia,* 3. Charitatis ardorem, *nulla aqua tribulationum extinguibilem: & inimicis benefacere, ac recipere ad pænitentiam flagrantiſſimum,* 4. Laborum & contemptuum *pro voluntate Dei exequenda,* gloriam & honorem, 5. Ignominiarum *hunc honorem ſubſecuturarum* magnitudinem & deſiderium.

2. 1. *Aſino inſidere Chriſtum, aliàs ambulare ſolitum, vt regni ſui aliquod initium daret: & oſtenderet eius inſignia,* Paupertatem *ſcilicet* Humilitatem, Manſuetudinem. *Quo & tu diſceres mundi pompam ſpernere, & illas virtutes amplecti,* 2. Diſcipulos binos *mitti pro charitate mutua & ſolatio:* Apoſtolorum officium *eſſe peccatores ſoluere & ad Chriſtum addducere:* virtutem verbi Dei *in conuerſione peccatorum, queis* opus habet *pro gloria ſua.*

3. In

3. *In occurſu turbæ*, 1. Diuinã inſpirationẽ *& impulſum, ad veris honoribus & laudibus (conformibus omnino* Hymno Angelico *Natiuitatis, & merito vſurpatis in M* ſſæ præfatione) *proſequendum Chriſtum*, 2. *Turbæ* Deuotionem, *Sternentis* veſtimenta ſua *in via, vt & tu proijcias teipſum &* tua omnia *ad pedes, & in voluntatem Dei*, 1. *in Phariſæis ægrè ferentibus laudes Chriſti*, Inuidiæ iniquitatẽ, *&* pænam, 2. Ex *Chriſti reſponſo* Diuinæ inſpirationis efficacitatem, *quæ &* lapidea corda *flectit & emollit.*

MEDITATIO IV.

De lachrymis Chriſti, cum ciuitatem vidit. pag. 41.

1. *Chriſti ſuper ciuitatem* fletum *tanto in honore ſuo admirans, conſidera eius cauſas*, 1. *eſt*, Contemptus gloriæ *&* proſperitatis *mundi, quam lacrymis diluendam docet*, 2. *&* 3. *Infinita ipſius* charitas, *qua* peccata *&* pænas *tum* ciuitatis iſtius; *tum* totius mundi defleuit. Punct.

2. 1. Ex *Chriſti verbis*, Quia ſi cognouiſſes, & tu *fleres*: Initium ſalutis *eſſe* cognitionem morbi, *&* Medici ſuſceptionem. *Cauſam vero Interitus eſſe, illius* Ignorantiam; *huius* reiectionem, 2. *Ex malorum & pænarum Iudæis impendentium prædictione*, Periculum Chriſtianorum, *tum Dei* viſitationem *&* occaſiones *ſalutis ſuæ negligentium, tum* Inſpirationes *ac internas Dei* motiones *non ſequentium, non audientium*, 3. *Creuiſſe lacrymas & dolorem Chriſti ex conſideratione* æternarum pænarum *impænitentibus debitarum.*

3. 1. *Animaduerſis quatuor*, 1. *Chriſti* pietate, *qui ſtatim* templum *intrauit, & ſanauit cæcos ac claudos*, 2. *Puerorum laudiſono clamore*, 3. *Phariſæorum indignatione, conſidera* Bonitatem *&* liberalitatem *Chriſti in omnes ad ſe accedentes*: diuinæ inſpirationis efficaciam, *quæ pueros in Chriſti laudes mouit*: Phariſæorum, *ex inuidia* malitiam *& obſtinationem. Eſto paruus, purus, & flexilis*, 2. *Obſeruato* Exitu *Chriſti* (*à nemine ad hoſpitium inuitati poſt totius diei labores & beneficia*) *in Bethaniam, conſidera Dei in homines* liberalitatem, *& contra, hominum in Deum tenacitatem &* ingratitudinem. Humani reſpectus *&* timoris *vim &* pœnam. *Metu terreno non recipis Chriſtum*: *Non recipieris ab eo. Diſce & tu* laborare *ac* benefacere *etiam ingratis.*

MEDITATIO V:

De cæna in Bethania. pag. 46

1. *In cæna* Bethaniæ, *conſidera* 1. *Magdalenæ* gratitudinem, obſequium, deuotionem, *erga Chriſtum, quem vt alias vnxerat* pro peccatorum *ſuorum obtinenda* remiſsione; *ſic nunc* ob accepta beneficia, *idem facit largiſſimè. Stude duplicis huius vnctionis ſpiritui aſſequendo*, 2. *In ſpiritali vnctione* Chriſti, Alabaſtrum *eſſe* cor *&* corpus; *quod frangendum varia mortificatione & pænitentia.* Vnguẽtum nardi piſtici pretioſi, *eſſe plurimos* affectus *& excellentiſſima* opera humilitatis & charitatis, *&* puram intentionem, *vngere* pedes *Chriſti*: *conſiderare ipſum, vt hominem multa paſſum*; Caput *vt Deum*, 3. *Totam ſocietatem imo Eccleſiam repleri & confortari odore Exercitiorum ſpiritualis vnctionis.* Punct.

2. *In Iudæ & aliorum* murmure *de facto Magdalenæ*, 1. Temeraria Iudicia *&* murmura *contra bonos nunquam defutura. Prouenire ea, aut ex* peruerſa intentione, *cui* ſpecies pietatis *prætenditur, vt in Iuda videre eſt*; *aut ex* Ignorantia,

Digitized by Google

ſiue zelo indiſcreto,*vt in alijs diſcipulis. Redundare tacitè in* caput *ſiue ſuperiorem, quando fiunt de ſubdito: quomodo hæc murmuratio Chriſtum petijt. cauendum ergo ab ijs, ne contra proximum & Spiritum S. auctorem boni operis pecces, 2. Murmur incæpiſſe à Iuda. tanti eſt, malum exemplum, quo abripiuntur plures.*

3. *In Chriſto defendente factum Magdalenæ, tres Heroicas ipſius virtutes : earum* 1. *eſt*, Fidelitas *in honore tuendo ipſorum, qui ipſius cauſa ſuſtinent murmurationes & humiliter, prudenter ac patienter tacent. Tace, & committe te Deo*, 2. Lenitas & benignitas *in corrigendo diſcipulos , & inſtruendo de ratione vnctionis: factam videlicet diuino inſtinctu, ad corporis ſui ſepulturam, corripe lenis*, 3. Charitas & liberalitas *in remunerando obſequium ſibi præſtitum , & conuertendo cuncta quæ ipſum amantibus eueniunt in maius ipſorum bonum. Non fuiſſet hoc murmur, non tam celebris Magdalena, nec eius factum. Prædica, lauda ipſam, & opus. Serui Deo.*

MEDITATIO VI.

De Iudæ proditione. pag. 50

Punct. 1. *In Iudæ* venditione, *quæ eſt prima iniuria & pars Paſſionis Chriſti ; conſidera*, 1. *quis venditus ſit. Filius Dei viui, creator vniuerſi, Saluator & tantus benefactor hominum*, 2. *Quare permiſerit ſe vendi, vt* ſatisfaceret *& pro iniuria quam Deo infert homo peccando animam ſuam Diabolo vendens, & vt nobis præberet raræ* humilitatis *exemplum admittens extremam ſerui abiectionem ; quæ eſt pro pecunia vendi.*

2. 1. *Quis Chriſtum vendiderit, vnus Apoſtolorum, hoc inſigniter auget iniuriam*, 2. *Quid Iudam impulerit ad venditionem.* Auaritia, *quæ ipſum adegit ad* Furtum, Murmurationem, Proditionem, *ſub te ſit appetitus tuus. Ne te abripiat*, 3. *Magnum concipiendum timorem & tremorem de* iudicijs Dei. *Nunquam curam ſui deponendam*, 3. 1. Quis *Iudæ perſuaſerit tantum ſcelus, Diabolus. Idque duas ob cauſas: vt animam eius raperet: vt Chriſtum è medio tolleret.* Paſsio non mortificata *cordis portam aperit Satanæ, & fouetur ab eo. Mortifica malam quamlibet propenſionem, vel ex vna, laqueum tibi hoſtis nectit*, 2. Quo prætextu *ſiue ratione perſuaſerit, caue & fidem adhibeas rationibus & cogitationibus, quæ tibi affectione aliqua perturbato occurrunt.*

4. 1. *Qui, & quare Chriſtum emerint, Principes Iudæorum, hoſtes ipſius infenſiſsimi; vt occidant crudeliſsimè*, 2. Ignomini[illegible]nta *acceſſerit* Chriſto *apud emptores ex Iuda detractione & quanta patien[illegible] ipſe tulerit* , 3. *Quantum* dedecus *attulerit ſchola Chriſti apud totum populum , Diſcipuli tam deteſtanda auaritia & proditio.*

5. 1. Pretiũ *quo venditus, fuit viliſsimũ 30. nimirũ denariorũ, ſerui ſic æſtimabantur. Hoc Chriſti auget iniuriam & adhuc magis*, Modus paciſcendi *Quam precioſus homo Deo! quam vilis Deus homini!* 2. *An non ſæpius viliori adhuc pretio (pro exigua aliqua* voluptate *aut* lucro *aut* honore*) tu ipſe Chriſtum vendideris. Pudeat: pœniteat.*

6. *Peccata conuentione traditionis*, 1. *Iudæ* Sponſionem *de perficiendo ſcelere*, ſollicitudinem *eius in quærenda opportunitate*, Reuerſionem *ad Chriſti ſocieta-*

tem. Chriſti charitatem & manſuetudinem *in ipſum excipiendo,* 2. *Principum ſacerdotum* lætitiam & gratulationem. Sententiam *de occidendo Chriſtum, etiam in die feſto. Dei in hoc* prouidentiam, & *Chriſti* ardorem *patiendi.* 3. *cur Iudam tanto tempore in ſchola ſua ſuſtinuerit Chriſtus tum vt intelligamus nulla in congregatione defuturos malos, qui tolerandi, tum pro exercitio Heroicorum* manſuetudinis, patientiæ, charitatis, aliarumque virtutum actuum.

MEDITATIO VII.

De vltima cœna. pag. 57

1. *Circa parationem Paſchatis, conſidera* 1. *Chriſti* obedientiam *in obſeruantia legis (etiam cum vita ſua diſpendio)* & diligentiam *in eius executione, ad eam neceſſaria, in tempore præparando,* 2. Petrum & Ioannem *miſſos vt pararent Paſcha. Vt cognoſcas, Petri* fidei viuacitatem, & *Ioannis* charitatis feruorem *cum* promptitudine obedientiæ, *neceſſarias eſſe pro præparatione ad* Sacram Communionem. 3. *Sententia illius Chriſti,* Tempus meum prope eſt, apud te facio Paſcha cum meis, *dulcedinem & efficaciam Ora, & cogita tibi dici.* Punct.

2. *Ante exitum è Bethania,* 1. *Chriſtum valedicentem Matri ſuæ: & memorantem quæ euentura* 2. B. Virginis dolorem, *cum ſumma tamen reſignatione in voluntatem Dei.* 3. *Chriſtum commendantem Matri gregem ſuum.*

3. *In exitu Bethaniæ in Ieruſalem,* 1. vultus *euntium* varios, *Chriſti lætum, Apoſtolorum triſtem. Iudæ mala gaudia mentis Chriſti dulces ſermones pro* triſtitiæ & itineris *leuamine.* 2. Deſiderium Chriſt, *quo deſiderauit Paſcha illud vltimum comedere cum ſuis, Concipe deſideria ignita manducandi cum Chriſto, imo Chriſtum.*

4. *In eſu Agni Paſchalis,* 1. *Chriſtum contemplantem & ſibi adoptantem omnia legis iſtius myſteria.* 2. *Poſt cænam legalem,* Chriſti gratiarum actionem *pro figura termino,* & promptam oblationem *ſui ipſius pro complemento.*

MEDITATIO VIII.

De lotione pedum. 62

1. *Ante Lotionē pedū, & ingreſſū Paſſionis, conſidera* Proprietates amoris *Chriſti erga ſuos. Quarum* 1. *eſt, Quod eos vt rem ſuam; vt (imo plus quam) ſeipſum diligat.* 2. *Quod vſque ad finem vitæ.* 3. *Quod maximo amore, vt ad eum vſque finem quo peruenire amor poteſt,* 4. *Quod ad* gratiam, & gloriā. *Hunc* amorē *imbue.* Punct.

2. *In Lotione Pedum,* 1. Excellentiam *Perſonæ lauantis infinitè* Sapientis, & potentis. *obſtupeſce tantam* Humilitatem, & Humiliare. 2. *Modum quo id opus per ſe ipſum facit: et lauat, non manus ſed ſordidos pedes. Opera Humilitatis et charitatis per te præſta, non per alium.* 3. Myſterium *huius Lotionis.* Incarnationem & Paſsionem *denotantis. Exuit quippe ſe Dominus* gloriæ *ſuæ* decore; *et præcinxit* carne, *in cuius* Sanguine *nos lauit. Tu* faſtu tuo te exue; *et præcinge vigore* Pœnitentiæ.

3. *In Lotione pedū Petri,* 1. *Viuā Petri fidem de Chriſti* maieſtate & ſua vilitate, *operiſq; iſtius* abiectione. *Senti de Chriſto* altiſsimè, *de te* Humillimè *et excita affectus* Admirationis, Gratiarum Actionis, Imitationis. 2. *in Chriſti illo reſponſo,* Si non lauero te, non habebis partem mecum, *Pertinacia in proprio iudicio grandem pœnam.* Sequere Deum, *et ſuperiores tuos.*

3. Quam neceſſarium tibi à Chriſto à peccatis tuis lauari et mundari, alioquin perijſti.

4. 1. Magnum Petri erga Chriſtum amorem; et ſeparationis ab ipſo filialem timorem. Time et ama: Deum, et ſuperiores. Etiam à venialibus peccatis debere nos purgari antequam in cœlum recipiamur. Et illa ergo horre. 3. Iudam admoneri ſuæ immunditiei lethalis. Forte et te.

5. 1. Chriſtum lauantem pedes Iudæ, et lacrymantem, ac ad cor ipſius dulciſſimè loquentem. 2. Iudæ duritiem et obſtinationem. Benefac Inimico tuo: et time profundum peccati.

6. Poſt pedum Lotionem, 1. Chriſtum ſoluentem linteum, et aſpicientem maculas, quæ ſignificabant peccata noſtra, ipſi luenda et ſanguine abluenda, 2. Externorum operum Chriſti non omnes aſſequi ſecretum et ſpiritum. Ora vt intelligas. 3. cauſam lotionis Pedum. Exemplum ſcilicet Humilitatis & Charitatis, mutuem exhibendarum. 4. Non Beatos eſſe, virtutum exempla qui norunt, ſed qui faciunt.

MEDITATIO IX.

De dictis factiſque Chriſti ante inſtitutionem Vener. Sacram. 70

1. Conſidera geminam cauſſam quare ablutio pedum præceſſerit Inſtitutionem Euchariſtiæ: 1. Significatio ingentis puritatis & munditiei requiſitæ à communicantibus. 2. Chriſti promptitudo & charitas Chriſti in lauando conuiuas ſuos: et horum inſtructio, vt ipſius conuiuio fruituri, exerceant ſe Humilitatis & Charitatis operibus.

2. Duplicem cauſam, ob quam Agni Paſchalis cœna præceſſerit inſtitutionem Euchariſtiæ. 1. Quia Sacrificium & eſus Agni Paſchalis, fuit figura Sacrificij Miſſæ, & eius Sacræ Communionis. 2 Quia eſus Agni Paſchalis præſcripta, docent nos Diſpoſitiones requiſitas ad dignè communicandum ſcilicet corpore caſto: corde & affectibus cuſtoditis: & fiducia in Chriſto: Spiritu feruenti: Animo puro, & exercitijs mortificationis: ardenti meditatione Panis iſtius cœleſtis.

3. Ex vehementiſſimo deſiderio quo Chriſtus deſiderauit, hoc Paſcha cum ſuis comedere; 1. Fame & deſiderio vehementiſſimis accedendum ad Sacram Communionem: tum quia ſumma nobis iſtius cibi eſt Neceſsitas; tum quia infinita illius eſt Excellentia & Dignitas. 2. Ita ſemper communicandum, atque ſi ſumpto hoc Viatico ſtatim tibi è vita migrandum foret.

MEDITATIO X.

De tempore, loco & Socijs cum Vene. Sacramentum inſtituit. 73

1. Conſidera cauſas, ob quas Chriſtus inſtituerit hoc Sacramentum vltima nocte vitæ ſuæ. 1. eſt, Magnitudo amoris in nos. De vita Domino adimenda ſatagebant impij: Ipſe dat & inſtituit ſe Panē vitæ Nihil te ſeparet à charitate Chriſti. 2. Intimū ipſius Deſiderium manend: ſemper nobiſcum etiam quà homo eſt. Impij laborant, vt è mundo eum tollant: Ipſe diſponit, vt etiam ablatus maneat. Coram vener. Sacramento eſſe deſidera, 3. Repræſentatio & memoriale perpetuum Paſsionis ſuæ: quo & fructus ipſius nobis applicaretur; nouo hoc Sacramento & Sacrificio.

2. 1. Eorum in quo facta hæc Inſtitutio Fuit cœnaculum grande ſtratum. In quo & apoſtoli poſtea orarunt, & acceperunt Spiritum ſanctum. Deſignat Eccleſiam

Catho

Catholicam , *extra quam qui comedit Agnum, gratias ac dona ipſius non percipit. Deſignat &* Animam fidelem, *quam decet eſſe* magnam, *cœleſtium donorum capacitate*: latam, *charitate*: longam, *Spe*: ſtratam, *omni genere virtutum.* 2. *Patrisfamilias (cuius erat cœnaculum) nomen non exprimi, quia Chriſtus in* communicaturo *non attendit externam excellentiam aut opulentiam; ſed* bonam, *&* promptam voluntatem *ſe recipiendi*, 3. *Animam dignè recipientis Chriſtum, fieri* Domum orationis, *reuelari ipſi* ſacra myſteria, *communicari* dona ſpiritus ſancti.

3. *Conſidera, Qui huius inſtitutioni Sacramenti interfuerint, & de eo partiparint. Apoſtoli ſcilicet: & Iudas etiam. Quanto diſcrimine? Hic ſolo corpore ſine vlla reuerentia: Illi corpore & ſpiritu deuotiſſimè, atque attentiſſimè.*

MEDITATIO XI.

De conuerſione panis in Corpus D. N. 77

1. *In* Tranſubſtãtiatione *Panis in corpus, & vini in ſanguinẽ Chriſti, conſidera* 1. *Infinitam ipſius* Sapientiam, *qua inuenit talem modum ſe dandi nobis in alimentũ, et coniungendi cum* Panis *et vini ſpeciebus in vno ſacramento*, 2. Omnipotentiam *qua vnico verbo et momento tanta edit miracula*, Tranſubſtantiationem: Solorum accidentium *Panis et vini* remanſionem: ſui totius *ſub* qualibet *Sacramenti huius* particula, contentionem, 3. Bonitatem & charitatem, *qua ſeipſum et omnia ſua dedit, cum et in corpore, etiam ſanguinem: cum et in ſanguine, etiam corpus: nec non et* animam, & diuinitatem, *et omnes* meritorum theſauros *ac* ſatisfactiones, 4. *Feruentiſſimum* ſalutis *noſtra* zelum *quo totum ſe impendit nobis ſine te abſumi, comedi ex gloria Dei zelo.* Punct.

2. *In myſterijs verborum conſecrationis* Panis, *Chriſtum ex infinita ſua charitate.* 1. *Non* figura *aut repræſentatione corporis ſui; ſed* proprio *in* corpore *& perſona voluiſſe nos* ſanctificare & nutrire, 2. *Non reliquiſſe nobis* partem corporis *ſui; ſed totum integrum*, perfectum: *vt nos totos ſanctificet. Reddimus nos ipſi totos*. 3. *Reliquiße nobis* Idem numero corpus *quod traditum in mortem, et eodem ex amore vtrobique communicans, introito in vulnera ipſius.*

3. *Apoſtolorum (extraordinario quodam lumine illuſtratorum)* Deuotionem & Reuerentiam *in communicando*. 2. *Magnam eorundem à ſacra communione* dulcedinem, *& admirandos* effectus. *Iudæ autem exitum, et nullum guſtum.*

4. *Etiam Chriſtum Dominum* communicaſſe *ſeipſum maxima reuerentia, deuotione, et ſpiritus iubilo, vt Apoſtolis præiret exemplo.*

MEDITATIO XII.

De conuerſione vini in ſanguinem &c. 82

1. *In conſecratione vini, conſidera* 1. *Domini* charitatem, liberalitatem, & omnipotentiam, *quòd* totum Sanguinem *det in calice*. 2. *quod non ſolum Sanguinem, ſed et calicem, hoc corpus ſuum quo ille continetur*. 3. *quod* ſuum proprium Sanguinem, *non alienum. Eſto liberalis de tuo; non de alieno.* Punct.

2 Teſtamentũ nouũ n*initi Sanguini Chriſti*, 1. *conditum ab ipſo cum varijs legatis et promiſſionibus* (veniæ *puta* peccatorum gratiæ, gloriæ, impetrationis

precum,auxilij,)quarum Sanguis ipſius ſit pignus,archa,Scriptura,& priuilegij Inſtrumentum.Ama,confide,lætare.3.Etiam cum magnis monitis & conſilijs amoris mutui,obſeruantiæ præceptorum,& omnium neceſſariorum ad perfectionem Chriſtianam.Ad ea præſtanda Sanguis Chriſti valet.

3.1.Hoc verbo,qui pro vobis effundetur, excitari vnumquemque ad compaſsionem Domini ad amorem & gratitudinem.2.Chriſti liberalitatem,& Sanguinis ipſius virtutem, effuſi pro omnibus quantum ad ſufficientiam;pro multis quantum ad efficacitatem & fructum. 3. Et quidem in Remiſsionem peccatorum,omnium ſcilicet,ſine vlla reſtrictione aut numeri aut quantitatis.4.Effuſi,non guttatim & parcè,ſed magna copia,toto ex corpore.

MEDITATIO XIII.

De ſacramentalibus ſpeciebus panis vinique 85

Punct. 1. Conſidera Chriſtum ſub duabus ſpeciebus inſtituiſſe hoc Sacramentum duas ob cauſas.1.eſt.Perfectiſsimi ſui conuiuij oſtenſio.2.Repræſentatio ſeparationis ſanguinis à corpore in Paſsione.Hoc attende in ſacro Miſſa.

2. Tres cauſas ob quas corpus & Sanguis Chriſti hic occultentur. 1. Continuum Humilitatis, & heroicæ patientiæ Chriſti exemplum tam humili ſub figura Deus & homo,vt ſe ſuſtinet contemni!2.Heroicæ Fidei noſtræ iuge exercitium.3.communionis fiducia,et humanior acceſſus.

3 Tres cauſas ob quas ſub ſpeciebus Panis et vini potius quam alterius rei inſtitutum ſit Sacramentum. 1. Corporalis (præter et propter Spiritualem, nobiſcum coniunctio maxima.2.communionis ſacræ effectus in vita ſpirituali.3. Fidelium inter ſe cum Chriſto communio, participantium de vno cibo & potu, qui conſtant ex multis frumenti & vuarum granis, molitis,calcatis.

MEDITATIO XIV.

De ſex Myſticis rebus quas in panis & vini conſecratione Chriſtus Dominus fecit,dixitque.

Punct. 1.Primò In Sacramenti huius conſecratione,conſidera Sex:Chriſtum in manus ſuas accepiſſe Panem: 1.quia Tranſubſtantiatio hæc,eſt opus omnipotentiæ ſuæ . 2. liberalitatis: 3. Meritorum ſuorum.

2: Secundò,Oculos eleuaſſe in cœlum: quia cœleſtem daturus erat Panem. Communicaturus ſurſum habeto cor. Tertiò, Gratias egiſſe Patri pro tanto beneficio huius Sacramenti Euchariſtiæ. Elice affectus gratitudinis & gratiarum actionis ante & poſt communionem: Benedixiſſe Panem oratione effectrice Tranſubſtantiationis. 5. Fregiſſe: quatuor de cauſis 1.ad iudicandum omnes.de vno pane & potu participare 2.omnes vno amore coniunctos eſſe debere. 3.Signi ſiue ſpeciei tantum fieri fracturam: 4. Comedendum hunc panem, meditatione attenta fractum & comminutum.

3. Sextò, Dediſſe ſuis ad comedendum , Mirare 1.Boni præſtantiam: Dantis charitatem,bonitatem,liberalitatem.2.communicantium Apoſtolorum reuerentiam & æſtimationem diuini huius panis.

MEDITATIO XV.

De poteſtate quam Chriſtus D.dedit Apoſtolis, 93

Punct. 1. Circa ſacerdotalem conſecrandi poteſtatem. conſidera 1. Chriſti erga homine

chari-

Digitized by Google

charitatem & fauorem. *Non Angelis ſed hominibus tantum poteſtatẽ conceſſit* 2. liberalitatem. *qua eam facultatem nullo numero* Perſonarum, loci, *aut temporis conſtrinxit*, 3. Humilitatem *&* obedientiam *ad vocem cuiuſuis ſacerdotis.*

2. *Corporis & ſanguinis Chriſti conſecrationem eſſe* nouæ legis *vnicum & verum* Sacrificium, Propitiatorium, Satisfactorium, Eucharisticum, Imperatorium.

3. Commemoratiuum *&* repræſentatiuum (*ſed incruentum*) *Sacrificij cruenti crucis, & (præterquam quod ſit* Gratiarum actionis *etiam pro ſui inſtitutione*) Heroicarum *omnium virtutum Chriſti.*

MEDITATIO XVI.

Deiis quæ Chriſtus in cœna dixit Apoſtolis. 97

1. *Chriſtum turbari Spiritu inter cænandum*, *ob Iudæ* impœnitentiam & ingratitudinem 2. Denuntiare *proditorem quia* Deus *omnipius*, *&* miſericors *in Iudam*. *Conans eum conuertere*, *Facinoris* præſcientia : Deceptionis diſſolutione: Minarum horrendarum *propoſitione.* Punct.

2. *Apoſtolos* contriſtari. *quia mens bona timet culpam etiam vbi non eſt*. 2. *Proditorem non promulgari publicè*: *quia* peccata proximorum occultanda, *&* turbationis *in communitate occaſio remouenda*. 3. *Manifeſtari autem Iudæ facinus tum ipſi Iudæ, ad ipſius Pœnitentiam: tum Ioanni, vt teſti charitatis erga Iudã.*

3. *Iudã poſt acceptã de manu Chriſti magnis amoris ſignis buccellã, & huius* obſtinationis *duas horrẽdas pœnas*. 1. *Diaboli in ipsũ Introitus*: 2. *Chriſti ab eo receſſus.*

4. *Chriſtum exitu Iudæ* clarificari. 1. Scholæ *angregis ſui* puritate *ac ſanctitate*, 2. Paſsionis *iam incipientis* exordio, *qua ipſe Patrem, & Pater ipſum erat* glorificaturus. *In cruce eſt gloria tua, & Chriſti.*

MEDITATIO XVII.

De contentione Apoſtolorum. 102

1. *In contentione maioritatis inter Apoſtolos*, *conſidera* 1. Ambitionis *contagionem*. 2. *Duplicem eius efficacem* medicinam: *ſcilicet cogitationem* Humilitatis Chriſti; *& memoriam* vocationis *noſtræ*, *per tribulationes ad cœlum.* Punct.

2. *Chriſtum prædixiſſe Apoſtolis* lapſum *ipſorum*: *tum vt* ambitionis *morbum curaret*; *tum vt ad* ſpem veniæ *erigeret*. *Dein, Petrum* in feruore ſine humilitate *tripliciter erraſſe ac impegiſſe*: 1. Contradicendo. 2. *Se alijs* præferendo. 3. *De ſe nimis* præſumendo. *In pœnam verò trium horum errorum*, *permiſiſſe Dominum* trinam *Petri* negationem.

3. *Diabolum expetentem cribrare electos, nihil poſſe ſine permiſſione Dei: Deum autem permittere eius tentationes, ad maius ſuorum bonum*, 2. *Orationem Chriſti ſtabiliſſe Petrum*. 3. *Petri* conuerſionis, *prædictionem*, *& fratrum in fide et fiducia confirmationem.*

MEDITATIO XVIII.

De ſermone Chriſti ad ſuos diſcipulos poſt cœnam habito. 105

1. *In ſermone poſt cænam* (*in quo* Magiſtrum, conſolatorem, *&* Aduocatum *ſe exhibuit Chriſtus*) *conſidera*. 1. *Moneri nos cum Apoſtolis vt* amemus Dominum, *quia* ipſe amauit nos, *ſicut Pater ipſum*. 2. *Amorem hunc oſtendi* obedientia *mandatorum Dei*: *& amantẽ tribus gaudere priuilegijs* (1. Dei dilectione *erga ipſum*: 2. Dei *in animã eius* aduentu, *&* manſione: 3. *Chriſti* manifeſtatione *hic per* fidem *&* contemplationem, *illic per* beatificam viſionem.) 3. *Chriſtum* Amoris *&* Obedientiæ *ſe poſuiſſe* Exẽplar. Punct.

2. Manda-

2. *Mandari nobis cum Apoſtolis, non ſemel atque iterum, ſed* tertiò *vt* diligamus inuicem. *Atque hunc amorem proximi dicit* 1. *eſſe* mandatum nouum (*ratione imprimis iſtius noua & nos innouantis Perfectionis, vt ea* puritate, feruore, intentione *diligamus, qua* ipſe dilexit nos) & inſigne *Diſcipulatus ſui*, 2. Mandatum ſuum, *ſcilicet* eminenter, *maximè, quia ipſe huius* exemplar, 3. *Innuit, eſſe* Plenitudinem legis.

3. *Ad* Exercitium Orationis *Dominum tertio ſuos exhortari: et aperire* conditiones *quas illa requirit vt ſit efficax, et impetratoria. Prima eſt,* viua fides, & ſpei *fiducia*, 2. Dilectio *cum* obedientia, 3. *Vt fiat* In nomine Chriſti (*Ipſe Dominus* promittit *eiuſmodi orationem exauditam iri, promittit credentibus, ſperãtibus, amantibus, conuerti cupientibus.* Deus Pater *adimplet promiſsionem filij, et ipſe* Deus *Filius, ac* Spiritus ſanctus. *In* nomine Chriſti *petere, eſt inniti virtutibus, laboribus, meritis ipſius, petenda ſunt qua conueniunt illis*, quo, per quem, pro quo *petuntur*) 4. Perſeuerantia.

4. *Dominum conſolari & animare ſuos ad labores & aduerſa*, 1. *Exemplo ſuo*, 2. *Signo Electionis*, 3. *Gaudij ſucceſsione*, 4. *Pramio aterno*, 5. *auxilij ſui adiutorio*, 6. *Dilectione Dei Patris*, 7. *Sua de mundo victoria.*

MEDITATIO XIX.

De oratione Chriſti Domini noſtri ad patrem ſuum. 131.

Punct. 1. *In oratione Chriſti* (*qua eſt orationis exemplar*) *in fine ſermonis, conſidera*, 1. *Chriſti orantis* reuerentiam & deuotionem: 2. *Pro ſe* Petitionem: *ſcilicet, ſui* clarificationem. (*per miracula tempore Paſsionis, Reſurrectionem, Aſcenſionem Fidem in vniuerſo mundo*) *eo fine, vt ipſe clarificet Patrem. Sic pete, & Chriſti, & tuam clarificationem.* 3. Titulum, *quo petit: quia nimirum* obediuit Patri, & *quia* prædeſtinatus Filius Dei. *Hinc duo diſce.* 1. *licere iuſtis in petendo humiliter allegare obſequia ſua*: 2. *Orationem eſſe medium effectuum Pradeſtinationis.*

2. *In* Petitione Chriſti, *non pro mundo* (*hoc eſt reprobis, quoad orationis ſua efficacitatem*) *ſed* pro Apoſtolis, 1. *Inſignem illum titulum*, Quia tui ſunt, 2. *tria dona qua petit*: vnionem charitatis, Præſeruationem *ab omni impeditiuo huius vnitionis, veram* ſanctificationem.

3. In *Petitione ipſius* pro omnibus fidelibus, *petiiſſe* 1. *pro illis* charitatis vnitionem *cum Deo & inter ſe inuicem perfectiſsimam*, 2. vitam æternam.

MEDITATIO XX.

De Chriſti exitu ex cœnaculo ad hortum Gethſemani. 118.

Punct. 1. *Conſidera Chriſtum tres ob cauſas exiſſe è canaculo in hortum*, 1. *eſt*, conſuetudo *bona* orandi, 2. Hoſpitis *bonum*, 3. *Primorum parentum in* Horto peccatum.

2. *In horto inchoare Dominum* dolores Paſsionis *ſua*, reijciendo *à ſe omnem* conſolationem *inferioris anima partis*; aſſumendo affectus *intenſiſsimos internarum afflictionum puta* Timoris, Pauoris, Agoniæ, Tædij, Triſtitiæ. *Sume hinc exemplum Patientia in animi tui & alterius triſtitia.*

3. *Cauſas, aſſumpta à Chriſto triſtitia*: 1. *eſt*, Peccatorum *noſtrorum* multitudo,

grauitas,

Digitized by Google

grauitas, damna: 2. Multorum torpor & ignauia *in negotio ſalutis*, 3. Afflictiones Electorum, 4. Perditio *populi Iudaici, & populorum à* fide *deficientium*. 5. *Iudæ* condemnatio, 6. Scandalum *Diſcipulorum, &* dolor *matris*.

4. In *Chriſti verbis*, Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, 1. *Quænam ſit talis* triſtitia: *illa videlicet, quam ſentit moriens, quæ mortem cauſat, quæ vſq, ad mortem durat*, 2. *Aperuiſſe diſcipulis ſuam hanc* triſtitiam, *tum quia* interna; *tum vt oſtenderet ſe* hominem, 3. *Aperuiſſe tantum ijs, qui* Transfigurationis *teſtes fuiſſent: non quia Diuinitatis an* gloriæ *Chriſti cognitio, ſuſcepta infirmitatis adauget* Beneficium; *tum quia* conſolationes ſpirituales *ſunt* incitamenta *laborum*.

MEDITATIO XXI.

De oratione Chriſti D. noſtri in horto. 124

1. *Ante orationem Chriſti in horto exhortantis ſuos ad orandum, et auellentis ſe ab ipſis, conſidera* 1. Orandum *tempore* triſtitiæ, 2. *Tentationis; et tribulationis*, 3. Vigilandum *cum Chriſto*; 4. Propenſionem *ad conſortium amicorum in afflictione, ſuperandam Chriſti* exemplo. Punct.

2. *Altiſſimæ* orationis *Chriſti in Horto ſex conditiones*: 1. *eſt*, Solitudo, 2. *Animi corporiſq*, Humilitas & reuerentia *profundiſſima*, 3. *Ingens* Fiducia, 4 Abnegatio *propriæ voluntatis, tum abſolutiſſima* Reſignatione *in voluntatem Dei*, 5. Duratio, 6. Patiendi deſiderium, *ex ſenſu reuelato*, 7. *Catharinæ ſenenſi*.

3. *Ex Chriſti facto*, ſurgentis *ab oratione, & ſuos* viſitantis, leniterque corripientis, *cape tria documenta ad perfectionem*, 2. *In Diſcipulorum* ſomno, *Hominum* incuriam *in rebus* ſalutis, 3. *Triſtitiam in imperfectis* ſomnolentiam *parere, in* Perfectis feruorem.

4. *In ſecunda oratione*, 1. *ex illo verbo* Abba Pater, Amoris, fiduciæ *affectum requiri in oratione eumq, excitari* confeſsione omnipotentiæ *Dei*, 2. *Petere Chriſtũ, etiam* Tranſitionem *ſui* calicis, *an fructus eius, ad plures*, 3. Promptitudinem *Chriſti ad bibendum illum calicem pro electis*.

5. *In reditu Chriſti ad Apoſtolos dormientes poſt ſecundam orationem*, 1. Deſolationem *Domini*, 2. Nullam *eius* Impatientiam, *nec orandi* Intermiſsionem, tertio *enim rediјt ad orationem, docens nos* Perſeuerantiam *in orando*, 3. *Chriſto oranti tam diu* dilatum *à Deo Patre* reſponſum, *ob noſtrum bonum & commodum*.

MEDITATIO XXII.

Angelus Chriſto apparuit & ipſe ſanguinem ſudat 131.

1. *In Angelo confortante Chriſtum, conſidera* 1. *Miſſum eum à Deo* Patre, *oſtendente in hoc* curam *ſuam citra orantes*, 2. *Fuiſſe* Gabrielem, *qui verbi Incarnati* Miniſter *ſpecialis*, 3. *Apparuiſſe* forma humana, & *ſumma* reuerentia, *vultu* com miſerationis *pleniſsimo, & attuliſſe rationes aptiſsimas conſolationi Diſce hinc Conſolari ſæpe Deum* Superiores *per* Minores & *inferiores* Punct.

2. *Poſt Angeli confortationem*, ſanguinei ſudoris *quatuor cauſas*, 1. *eſt*, Pugna triſtitiæ *cum* zelo gloriæ *Dei &* ſalutis *hominum*, 2. *Chriſti* liberalitas *in funden do ſanguinem pro nobis*, 3. Tenerrimus *eius* ſenſus *de* peccatis *noſtris*, 4. & *de* Afflictionibus Electorum.

neris, condemnaris, hoc te conſolare exemplo, 3. Sententiam *mortis acceptatam quidem à Chriſto, tamen & triſtitiam ei attuliſſe, ob* iniuſtitiam & Ingratitudinem.

MEDITATIO XXX.

De iniuriis & pœnis Chriſti Domini in præſentia Caiphæ, eiusque concilij nocte 164

Punct. 1. *Conſidera multiplices* Iniurias *illatas Chriſto in domo Cayphæ*, 1. Exſpuitionem *in faciem eius Quis conſpuatur: à quibus: quomodo contra legem: conſputi patientiam: omnem peccatorem ſpuere in faciem Chriſti*. 2. Velationem *faciei, contrariam velamini Moyſis* vilitatem *eius veli*. Obliuionem *Dei, eſſe velum*, 3. Perſecutionem *factam*, pugno, & palma. *Auaros pugnis, ſuperbos palmis Chriſtum cædere*. 4. Barbæ & capillorum euulſionem, 5. Irriſionem *cum variis* conuitijs. *Ama patientem talia pro te, & imitare.*

2. *Chriſtum tota nocte fuiſſe illuſum*, 2 *oraſſe pro illudentibus.*

3. *B. Virginis* dolorem *de filij comprehenſione*: 2. *eiuſdem* orationem & reſignationem, 3. *curam in* confortando *comites ſuos*, & propenſionem *afflictionum filij*.

MEDITATIO XXXI.

De Chriſti Domini ad Pilatum deductione & infelici Iudæ morte p. 172.

Punct. 1. *Et Chriſtum & Iudæos exoptaſſe diem ſed diuerſo* fine & mente, 2. *Malitiam &* aſtutiam *Iudæorum in interrogando Dominum, an ipſe eſſet Chriſtus*, 3. *Chriſti in reſpondendo* prudentiam & modeſtiam, 4. *Quomodo piè interrogare poßis, ſi tu es Chriſtus.*

2. *Chriſtum tradi* Pilato, *vt crudeliore morte occideretur*, 2. Ignominiam *deductionis Chriſti, ad* Tertium *iſtud* tribunal.

3. *In infructifera Iudæ* pœnitudine, 1. *Diabolum ante peccatum* excæcare *oculos peccatoris; poſt*, aperire *ad deſperationem*, 2. *Iudam non verè* doluiſſe, *non* confeſſum *cui oportuit in ſpe veniæ obtinendæ defeciſſe*, 3. *Iudæorum* obſtinationem & crudelitatem *adegiſſe Iudam ad laqueum. Diſce, peccatorem incipientem pænitere, humaniter excipiendum*, 4. *Iuſtum Dei* Iudicium, & auaritiæ pœnam, *in deſolatione Iudæ relucere*, 5. *Chriſti* dolorem *de Iudæ perditione.*

4. Emptionis *Agri in* ſepulturam peregrinorum, *de pecunia proditionis, myſticam ſignificationem* 1. *eis videlicet profuturum ſanguinem Chriſti, qui vt* peregrini *hic viuunt*, 2. *Teſtimonium* amoris *Chriſti erga pauperes, quibus ſanguinis ſui pretio* remedium & ſepulturam *ſiue requiei locum parat.*

MEDITATIO XXXII.

De accuſatione Chriſti Domini apud Pilatum & huius interrogationibus, p. 177.

Punct. 1. *Conſidera* 1. *quam durè Pilatus Chriſtum exceperit*, 2. Superbiam *accuſatorum Chriſti & huius* Humilitatem.

2. *Accuſatorum Chriſti* calumnias, 2. *Ad Piliati interrogationem de regno Chriſti, admirandam Chriſti* reſponſionem: Regnũ *ſuum non eſſe terrenũ, ſed*

cæleſte,

cœleſte & ſpirituale: *ad docendam videlicet faciendamq́; veritatem: idq́;* purè, fortiter, *Dei ad* honorem, *Electorum ad* ſalutem.

3. *Admirandum* Chriſti ſilentium, *manifeſtare eius* manſuetudinem, patientiam, fortitudinem, 2. *Silentij* difficultatem, & raritatem, *niſi in benè mortificatis.*

MEDITATIO XXXIII.

Deducitur Chriſtus Dominus ad Herodem, & ab eo illuſus remittitur. pag. 181.

1. *Chriſti quaſi* ſeductoris deductio *ad* Herodem *crudelitate & iniuſtitia nobilem, quam fuerit* ignominioſa. Punct.

2. *Gaudium Herodis ex viſo* Ieſu, curioſitatis *fuiſſe, non charitatis. Chriſti* ſilentium, *eſſe* 1. Deteſtationem criminum *ipſius.* 2. *variæ* curioſitatis. 3. *Damnatio nem* teporis *noſtri in patiendo.* 4. *Documentum Sanctæ in loquendo & faciendo* libertatis *coram Principibus ſeruandæ.*

3. *Herodem cum ſuis* illudere *Chriſto vt* ſtulto. *Induere vt ludicrum Regem veſte alba, ſed lacera. Sic vana mundi calcare Chriſtum, & luere: docere* ſapientiam *in* ſtultitia. 2. Ignominioſam *Chriſti* reductionem *ad Pilatum* 3. *Chriſti apud Pilatum* ruborem, & deciſionem *quaſi* ſtulti. *Ama ſapientem ſtultitiam. Fuge ſtultam ſapientiam.* 4. veſtem albam, *denotare* animæ *candorem &* puritatem. 5. *In Herodis & Pilati initâ* amicitiâ, *præfigurari Iudæorum & Gentilium veram coniunctionem per Chriſtum: & oſtendi* humilitatis *vim in* reconciliando: *animos diſsidentes.* 6. *Herodis & Pilati infelicem* interitum.

MEDITATIO XXXIV.

Quod Iudæi Barabbam Chriſto prætulerint. p. 185.

1. *Conſidera* 1. *Chriſti* Humiliationem *compoſiti cum* Barabba. 2. *Sacerdotum ambitum pro* Barabba, *contra* Chriſtum. 3 Barabbam *habere* Patronos; *pro Chriſto loqui neminem.* Punct.

2. *Extremam Chriſti* humilitatem, & abiectionem, *dum* Barabbas *ipſi præligitur.* 2. *Iudicij mundani* errorem & inſtabilitatem. Inuidiæ & odij *potentiam in excæcando* Intellectum. 3. *eum qui peccat, præponere* Barabbam Chriſto.

3. *Pilati* puſillanimitatem *pro Iuſtitia.* 2. *quam graues fuerint Chriſto illæ voces,* tolle, Crucifige. Peccata *noſtra eſſe, quæ ita clamant.*

MEDITATIO XXXV.

De Chriſti ad columnam flagellatione. 189

1. *Conſidera,* 1. *Pilatum iuſsiſſe Chriſtum flagellari, vt crudeli* flagellatione *flecteret populum ad* commiſerationem: 2. *vt ſi crucifigendus eſſet Chriſtus, Romano mori ſatisfeciſſet.* 3. *Sententiam flagellationis fuiſſe* iniuſtiſsimam & crudeliſſimam. 4. *Chriſtum eâ ſententiâ nihilominus patienter* acceptaſſe: *& ſe paſſum flagellari in* ſatisfactionem *pro peccatis noſtris, & amoris* prouocationem. Punct

2. *Chriſtum veſtibus ſuis* ſpoliari, & rubore *ſuffundi.* 2. columnæ *alligari.*

3. *Chriſtum flagellari virgis,* loris, catenulis. *& quidem* crudeliſsimè. *Chriſti flagellati ſpeciem.* 2. In Flagellatione *potiſsimum perpendi debere, Corporis Chriſti* teneritudinem & laſsitudinem: *Præſidis* Mandatum, *cum tortorum* ſæuitia, *ex* Dœmonis & Iudæorum *inſtigatione, cadentium* ſucceſsione, *& ob Chriſti*

Digitized by Google

patientiam indignatione: verberum, *&* peccatorum *multitudinem*. 3. *Iniuſtam Chriſti* patientiam. *Compatere flagellato. Amplectere columnam*. 4. *Chriſti poſt flagellationem*, debilitatem.

MEDITATIO XXXVI.

1. *In* coronatione ſpinea, *quæ &* doloroſa *&* ignominioſa, *Conſidera* 1. *Inſatiabile Chriſti* deſiderium patiendi, *permittentis* nouos *excogitari* ſuppliciorum modos. *quibus licet noſtras* Amoris proprij adinuentiones. 2. Iniquitatem carnificum, *conuocantium multos ad illudendum Chriſto*.

2. *Poſt flagellationem*, *inter varia genera* Iniuriarum *quæ in Prætorio ſuſtinuit* Chriſtus, *Primam eſſe*, veſtium *cum* dolore *&* ignominia *detractionem*. 2. *Pur*puræ veſtis *circumdationem eâ denotari*, purpuram *charitatis*, ſanguinea *noſtra peccata opera in ſpeciem bona*, *ſed ob* intentionem *mala*.

3. *Tertiam Iniuria quæ eſt* ſpineæ coronæ *impreſſio*, 1. *Coronationis* ignominiam (*vt falſo Regi et Deo*) *ac* dolorem: *Hominum peccatorum* Ingratitudinem *& aduerſus Deum*. 2. Peccata *noſtra eſſe* ſpinas *quibus coronatus Chriſtus*. *Mortificationis ſpinis coronare*. 3. Coronæ *ſpineæ* myſterium, *quod eſt Regni* Chriſti ſtabilitas, *eius victoria* perpetuitas: & cœleſtem *coronam non obtineri niſi per* ſpineam.

4. *Iniuriam quartam*, Arundinis *geſtamen*, *Chriſtum acceptaſſe vt* contentus *ſui* Inſigne. *Mundanam potentiam eſſe baculum arundineum*. 2. *Quintam Iniuriam*, *Illuſoriam* genu flexionem *&* ſalutationem. *In* Iuda *fictè ſalutante denotari* Hypocritas; *In his* militibus, *publicè* ſcandaloſos. *Homines mundanos* vno genu *adorare Deum*.

5. *In ſexta Iniuria*, Percuſsionem *capitis arundine*, Alapas, Sputa, *Chriſtum & à Iudæis & à Gentibus fuiſſe conſputum*, *& colaphizatum*. 2. *Chriſti in omnibus hiſce* Iniuriis Patientiam *&* Humilitatem. 3. Afflictionem *&* defatigationem. 4. *Animi* fortitudinem.

MEDITATIO XXXVII.

De Ecce Homo & vltimo examine quo Pilatus Chriſtum examinauit. 201

1. *Conſidera variè hoc dictum*, Ecce Homo. 1. *vt à* Pilato *prolatum*, *ad excitandum* commiſerationem. 2. *vt à* Spiritu S. *per os Pilati*, *ad oſtendendam Chriſti* Diuinitatem, *&* Incarnationis Paſsioniſque *cauſſam*. 3. *vt ab æterno* Patre, *ad declarandum Chriſtum eſſe* Exemplar *totius* ſanctitatis *&* Perfectionis. *Inſpice* 4. *vt à* nobis *proferendum*. *quo Deus Pater reſpiciat* in faciem Chriſti *ſui*.

2. *Iudæorum clamantium* tolle, crucifige, crudelitatem *in Chriſtum*. 2. Impietatem *accuſantium Chriſtum* blaſphemiæ. 3. *Legem impijs & imperfectis eſſe in* ore, *& non in* opere.

Effectus Manſuetudinis *&* Patientiæ *Chriſti in animo* Pilati. 2. Pilati *ſuperbiam* 3. *Chriſti prudentiam in* tacendo, *&* loquendo, *ac* corripiendo.

4. Ecce Rex veſter, 1. *vt dictum à* Pilato *in* ludibrium. 2. *Vt dictum* inſtinctu Spiritus.

4. Rabiem *Iudæorum ne videre quidem Chriſtum ſuſtinentium*. 2. *Eorundem* cæcitatem *&* pœnam, *in non acceptando Chriſtum pro Rege*; *ſed Cæſarem*. 3. Mundanos *homines non habere* Regem, *niſi* Cæſarem.

Digitized by Google

MEDITATIO XXXVIII.

De chriſti ad crucis mortem condemnatione. pag. 208.

1. Viſionem *vxoris Pilati de Chriſto, 1. vel fuiſſe à* Dœmone *volente impedire Domini mortem, ex quâ ſibi timeret: 2. vel ab* Angelo *bono ad* Bonum Pilati. Punct.

2. *Chriſti patientis* Innocentiam, *&* de *eâ Pilati* Teſtimonia, 2. Furioſam *Iudæorum* nequitiam *in clamando,* Sanguis eius ſuper nos. *& Sanguinem Chriſti aliter venire ſuper* bonos; *aliter ſuper* malos. 3. *Pilatum* manus lauare ; *ſed non* cor.

3. *Sententia Pilati in Chriſtum lata* iniuſtitiam & crudelitatem, *ex* Humano timore. 2. *Iudæorum* gaudium , *auditâ mortis Chriſti ſententiâ* 3 *Chriſtus quàm libenter eum* acceptarit. 4. *B. Virginis auditâ* Damnatione *Filij* dolorem *&* reſignationem.

MEDITATIO XXXIX.

De baiulatione crucis, & quæ euenerunt antequam ad caluariæ montem perueniretur. pag. 211 Punct.

1. *Conſidera,* 1. *Exui Chriſtum* chlamyde, *ſed non* corona ſpinea, *& indui* propriis *eum* veſtimentis. *Quæ Mundi exuenda; Quæ* chriſti, *induenda eſſe.* 2. Crucis *lignum imponi* chriſto *ad* baiulandum *eiusq́;* exultationem *conſpectâ cruce.* 3. Latrones *duos cum ipſo ductos: & horum* horrorem *ex intuitu* crucis.

2. *Chriſti in* Baiulatione *crucis inter duos* Latrones, Ignominiam. 2. Afflictionem, *ex crucis pondere.* 3. Peccata *noſtra aggrauaſſe crucis pondus.*

3. *Chriſti ſub onere* Crucis laſsitudinem. 2. *Permiſiſſe, crucem* imponi *alteri, vt ſciremus* crucem *ipſius eſſe* communicandam *fidelibus.* 3. *Fugientium crucem Chriſti tria hominum genera.* Infideles, ſuperbos , deliciis deditos. *Amicos Chriſti, eſſe amicos crucis.* 4. *Omnes naturâ* abhorrere *à cruce. Naturæ hanc repugnantiam, vinci per* gratiam.

4. *Eum qui portat* Crucem *poſt Chriſtum debere eſſe* Simonem: *Id eſt*, 1. obedientem: *Deo, & Prælatis* 2. *Sicut* Aduenam & peregrinum *ſuper terram.* 3. *Crucis* laborem *eſſe breuem, ſed* gloriam *magnam.*

5. *Varias intentiones ſequentium Chriſtum ad ſupplicium crucis,* 2. *Chriſti in tanta* ignominia *grauitatem &* auctoritatem, *docentis quomodo* Paſsio *ipſius ſit* deflenda 3. Pœnarum *peccatis debitarum* grauitatem *elucere ex Paſſione Chriſti.*

6. *B. Mariam* exire *vt videat Filium quomodo* doluerit. 2. orarit, *& ſe* reſignarit. 3. Exeundum *nobis cum Chriſto* extra caſtra.

MEDITATIO XL.

De iis quæ in monte caluario ante crucifixionem ſunt geſta. 220.

1. *Chriſtum voluiſſe crucifigi in aperto* campo, *In* monte caluario, In meridie, in die ſolenni *Paſchæ.* Punct.

2. *Tortorum* crudelitatem , *offerentium Chriſto vinum felle mixtum. Sic ipſum luere noſtram* intemperantiam , *& docere in penuria* patientiam.

2. Vinum felle *mixtum offerre Chriſto, qui operibus bonis* malas *admiſcent* intentiones *&* circumſtantias. 3. *Chriſtum non guſtaſſe* myrrhatum *vinum, quia dolorem leniebat.*

3. Quater *Chriſtum in Paſſione exutum veſtibus: vltimam exuitionem fuiſſe cum ſummo* dolore, *& grauiſſima* ignominia*: cauſas nuditatis Chriſti.*

MEDITATIO XLI.

De Chriſti Domini noſtri crucifixione. p. 224.

Punct. 1. *Chriſtum extendiſſe ſe ſuper lectum* crucis *ad nutum carnificum &* gratias *egiſſe Deo Patri.*

2. Transfixionem *manuum & pedum* Chriſti, *maximos* dolores *ipſi peperiſſe*: peccata *noſtra eſſe* clauos. 2. *Violentam membrorum* Chriſti extenſionem, *intenſiſſimi fuiſſe doloris.* 3. *Ictus clauorum tranſuerberaſſe* animam B. *Virginis.*

3. In *Chriſti, cum cruce,* eleuatione, *eius* dolorem, pudorem, afflictionem. 2. *Quatuor* vulnera *quaſi totidem Paradiſi* flumina. 3. *Hoſtium* clamores, *&* irriſiones, *Piorum gemitus &* fletus. 4. B. *Virginis* dolorem *ex aſpectu Filij, & viciſſim Chriſti ex intuitu Matris.*

MEDITATIO XLII.

De myſteriis in Chriſto crucifixo latentibus. p. 229.

Punct. 1. *Conſidera*, Quis *&* quare *in cruce pendeat.* Deum *eſſe qui pendet. confer thronum* maieſtatis *eius diuinæ, cum throno* crucis, *& obſtupeſce.*

2. Sacerdotem, *ſecundum ordinem Melchiſedech.* Pontificalia *attende* inſignia, *&* Sacrificium *in* ara crucis.

3. Doctorem *&* magiſtrum *mundi. Crucis ex vltima cathedra,* poſtremam *Chriſti* lectionem *diligentiſſimè* attendendam, *& opere* complendam.

4. Detriumphatorem, & debellatorem *Diaboli & Peccati.* Figuras *eius victoriæ.*

MEDITATIO XLIII.

De titulo cruci Chriſti affixo, & myſteriis Paſsionis quæ in eo latent. pag 233.

Punct. 1. In *tituli* (*continentis* cauſam *crucifixionis*) *crucis quatuor verbis, conſidera* 1: *Quid* Ieſus *ſignificet.* 2. *quid* Nazarenus. 3. Rex. 4. Iudæorum. *& cur* tribus linguis *ſcriptus* titulus.

2. Titulum *crucis legiſſe aliquos, vt* reprehenderent: *per hoc, denotari* Hæreticos *&* infideles. 2. *Aliquos ex* curioſitate*: per hoc, ſignificari illos qui nuda lectione ſe paſcunt.* 3. *Aliquos* deuotè & attentè, *hos eſſe formam an figuram piè meditantium ea quæ legunt & credunt.*

3. *Tituli* veritatem & firmitatem *conſtantiam tenendam in bono.*

MEDITATIO XLIV.

De veſtium Chriſti diuiſione & irriſionibus quas in cruce ſuſtinuit. 237

Punct. 1. *Conſidera Diuiſionis veſtium Chriſti cauſas & myſteria.* 1. *Militum* cupiditatem. 2. *Altiſſimæ* Paupertatis *exemplum.* 3. *Immenſæ* liberalitatis *indicium.*

2. *Tunicam* inconſutilem *Chriſti manſiſſe integram* 1. *quia ſciſſa nulli fuiſſet vſui.* 2. *quia fuit figura* humanitatis Chriſti 3. *quia fuit figura* Eccleſiæ. 4. Exter-

Digitized by Google

nam *Chriſti veſtem deſignare externas* cæremonias; Internam *verò earum* ſpiritum *&* *virtutem Externam multis obtingere; Internam vni, ſiue vnito.*

3. *Milites cuſtodiſſe Chriſtum, ex praſcripto Pilati, & petitione Iudæorum, & ne à quoquam aliquod refrigerium aut leuamen acciperet.* 2. *variè, varios ſauiſſe in Chriſtum crucifixum: hunc toleraſſe omnia patientiſſimè.*

4. *Chriſto in cruce inſultare,* 1. prætereuntes *crucem* : *Diabolum per eos ſibilare; ſed Chriſtum contemnere: & non deſcendere de cruce. in hac enim moriendum.* 2. Principes Sacerdotum *cum* Scribis *&* Senioribus. *exprobrare autem illi quatuor:* Poteſtatem, Regnum, Fiduciam *in Deum,* Dignitatem Filij Dei. *fruſtra Diabolum per eos tentare Chriſtum qui non deſcendit de cruce, quia* potens, *quia* Rex: *quia* confidit *in Deo, &* Filius Dei. 3. Milites, & Latrones. 4. Populum *ſpectantem* 5. *Attende B. Virginis* dolorem *in his conuitijs & blaſphemijs, &* vtilitatem *pia inſpectionis crucifixi Ieſu.*

MEDITATIO XLV.

De primo verbo Chriſti Domini in cruce quo æternum ſuum Patrem pro hoſtibus orauit. 243

1. *In primo Chriſti in cruce* verbo, *quod totum eſt* Amoris *conſidera* 1. Occaſionem, *quâ loquitur. In ſummis ſcilicet* Cruciatibus, *orare pro cruciantibus.* Punct.

2. *In verbo* Pater, *Chriſti* fiduciã, *in Deũ &* miſericordiã *erga peccatores.* 2. *Nõ vnius* offenſæ *petere dimiſſionem, ſed* omnium, *pro* omnibus. 2. Excuſare *ſcelus ſe* occidentium *&* offendentium. *Omnem peccantem, eſſe aliquo modo ignorantem Chriſti hanc* Excuſationem *magnam nobis* Fiduciam *parere*: *Dare &* Exemplum *excuſandi defectus Proximorum, etſi Inimicorum.*

3. *Effectus orationis Chriſti pro Inimicis.* 1. conuerſionem *multorum* Iudæorum. 2. *aliorum* peccatorum, *vt boni* Latronis & centurionis. 3 *B. Virginis & S. Ioannis* Admirationem, *& pium* planctum. 4. *B. Virginis pro inimicis* orationem.

MEDITATIO XLVI.

De duobus latronibus cum Chriſto Domino crucifixis, de ſecundo verbo quo alteri illorum Paradiſum promiſit 247

1. *Conſidera* Humilitatem *Chriſti pendentis in medio* Latronum, *ex* dignitate *perſonæ Repræſentare ita pendentem,* Iudicij extremi *formam*: *& præbere conſolationem in abiectione.* Punct.

2 *Diſcrimen* bonorum *&* malorum. 1. Latronem *qui à* ſiniſtris, blaſphemare *Chriſtum: ſic bonos ab impijs exagitari.* 2. Latronem *qui à* dextris *tueri Chriſtum Heroicis actibus* charitatis *&* humilitatis, *publica nimirum* Increpatione *impij latronis*: *Publica* confeſsione *tum* culpæ *ſuæ, & ſocij ſui*; *tum* Innocentiæ *Chriſti.* 3. Latronem malum *in cruce, eſſe figuram eorum qui ob ſcelera ſua hic* caſtigantur *& poſt æternùm* damnantur. Latronem bonum *eorum qui ob peccata* caſtigantur, *ſed* ſaluantur: Chriſtum *Dominum, eorum qui etſi iuſti,* affliguntur *tamen vt* exerceantur.

3. *Boni Latronis heroicam planè* orationem: *plenam* pietate, fide, fiducia, humilitate. 2. *Latronem bonum conuertiſſe, non Chriſti miracula nec ſermones, ſed* Patientiã, manſuetudinẽ, charitatem. *Studendum & orandum pro his virtutibus.* Punct.

Digitized by Google

3. *Orationem boni latronis ſæpe nobis repetendam & vſurpandam.*

4. *In* Secundo *Chriſti in cruce* verbo, *quod eſt* liberalitatis, 1. *apparere* efficacitatem *primi in cruce* verbi. 2. Sanguinis Chriſti *ibidem effuſi*. 3. *Chriſti in* ſaluando *& benefaciundo* celeritatem.

5. *In duobus latronibus repræſentari* Electos & reprobos. *ex omnibus vitæ* ſtatibus *vnum* aſſumi; *alterum* relinqui. 2. *Latronis boni* ſaluationem *præbere* fiduciam, *contra Puſillanimitatem*. Damnationem *mali latronis, excitare* timorem, *contra præſumptionem*. 3. B. Virginis reſpirationem *ex confeſſione boni latronis*.

MEDITATIO XLVII.

De 3. verbo quo Chriſtus D. matrem & Ioannem eſt allocutus. 254

1. *Conſidera*, 1. *maxime* appropinquaſſe Cruci *quo maximè amarunt*. 2. *B. Virginem & corpore & Spiritu acceßiſſe* propinquiſsimè. 3. Crucifixam *fuiſſe Chriſto*, apprehenſione *dolorum eius*, amore *filij*, *&* compaſsione *quaſi tribus clauis* 4. compaſsionis *materiæ* magnitudinem.

2. *In* Tertio *Chriſti in cruce* verbo, *quod eſt* ſollicitudinis *ſuorum*, 1. *Officij ſui* curam & *rationem habendam etiam in* laboribus *& doloribus*. 2. *Ioannem dari B. Virgini in* Filium: *& ex ea commendatione* dolorem *B. Virginis auctum*. 3. *B. Virginem in Ioanne omnes* fideles *accepiſſe in* filios.

3. *S. Ioanni tradi B. Virginem in* Matrem: *Erga omnes fideles B. Virginem gerere animum & ſpiritum* matris. 2. *B. Ioannis prærogatiuas*: Virginitatem *&* dilectionem, *quibus meruit accipere talem* matrem. 3. *B. Ioannem omnia boni* Filij *officia erga talem* matrem *diligentißimè exhibuiſſe*.

MEDITATIO XLVIII.

De tenebris factis ſuper vniuerſam terram & de verbo quarto quod Chriſtus dixit in cruce. pag. 258

1. *Conſidera cauſas* tenebrarum *in Paßione Domini*. *Earum* Prima *eſt*, *Significatio* Iræ *Dei*. 2. Internarum *&* Aeternarum *tenebrarum peccatis debitarum*. 3. *Chriſti* Innocentiæ, *&* maieſtatis. 4. *Chriſti feruentius in* oratione ſtudium. 5. *Nec non &* B. Virginis, S. Ioannis, *& boni* latronis.

2. Quartum *Chriſti in cruce* verbum, *quod eſt* doloris, *ex* deſertione: *hanc fuiſſe triplicem*: 1. Nullam quietem. 2. *Nullam ſenſibilem* conſolationem. *citra tamen* deſperationem; *ſed ex immenſa charitate, in* Deum; *in* nos; *veſtrum ad Exemplū*. 3. *Apoſtolorū* fugā. *Iudæorū* incredulitatē: *multorū malā* Fidē *&* vitā.

3. Submiſſam *Chriſti totius* 21. *Pſalmi* recitationem. 2. *B. Virginis* dolorem *ex* quarto *Chriſti* verbo. *Eiuſdem* orationem. 3. *Chriſti aut S. Scripturæ verba malos non capere, & ideo diſtorquere.*

MEDITATIO XLIX.

De ſiti Chriſti in cruce & quinto eiuſdem verbo. 262

1. *Conſidera in* Quinto *Chriſti in cruce verbo*, Deſiderium: *Non tam ſedandi* ſitim *corpoream, quàm paſſus* grauiſsimam.

2. *Quam* tres virtutes *excellentißimas adimplendi*. 1. Obedientiam *&* voluntatē *Dei*. 2. Patiendi ardorem. 3. Zelum *ſalutis* animarum.

3. *Hominis in Chriſtum* parcitatem *&* crudelitatem; *Chriſti in ſua* ſiti *magnam* deuotionem. 2. *Ingentem eiuſdem in* ſpirituali ſiti *afflictionem*. 3. Dolorem *B. Virginis in* ſiti *filij*. *B. Virginis* ſitim *ſalutis* animarum.

ME-

Digitized by Google

MEDITATIO L.

De 6. Chriſti verbo in cruce. 266

1. *Conſidera*, Sextum *Chriſti in cruce* verbum, *eſſe triplicis* conſummationis, 1. Laborum *Chriſti*.
2. Officij *ſui multiplicis*.
3. Figurarum *&* vmbræ *veteris Teſtamenti. In Extremo Iudicio, & Hora Mortis dicendum nobis*, conſummatum eſt.

MEDITATIO LI.

De 7. Chriſti verbo & eius morte. 268

1. *Conſidera*, Septimum *in cruce* verbum (*quod ſumma & vltima* Pietatis) *magna* voce *fuiſſe prolatum, tribus de cauſis. Prima eſt*, Poteſtas vitæ *&* mortis. 2. *Naturalis* pœna *&* dolor *animæ ex ſeparatione à corpore*. 3. *Signum* victoriæ. Punct.
2. *Septimi verbi* myſteria. 1. *In dictione*, Pater. 2. In manus tuas. 3. Spiritum meum 4. *Chriſtum etiam ſpiritum electorum ſuorum commendaſſe Patri*.
3. *Cauſas* Inclinationis *capitis Chriſti in morte*. 2. Tradidiſſe *quidem Spiritum* ſponte; *ſed tamen* vi *&* authoritate dolorum. *B. Virginis* dolorem *de morte Filij ſed non ſine aliquo* ſolatio. 3. Diabolum *adſtitiſſe morienti Chriſto. Adfuiſſe &* Angelos *ad venerationem*.

Summarium Summarij Præcedentium Meditationum.

Conſidera, Bonæ vitæ *&* Præparationis *ad* mortem *Sex Documenta*. 1. Nudum *Chriſtum à* nudis *ſequendum. A* nudis, *ab inordinatis* affectibus: *A* ſuperfluitatē *&* vanitate vſus *rerũ*: *A* proprietate. 2. *Ab ipſi* concrucifixis: *clauis* timoris, amoris, obedientiæ. 3. *Satisfaciendum* obligationibus, pietatis, Iuſtitiæ, officij *ſui*. 4. Vacandum *dein* Orationi *longius & quietius*. 5. *Ita agendum ac viuendum, vt ſemper dicere poſſimus*, conſummatum eſt. 6. commendandum *cum fiducia* Spiritum Deo *omni ætate, omni tempore*.

MEDITATIO LII.

De prodigiis quæ Chriſti poſt mortem euenerunt. 274

1. *Conſidera* veli ſciſsionem, deteſtationem ſceleris *Iudæorum*: 2. *Signum* apertionis *viæ ad* myſteria Dei
2. *Terræ* motum, *Petrarum* diruptionem, *monumentorum* apertionem, *eſſe* deteſtationem obſtinationis *Iudaicæ, &* pudefactionem *non compatientium Chriſto*. 2. *Oſtenſionem* virtutis Paſsionis *Chriſti*. Punct.
3. Centurionis *&* aliorum compunctionem, *eſſe ex virtute Paſsionis Chriſti*.

MEDITATIO LIII.

De latere Chriſti lancea perfoſſo *&* quinq; eius vulneribus. 276

1. *Malã Iudæorũ* intentionẽ *in petẽdo* crurifragiũ, *&* depoſitionẽ *corporis de cruce* 2. *Chriſtũ factũ pro nobis* maledictũ. 3. myſticã *rationẽ cur Chriſti crura nõ fracta* Punct.
2. *In ſeptem cauſis* vulneris lateris *Chriſti. Primam eſſe Ex parte* militum, *ipſorum* crudelitatẽ, *quæ B. Virgini ſummũ attulit* dolorem. 2. *Ex parte noſtra*. peccata *cordis noſtri* 3. charitatis *Chriſti* manifeſtationẽ. 4. *Spiritualẽ* ingreſsionẽ & habitationem *fidelium in lateris vulnere, & locis clauorum*.
3. Quintæ cauſæ *vulneris lateris Chriſti*, *quæ eſt* Exitio Sanguinis *&* Aquæ *quatuor cauſas. Harum prima eſt*, Largitas charitatis *Chriſti*. 2. Efficacitas

Digitized by Google

Paſſionis eius ad abluenda peccata. 3. Sacramentorum *Nouæ legis* virtus, *&* *in primis* Baptiſmi, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ. 4. Pulchritudo Eccleſiæ, *cuius* formatio *ex latere Secundi Adami eſt* ſexta cauſa *vulneris lateris.* 5. ſeptimam cauſam *vulneris lateris, eſſe* ſcripturarum adimpletionem.

MEDITATIO LIV.

Punct. De depoſitione Chriſti de cruce. 282

1. *In* Depoſitione *corporis Chriſti de cruce, conſidera* 1. Prouidentiam *&* curam *Dei erga nos.* 2. *Ioſephum fuiſſe* diuitem, nobilem, iuſtum, 3. *Chriſtum etiam poſt mortem* obediuiſſe *Legi.*

2. *In Nicodemi adiutorio, quod præſtitit Ioſepho,* Societatis *ex Dei* prouidentia *vtilitatem.*

3. Piam depoſitionem *corporis Chriſti,* 2. *B. Virginem hoc* amplexantem: *Magdalenam* oſculantem *pedes* 5. *Ioannem* vulneri lateris *adhærentem.*

MEDITATIO LV.

Punct. De Chriſti Domini funere. 286

1. *Significationem* vnctionis *corporis Chriſti.* 2. *B Virginis ex* obuelatione *capitis Chriſti* dolorem, 3. Paupertatis *altiſſimæ exempla, etiam poſt mortem præbuiſſe Chriſtum.*

2. *Diuini funeris* deportationem, *&* comitatum, *tum* Humanum, *tum* Angelicum

3. *Sepulchri tres* proprietates *ſiue* qualitates. 1. *eſt,* Locus, *in Horto.* 2. Nouitas. 3. Materia & elaboratio. 4. *Ex myſtica Chriſti* Sepulturæ *ratione duplici Primam vitiorũ ſcilicet noſtrorum ſepulturam.* 5. *Alteram rationem: Debitæ* præparationis *ad* communionem, *Inſtructionem. Vt communicaturus ſit* Floridus, Fortis, Nouus, monti Caluario *propinquus.* 6. *Sepulchri* clauſuram, *denotare* cordis & ſenſuum cuſtodiam *poſt ſacram* communionem.

MEDITATIO LVI.

Punct. De ſolitudine virginis poſt filij ſepulturam. 289

1. *Conſidera, B. Virginis* adorationem *crucis,* 2. Sollicitudinem *circa Sanguinem Chriſt,* 3. Gratiarum actionem, *quam fecit Ioſepho & Nicodemo.*

2. *B. Virginem vbi demum ſe recepit, verſatam animo,* 1. In ſepulchro & lymbo: 2. In Chriſti laboribus, & doloribus. 3. *Conſolatam fuiſſe B. Petrum, & reliquos Apoſtolos.* 4 *Doluiſſe cum Apoſtolis Iudæ impœnitentiam*

3. *In Magdalenæ & Sociarum* deuotione & vigilantia, *quid agendum poſt ſacram communionem.*

MEDITATIO LVII.

Punct. De cuſtodibus ad ſepulchrum Chriſti adhibitis & de eius corporis incorruptione. 293

1. *In cuſtodia ſepulchri, inimicorum* Chriſti feritatem, blaſphemiam, *temerariam* ſuſpicionem, *& animi* inquietudinem.

2. Anxietatem ſuſpicionis *Iudæorum, nec militibus credentium, & ideo* Signantiũ lapidem *ſepulchri.* 2. *Etiam Angelos cuſtodiiſſe ſepulchrum* 3. *Poſt ſacram* communionem *quanta adhibenda* cuſtodia.

3. *Chriſti corpus quare manſerit in ſepulchro* duabus noctibus, *&* die vno: *cur* integrum, & incorruptum.

Digitized by Google

MEDITATIONVM PARTIS V. SYNOPSIS,

Introductio de vnitione cum Deo.

VNitionis tres actus, 1. vnitio intellectus, 2. voluntatis, 3. vitæ et morum. Duo modi Deum cognoſcendi ſpeculatiuus et practicus. Finis meditationum huius partis.

MEDITATIO I.

De glorioſo Christi D.N. ad lymbum deſcenſu pag. 5.

1. Lymbus locus ſubterraneus, 2. Actio eorum quæ in eo, continuæ ſuſpiria, ex qua re documentum. Punct.

2. Deſcenſus Chriſti ad inferos: cuius duæ virtutes, 1. charitas, 2. humilitas.

3. 1. Ingreſſus Chriſti in lymbum qualis, 2. Dæmonum aſtutia, 3. Chriſti omnipotentia.

4. 1. Animarum lætitia in lymbo, et chori, 2. Animæ Chriſti gaudium.

5. 1. Latronis præmium, 2. purgatorÿ ſpoliatio, 3. damnatorum rabies eo tempore: & confuſio Luciferi.

MEDITATIO II.

De Chriſti D.N. reſurrectione. p. 12.

1. Reſurrectio Chriſti accelerata, 2. Mors Chriſti cur veſperi, 3. gaudium animæ Chriſti egredientis è lymbo. Punct.

2. 1. Oſtendit Chriſtus animabus horrendam corporis ſui formam, 2. Angelorum miniſterio ſanguinem effuſum colligit, 3. corpus transfigurat, patri gratias agit.

3. Angeli Chriſto congratulantur.

4. Chriſtus gloriam ſuam alÿs communicat anticipata quorumdam ſanctorum reſurrectione, cuius rei tres cauſæ. Diſcrimen inter perfectam ſpiritalem reſurrectionem & imperfectam.

MEDITATIO III.

Quod Chriſtus D.S. ſuæ Matri apparuerit. 18

1. Reſurrectio Chriſti tribus modis manifeſtata, 1. per ſanctos, 2. per Angelos, 3. per ſe ipſum et totidem ijſq; modis myſteria ſua reuelat. Punct.

2. Matri ſuæ primum apparet, 1 inſignem comitatum maxima beneuolentia, & magna Virg. lætitia, 2 matri valedicit.

3. Mulieribus Chriſti reſurrectio reuelatur, Earum deuotio quibus virtutibus iuncta 1. Obedientia, 2. Diligentia, 3. Perſeuerantia.

4. Modus apparitionis Angelicæ, 1. Angeli maieſtas, 2. Chriſti cognomen, 3. mulierum imperfectio in fide: Dilatio viſionis Dei vnde proueniat, 4. Perſeuerantiæ virtus quid mereatur.

MEDITATIO XIV.

Quod Chriſtus apparuerit Mariæ Magdalenæ 25

1. Chriſtus quanti faciat peccatores conuerſos, 2. Qui feruentius Deo ſeruit, copioſius remuneratur. Punct.

2. 1. Magdalenæ feruor iſq; imitandus, 2. cauſa lachrymarum eius, & quando lacrymæ benè collocatæ.

3. In apparitione Magdalenæ facta ſenſim progreditur Dominus, 1. poſt tergum excitato ſtrepitu ſe inſinuat, vt conuerſa videret ſtantem & quid hoc doceat, 2. diſſimulare habitum, 3 ſermone illam alloquitur.

4. Proprietates inflammatæ charitatis tres enumerantur

5.1.Mariam nomine compellat,Omnipotentiam ſuam oſtendit,2.Magdalena reſponſum 3.cauſæ cur non permiſerit ſe tangi ab ea,4.Quam tenera & amica ſalutatio Chriſti ad Apoſtolos qua fratres eos vocat.

MEDITATIO V.

De apparitione alijs mulieribus & ipſi Magdalenæ facta. 32

Punct. 1.Chriſti cura in reddendo ſuis laborum præmio.

2.Muleres Chriſtum adorant & quam venerentur.

3.Conformitas ſpiriritus Dei & Angelorum,& cur diſcipuli in Galilæã ire iuſſi.

MEDITATIO VI.

De apparitione Chriſti S.Petro facta. 35

Punct. 1.Fides vera quam difficilis Apoſtolorum incredulitas, duo extrema vitanda nimia ſcilicet credulitas & nimia incredulitas.

2.1.Duorum diſcipulorum prudentia,2.cur ijs non apparuerint,3.fides & charitas ab ijs nobis indicatæ.

3.1.Petri feruens diligentia,2.pudor,3.lætitia.

MEDITATIO VII.

De apparitione duobus diſcipulis euntibus in Emmaus facta. 39

Punct. 1.Duo diſcip. quid nos doceãt,2.cur ijs Chriſtus apparuerit,3.oculi eorũ cur impediti

2.1.Suauitas Domini in agendo cum diſcipulis, 2. Magnifica diſcipulorum de ſuo Magiſtro opinio,3.Illorum in fide imbecillitas.

3.1.Aſperitas reprehenſionis Chriſti qualis,2.eius admiranda ratio,3. Efficacia Chriſti in ſcripturis interpretandis.

4.1.Fictio Chriſti diſcipulorum fidei conſentanea,2. Chriſtus cogi gaudet,3. Oratio diſcipulorum expenditur.

5.Cauſæ cur Chriſtus ſe his voluerit manifeſtare, 1. vt oſtenderet ſe magnifacere hoſpitalitatem.2. vt intelligeremus plus valere exemplum quam verbum,3 ad ſignificandam efficacitatem Euchariſtiæ,4.cur Chriſtus ſtatim euanuerit.

MEDITATIO VIII.

De apparitione qua ipſo die reſurrectionis Chriſtus Apoſtolis apparuit. 46

Punct. 1.Cur Chriſtus diſtulerit viſitationem Apoſtolorum vſque ad veſperam,2. cur clauſis ianuis intrauerit,3 cur in medio ſteterit.

2.1.Conſiderantur tria verba quæ Chriſtus Apoſtolis dixit.2.cur ſe tãgi permiſerit.

3.1.Cur comederit,2. comeſtionis & cibi myſteriũ,3 cur rationem reddiderit ſuorum circa hæc factorum.

MEDITATIO IX.

De tempore quo Chriſtus Apoſtolis Spiritum S. dederit. 50

Punct. 1.Quod bis pacẽ precatus fuerit,2.quod & quomodo illos Apoſtolos conſtituerit.

2.Inſufflationis tres cauſæ afferuntur,

3.De poteſtate remittendi peccata agitur.

MEDITATIO X.

De altera apparitione Apoſtolis facta 55

Punct. 1.Quatuor S.Thomæ Apoſtoli defectus exponuntur.

2. De modo & verbis quæ adhibuit Chriſtus in ſanando Thoma.

3.Illuſtris Thomæ confeſſio expenditur.

Digitized by Google

MEDITATIO XI.

Quas ob cauſas Chriſtus D. in glorificato ſuo corpore ſacra vulnera ſeruauerit. 59

1. Tota meditatione tribus punctis diſtincta, ſex cauſæ adferuntur cur Chriſtus cicatrices vulnerum retinuerit. Punct.

MEDITATIO XII.

De apparitione Chriſti ſeptem diſcipulis piſcantibus ad mare facta. 63

1. Cur poſt reſur. diſcipuli piſcatum iuerint, 2. cur tota nocte nihil cœperint, & noctis verbum expenditur, 3. Patientia iſtorum diſcipulorum. Punct.

2. Charitas Chriſti apparentis diſcip. iſtis, 2. ad dextrã nauig. & cur rete eijci mãdarit.

3. 1. Perpenduntur effectus feruentis amoris, 2. Comparatio huius piſcationis cũ altera Lucæ, 5. eaq; myſticè exponitur, 3. Liberalitas Saluatoris.

MEDITATIO XIII.

De apparitione Chriſti quo Chriſtus D.N. S. Petrum vniuerſalem Eccleſiæ paſtorem conſtituit 67

1. Petrus examinatur de charitate, eo quod Prælati debeant ea flagrare, 2. vt triplicem negationem hoc reſponſo doleret, 3. vt ſignificaret futurum paſtorem debere eſſe firmiter in charitate radicatum, 4. Quod & cur dixerit oues meas, 5. cur dixerit paſce agnos meos. Punct.

2. 1. Boni paſtoris eſſe vt animã ſuã ponat pro ouibus ſuis, 2. & 3. duo modi laborum.

3. 1. Quod Chriſtus dixerit ſequere me, 2. Quod Ioannes voluerit ſequi & cur, 3. Petrus ob curioſitatem reprehenditur.

MEDITATIO XIV.

De apparitione Chriſti omnibus diſcipulis in monte Galilææ facta. 72

1. Gaudiũ diſcipulorũ euntiũ in Galilæã, 2. veritas & liberalitas promiſſionis Chriſti. Punct:

2. 1. Chriſtus Dominus in cælo & in terra, 2. Mittit Apoſtolos per mundum.

3. 1. Per baptiſmum circumciſionis rigor leuitur, 2. Iubemur ſeruare mãdata Chriſti,

4. 1. Promiſſione ad obſeruantiam mandatorũ impellente, 2. Baptiſmus in voto.

5. De ſignis & eorum poteſtate quomodo fiant tribus membris diſſeritur.

MEDITATIO XV.

De ſecunda Chriſti promiſſione manendi cum diſcipulis vſq; ad conſummationem ſæculi. 78

1. Chriſtus promittit ſe cum ſuis futurum, 1. vt eos cõſoletur, 2. vt animaret, 3. vt redderet in exequendis attentiores. Punct.

2. Duo illa verba: Ego & vobiſcum expenduntur.

3. De duratione iſtius præſentiæ diſſeritur.

MEDITATIO XVI.

De variis apparitionibus à Chriſto D. ſuis diſcipulis intra 40. dies ante aſcenſionem factis 81.

1. De modo quo Chriſtus animas viſitat, & aliquot documenta traduntur. Punct.

2. Quod de regno ſit cum illis locutus, & quid inde diſcendum.

3. Quatuor proprietates apparitionũ Chriſti, 1. quod non eſſent continuæ, 2. quod fiebant ex tempore, 3. quod non ſemper eodem loco & tempore, 4. quod illas interdũ præceſſerint viſitationes Angelorum.

MEDITATIO XVII.

De apparitione Chriſti ſuis Apoſtolis in die aſcenſionis facta. 85

1. Tria tractantur quæ probabiliter à Chriſto dicta tunc fuerunt. Punct.

2. Examinantur verba ſedete in ciuitate, & duo inde documenta educuntur.

3. 1. De eductione diſcip. in Bethaniam, 2. & de aſcenſione ex monte Oliueti.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO XVIII. De aſcenſione D.N. 90

Punct. 1. *De eo quod eleuatis manibus benedixerit diſcip. ſuis.*
2. De comitatu Chriſti aſcendẽtis, & de tribus flagrantiſſimis affectibus diſcipulorũ
3.1. Myſterium nubis quæ Chriſtum ſuſcepit explicatur, 2. quid nubes illa ſignificet.
4. Duo inſignia documenta quæ Angeli dederunt diſcipulis & nobis, 2. de reditu Apoſtolorum Hieroſolymam gaudij eorũ tres cauſæ, 3. quæ in nobis debent excitare fidem, ſpem & charitatem.

MEDITATIO XIX.

De ingreſſu Chriſti Domini in cælum empyræum 96

Punct. 1. *Conſideratur triumphus Chriſti in cœlum ingreſſi, 1. comitatus animarum, 2. & Angelus, 3. ipſius Chriſti lætitia.*
2. Oblatio animarum à Chriſto patri facta, præmium Chriſti, confortatio ſpei noſtræ.
3. 1. Chriſtus diſtribuit animabus cæleſtes ſedes, 2. aduocati munus auſpicatur.

MEDITATIO XX.

De recollectione & oratione Apoſtolorum poſt Chriſti aſcenſionem vſque ad Spiritus Sancti aduentum 100

Punct. 1. *De recollectione Apoſtolorum & vnanimi oratione eorum quinque membris agitur iuxta verba textus act. 1. v. 13.*
2. Cauſæ recollectionis iſtius, 1. mandatum Chriſti, 2. agnitio ſuæ imbecillitatis, 3. Spiritus ſanctus accendit deſideria eorum.
3. Cur decem dies diſtulerit aduentum S. Spiritus, cuius duæ cauſæ redduntur, 1. vt doceret longanimitatem, 2. vt ſignificaret quanta perfectione hoc donum ſit quærendum.

MEDITATIO XXI.

De electione Sancti Matthiæ in Apoſtolum. 105

Punct. 1. *Cura Chriſti circa numerum electorum, 2. ſuauis Eccleſiæ gubernatio.*
2. S. Petri ſollicitudo, 2. Congregationis iſtius virtutes.
3. Cauſæ cur Matthias præ Ioſepho electus tres afferuntur & quid inde diſcendum.

MEDITATIO XXII.

De ingenti beneficio à Deo mundo in aduentu Spiritus Sancti dato. 109

Punct. 1. *Spiritus ſanctus ob tres cauſas miſſus, 2. quomodo miſſus 3. & quod ſeipſum vltro nobis etiam dederit.*
2. Fines ob quas S. Spiritus miſſus eſt, vt ſit conſolator, 2. vt ſit magiſter, 3. vt ſit teſtis Chriſti, 4. vt arguat mundum de peccatis.
3. Huius doni magnitudo, & fiducia noſtra ex eo.
4. Qui ſint illi quibus datus eſt Spiritus ſanctus.

MEDITATIO XXIII.

De modo quo Spiritus ſanctus ſuper diſcipulos venit in die Pentecoſtes 115

Punct. 1. *De eo quod conuenerint in cænaculum, 2. illud cænaculum Eccleſiam deſignat, 3. cur Spiritus S. venerit in die pentecoſtes.*
2. Super verba: & factus eſt repente de cœlo ſo. &c. quinque ſequentibus membris diſſeritur,
3. Aliquot myſteria quæ latent in verbis & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes fruuntur quatuor membris
4. Cauſa cur Spiritus ſanctus datus ſit in forma ignis, 2 cur ignis in figura linguarum, venerit, 3. cur diſpertitæ linguæ, 4 cur ſederit ſupra ſingulos.
5. Super verba: & repleti ſunt omnes, quatuor membris diſcurritur
6. 1. Specialis gratia Apoſtolorum, vt loquerentur variis linguis, 2. quod Apoſtoli ſtatim eo vſi, 3. Anima in qua Spiritus S. etiam loquitur variis linguis & quomodo.

MEDI-

MEDITATIO XXIV.

De admirandis operibus, quæ Spiritus ſanctus in die Pentecoſtes per Apoſtolos fecit. 126

Punctum 1. *Proprium Spiritus S. animos hominum mouere, 2. quod Apoſtoli illo accepto ſtatim in publicum prodierint, 3. quanta efficacitate locuti ſint magnalia Dei.*

2. *1. Apoſtoli tanquam ebrij irridentur, & de iudicijs temerarijs, 2. quod Apoſtoli ex ea irriſione occaſionem acceperint prædicandi Euangelium.*

3. *1. Præclaræ virtutes quas S. Petrus in ſuo ſermone oſtendit, Sapientia, 2. libertas Spiritus, 3. zelus, 4. & quid myſterij contineat quod tria millia dicantur Baptizari.*

MEDITATIO XXV.

De altiſsima vita, quam Spiritus S. primis Chriſtianis inſpirauit. 130.

Punctum 1. *Tria virtutum exercitia à Spiritu Sancto infuſa, 1. perſeuerare in doctrina Apoſtolorum, 2. in communicatione, 3. in oratione.*

2. *De perfectione Euangelica, 1. Erant in eodem loco, 2. viuebant vita communi, 3. deſiderium illos imitandi.*

3. *De aliis mediis ad perfectionem conſeruandam, 1. vnanimiter ad templum ſe conferre, 2. ſimul cum gaudio epulari, 3. laudare & glorificare Deum.*

MEDITATIO XXVI.

De perfectione quam Spiritus S. ſuis inſpirationibus communicat. 135.

Punctum 1. *De effectis Spiritus ſancti.*

2. *Prima eius proprietas, vbi vult ſpirat.*

3. *Secunda eius proprietas, vocem eius audis.*

4. *Tertia proprietas, quod neſciamus vnde veniat aut quo vadat.*

MEDITATIO XXVII.

De ſeptem donis quæ Spiritus S iuſtis communicat. 140.

Punctum 1. *Dona Spiritus ſancti enunciantur, 2. & iuſtis neceſſaria aſſeruntur.*

2. *Modus quo nos Spiritus ſanctus per ſua dona retrahit à malis, & de varietate tentationum.*

3. *Modus quo Spiritus S. adiuuat pios ſuis donis.*

MEDITATIO XXVIII.

De plenitudine Spiritus Sancti S. Sthephano data. 147.

Punctum 1. *Liberalitas Chriſti in S. Stephanum, 2. diligentia & feruor S. Stephani.*

2. *Verba illa intendens in cælum perpenduntur, 2. vidit gloriam Dei, & cur Ieſus ſtans viſus ſit.*

3. *Diſpoſitio diuina circa electos, 2. Martyrium S. Stephani opprobrijs & tormentis plenum.*

4. *Feruor quo S. Stephanus Chriſtum imitatus eſt, 2. cur pro ſe ſtans, pro inimicis*

Digitized by Google

genibus flexis orauerit, 3. cur prius pro ſe orauerit, poſtea pro inimicis. Chriſtus autem contra, Quid ſit mori in Domino.

MEDITATIO XXIX.

De appritione Saulo Chriſti facta. 154

Punct. 1. 1. *Quantus peccator fuerit Saulus. 2. cur ſic eſſe permiſſus.*

2. 1. *Chriſti in Saulum charitas. 2. proprietates illuſtrationum cœleſtium.*

3. 1. *Modus quo Chriſtus luce ſua Saulum illuſtrauit, & verba textus huc pertinentia explicantur.*

4. 1. *Stupor Sauli. 2. interrogatio. 3. reſponſum Chriſti de Comitibus Sauli.*

MEDITATTIO XXX.

De plenitudine Spiritus ſancti Saulo communicata. 167

Punct. 1. 1. *Sauli humiliatio. 2. obedientia. 3. interna illuminatio.*

2. 1. *Triduo manſit in ciuitate. 2. exercitia iſtorum dierum. 3. gratia illi collata. 4. ſupra ſe raptus.*

3. *Varii modi quibus Deus reuelat ſuam voluntatem.*

4. *Anania ex mala ſuſpicione tergiuerſatio. 2. Chriſti ad ipſum reſponſio. 3. Quæ Saulus paſſurus.*

5. 1. *Suauis Dei Prouidentia in gubernatione ſuorum. 2. Saulo viſus ante baptiſmum reſtitutus & cur. 3. de ingreſſu Sauli ad Synagogas.*

MEDITATIO XXXI.

De vita & heroicis virtutibus S. Pauli Apoſtoli poſt eius conuerſionem. pag. 171

Punct. 1. 1. *Agitur de virtute paupertatis Spiritus S. Pauli. 2. de caſtitate, & interna pugna. 3. ſeuera pænitentia, 4. profunda humilitas, 5. patientia, 6. Oratio & contemplatio, 7. Excellentiſſima charitas erga Chriſtum.*

MEDITATIO XXXII.

De vocatione Cornelij Centurionis. 183

Punct. 1. 1. *Virtutes quibus ſe Cornelius Centurio diſpoſuit ad vocationem. 2. Modus quo vocatus eſt. 3. quid Angelus egerit.*

2. 1. *Opus perfectæ orationis, 2. de hora orationis.*

3. 1. *Parabola myſtica, 2. de verbis occide & manduca. 3. reſponſum* Petri.

4. 1. *Dei conſilium in viſionibus non planè exponendis, 2. Dei liberalitas circa Centurionem & ſuos.*

MEDITATIO XXXIII.

De admirandis virtutis exercitiis, quibus Virgo poſt Spiritus Sancti aduentum occupatur. pag. 189

Punct. 1. *De virtutibus B. Virg. quarum 1. eſt paupertas Euangelica, 2. Obedientia, 3. Caſtitas.* Punct. 2. 1 *Continua eius oratio, & de quatuor eius impedimentis, 2. Fides viua, 3. crebra viſitatio locorum piorum, 4. de extraordinariis eius fauoribus.*

Punct. 3. 1. *Zelus ſalutis animarũ B. Virg.* 2. *doctrix Apoſtolorum,* 3. *Patientia* 4. *Continuum in virtutibus augmentum.*

MEDITATIO XXXIV.

De glorioſo ſanctiſsimæ Virginis tranſitu p 197.

Punct. 1. 1. *Inflammatum B.V. deſideriũ videndi Deũ,* 2. *pugna inter amorem Dei & proximi,* 3. *nouus feruor ad diſceſſum.*

2. 1. *Non fuit à morte libera,* 2. *venit ad eam ante mortem Angelus Gabriel* 3. *congregati ſunt Apoſtoli.*

3. 1. *Venit ad eam ipſe Chriſtus* 2. *mortua ex amore.* 3. *ſine dolore* 4. *plurima eius bona opera.*

4. 1. *Qua pompa ad ſepulchrum deducta* 2. *ſepulchrum eius glorioſum* 3. *glorioſus eius tranſitus.*

MEDITATIO XXXV.

De Aſſumptione B.V. quoad animam ſuper omnes choros &c. 202.

Punct. 1. 1. *De aſcenſu eius in cælum* 2. *de comitatu eius,* 3. *portata filij manibus* 4. *deſideruim eam ſequendi.*

2. 1. *Eſſentialis gloria animæ eius perpenditur.*

3. 1. *De ipſius coronatione* 1. *Exaltata ſuper choros Angelorum,* 2 *coronata à SS. Trinitate* 3. *tribus coronis gloriæ accidentalis.* 4. *corona ſtellarum duodecim.*

MEDITATIO XXXVI.

De Aſſumptione B.V. quoad corpus, & quem locum occupet in cœlo Empyreo 208

Punct. 1. 1. *Corpus B Virg. incorruptum,* 2. *eius rei tres cauſæ.*

2. 1. *Tertiadie reſurrexit, eiuſq; rei tres etiam cauſa.*

3. 1. *Quomodo facta aſſumptio.*

MEDITATIO XXXVII.

De Heroica B. Virg. humilitate pag. 212.

Punct. 1. 1. *Heroica B. Virg. humilitas, cuius duodecim actus exponuntur* 1. *ſilentio tegere dona à Deo accepta,* 2. *horrere ſuas laudes* 3. *Deo dare gloriam.*

2. 4. *humilitatis actus eligere, abiectũ eſſe in domo Dei,* 5. *ſubijcere ſe diuinis legibus,* 6. *ſubijcere ſe etiam inferioribus,* 7. *inſeruire alijs,* 8. *recuſare officia & dignitates.*

3. 9. *Libenter eſſe pauperem,* 10. *patienter ferre iniurias, in quo rurſus aliquot gradus aſsignantur,* 11. *tolerare reprehenſiones vel neglectum ſui,* 12. *velle eſſe participem iniuriarum quæ inferuntur proximo.*

MEDITATIO XXXVIII.

De Deuotione erga B. Virginem. pag. 218.

Punct. 1. *Honorandam & colendam eſſe B. Virg.* 1. *quod SS. Trinitas illam amet,* 2. *quod ſit mater Dei,* 3. *quod mater noſtra,* 4. *propter varia in nos officia.*

2. *Eccleſia oſtendit deuotionem erga B. Virg.* 1. *ex ratione adorationis, quæ eſt media inter diuinam & humanam, & vocatur hyperdulia,* 2. *ex multitudine templorum,* 3. *& feſtorum, & vſum Roſarij.*

Finis Indicis Quintæ Partis.

Digitized by Google

MEDITATIONVM VI. PARTIS
SYNOPSIS.

INTRODVCTIO DE FERVENTIBVS AMORIS & gratitudinis affectibus.

AFfectio ſeruiendi Deo eſt Deſiderium placendi ei, quod Deſiderium habet quatuor conditiones 1. vt ſit vehemens, 2. inſatiabile, 3. ſtabile, 4. perſeuerans, quibus 2. conſiderationes, 1 magnalium Dei, 2. beneficiorum eius, vna cum harum effectu, adiunguntur.

Modus & ratio beneficia diuina meditandi affectib. gratitudinis.

Quinq; circa diuina beneficia conſideranda 1. Infinita Dei benefactoris magnitudo 2. Infinitas amoris, ratione beneficij. 3. Magnitudo beneficij. 4. Infinita vtilitas fruentis. 5. Infinita Dei liberalitas in conferendo proprij gratitudinis actus per tria creaturarum genera conſiderantur, alia enim & poſſunt & volunt, alia poſſent ſed nolunt. Alia nec velle nec reddere poſſunt gratias. Inuitantur Creatura ad laudandum Deum, & ſcopus quis ſit meditationum noſtrarum docetur.

MEDITATIO I. De eſſe Dei. pag. 8

Punctum I. *Deum eſſe clamat cælum & terra. & omnia quæ in eis ſunt, eorumq; conſideratio ipſum demonſtrat, annectitur precatio ad Deum cognoſcendum.*

Punctum II. *Homo ex conſideratione Suijpſius, ac 1. ex lumine naturæ 2. ex varietate potentiarum & ſenſuum 3. ex Spiritu; Deum cognoſcit.*

Punctum III. *Naturalia quauis & moralia extra & intra corpora, Deum eſſe manifeſtãt, Iugis recordatio Dei, contra peccatum, qui ore & opere confitendus, neceſſaria.*

MEDITATIO II.

De æternitate Dei, Et quod ipſe ſit ſolus Qui eſt. pag. 13

Punctum I. *Deus ſine principio æternus, ante mundum idem prorſus, & immutabilis in æternum ſine omni fine, cui propria voluntas quæ pernicioſa, contraria.*

Punctum II. *Eſſe ſuum Deus à ſeipſo habet & ab eo reliqua cuncta ineſſe & conſeruari dependent, cuius conſideratio humilitatem cauſat præter ſolum Deum omnia annihilari poſſunt, amandus itaq; Deus & amor proprius extinguendus.*

Punctum III. Dei eſſe excedit omnia & ſolùm explet noſtrum deſiderium.

MEDITATIO III.

De infinitate & incomprehenſibilitate ipſius eſſe Dei. pag. 17.

Punctum I. *Incomprehenſibilis & ſupra omnia incomparabilis Deus.*

Punctum II. *Ne Angeli quidem Deum comprehendunt; de quo altiſſimè ſentiendũ quippe qui eſt ſupra omnem ſubſtantiam, omnem ſpiritum & ſupra eſſe.*

Punctum III. *Incomprehenſibiles in Deo perfectiones etiam reſpectu eorum quæ noſtro iudicio perfectiſſima videntur cuius altitudines etiã Seraphini comprehendere nequeũt.*

Punctum IV. *Dei bonitas in reuelandis ſecretis myſterijs quæ nec homines nec Angeli ex Creaturis indagare poſſunt, ex qua reuelatione tres licet concipere affectus, 1. eſt Gratitudinis, 2. Captiuationis intellectus; 3. Fiduciæ & gaudij.*

MEDITATIO IV.

De Vnitate Dei in eſſentia, & Trinitate in perſonis. pag. 22

Punctum I. *Vnus eſt Dominus Deus noſter dignus, vt ſummè & vnicè à nobis diligatur. 1 quia ſummum bonum eſt & vnicum 2. quia vnicus eſt & ſolus, 3. quia ſupremus legiſlator eſt & iudex. Ex his 1. erga Idololatras commiſeratio. 2. quam ſit Idololatria grande malum, apparet: 3. deſiderium ad vnum & ſummum Deum cogitationes & affectus re-*

nocandi.4.deſiderium ob eundem amandi proximum elicitur,

Punctum II. *Deum eſſe vnum & trinum fuſè & piè probatur, ex cuius cõſideratione tria naſcuntur.1. Admiratio cum ſubmiſſione intellectus in obſequium fidei. 2. Gaudium ob vnitatem & deſiderium eius fiendi particeps. 3. Quis ſit Modus imitandi Vnitionem ſubditorum cum ſuperioribus qualis vnitio, cum oratione eandem impetrandi adiungit.*

Punctum III. *Admirabilis modus & ordo huius myſterij expenditur & quod Deus nunquam ab omni æternitate fuerit otioſus, ſingulas ſeorſim perſonas diuini per modum colloquij compellat. Patrem quidem 1 principium ſine principio. 2. Patrem glorioſiſſimũ 3. Patrem à quo omnis paternitas 4 Patrem luminum. Filium ſingulariter vnigenitum 2. cui Pater communicauit bonum infinitum, imaginem Patriſq; figuram 4 per excellentiam vnigenitum 5. qui eſt in ſinu patris. Spiritum S. qui procedit à Patre & filio, 2. impetum à voluntate patris & filij: 3. per excellentiam Sanctum.*

Punctum IV. *Quomodo ad ſimilitudinem S. Trinitatis orationes mentales inſtituendæ, anima capax beatificæ viſionis. diuinæ perſonæ ſeorſim non videntur.*

MEDITATIO V. *pag 32.*

De infinita Dei perfectione.

Punctum I. *Quod Deus abſolute perfectiſſimus ſit diſcurrendo per omnes perfectionis gradus eſſendi probatur.*

Punctum II. *Vita carentium creaturarum perfectiones eminenter & perfectiori modo in* Deo; *1. quia ſine adminiculo vllius omnia poteſt 2. teſtatur id ſcriptura, 3. quia ſunt vmbræ inſtar & figuræ reſpectu eius quod in* Deo *eſt, cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur. 4. Summa amentia eſſe* Deum *relinquere. 5. Quomodo perfectiones in* Deo *intelligendæ.*

Punctum III. *Agitur de creaturis corporeis quæ vitam habent vegetatiuam & ſenſitiuam & harum perfectiones etiam eminenter in* Deo *ſunt.*

Punctum 4. *In* Deo *cum infinitè maiori excellentia* Creaturarum Intellectualium *perfectiones qui ex operibus cognoſcitur ex quo duo colligenda 1. quod* Deus *exemplar omnis perfectionis. 2. Eius perfectio ex operibus ſicut ex fructibus arbor, cognoſcitur.*

Punctum 5. *Omnium creaturarum perfectiones in* Deo *eſt vnica, eaq; ſimpliciſſima. duo inde deducenda. 1. deſiderium imitandi. 2. virtutes coniungendas eſſe.*

MEDITATIO VI.

De ſumma Dei bonitate, & ſanctitate. p 39.

Punctum. 1. *In tribus conſiſtit Dei bonitas: 1. in creaturis, 2. in propria eſſentia 3. in propria excellentia, inde humilitatis fundamentum.*

Punctum. 2. *Dei Virtutum excellentias 4. expendit, 1. eſt Plenitudo virtutum omnium cum infinita eminentia. 2. eſt Idea reliquarũ. 4. virtutum genera 1. Politicæ & morales 2. Cardinales, 3. vitæ perfectiſſimorũ & beatorum propria, 4. Exemplares ſolius Dei oratio. 3. excellentia quod Deus virtutum principium proprium, 4. quod Deus ob virtutes laudandus hinc oriuntur.*

Punctum. 3. *Operum Dei puritas conſideratur, 1. virtutes Dei ſunt puriſſimæ; 2. Deus non poteſt eſſe cauſa peccati, 3. virtutes non ſunt in eo otioſæ, Propoſitum Deum in puritate imitandi oratio ad Spiritum S.*

MEDITATIO VII.

De ſumma propenſione Bonitatis. &c. *pag. 44.*

Punctum. 1. *Deus quia bonus eſt cupit ſuam bonitatem nobis communicare non propter ſuum proprium ſed ob noſtrum emolumentum; 3. non ſinit voluntatem eam eſſe otioſam oratio, ad amorem Dei excitans.*

Punctum 2. *Bonitas Dei communicauit creaturis eſſe & bonum naturale, & cur homo mundus abbreuiatus.*

Digitized by Google

Punctum 3. *Quatuor gradus excellentiores gratia, 1. Eſſe ſupernaturalis gratia 2. Eſſe gloria, 3. eſſe perſonale ipſiusmet Dei, 4. eſſe ſacramentale in ſacra Euchariſtia. In his conſideranda duo, 1. infinita porpenſio Dei erga homines, 2. erga omnia.*

MEDITATIO VIII.

Quàm ſit amabilis Dei bonitas. &c. numero 49

Punctum 1. *Summe amabilis Dei bonitas, hanc ſolus Deus, quantum amari meretur, poteſt amare, eam quiuquis plus quam ſeipſum amare debet idque nudè propter bonitatem eius in quo omnia ſunt amabilia, odiſſe eam eſt deteſtandum nefas.*

Punctum 2. Dei *bonitas amabilis propter tria, 1. ob gradus illos eſſe naturalis quos creaturis communicauit, vt ſupra. 2. ob gratia & gloria beneficia qua ab illa proueniunt, 3. quia continet in ſe omnem rationem boni vtilis.*

Punct. 3. *Amabilis Dei bonitas 1. ratione boni delectabilis 2. ratione, interna Voluptatis ratione 3. oblectationis, amabilis etiã quia eminenter cauſa delectabiliũ, in latitia cordis Deo ſeruiendum, letitia vero terrena deteſtanda.*

MEDITATIO IX.

De infinita Dei Charitate & amore, numero 54.

Punctum 1. *Duo conſideranda, 1. infinitus amor Dei quo ſeipſum amat, 2. infinitus amor amicitia qua vult amicus amico Eſſe. propter duo eſt gaudendum ob amorem Dei. 1. quia Deus ſeipſum diligit quantum meretur diligi, 2. quia eius amor cauſſale amoris ad Creaturas, Deus amat nos quia ſe amat.*

Punctum 2. *Qualiter amor Dei erga homines conſiderandus, 1. amor concupiſcentia, & beneuolentia in Deo ſunt ſimul. 2 plus hominem velut imaginem ſuã quam alia amat. 3 omnia propter hominem amat.*

Punctum 3. *Nihil eſt quod ab amore excluditur vnde tria documenta, &c. petere vt, quod impedit ab amore, remoueatur, 2. cum Dei amore ſuum conformari, 3. omnia facere propter Dei amorem pro quo impetrando oratio.*

Punctum 4. *Deſiderium Dei amicitia cum hominibus, tres eius proprietates, 1. aequalitas 2. optare omnia bona, 3. vnire animos.*

MEDITATIO X.

De quatuor ſingularibus excellentiis numero 62.

Punctum 1. *Excellentia 1 aeternitas amoris Dei; inde conſtat Charitas Dei prior ſit noſtra, huic ſuſpirium amantis anima, 2 qua aeterna ſit Dei Charitas huic oratio ſubditur.*

Punct. 2. *Excellentia 2. eſt latitudo charitatis, & in explebilitas eius, duplex imitandi hanc ſanctum propoſitum, 1. odiſſe neminem. 2. omnia ad vnum ſolum Deum reducere.*

Punct. 3. *Excellentia, 3. ſublimitas charitatis que ex ſumma eius erga nos dilectione apparet. Excellentiſſima Dei cum homine Chriſto amicitia, quanta altitudo charitatis, deſiderium imitandi.*

Punctum 4. *Excellentia, 4 profunditas, qua ex ſecreterum Iudiciorum Dei abyſſo apparet. & ſunt ha 4. Excellentia charitatis noſtra perfectio.*

MEDITATIO XI.

Quod Deus deſideret ab hominibus amari, &c. 69

Punctum 1. *Ex pracepto Deus amandus, 1. quia radix omnis perfectionis, 2. ratione dignitatis, 3. meriti, 4. ſuauitatis, 5. efficacitatis qua obſtent charitati.*

Punctum 2. *Non ſolum Deus eſt cauſa noſtra charitatis ſed etiam Spiritum S. donat, & quo modo Deus ſit in nobis. Oratio.*

Punctum 3. *Pramia amantis, 1. aeterna vita poſſeſſio. 2. dona & fauores, 3. gratia praeueniens, 4. Mina excitantes, hinc quantum Deo obligati liquet.*

MEDITATIO XII. De infinita Dei miſericordia. num. 75.

Punctum 1. *In omnibus Dei donis Miſericordia & Iuſtitia apparet, miſericordia autem præcedit omnia, & à ſolo Deo eſt, comitatur opera Iuſtitia, miſericordia finis eſt Iuſtitia, & dat veniam, ſpemque ſummam.*

Punctum 2. *Quam lata & magna ſit miſericordia, 1. eſt vbique, 2. ad bruta ſe extendit ſumma debet eſſe fiducia noſtra de ea.*

Punctum 3. *Miſericordia Dei erga peccatores proprietates, 1. extendit ſe ad homines vniuerſos, 2. ad omnia perfecta, 3. expectat pœnitentiam. Parabola additur de Prodigo, vtilis.*

Punctum 4. *Erga Iuſtos miſericordia, 1. ſine principio, & ſine fine, 2. præuenit, & ad vltimum vitæ ſpiritum ſequitur, 3. ad gloriam vſque euehit.*

Punctum 5. *Indicia miſericordiæ, 1. triſtari de malo proximi, & eum liberare, & quomodo Deus potuerit triſtari, 2. compaſsio, 3. Euchariſtia, deſiderium imitandi.*

MEDITATIO XIII. num. 84.

De Infinita Dei erga homines liberalitate.

Punctum 1. *Liberalitas Dei in quinque apparet, 1 in donis gratiæ, & naturæ, 2. in illorũ excellentia, 3. quod conferat omnibus, 4. gratuitè conferat, 5. dat ſine retributionis ſpe, deſiderium liberalitatem erga Deum exercendi cum hilaritate.*

Punctum 2. *Dei liberalitas in liberalem in quinque rebus relucet, 1. facile exauditur, 2. oblitus petere monetur, 3. deſideria ipſius præueniuntur, 4. communicatur in abundantia conſolatio, 5. gratia variè datur.*

Punctum 3. *Parcitas noſtra erga Deum in ijs maxime rebus, 1. puncto poſitis manifeſtatur, liberalitatem Dei conſtringit.*

MEDITATIO XIV. num. 88.

De immenſitate Dei & eius præſentia, &c.

Punctum 1. *Deus vbique intimè præſens omnia implet, cuius conſideratio vtilis ad tria, 1. excitat fidem præſentiæ Dei, 2. docet quod omnis locus aptus eſt orationi, 3. quod vniuerſus orbis illum non capiat.*

Punctum 2. *Deus in omni loco, 1. Per eſſentiam, 2. Per præſentiam, 3. per potentiam, & ſic conſideratur in omnibus mundi rebus.*

Punctum 3. *Deus intra nos tribus modis, 1. ambit nos vt mare piſcem, conſiderantur Dei quædam attributa, 2 eſt eſſe noſtrum, & operari, 3. omnia in nobis.*

Punctum 4. *Quomodo Deus ſit in Cœlis, 2. quo modo in terra, 3. quomodo in Iuſtis, 4. quo modo in Colloquiis ſolicitè quærendus vbi facie ad faciem videtur.*

MEDITATIO XV.

De infinita Sapientia & Scientia Dei. 95

Punctum 1. *Deus ſeipſum intimè, & omnia circum ſe comprehendit.*

Punctum 2. *Per eſſentiam ſuam omnia Deus ſcit, videt, & habet infinitè ſapiens, incomprehenſibilis omnino & impenetrabilis.*

Punct. 3. *Sola Dei ſapientia omniũ prorſus inuentrix patet 1. per ſex dies Creationis mundi diſcurrendo, 2. In diſpoſitione ſapientiæ Dei in iſtis diebus creationis 3. circa Eſſe gratiæ hominibus communicata, 4. circa opera quæ referunt Dei attributa.*

Punctum 4. *Omnia in numero, pondere & menſura 1. dotes internæ & externæ 2. aſtra 3. ſublunaria, 4 aqua, 5. homines, 6 ſpiritus cœleſtes.*

Punctum 5. *Vnico intuitu Deus ſapientia ſua omnia videt præterita, quomodo Deus obliuiſcatur impiorum, 2. præſentia, 3. futura, 4. Poſſibilia.*

Punctum 6 *Poſſibilia non futura comprehendit. infinita liberalitas eius in omnibus ſuis creaturis relucet.*

MEDITATIO VI. De omnipotentia Dei. pag. 104

Punctum I. *Deus eſt omnipotens ſumme & infinite eius tres ſunt excellentiæ, 1. infinite ea quæ fecit multiplicare poteſt, 2. poteſt ea dirigere & diſponere prout vult. 3. Quicquid vult poteſt facere.*

Punctum. 2. *Tres aliæ ſunt eius Excellentiæ, 1 independenter natura ſua omnia operatur 2. ſolus ſine vllius auxilio, 3. concurrit cum omnibus.*

Punctum 3. *Ex omnipotentia Dei velut ex fonte diuina beneficia in nos fluunt.*

MEDITATIO XVII.

De Omnipotentia Dei in Creatione mundi. 104.

Punctum 1. *Omnia Deus fecit minima ſimul & maxima, ex quo tria oriuntur 1. quod extra Deum omnia habent principium 2. quod libere creauerit omnia. 3. Idea ſibi ipſi fuerit.*

Punctum 2. *Ex quatuor relucet Omnipotentia. 1. Ex nihilo à quo fecit omnia, 2. Ex eo quod alia ex alijs fecit, 3. quod ſolus omnia fecit 4. Ex facilitate in creando.*

Punctum 3. *Modus in Creatione in tribus eius finib. conſideratur 1. vt diſtinctius ſapientiæ diuinæ diſpoſitionem 2. vt neceſſitatem rerum creatarum, 3. vt ordinem noſtræ ſanctificationis intelligamus*

MEDITATIO XVIII.

Quid Deus creauerit in primo Inſtanti &c. 111.

Punctum 1. *Creatio cæli ex nihilo ſine fulcro cuius Angeli habitatores ad quos oratio.*

Punctum 2. *Terra quam ſolus* Deus *metiri poteſt creatio, tecta Nebula quæ index fœditatis noſtræ.*

Punctum 3. *Ruditer terra & aquæ ex lucis carentia ponderatur cauſa myſtica differentiæ* Cœli *& terræ illud ſedes beatorum, hæc vero bonorum ſimul & malorum. illa natura bonum, hoc vero gratia ſignificat.*

Punctum 4. *Spiritus S. ſuper aquas ambulatio, perfectio earum & benedictio fuit verbi ferebatur ſingulare myſterium protectionem & aſſiſtentiam eius indicat, varias appellationes creatoris.*

MEDITATIO XIX. pag. 117

De iis quæ primo die creauit Deus.

Punct.

1. *Primo die creauit* Deus *lucem; cuius vtilitate conſiderata, ad gratiarum actionem primum, deinde ad excellentiam lucis ſpiritualis meditandam permoueri debemus.*
2. *Tria in lucis creatione conſiderantur, 1. quod prima die, 2. quod ſola, 3 quod à tota* Trinitate *cum gaudio producta ſit. Quæ ſuo modo luci ſpirituali applicantur.*
3. Diuiſio *lucis à tenebris conſideratur, vnde aſcenditur ad perpendendum diſcrimen lucis ſpiritualis, Deus enim ipſe. & beati lux ſunt ſine tenebris, in terra autem lucis & tenebrarum eſt viciſſitudo, 1. in diuerſis hominibus probis & improbis 2. in probis ipſis. quidlibet ex iudicio* Dei *lucis aut tenebrarum loco habendum.*

MEDITATIO XX. pag. 121

De iis quæ Deus fecit ſecunda die

Punct.

1. *Secunda die factum eſt firmamentum, cuius nomine aeris regio præcipue accipitur. Vbi primum beneficij magnitudo, deinde ratio nominis perpenditur.*
2. *Conſideratur diuiſio aquarum infra & ſupra firmamentum, quarum nomine nubes recte accipiuntur. in quibus prouidentia* Dei *tripliciter elucet, 1. in earum eleuatione 2. in motu, 3. in ſuſtentatione 4. in vmbra quam præbent.*
3. *Deus firmamentum appellauit cælum. Ratio nominis conſideratur, Deinde ad animæ proprietates in operibus ſecundæ diei expendendas tranſitur. Cui 1. poſt lumen intellectus ſtabilitas gratiæ loco firmamenti additur. 2. Fit diuiſio aquarum, id eſt, affectionum. & propenſionum. Demum perpenditur cur Deus non laudauerit aut benedixerit ſecundæ* Diei *cuius moralis, ac myſtica cauſa adiungitur.*

Digitized by Google

MEDITATIO XXI. De iis quæ tertia die fecit Deus.

1. *Primo conſideratur Deum aquas ſub cœlo in vnum locum congregaſſe. Vnde Omni-* pag. 126.
potentia Dei patet 1. quod aqua ſolo imperio Dei ac breuiſſimo tempore 2. quod relicto na-
turali loco in profundum ſe receperint, 3. quod limites conſtitutos non excedant, quæ mo-
raliter applicantur.

2. *Conſiderantur mirabilia quæ in terra contigerunt, 1. concauitates iſtæ in terra mo-*
mento producta 2 Terra arida facta 3. Fontes ac flumina dulcia ad irrigandam terram
excitata fuerunt, in quibus admiranda eſt primum multitudo deinde perpetuitas, tum
dulcedo, demum vtilitas. 4. Varias ſecundum varias partes diſpoſitiones accepit. Vltimo
cur metallorum mentio non fuerit facta, myſtica cauſa adiungitur.

3. *Conſideratur plantarum productio. In qua duo notanda. 1 Deum hoc die plantas pro-*
duxiſſe, ne terra deformis maneret, 2. Non tamen creaſſe ſed cooperante terra produxiſſe
cauſa eius allegorica & moralis. 3. Quinque excellentiæ expendendæ, vnde prouidentia
& omnipotentia Dei, colligitur multitudo nempe facilitas, qua facta ſunt, magnitudo ac
perfectio, vtilitas, ac virtus germinatiua.

4. *Paradiſus terreſtris hoc die productus conſideratur, qui excellebat optima temperie. 2.*
copia arborum, 3. Arbore vitæ, 4. flumine copioſiſſimo aquarum, 5. loci amplitudine &
capacitate. Deinde perpenditur hunc locum pro nobis omnibus ædificatum fuiſſe, vnde
ad gratiarum actionem permoueri debemus.

5. *Vidit Deus quod opus huius diei bonum eſſet. Circa quod perpendendum, 1. res omnes*
ad noſtrum nutrimentum creatas in ſe bonas eſſe, licet vſus earum non ſemper ſit bonus.
2. Omnes res hoc die creatas bonas eſſe etiam ſpinas & venenatas herbas.

MEDITATIO XXII.
De iis quæ die 4. fecit Deus.

Punct. 1. *Conſideratur 1. magnitudo beneficij quo die! Deus contulit creando ſolem Cuius ex-* pag. 136.
cellentiæ ſex 1. magnitudo lucis 2. Perpetuitas lucis, 3 Corporis ſolaris magnitudo. 4. Effi-
cacitas ad illuminandum, 5. Virtus ad calefaciendum 6. Motus temporum diuerſitatẽ
cauſans. Ex quibus omnibus fit, vt ſol diuinitatis ſymbolum recte habeatur.

2. *Conſideratur beneficium creationis Lunæ. Cuius quatuor excellentiæ perpenduntur; 1*
Magnitudo, pulchritudo, & elegantia eius 2. æquabilitas, qua ſolem in motu ſequitur 3.
magna vis qua influit in inferiora. 4. Effectus varij, vnde affectus laudis, & gratitudin...
acuendi. Porro lunam vt ſymbolum animarum ſanctarum contemplari licet.

3. *Conſideratur beneficium creationis ſtellarum quarum tres excellentiæ, 1 Earum mul-*
titudo. 2. quod nocti præſint. 3 Mirabiles ſingularum influentiæ. Vnde ad laudem Dei, &
imitationem ſtellarum moueri debemus, quas etiam tanquam ſymbolum animarum
iuſtarum, quæ aliis exemplo, & doctrina prælucent intueri poſſumus.

4. *Deus opus huius diei vidit eſſe bonum. Cuius contemplatio ad duos præcipuè affectus*
nos incitare debet, 1. ad admirationem omnipotentiæ diuinæ, 2. ad amorem tanti benefa-
ctoris.

5. *Conſideratur prouidentia Dei in creatione ignis, cuius quatuor ſunt excellentiæ 1. Vica-*
rius eſt Solis & Lunæ nocturno lumine, 2. Solis diſtantiam hyeme ſupplet 3. Communi-
cat ſe liberaliter 4. Vniuerſale eſt inſtrumentum ad quæuis opera hominum, quare Deo
laus & gratia canenda, vltimo perpenditur ignis vt ſymbolum diuinitatis

MEDITATIO XXIII.
De iis quæ fecit Deus quinta die.

Punct. 1. *Deus ornauit aquas piſcium copia, vbi quatuor perpenduntur 1. quod aquas voluerit* pag. 142.
cooperari. 2. quod ingentem multitudinem produxerit 3. quod ijs benedixerit, 4. quod bo-
num & vtilitatẽ ſeminis ſpectauerit. Hinc omnipotẽtia & prouidentia Creatoris elucet.

2. *Conſideratur volatilium productio. Circa quam duo perpenduntur, 1. Quod aere & aqua cooperante ſint producta. 2. quod vtiles ſint & iucunda hominibus tum ſeipſis, tum opera ſua.*

3. *Deus opus huius diei tanquam bonum approbauit. Vbi 1. perpenditur conuenientia cur eodem die aqua & aer exornata fuerint 2. Per piſces & aues actiua & contemplatiua vita, item ſeculares & religioſi præfigurantur, 3. Piſcium productio quare prius referatur. 4 Benedixit vtriuque Deus. Ex qua conſideratione ad vita actiua, & contemplatiua exercitium animari debemus.*

MEDITATIO XXIV.

De ijs quæ fecit Deus ſexta die. *pag.* 147

Punct. 1. *Conſideratur creatio omnium animalium quibus ornata fuit terra per tria genera, alia enim ſunt domeſtica, nempe iumenta, alia reptilia ſiue ſerpentia, alia ſylueſtria quæ beſtia dicuntur, in ſingulis generibus varia etiam ſpecies reperiuntur, cum ſuis proprietatibus.* Deinde *perpenditur vtilitas, quam percipimus ex animantibus, qua conſideratione incitamur ad laudem, & gratias* Deo *referendas.*

2. *Vidit* Deus *omnia animantia quod eſſent bona, 1. quia per ea tum miſericordia, tum iuſtitia eius manifeſtatur, 2. Quia occaſio nobis ſunt exercendi virtutes*

3. *Cauſa expenditur cur* Deus *non benedixerit, animalibus terra literalis cauſa eſt, quod benedictio hominis ſequatur Myſtica vt intelligeremus benedictionem animalium à bona vita hominum pendere.* Deinde *conſiderandum beſtiales carnis motus multiplicari in pœnam rebellantis, minui in præmium ordinata voluntatis.*

MEDITATIO XXV.

De Creatione hominis pag. 158.

Punct. 1. *Creatus eſt homo eodem die ſexto quo animalia terreſtria. Vbi tria perpenduntur, 1. quod cum brutis homo creatus ſit ad humilitatem ipſi imprimendam 2. quod poſt cætera creatus ſit propter ordinem quo ab imperfectioribus ad perfectiora tranſeundum. 3. quod vltimo loco creatus ſit, vt intelligamus eum eſſe finem, & quaſi compendium omnium.*

2. *Conſideratur ſanctiſſima Trinitatis conſilium, circa creationem hominis. Vbi primo perpenditur* Deum *non dixiſſe fiat homo, aut producat terra hominem, ſed faciamus, ad inſinuandum hominem quo ad animam à ſolo* Deo *produci.* Deinde *dixit* Deus *faciamus hominem ad imaginem noſtram: vt inſinuaretur 1. notitia ſanctiſſima Trinitatis, 2. concurſus omnium perſonarum ad creationem hominis 3. matura deliberatio præuia, vnde & ego diſcam deliberare, in arduis, 4. vt ſignificaret ſe familiarem hominis conuerſationem expetere.*

3. *Imago hominis ad* Deum *in ſex conſideratur, 1. In anima immaterialitate. 2. In immortalitate, 3. in Intellectu, memoria, voluntate 4. In libertate arbitrij 5. In capacitate, virtutum ac beatitudinis 6. In præeminentia ſuper omnia viſibilia.*

4. *Similitudo hominis ad* Deum *conſiſtit in eſſe gratia, Ea perfectiſsima in Adamo fuit, ad corpus etiam deriuabatur propter participationem immortalitatis qua nos culpa parentum priuamur.*

5. *Conſideratur præeminentia hominis ſuper animalia reliqua. Vbi primo hominis excellentia perpenditur, ex eo quod ad ſimilitudinem Dei, creaturarum ſit* Dominus, *2. Prouidentia Dei elucet in eo quod gubernationi hominis bruta ſubiecerit, qua poteſtas poſt peccatum licet imminuta remanſit homini.*

MEDITATIO XXVI.

Qua ratione Deus formauerit corpus hominis, animam ei infuderit, Euamque ædificauerit. pag. 159.

Conſide-

Punct. 1. *Conſideratur primo corporis atque animæ formationem ſeorſim referri ad ſignificandum animam hominis non eſſe ex materia eductam, deinde primo refertur corporis tanquam ignobilioris formati. Demum Deus creauit corpus Adæ ex limo, vt hinc humiliaremur.*

2. *Conſideratur omnipotentia Dei, quæ in opere nobiliſsimo ex vili materia producto elucet, Cuius operis quatuor excellentia, 1. Partium ac membrorum varietas 2. pulchritudo ac magnitudo 3. Figuræ elegantia 4. Perfectio rerum omnium indita, quæ cuncta moribus applicantur.*

3. *Conſideratur 1. Deum ex nihilo animam produxiſſe, quam ſpiraculum vitæ vocauit quod vitam ac ſpiritum corpori largiatur, quod anima corpori, hoc gratia animæ.*

4. *Conſiderantur pia ſenſa Adami erga Diuinam bonitatem 1. viſa cœlorum ac terræ pulchritudine 2. viſo Paradiſi habitaculo 3. viſa tanta auium atque animalium ſibi ſubditorum varietate. quare & mihi Deus in operibus ſuis laudandus.*

4. *Conſideratur Deum non ſimul vtrumque ſexum in humano genere creaſſe, ſed poſt & ex Adamo Euam, 1. quia homo ad generandum non eſt præcipuè creatus 2. Vt origo omnium ex vno eſſet vnionis incitamentū 3. quia ex vno Chriſto vitam gratiæ erant omnes accepturi.*

MEDITATIO XXVII.

De reflexione quam Deus fecit ſuper opera ſex dierum, qua declarauit ea eſſe valde bona: ac de ſanctificatione diei ſeptimi. pag. 166.

Punct. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona. Perpenditur cuncta fuiſſe valde bona 1. propter bonitatem intrinſecam ſui 2. propter bonitatem ordinis. Porro ſolius Dei Chriſti ac B.V. facta fuerunt cuncta valde bona nobis idem laborandum eſt per triplex conſcientiæ examen, per veſpertinum ſcilicet particulare cuiuſque operis, ac hebdomadarium.*

2. *Perpenditur primo Deum quieuiſſe die ſeptimo, propter complementum ſcilicet operis facti, quieuiſſe autem non in opere facto, ſed in ſe. ita & mihi in nulla re excepto Deo quieſcendum eſt. 2. Benedixit Deus diei ſeptimo, quo noua creaturis beneficia conſeruationis nempe, & gubernationis promiſit.*

3. *Myſtica cauſa benedictionis ſabbathi eſt. vt is dies in gratitudinem pro beneficio creationis coleretur, cui in noua lege Dominicus dies ſucceſſit, ad quem celebrandum quatuor requiruntur. 1. Ceſſare à ſeruilibus 2 Orationi & meditationi vacare 3. Voce Deum laudare 4. ſacrificia Deo offerre. Porro vt benedictus eſt ſabbathi dies, ita cultores eius benedicentur.*

MEDITATIO XXVIII.

De beneficio conſeruationis Mundi, & quod res omnes à Deo dependeant in eſſe & operari. pag. 172.

Punct. 1. *Conſideratur mundum in eſſe à Deo dependere. Vnde concipiam affectus 1. admirationis 2. Timoris 3 humilitatis.*

2. *Præſtantia beneficij conſeruationis, quæ colligitur, 1. ex vtilitate noſtra, 2. ex charitate Dei conſeruantis 3. Ex occultis beneficijs plurimis quæ in hoc vno continentur.*

3. *Res creatæ etiam in actionibus ſuis à Deo dependent, vbi occurrit 1. Infinita Dei omnipotentia 2. Innumera beneficia 3. lex illa infallibilis concurrendi cum creaturis. Ex quibus humilitatis affectus deducentur.*

MEDITATIONES de prouidentia Dei.

Præmittitur vtilitas, ac neceſsitas meditandi Prouidentiam Dei.

1. quod nemo proficere ſine hac conſideratione poſsit in hac vita, 2. quod nemo profectò ſine ea poſsit gaudere, 3. quod eius beneficio nemo poſsit nimium triſtari.

MEDITATIO XXIX.

In quo conſiſtat, prouidentia Dei erga creaturas: & de innumeris beneficiis, quę ab ea nobis proueniunt. *pag.* 177.

Punct. 1. *Prouidentia Diuina eſt diſpoſitio, & ordo mediorum omnium, quæ Deus conſtituta habet, &c. 1. Deus ab æterno fines & media poſsibilia cognouit.*

2. Elegit optima media, & fines meliores tum ad ſe dirigendo, tum ſuũ quemque finem ſingulis præſcribendo, 3. In tempore his mediis ſemper vſus eſt. Quæ tria mihi applicabo.

2. *Infinita ſunt bona diuinæ prouidentiæ, 1. mater eſt, nutrix, pædagogus, &c. 2. fons eſt omnium bonorum.*

3. *Prouidentia* Dei *tota eſt in creaturarum cura.* Ita *vt, 1. nullam ſui curam aut prouidentiam gerat, 2. ad omnia ſe extendat, 3. executrix ſit omnium. Vnde ſequitur nihil caſu euenire.*

MEDITATIO XXX.

De prouidentia Dei in gubernatione mundi & hominum. *pag.* 182.

Punct. 1. *Prouidentia circa hominem patet in mundi creatione, quæ domus eſt, diſtincta varijs partibus, & habitaculis, plena animalibus tanquam familia in qua homo velut Dominus præſidet.*

2. *Eadem patet in gubernatione mundi. In qua idem eſt gubernator, qui eſt creator, 2. Eſt vnus, 3. cauſæ ſecundæ ſunt adminiſtræ.*

3. *Excellentia gubernationis magna ſunt, 1. Eſt paterna, 2. Efficax, 3. Iuſta, 4. Vtiliſsima. Quare exultandum, & gaudendum mihi eſt, Et proprietates iſtius gubernationis in meo regimine ſi quod eſt imitandæ.*

4. *Alia excellentia eſt, quod à fine ad finem ſe extendat nullo præterito.*

MEDITATIO XXXI.

De prouidentia Dei circa ſuſtentationem creaturarum, & præcipuè hominum in victu, amictu, honore, fortunæ bonis. *pag.* 188.

Punct. 1. *Vitioſam ſollicitudinem de temporalibus Chriſtus prohibuit. Vitioſa eſt ſi ſit de nimijs, 2. ſi ante tempus, 3. ſi ſine ordine, 4. ſi anxia, vnde patet charitas Chriſti prohibentis.*

2. *Ratio Chriſti prohibentis efficaciſsima ſumitur ab eo quod anima ſit melior quam eſca, & corpus plus quam veſtimentum quæ tamen gratis nobis data ſunt. Quare, 1. ſollicitudo nimia deponenda, 2. Conuenientia animæ, & corpori tantum petenda, 3. Fiducia de minori bono habenda, cum maius acceperimus, 4. Deus omnium ad nos pertinentium curam gerit*

3. *Prouidentia Dei erga aues ſtupenda eſt, 1. quia omnibus prouidet, 2. quia modo admirabili prouidet. Eadem in nutritione piſcium, & animalium reliquorum manifeſta eſt, quanto maior erit in homines?*

4. *Prouidentia Dei corporis augmentationem cauſat, cui mea ſollicitudo non confert, igitur omittenda.*

5. *Prouidentia eadem piſcibus, auibus, brutis tegumenta largitur, veſtit etiam lilia, quanto magis homines?*

6. *Sollicitudo nimia de gloria, honore, fama omittenda eſt, 1. quia gentes id faciunt. 2. quia Deo curæ ſumus, qui dabit, quod conueniet.*

7. *Prouidentia* Dei *ſingularis eſt erga quærentes primum regnum Dei.*

8. *Deus extraordinarijs etiam mediis Electis prouidet. Vti factum cum Elia, Vidua Sareptana, Daniele, &c.*

ME-

MEDITATIO XXXII.

De prouidentia Dei circa res huius mundi aduerſas ac de omnibus malis culpæ, & pœnæ. *p.*202.

Punct.1. *Aduerſa huius vitæ à diuina prouidentia permittuntur, 1.ad manifeſtandam omnipotentiam, bonitatem, iuſtitiam, miſericordiam, 2. ad conſeruationem vniuerſi, 3. ad commodum hominum.*

2. *Afflictiones, & tentationes à dæmone profecta Prouidentiæ Dei ſubiacent, quas permittit, 1. limitate in extenſione, & intenſione, 2. ad commodum noſtrum, 3. attemperat viribus noſtris. Quare in tentatione oculi in Deum, non in dæmonem, nec in mala, ſed in bonum prouentura coniiciendi.*

3. *Perſecutiones malorum prouidentiæ Dei ſubiacent, 1. quia perſecutores ſine* Deo *nihil poſſunt, 2.* Exemplo *paſſerum, 3.* Exemplo *capillorum patet. Permittuntur ad bonum noſtrum, & hoſtium noſtrorum.*

4. *Aduerſitates corporis effectus ſunt* Diuinæ *Prouidentiæ, quas in bonum animæ dirigit.*

5. *Animæ miſeriæ aliæ inuoluntariæ quæ à Prouidentia* Dei *oriuntur, aliæ voluntariæ vt peccata quæ non intenduntur, ſed tamen permittuntur à* Deo. *Occulta beneficia multa in Prouidentia* Dei *continentur.*

MEDITATIO XXXIII.

De prouidentia Dei in exaudiendis noſtris orationibus, &c. pag.209

Punct.1. *Oratio, 1. eſt medium gubernationis Diuinæ, 2. Eſt medium Prouidentiæ diuinæ, quà mediante omnia ſciunt.*

2. Deus *Orationi noſtræ vtilia concedit, noxia negat. Quod patet 1. parabola Patris petenti filio cuncta largientis, 2. liberalis eſt dando vtilia etiam, dum noxia petimus.*

3. *Prouidentia Dei opportunitatem largiendi expectat, ac moram liberalitate compenſat.*

4. *Mediante oratione ad omnes homines extendit ſeſe cum magno deſiderio, non ſolum iuſtos ſed etiam peccatores iuuandi. Mira demum ſuauitate hoc medium vſurpat.*

MEDITATIO XXXIV.

De Prouidentia Dei in cuſtodia Angelorum, pag.215.

Punct.1. *Prouidentia* Dei *Angelos humanæ cuſtodiæ aſſignauit, 1. Ex amore ſingulari, 2. Ob imbecillitatem noſtram, 3. ob rabiem malorum angelorum contra nos.*

2. *Excellentia huius Prouidentiæ, 1. eſt, quod ad omnes ſeſe tam bonos quam malos extendat, 2. quod ſingulos Angelos ſingulis aſſignet. 3. quod ex choris Archangelorum, & Principatuum etiam aliqui ad hoc deſtinentur.*

3. *Angeli cum magna voluptate hoc munus obeunt, 1. propter mandatum Dei, 2. Ob charitatem erga nos, 3. Ex ingenti deſiderio nos iuuandi.*

4. *Singularis eſt prouidentia, & vigilantia cuſtodum Angelorum, quæ oritur ex viſione* Dei. *Effectus ſunt Purgare illuſtrare perficere. Aſſiſtunt nobis contra Dæmones.*

4. *Corporalibus etiam bonis in ordine ad ſpiritualia attendunt Qui vicißim à nobis colendi iugi memoria, deinde feruenti ſtudio amicitia cum illis fouenda.*

MEDITATIO XXXV.

De Prouidentia Dei circa mundi reparationem per Incarnationem Chriſti DN. &c. *pag.*224.

Punct. 1. 1. Poſuit Deus Adamum in Paradiſo cum iuſtitia originali pro ſe, & poſteris. 2. Omiſſa hac gratia de optimo reparandi medio cogitauit, 3. Elegit Incarnationem Filij Dei.

2. Maiorem ex ſecundo Adamo gratiam habemus, quam ex primo habuiſſemus ſi perſtitiſſet, 1. ex merito Chriſti, 2. contra maiora pericula firmat, 3. Quia miſerias maiores mitigat, 4. Quia miſericordia eius culpam Adæ infinite ſuperat.

3. Gubernatio Chriſti optima eſt, 1. quia ſapientiſſi. 2. quia iuſtiſſima, 3. quia ſanctiſſima, 4. quia potentiſſima.

MEDITATIO XXXVI.

De Prouidentia Dei circa Eccleſiæ ſuæ fundationem, &c. 229.

Punct. 1. Prouidentia Dei elucet in ædificatione Eccleſiæ quæ tanquam Domus Dei exſtructa eſt, ad gloriam Dei finaliter,

2. Media quibus tanquam columnis nititur hæc domus ſunt, 1. Fides, 2. lux cæleſtis, 3. Religio, 4. ſacramenta, 5. virtutes Theologicæ, & morales, 6. Promiſsiones excellentiſsimæ, 7. Scriptura Diuina.

3. Domus hæc vt vnica eſt, ita vnicum oſtium habet Chriſtum.

MEDITATIO XXXVII.

De Vocatione qua vocat ad Eccleſiam, & gratiam Iuſtificationis. 233.

Punct. 1. Vocatio eſt inſpiratio Spiritus S. qua cor peccatoru tangit, & adiuuat vt conuertatur, &c. Vnde patet eam eſſe vnicum Spiritus S. inſtrumentum.

2. Media vocationis varia ſunt: quæ ad omnes, & toto vitæ tempore pertingit, quare de nemine deſperandum.

3. Vocationi Dei parendum eſt, propter vocantis excellentiam, 2. propter vtilitatem propriam, 3. propter peccati miſeriam, 4. propter bona ad quæ vocamur, 5. propter beneuolum vocationis modum, 6. propter Damna grauiſsima inobedientiæ.

MEDITATIO XXXVIII.

De Prouidentia Dei in ſacramentorum inſtitutione, &c. 238

Punct. 1. Fines ſacramentorum particulares diuerſi ſunt, 1. baptiſmi finis eſt ſanatio peccati originalis, 2. Confirmationis corroboratio, & confirmatio contra imbecillitatem, 3. Euchariſtiæ conſeruatio nutritio vitæ ſpiritualis, 4. Pœnitentiæ curatio vulnerum, 5. Extremæ vnctionis curatio à reliquijs peccatorum, 6. Ordinis Recta diſpoſitio miniſtrorum Eccleſiæ, ac ſacerdotum, 7. Matrimonii medicina debilium.

2. Sacramenta hæc, 1. peccata tollunt, 2. ex attrito contritum faciunt, 3. Gratiam conferunt.

3. Offeruntur à Deo cuique pro conditione ſtatus ſui, ea vt ſemper durent, & virtutem habeant.

MEDITATIO XXXIX.

De ſingulari Prouidentia Dei D.N. in inſtitutione Euchariſtiæ. 242

Punct. 1. Cibus hic præſtantior eſt, cibo ligni vitæ, qui Adamo datus fuerat.

2. Eſt etiam excellentior manna, quod patribus datum fuit.

Digitized by Google

3. *Ad ſuauitatem huius panis guſtandam* Deo *cooperari debemus.*

MEDITATIO XXXX.

De Sacramento hoc quà eſt ſumma, & memoriale.&c. p.246.

Punct. 1. *Sacramentum hoc eſt memoriale magnitudinum diuinarum, 1. Myſterii Trinitatis, 2. Omnium attributorum Dei.*

2. *Eſt memoriale mirabilium operum omnipotentiæ diuinæ, 1. in miraculum eſt, diſſolutio accidentium à ſubſtantia, 2. conuerſio exigui panis in tam magnum corpus, 3. Exiſtentia corporis quanti ſine extenſione actuali, 4. Exiſtentia corporis in pluribus locis.*

3. *Chriſtus exercet in hoc ſacramento omnia munera quæ olim in terra erga nos exercuit, 1. Medici 2. Magiſtri 3. Saluatoris, & Paſtoris.*

4. *Chriſtus in hoc ſacramento virtutum exempla nobis præbet, 1. Humilitatis, 2. obedientiæ, 3.* Manſuetudinis, *ac patientiæ, 4. Charitatis, & miſericordiæ, 5. Perſeuerantiæ.*

5. *Hoc ſacramentum ſignum, & ſumma eſt trium maximorum beneficiorum* Redemptionis *ſcilicet, ſanctificationis, ac glorificationis.*

MEDITATIO XXXXI.

De ſanctiſsimo ſacramento, vt eſt memoria paſſionis. 252

Punct. 1. *Chriſtus memoriam paſſionis in ſymbolis ſuauibus, & incruentis voluit inſtituere, 1. vt aperiret infinitam dilectionem ſuam erga nos quæ ſibi amara, nobis ſuauia reliquerit, 2. vt oſtenderet qua voluptate pro nobis paſſus eſſet, 3. vt inſinuaret ſuauitatem legis ſuæ, 4. vt obligaret nos ad res amaras imitandas.*

2. *Chriſtus ipſe realiter voluit eſſe in hoc memoriali paſsionis. Vt oſtenderet, 1. quanti faceret paſsionem, 2. quanto deſiderio fuerit pro nobis paſsus, 3. vt ipſe gratias cæleſti Patri pro beneficijs humano generi collatis, referret.*

3. *Voluit memoriale paſsionis ſub ſpeciebus panis & vini inſtituere, 1. Vt ex ſimilitudine panis, & vini tormenta paſſionis inſinuaret, 2. Vt comeſtione mortem, ac ſepulturam ſuam deſignaret.*

MEDITATIO XXXXII.

De ſanctiſſimo ſacramento vt eſt cauſa gratiarum. p.256

Punct. 1. *Chriſtus ipſe voluit intime præſens eſſe huic ſacramento 1. vt eſſet medicus & medicina, 2. vt eſſet redemptor, & pretium, 3. vt eſſet mater & nutrix,* Rex, *& miniſter.*

2. *Chriſtus animæ in hoc ſacramento tribuit, 1.* Omnes *virtutes, & dona* Spiritus S. *largitur refectionem ſpiritualem.*

3. *Chriſtus in hoc ſacramento ſeſe nobiſcum vnit perpetua quadam vnione charitatis.*

4. *Vnionis huius excellentia multa ac magnæ ſunt cum ſit participatio quadam vnionis* Chriſti *cum* Patre *ſuo.*

5. *Vnionis huius effectus patent, 1. Ex ſimilitudine panis, & vini in quantum cibus ſunt ac potus, 2. Ex ſimilitudine vitis, & palmitum, 3. ex vnione verbi cum humana natura.*

6. *Non fuit inſtitutum hoc ſacramentum in cibo aliquo rariore, aut pretioſiore. Vt ſignificetur. 1. Cibum hunc frequentandum eſſe, 2. omnibus communem eſſe. Quemadmodum autem panis ex multis granis frumenti, & vinum ex multis granis botri vnitis fit ita Chriſtus ſe coniungit animabus charitate iunctis.*

MEDITATIO XLIII.

De ſanctiſſimo ſacramento qua pignus eſt & ſignum gloriæ. *pag.263.*

Punct. 1. *Sanctiſſ. Trinitas non potuit nobis dare maius pignus, Pater quidem, quia dedit Filium, neque Filius quia ſe donauit, Pater, & Filius ſimul quia dederunt ſpiritum S.*

2. *Hoc ſacramentum eſt etiam medium ad conſequendam gloriam, 1. quia peccata tollit, ac gratiam alit, 2. quia vnit cum Chriſto.*

3. *Eſt conuiuium ſpirituale animarum, ad ſimilitudinem cœleſtis illius inſtitutum. Vnde & nos vitam cœleſtem inſtituere conabimur, Viaticum etiam eſt huius peregrinationis.*

MEDITATIO XLIV.

Applicantur quinque animi ſenſus ad ſanctiſſimum ſacramentum. *pag.269.*

Punct. 1. *Intellectu fide illuſtrato aſpicientur, 1. accidentia ſeparata 2. Maieſtas Chriſti Domini præſens, 3. Coniunctio ſpecierum cum ipſa Maieſtate Chriſti.*

2. *Interno auditu percipientur verba Chriſti præſentis. 1. Inuitantis, 2. Exhortantis, 3 Angelorum aſſiſtentium. Aures aperiendæ ad hæc verba audienda.*

3. *Interno odoratu percipietur fragrantia Chriſti 1. vt victimæ oblatæ 2. vt pleni virtutibus omnis generis*

4. *Interno guſtu percipietur quantum delectetur Chriſtus cum digne in hoc ſacramento ſuſcipitur, deinde quanta ſit ſuauitas huius ſacramenti.*

Interno tactu percipietur, virtus huius ſacramenti. Cogitandum vero eſt, dum accedo ad ſacram communionem, quod ſumma cum reuerentia ac tremore oſculum dem Chriſto Domino.

MEDITATIO XLV.

Pro ſolemnitate ſanctiſſimi ſacramenti *pag.273.*

Punct. 1. *Veſtigia diuinitatis in tribus relucent, 1 dum in omni tranſitu Deus ſanat 2. in SS. ſacramento 3. cum ad imitationem inuitat.*

2. *Renouatio Ieruſalem ſpiritualis, 1. in ingreſſu D N. in eam 2. in externa maieſtate Eccleſiæ 3. In amicitia qua nobiſcum Deus conglutinatus 4. in Pompa ſpiritu repleta.*

3. *Proceſſiones noſtræ nos memores reddunt Paſſionis D. N & omnis eorum ornatus. Vnde fidelitas eius in reddendis præmijs patet.*

4. *Viciſſitudo celebritatum Dei & hominum, tribus potiſſimum Deus affectibus honorandus 1. Humilitate 2. fide viua 3. oblatione.*

MEDITATIO XLVI.

De paterna Dei prouidentia. *pag. 278.*

Punct. 1. *Eminenter Deus Pater noſter eſt, cui gratitudinis loco duo præſtanda 1. vitæ ſtatum eligendo 2. eodem contentum eſſe.*

2. *Summa ſuauitas, ſapientia, & omnipotentia diuinæ diſpoſitionis ſupernaturaliter ſupplet ſi deeſt naturali propenſioni ad ſtatum, rationibus docetur cuique ſuum ſtatum conuenire.*

Punct. 3. *Sufficienter cuilibet ſtatui prouidet Deus ſpeciali auxilio, periculoſum itaque eſt ſuſcipere ſtatum vocationi ſuæ minus conuenientem contra Dei voluntatem.*

MEDITATIO XLVII.

De Prouidentia Dei circa inſtitutionem ſtatus religioſi &c. *pag. 283.*

Punct. 1. *Religiones variæ ſunt, 1. ſchola perfectionis 2. ſchola imitationis virtutum Dei, 3. locus refugij fidelium à facie peccatorum, 4. Paradiſus Voluptatis Dei, 5. Eccleſiæ candelabrum, 6. locus meritorum, hinc Angelicam eſſe religioſorum vitam conſtat.*

Digitized by Google

2. *Tres ſunt cauſæ cur varia inſtituta & regulæ in ordinibus, 1. quia in omnibus vna ſola non poteſt eſſe conſpicua eminenter, alia n. eminent in contemplatione alia in diuino cultu, alia in pænitentia, alia in ſpiritualibus, alia in corporalibus miſericordiæ operibus, 2. quia Chriſtus eſt exemplar perfectionum quas vna religio non poteſt eminenter præſentare, 3 quia diuerſæ ſunt hominum inclinationes.*

3. *In vocatione Dei, ad religionem quatuor conſiderantur, 1. quod ſpecialis ſit, 2. quod ex mera Dei gratia eſt 3 quod efficax, 4. Paterna cuiuſque inclinationi conueniens.*

MEDITATIO XLVIII.

De bonis quæ in ſtatu religioſo continentur. n.288

Punct. 1. *Mundus alius, bonus alius in malitia fundatus, ille factura Dei, hic ſceleratorum congregatio, huius duæ ſunt partes, altera extra Eccleſiam, altera in Eccleſia, Iuſtis Deus in medio malorum conſtitutis proſpicit.*

2. *Tria genera bonorum continet Religio, 1. bonum honeſtum 2. delectabile, 3. vtile, eſtque mater virtutum.*

3. *Promiſſio ampla S. Petro nomine omnium Religioſorum facta.*

Quid faciat Religioſus erga Deum.

1. *Quæ poſſunt relinqui, relinquit, 2. Pro viribus ſequitur Chriſtum hinc magnæ illis excellentiæ tribuuntur quod ſint magna fide ſicut Abraham quod cum Moyſe negant filiationem huius mundi.*

Quid faciat Deus erga Religioſum,

1. *Pollicetur thronum & cæleſtem ſedem, 2. centuplum in hac vita, 3. vitam æternam.*

MEDITATIO XLIX.

De exactiſsima Dei Prouidentia erga Prædeſtinatos & bonam eorum mortem. n.294

Punct. 1. *Peccatores nonnullos vocat & iuſtificat ante mortem, 2. dat perſeuerantiæ donum circa mortem, & ſalutis promiſſionem.*

2. *Duæ cauſæ prædeſtinationis, 1. miſericordia & bonitas 2. merita Domini noſtri, merito igitur gaudeo quod Chriſtianus prædeſtinationis capax eius particeps fieri poſſim.*

3. *Quædam prædeſtinatos cognoſcendi indicia enumerantur qualia audire verbum Dei, libenter amare B. Virginem, timere Deum, frequentare ſacramenta, & ſimilia amore beneuolentiæ præſtare.*

MEDITATIO L.

De humilitate & reſignatione, &c. 297

Punct. 1. *Sex proprietates miſeriæ noſtræ ex conſideratione infantis. 1. imbecillitas eſt. 2. lapſus & caſus 3. inconſtantia & relapſus 4. in comedendo impotentia in tentationibus debilitas 6. informatio ad orandum; & ſublatio omnium miſeriarum; humili ſuccurrit Deus.*

 2. Reſi-

2. *Reſignatio omnium infantis inſtar debet eſſe Oratio petentis humilitatem.*

3. *Quinque ſunt priuilegia paruulorum* 1. *Inuitantur ad Regnū cœleſte.* 2. *Magni futuri ſunt in eodem.* 3. *à Chriſto plus cæteris peculiariter amantur* 4. *Singulari à ſcandalo cuſtodia committuntur.* 5. *Angelis aſſociantur.*

MEDITATIO LI.

De gloria cœleſti, quo ad eius locum, &c. 304

Punct. 1. *Deſcriptio beatitudinis cuius* 4. *Excellentiæ.* 1. *Aeternitas* 2. *Securitas.* 3 *Immutabilitas.* 4. *Satietas inter theſaurum cœleſtem & terrenum diſcrimen eſt.*

2. *De Empyreo loco Electorum.* 4. *Conſideranda.* 1. *eſt clariſſimus* 2. *Temperatiſſimus* 3. *Securus ac æternus.* 4. *Delitioſiſſimus.*

3. *Circa ciues cœli ſimiliter* 4 1. *ſine numero tamen noti inter ſe* 2. *glorioſiſſimæ qualitatis ſunt.* 3. *Admirabilis ordinis & varietatis.* 4. *Vnionis & concordiæ perpetuæ.*

MEDITATIO LII.

De eſſentiali Gloria Animæ, & corporis &c. 309

Punct. 1. *Bonum animæ quaſi Deificatæ ex ſuis potentijs, Memoria, Intellectu, & voluntate eſt, quæ ſumma gloriæ ſatietas; Mentalis oratio figura gloriæ cœleſtis.*

2. *Dotes corporis glorificati* 4. 1. *Claritas* 2. *Impatibilitas immortalis* 3. *Agilitas* 4. *Subtilitas.*

3. *Gloria & delectatio* 5. *Senſuum, Viſus, Auditus, Odoratus, Guſtatus, & Tactus ſumma erit, & voluptatibus replebuntur ſinguli.*

MEDITATIO LIII.

De Gloria cœleſti, quæ præmia complectitur &c. 318

Punct. 1. *Cœleſtis gloria præmia magna & varia per ſex ſubſequentia puncta, Eccleſia triumphans eſt Regina.*

2. *Eſt poſſeſſio terræ vallis deliciarum.*

3 *Eſt conſolatio lugentium.*

4. *Eſt ſumma Saturitas ſitientium Iuſtitiam.*

5. *Eſt plenitudo miſericordiæ.*

6. *Eſt viſio Dei. Cuius Tres dotes.* 1. *gloriæ lumen* 2. *Comprehenſio.* 3. *Fruitio.*

7. *Eſt adeptio filiorum Dei.*

MEDITATIO LIV.

De Gloria cœleſti, &c. 321

Punct. 1. *Alia ſeptem genera præmiorum cœleſtis gloriæ* 1. *eſt feruor ijs perſeuerantibus*

Digitized by Google

tibus promiſſus. arbor vitæ Deus eſt. Paradiſus vbi conſita arbor Empyreum eſt.

2. Corona vitæ promiſſio; circa quod tria notantur 1. quod peccatores in 1. & 2. mortem incidunt. 2. Si fuerint victores, euadunt. 3. etiam in die iudicij liberantur.

3. Eſt Manna abſconditum quod eminenter omne delectamentum ſaporis continet Eſt calculus candidus qui eſt teſtimonium certiſſimæ beatitudinis, eſt nomen nouum quod eſt nomen hæredis regni Dei.

4. Eſt poteſtas ſuper gentes iuſtis, in oppreſſione perſeuerantibus promiſſa, qui & ſtellæ cum ſtella matutina, quæ eſt Deus, ſunt.

5. Eſt veſtitus albus qui eſt 1. Gratia 2. inſcriptio in librum vitæ 3. Confeſſio Chriſti eorum coram patre cœleſti, idque maxime in die iudicij.

6. Eſt ipſa cœleſtis gloria conſtantibus in bono accepto oblata.

7. Eſt ſumma Affinitas cum Chriſto in throno ſuo.

FINIS INDICIS.

Digitized by Google

R. P.
LVDOVICI DE PONTE
SOCIETATIS IESV.
MEDITATIONVM
CIRCA MYSTERIA PASSIONIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI,
PARS QVARTA.

INTRODVCTIO ORATIONIS MENTALIS circa Paſsionem Domini Noſtri Ieſu Chriſti.

QVAMVIS *Meditationes myſteriorum Paſsionis Domini noſtri Ieſu Chriſti pertineant (iuxta ea, quæ in* Introductione huius libri *diximus) ad viam* Illuminatiuam; *ac præcipuè ad ſupremam eius partem, quæ via* vnitiuæ *contigua eſt, ſunt nihilominus valde vtiles cuicunque hominum generi, & quamcunque illi viam ambulent, & in quocunque perfectionis gradu verſentur. Nam* peccatores *inuenient in eis efficaciſsima motiua, ad ſe purgandum à peccatis;* Tyrones, *ad ſuas Paſsiones mortificandas;* proficientes, *ad creſcendum in omni genere virtutum; &* Perfecti *denique ad conſequendum ardenti amore vnitionem cum Deo. Quamobrem ait* Sanctus Bernardus, *Paſsionem Chriſti Domini, vſque in hanc diem facere; vt terra tremat, lapides confringantur, & aperiantur ſepulcra; atque velum templi medium, à ſummo vſque deorſum ſcindatur: nam qui ea meditantur,* a *ſi* terra *ſunt, ob culpam & affectionem ad res terrenas,* tremunt, *ſancto Dei, & ſeuera eius in filium ſuum iuſtitiæ timore commoti; & ad inordinatos illos affectus*

Vtilitas meditationis Paſsionis Dominicæ.

S. Bonauen. in ſtimulo Diuini amoris c.1. Sermone in feria 4 Maij hebdom.

a *Matt.* 27. 52.

Ex Paſsione etiamnum terra tremit,

deſerendos excitantur; ſi petræ *ſunt ob duritiem cordis, emolleſcunt &* confringuntur, *ob magnitudinem doloris; quem tum de ſuis peccatis, tum ob pœnas, quas Chriſtus pro illis ſuſcepit, concipiunt; ſi ſunt* ſepulcra *clauſa, ob pudorem manifeſtandi ſuas culpas,* aperiuntur *confeſſione, vt mortem à ſe repellentes, ad nouam vitam reſurgant: Omnibus denique* ſcinditur velum, *quod diuidebat inter Deũ & nos, vt poſsimus iuxta Apoſtoli ſententiam, b* reuelata facie gloriam Domini *& abyſſum cæleſtium eius ſecretorum* ſpeculari. *Nec abſque cauſa, diuiſum eſt velum à ſummo vſque deorſum; ſed vt ſignificaretur, per Chriſtum crucifixum licere nobis contemplari altitudinẽ Diuinitatis, & excelſas eius perfectiones, ac profunditatem humanitatis, & clariſsimarum eius virtutum.* PECCATORES *itaque, qui c* herinaceorum *inſtar, culpis ſuis, tanquam ſpinis, ſunt contecti, ingreſſum inuenient &* refugium *in diuina huius* petræ *foraminibus; & dolenter in eis meditantes, expedientur à ſuis ſpinis.* PVRIORES *verò & ſimpliciores, ſicut d* columbæ, *altius* volare *poterunt, & nidos ſuos habitationesq; e* in foraminibus *huius* petræ, & in cauerna *huius* maceriæ, *collocare; vt puriores adhuc & pulchriores euadant.*

PERFECTI *denique, qui inſtar f* ceruorum, excelſos *conſcendunt* montes, *Chriſtum à terra exaltatum meditantes, magnâ vi trahentur, vt g* conuerſationem ſuam *habeant* in cœlis. *Et omnes denique (vt ait Bernard.) h* ſugere poterunt mel de petra *hac*, oleumq́ue de ſaxo *hoc* duriſsimo, *quod etſi ad ferendas iniurias fuit durum, & ad ſuſtinenda flagella durius, ac denique ad tolerandos cruciatus crucis, fuit duriſsimum; nobis tamen factus eſt fons olei & mellis, ſanando vulnera noſtra, emolliendo duritiem, confortando debilitatem, & animabus noſtris indulgendo ſuauitate Diuinarum ſuarum conſolationum. Hanc ob cauſam meritò dicebat* Albertus magnus, *ſimplicem paſsionis Chriſti memoriã & Meditationẽ plus Vtilitatis homini adferre, quã ſi anno integro in pane & aqua ieiunaret, ac flagellis ſe quotidie vſq; ad ſanguinem cæderet, & Pſalterium totum quotidie recitaret: hæc enim exercitia, etſi bona ſint & valdè vtilia, quia tamen ſunt opera externa, ſi ita nudè exerceantur, non habent tantam vim, ad purificãdum cor à ſuis vitiis, illudq; veritatibus ac virtutibus illuſtrandum, & inflammatis Diuini amoris affectibus perficiendum; atque attenta & profunda Chriſti Domini noſtri Paſsionis Meditatio, quæ omnia hæc efficit, additq; etiam ſpiritum & vitam pœnitentiis ipſis & operibus externis, permouendo efficaciter ad feruentem eorundem exercitationem.*

etræ ſcinduntur.
epulchra periuntur
2. Cor. 3. 18.
elum ſcinditur.
c Pſal 103.18
d Pſal. 54.7
e Can. 2. 14.
f Pſal. 103. 18.
g Phil. 3.20.
h Deut. 32. 13.
Serm. 2. de Pentecoſt.
Alberti magni dictum explicatur & illuſtratur

DE SCOPO IN MEDITATIONE *Paſsionis præfigendo.*

§. 1.

EX præmiſſo fundamento clarè conſtat, quod ſicuti ſunt diuerſi qui paſsionem Chriſti meditantur, ita fines particulares, quos in ea meditanda ſibi præfigunt, debere eſſe diuerſos: vt vnuſquiſque eum affectum, & ſpiritualem fructum procuret, qui animæ ipſius ſtatui & vitæ, quam ambulat, ſit conformior; ad purgandum videlicet ſe à culpis, & inordinatis affectionibus, aut ad ſeipſum heroicis virtutibus exornandum; aut denique ad ſe Deo feruentioribus charitatis affectibus coniungendum; adhibito tanquam medio ad hæc omnia, affectu compaſsionis, qui viam ad reliqua omnia ſternit.

PRAEMITTENDVM eſt autem Chriſti Domini noſtri paſsionem (teſte *S. Laurentio Iuſtiniano*) tum gaudij, tum mœroris incentiuum eſſe poſſe, quia poteſt bifariam conſiderari. PRIMVM, quatenus ſummum eſt Dei BENEFICIVM, *in quo diuinæ miſerationis reſeratur abyſſus, cælorum aperitur ianua, charitatis latitudo oſtenditur, & quantus ſit homo, apertiſsimè demonſtratur: vile enim eſſe non poteſt, quod filij Dei Sanguine comparatur.* Hoc modo PASSIONIS Meditatio, ad gaudij & lætitiæ affectus permouet, ſicut a *Abraham exultauit & gauiſus eſt*, quando in b *Sacrificio arietis*, quem *offerebat* loco filij ſui Iſaac *vidit* in figura *diem* & mortem IESV Chriſti, animo exultans, propter ingentia bona, quæ toti mundo ex ea erant prouentura: & idem ipſe CHRISTVS Dominus hac ipſa de cauſa gaudebat memoriâ ſuæ paſsionis, appellans (c vt eſt in Cantic.) hunc diem, *in quo coronauit eum mater ſua*, Synagoga, *diademate*, & corona ſpinarum: *diem deſponſationis ſuæ & lætitiæ cordis ſui*: ideoque ingreſſus eſt Hieroſolymã magnis exultationis ſignis, vt hanc coronam acciperet, & deſponſationem cum Eccleſia in crucis thalamo celebraret. Modus hic Meditationis, eorum eſt maximè proprius, qui in via VNITIVA verſantur; & paſsionem ipſam, tanquam vnum, ex diuinis beneficijs conſiderant, de quibus in 6. parte agitur.

Lib. de Triumphali agone Chriſti c. 20.

I. Paſsio Chriſti Domini quomodo gaudium pariat.

a *Ioan. 8. 56 Chryſoſt. homil. 84. in Ioan.*

b *Gen. 22. 13*

c *Cant. 3. 11.*

ALTERA ratio meditandi *paſsionem*, de qua nunc præcipuè agimus, eſt; quatenus illa *amara* fuit; doloreſq; & cruciatus Chriſto attulit; & cuius noſtra peccata cauſa fuerunt: ac denique qua fuit exemplar omnium virtutum, earum præcipuè quæ in mediis laboribus reſplendent: hac enim ratione excitat in nobis mærorem & compaſsionem Chriſti pro nobis tanta patientis, & ipſe Chriſtus eiuſdem memoria triſtabatur; ideoque par eſt nos etiam cum ipſo contriſtari, ne de nobis dicat illud Pſalm:

II. Quomodo amaritudinem & cõpaſsionem

d Pſal.68. 21. d *ſuſtinui* & reſpexi an eſſet, *qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur; & non inueni.*

Vt verò intelligatur, qualis hæc debeat eſſe *compaſſio*, & in quos fines dirigi; moneo, quod Chriſtus Dominus duobus modis biberit amarũ ſuæ paſsionis calicem: *alter* fuit in corpore, manibus miniſtrorum & carnificũ cum fuit ab eis comprehenſus, flagellatus, ſpinis coronatus, crucique affixus: *alter* fuit in ſpiritu, memoriâ videlicet & imaginariâ eorundem laborum, & cauſæ illorum apprehenſione, quæ fuerunt noſtra peccata: & vtriuſque meminit ipſe Chriſtus, cùm loqueretur filiis Zebedæi, vt ſuo loco eſt dictum: nam S. Matthæus refert, dixiſſe illis, e *poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* loquitur enim de potu corporalis calicis, quẽ erat poſtea bibiturus; & S. Marcus addit, Chriſtum dixiſſe, f *poteſtis bibere calicem quem ego bibo, aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* vbi etiam ſpiritualem potum declarat, quem quotidie ſumebat: quamuis maiori acerbitate, illum hauſerit, in horto Gethſemani, vbi interno ſenſu fuit ſpiritualiter flagellatus, ſpinis coronatus, & cruci affixus. In vtroque autem modo bibendi calicem, eluxerunt excellentiſsimæ virtutes, vt in decurſu apparebit.

e Matt. 20. 22.

f Mar. 10. 38.

I. Scopus compaſsionis in ſpiritu.

Ex his intelligemus, ad quos fines reſpicere debeamus in his meditationibus, & quos fructus ac vtilitates ex eis elicere: quæ eò tendunt, vt nos coniungant, transforment, & conformes faciant Chriſto afflicto & cruciato, vtroque prædicto modo: vt & nos modo noſtro etiam bibamus vtroque illo modo calicem paſsionis eius.

g Phil. 2. 5.

Primò, procurando in ipſa meditatione g *ſentire* (vt ait Apoſtolus) *in nobis quod Chriſtus IESVS* ſenſit; affectibus compaſsionis, *doloris & mœroris*, vt ita transformemur in ipſum Chriſtum mœrentem & afflictũ pro nobis, & ſpiritualiter eidem crucifigamur: ſicut virgo ſanctiſsima, filij ſui dolores ſentiens eius cruci fuit concrucifixa iuxta illud quod ei prædixerat Simeon, quod h *eius animam pertranſiret gladius*, non corporis, ſed ſpiritus, compaſsionis videlicet ac doloris. Modus hic ſentiendi Chriſti Domini paſsionem, eſt ſpeciale donum eiuſdem Domini, qui aperit oculos, quibus ipſius dolores, & pœnæ perſpiciantur, & defleantur. Id enim per Prophetam, ſe facturum prædixit, i *Effundam*, inquit, *ſuper domũ Dauid, & ſuper habitatores Ieruſalem, ſpiritum gratiæ & precum, & aſpicient ad me, quem confixerunt; & plangent eum planctu quaſi ſuper vnigenitum, & dolebunt ſuper eum, vt dolere ſolet in morte primogeniti*: quæ Prophetia, quamuis de alia viſione & alio planctu, qui erit Iudæorum (qui credere noluerunt) in die Iudicij ſoleat interpretari; poteſt nihilominus de iis intelligi, qui accipiunt à Deo ſpiritum orationis, in cuius virtute, oculis viuæ fidei reſpiciunt eum k *quem crucifixerunt, &c.* eius mortem

h Luc. 2. 35. Compaſsio ſpiritualis eſt ſpeciale Donũ Dei.

i Zach. 12. 10. Ioan. 19. 37.

k Heb. 6. 6.

amarè

amarè flentes Hinc apparet, quam inordinatè accedant aliqui ad meditandam Chriſti Paſsionem, deſiderantes lachrymas & teneritates, propriæ præcipuè conſolationis & guſtus intuitu, qui etſi videatur ſpiritualis, eſt tamen (vt ait *S. Bonauentura*) amoris proprij, & valdè inordinati: inſignis enim eſt inordinatio, ſuauitatem & dulcedinem in Chriſti pœnis & doloribus; & conſolationes, dum eius deſolationes meditantur, quærere: non enim illæ ſunt meditandæ, niſi vt ſentiantur, & earum participes efficiamur: tanta nihilominus eiuſdem Domini bonitas, vt hoc ipſum, quòd eius deſolationem ſentimus, in noſtram nec paruam conſolationem cedat. In ſtimulo diuini amoris c. 1. ad finem.

SECVNDVS finis, quem oportet in his meditationibus nobis proponere, eſt, ipſum paſsionis *calicem*, corpore etiam bibere, ipſi Chriſto in ipſa paſsione nos conformantes; magnum ex ipſa meditatione animum & fortitudinem, & efficaciſsima ad id præſtandum, propoſita haurientes; ſpontè noſtra aliqua ſumentes, quæ pœnam ſecum adferunt, qualia ſunt ieiunia, diſciplinæ, & ſimiles ſpontaneæ mortificationes; aut patienter & cum gaudio ea ſuſtinentes, quæ Deus nobis miſerit, aut euenire permiſerit; credentes: (*vt ait Apoſtolus*) etiam eſſe l *donum Dei*, hoc modo *pro Chriſto pati*, ſicut eidem compati: ideoque dum Chriſti paſsionem meditamur, conandum eſt, ad imitationem eiuſdem Apoſtoli, m *ſemper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferre*, & eiuſdem n *Chriſti Domini ſtigmata*, vulnera ſcilicet & pœnas, quæ carnem noſtram affligant, ſicut eius carnem afflixerunt: ita vt quiſque dicere poſsit, vtroque modo o *Chriſto crucifixus ſum cruci*, tam ſcilicet compaſsione quàm ipſa in patiendo pro ipſo imitatione, ſicut ipſe pro me paſſus eſt.

II. Compaſsio in corpore.

l Phil. 1. 29. m 2. Cor. 4. 10. n Gal. 6. 17. o Gal. 2. 19.

HINC ſequitur TERTIVS principalis harum meditationum finis, qui eſt conformatio cum ipſo Chriſto, in *virtutibus* heroicis, quas ipſe exercuit, bibens ſuum calicem, tam ſpiritu quàm corpore; amore videlicet Dei & hominum, zelo ſalutis animarum, puritate intentionis, affectu obedientiæ, humilitatis, patientiæ, & paupertatis; & externis harum & aliarum virtutum operibus, & nominatim contemptu rerum terrenarum, & mortificatione affectionum, quæ in eis procurandis aut retinendis ineſſe ſolent, ita vt iuxta S. Petri ſententiam p *Chriſto paſſo in carne, & nos eadem cogitatione armentur*, & in omnibus ei ſimiles euadamus, cuius paſsionis meditatio ſit nobis armorum inſtar fortium, & elegantium, quæ nos totos à capite ad pedes cooperiant & arment, reddantque tremendos ipſis dæmonibus, carni terribiles, mundo admirandos, Angelis gratos, Deo denique amabiles.

III. Imitatio virtutum Chriſti.

p 1. Pet. 4. 1.

Digitized by Google

DE DISPOSITIONIBVS AD PASſionem meditandam procurandis. §. 2.

VT prædictos fines, quos meditatione paſsionis quærimus, obtineamus, neceſſe eſt, quã poſsimus optimè ad eã nos præparare. Etſi enim (ipſo Spiritu ſancto autore)
a Eccl. 18.23 a *ante omnem orationem, præparanda ſit anima; ne, qui orat, videatur eſſe quaſi homo, qui tentat Deum*, & portionem ſuam abſque vlla præparatione de cœlo expectare, præcipuè tamen id refert plurimum, ad eam orationem & meditationem, quæ pro argumento habet ipſius Chriſti dolores & pœnas, ad quas ipſe magno amore ſe præparauit: vultque eas magno feruore cogitari & meditari.

b Thren. 3. 19.20. POSSVM itaque exiſtimare, ipſum Chriſtum mihi dicere illud Ieremiæ: b *recordare paupertatis & tranſgreſsionis*, ſiue laboris mei, *& abſynthij & fellis:* me verò eidem reſpondere *memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea, hoc recolens in corde meo: ideò ſperabo*. Quaſi dicat, omninò in particulari & magno feruore de tuis laboribus & afflictionibus recordabor, adeò eas tenerè in me ſentiens, vt præ mærore & dolore tabeſcat anima mea: nec ſatis mihi eſſe exiſtimabo, ſemel omnes tuos dolores meminiſſe, ſed repetã ſæpè magna attentione & affectu, magnam ex eis fiduciam hauriens. *Diſpoſitiones* aptas ad meditandum cum fructu hæc myſteria, aperuit
In ſtimulo diuini amoris c. 4. breuiter S. Bonauent. dicens: *debet homo aggredi hoc tam nobile opus humiliter, confidenter, inſtanter, & cum quanta poteſt cordis ſui munditia:* In qua ſententia quatuor præcipuas indicat virtutes, quæ optimè animam diſponunt ad ea dona & gratias accipiendas, quas Deus iis communicare conſueuit, qui ſe in his meditationibus exercent.

1. Diſpoſitio cordis humilitas. PRIMA virtus eſt *cordis humilitas*; vt meditationẽ auſpicemur, cum pudore & confuſione noſtrorũ peccatorum, non ob illam generalẽ cauſam, quod c *iuſtus initio ſuæ orationis accuſator ſit ſui*, ſed nominatim, quod ſuis peccatis cauſa fuerit tot cruciatuũ Chriſti, quẽ reſpicit, & contẽplatur. Atq;
c Prou. 18. 17 iuxta LXX. ſi parens quiſpiam vinctus & ferreis onuſtus in carcere compedibus & catenis, inter latrones detineretur graues tolerãs dolores & ignominias, nõ ob ſua, ſed filij peccata; ſi filius ille, vt parentẽ viſitaret, carcerem ingrederetur humili proculdubio pudore, & ſui confuſione ſuffunderetur, vt
Simile. qui ſciret, ſe illorum parentis cruciatuum cauſam extitiſſe. Ex hac humilitate prouenit, vt quis lugubri ſe habitu tegat, externa ſcilicet humilitate, in veſtitu & reliquo corporis habitu, tũc præcipuè, cùm memoria paſſionis celebratur, aut ex inſtituto, meditationes de ea habentur. Nam qui

afflictum velit viſitare, non ſe debet induere veſtibus feſtiuis, ſed planctus, ei, qui eſt in tribulatione, conſentaneis, ſicut fecerunt amici Iob, cùm *ſedentem in ſterquilinio & ſaniem teſta radentem viſitarunt, vt conſolarentur: ſciſſis enim veſtibus, ſparſerunt etiam puluerem ſuper caput ſuum, & nec verbum loquebantur ei, videntes, dolorem eius eſſe vehementem.* Ad ipſam humilitatem cùm eſt perfectiſsima pertinet, ſeipſum indignum iudicare, qui his ſanctiſsimis myſteriis aſsiſtat, & aliquo eorum ſenſu tangatur, ſibi perſuadẽs, id ex ſingulari Dei fauore ad eius amicos & dilectos pertinere. Qualis fuit, tribus illis Apoſtolis communicaſſe animæ ſuæ triſtitiam in horto, cùm dixit: e *triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, ac voluiſſe, f *matrem ſuam, ſanctum Ioannem, & Sanctam Mariam Magdalenam* in monte Caluariæ, cùm ipſe in cruce penderet, iuxta eam ſtare. Huiuſmodi enim gratia, nonniſi inſigniter humilibus datur: ſuperbi enim, vt eſt apud Iob, g *timebunt, & non audebunt contemplari omnes, qui ſibi videntur eſſe ſapientes*; hoc eſt, huiuſmodi ſapientibus non concedi, Deum contẽplari ſecundum magnitudinem diuinitatis eius, nec talem eos habere ſpiritum, vt vel ſecundum eius humanitatis vilitatem, eundem contemplentur.

d *Iob*. 2. 8. 12
e *Mat*. 26. 36
f *Ioan*. 19. 25
g *Iob*. 37. 24
S. Greg. 22. *Moral. c*. 27.

II. Fiducia de miſericordia Dei.

SECVNDA virtus ſiue diſpoſitio ad has meditationes, eſt *magna fiducia* de Chriſti Domini noſtri miſericordia; qui cũ dignatus fuerit, tanta pro nobis pati dignabitur etiã nobis concedere, vt ipſi ita compatiamur, vt ex meditatione dolorum & cruciatuum ipſius, eum fructum hauriamus, in quem illi dirigebantur. Quare humilitatem huic fiduciæ coniungens, hanc gratiam petam, tres ad id prætextus, ſiue cauſas præcipuas adferens.

Fiduciæ motiua.

1. PRIMA eſt, ipſamet *paſsio*, quam ipſe ſuſtinet.

2. SECVNDA ipſiuſmet *compaſsio*, qua peccatorum vicem grauiſsimè dolens, ſeque eorum faciens aduocatum, pro ijſdem orauit, vt paſsionis ſuæ fructus capaces illi & participes fierent.

3. TERTIA eſt *liberalitas* illa, qua tunc vſus eſt erga vnum ex magnis peccatoribus, *latronem* videlicet, qui humiliter & confidenter ab ipſo in cruce pendente petiit, dicens, h *memento mei, cum veneris in regnum tuum*, & multò plus obtinuit, quam petebat, vt ſuo loco dicetur: Sed ego (ait S. Laurentius Iuſtinianus) poſtquam me peccatorem, ſicut latro ille confeſſus fuero, loquar ad Dominum meum in cruce pendentem, ac humiliter & confidenter dicam, Domine memento mei, non ſolùm vt perueniam ad regnum tuum, ſed vt doloribus compatiar tuis, tuæque communicem paſsioni; ſcio enim quod i *ſi tibi compatiar*, etiam *conglorificabor*, & k *ſi ſuſtinuero, etiam conregnabo.* His de cauſis dilatanda eſt confidentia noſtra in Chriſtum, quæ (Sancto Bernardo teſte) quò latior eſt, eò nos reddit capaciores diuinorum donorum, euacuato vaſe cordis noſtri per humilitatem à ſeipſo, quò poſsit illis repleri.

h *Luc*. 23. 42.
Serm. de paſsion.
Oratio ad Chriſtum in cruore
i *ad Ro*. 8. 17
k 2. *Tim*. 2. 12.
Serm. 32. *in Cant.*

TER-

III. Ingens feruor.

TERTIA diſpoſitio eſt *magnus feruor* ac diligentia circa hoc opus orationis; eſſet enim magnus pudor, tepidè de iis cogitare, quæ ipſe Chriſtus tanto feruore pertulit. Feruor hic in eo apparebit, ſi meditatio ipſa, *attenta* valdè, *profunda* fuerit, ac *deuota* excutiendo ex memoria quidem omnes diuagationes; ex intellectu autem torporem in ratiocinando, vt ad profunditatem horum myſteriorum perueniat; ex voluntate denique relaxationem, & frigiditatem in affectibus; conando vt illi ſint feruentes ſicut fuerunt ipſius Chriſti, & certo quodam ac generoſo animi decreto ſtatuendo ipſum comitari, non dormiendo, ſicut tres illi Apoſtoli in horto, ſed vigilando, ſicut ipſe vigilabat, & orando, illa agonia, inſtantia, & perſeuerantia, qua ipſe orabat: & horas aliquot in hoc expendendo ſicut ipſe expendit.

IV. Cordis munditia.

QVARTA diſpoſitio eſt *cordis munditia*, procurando illud àb omni culpa purgare: atque ita mundum conſeruare, vt mundus accedens ad orationem, magnam in ea fiduciam habeam àbſque remorſu conſcientiæ, apteque ſim diſpoſitus, ad recipienda DEI dona, & pretioſi eius ſanguinis fructus. Nemo. n. prudens, pretioſum aliquē liquorē, in ſordidum vas infundet. Quare (vt Sanctus Bernardus hortatur) ſiquidem benedictio adeò eſt copioſa, præparare ad eam recipiendam oportet vaſa munda, mentes deuotas, ſpiritus vigilantes, affectus benè gubernatos, & puras conſcientias, in quas effundantur tot gratiæ, atque ſunt illæ, quæ hic communicantur.

Serm. feria 4. hebdom. pœnoſa.

HAE ſunt diſpoſitiones, quas habere oportet, hæc myſteria meditaturum: cui tamen illæ deſunt, non propterea meditationem negligat; nam ipſamet accendet earum deſiderium, ſicut etiam alias virtutes excitat, vt mox videbimus.

DE VARIIS MODIS PASSIONEM Chriſti meditandi. §.3.

VT tædium vitetur, quò tepiditas noſtra facilè afficeretur, ſi vno ſemper modo eandem rem meditaremur, expedit ſcire varios modos Chriſti paſſionem meditandi, præter duos illos prædictos, quib. diximus poſſe nos eam meditari, tanquam noſtrum ſcilicet beneficium, & tanquam ipſi Chriſto pœnalem: ſunt enim alij duo præcipui, ad quos reliqui referuntur, ſicut ſolet in conuiuijs duobus modis menſæ miniſtrari; primus eſt, cùm ſingula fercula ita ſeorſim apponuntur, vt poſtquam vnum fuerit expeditum, ſuccedat alte-

Simile.

Digitized by Google

rum; ſecundus eſt, cùm plura ſimul fercula apponuntur, vt iuxta palatum aut neceſsitatem comedentis, ex ſingulis aliquid delibet; ſic inquam in ſpirituali horum myſteriorum paſsionis Chriſti conuiuio, duo ſunt modi eadem ſpiritualiter comedendi.

PRIMVS, iſque ordinariè magis vſurpatus eſt, ſingula *myſteria* ſeorſim meditari, perpendendo, quod in eis conſideratione eſt dignum, ſequendo ipſius hiſtoriæ ordinem, & præcipuè oculos coniiciendo in quatuor illa, quæ indicauimus *in 2. partis Introduct.* PERSONAS videlicet, quæ in vnoquoq; myſterio interueniunt, tam CHRISTI Domini, quã eius ſanctiſsimæ MATRIS ac *diſcipulorum*, immò etiam *hoſtium* & perſecutorum ipſius Chriſti, attendentes ſingularum qualitates & conditiones; audientes VERBA earum; ac denique OPERA, quæ fiunt, attendentes: diſcentes ex his, quæ Chriſtus Dominus loquitur & facit, quod nobis eſt vtile; fugientes verò mala, quæ hoſtes eius dicunt & faciunt; ac denique aſpicientes quæ Chriſtus Dominus patitur; & attendentes, qua ratione diuinitas ſe ſe quodammodo abſconderit, nec ſuos hoſtes diſsipauerit; ſed permiſerit, vt humanitatem ſanctiſsimam cruciarent: ex quo intelligam, quid par ſit me facere ac pati pro eo, qui tanta pro me fecit ac paſſus eſt; inſerens hoc nomine cum ipſo Deo Domino noſtro colloquia, ea ratione, quæ mox ſubiicietur. I. Conſideratio vniuſcuiuſque myſterii. P. noſter Ignatius in 1. exercit. hebdom. 3. Iique in Perſonis, in verbis in operibus.

ALTER modus hæc myſteria meditandi eſt cum omnibus in memoria retentis, pro argumento meditationis, *dolor* aliquis particularis, aut nominatim aliqua *virtus Chriſti* Domini accipitur, vt perpendamus, quid circa illã in omnibus ipſius paſsionis partibus contineatur. Exempli cauſa, ſi meditari velim de Chriſti Domini noſtri *humilitate*, ratiocinabor & perpendam eiuſdem virtutis actus, quos in totius paſsionis decurſu edidit: *primò* cum Apoſtolorum pedes lauit; *deinde* cùm comprehenſus, etiam pedibus ſuorum hoſtium, ob contemptum *calcabatur*, ſicque pergam vſque ad eos actus, quos in cruce ipſa exercuit: &, ſi velim eandem virtutem etiam ad ea, quæ ante paſsionem fecit, referre, licebit ab iis actibus humilitatis incipere, quos tempore ſuæ natiuitatis, infantiæ, & prædicationis edidit, eliciendo ex his omnibus, magna ad eam virtutem plenè exercendam incentiua: nam in ſingulis myſteriis reſplendet aliquid ſpeciale, quod pertinet ad eius perfectionem. Eodem verò modo licebit meditari *obedientiam*, aut *charitatem*, aut *patientiam* ipſius Saluatoris. Et eodem modo accipi poteſt pro materia meditationis peculiare aliquod genus *doloris*, *cruciatus*, aut *ignominiæ* eius, ratiocinando per eiuſdem paſsionis myſteria; & perpendendo, quod in eis ſolùm pertinet ad eundem dolorem aut ignominiã, exempli cauſa, ſi meditemur, quoties fuerit ignominioſè *denudatus*: aut quoties ſuum pretioſum *ſanguinem* effuderit, ad quæ loca, II. Conſideratio ſpecialis alicuius doloris aut virtutis Chriſti. Materia meditandi

Digitized by Google

tanquam ad ſtationes quaſdam, fuerit deductus: quas *ignominias*, ob aliquam virtutem aut manifeſtatam ſapientiam, pertulerit: & in horum ſingulis, conando compaſsionem eiuſdem Saluatoris ſentire, meque ipſum ad aliquid pro ipſo, in eo doloris genere perferendũ, excitare. Aliàs poſſum accipere meditationis materiam ſpecialem dolorem, quem ſenſit Chriſtus in aliquibus ſuis *membris*, ſiue *ſenſibus*, v.g. dolorem *manuum*, cùm ligarentur illi, dum fuit comprehenſus: deinde ad Columnam, & denique cum fuerunt cruci affixæ, & idem erit de ſimilibus.

III. Applicatio ſenſuũ inferiorum ad ſingula myſteria.

AD hos duos modos meditandi paſsionem accedere poteſt TERTIVS, qui fit per applicationem ſenſuum animæ internorum ad ſingula myſteria ad eam formam, quam *ſecundæ part. med.* 26. poſuimus, per modum cõtemplationis, & abſque multis ratiocinationibus. PRIMVM, oculis animæ

1. Viſus.

aſpiciendo externã Chriſti Domini *figuram* omnes ad compaſsionem permouentem: & ſimul interiorem eius animæ figuram, ex vna parte adeò pulchram; ex altera adeò afflictam & admirabor dolens, quod qui a *ſplendor eſt gloriæ patris & figura ſubſtantiæ eius*, ſit ob mea peccata ita deformatus.

a Heb. 1.3.

2. Auditus.

DEINDE, audiendo internè blanda illa & amore pleniſsima huius Domini verba, clamores item duros adeò & furioſos eius inimicorum contra ipſum, ſtrepitum colaphorum, flagellorum ictus, & malleorum: vt ſentiam in corde meo, quod Chriſtus ſenſerit in ſuo.

3. Odoratus.

TERTIÒ, interno odoratu percipiendo tam fœtorem peccatorum, quæ mortem ſummo huic ſacerdoti attulerunt; quàm ſacrificij ſuauitatem, quod ipſe pro illis obtulit; & virtutum, quas exercuit ipſe, in hac adeò pœnali ſua paſsione; ſimulque perpendam, qua ratione æterni Patris ira fuerit huiuſmodi ſacrificio placata, qui in huius reconciliationis ſignum, non iam b *arcum ſuum in nubibus*, ſed proprium filium, arcûs inſtar in cruce extenſum poſuit pluẽtem ſanguinem, *in ſignum fœderis inter ſe & terram*.

b Gen. 9.13.

4. Guſtus.

QVARTÒ, guſtando etiam amaritudinem & fel illud Chriſti Domini, & acerbitatem & mœrorem, ex eis perſentiendo, atq; ſi corpore illa deguſtarem; guſtando item dulcedinem illius amoris, quo omnia illa tolerabat, & quam Deus iis confert, qui aliquid amoris ipſius intuitu perpetiuntur, & vehementer admirabor, in tanta amaritudine, tantam ineſſe amoris dulcedinem.

5. Tactus

QVINTÒ demùm, interno animæ tactu contingã horrenda illa paſsionis Chriſti inſtrumenta, rigorem & aſperitatem funium, flagellorum, ſpinarum, crucis & clauorum, ſentiens ſpiritu, quod ipſe Dominus in corpore ſenſit, & affectus eliciens, qui ex huiuſmodi ſenſibus ſolent prouenire. Praxis huius orandi modi ponetur in myſteriis *horti*; praxis verò aliorum duorum modorum, apparebit in *proxima meditatione*, quæ præambulum quoddam & velut fundamentum eſt cæterarum.

Digitized by Google

MEDITATIO I.

ET QVASI FVNDAMENTVM PASSIONIS Chriſti Domini, in qua ponitur ſumma quædam ſiue compendium eorum, quæ in ſingulis Myſteriis meditationi ſubiiciuntur.

QVICQVID *in ſingulis paſſionis Chriſti myſteriis eſt perpendendum, ad ſex ſeptemue puncta præcipuè referri poteſt: ad* perſonam *ſcilicet, quæ patitur hos cruciatus:* quot illi, *&* quàm graues *fuerint: à quibus perſonis illos ſit paſſa; pro quibus; quam ob cauſam: quo amore & affectu; & virtutes, quas, dum illos ſuſtinuit, exercuit; quos etiam dolores beatiſſima eius mater ſimul patiebatur. quæ omnia in hac meditatione generatim tantum attingentur, vt poßint poſtea, ad ſingula myſteria ſigillatim applicari.*

PVNCTVM I.

De perſona, quæ patitur.

IN ipſa Chriſti Domini noſtri perſona, quæ tot ſuſtinet cruciatus, tria præcipuè conſiderari poſſunt; quæ efficacius mouent affectus compaſſionis, gratitudinis, amoris & imitationis.

PRIMVM eſt *innocentia & ſanctitas* huius Domini: adeò enim fuit innocens, vt nullam prorſus peccati maculam contraxerit; adeò ſanctus vt in omni genere ſanctitatis plenus fuerit omnibus gratiis & virtutibus; ſapientiſsimus & prudentiſsimus, a *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi:* & b diuinus eius *ſpiritus abſque menſura:* ex quo apparet, quicquid perpeſſus eſt, id abſque vlla ipſius culpa fuiſſe, quamuis eius inimici, eam illi affingerent; & tanquam reum cruciarent. Quomodo ergo non dolebo, videns talem Dominum adeò innocentem, adeò ſapientem & ſanctum, talia pati? Si centurio ille ac alij plurimi, qui in monte Caluario præſentes fuerunt, percutiebant præ dolore *pectora ſua*, cùm viderent eum pati, quem iuſtum iudicabant: cur ego non percutio meũ, cernens pati, non quemuis iuſtum, ſed iuſtorum omnium ſupremum, & nulla ab ipſo data occaſione, cur tanta illi inferrentur? O cor meum petrarum omnium duriſsimum, cur non præ dolore medium confringeris, ſiquidem illæ ſciſſæ ſunt & comminutæ, cùm paſſa eſt petra hæc viua, fons omnis gratiæ, & omnis ſanctitatis exemplar?

I. Conſideratio eſt, Perſonæ Innocentia & Sanctitas.
a Col. 2. 3.
b Ioan. 3. 24

Oratio

II. Omnipotentia & liberalitas. c *Act.* 10.38

DEINDE conſiderabo *omnipotentiam*, & *liberalitatem* huius Domini, in benefaciendo omnibus; & dum omnium eſt vniuerſalis benefactor, totam enim vitam ſuam expendit, vt ait S. Petrus, c *benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo*; cæcos illuminabat, mundabat leproſos, ægrotos ſanitati reſtituebat, mortuos ſuſcitabat: & præter hæc ipſis etiam animabus benefaciebat, peccata illis condonando, eas liberando ab inferno, cœli portas reſerando, admirandæ doctrinæ lumen illis & caritatis ignem, ſuarum virtutum ſplendore conferendo. Ex quo apparet, eum non ſolùm abſque culpa, cruciatus & ignominias pertuliſſe; ſed ob ea, quæ illum ſumma quiete & honore dignum faciebant. quamobrem dixit S. Auguſtinus, Chriſtum Dominum noſtrum vixiſſe in mundo, *mira facientem, & mala patientem, donec ſuſpenderetur in ligno*. quomodo ergo anima mea, non deficis præ dolore, dum vides benefactorem hunc tuum, & totius mundi, talia pati, qui benefaciens & commodum omnibus afferens, malum recepit, & incommodum ab omnibus! O ſi mihi tanta contingeret gratia, vt benefaciens, ſicut Dominus meus, aliquod etiam malum & incommodũ, eius amore paterer! Non quæro ab hominibus præmium bonorum meorum operum: ſiquidem meus redemptor, graues ab eis cruciatus ſuſtinuit propter ſua.

S. Aug. In Pſal. 49.

III. Infinita chatitas.

DENIQVE conſiderabo *infinitam* huius Domini *charitatem*, qua ſe omnibus tradidit, & vnum cum omnibus fecit. Expendens illum eſſe meũ patrem, meum magiſtrum, medicum, redemptorem, paſtorem, meum creatorem, meam beatitatem, ſponſum animæ meæ, Deum meum, & omnia mea. Et paulò ante paſsionem ſuam, factum eſſe mihi cibum & potum, vt in meipſum ingrederetur, vt vnus mecum fieret. quare meritò ipſius dolores & pœnas, tanquam meas ſuſcipere debeo, & de illis compati: eaſque tanquam meas proprias ſentire; ſiquidem adeò meus eſt, qui illas patitur, & tanto me amore proſequitur. Si filius mortem parentis deflet, & ſponſi mortem ſponſa, & amicus amici prædilecti, quomodo ego non defleam paſsionem & mortem talis patris, talis ſponſi, & talis amici! Iuuerit in hunc finem, quod octauo puncto dicetur.

Simile.

PVNCTVM II.

De multitudine & atrocitate cruciatuum Chriſti.

MVLTITVDO & atrocitas tormentorum, quæ Chriſtus Dominus in paſsione ſua pertulit ad duos in genere ordines reduci poſſunt. Alia enim fuerunt externa, quæ ſignificantur per a *baptiſmũ*, quo abluitur corpus exterius; alia interna, quæ exprimuntur hauſtu a *calicis*, qui ingreditur, & penetrat interiora: hac. n. duplici ſimilitudine vſus eſt Chriſtus, vt illa inſinuaret. Incipiẽtes igitur à tormẽtis externis, diſcur-

a *Marc.* 10. 38. S. *Thom.* 3. p. q. 46. *Ar.* 5. 6. & 7.

rendum

rendum. PRIMVM eſt per omnia rerum genera, quæ materia ſunt dolorum, & pœnarum corporis, quibus cruciatus eſt Chriſtus vehementer. Nam in *facultatibus* & rebus neceſſariis, ad tantam peruenit paupertatem & nuditatem, vt nudus publicè moreretur in cruce, militibus eius veſtimenta accipientibus & inter ſe diuidentibus in *honore*. DEINDE, paſſus eſt innumeras irriſiones & ſubſannationes; ita tractatus, atque ſi latro aliquis eſſet, malefactor & blaſphemus in Deum; propter quod etiam in ipſum fuerunt blaſphemi. TERTIÒ *in fama* multa paſſus eſt falſa teſtimonia, quò eius opinionem, & nomen bonum conabantur deturpare. In genere itaque *virtutis* & *ſanctitatis* fuit contemptus, & habitus peccator, Samaritanus, & dæmonium habens, commotor plebis, vorax, & potator, & blaſphemus, & porrò, vt à Deo reprobatus, & condemnatus; quod maximum eſt dedecus inter omnia; de quo ipſemet Dominus ſub perſona Dauidis dixit: b *æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum; poſuerunt me in lacu inferiori in tenebroſis, & in vmbra mortis.* PRAETEREA in genere *ſapiētia* & *ſcientia* contēptus fuit, & habitus tanquam idiota c *ſine literis*, ſtultus & d *furioſus*, imprudens & ignarus. IN genere *potentia* & miraculorum habitus eſt impoſtor & magus, & qui pactū cū d *Beelzebub & Satana haberet*. ITEM in proprio *corpore*, maximos perpeſſus eſt dolores, tum quod ex genere ſuo atrociſsimi illi eſſent, tum quod eius corporis conſtitutio eſſet delicatiſsima, vt propterea quemcunque dolorem aut læſionem corporis, præ cæteris omnibus ſentiret. DENIQVE etiam in ſuis *amicis*, & ſibi coniunctis paſſus eſt, tum quòd plurimi eorum ipſum deſeruiſſent; tum quòd eorum, qui præſentes aderant, dolorem & ignominiam vehementer ſentiret, præcipuè verò Sanctiſsimæ matris ſuæ. O Redemptor liberaliſsime, quàm abundè debita noſtra tuis pœnis exſoluis? quia enim omnia, quæcunque ſunt in mundo, noſtræ concupiſcentię, voluptatis carnis, & ſuperbiæ fuerunt alimentum, tu vis in omnibus paupertatem, cruciatus, & humiliationem ſuſtinere: ſint mihi ex nunc eadem, inſtrumenta, ad tibi ſeruiendum; ſicut fuerunt hactenus ad offendendum. O anima mea, confer diuinæ huius perſonæ excellentias, cum ignominiis & doloribus, quos perfert; vt erubeſcas, ob tuam ſuperbiam & ſenſualitatem, & te ipſum excites, ad aliquid patiendum, quò illum imiteris.

I. Paſſus eſt Chriſtus in omnibus rebus externis

b *Pſal.* 87. 5. 8.
c *Ioan.* 7. 15. 20.
d *Mar.* 3. 21 22.
d *Luc.* 11. 15

Oratio

DEINDE, poſſumus diſcurrere, per quinque ipſius CHRISTI Domini ſenſus; perpendentes, quanta in ſingulis ſit paſſus. PRIMVM enim eius *oculi* affligebantur, videntes inimicorum vultus, motus, quibus ipſum irridebant, & lacrymas & ſingultus ſuorum amicorum: ijdem verò oculi deturpati ſunt, tum ſputis inimicorum, tum guttis ſanguinis defluentis ex proprio capite, imò & feruentibus lacrymis, quas ipſe per eos fundebat. *Aures* paſſæ ſunt, cum audirent multas & graues blaſphemias, iniuri-

II. In omnibus ſenſibus externis.
In oculis
Auribus

Digitized by Google

as, & falſa teſtimonia,& horrendas inimicorum ſuorum aduerſum ſe accuſationes. *Odoratus* paſſus eſt fœtorem grauiſsimum in monte Caluario, vbi fuit crucifixus. *Guſtatus* horrenda ſiti ſuit cruciatus; cuius tamen vim vt ſedarent hoſtes, fel & acetum ei obtulerunt, quibus amplius cruciaretur. *Tactus* grauiſsimos pertulit dolores ex flagellis, ſpinis, & clauis, qui eius corpus transfixerunt.

Odoratu. Guſtatu. Tactu.

O dulciſsimi & amantiſsimi Iesv *ſenſus*, digniſsimi, qui rebus omnibus vobis gratis, quæ in terra ſunt, recrearemini: quomodo contrà amariſsimis,& ingentem dolorem adferentibus rebus huius vitæ cruciamini! ô ſi mei ſenſus conformarentur ſenſibus Domini mei, eaſdem ſuſtinentes pænas, quandoquidem ab eis tot proceſſerunt culpæ!

III. In omnibus membris externis.

Tertiò licet per omnia membra, præcipuaſque corporis Chriſti Domini partes diſcurrere, in quib. exquiſitos dolores & cruciatus ſuſtinuit. Nam *caput* ſpinis fuit punctum, arundine verò percuſſum; *capillis* ipſaque *barba* euulſa; *genæ* colaphis percuſſæ; *brachia* ipſa ita luxata, vt oſſa dinumerari poſſent; *agiles* fortiſsimè funibus ligatæ *manus*, & pedes clauis perforati; *dorſum* & reliquum corpus crudelibus flagellis vulnerata: & quoniam vulnera partibus adeò ſenſibilibus infligebantur, ingentes adferebant dolores.

Iſai. 1. 6.

O *corpus* delicatiſsimũ, quã meritò illud poteſt de te dici, *à planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas; vulnus & liuor, & plaga tumens*, quæ ingentes adferebant dolores. O quantò maiori iure fuiſſet corpus meũ in omnibus ſuis partibus & ſenſibus tortum, ſiquidem per eos omnes, & ab eis innumera peccata fluxerunt! ſana, ô bone Iesv, corporis tui vulneribus, animæ meæ vulnera; ac tui corporis doloribus, ab ſpiritus mei malis me libera, Amen.

IV. In Spiritu paſſus & grauiſſima.

Deniqve conſiderandæ ſunt internæ Christi Domini *afflictiones & dolores*, qui ipſos externos comitabantur, qui & plurimi & graues fuerunt, in iis omnibus, quibus puriſsima Chriſti Saluatoris anima affici potuit, abſque imperfectione tamen, quales fuerunt interna Diuinitatis deſertio, ſenſibilium cordis conſolationum ſuſpenſio, triſtitiæ voluntatis vehementes, propter iniurias in Deum factas; & propter hominum condemnationem; timores, tædia, & agoniæ horrendæ; quarum teſtis fuit ſanguineus ille ſudor, de quo circa myſteria, quæ in horto ſunt geſta, dicemus.

Denique, quamuis corporis dolores fuerint terribiles, grauiores tamẽ illi erant, quibus ſpiritus afficiebatur. Nam in parte interna tantam ſumebat pænam, quantam volebat; & quoniam plurimum amabat, volebat, pœnam eſſe maximam, propter maius eorum bonum, quos tantoperè diligebat. O dulcis Redemptor, nunc deprehendo, quam meritò te I-

Oratio.

ſaias

Digitized by Google

ſaias f *Virum dolorum & ſcientem infirmitatem* appellauerit; ſiquidē vndiq; te videò doloribus & afflictionibus circumdatū: g *aquæ ſiquidem* tribulationum *intrauerunt vſque ad animam tuam; & veniens in altitudinem maris, tempeſtas demerſit te.* Exterius h *te baptiſmus* ſanguinis; ingentes adferēs dolores *coarctauit*; interius i *calix* triſtitiæ valde amarus, te grauiſsimè affecit. Cōcede mihi Domine in his omnibus pœnis, me tibi ita conformari, vt & k *corpore & ſpiritu tibi placeam*, ſimque in vtroque mundus abſque omni macula.

f Iſai. 53. 3
h Pſal 68. 1. 2.
g Luc. 12. 5.
i Mar. 10. 31
k 1. Cor. 7. 34.

Pvnctvm III.

De perſecutoribus & inimicis, qui Chriſtum Dominum noſtrum in ſua paſſione cruciarunt.

I. Quam multi & & varii perſecutores Chriſti.

IN hoc puncto, conſideranda imprimis ſunt multitudo & circumſtantiæ illorum, qui aduerſus Chriſtum Dominum coniurarunt, vt illum contemnerent, & in paſsione cruciarent: Nam concurrerunt *Reges, Iudices, Gubernatores, Summi Pontifices, Sacerdotes, Scribæ, & Phariſæi*, (qui erāt illius temporis Religioſi) *Aulici, Milites, Gentiles, & Iudæi*; nec defuit inter *diſcipulos* proprios, qui ipſum perſequeretur. Rex *Herodes* & eius Curia illum irrident, Iudex *Pilatus* condemnat, *Annas & Caiphas* ſummi Sacerdotes reprobant, *Scribæ & Phariſæi* accuſant, *Milites* comprehendunt & ſubſannant, *Carnifices* flagellant, ſpinis coronant, & crucifigunt; *Plebs* incondita clamat contra illum, petens, vt moriatur, *vnus* diſcipulorum illū tradit, *alter* negat, *omnes* deſerunt. Quibus illud eſt addendum, quod hos omnes Chriſtus, innumeris beneficiis obſtrinxerat, vt ipſum amarent, honore afficerent atque ſeruirent. Nam præter generalia beneficia, quæ tāquam Deus, & communis redemptor omnibus contulerat; multis particularibus populum illum nominatim affecerat, doctrinam ſuam illum docendo: plurima miracula in eorum conſpectu edendo: illorum morbos & filiorum, ſeruorum & amicorum ſanando, paſcendo illos in deſerto inſigni edito miraculo: propter quod Regem illum facere volebant, eundemq́ue in ſua ciuitate, maiori pompa & apparatu exceperunt, quàm fuerit vnquā terrenus vllus princeps exceptus. Hi igitur omnes ſunt mutati, & conuerſi aduerſus Deum ſuum, & redemptorem, aduerſus infinitum ſuum benefactorem, iniuriis eum afficiendo, torquendo, & denique occidendo eum, à quo tanta bona acceperant: & quem paulò ante ſummo honore dignum iudicabant, cuique tanquam vitæ autori acclamabāt.

Oratio

O dulcis Iesv, rex regum, iudex viuorum & mortuorum, Pontifex ſummeac ſupreme Sacerdos, fons ſcientiæ & ſanctitatis, lapiſque angularis gentilis & Iudaici populi: quomodo nunc perſecutionem pateris à Regibus & Iudicibus terrenis, à Sacerdotibus & ſapientibus terræ, & ab

omni.

omnibus populis & nationibus mũdi! Nõ miror, quod qui te nõ nouerũt, perſequantur; ſed quid dicam, cum videam eoſdem, qui te benè nouerunt, & mille nominibus ad tibi ſeruiendum tenebantur, tanto te odio proſequi. Vtinam te nunquam fuiſſem meis peccatis perſecutus! ne quæſo patiaris Domine, vt te amplius perſequar, ſed fidelibus meis ſeruitiis, innumeris tuis beneficiis reſpondeam.

II. Quanta perſequentium crudelitas

DEINDE perpendenda eſt *crudelitas* & *feritas* iſtorum inimicorum & perſecutorum Chriſti: quia enim ipſi erant ſuperbi, ambitioſi, cupidi, hypocritæ, & ſimulatores; erant etiam hoſtes veritatis & magiſtri, qui illam docebat; ac medici, qui mortifera eorum vulnera ſanare cupiebat. Erant præterea animi perturbatione, odio, rancore, & inuidia aduerſus Chriſtum pleni, eò quòd ipſorum vitia ille reprehenderet; vanoſq; eorũ honores, Sapientiæ ſuæ, ſanctitatis & miraculorum authoritate obſcuraret: ideoque illum è medio ſublatum cupiebant, alij ob malitiam propriã alij vt ſuas iniurias vlciſcerentur, alij ob timorem neã Cæſaris aut plebis gratia exciderent; alij ex ignorantia, eò quòd, quis ille eſſet non ſatis cognoſcerent, alij ob falſum zelum religionis & publici boni; qui zelus ſi ſit cum inuidia coniunctus, crudelitatẽ exſtimulat, & ipſis feris reddit efferatiorẽ. O mitiſsime agne, iure merito clamas, a *circumdederũt me vituli multi tauri pingues obſederunt me, circũdederũt me canes multi, conſiliũ malignãtiũ obſedit me*: hoſtes enim tui leonum inſtar, & aliarũ ferarũ more, te circundant, ſuis rugitibus terrent, vnguibus lacerant, dentibus mordent, cornibus huc illuc vertunt, ab vno tribunali ad aliud trahentes, tanta crudelitate te percutientes, atq; ſi non homo, ſed ſtatua aut ſimulacrum hominis eſſes, vermis & deſpectio plebis. O ſi licuiſſet à diabolicis illis furiis te eripere! ſed charitas tua non permiſit, ſed obſtitit omnipotentiæ tuæ, (quæ facilè eripuiſſet) quo in medio tantæ feritatis, magis reſplenderent excellæ tuæ virtutes.

oratio a *Pſal.* 21. 13. 17

III. b *Luc.* 22. 53 Dæmonũ quanta rabies in Chriſtum c *Ioan.* 13. 2.

TERTIÒ perpendam, præcipuos Chriſti perſecutores, fuiſſe b *poteſtates tenebrarum* infernalium, hoc eſt *dæmonum* qui ſummè illum oderant, eò quod ex corporibus ipſos expelleret; animas verò ex ipſorum poteſtate eriperet; regnumque ipſorum, hoc eſt regnum peccati deſtrueret: ideoque vt ſeſe vlciſcerentur, hominum feritatem vrgebant, vt illum perſequerentur: c *Diabolus enim immiſit in cor Iudæ, vt traderet eum*; milites inſtruxit, vt varias irriſiones & iniurias in illum excogitarent: in Iudæis accendebat ignem iræ, quã ardebant: & quoniam licẽtia & facultas illi adhæc facta non fuit cum ea limitatione, qua facta fuit, cum permiſſus fuit perſequi S. Iob. d *veruntamen animam illius ſerua*, non hic fuit contentus Chriſtum Dominum in ſterquilinium proijcere, vulneribus plenum: ſed vita ipſa horrendis tormentis illum priuauit. O IESV

d *Iob.* 2. 6.

ſacer-

ſacerdos magne, quid tibi cum *Satana, cui à dextris tuis ſtanti* tanta poteſtas in ſacrum tuum corpus daretur? O amor inſatiabilis, cui non ſatis fuit ab hominibus cruciari, niſi iidem à dęmonibus ad id faciendum vrgerentur, & vt in ſe cruciatus illos ſuſcipiens, ab illis me liberaret, quos iidem mihi ob mea peccata intuliſſent. c Zach. 3. 1.

IV Aeſtimanda crudelitas perſequentium, ex animo ipſorum, nō ex opere tantum.

DENIQVE perpendam, qua ratione huius Domini *dolores & pœna* creuerint; nam ſapientiſsimæ animæ ſuæ oculis, inimicorum ſuorum rabiem penetrabat, non ſolum ex operibus & ſignis externis, ſicut cæteri homines; ſed quia verè ad ipſorum corda penetrans apertè videbat diabolica illorum vota ad ipſum cruciandum, & ignominia afficiendum, multò plus quàm exteriùs appareret: quamuis enim multi fuerint, grauesque cruciatus, quos illi attulerunt, multò tamen plures grauioresque ſi licuiſſet, intuliſſent. O IESV ſapientiſsime, ipſa tua f *ſcientia* tuum *auget laborem & dolorem*, nihil tamen, te de amore tuo remittente, quia pleniùs eſt cor tuũ amore aderſus tuos inimicos, vt ipſorum in commodi intuitu patiaris; quam illorum corda ſint odio plena, in tuum incommodum. Reple me Domine inflammata tua charitate, vt inuictam tuam imiter patientiam. Amen. f Eccl. 1. 18.

PVNCTVM IV.

De ijs, in quorum commodum, & quas ob cauſas Chriſtus patitur.

I. Chriſtus paſſus eſt pro omnibus hominibus.

CONSIDERANDVM primò eſt Chriſtum Saluatorem noſtrum, omnes illos contemptus & dolores perpeſſum eſſe, ad peccata *hominum* præteritorum, præſentium & futurorum, debitaque omnium, pretio ſanguinis ſui, tanto dolore & contemptu effuſi, exſoluenda. Ex quo deducere poſſumus particulares aliquas ſupremæ huius paſsionis cauſas; vt videlicet propugnaret honorem patris ſui, qui tot iniuriis hominum fuerat offenſus; & vt iuſtiſsimam eius contra homines indignationem placaret; eosque patri ſuo, à culpis pœnisque, quas propter eas erant promeriti, ſiue temporalibus, ſiue æternis expiatos reconciliaret; & vt illis promereretur & conſequeretur gratiã, & charitatem, ac virtutes oẽs, mediaq; neceſſaria, & accõmodata, quibus iuſtificationẽ & perfectionẽ ſuã aſſequerentur; ac deniq; vt cæli portas illis reſeraret; & ad *gloriã* & vitam æternam eoſdem introduceret, impedimẽtis omnibus, quæ obſtare poterant, ſublatis. Ex quo fit, quia hominum peccata non ſolùm erant innumera; ſed, quòd contra Deum infinitum admiſſa eſſent, etiam grauitate erant infinita, neceſſarium fuiſſe; vt qui huiuſmodi cruciatus pro illis offerret, ad exſoluendum ex æqualitate iuſtitiæ tantum illud debitũ, infinitæ eſſet excellentiæ. Et quamuis hoc nomine, quilibet Chriſti do-

Vt promereretur eis gratiam & gloriam

Cum ſuffeciſſet ad id vel vna ſanguinis gutta.

Quare tanta voluerit pati.
a Pſal. 129. 7
Serm. 3. de Natiuit.

lor, & quælibet gutta eius ſanguinis ad id ſuffeciſſet, ratione offerentis, qui erat perſona infinita; voluit ille tamen tantam dolorum multitudinẽ pati, vt eius a *redemptio* magis eſſet *copioſa*; & agnoſcerent homines infinitam ſuorum peccatorum grauitatem. Vt enim ait S. Bernardus: *Ex conſideratione remedij, periculi mei æſtimo magnitudinem. Agnoſce*, ait, *homo: quam grauia illa ſunt vulnera, pro quibus neceſſe fuit Chriſtum vulnerari. Niſi illa lethalia fuiſſent vulnera, & quidem æterna morte digna, nunquam Dei filius, pro eorum remedio moreretur.*

Quare toto in corpore.

CERNEBAT redemptor noſter, totum generis humani CORPVS myſticum, à planta pedis vſque ad verticem capitis, innumeris culpis ſauciatum; cui vt mederetur, voluit etiam ſuum corpus, à planta pedis vſque ad verticem capitis, vulneribus innumeris vulnerari, ſpiritum verò grauiſſimis ignominiis affligi; vt antidotum, quod ipſe adferebat, vulneri cui applicandum erat, eſſet proportionatum. Ob inordinatas diuitiarum cupiditates noſtras, manes tu, Domine, in cruce nudatus: ob ſuperbiam hominum eruditorum, ſtultus iudicaris & ignarus: ob eorum vanitatem, qui ſanctos ſe eſſe exiſtimant, tu irrideris tanquam peccator: ob tumorem potentium, tu tanquam miſer, & ad omnia debilis tractaris: ob ſenſualium hominum voluptates, tu cruciatibus oneraris: quinque tuorum ſenſuum dolores, exceſſus ſoluunt ſenſuum noſtrorum: *caput* tuum coronatur *ſpinis*, in pœnam noſtrarum ambitionum: *lingua* tua *felle* & *aceto* affligitur, ob noſtras voracitates & ebrietates: *manus* & *pedes* tui *clauis* perforantur in pœnam iniquorum operum noſtrorum & greſſuum deteriorum *ſcapulæ* tuæ *flagellis* arantur, propter furta & ſcelera, quæ nos ſuper noſtras collocamus: *humeri* tui, *crucis* onere opprimuntur, eò quòd noſtri, onus tuæ legis excuſſerunt. O Redemptor liberaliſsime, cuius redemptio adeò

Oratio.

eſt copioſa, vt, ſi mundi eſſent infiniti omnes poſſet redimere: applica Domine, eandem ipſam redemptionem huic vnico mundo, quem condidiſti vt omnes ea fruantur & ſaluentur: Amen.

II. Chriſtus paſſus pro inimicis.

PERPENDAM deinde, CHRISTVM Dominum, omnes illos *cruciatus*, pro ſuis *inimicis*, à quibus eos accipiebat, ſuſtinuiſſe: ſanguinemq; ſuum pretioſum effudiſſe, vt etiam peccata illa deleret, quæ ipſi perſecutores, dum illum effunderent, committebant: cuius certum teſtimonium eſt, quòd pendens in cruce, pro eis orauerit, eoſque excuſauerit, dicens: b *Pater dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt*. Eſtque eius charitas adeò immenſa, vt paſsionem ſuam offerat, vt eãdem charitatem illis impertiatur, qui illum oderunt: vt honorem habeant illi, qui auferunt ipſi honorem: vt eos donet libertate, qui ipſum comprehendunt, vt quietem illis adferat, qui ipſum tantopere affligunt: & vt æternam eis det vitam, qui crudelem ipſi inferunt mortem. Sit benedicta, Saluator mi, immenſa iſta tua

chari-

Digitized by Google

charitas,& gloria ſit infinitæ iſti tuæ miſericordiæ! Vtinam inimici tui illam nouiſſent! erubuiſſent procul dubio de tanta ſua ingratitudine, & ex inimicis amici facti, non ceſſaſſent te laudare, tibique maiori amore ſeruire quam antea perſequerentur rancore. Aperi, Domine, oculos eorum, qui te nunc perſequuntur, vt à tali perſecutione abſtinentes, ſeriò de multis tibi exhibendis obſequiis cogitent, & agant.

III. Chriſtus paſſus non pro omnibus tantũ, ſed & pro ſingulis

TERTIÒ exactiore attentione conſiderandum eſt, ita Chriſtum Dominum, omnes illos contemptus & dolores, pro *omnibus* mundi hominibus fuiſſe perpeſſum, vt ſpecialiter eoſdem pro *ſingulis* illorum, & pateretur & offerret, atque ſi vnus ſolus fuiſſet in mundo, quem in memoria & corde ſuo præſentem haberet, eiuſque peccata, miſerias & neceſſitates ita perpenderet, atque ſi nullæ eſſent aliæ, quas aſpiceret, aut pro quibus remedium illud offerret, ita vt dicere mihi liceat, quod Apoſtolus de ſe ipſo dixit, loquens de ipſo Chriſto Domino, c *qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*. O anima mea, ſi te in corde tui dulcis IESV vidiſſes, cum tales dolores pro te patiebatur. O ſi intellexiſſes amorẽ & ſolicitudinem qua illos pro tuis peccatis obtulit; procul dubio præ dolore defeciſſes, agnoſcens te illius dolorum cauſam extitiſſe; & exarſiſſes amore, quo te in mediis tot doloribus, ita videres ab eo amari. Plange ergò nunc tua peccata, pro quibus tanta patitur ille, qui tantoperè te amauit; redama verò omnibus tuis viribus eum, qui pro te tanta paſſus eſt, & ita illum lauda & glorifica, atque ſi pro te ſola omnia illa paſſus eſſet, Amen.

c *Gal. 2. 20.*

PVNCTVM V.

De amore & affectu, quo Chriſtus Dominus patiebatur.

PVNCTVM hoc tenerrimum eſt, quod & condimenti loco nobis eſſe debet, ad guſtum & ſaporem ſpiritualem inueniendum in omnibus, quæ de Chriſti Paſsione meditabimur; perpendentes magnitudinẽ & immenſitatẽ amoris illius, quo Dominus hic noſter omnes ſuos cruciatus tolerabat, ſiquidem nulla vi aut neceſsitate, ſed (vt Iſaias dixit a *quia ipſe voluit*, & ſponte ſua, quia ipſe bonus erat & miſericors; &, vt patri ſuo æterno placeret, omnibusque hominibus benefaceret, propenſus; & vt diuitias, infinitosque charitatis, miſericordiæ, ac liberalitatis Dei erga ſuas creaturas theſauros manifeſtaret. Hinc proueniebat, vt, quoniam tantoperè æternum ſuum patrem amabat, eiuſque intuitu etiam homines eodẽ ipſo immenſo amore tolleraret quicquid pro illis pateretur; id totũ magna ſua voluptate, & conſolatione amplectens, propter illorum bonum. O ſi daretur poſſe inueſtigare & b *comprehendere, quæ ſit latitudo & longitudo, & ſublimitas & profundum: ſcire etiam ſupereminentem ſciẽ-*

a *Iſai. 53. 7. Oblatus eſt quia ipſe voluit.*

b *Ephe 3. 19*

tia charitatem Chriſti IESV*!* O ſi daretur ingredi in cor illud Chriſti inflammatum,& videre fornacem illam ignis infiniti in eo ardentis , & liquefieri eodem igne,vt inde amore plenus exiens, amare eum poſſem, vt ſum ab ipſo amatus; & amore pro eo pati, qui tanto pro me patitur amore. Ex quo interno amore talia ſigna & indicia exteriùs procedebant, vt ſufficerent,cor ipſa glacie frigidius liquefacere;& etiamſi rupe durius eſſet,illud emollire.

I. Amoris in patiẽdo Primum ſignum eſt deſiderare Paſsionem Quantum Chriſtus deſiderauerit.

INPRIMIS enim ſignum,quod *labores* amentur,eſt *deſiderare* vt cito illi adueniant,cum voluptate de eis loqui, eorum memoriam frequenter renouare,magno gaudio & lætitia,locum illum adire,in quo ſunt tolerandi;grauiter ferre,quod illi retardentur,eos denique reprehendere , qui ne labores veniant,impediunt , eoſque ſuos aduerſarios & ipſum Satanam compellare.Hæc omnia faciebat dulcis IESVS,vt qui hoc ipſum quod eſt *pati*, vehementer arderet,vt in ſequentibus apparebit, quam ob cauſam diſcipulis ſuis dixit,c *baptiſmo habeo baptizari,& quomodo coarctor vſq; dum perficiatur !* O dilecte mi , ſi baptiſmus hic fuiſſet aquæ non mirarer, grauem tibi eſſe eius moram & dilationẽ;ſed cum ſit baptiſmus ſanguinis, & ſanguinis quidem ex tuis venis, ingenti dolore profluentis, quomodo tanta ſolicitudine illum deſideras! ô ſi mihi tanta fames, tantumque deſiderium dolores tolerandi daretur, vt illis potiùs quàm ipſa quiete delectarer!

c *Luc.12.50* Oratio.

Sed quoniam multi, antequam in *afflictiones* incidant,iactant ſe illas optare,quas tamen,cùm accedunt horrent & fugiunt, eſt aliud certius indicium amoris & affectus erga huiuſmodi afflictiones,ſi quis eas ipſas aggrediatur & illis obuiet, nec fugiat aut ſe ſubtrahat etiam cum poſſit;ſi non ſe excuſet;nec ſe ipſum tueatur;nec pro ſui defenſione aliquid afferat, quò ſe ab eis expediat , etiam cum ad id ab aliis prouocatur, aut vrgetur: ſi ſeipſum,abſque reſiſtentia vlla,paratum offerat ad ſuſtinendum,quicquid eius tortores inferre voluerint,idque ita manſuetè,vt tortores animum non abijciant aut deſiſtant à torquendo, etiam poſt multos illatos cruciatus.Quæ omnia & multò plura, Chriſtus Dominus oſtẽdit in ſua paſsione: profectus enim eſt ad *hortum*, vbi erat comprehendẽdus, cùm potuiſſet patrem ſuum orare, vt in ſui defenſionem mitteret Angelorum Legiones,ſed id non fecit.& cùm hoſtes ad ipſum comprehendendum iam acceſsiſſent , & ad vnicum ipſius verbum fuiſſent in terram proſtrati permiſit tamen ſurgere,& ſe comprehendere , faciem ſuam alapis, corpus flagellis obtulit, nec faciem auertit , nec corpus vlli dolori ſubtraxit , nullum coram HERODE miraculum edere voluit , quò ab ipſo protegeretur: nec pro ſua defenſione , aliquid apud PILATVM adferre, vt liber dimitteretur: quamuis ad id Pilatus eum

Chriſtus quomodo id præſtiterit.

prouo-

Digitized by Google

prouocaret,de eius ſilentio valdè admirans:ac denique iniuſtiſsimam eius ſententiam acceptans,crucem ſuam iucundè amplexatus eſt, ac poſtea ſuper eam ſeſe extendens, permiſit ſe duriſsimis ferreis clauis configi, quia amoris clauis prius erat magis confixus!O d *amorem* infinitum! ô ignem immenſum! *quem aquæ multæ* laborum & afflictionum adeò ingentium, *exſtinguere non potuerunt*, ſed potiùs accenderunt! eodem,quæſo, amore, me Domine accende; & eodem me igne inflamma. d Cant. 8. 7.

III. Paratum eſſe plura perpetiquã patiaris. Christi promptitudo. Oratio

Sed vlterius adhuc immenſus Iesv amor progreſſus eſt, & ampliora immenſitatis ſuæ indiçia edidit; vt qui non ſatiatus iis,quæ paſſus eſt, infinitè plura pati concupiuerit. Nam attendens ingentia inimicorũ deſideria,nouos inueniendi eum cruciandi modos; ipſe charitatem ſuam dilatans,non ſolùm,quos inferebant cruciatus, libenter ſuſtinebat, ſed paratum etiam ſe oſtendit,ad perferendos quoſcunque illi vellent inferre, etiam incomparabiliter maiores; ſi ad noſtram reparationem fuiſſet neceſſarium. O *ignis* infinite, qui ſemper ardes, e *nec dicis vnquam ſufficit*, quid tibi pro tanto hoc patiendi deſiderio retribuam? plurimum certè debeo propter plurima,quæ pro me ſuſtinuiſti;ſed multò plura fateor me debere propter ea,quæ pati deſideraſti,ſi id fuiſſet ad noſtram redemptionem neceſſarium. Si enim quinque millia flagella ſuſtinuiſti, non deerat tibi amor ad alia quinquies millia millium etiam crudeliora ſuſtinenda: ſi caput tuum ſeptuaginta duabus ſpinis fuit tranſixum, paratus erat amor tuus, vt ſeptuagies millies transfigi ſe pateretur: ſi tres horas in cruce ingentibus doloribus pependiſti, paratus eras ad mille horas etiam grauioribus cruciatibus pendere; plus tu cupiebas torqueri, quam tui vellent hoſtes cruciare; plus tu amaſti tolerare dolores, quam omnes huius mundi homines ab eis cupiant liberari,& requieſcere. O ſi quis mihi amorem daret adeò inſatiabilem,vt nunquam pati ſatiaretur pro eo,qui tanta pro me,& inſatiabili amore perpeſſus eſt. Magnũ huius amoris teſtimonium fuit illud, quòd in horto fuit geſtum,vbi idem hic Dominus, carnificum cruciatus præueniens,ſponte ſua ſuis doloribus dedit initium, eiuſmodi doloris indiciis, vt ſanguinem ſudaret, ſicut ſuo loco erit perpendendum.

e Prouer. 30. 16.

Pvnctvm VI.

De heroicis virtutibus, quas in ſua paſsione Christus exercuit.

II. Patiens Christus

Considerandvm imprimis eſt, Chriſtum Dominum in paſſione ſua,omnes præcipuas Chriſtianæ & perfectæ vitæ *virtutes* exercuiſſe, & quidem ſingulas, quantum ad externos actus, in gradu

BIBLIOTECA NAZ. ... VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

heroico: multoque præſtantiori in actibus internis, qui externos comitabantur: Cuius ea fuit PRIMA cauſa quod *ipſe* veniſſet, vt magiſter eſſet, exemplarque virtutum. Hinc tēpore paſsionis voluit omnium velut epilogum facere, & ſingulare earum a *exemplum nobis præbere*, ſicut ipſe dixit, *poſtquam diſcipulorum pedes lauiſſet*. SECVNDA cauſa fuit, quia *ſua paſsione* virtutes omnes nobis promeriturus, & impetraturus, merita noſtra actuali earū exercitationi inniti voluit. TERTIA vt ea ratione, *virtutum* ipſarum *honorem* & præſtantiam tueretur, quæ valdè iacebant, & nullam pænè in mundo habebant opinionem, illæ præcipuæ; quæ mundi contemptum docent. QVARTA, vt teſtamento, & vltimâ ſuâ voluntate, *ipſa morte* confirmatâ, excellentes omnium virtutum actiones, nobis relinqueret: nam vt in vltimo ſuo ſermone dixit, a *mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos*, ſic dicere potuit, imò ipſo opere dixit, nouum quoddam mandatum do vobis, vt humilietis vos, ſicut ego me humiliaui, & vt obediatis ac ſuſtineatis, ſicut egò obediui & ſuſtinui. O dulcis magiſter doce me has virtutes exercere, & ſequi exemplum, quod mihi dediſti, vt & ego pro modulo meo earundem virtutum honorem & opinionem, ad tuam gloriam propugnem, Amen.

exercuit virtutes in heroico gradu, quatuor ob cauſas.
1. a Ioh. 13. 15.
2.
3.
4.
a Ioan. 13. 34. & 15. 12.

II. DEINDE perpendam multitudinem & præſtantiam harum virtutum, diſcurrendo per 8. heroicos actus, quos Chriſtus Dominus in ſuo ſermone, quem in monte habuit *beatitudines* appellauit, quaſque ipſe in ſua paſſione valdè eminenter exercuit. Nam primò exercuit *Paupertatem ſpiritus*, dum rebus omnibus, etiam propriis veſtimentis renunciauit, nudus omninò in cruce manens. Cum paupertate verò ſimul exercuit *Humilitatem*, quæ in ea includitur, dum vanos omnes honores, mundique pompas calcauit, amplexus verò eſt omne genus opprobriorum, vt ſupra retulimus. Exercuit etiā heroicam *Manſuetudinem*, in medio tot ferarum, quæ ipſum mordebant & lacerabant; ipſe verò tanquam agnus nec loquebatur, nec ſe defendebat, aut indignabatur; tantam verò ſimul oſtendit *Fortitudinem*, atque ſi eſſet adamas, in omnibus, quæ patiebatur. *Fleuit* amarè pro noſtris peccatis *c clamore valido & lacrymis, preces & ſupplicationes offerens*, etiam vſque ad d *ſanguinem*, quem per omnes delicatiſsimi ſui corporis poros *ſudando* effudit. *Eſuriuit* inſatiabiliter iuſtitiam, quia nunquam ſatiatus fuit in faciendis bonis, nec in perferendis malis, vt nos iuſtificaret, & ſanctitatis exempla præbere: & hanc ob cauſam in cruce pendēs dixit: *Sitio*. Fuit etiam ſingularis in *Miſericordia* erga miſeros, diſtribuendo illis, quicquid haberet, facultates omnes, honorem, ſanguinem & vitam, vt eorum miſeriis occurreret: corpus quoque ſuum in cibum dedit, vt eorum famem expleret: & ſanguinem ſuum in potum vt eorum ſiti ſatisfaceret. *Cordis munditiam* habuit eminentiſsimam, conſeruans, ſe in gra-

Octo beatitudines. Quomodo in paſsione exercuerit.
1. b Matt. 5. 3. &c.
2.
3. c Heb. 5. 7. d Luc. 22. 44
4.
5.
6.

uiſsimis

uiſsimis occaſionibus, abſque vllo peccato, & potiùs occaſionem ex eis accipiens ad præſtantiſsimos virtutum actus exercendos. Fuit excellentiſsimè *Pacificus*, quia nos cum æterno ſuo patre pacificauit, veramq́ue pacem 7.
nobis obtinuit, quam etiam erga eos retinuit, qui bellū ipſi grauiſsimum
inferebant. *Paſſus* denique eſt propter *iuſtitiam* maximas perſecutiones, 8.
quas vllus vnquam ſit paſſus, idq; maxima patientia, quam vllus vnquam habuerit, vt propterea, iure optimo, omnia ei præmia debeantur, quæ in his omnibus virtutibus correſpondent: eademq; promeritus eſt illis, qui ipſum in eiſdē virtutibus imitarentur. O ſupreme magiſter, ſi te loquentē in primo illo monte audiuiſſem, cùm de his virtutibus ſermonem inſtituiſti, & vidiſſem poſtea, dum in Caluario monte patiens, eaſdem exercebas! idem ipſe eras eundemq́ue finem in vtroque monte habebas, loquens & faciens, docens alios pati, dū ipſe patereris. Concede mihi, Domine, gratiam, vt audiam, quæ me docuiſti, & exerceam, quæ ipſe exercuiſti, meipſum his, quæ feciſti, & paſſus fuiſti, tecum in omnibus conformando.

Tertiò eaſdē Chriſti Domini noſtri *virtutes*, licet ſigillatim conſiderare, mente ratiocinando, per ſingularū proprietates & gradus; & quoniā *exempla* in ſingulis ponere prolixū eſſet, Obedientiae tantū exemplū, quæ cæteras omnes cōplectitur, adhibebo; de ea. n. dixit Apoſtolus, c *Chriſtum humiliaſſe ſemetipſum, factum obedientem vſq; ad mortem, mortem autem crucis &*, f *cùm eſſet filius Dei, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam*, quæ fuit heroica. Primvm quia non ſolum in rebus facilibus & proſperis obediuit, ſed in difficillimis & aſperrimis, qualis erat *mors* crucis: & quæ illam præceſſerunt. Deinde etiā in reb. huiuſmodi præſtitit obedientiam *integerrimam*, nec iota quidem, aut apice relictis eorū omniū, quæ Prophetæ prædixiſſent, quod expendit S. Ioan. cū dixit, g *ſciens IESVS quia omnia iam conſummata ſunt, vt conſummaretur ſcriptura, dixit: Sitio.* Atq; ſi diceret S. Ioan. Vt impleretur adhuc vna pœna earum, quas Prophetæ prædixerāt, & adhuc expleta nō erat; quod ſcil. porrecturi eſſent acetū, ad bibendū; cū Iesvs Sitiret, dixit: *Sitio.* Tertiò hæc obediētia & *prōptiſsima* fuit & ad punctū, ſine mora, ſine replica, abſq; vllis excuſationib. ad omnia, quæ illi proponebātur: quāuis grauia & aſpera eſſent, & ex parte iudicū & carnificū valdè iniuſta. Qvartò fuit obedientia generalis & *humilis*, qua omni hominū generi ſceleſtorū & impiorū ſeſe ſubiecit: quia hāc ſciebat eſſe patris ſui voluntatē, iuxta illud, quod ipſe apud Iſaiā dixit: h *Dominus Deus aperuit mihi aurem*, hoc eſt, obedire me iuſsit, *ego autem non contradico, retrorſum nō abij, corpus meū dedi percutientib. & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus.* Denique fuit obedientia *conſtans*, & ad mortem vſque perſeuerans, prius volens

III. Quomodo exercuerit obedientiam.

c Phil. 2. 8.

f Heb. 5. 8.

1. Fortiſsimè

2. Integerrimè.

g Ioan 19. 28.

3. Promptiſſimè.

4. Humillimè.

h Iſa 50. 5.

5. Cōſtantiſſimè.

Digitized by Google

vitam ſibi finiri, quã ab obediendo deſiſtere; & ita mortuus eſt obedičs, & obediendo mortuus eſt, totaq; hæc obediẽtia ex mero proueniebat amo-
¹ Ioan. 14. 31 re, iuxta illud, quod ipſemet apud S. Ioan. dixit, ¹ *vt cognoſcat mundus quia diligo patrem, & ſicut mandatum dedit mihi pater ſic facio. ſurgite*, & ad patien-
Oratio dum *eamus hinc*. Gratias tibi dulciſsime Domine, ob exemplum heroicum obedientiæ, quod nobis dediſti, vtinam ei ſimilem haberem, fortem, integram, promptam ad punctum, conſtantem, & ex amore prouenientem: vt meipſum amore tui ſubiicerem omni humanæ creaturæ, vt mundus vniuerſus cognoſceret, quod te amem, tuaque mandata eo modo exequar, quo tu illa iubes. Propter tuam ſanctiſsimam obedientiam peto hanc obedientiam, iube Deus meus, quod vis, modo hanc virtutem mihi tribuas; vt tibi in omnibus, quæ iuſſeris paream.

Hac ratione licet ratiocinari circa eiuſdem Chriſti Domini humilitatem, paupertatem, ſilentium, modeſtiam, & reliquas virtutes.

PVNCTVM VII.

De ſeptem locis, ſiue ſtationibus quas Chriſtus Dominus tempore ſuæ paſsionis perambulauit.

Stationes Chriſti in Paſsione ſeptem. VIAE ſiue *ſtationes* quas Chriſtus Dominus à nocte ſuæ paſsionis, vſque ad inſequentem diem perambulauit, poſſunt ad 7. reduci, quò in ſeptem hebdomadæ diebus poſsint eſſe meditationis argumen-
1. tum, quibus totus diſcurſus Dominicæ paſsionis continetur. PRIMA ſtatio ſeu via fuit, cùm à cœnaculo ad hortum Gethſemani cum ſuis diſcipulis abiit, vbi triſtatus eſt, *orauit*, & *ſudauit* ſanguinem: SECVN-
2. DA fuit ex horto, vbi fuit comprehenſus ad domum Annæ; vbi de doctrina & diſcipulis ſuis examinatus *alapam* crudelem à quodam
3. miniſtro accepit. TERTIA fuit ad domum Caiphæ, vbi *conſputus* & *colaphiſatus* fuit, grauiſsimasq; alias iniurias & dolores, tota illa no-
4. cte ſuſtinuit. QVARTA fuit ad domum Pilati præſidis, vbi fuit variis fal-
5. ſis *teſtimoniis* à Iudæis accuſatus. QVINTA ad regis Herodis aulam, vbi
6. fuit ab ipſo & ſuo exercitu *ſpretus*. SEXTA fuit reditus ad Pilati domum,
7. vbi fuit *flagellatus*, ſpinis *coronatus*, & aliis *opprobriis* affectus, & *morti* adiudicatus. SEPTIMA & vltima fuit, inde ad *montem Caluarium*, baiulans ſibi crucem, cui ibi fuit affixus. Ob ſeptem huiuſmodi ſtationes, par eſſet
a Pſal. 118. 164. exemplo Dauidis a *ſepties in die laudem*, & gratias *eidem Domino dicere ſuper iudicia iuſtitiæ eius*, & miſericordiæ, quæ in eis reſplendet; immorando
Quæ conſiderando, in qualibet ſtatione. diutius, in conſideratione eius, qui eas obiit ſtationes; & finis, quem ſibi præfixit: ſociorum, quos ſecum habuit, locique, ex quo exit: modi ambulandi, loci item, in quo ſiſtit: rerum, quas loquitur, facit, & patitur, eum ex omnibus ſpiritum & vtilitatem hauriendo, in quam omnia ab ipſo Chriſto dirigebantur.

Digitized by Google

Perſona gradiens: & gradientis affectus ac finis.

In ipſius Chriſti Domini Persona, conſideranda eſt infinita eius dignitas, vt ſupra diximus; & expendendi ipſius *greſſus* & *affectus* ſpiritus, quos externis greſſib. adiūgebat, eos ad æterni patris gloriā ordinando, & ad pro noſtris peccatis ſatisfaciendū. Et fortè ſeptē fuerūt illæ ſtationes, in pœnam iniquorū greſſuum, quos in ſeptē capitalib. peccatis nos ambulauimus & ad conſtringendā b *draconis magni, & rufi* ſuperbiā *habētis capita ſeptē* qui ſua tyrannide mundum occupabat; & ad domandam hominum huius ſeculi ſuperbiam & rebellionem; nobis verò dandum exemplum humilitatis & patientiæ, iuxta illud, quod ſcriptum eſt, c *contriti ſunt montes ſeculi, incuruati ſunt colles mundi, ab itineribus æternitatis eius.* Quaſi diceret, ſuperba & elata corda, rebelles ac proteruæ mentes, ſeſe humiliarunt ac ſubiecerunt, propter ſtationes & itinera, quæ æternus hic Dominus ambulauit, ita ab ipſo in eum finem ab æterno diſpoſita. O Devs æterne & Saluator noſter, d *agnus*, qui pro nobis *occiſus es ab origine mūdi*, clarifica animæ meæ oculos, vt hæc itinera, greſſusque tuos ob noſtram redemptionem ita conſiderem, vt finem, in quem tu eos direxiſti, conſequi valeam. Propter illos quæſo Domine ignoſce & e *dirige greſſus meos, ſecundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniuſtitia.* O Pater æterne, qui f *greſſus hominum dinumeras*, tam iniquorum, vt eos caſtiges; quàm piorum, vt præmiis afficias, reſpice greſſus dilecti filij tui, propter quos ſupplico, vt meos ita dirigas vt ſint illis omninò conformes. Amen.

b *Apoc.* 12. 3
c *Hab.* 3. 6.
Oratio
d *Apoc.* 13. 3.
e *Pſal.* 118. 133.
f *Iob.* 14. 16.

II. Socii cum quibus graditur.

Qvod attinet ad *ſocios* & *comites* Chriſti Domini in his ſtationibus, oportet conſiderare, interdum fuiſſe cum ſuis diſcipulis, inſtar paſtoris in medio ouiū ſuarū, & ita primā peregit ſtationem à cænaculo ad hortū, eos conſolans, & ad vigilandum & orandū exhortans; & à lupis, qui eos perſequi & lacerare conabantur eos defendens. Sed in alijs ſtationib. fuit ſicut ouis inter lupos, & agnus inter leones ac tigrides, ita ipſe à ſuis inimicis circumdatus incedebat; qui ingenti crudelitate ac feritate, eum mordebāt, & lacerabant iniurijs, opprobriis, doloribus, & cruciatib. eum affligentes, & ligatis manibus, tanquam ouem, quæ ad occiſionem ducitur, nec aperit os ſuum, vt conqueratur, eum ducentes. Impleuit hic in ſeipſo, quod ſuis diſcipulis euenturum prædixerat: g *ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum.* h *Eſtote ergo prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices, ſicut columbæ*: nam in huiuſmodi itineribus, ſiue ſtationibus, etiāſi perſecutiones & calumniæ, inimicorumque aſtutiæ eſſent horrendæ, ſemper tamen ſe tanquam agnum manſuetum habuit, nulla vnquam adhibita reſiſtentia, ſed ſyncerum, purumque ſicut columbam ſeipſum ſeruauit, nunquam illos offendendo: ſed prudentem etiam ſuper omnes ſerpentes ſe oſtendit, quia nunquam ab illis victus fuit aut deceptus, potiùs admiranda ſua ſapientia illos confundebat, nunc tacendo, nunc loquendo, prout magis expediebat.

g *Mat.* 10. 16
h *Luc.* 10. 3

Digitized by Google

III. Vnde, quò, quo modo proceſſerit Chriſtus.

Qvod ad *loca* attinet, vnde exibat, & ad *modum*, quo ambulabat, ac denique ad *terminum* harum ſtationum, perpendendum eſt, omnia loca fuiſſe illi afflictionis & doloris, ab vno ad alterum ita progrediendo, vt qui ſequebantur, ferè ſemper eſſent prioribus atrociores, à minori tribulatione ad maiorem aſcendendo; & omnes greſſus erant admodum celeres & feſtini, tum ob ſuorum inimicorum feritatem qui illum ad id vrgebant: tũ ob amoris magnitudinẽ, quo ipſe feſtinare cupiebat vt eò citiùs noſtram expediret redemptionem ita vt liceat illud hic de eo vſurpare, quod dixit ſponſa: g *ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles*: montes enim & colles ſunt tribunalia & palatia Pontificum, præſidum & Regum, in quibus non hic Dominus morabatur, vt eas conſolationes acciperet, quibus mundani homines in eis fruuntur: ſed magna feſtinatione, tanquam ceruus, quem canes inſequuntur, ſingula illa loca pertranſibat, morſus, vulnera, & cruciatus in ſingulis ſuſtinens, donec in Caluario monte vltimò eum apprehendentes in cruce luxatum occiderunt.

g Cant. 2. 8.

IV. Quid dixerit, fecerit, paſſus fuerit.

Deniqve in ſingulis his *locis* ſpiritualia aliqua *tabernacula* ædificabo, ſicut S. Petrus in monte Tabor cupiuit ædificare, vt in eis cum Chriſto Domino doloribus transfigurato, liceat commorari; perpendens ſigillatim, quæ in ſingulis loquitur, facit ac patitur mei cauſa. Primvm *tabernaculum* ædificabo in horto Gethſemani, & in eo commorabor cum ipſo Chriſto contriſtato & afflicto, & vigilans & orans cum eo, audiens, quæ cum æterno ſuo Patre, & ſuis diſcipulis colloquitur; illud *item*, quod ipſe dixit Angelus, cùm eum confortaret, & quod ipſe illi reſpondit; & inſpiciens pugnam, quam intra ſeipſum ſentiebat, & ſanguineum ſudorem, quem à ſe dimittebat, & greſſus eius, ſiue diſcedentis à ſuis Apoſtolis, vt ſolus pro ſe & pro eis oraret; ſiue ad eoſdem redeuntis, vt illos ad orandum excitaret. Petam verò, nunc tanquam diſcipulus à magiſtro, vt me doceat orare ac vigilare, nunc verò eundem, tanquam amicus, aut fidelis ſeruus, conſolabor in eius tribulationibus, compatiens illi tribulato, & comitans illum in ea deſertione. In hoc eodem tabernaculo aſpiciam, qua ratione ſuis inimicis occurrat, quæ illis verba dicat, quæ miracula in eiſdẽ edat, quos cruciatus ab eis recipiat, dum ab eis cõprehenditur, calcatur, manus eius ligantur. Quæ omnia licet valdè feſtinanter ſint facta, illa tamen ego non feſtinanter pertranſibo, ſed tam diu in hoc tabernaculo, & ſtatione hærebo, donec anima mea ſibi ſatisfecerit, & fuerit edocta ac permota ad amorem & imitationem eius, quod in ſuo Domino ibi videt.

Hoc totum deducemus ex iis, quæ in huius myſterij meditatione dicentur, & in hunc modum in reliquis quoque ſtationibus progrediemur

(∴)

Digitized by Google

PVNCTVM VIII.

De doloribus, quos beatiſsima Virgo in filij ſui paſsione ſuſtinuit.

IN eiſdem Paſsionis Chriſti myſterijs,perpendendi etiam ſunt dolores & afflictiones SS. Virg. matris eius, & Dominæ noſtræ: vt eidem etiam ob multa,quæ paſſa eſt, compatiamur;& eius quoque Filio ob ea, quæ & ipſe paſſus eſt eorum intuitu, quæ glorioſa eius mater patiebatur: & quandoquidem etiam illa eſt mater noſtra, noſtraq; peccata,ipſius dolorum cauſa fuerunt,par eſt, vt & nos illos ſentiamus,& ad imitandas excellentes virtutes,quas ipſa in illis manifeſtauit, noſipſos excitemus. Horum dolorũ magnitudo, ex duplici *radice* præcipuè cognoſci poteſt;PRIMA eſt ingẽs ille amor,quo filiũ ſuum Dominum noſtrũ proſequebatur: ad menſuram. n. amoris,ſequitur vel gaudium de bonis & proſperitate rei dilectæ,vel dolor de malis & aduerſitate, quib. eadem res amata afficitur:Amor aũt hic& dolor, in beatiſsima virgine, vehementiſsimi fuerunt,ob varias cauſas. Magnitudinis *prima Radix* eſt Amor ingens B.Virginis in filium.

PRIMA cauſa eſt,quia Chriſtus Dominus noſter,erat naturalis eius *filius*,quem teneriori ac puriori dilectione amabat,quàm omnes matres & parentes huius mundi, vnquã ſuos filios dilexerint. nam ſola illa fuit mater ſine patre,ideoque totus amor patris,ac matris, in ſolam ipſam ſimul ſe recepit.Et vt huius filij conceptio fuit ſingularis,opera ſcilicet Spiritus S.qui eſt amor: ita amor eius fuit ſingularis, ſic & dolor,quẽ in eius morte ſenſit,ita fuit ſingularis,vt potuerit dicere: a *ô vos omnes qui tranſitis per viam attendite & videte,ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Amoris illius ſeptem cauſæ. Prima quia naturalis eius filius. a *Thren.*1.12

HVc accedebat,quod idem filius,& primogenitus eſſet & *vnicus*;cuius vita charior eſſe ſolet,& mors plurimum adfert doloris. Quare cum ſcriptura planctum rei alicuius extollere & exaggerare vult,luctum & planctum vnigeniti appellare conſueuit, b *plangent*,inquit apud Zach. *eũ planctu,quaſi ſuper vnigenitum,& dolebunt ſuper eum, vt doleri ſolet in morte primogeniti.*Quantum itaq; planctum par eſt credere ſacratiſsimam Virginẽ feciſſe, in morte ſui huius vnigeniti,qui ſimul etiam erat vnigenitus Dei, cũ illum videret,adeò ignominioſè, & tot cruciatibus cruci affixum. II. Quia vnigenitus. b *Zach.*12. 10. b *Ier.* 6.26 b *Amos.* 8. 10.

TERTIÒ amplius,creuit adhuc amor *Virg.* in filium ſuum, ob magnam mutuam inter ſe ſimilitudinem, c *omne animal*, inquit Sap. *diligit ſimile ſibi, & omnis homo proximum ſibi*, ideoque ſolent parentes eum præ cæteris filiũ diligere,qui ipſis eſt maximè ſimilis. Cùm itaque Virgo ſanctiſsima & filius, valdè ſibi inuicem ſimiles eſſent,in conſtitutione corporis & conditione,in moribus& virtutibus;erant quaſi vnum quid in omnibus:ideoq; dolor,quo alter transfigebatur,cor alterius etiam transfigebat. III. Quia ſibi ſimillimus. c *Eccl.*13.19

Digitized by Google

omnibus populis & nationibus mũdi! Nõ miror, quod qui te nõ nouerũt, perſequantur; ſed quid dicam, cum videam, eoſdem, qui te benè nouerunt, & mille nominibus ad tibi ſeruiendum tenebantur, tanto te odio proſequi. Vtinam te nunquam fuiſſem meis peccatis perſecutus! ne quæſo patiaris Domine, vt te amplius perſequar, ſed fidelibus meis ſeruitiis, innumeris tuis beneficiis reſpondeam.

II. Quanta perſequentium crudelitas

DEINDE perpendenda eſt *crudelitas* & *feritas* iſtorum inimicorum & perſecutorum Chriſti: quia enim ipſi erant ſuperbi, ambitioſi, cupidi, hypocritæ, & ſimulatores; erant etiam hoſtes veritatis & magiſtri, qui illam docebat; ac medici, qui mortifera eorum vulnera ſanare cupiebat. Erant præterea animi perturbatione, odio, rancore, & inuidia aduerſus Chriſtum pleni, eò quòd ipſorum vitia ille reprehenderet; vanoſq; eorũ honores, Sapientiæ ſuæ, ſanctitatis & miraculorum authoritate obſcuraret: ideoque illum è medio ſublatum cupiebant, alij ob malitiam propriã alij vt ſuas iniurias vlciſcerentur, alij ob timorem neã Cæſaris aut plebis gratia exciderent; alij ex ignorantia, eò quòd, quis ille eſſet non ſatis cognoſcerent, alij ob falſum zelum religionis & publici boni; qui zelus ſi ſit cum inuidia coniunctus, crudelitatẽ exſtimulat, & ipſis feris reddit efferatiorẽ. O mitiſsime agne, iure merito clamas, a *circumdederũt me vituli multi tauri pingues obſẽderunt me, circũdederũt me canes multi, conſiliũ malignãtiũ obſedit me*: hoſtes enim tui leonum inſtar, & aliarũ ferarũ more, te circundant, ſuis rugitibus terrent, vnguibus lacerant, dentibus mordent, cornibus huc illuc vertunt, ab vno tribunali ad aliud trahentes, tanta crudelitate te percutientes, atq; ſi non homo, ſed ſtatua aut ſimulacrum hominis eſſes, vermis & deſpectio plebis. O ſi licuiſſet à diabolicis illis furiis te eripere! ſed charitas tua non permiſit, ſed obſtitit omnipotentiæ tuæ, (quæ facilè eripuiſſet) quo in medio tantæ feritatis, magis reſplenderent excellæ tuæ virtutes.

oratio a *Pſal.* 21. 13. 17

III. b *Luc.* 22. 53 Dæmonũ quanta rabies in Chriſtum c *Ioan.* 13. 2.

TERTIÒ perpendam, præcipuos Chriſti perſecutores, fuiſſe b *poteſtates tenebrarum* infernalium, hoc eſt *dæmonum* qui ſummè illum oderant, eò quod ex corporibus ipſos expelleret; animas verò ex ipſorum poteſtate eriperet; regnumque ipſorum, hoc eſt regnum peccati deſtrueret: ideoque vt ſeſe vlciſcerentur, hominum feritatem vrgebant, vt illum perſequerentur: c *Diabolus enim immiſit in cor Iudæ, vt traderet eum*; milites inſtruxit, vt varias irriſiones & iniurias in illum excogitarent: in Iudæis accendebat ignem iræ, quã ardebant; & quoniam licẽtia & facultas illi adhæc facta non fuit cum ea limitatione, qua facta fuit, cum permiſſus fuit perſequi S. Iob. d *veruntamen animam illius ſerua*, non hic fuit contentus Chriſtum Dominum in ſterquilinium proijcere, vulneribus plenum; ſed vita ipſa horrendis tormentis illum priuauit. O IESV

d *Iob.* 2. 6.

ſacer-

Digitized by Google

ſacerdos magne, quid tibi cum *Satana, cui à dextris tuis ſtanti* tanta poteſtas in ſacrum tuum corpus daretur? O amor inſatiabilis, cui non ſatis fuit ab hominibus cruciari, niſi iidem à dæmonibus ad id faciendum vrgerentur, & vt in ſe cruciatus illos ſuſcipiens, ab illis me liberaret, quos iidem mihi ob mea peccata intuliſſent. c Zach. 3. 1

DENIQVE perpendam, qua ratione huius Domini *dolores* & *pœna* creuerint; nam ſapientiſſimæ animæ ſuæ oculis, inimicorum ſuorum rabiem penetrabat, non ſolum ex operibus & ſignis externis, ſicut cæteri homines; ſed quia verè ad ipſorum corda penetrans apertè videbat diabolica illorum vota ad ipſum cruciandum, & ignominia afficiendum, multò plus quàm exteriùs appareret: quamuis enim multi fuerint, grauesque cruciatus, quos illi attulerunt, multò tamen plures grauioresque ſi licuiſſet, intuliſſent. O IESV ſapientiſſime, ipſa tua f *ſcientia* tuum *auget laborem & dolorem*, nihil tamen, te de amore tuo remittente, quia plenius eſt cor tuũ amore aderſus tuos inimicos, vt ipſorum in commodi intuitu patiaris; quam illorum corda ſint odio plena, in tuum incommodum. Reple me Domine inflammata tua charitate, vt inuictam tuam imiter patientiam. Amen. IV Aeſtimanda crudelitas perſequentium, ex animo ipſorum, nõ ex opere tantum. f Eccl. 1. 18.

PVNCTVM IV.

De ijs, in quorum commodum, & quas ob cauſas Chriſtus patitur.

CONSIDERANDVM primò eſt Chriſtum Saluatorem noſtrum, omnes illos contemptus & dolores perpeſſum eſſe, ad peccata *hominum* præteritorum, præſentium & futurorum, debitaque omnium, pretio ſanguinis ſui, tanto dolore & contemptu effuſi, exſoluenda. Ex quo deducere poſſumus particulares aliquas ſupremæ huius paſſionis cauſas; vt videlicet propugnaret honorem patris ſui, qui tot iniuriis hominum fuerat offenſus; & vt iuſtiſſimam eius contra homines indignationem placaret; eoſque patri ſuo, à culpis pœniſque, quas propter eas erant promeriti, ſiue temporalibus, ſiue æternis expiatos reconciliaret; & vt illis promereretur & conſequeretur gratiã, & charitatem, ac virtutes oẽs, mediaq; neceſſaria, & accõmodata, quibus iuſtificationẽ & perfectionẽ ſuã aſſequerentur; ac deniq; vt cæli portas illis reſeraret; & ad *gloriã* & vitam æternam eoſdem introduceret, impedimẽtis omnibus, quæ obſtare poterant, ſublatis. Ex quo fit, quia hominum peccata non ſolùm erant innumera; ſed, quòd contra Deum infinitum admiſſa eſſent, etiam grauitate erant infinita, neceſſarium fuiſſe; vt qui huiuſmodi cruciatus pro illis offerret, ad exſoluendum ex æqualitate iuſtitiæ tantum illud debitũ, infinitæ eſſet excellentiæ. Et quamuis hoc nomine, quilibet Chriſti do- I. Chriſtus paſſus eſt p o omnibus hominibus. Vt promereretur eis gratiam & gloriam Cum ſuffeciſſet ad id vel vna ſanguinis gutta.

Quare tanta voluerit pati.

a Pſal. 129. 7

Serm. 3. de Natiuit.

lor, & quælibet gutta eius ſanguinis ad id ſuffeciſſet, ratione offerentis, qui erat perſona infinita; voluit ille tamen tantam dolorum multitudinẽ pati, vt eius a *redemptio* magis eſſet *copioſa*; & agnoſcerent homines infinitam ſuorum peccatorum grauitatem. Vt enim ait S. Bernardus: *Ex conſideratione remedij, periculi mei æſtimo magnitudinem. Agnoſce*, ait, *homo; quam grauia illa ſunt vulnera, pro quibus neceſſe fuit Chriſtum vulnerari. Niſi illa lethalia fuiſſent vulnera, & quidem æterna morte digna, nunquam Dei filius, pro eorum remedio moreretur.*

Quare toto in corpore.

CERNEBAT redemptor noſter, totum generis humani CORPVS myſticum, à planta pedis vſque ad verticem capitis, innumeris culpis ſauciatum; cui vt mederetur, voluit etiam ſuum corpus, à planta pedis vſque ad verticem capitis, vulneribus innumeris vulnerari, ſpiritum verò grauiſſimis ignominiis affligi; vt antidotum, quod ipſe adferebat, vulneri cui applicandum erat, eſſet proportionatum. Ob inordinatas diuitiarum cupiditates noſtras, manes tu, Domine, in cruce nudatus: ob ſuperbiam hominum eruditorum, ſtultus iudicaris & ignarus: ob eorum vanitatem, qui ſanctos ſe eſſe exiſtimant, tu irrideris tanquam peccator: ob tumorem potentium, tu tanquam miſer, & ad omnia debilis tractaris: ob ſenſualium hominum voluptates, tu cruciatibus oneraris: quinque tuorum ſenſuum dolores, exceſſus ſoluunt ſenſuum noſtrorum: *caput* tuum coronatur *ſpinis*, in pænam noſtrarum ambitionum: *lingua* tua *felle* & *aceto* affligitur, ob noſtras voracitates & ebrietates: *manus* & *pedes* tui *clauis* perforantur in pænam iniquorum operum noſtrorum & greſſuum deteriorum *ſcapulæ* tuæ *flagellis* arantur, propter furta & ſcelera, quæ nos ſuper noſtras collocamus: *humeri* tui, *crucis* onere opprimuntur, eò quòd noſtri, onus tuæ legis excuſſerunt.

Oratio.

O Redemptor liberaliſsime, cuius redemptio adeò eſt copioſa, vt, ſi mundi eſſent infiniti omnes poſſet redimere: applica Domine, eandem ipſam redemptionem huic vnico mundo, quem condidiſti vt omnes ea fruantur & ſaluentur: Amen.

II. Chriſtus paſſus pro inimicis.

PERPENDAM deinde, CHRISTVM Dominum, omnes illos *cruciatus*, pro ſuis *inimicis*, à quibus eos accipiebat, ſuſtinuiſſe: ſanguinemq; ſuum pretioſum effudiſſe, vt etiam peccata illa deleret, quæ ipſi perſecutores, dum illum effunderent, committebant: cuius certum teſtimonium eſt, quòd pendens in cruce, pro eis orauerit, eoſque excuſauerit, dicens: b *Pater dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt*. Eſtque eius charitas adeò immenſa, vt paſsionem ſuam offerat, vt eâdem charitatem illis impertiatur, qui illum oderunt: vt honorem habeant illi, qui auferunt ipſi honorem: vt eos donet libertate, qui ipſum comprehendunt, vt quietem illis adferat, qui ipſum tantopere affligunt: & vt æternam eis det vitam, qui crudelem ipſi inferunt mortem. Sit benedicta, Saluator mi, immenſa iſta tua

chari-

charitas,& gloria ſit infinitæ iſti tuæ miſericordiæ! Vtinam inimici tui illam nouiſſent! erubuiſſent procul dubio de tanta ſua ingratitudine, & ex inimicis amici facti,non ceſſaſſent te laudare,tibique maiori amore ſeruire quam antea perſequerentur rancore. Aperi,Domine , oculos eorum, qui te nunc perſequuntur,vt à tali perſecutione abſtinentes,ſeriò de multis tibi exhibendis obſequiis cogitent,& agant.

TERTIÒ exactiore attentione conſiderandum eſt,ita Chriſtum Dominum,omnes illos contemptus & dolores, pro *omnibus* mundi hominibus ſuiſſe perpeſſum, vt ſpecialiter eoſdem pro *ſingulis* illorum,& pateretur & offerret,atque ſi vnus ſolus fuiſſet in mundo,quem in memoria & corde ſuo præſentem haberet, eiuſque peccata, miſerias & neceſsitates ita perpenderet, atque ſi nullæ eſſent aliæ, quas aſpiceret, aut pro quibus remedium illud offerret,ita vt dicere mihi liceat, quod Apoſtolus de ſe ipſo dixit, loquens de ipſo Chriſto Domino,c *qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* O anima mea, ſi te in corde tui dulcis IESV vidiſſes, eum tales dolores pro te patiebatur. O ſi intellexiſſes amorẽ & ſolicitudinem qua illos pro tuis peccatis obtulit; procul dubio præ dolore defeciſſes, agnoſcens te illius dolorum cauſam extitiſſe; & exarſiſſes amore , quo te in mediis tot doloribus,ita videres ab eo amari. Plange ergò nunc tua peccata,pro quibus tanta patitur ille,qui tantoperè te amauit; redama verò omnibus tuis viribus eum,qui pro te tanta paſſus eſt, & ita illum lauda & glorifica,atque ſi pro te ſola omnia illa paſſus eſſet, Amen.

III. Chriſtus paſſus non pro omnibus tantũ, ſed & pro ſingulis

c *Gal.* 2.20.

PVNCTVM V.

De amore & affectu, quo Chriſtus Dominus patiebatur.

PVNCTVM hoc tenerrimum eſt,quod & condimenti loco nobis eſſe debet,ad guſtum & ſaporem ſpiritualem inueniendum in omnibus, quæ de Chriſti Paſsione meditabimur; perpendentes magnitudinẽ & immenſitatẽ amoris illius,quo Dominus hic noſter omnes ſuos cruciatus tolerabat, ſiquidem nulla vi aut neceſsitate,ſed (vt Iſaias dixit a *quia ipſe voluit*, & ſponte ſua,quia ipſe bonus erat & miſericors; &, vt patri ſuo æterno placeret,omnibusque hominibus benefaceret, propenſus; & vt diuitias,infinitosque charitatis,miſericordiæ,ac liberalitatis Dei erga ſuas creaturas theſauros manifeſtaret. Hinc proueniebat,vt, quoniam tantoperè æternum ſuum patrem amabat,eiuſque intuitu etiam homines eodẽ ipſo immenſo amore toleraret quicquid pro illis pateretur; id totũ magna ſua voluptate , & conſolatione amplectens , propter illorum bonum. O ſi daretur poſſe inueſtigare & b *comprehendere,quæ ſit latitudo & longitudo,& ſublimitas & profundum: ſcire etiam ſupereminentem ſciẽ-*

a *Iſai.* 57.7. *Oblatus eſt quia ipſe voluit.*

b *Ephe* 3.19

Digitized by Google

tiæ charitatem Chriſti IESV! O ſi daretur ingredi in cor illud Chriſti inflammatum, & videre fornacem illam ignis infiniti in eo ardentis, & liquefieri eodem igne, vt inde amore plenus exiens, amare eum poſſem, vt ſum ab ipſo amatus; & amore pro eo pati, qui tanto pro me patitur amore. Ex quo interno amore talia ſigna & indicia exteriùs procedebant, vt ſufficerent, cor ipſa glacie frigidius liquefacere; & etiamſi rupe durius eſſet, illud emollire.

I. Amoris in patiẽdo Primum ſignum eſt deſiderare Paſsionem Quantum Chriſtus deſiderauerit.

INPRIMIS enim ſignum, quod *labores* amentur, eſt *deſiderare* vt cito illi aduenìant, cum voluptate de eis loqui, eorum memoriam frequenter renouare, magno gaudio & lætitia, locum illum adire, in quo ſunt tolerandi; grauiter ferre, quod illi retardentur, eos denique reprehendere, qui ne labores veniant, impediunt, eoſque ſuos aduerſarios & ipſum Satanam compellare. Hæc omnia faciebat dulcis IESVS, vt qui hoc ipſum quod eſt *pati*, vehementer arderet, vt in ſequentibus apparebit, quam ob cauſam diſcipulis ſuis dixit, c *baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſq; dum perficiatur!* O dilecte mi, ſi baptiſmus hic fuiſſet aquæ non mirarer, grauem tibi eſſe eius moram & dilationẽ; ſed cum ſit baptiſmus ſanguinis, & ſanguinis quidem ex tuis venis, ingenti dolore profluentis, quomodo tanta ſolicitudine illum deſideras! ô ſi mihi tanta fames, tantumq́ue deſiderium dolores tolerandi daretur, vt illis potiùs quàm ipſa quiete delectarer!

c *Luc.* 12.50

Oratio.

Sed quoniam multi, antequam in *afflictiones* incidant, iactant ſe illas optare, quas tamen, cùm accedunt horrent & fugiunt, eſt aliud certius indicium amoris & affectus erga huiuſmodi afflictiones, ſi quis eas ipſas aggrediatur & illis obuiet, nec fugiat aut ſe ſubtrahat etiam cum poſſit; ſi non ſe excuſet; nec ſe ipſum tueatur; nec pro ſui defenſione aliquid afferat, quò ſe ab eis expediat, etiam cum ad id ab aliis prouocatur, aut vrgetur: ſi ſeipſum, abſque reſiſtentia vlla, paratum offerat ad ſuſtinendum, quicquid eius tortores inferre voluerint, idq́ue ita manſuetè, vt tortores animum non abijciant aut deſiſtant à torquendo, etiam poſt multos illatos cruciatus. Quæ omnia & multò plura, Chriſtus Dominus oſtẽdit in ſua paſsione: profectus enim eſt ad *hortum*, vbi erat comprehendẽdus, cùm potuiſſet patrem ſuum orare, vt in ſui defenſionem mitteret Angelorum Legiones, ſed id non fecit. & cùm hoſtes ad ipſum comprehendendum iam acceſsiſſent, & ad vnicum ipſius verbum fuiſſent in terram proſtrati permiſit tamen ſurgere, & ſe comprehendere, faciem ſuam alapis, corpus flagellis obtulit, nec faciem auertit, nec corpus vlli dolori ſubtraxit, nullum coram HERODE miraculum edere voluit, quò ab ipſo protegeretur: nec pro ſua defenſione, aliquid apud PILATVM adferre, vt liber dimitteretur: quamuis ad id Pilatus eum

Chriſtus quomodo id præſtiterit.

prouocaret, de eius ſilentio valdè admirans; ac denique iniuſtiſsimam eius ſententiam acceptans, crucem ſuam iucundè amplexatus eſt, ac poſtea ſuper eam ſeſe extendens, permiſit ſe duriſsimis ferreis clauis configi, quia amoris clauis prius erat magis confixus! O d *amorem* infinitum! ô ignem immenſum! *quem aquæ multæ* laborum & afflictionum adeò ingentium, *exſtinguere non potuerunt*, ſed potiùs accenderunt! eodem, quæſo, amore, me Domine accende; & eodem me igne inflamma. d *Cant.* 8. 7

III. Paratum eſſe plura perpeti quã patiaris. Chriſti promptitudo. Oratio

SED vlterius adhuc immenſus IESV amor progreſſus eſt, & ampliora immenſitatis ſuæ indicia edidit; vt qui non ſatiatus iis, quæ paſſus eſt, infinitè plura pati concupiuerit. Nam attendens ingentia inimicorũ deſideria, nouos inueniendi eum cruciandi modos; ipſe charitatem ſuam dilatans, non ſolùm, quos inferebant cruciatus, libenter ſuſtinebat, ſed paratum etiam ſe oſtendit, ad perferendos quoſcunque illi vellent inferre, etiam incomparabiliter maiores; ſi ad noſtram reparationem fuiſſet neceſſarium. O *ignis* infinite, qui ſemper ardes, e *nec dicis vnquam ſufficit*, quid tibi pro tanto hoc patiendi deſiderio retribuam? plurimum certè debeo propter plurima, quæ pro me ſuſtinuiſti; ſed multò plura fateor me debere propter ea, quæ pati deſideraſti, ſi id fuiſſet ad noſtram redemptionem neceſſarium. Si enim quinque millia flagella ſuſtinuiſti, non deerat tibi amor ad alia quinquies millia millium etiam crudeliora ſuſtinenda: ſi caput tuum ſeptuaginta duabus ſpinis fuit tranſfixum, paratus erat amor tuus, vt ſeptuagies millies transfigi ſe pateretur: ſi tres horas in cruce ingentibus doloribus pependiſti, paratus eras ad mille horas etiam grauioribus cruciatibus pendere; plus tu cupiebas torqueri, quam tui vellent hoſtes cruciare; plus tu amaſti tolerare dolores, quam omnes huius mundi homines ab eis cupiant liberari, & requieſcere. O ſi quis mihi amorem daret adeò inſatiabilem, vt nunquam pati ſatiaretur pro eo, qui tanta pro me, & inſatiabili amore perpeſſus eſt. Magnũ huius amoris teſtimonium fuit illud, quòd in horto fuit geſtum, vbi idem hic Dominus, carnificum cruciatus præueniens, ſponte ſua ſuis doloribus dedit initium, eiuſmodi doloris indiciis, vt ſanguinem ſudaret, ſicut ſuo loco erit perpendendum.

e *Prouer.* 36 10.

PVNCTVM VI.

De heroicis virtutibus, quas in ſua paſsione Chriſtus exercuit.

II. Patiens Chriſtus

CONSIDERANDVM imprimis eſt, Chriſtum Dominum in paſſione ſua, omnes præcipuas Chriſtianæ & perfectæ vitæ *virtutes* exercuiſſe, & quidem ſingulas, quantum ad externos actus, in gradu

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMAN.
Digitized by Google

heroico: multoque præſtantiori in actibus internis, qui externos comitabantur. Cuius ea fuit PRIMA cauſa quod *ipſe* veniſſet, vt magiſter eſſet, exemplarque virtutum. Hinc tẽpore paſsionis voluit omnium velut epilogum facere, & ſingulare earum a *exemplum nobis præbere,* ſicut ipſe dixit, *poſtquam diſcipulorum pedes lauiſſet.* SECVNDA cauſa fuit, quia *ſua paſsione* virtutes omnes nobis promeriturus, & impetraturus, merita noſtra actuali earũ exercitationi inniti voluit. TERTIA vt ea ratione, *virtutum* ipſarum *honorem* & præſtantiam tueretur, quæ valdè iacebant, & nullam pænè in mundo habebant opinionem, illæ præcipuæ; quæ mundi contemptum docent. QVARTA, vt teſtamento, & vltimâ ſuâ voluntate, *ipſa morte* confirmatâ, excellentes omnium virtutum actiones, nobis relinqueret: nam vt in vltimo ſuo ſermone dixit, a *mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos,* ſic dicere potuit, imò ipſo opere dixit, nouum quoddam mandatum do vobis, vt humilietis vos, ſicut ego me humiliaui, & vt obediatis ac ſuſtineatis, ſicut egò obediui & ſuſtinui. O dulcis magiſter doce me has virtutes exercere, & ſequi exemplum, quod mihi dediſti, vt & ego pro modulo meo earundem virtutum honorem & opinionem, ad tuam gloriam propugnem, Amen.

exercuit virtutes in heroico gradu, quatuor ob cauſas. 1. *a Iob.13. 15.* 2. 3. 4. *a Ioan.13. 34. & 15.12.*

II. *Octo beatitudines.* Quomodo in paſsione exercuerit. 1. *b Matt.5.3. &c.*

DEINDE perpendam multitudinem & præſtantiam harum virtutum, diſcurrendo per 8. heroicos actus, quos Chriſtus Dominus in ſuo ſermone, quem in monte habuit *beatitudines* appellauit, quaſque ipſe in ſua paſſione valdè eminenter exercuit. Nam primò exercuit *Paupertatem ſpiritus,* dum rebus omnibus, etiam propriis veſtimentis renunciauit, nudus omninò in cruce manens. Cum paupertate verò ſimul exercuit *Humilitatem,* quæ in ea includitur, dum vanos omnes honores, mundique pompas calcauit, amplexus verò eſt omne genus opprobriorum, vt ſupra retulimus.
2. Exercuit etiã heroicam *Manſuetudinem,* in medio tot ferarum, quæ ipſum mordebant & lacerabant; ipſe verò tanquam agnus nec loquebatur, nec ſe defendebat, aut indignabatur; tantam verò ſimul oſtendit *Fortitudinem,* atque ſi eſſet adamas, in omnibus, quæ patiebatur.
3. *Fleuit* amarè pro noſtris peccatis c *clamore valido & lacrymis, preces & ſupplicationes offerens,* etiam vſque ad d *ſanguinem,* quem per omnes delicatiſsimi ſui corporis poros *ſudando* effudit. *c Heb 5. 7.* *d Luc.22.44*
4. *Eſuriuit* inſatiabiliter iuſtitiam, quia nunquam ſatiatus fuit in faciendis bonis, nec in perferendis malis, vt nos iuſtificaret, & ſanctitatis exempla præbere: & hanc ob cauſam in cruce pendẽs dixit: *Sitio.*
5. Fuit etiam ſingularis in *Miſericordia* erga miſeros, diſtribuendo illis, quicquid haberet, facultates omnes, honorem, ſanguinem & vitam, vt eorum miſeriis occurreret: corpus quoque ſuum in cibum dedit, vt eorum famem expleret: & ſanguinem ſuum in potum vt eorum ſiti ſatisfaceret.
6. *Cordis munditiam* habuit eminentiſsimam, conſeruans, ſe in gra-

uiſsimis

uiſsimis occaſionibus, abſque vllo peccato, & potiùs occaſionem ex eis accipiens ad præſtantiſsimos virtutum actus exercendos. Fuit excellentiſsimè *Pacificus*, quia nos cum æterno ſuo patre pacificauit, veramq́ue pacem nobis obtinuit, quam etiam erga eos retinuit, qui bellũ ipſi grauiſsimum inferebant. *Paſſus* denique eſt propter *iuſtitiam* maximas perſecutiones, quas vllus vnquam ſit paſſus, idq; maxima patientia, quam vllus vnquam habuerit, vt propterea, iure optimo, omnia ei præmia debeantur, quæ in his omnibus virtutibus correſpondent: eademq; promeritus eſt illis, qui ipſum in eiſdẽ virtutibus imitarentur. O ſupreme magiſter, ſi te loquentẽ in primo illo monte audiuiſſem, cùm de his virtutibus ſermonem inſtituiſti, & vidiſſem poſtea, dum in Caluario monte patiens, eaſdem exercebas; idem ipſe eras eundemq́ue finem in vtroque monte habebas, loquens & faciens, docens alios pati, dũ ipſe patereris. Concede mihi, Domine, gratiam, vt audiam, quæ me docuiſti, & exerceam, quæ ipſe exercuiſti, meipſum his, quæ feciſti, & paſſus fuiſti, tecum in omnibus conformando. 7. 8.

III. Quomodo exercuerit obedientiam.

TERTIÒ eaſdẽ Chriſti Domini noſtri *virtutes*, licet ſigillatim conſiderare, mente ratiocinando, per ſingularũ proprietates & gradus; & quoniã *exempla* in ſingulis ponere prolixũ eſſet, OBEDIENTIAE tantũ exemplũ, quæ cæteras omnes cõplectitur, adhibebo; de ea.n. dixit Apoſtolus, e *Chriſtum humiliaſſe ſemetipſum, factum obedientem vſq; ad mortem, mortem autem crucis &*, f *cùm eſſet filius Dei, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam*, quæ fuit heroica. PRIMVM quia non ſolum in rebus facilibus & proſperis obediuit, ſed in difficillimis & aſperrimis, qualis erat *mors* crucis: & quæ illam præceſſerunt. DEINDE etiã in reb. huiuſmodi præſtitit obedientiam *integerrimam*, nec iota quidem, aut apice relictis eorũ omniũ, quæ Prophetæ prædixiſſent, quod expendit S. Ioan. cũ dixit, g *ſciens IESVS quia omnia iam conſummata ſunt, vt conſummaretur ſcriptura, dixit: Sitio.* Atq; i diceret S. Ioan. Vt impleretur adhuc vna pœna earum, quas Prophetæ prædixerãt, & adhuc expleta nõ erat; quod ſcil. porrecturi eſſent acetũ ad bibendũ; cũ IESVS Sitiret, dixit: *Sitio.* TERTIÒ hæc obediẽtia & *prõptiſsima* fuit & ad punctũ, ſine mora, ſine replica, abſq; vllis excuſationib. ad omnia, quæ illi proponebãtur: quãuis grauia & aſpera eſſent, & ex parte iudicũ & carnificũ valdè iniuſta. QVARTÒ fuit obedientia generalis & *humilis*, qua omni hominũ generi ſceleſtorũ & impiorũ ſeſe ſubiecit: quia hãc ſciebat eſſe patris ſui voluntatẽ, iuxta illud, quod ipſe apud Iſaiã dixit: h *Dominus Deus aperuit mihi aurem*, hoc eſt, obedire me iuſsit, *ego autem non contradico, retrorſum nõ abij, corpus meũ dedi percutientib. & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus.* DENIQVE fuit obedientia *conſtans*, & ad mortem vſque perſeuerans, prius volens

e Phil. 2. 8.
f Heb. 5. 8.

1. Fortiſsimè. 2. Integerrimè. g Ioan. 19. 28. 3. Promptiſsimè. 4. Humillimè. h Iſa. 50. 5. 5. Cõſtantiſsimè.

vitam ſibi finiri, quã ab obediendo deſiſtere; & ita mortuus eſt obediẽs, & obediendo mortuus eſt, totaq; hæc obediẽtia ex mero proueniebat amo-
c Ioan. 14. 31 re, iuxta illud, quod ipſemet apud S. Ioan. dixit, c *vt cognoſcat mundus quia diligo patrem, & ſicut mandatum dedit mihi pater ſic facio ſurgite*, & ad patien-
Oratio dum *eamus hinc*. GRATIAS tibi dulciſsime Domine, ob exemplum heroicum obedientiæ, quod nobis dediſti, vtinam ei ſimilem haberem, fortem, integram, promptam ad punctum, conſtantem, & ex amore prouenientem: vt meipſum amore tui ſubiicerem omni humanæ creaturæ, vt mundus vniuerſus cognoſceret, quod te amen, tuaque mandata eo modo exequar, quo tu illa iubes. Propter tuam ſanctiſsimam obedientiam peto hanc obedientiam, iube Deus meus, quod vis, modo hanc virtutem mihi tribuas; vt tibi in omnibus, quæ iuſſeris paream.

Hac ratione licet ratiocinari circa eiuſdem Christi Domini humilitatem, paupertatem, ſilentium, modeſtiam, & reliquas virtutes.

PVNCTVM VII.

De ſeptem locis, ſiue ſtationibus quas Chriſtus Dominus tempore ſuæ paſsionis perambulauit.

Stationes Chriſti in Paſsione ſeptem.

VIAE ſiue *ſtationes* quas Chriſtus Dominus à nocte ſuæ paſsionis, vſque ad inſequentem diem perambulauit, poſſunt ad 7. reduci, quò in ſeptem hebdomadæ diebus poſsint eſſe meditationis argumen-
1. tum, quibus totus diſcurſus Dominicæ paſsionis continetur. PRIMA ſtatio ſeu via fuit, cùm à cœnaculo ad hortum Gethſemani cum ſuis diſci-
2. pulis abiit, vbi triſtatus eſt, *orauit*, & *ſudauit* ſanguinem: SECVNDA fuit ex horto, vbi fuit comprehenſus ad domum Annæ; vbi
3. de doctrina & diſcipulis ſuis examinatus *alapam* crudelem à quodam miniſtro accepit. TERTIA fuit ad domum Caiphæ, vbi *conſpu-*
4. *tus* & *colaphiſatus* fuit, grauiſsimasq; alias iniurias & dolores, tota illa no-
5. cte ſuſtinuit. QVARTA fuit ad domum Pilati præſidis, vbi fuit variis fal-
6. ſis *teſtimoniis* à Iudæis accuſatus. QVINTA ad regis Herodis aulam, vbi fuit ab ipſo & ſuo exercitu *ſpretus*. SEXTA fuit reditus ad Pilati domum,
7. vbi fuit *flagellatus*, ſpinis *coronatus*, & aliis *opprobriis* affectus, & *morti* adiudicatus. SEPTIMA & vltima fuit, inde ad *montem Caluarium*, baiulans ſi-
a Pſal. 118. 164. bi crucem, cui ibi fuit affixus. Ob ſeptem huiuſmodi ſtationes, par eſſet exemplo Dauidis a *ſepties in die laudem*, & gratias *eidem Domino dicere ſuper iudicia iuſtitiæ eius*, & miſericordiæ, quæ in eis reſplendet; immorando
Quæ conſideranda, in qualibet ſtatione. diutius in conſideratione eius, qui eas obiit ſtationes; & finis, quem ſibi præfixit: ſociorum, quos ſecum habuit, locique, ex quo exit: modi ambulandi, loci item, in quo ſiſtit: rerum, quas loquitur, facit, & patitur, eum ex omnibus ſpiritum & vtilitatem hauriendo, in quam omnia ab ipſo Chriſto dirigebantur.

In ipſius Chriſti Domini Persona, conſideranda eſt infinita eius dignitas, vt ſupra diximus; & expendendi ipſius *greſſus* & *affectus* ſpiritus, quos externis greſsib. adiūgebat, eos ad æterni patris gloriā ordinando, & ad pro noſtris peccatis ſatisfaciendū. Et fortè ſeptē fuerūt illæ ſtationes, in pœnam iniquorū greſſuum, quos in ſeptē capitalib. peccatis nos ambulauimus & ad conſtringendā b *draconis magni, & rufi* ſuperbiā *habētis capita ſeptē* qui ſua tyrannide mundum occupabat; & ad domandam hominum huius ſeculi ſuperbiam & rebellionem; nobis verò dandum exemplum humilitatis & patientiæ, iuxta illud, quod ſcriptum eſt, c *contriti ſunt montes ſeculi, incuruati ſunt colles mundi, ab itineribus æternitatis eius.* Quaſi diceret, ſuperba & elata corda, rebelles ac proteruæ mentes, ſeſe humiliarunt ac ſubiecerunt, propter ſtationes & itinera, quæ æternus hic Dominus ambulauit, ita ab ipſo in eum finem ab æterno diſpoſita. O Devs æterne & Saluator noſter, d *agnus*, qui pro nobis *occiſus es ab origine mūdi*, clarifica animæ meæ oculos, vt hæc itinera, greſſuſque tuos ob noſtram redemptionem ita conſiderem, vt finem, in quem tu eos direxiſti, conſequi valeam. Propter illos quæſo Domine ignoſce & e *dirige greſſus meos, ſecundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniuſtitia.* O Pater æterne, qui f *greſſus hominum dinumeras*, tam iniquorum, vt eos caſtiges; quàm piorum, vt præmiis afficias, reſpice greſſus dilecti filij tui, propter quos ſupplico, vt meos ita dirigas vt ſint illis omninò conformes. Amen.

Persona gradiens: & gradientis affectus ac finis.

b *Apoc.* 12. 3

c *Hab.* 3. 6.

Oratio

d *Apoc.* 13. 3

e *Pſal.* 118. 133.

f *Iob.* 14. 16.

Qvod attinet ad *ſocios* & *comites* Chriſti Domini in his ſtationibus, oportet conſiderare, interdum fuiſſe cum ſuis diſcipulis, inſtar paſtoris in medio ouiū ſuarū, & ita primā peregit ſtationem à cænaculo ad hortū, eos conſolans, & ad vigilandum & orandū exhortans; & à lupis, qui eos perſequi & lacerare conabantur eos defendens. Sed in alijs ſtationib. fuit ſicut ouis inter lupos, & agnus inter leones ac tigrides, ita ipſe à ſuis inimicis circumdatus incedebat; qui ingenti crudelitate ac feritate, eum mordebāt, & lacerabant iniurijs, opprobriis, doloribus, & cruciatib. eum affligentes, & ligatis manibus, tanquam ouem, quæ ad occiſionem ducitur, nec aperit os ſuum, vt conqueratur, eum ducentes. Impleuit hic in ſeipſo, quod ſuis diſcipulis euenturum prædixerat: g *ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum.* h *Eſtote ergo prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices, ſicut columbæ*: nam in huiuſmodi itineribus, ſiue ſtationibus, etiāſi perſecutiones & calumniæ, inimicorumque aſtutiæ eſſent horrendæ, ſemper tamen ſe tanquam agnum manſuetum habuit, nulla vnquam adhibita reſiſtentia, ſed ſyncerum, purumque ſicut columbam ſeipſum ſeruauit, nunquam illos offendendo: ſed prudentem etiam ſuper omnes ſerpentes ſe oſtendit, quia nunquam ab illis victus fuit aut deceptus, potiùs admiranda ſua ſapientia illos confundebat, nunc tacendo, nunc loquendo, prout magis expediebat.

II. Socii cum quibus graditur.

g *Mat.* 10. 16

h *Luc.* 10. 3

Digitized by Google

PVNCTVM VIII.

De doloribus, quos beatiſſima Virgo in filij ſui paſſione ſuſtinuit.

IN eiſdem Paſsionis Chriſti myſterijs, perpendendi etiam ſunt dolores & aſflictiones SS. Virg. matris eius, & Dominæ noſtræ: vt eidem etiam ob multa, quæ paſſa eſt, compatiamur; & eius quoque Filio ob ea, quæ & ipſe paſſus eſt eorum intuitu, quæ glorioſa eius mater patiebatur: & quandoquidem etiam illa eſt mater noſtra, noſtraq; peccata, ipſius dolorum cauſa fuerunt, par eſt, vt & nos illos ſentiamus, & ad imitandas excellentes virtutes, quas ipſa in illis manifeſtauit, noſipſos excitemus. Horum dolorũ magnitudo, ex duplici *radice* præcipuè cognoſci poteſt; PRIMA eſt ingẽs ille amor, quo filiũ ſuum Dominum noſtrũ proſequebatur: ad menſuram. n. amoris, ſequitur vel gaudium de bonis & proſperitate rei dilectæ, vel dolor de malis & aduerſitate, quib. eadem res amata afficitur: Amor aũt hic & dolor, in beatiſsima virgine, vehementiſsimi fuerunt, ob varias cauſas. Magnitudinis *prima Radix* eſt Amor ingens B. Virginis in filium.

PRIMA cauſa eſt, quia Chriſtus Dominus noſter, erat naturalis eius *filius*, quem teneriori ac puriori dilectione amabat, quàm omnes matres & parentes huius mundi, vnquã ſuos filios dilexerint. nam ſola illa fuit mater ſine patre, ideoque totus amor patris, ac matris, in ſolam ipſam ſimul ſe recepit. Et vt huius filij conceptio fuit ſingularis, opera ſcilicet Spiritus S. qui eſt amor: ita amor eius fuit ſingularis, ſic & dolor, quẽ in eius morte ſenſit, ita fuit ſingularis, vt potuerit dicere: a *ô vos omnes qui tranſitis per viam attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Amoris illius ſeptem cauſæ. Prima quia naturalis eius filius. a *Thren.* 1. 2

HVc accedebat, quod idem filius, & primogenitus eſſet & *vnicus*; cuius vita charior eſſe ſolet, & mors plurimum adfert doloris. Quare cum ſcriptura planctum rei alicuius extollere & exaggerare vult, luctum & planctum vnigeniti appellare conſueuit, b *plangent*, inquit apud Zach. *eũ planctu, quaſi ſuper vnigenitum, & dolebunt ſuper eum, vt doleri ſolet in morte primogeniti.* Quantum itaq; planctum par eſt credere ſacratiſsimam Virginẽ feciſſe, in morte ſui huius vnigeniti, qui ſimul etiam erat vnigenitus Dei, cũ illum videret, adeò ignominioſè, & tot cruciatibus cruci affixum. II. Quia vnigenitus. b *Zach.* 12. 10. b *Ier.* 6. 26. b *Amos.* 8. 10.

TERTIÒ amplius creuit adhuc amor *Virg.* in filium ſuum, ob magnam mutuam inter ſe ſimilitudinem, c *omne animal*, inquit Sap. *diligit ſimile ſibi, & omnis homo proximum ſibi*, ideoque ſolent parentes eum præ cæteris filiũ diligere, qui ipſis eſt maximè ſimilis. Cùm itaque Virgo ſanctiſsima & filius, valdè ſibi inuicem ſimiles eſſent, in conſtitutione corporis & conditione, in moribus & virtutibus; erant quaſi vnum quid in omnibus: ideoq; dolor, quo alter transfigebatur, cor alterius etiam transfigebat. III. Quia ſibi ſimillimus. c *Eccl.* 13. 19

Digitized by Google

VI. Quia ſanctiſsimus & ſapientiſſimus. S. Thom. 2. 2. q. 26. a. 7. & 11. d Luc. 23. 27

Qvarta ratio, cur beatiſsima Virgo filium ſuum amaret, fuit *ſanctitatis* & *ſapientiæ* filij magnitudo: charitas enim, cùm eſt bene ordinata, plus diligit ſanctiores, & eos, qui ſunt proximiores Deo: quod ſi huic cauſæ accedat, quod iidem ſint quoque nobis ſanguine coniunctiores creſcit plurimum talis amor quia coniungitur gratia cum natura: vt ille perfectior euadat: pari autem paſſu creſcit & dolor, ſi conſpiciatur, qui ſanctiſsimus eſt, aliquid pati: nam credimus illum abſque culpa pati, accreſcit noſtra pœna. Quod ſi d *mulieres & filiæ Ieruſalem plangebant & lamentabantur*, cùm viderent Chriſtum patientem, quem innocentem iudicabant, quantò ampliùs amariusque hæc Virgo fleuiſſe credenda eſt, quæ eundem ſciebat eſſe ſanctum ſanctorum & fontem totius ſanctitatis?

V. Quia infinitus ſuus benefactor.

Qvinta cauſa fuit, quòd eundem filium ſuum agnoſceret ſuum *benefactorem* infinitum, à quo innumera & excellentiſsima beneficia recepiſſet, & in illis illud ſummum, quod ipſam in ſuam matrem elegiſſet: & quoniam amor eſt aliàs gratus, deſiderat infinita bona ſuo benefactori, vt quod in ſe eſt rependat ea, quæ ab illo accepit. Quanta igitur pœna affecta fuerit beatiſsima Virgo, cùm videret adeò horrenda mala perpeti eum, cui infinita bona euenire cupiebat?

VI. Quia etiã Filius Dei. e Luc. 10. 27

Sexta huius amoris cauſa fuit, quòd cũ eius eſſet filius, ſimul etiã erat *filius* Dei viui, Deusq; ipſe infinitus, ideoq; dignisſimus, qui ob ſuã bonitatẽ & pulchritudinem infinitã amore infinito diligeretur: & quoniam ipſa virgo, magna luce illuſtrata, agnoſcebat infinitam hanc filij ſui excellentiã e *ex toto corde ſuo & ex tota anima ſua, & ex omnibus viribus ſuis illum diligebat*, nihil ſubtrahens de ſummo amore, quem illi poterat offerre: & iuxta hanc amoris menſuram, creuit & dolor; vt eſſet ille etiam ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus ſuis; quod adeò contemptum & deſpectum videret eum, qui nominibus infinitis honorari, & amari merebatur.

VII. f Rom. 5. 5. g 1. Cor. 6. 17. Quia Spiritu Filio erat coniunctiſsima. h Gal. 2. 19. Altera Radix eſt, viua repræſentatio & apprehenſio dolorum filii.

Deniqve, f *Spiritus S. diffuderat in eius corde charitatem Dei*, coniungendo illam ſibi eo vnitionis amore, vt g *vnus Spiritus eſſet cùm Deo*, & cum filio ſuo. Ex quo proueniebat, vt & proſpera & aduerſa eius, vt propria reputaret, multoq; amplius de filii doloribus doleret, quam ſi ipſa eoſdẽ ſuſtineret, quia plus illum, quàm ſeipſam amabat: & quoniã vi tanti huius amoris extra ſe exiens, tranſibat ad cor filij ſui; quod ille patiebatur, patiebatur & ipſa, & ſentiebat in ſe, quod cernebat ſentire filium, vt melius multò quàm Apoſt. dicere poſſet, h *Chriſto affixa ſum cruci, viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*, & ego in Chriſto.

Cvm amoris huius magnitudine coniungebatur *ſecunda* radix doloris, quæ eſt viua illa apprehenſio quã habebat de doloribus filii ſui, cũ circũſtãtiis omnib. quas retulimus: legerat. n. diuinas ſcripturas, quæ illos re-

fere-

ferebant, quos etiam cæleſti luce penetrauerat; cumque præſens adeſſet, non ſolùm expendebat quod exteriùs apparebat; ſed ad interiora penetrans, adcò viuā ſibi repræſentationem formabat, vt ſe in imaginem eius, quod filius patiebatur, transformaret. Hic fuit i *gladius* ille bis acutus, ex acutus cognitione & amore qui *pertranſiuit*, iuxta Simeonis prohetiā, non corpus, ſed *animam* huius puriſsimæ virginis, & hoc modo etiā ipſa k *bibit calicem* paſsionis, quem Chriſtus Dominus obtulit filiis Zebedæi; fuitque baptizata baptiſmo pœnarum, & ſubmerſa in amaro tribulationum mari, ita vt meritò de ea dici poſsit illud Ieremiæ: l *magna eſt velut mare cōtritio tua*, & afflictionis tuæ amaritudo. O ſuprema virgo, quis enarrare poterit amaritudinem illam, quam ſeptem prædictis amoris & doloris cauſis ſenſiſti, quæ inſtar ſeptem gladiorum cor tuum tranſuerberarunt! liberum tibi eſt in hac occaſione illud vſurpare: m *Ne vocetis me Noemi, (id eſt pulchram) ſed vocate me Marah, (id eſt amaram) quia amaritudine valdè repleuit me omnipotens.* Magno fauore te proſecutus eſt omnipotens in die ſuæ in te Incarnationis; ſed magnā etiā afflictionē idem omnipotens tibi attulit, in die ſuæ paſsionis. Siquidem afflictiones, quas ipſe mittit, fauores & gratiæ reputantur, ora eundem omnipotentem, ſuam vt potentiam in me oſtendat; ſenſum communicando eius, quod ipſe paſſus eſt; & gratiam, ad eundem in eo ipſo imitandum. Amen.

i *Luc.* 2. 35.
k *Matt.* 20. 22.
l *Thre.* 2. 13. Oratio
m *Ruth.* 1. 20.

Ex his conſiderationibus deducere licet, altiſsimam diſpoſitionem, ad intimè ſentiendum dolores & pœnas paſsionis Chriſti Domini noſtri, eſſe amorem, qui (vt ait S. Bonauentura) quò erit magis accenſus, eò dolor & compaſsio erit maior; qua compaſsione & ipſe amor augeſcit. Quare ex prædictis *ſeptem* cauſis eas ſeligam, quæ magis conferunt ad conquirendum feruentem hunc amorem; & cum ipſo Chriſto coniunctionem, ob quam participem me faciat dolorum ſuorum, eorumque donorum, quæ ex pretioſa eius imitatione proueniunt.

Inſtimulo diuini amoris c. 2. Amor compaſsionem parit: & compaſsione augetur

PVNCTVM IX.

De heroicis virtutibus, quas Virgo ſanctiſsima in filij ſui paſsione exercuit.

VLTIMÒ conſiderandæ ſunt inſignes virtutes, quas beatiſsima Virgo hac occaſione exercuit, vt illam imitemur: præcipuè autem fuerunt quatuor, in quibus multæ aliæ continentur.

Quatuor heroicæ virtutes B. Virginis

PRIMA fuit altiſsima propriæ voluntatis, in Diuinam voluntatem RESIGNATIO, qua ſuam naturalem abnegauit, vt cum diuina conformaret, dicens idem quod filius eius dixit, a *non quod ego volo, ſed quod tu vis, fiat*; quæ reſignatio eò magis heroica eſt cenſenda, quò ſunt grauiores labores, ad quos tolerandos illa nos offerimus.

1. Reſignatio altiſsima. a *Mar.* 14. 36.

II. Humilitas profundiſſima.

SECVNDA fuit profundiſſima HVMILITAS, qua non ſe ſubtraxit opprobriis, ſed ea potius eſt aggreſſa & complexa. gaudens manifeſtare ſe matrem eius eſſe, qui tot opprobriis ita publicè afficiebatur: & participem ſe eorum facere, quantum licebat; & hac humilitate adſtabat ad crucem filij ſui; ad ſuas quoque rationes ponens filij ſui paſſionem & mortē: nam etſi peccata illa non habuit, propter quæ Chriſtus moreretur, mortuus tamen eſt, vt ab eis illam præſeruaret.

III. Fortitudo & magnanimitas inſignis.

TERTIA fuit inſignis FORTITVDO, & MAGNANIMITAS, qua ad ipſam Chriſti crucem appropinquans, ſtetit iuxta illam, nec perſecutorum crudelitate, nec dolorum acerbitate, quos hoc nomine tolerabat, potuit à filij ſui præſentia dimoueri, ipſa potiùs optante augeri ſibi occaſionem patiendi, & vitam pro eo exponendi, qui tanta pro ipſa patiebatur.

IV. Ardentiſſima charitas.

QVARTA fuit inflammatiſſima CHARITAS, & amor hominum, etiam inimicorum filij ſui, quam neque eorum blaſphemiæ, nec crudelitates ad indignationem permouebant, ſed potius ad compaſſionem & dolorem, ob peccata quæ faciebant; & pœnam cuius propter ea ſe reos conſtituebant: orabat autem Deum pro illis, eos excuſans, ſicut & ipſe eius filius, vt ſuo loco dicetur. Hac ratione coniunxit Virgo beatiſſima, cum acerbiſſimis afflictionibus, admiranda virtutum exercitamenta, vt meritò dicere nunc potuerit illud Canticorum: b *nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Hieruſalem* nec miremini, quod *fuſca ſim, quia decolorauit me ſol.* Verè nigra es virgo ſanctiſſima, in externis, ob pœnas quas ſuſtines; ſed intus pulcherrima, ob virtutes quas exerces: ſol iuſtitiæ te decolorauit, quia eius mœrores, tuorum ſunt cauſa, idemque ipſe pulchram te reddit: quia eius exemplo, tuum exemplum, quo eius virtutes imitaris, magis reſplendet: ſupplica ergò illi, mater piiſſima, vt inflammer; vt ita ipſius pœnas doloreſque mediter, vt eiuſdem virtutes imitans, dolorum eius fiam particeps, Amen.

b Cant. 1. 5.

Ex iis, quæ in prædictis *nouem* Punctis dicta ſunt, manent in *genere* res illæ declaratæ, quæ in ſingulis *Paſſionis* myſteriis, magis in particulari ſunt perpendendæ, tam in perſona ipſius Chriſti Domini, quàm Sanctiſſimæ Virginis eius matris, accipiendo vtrumque pro argumento ſiue materia præcipua Meditationis & Imitationis: matrem verò ipſam in aduocatam, ad obtinendum verum ſenſum eius, quod filius patitur.

Horum omnium praxis in ſubſequentibus meditationibus proponetur.

Digitized by Google

MEDITATIO II.

DE ASCENSV CHRISTI DOMINI IN HIEruſalem, in quo ſuis Apoſtolis aperuit, quid eſſet illic paſſurus, & quoties apud illos de ſua paſsione mentionem fecerit.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM primò eſt, quòd Chriſtus Dominus noſter, cùm ſciret paſsionis ſuæ tempus appropinquare, & Iudæos in Hieruſalem de morte illi inferenda iam agere, voluit ex a *ciuitate Ephrem*, quò ſe cum Apoſtolis receperat, aſcendere in Hieruſalem: in quo itinere extraordinario greſſu vtebatur: b *præcedebat*, inquit S. Marcus, *illos* IESVS, *& ſtupebant*; *& ſequentes timebant*. Circa hoc punctum perpendendæ ſunt cauſæ inſolitæ huius *properationis* Chriſti Domini in illo aſcenſu, & effectus, quos in ipſis Apoſtolis eadem properatio effecit.

a *Ioan.* 11. 54
b *Mar.* 10. 32.

Cauſæ cur ita properat Chriſtus in aſcenſu in Ieruſalem

Prima eſt Ardor Paſſionis.

Amor enim diuinus properat ad dura: Amor proprius ad dulcia & vana.

PRIMA cauſa fuit, vt voluntatis ſuæ promptitudinem, & ſpiritus feruorem, quo ad *patiendum* aſcendebat, manifeſtaret; nihil timens pœnas & cruciatus, qui Hieroſolymis illum manebant. & addendum, eundẽ Chriſtum Dominum, ad opera ex ſeipſis facilia & glorioſa; quale erat, conciones habere, infirmos curare; & alia miracula edere, ordinario ſuo paſſu fuiſſe vſum; ad obedientiam autem pœnalem, & ignominioſam ſuæ Paſſionis & mortis, vti voluiſſe greſſu extraordinario, vrgente ad illum vi amoris diuini; qui inſtar ignis eſt, & aculei aut calcaris, quod properare facit, & currere feruentius ad eam obedientiam, quæ cum carni ſit grauis & ingrata, Deo tamen eſt gratiſsima, & placet plurimum; cuius contrarium efficit amor proprius, qui plumbeis pedibus, ad laborioſa virtutum exercitia nos mouet, cum contra nos properare faciat, & quaſi volare ad ea, quæ ſunt voluptatis & honoris. Ex quo facilè intelligam, quàm ſim plenus amore proprio, vacuus verò diuino.

Oratio

O dulciſsime IESV qui ad cruciatus perferendos, tanto feruore & feſtinatione in Hieruſalem aſcendiſti, atque ſi ad laborum requiem pergeres; imple cor meum amore illo diuino, qui te ibi vrſit, vt properares; vt & ego tardos tepidoſque greſſus meos mutans, feruore ſimili tuo, me offeram ad obediendum & patiendum, quicquid tu volueris.

II.

In laboribus & Paſſione omnes ſuperat Chriſtus.

SECVNDA cauſa, cur in hoc itinere omnes *præcederet*, fuit, vt oſtenderet ſe, in quacunque occaſione laborum, tam internorum quàm externorum, velle præcedere, & omni-

buſ Apoſtolis, Diſcipulis, ac Martyribus, & Sanctis omnibus, qui fuerunt, vel futuri ſunt, velle anteire: cùm contrà in miraculis perpetrandis (quæ res eſt honorifica) ceſſerit ſuis Apoſtolis & aliis Sanctis, iuxta illud: c *Amen amen dico vobis qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet*: at in negotio patiendi, nullus illum præceſsit, aut aſſecutus eſt; plus enim paſſus eſt ipſe, quàm Iob, quàm mendicus ille Lazarus quàm Prophetæ omnes & martyres: omnes enim retrò manent, illumque vt patiendi exemplar, reſpiciunt. O bone IESV quàm eſt contrarius tuus ſpiritus mundi ſpiritui! nam hic omnibus anteire vult in iis, quæ ad honores ac delicias ſpectant: tuus verò in ignominiis & tormentis; ille præcedere cupit in operibus maioris gloriæ; tuus verò in iis, quæ ſunt maioris ignominiæ; da mihi Domine hunc ſpiritum, qui tibi tantòpere arriſit; & quem tu adeò coluiſti: vt contendam excellere omnes, eóſque præire in eo, vt amore tui, præ aliis omnibus contemnar & affligar.

c Ioan. 14. 12. S. Tho. 3. p. q. 46 a. 6.

Oratio Spiritus Chriſti contrarius ſpiritui mundi.

III. Chriſtus prouocat Apoſtolos ad imitandum.

TERTIA cauſa fuit, vt ſuos *Apoſtolos*, ad admirationem *incitaret*, & prouocaret ad imitationem. Stupebant enim ſequentes, & properabant etiã ipſi, vt illum aſſequerentur, ſingulis contendentibus alios anteire, vt ipſi IESV magis appropinquarent: timorem quo afficiebantur, vincentibus igne amoris, quem erga illum habebant: à quo etiam vrgebantur feſtinaregreſſum, ipſius Chriſti exemplo prouocati. In quo etiam modus nobis oſtenditur, quo reſpicere debeamus ad ipſum Chriſtum in paſsione ſua; & illã meditari; admirantes videlicet de iis, quæ facit & patitur, & eum in eiſdem ſtudentes imitari; vt, cum aſpicio Chriſtum Dominum flagellis cæſum, purpurâ indutum, ſpinis coronatum, ſuamque crucem baiulantẽ, admirer, quòd tantus Dominus tantas pænas, tãto amore ſuſtineat, & appropinquem, quantum mihi licebit, eidem; eundem ſequens in ſuſcipiẽdis diſciplinis, geſtandis ciliciis, & pauperibus veſtibus induendis, meaq; cruce quotidie ſublata properem, vt alios præcedam, ipſumque ſequar, non *à longè*, vt S. Petrus ſequebatur, nocte qua Chriſtus fuit comprehenſus; ſed propè: eidem Domino ſupplicans; vt ſua gratia mihi adſit, qua poſsim difficultates & impedimenta vincere, quæ me ab ipſo ſequendo auertunt: faciam verò, quod in me eſt, quicquid potero, vt ea ſuperem.

Prouocat & nos.

Matt. 62. 58 Chriſtus ſequendus eſt non à longè ſed propè.

PVNCTVM II.

CVM hac ratione Chriſtus Dominus iter faceret, ſubſtitit pauliſper, donec duodecim Apoſtoli ad ipſum peruenirent, quos ſeorſim accipiens ſecretò, dixit eis: a *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per prophetas de filio hominis*, b *tradetur enim principibus Sacerdotum & Scribis; & condemnabunt eum morte, & tradent eum*

a *Luc. 18. 31.* b *Matt. 20. 17.*

Digitized by Google

Gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum. Nunc *tertio* aperuit Chriſtus Dominus Apoſtolis ſuis paſsionem ſuam; bis enim ante hæc idē ſecerat, licet non ita diſtinctè; PRIMVM poſtquam Petrus ipſum confeſſus fuerat c *eſſe filium Dei viui*: DEINDE poſtquam d *lunaticum dæmoniacū* magna omnium *admiratione & ſtupore* curauerat, vt refert S. Lucas.

Chriſtus Apoſtolis Paſsionem ſuam tertio prædixit.
c *Matt.* 16. 16 21. & 17. 22.
c *Mar.* 8. 31. & 9. 31.
d *Luc.* 9. 22

PERPENDENDAE circa hæc ſunt cauſæ, cur toties Chriſtus Dominus & in huiuſmodi occaſionibus, aperuerit diſcipulis labores ſuæ paſsionis & mortis; ex quibus eas ſeligemus, quæ ad vtilitatem noſtram ſpiritualem magis conferunt.

PRIMA cauſa fuit, vt omnes intelligerent, quam præſentem in ſua memoria haberet *paſsionem* ſuam, continuè guſtans eius amaritudinem, & inceſſanter bibens hunc tot pœnarum calicem, ita vt ſiue comederet, ſiue biberet, ſiue prædicaret, ſiue alios ſermones miſceret, cùm miracula & alia admiranda opera faceret, vbique illam præſentem habebat, etiā e in glorioſa *ſua transfiguratione, cùm Moyſi & Elia loquebatur de exceſſu, quem completurus erat in Hieruſalem*, tanquam de re, in qua multum delectaretur, quamuis reipſa eſſet amariſsima. quod totum eo dirigebat, vt ſuo exemplo me permoueret, vt & ego eandem paſsionem ſemper habeam præſentem, & delecter de ea cogitare, & frequenter de eadem loqui, ita vt ſit mihi hæc memoria inſtar panis, qui cum omnibus reliquis cibis comeditur. O dulcis IESV, cur ego non delecter ea cogitare, quæ tu cogitabas; & loqui de iis, quæ tu loquebaris! Hoc meum eſt deſiderium, dilecte mi, vt ſit f *faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, & inter vbera mea commoretur*, & tui dolores ſemper in oculis meis verſentur, pectus meum occupent, vt eorum ſemper memor, tibi compatiar, teque plus amans quàm me, nunquam eos in dorſum proiiciam, ſed inter vbera mea, tanquam rē mihi gratiſsimam, & quam maximè amplecti cupiam, conſeruem; nec tuos labores omnes ſimul & confuſè accipiā; ſed ſeorſim ſingulos cōmemorabo, quamdiu mortalem hanc vitam, & peregrinationem pertranſeo, eorum odore recreatus & confortatus, donec perueniam ad æternam.

I. Quia iugis ipſi erat Paſsionis memoria.
e *Luc.* 9. 31. 43.
Oratio
O ſi & nobis.
Oratio
f *Can.* 1. 13.

SECVNDA cauſa fuit, vt diſcipulos confirmaret in fide & credulitate harum ignominiarum, vtpotè quæ creditu difficiliores eſſent, quàm eiuſdem excellentiæ & honores: & vt ad illas magna conſtantia ſubeundas, ſeſe præpararent. Quam ob cauſam, cùm ſe inter ſuos diſcipulos maximè honoratum videret, ob S. Petri confeſsionem; & inter plebem, ob magnitudinem miraculorum, tunc ſuam ipſe aperit paſsionem, vt iuxta ſententiam ſapientis: g *in die bonorum ne immemor eſſet malorum*, & in altero die, eos ad alterum prepararet. *Ecce*, inquit, *aſcendimus Hieroſolymam*, vbi tradendus ſum in mortem, & magnos deſpectus, & ignominias: & ſiquidem mecum aſcenditis, prępárate vos ad aliquid mecum patiendum; ne defici-

II. Quia Apoſtoli confirmandi erant in fide paſsionis & imitatione
g *Eccl.* 11. 27

Oratio

atis in fide & amore, quem mihi debetis. O ſupreme *Magiſter*, quo tu aſcendis, & ego aſcendere volo: tecum enim pati, non deſcendere eſt, ſed aſcendere, & proficere; &, ſi verè in tuo ſum comitatu, nihil eſt quod timeam; quia certum erit auxilium tuum: tecum pati volo in Hieruſalem terreſtri, vt tecum regnem in Hieruſalem cœleſti. Ex his Chriſti Domini verbis, fructum eliciam in meis laboribus, cogitans, dici mihi, ab ipſo: *ecce aſcendimus Hieroſolymam*, prius ad compatiendum, poſtmodum ad corregnandum; nec ſolus aſcendis, ſed ego tecum, vt iuuem te: ego primus aſcendi, tu me ſequere, vt imiteris: h *ſi enim ſuſtinebis* & compaſſus fueris, etiam *conregnabis* in ſecula: Amen.

Chriſtus adeſt nobis in laboribus.
h 2. *Tim.* 2. 12.

PVNCTVM III.

i *Luc.* 18. 31.
b *& c.* 9. 45.
c *Matt.* 17. 23.

MOx adiecit S. Lucas, a *& ipſi nihil horum intellexerunt: & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur*, b *& timebant eum interrogare de hoc verbo*, c *& contriſtati ſunt vehementer.*

I. Paſsionem nõ omnes qui legunt aut audiũt intelligunt. Intelligere ac penetrare Donum Dei eſt. *Suprà in Introduct. huius part.*
d *Phil.* 2. 5.

PRIMVM hic perpendendum, non omnes, qui audiunt *concionem* de paſsione, aut illam legunt, aut de ea ſermonem fieri audiunt, eam intelligere, penetrare, aut verè ſentire; ſicut nec Apoſtoli tunc temporis eam intelligebant, aut penetrabant, quia adhuc erant imperfecti: nam eam ſentire, eius myſteria, fructus, excellentiasque quæ in ea latent, penetrare, donum eſt Dei, quod ille electis ſuis amicis ſuo tempore largitur; ideoq; illud ab ipſo petam, dicens: Redemptor mi benigniſsime, intellectus meus eſt obſcuratus, & tuæ paſsionis myſteria velata mihi ſunt & occulta: da mihi, quæſo, illa ſentire, ſiquidem iubes per tuum S. Apoſtolum: d *hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto IESV.*

II. Amor honorum, timor contemptus obſcurant intellectũ.

DEINDE perpendendæ ſunt cauſæ, ob quas Apoſtoli non intelligebãt ea quæ ipſis de paſsione dicebantur; quia videlicet vehementer deſpiciebant & *timebant contemptum* & ignominiam; *honores* autem & faſtum *amabant*, & ambiebant; ideoque referente Chriſto de ſuis doloribus & ignominiis vehementer contriſtabantur, animumque abijciebant, rem indignam iudicantes, quod ipſe illas ſibi euenire permitteret. Hinc etiam prouenit, vt cum eandem paſsionem ego meditor, aridus ſim totus, & nullũ eius ſenſum habeam; quia videlicet contrariam iis myſteriis diſpoſitionẽ habeo; quæ ſi ſentire volo, oportet me exuere vanum quemcunque contemptuum & dolorum timorem, & proprium ſimul amorem, ad honores & dignitates, & contendere magnam opinionem, & æſtimationẽ habere eius, quod eſt afflictiones & contemptus pati, quo Dei exequar voluntatem. Ad eandem veritatem, altius adhuc concipiendam, iuuerit plurimum, expendere, quod in hac occaſione, Chriſto Domino cum S. Petro euenit. Is enim vix dum confeſsionem illam præclaram abſoluerat,

Faciunt aridum in Meditatione.

Digitized by Google

qua ex reuelatione patris cœleſtis, ipſum *e Chriſtum filium Dei viui* confeſſus erat; cum propriam ſuam ruditatem & quam à ſeipſo habebat tarditatem oſtendit, cum audiens Magiſtrum de paſsione ſua loquentem, adeò abiectè de ea ſenſit, vt auſus fuerit ipſum Chriſtum propterea increpare, dicens: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc*; cui tamen Chriſtus Dominus reliquos Apoſtolos aſpiciens, eſt comminatus, valdeque aſperè illi reſpondit, *f Vade poſt me Satana: ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt ſed ea quæ hominum*: atque ſi illi clariùs dixiſſet, tu qui me honoraſti, confitẽdo eſſe filium Dei viui, nunc Satanas es, & meus aduerſarius; quandoquidem te opponis meæ paſsioni, & ita, quod in te eſt, mihi es ſcandalo, dum ab ea me auertere contendis, contra voluntatem mei Patris, volentis, vt illam ſubeam: quod totum in te prouenit ex eo, quod non integram habeas cœleſtem ſapientiam ad cognoſcendum & amplectendum ea, quæ ſunt ordinata à Deo; ſed humana tantum ac terrena ſapientia cognoſcis, & delectaris iis rebus, quas homines huius mundi æſtimant, & magnifaciunt: *vade* itaq; *poſt me & ſequere me*: neq; enim ego ſecuturus ſum tuũ errans iudiciũ, ſed tu meũ, quod eſt rectũ. Ex hoc intelligã, quãtam Chriſtus Dominus de paſsione & morte ſua æſtimationem haberet, eò quod à voluntate Patris ſui, & in mundi commodum eſſet deſtinata: & quantam portò velit ipſe nos habere æſtimationem de laboribus & deſpectibus, hoc nomine ab ipſo toleratis: ita vt quemcunque, nos ab hoc auertere ſtudentem, tanquam Satanam, & lapidem ſcandali habeamus: nec nos poſt illum eamus, ſed deducere eum conemur, vt nos ſequens, id ſentiat, quod nos ſentimus: & quamuis pio fortè zelo nobis ſe opponat, & ipſe ſit ſanctus, à Deo in aliis rebus illuſtratus, nobisque aliàs amicus & dilectus, repellere tamen eum debemus; ſicut hic videmus Petrum, à Chriſto repulſum fuiſſe. O ſupreme Magiſter, qui adeò altè de tua paſsione, ob cæleſtem ſapientiam, qua illius cauſam reſpiciebas, ſenſiſti, denuda me ab omni terrena ſapientia: indue verò tua cœleſti, vt & ego altè ſentiam de tuis laboribus, ac de illis, quos me volueris tuo amore perpeti. Nolo redemptor mi, eò te deducere, vt iudicium meum proprium, ac deſiderium ſequaris: quia verè eſt iudicium errans, & terrenum deſiderium: poſt te ire volo, teque ſequi: æſtimans, quod à te video æſtimari: diligens quod à te video diligi: ac deteſtans, quod tu deteſtaris; & ſiquidem tale mihi largiris deſiderium; da etiam quæſo gratiam ad illud exequendum. Amen.

e Matt. 16. 22.
e Mar. 8. 33.
f Matth. 16 23.
Terrena ſapientia deſpicit Paſsionem & labores.
Diuina extollit.
Oratio

MEDITATIO III.

DE HIEROSOLYMITANO CHRISTI CVM ramis palmarum ingreſſu.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM eſt *primum*, Chriſtum Dominũ quinque dies ante mortem ſuam, voluiſſe intrare Hieroſolymã, in qua erat crucifigendus, & occidẽdus magnis lætitiæ ſignis, & magna externa pompa, quam Hebræi ſolebant adhibere, dum a *Paſchalem agnum quinque dies antequam eſſet immolandus*, in ſuam domũ recipiebant. Hunc ingreſſum ſtatuerat Saluator noſter facere ob cauſas aliquas amore plenas.

a *Exo.12.6.*

I. Triumphalis ingreſſus iudicat animi lætitiam & promptitudinẽ ad patiendum. *S. Agatha S. Laurentius.*

PRIMA fuit, vt ſuam ad patiendum propenſionem & lætitiam oſtenderet, qua labores, qui ipſum Hieroſolymis manebant, amplecteretur, ideoque tanta animi exultatione eam ingrediebatur, quanta ſolent, qui eunt ad nuptias: Zelus enim gloriæ Dei, & voluntatis æterni ſui patris ad hominum redemptionem exequendæ, iucunditatem illi adferebat, quod omnes illos labores & cruciatus eſſet perpeſſurus: quos tamen adeo præſentes in memoria habebat, atque ſi tunc illos pateretur. Ex hoc exemplo prouenit, vt ad Martyres ita læti ducerentur ad carceres atque ad nuptias; & in craticula ignita ita iucundè iacerent, atque ſi eſſet floridus lectus. O dulcis IESV, erubeſco in tuo conſpectu, ob repugnantiam, quam experior in me ad labores tui amore tolerandos: adiuua me, exultatio mea, vt exultem ego, aliquid pro te patiens, ſicut tu exultabas, cùm pro me patereris.

II. *S.Thom.3.p q 46. a.7.* Chriſtus inter timores & agonias exultauit ſpiritu.

SECVNDA cauſa fuit, vt intelligeremus, quando in *horto Gethſemani*, & in paſsionis ſuæ decurſu, timores, triſtitias, tædia, & agonias patiebatur, id totum in inferiori præcipuè animæ parte accidiſſe; cuius naturali inclinationi corporis dolores repugnabant; ſed eoſdem tamen ſponte & magna ſuperioris ſpiritus partis exultatione tolerabat: eò quòd voluntas Patris æterni, in eis reſplenderet; & in hoc ipſo ad mortẽ vſque perſeuerauit; ea ratione nos docens, quod ſumma patientia in eo conſiſtat, vt, magna ſpiritus voluptate nos offeramus, non ſolum ad labores externos, ſed ad internas quoque afflictiones. Ad quod meritò anhelare debeo, & exemplo Apoſtoli; c *libenter gloriari in infirmitatibus meis, & placere mihi in contumeliis, in neceſsitatibus, in perſecutionibus in anguſtiis pro Chriſto*: libenter itaque, SALVATOR mi, carnis triſtitias & agonias amplectar,

c *2. Cor.12.9*

ctar, vt te cum gaudio ſpiritus poſsim imitari: renuncians omnibus carnis & ſenſuum blanditiis, ne me à tui imitatione retrahant.

III. Chriſti charitas in peccatores.

TERTIA cauſa fuit, vt oſtenderet, omnes iniurias, calumnias & perſecutiones, quas Ieroſolymis aliàs ſuſtinuerat, non eſſe ſufficientes ad extinguendam *charitatem* & *amorem*, quo illam ipſe proſequebatur; nec deſiderium & animi voluptatem, qua afficiebatur, dum illam viſitaret, doceret, & quicquid poſſet boni in eam conferret: ſimulque ſecuram eã reddebat, quod neque ignominiæ & dolores, in eadem ipſi nunc imminentes, remiſſuri eſſent ipſius charitatẽ; nec impedituri quo minus ipſam in gratiam & amicitiam reciperet, ſi illa ad eum rediret. O immenſa IESV charitas, ô vehementiſsime amoris ignis, d *quem aquæ multæ non potuerunt extinguere, nec flumina* tribulationum *obruent illum!* Eadem hæc charitas in eo huc vſque perdurat; etſi enim lethale aliquod peccatum in anima mea admittens, e *rurſum ipſum intra meipſum crucifigam*, eiusque pretioſum ſanguinem eo facto conculcem, ac propterea ipſum ignominioſè à me repellam: ipſe nihilominus ſecundò reuertitur, & magna lætitia, per meas portas ingreditur; vt me viſitans, denuo ſuam gratiam mihi communicet: & ſi iterum eum crucifigam, proculcem, & à me repellam, reuertetur tertiò eadem iucunditate, qua venerat primò. O benedicta ſit talis charitas, & millies Angeli illum laudent, propter eam. Veniat tua maieſtas redemptor mi, ad ingratam hanc Hieruſalem animæ meæ; ſi quidem tantopere eius viſitatione delectaris: ſtatuo enim firmiter, nunquam te amplius à me reiicere, ſed ea reuerentia te impoſterum tractare, qua tanta tua charitas meretur. Sed quoniam ego ſum inconſtantiſsimus, adiuuet me ipſa tua gratia, ad conſtantiam in ea retinenda.

Oratio

d Cant. 8. 7

e Heb. 5. 6.

Semper paratus eos recipere.

IV. Pati pro Chriſto eſt gloriæ & honoris.

QVARTA cauſa fuit, vt intelligamus, quod *labores* & *contemptus*, pro diuina voluntate exequenda, & virtute exercitanda pati, ſit quiddam *glorioſum* & *honorificum* in oculis ipſius Dei, Angelorum, & etiam hominum iuſtorum; ideoque ita illos aggredi oportet, vt non ſolùm gaudium & lætitiam præferamus, ſed etiam honoris & pompæ inſignia ex eis conficientes in iis gloriemur, & honorem ex eis quæramus, non erubeſcendo, aut pudorem aliquem propterea, quod illa ſubeamus, oſtendendo; auertat hoc à me Deus, vt aliquid f *patiar, vt homicida aut fur aut maledicus aut alienorum appetitor*, in pœnam huiuſmodi criminum; id enim pudorem & ruborem meritò adfert, at *vt Chriſtianus pati propter iuſtitiam, non erubeſcam*, quia id honor eſt meus, ſicut fuit Domini mei.

f 1. Pet. 4. 15.

V. Chriſtus triumphũ illum admiſit, vt

VERVM vlterius progreſſa eſt ipſius IESV charitas, & propenſio ad patiendum. Vult enim intrare Ieroſolymam tanto *honore* & *comitatu*, vt *contemptus* & *ignominiæ*, quæ illi imminebant, hac ratione maiores redderentur: ſicut illis contingit, qui ex magna aliqua dignitate & honore deci-

dunt, iuxta illud Dauidis, g *exaltatus autem humiliatus ſum & conturbatus.* Et eius pater apud Iſaiam ait, *ſeruus meus exaltabitur & eleuabitur, & ſublimis erit valde. ſicut obſtupuerunt ſuper te multi ſic inglorius erit inter viros aſpectus eius, & forma eius inter filios hominum.* Bonus itaque noſter Iesvs, ſemper externum hominum honorem refugit: quod ſi nunc illum procurauit, aut oblatum acceptauit, id fecit, vt hac ratione maior eſſet ignominia, quæ honorem hunc erat ſubſecutura: ad hoc enim honorem hunc direxit, vt maiori afficeretur ignominia. Gratias tibi dulciſſ. Iesv, pro fame adeò inſatiabili ignominiarum & contemptuum, quam habuiſti, propter quam demiſsè ſupplico, talia mihi deſideria patiendi pro te ignominias ſuggeri, vt nihil de eis remittam, etiam cùm honores accepero. Amen.

(maior eſſet ignominia Paſsionis. g Pſal. 87.16 Iſai. 25.13.)

Pvnctvm II.

Conſideranda hic eſt diſpoſitio, qua Chriſtus Dominus in hoc ingreſſu eſt vſus, *miſit* enim a *duos diſcipulos dicens eis, ite in caſtellum quod contra vos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam & pullum cũ ea, ſoluite & adducite mihi, & ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & confeſtim dimittet eos: euntes autem diſcipuli fecerunt, ſicut præcepit illis* IESVS, *& iactantes veſtimenta ſua ſupra pullum impoſuerunt* IESVM.

(a Mat. 21.2. a Mar. 11.2. b Luc. 19.35.)

I. Christus inſidens pullo, calcat humanam pompam.

Perpendendvm hic eſt, quod cùm Rex iſte cœleſtis, ſemper conſueuiſſet pedes iter facere, per totam Galilæam & Iudæam: hac vice tamen, vt ſui regni aliquod indicium oſtenderet, non pedes Ieroſolymam intrare voluit, nec in curribus tamen quatuor equorum, neque equo aut mula inſignibus ornamentis phaleratis, ſed in vno iumento, pauperibus diſcipulorum veſtimentis ornato, conculcans hac ratione humanã pompam; præferens verò, tanquam regni ſui inſignia, ſuam paupertatem, humilitatem & manſuetudinem, quibus in mundo tanquam Meſſias & ſaluator erat agnoſcendus, iuxta Zach. prophetiam dicentis, c *dicite filiæ Sion, ecce rex tuus veniet tibi iuſtus & ſaluator, ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinum.* Diſcam ex hoc exemplo, omnem mundi pompam deteſtari, paupertatem verò, manſuetudinem, & humilitatem Chriſti amplecti. Si enim hæc ſunt regis mei & Domini mei inſignia, rationi conſentaneum eſt, eorum quoque ea eſſe, qui ſe tanti Regis ſubditos eſſe gloriantur; ac propterea eiſdẽ debeo me ornare & præparare, vt illi obuiam eam, ſiquidem & mihi dicitur, *ecce rex tuus venit tibi.* O vtinam intelligerem, quis iſte ſit rex meus, & quomodo veniat mihi! tu ſaluator mi, rex meus es, & rex regum, & hominũ & Angelorũ, rex cœlorum & terræ; rex natura tua, filius æterni patris, omnium quæ creata ſunt Monarcha, d *regnum* enim *tuum, regnum omnium ſeculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione,* tu de cœlo venis mihi ad ſalutem meam, ad conſolationem, ad remedium, ad exem-

(c Zac. 9.9. Docet & oſtendit paupertatẽ humilitatẽ & Manſuetudinem. d Pſ. 144.13 d Apoc. 19.16. Iiſdẽ virtutibus occurrendũ Chriſto.)

plum,

plum, ad defenſionem & protectionem meam. O Rex & dilecte mi, c *tu mihi, & ego tibi*: ecce me dicatum tibi, ſeruitio tuo, honori & gloriæ tuæ, vt tibi obediam, te adorem & amem, ſimque totus tuus, ſiquidem tu totus es meus, & ſiquidem tu venis ad me pauper, manſuetus, & humilis: & ego volo obuiam tibi ire in paupertate, manſuetudine, & humilitate, eiſdem me induens inſignibus quibus tu vteris.

quib. ipſe ad nos venit.
c *Cant*. 2. 16
Oratio II.

Deinde particularia, quæ in hoc myſterio latent, perpendam. Duos *diſcipulos* mittit, vt iumentum deducant, & non vnum ſolum, vt ſolitum teneret morem, vt ſociati, & bini, charitateque coniuncti incederent. Iubet *ſolui iumenta*, & ad ſe deduci, vt ſignificet, Apoſtolorum officium eſſe f *peccatores, qui funibus peccatorum ſuorum conſtringuntur*, ſoluere: & ad Chriſtum deducere, vt illos ſub manibus ſuis tenens, ita gubernet, ſicut gubernat iumentum, qui illi inſidet. Iubet vt volenti prohibere, dicant, *quia Dominus his opus habet*, quò inſinuat, quod ſicut non deerunt, qui officium animas peccatorum ſoluendi impedire tentent: ſic ea impedimenta ceſſatura in nomine ipſius Domini, qui illos iubet adduci, quia his opus habet, pro gloria ſua. O *verbum* omnipotens, quod & obſtruit ora, & manus ligat eorum, qui Domini mandatum tentāt impedire! O Rex gloriæ, quid tibi opus eſt tam vili & abiecto iumento vti, vt eſt peccator? g *qui cùm in honore eſſet, non intelligens, comparatus eſt iumentis, & ſimilis factus eſt illis*, ego miſer ſum, qui te opus habeo, non tu me; ego propter mea peccata, *vt iumentum factus ſum apud te*, & paſsionum mearum funibus conſtrictus teneor; iube Domine me ſolui, & tuo conſpectui ſiſti; erit enim mihi gaudium ferre ſuper me onus tuæ legis, teque ipſum in ea, tanquam gubernatorem meum: ne patiaris dæmonem, mundum, & carnem, hanc ſolutionem impedire: ſed verbo tuo dic eis, quia ſeruo tuo opus habes, & confeſtim dimittent me liberum & expeditum, vt poſsim pro voto tibi ſeruire.

f *Prou*. 5. 22
Apoſtoli ſoluūt peccatores, & deducunt ad Chriſtū.
Oratio
g *Pſ*. 48. 13.
Pſal. 72.

Pvnctvm III.

Pergenti Chriſto Domino, ac iumento inſidenti, repentè ex diuina inſpiratione obuiam ei venit a *plurima turba*, quorum quædam *ſtrauerunt veſtimenta ſua in via, alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via*, alij ex ipſa ciuitate Hieruſalem, palmas in manibus geſtantes, in ſignum victoriæ, obuiam ei venerunt & omnes ingenti gaudio b *qui præcedebant, & qui ſequebantur, clamabant dicentes, Hoſanna filio Dauid benedictus qui venit in nomine Domini rex Iſrael, Hoſanna in excelſis*, c *benedictum quod venit regnum patris noſtri Dauid*, d *pax in cœlo & gloria in excelſis*. Circa hoc factum ſtupendum, quod Spiritus S. inſpiratione peractum

a *Mat*. 21. 8.
b *Mat*. 21. 9.
c *Mar*. 11. 10
d *Luc*. 19. 38

eſt,

eſt, perpendam PRIMO, quam verè pater æternus, *filium* ſuum *honoret* veris ſolidisque honoribus & laudibus.

I. Honor exhibitus Chriſto, eſt à Deo. e *Luc.* 2. 14.

VT enim in primo eius in hunc mundum ingreſſu, cùm natus eſſet in ſpelunca Bethlehemitica, exercitus miſit Angelorum, qui ſtupendum illum Regis ſui in mundum aduentum, ſolemnizantes canerent, e *gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, ita nunc ipſo ingrediente Ieroſolymam, paupere & miti, iumentoque inſidenti, excitat idem æternus Pater exercitum hominum, & puerorum innocentum, vt ingreſſum hunc ſolemnizantes, eodem, quo illi Angeli, ſpiritu dicant, *pax cœlo ſit* nobiſcum, qui degimus in terra, & *gloria* ipſi Deo *in excelſis*: benedictus qui venit in nomine Domini, Angeli petunt pacem in terra ab hominibus erga Deum; hi verò Hebræi, petunt pacem in cœlo à Deo erga homines.

Oratio

O PATER æterne, gratias tibi ago; pro honore, quo filium tuum vnigenitum proſequeris, cùm implendæ voluntatis tuæ cauſa, ad contemptũ & ignominiam ſubeundam pergit! O ſpiritus ſanctiſsime, gratias tibi, eò quod turbæ huic eam laudum formam, ad gloriam mei Redemptoris inſpiraueris: exulto Redẽptor mi, cùm video omnes te laudare ac benedicere, & ego cum eis ſimul eodem ſpiritu laudo te, ac benedico, dicens: *Hoſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini*. Hæc verba adhibet Eccleſia in Sacro Miſſæ ad finem Præfationis in memoriam aduentus ipſius Chriſti Domini, in altiſsimo altaris Sacramento, quæ eadem verba, eodemque ſpiritu exclamans, & ego dicam, benedictus qui è cœlo ad hoc Sacramentum venit, noſtræ ſalutis cauſa: veniat cum eo pax de cœlis, ſitque Deo gloria in excelſis.

In Præfatione Miſſæ cur dicatur. *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

II. Chriſto omnia noſtra ſubſternẽda ſunt. Palma ſignificat victoriam: etiam noſtram, ſed in virtute Chriſti.

DEINDE perpendam illius *turbæ deuotionem*: quæ ſeipſam veſtimentis ſuis ſpolians ea, in ſignum reuerentiæ, ſternebat in terra, vt CHRISTVS pertranſiẽs, illa calcaret; felices ſe exiſtimãtes, ſi res ſuas ipſe contingeret. Quo eodem ſpiritu, res omnes meas, ad ipſius CHRISTI pedes proiiciam, vt de iis pro ſuo libitu diſponat. En mi Redemptor, ad pedes tuos proiicio non ſolùm fortunas meas, ſed honorem meum, & quicquid mihi iucunditatem adferre poteſt: cor meum, & me ipſum totum, calca me, Domine, preme, & ſtatue de me pro tuo libitu: triumphum age de me, qui tuus fui inimicus; palmam ego huius victoriæ tuæ in manibus meis portabo, totique mundo lubens manifeſtabo: nam quod me tibi dedam, eſt quidem victoria tua, ſed lucrum meũ; & victoria etiam mea eſt, ſed in virtute tua.

PVNCTVM IV.

INGREDIENTE Chriſto ciuitatem, a *quidam Phariſæorum de turbis dixerunt ad illum, magiſter increpa diſcipulos tuos, quibus ipſe ait, dico vobis quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt.*

Digitized by Google

I. Inuidiæ malum.

PERPENDENDA hic *primò eſt iniquitas inuidi*, qui grauiter fert tu proximi gloriam; & condemnat tanquam malum, quod reuera eſt bonum; & illuſionem ſeu paſsionem appellat, quod eſt à Spiritu ſancto inſpiratum: ideoque agit, vt reprehendatur, quare talis inuidus indignum ſe reddit, cui Deus inſpiret, & ad ea, quæ ipſi ſunt placita, permoueat, ſicut plebem ſimplicem ac deuotam permouit, vt in Chriſti laudibus operam ſuam poneret. Pœna.

II. Efficacitas diuinæ inſpirationis

DEINDE perpendenda eſt *diuinæ inſpirationis efficacitas*, quæ poteſt hominum corda permutare, & ignaros docere, ac permouere ad Deum feruenter glorificandum, relictis interim ſuperbis Phariſæis, in ſua ſuperbia & torpore, quod indicant illa verba: *dico vobis, quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt*: atque ſi dixiſſet, non iſti ceſſabunt ab incepto, quia Deus vehementi inſpiratione eos ad id permouet: quod ſi tacerent ipſi, excitaret Deus alios etiamſi inſtar lapidum duri eſſent, qui clamarent, idemque dicerent, quod iſti dicunt: eſt enim potens Deus ad omnia *b* etiam *de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ*: quod ſi iſti nunc tacerent, paulò poſt in mea paſsione ipſi lapides clamabunt, cum magno ſtrepitu ſcindentur, quibus clamoribus me Deum prędicabunt. O dulcis IESV, emollias duritiem cordium Iudæorum & gentilium, quo diuinus tuus ſpiritus locum in eis inueniat, teque verum Meſsiam agnoſcentes, clament ac dicant: *benedictus qui venit in nomine Domini* ad ſaluandum nos. Salua tu illos, Saluator mi, nec obliuiſcaris cordis mei, quod ipſis lapidibus durius eſt: ſed emollias illud, vt ſpiritu deuotionis, cùm orat, tenerius reddatur: & ad te ſemper amandum, & laudandum in ſecula permoueatur, Amen.

b *Mat.* 3.9.

Oratio

MEDITATIO IV.

QVOMODO CHRISTVS SVPER CIVItatem Ieruſalem fleuerit, cùm illam vidit.

PVNCTVM I.

CVM perſequeretur Chriſtus Dominus iter ſuum, cum eo comitatu, & tanto turbarum applauſu vt proximè diximus, a *vt appropinquauit, videns ciuitatem fleuit ſuper illã*. Perpendenda hic eſt harũ Chriſti *lachrymarum cauſa* & occaſio; habet.n. maius quoddã myſteriũ, quod nũc fleat, quam quod aliàs fleuerit: quater aũt illum fleuiſſe, deprehendimus: PRIMVM, cùm eſſet *infans* in præ-

a *Luc.* 19.41

Chriſtus quater fleuit.

1. In Præſepio: b Sap. 7. 3. c Ioan. 11. 35 2. In Lazari reſuſcitatione. d Rom. 12. 13 e Heb. 5. 7. 3. In cruce. 4. In pompa ſua triumphali.

ſepio, quod mirum non fuit; proprium enim eſt infantium flere, cùm naſcuntur, iuxta illud Sap. b *primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans.* ITEM fleuit, cùm *Lazarum* reſuſcitauit, ait enim S. Ioan. c *& lacrymatus eſt* IESVS: nec hoc adeò fuit mirum cùm *videret IESVS Mariam Magdalenam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes*: proprium verò eſt iuſtorum vt d *gaudere cùm gaudentibus, ita flere cum flentibus.* FLEVIT quoque in *cruce*, iuxta illud Apoſtoli, e *Qui preces, ſupplicationeſque ad eum qui poſſit illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Sed neque hoc adeò mirum fuit, vt labores & dolores, quibus erat plenus, & tot expertus omnium contemptus, ac *denique* quod à patre ſuo eſſet derelictus, copioſas lacrymas ab eo exprimerẽt; ſed quod vehementẽ adfert admirationẽ, eſt, quod FLEAT NVNC, cũ ſe *in* tãto *honore* & *gloria* videt eſſe apud omnes; & cũ omnes mille laudũ cãtica, tãta animi lætitia illli cõcinant. Sed huius fletus *tres* fuerũt potiſsimæ cauſæ.

I. Chriſtus contemnit honores mundi.

PRIMA fuit, vt oſtẽderet, ſe *mundi honorem* parui facere, nihilque cordi eius honorem illum adhæreſcere; ſiquidem in medio tot laudum & gaudiorum, & cum omnes eius laudes decantant, ipſe lacrymas fundit. O quam procul à riſu, ab inani proſperitatis illius complacentia erat is, qui talem proſperitatem ſuſpiriis & lacrymis diluebat!

II.

SECVNDA eaque magis præcipua cauſa fuit, infinita ipſius *charitas*, ex qua vt mentis gaudium ex eo procedebat, quod ingrederetur Ieroſolymam ad mortem, ob vtilitatem, quæ ſuis electis ex ea erat prouentura: ita ex eadem charitate planctus ille & lachrymæ procedebant, propter detrimenta, quæ ex morte ſua reprobis obuentura erant: nec enim dicit S. Lucas fleuiſſe tantum, ſed *fleuiſſe ſuper ciuitatem*: vt intelligeremus, non fleuiſſe ſuper ſe ipſum, ob labores quos erat mox perpeſſurus: ſed eorum oblitus, flebat ſuper ciuitatem infelicem, ob peccata, quæ erat, ipſum occidẽdo, commiſſura: & ob pœnas, quas propterea datura erat, quod vtrunque eius menti, cùm eam vidit, occurrit, & lachrymas illas expreſsit. O dulcis IESV, quis te in his lachrymis comitari potuiſſet, vt propriorum laborum oblitus ex charitate fleret ob delicta proximorum, & ob iuſtiſſimas pœnas, quas illi ſunt propterea daturi! O quam graue cenſendum eſt illud malum, quod Chriſtum in tantæ proſperitatis & gaudij occaſione, ad lachrymas permouet! O anima mea, quomodo non contremiſcis ad horrendum adeò malum, quod exprimit DEO lachrymas, præ compaſsione!

Chriſtus deflet damna reproborum.

III. Impiorum peccata

TERTIÒ fas eſt credere, Chriſtum Dominum, ſicut, dum eàm ciuitatem aſpexit, in qua etſi aliqui eſſent boni, plurimi tamen erant impii, fleuit ob *impiorum peccata*, & ob deſtructionem, quæ illi toti erat ſuperuentura, ſic eius menti tunc occurriſſe ciuitatem huius mundi, & Hieruſalem

terre-

terrenam, in qua ſunt permixti iuſti & peccatores, & ob impiorum peccata ac pœnas, quas propter ea eſſent daturi, fleuiſſe ſuper illos: & porrò cogitandum mihi eſt, etiam propter mea peccata fleuiſſe, quæ illi præſentia erant. O Redemptor mi, quã doleo, quod cauſam dederim, cur ita fleres: opto ex corde, quod in me eſt, illas excitare, remouendo cauſam earum, mea videlicet peccata! Ego ſum qui flere meritò debeo: ego ſiquidem ſum, qui peccaui, adiuua igitur me Domine eouſque flere, vt merear conſolari. Oratio

PVNCTVM II.

PERPENDENDA etiam ſunt verba, quæ dum fleret, Chriſtus proferebat, a *ſi cognouiſſes*, inquit, *& tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis*: atque ſi diſtinctius dixiſſet: O Hieruſalem, ſi tu agnoſceres, quæ ego in te & de te cognoſco, fleres procul dubio, ſicut ego fleo: &, ſi cognoſceres, quæ ego tibi ad pacem & proſperitatem offero, ſicut hæc turba, quæ me comitatur agnoſcit: ſine dubio in laudes meas erumperes, ſicut illa, & acceptares cum ingenti gaudio illud bonum, quod intrat per tuas portas, te nihil tale exſpectante: & ſi cognoſceres hunc diem tuum, & felicem hunc diem, qui meo aduentu domui tuæ illuceſcit, admitteres illũ ſine dubio, b *ne defraudareris à die bono, & particula boni doni, ne te præteriret*: ſed quia, peccatis tuis ita exigentibus, totum hoc tibi eſt abſconditum, ideò nec fles, nec illud quæris, nec ad te veniens admittis. Hinc diſcã remedij mei initium conſiſtere in *viua* & *profunda* duarum rerum *cognitione*, mearum videlicet *miſeriarum*, & eius, qui antidotum illis adferre poteſt, qui eſt Chriſtus Dominus, accommodatiſsima mihi offerens media, vt ab eis liberer, credere ſcilicet in eum, amare eundem, & illi obedire, nominatim verò mea refert plurimũ, ea media cognoſcere, quæ ipſe mihi offert, ad animæ meæ pacem, in eo gradu & ſtatu, quẽ in ipſa Eccleſia, aut religione teneo: contra verò *ruina meæ* initium eſt *ignorantia*, & parua horum æſtimatio; quia cum in ipſis manibus illa verſentur, neque aduerto talia eſſe, neque tanti illa facio. O Bone IESV, nunc verè aduerto, quam meritò noſtram defleas cœcitatem, ſiquidem tam parui facimus bonum, quod nobis offers, quod eſt alioqui infinita æſtimatione dignum! aufer, quæſo, Domine à me & ab omnibus hominibus velum hoc ignorantiæ; vt videamus & fleamus: oculis enim qui non videt, nec flet: qui tamen mox fleret, ſi videret.

a Luc. 19. 41

I.

b Ecc. 14. 1.

Cognitio miſeriarũ ſuarum, & medici Chriſti, quam neceſſaria.

Ignorantiæ malum.

Oratio

MOX prædixit Chriſtus *mala* & *pœnas* quæ ciuitati illi erant euentura, *quia venient* inquit, *dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo; & circundabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & filios*

II.

c Luc. 19. 4

bus Apoſtolis, Diſcipulis, ac Martyribus, & Sanctis omnibus, qui fuerunt, vel futuri ſunt, velle anteire: cùm contrà in miraculis perpetrandis (quæ res eſt honorifica) ceſſerit ſuis Apoſtolis & aliis Sanctis, iuxta illud: c *Amen amen dico vobis qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet*: at in negotio patiendi, nullus illum præceſsit, aut aſſecutus eſt; plus enim paſſus eſt ipſe, quàm Iob, quàm mendicus ille Lazarus quàm Prophetæ omnes & martyres: omnes enim retrò manent, illumque vt patiendi exemplar, reſpiciunt. O bone IESV quàm eſt contrarius tuus ſpiritus mundi ſpiritui! nam hic omnibus anteire vult in iis, quæ ad honores ac delicias ſpectant: tuus verò in ignominiis & tormentis; ille præcedere cupit in operibus maioris gloriæ; tuus verò in iis, quæ ſunt maioris ignominiæ; da mihi Domine hunc ſpiritum, qui tibi tantòpere arriſit; & quem tu adeò coluiſti: vt contendam excellere omnes, eoſque præire in eo, vt amore tui, præ aliis omnibus contemnar & affligar.

c Ioan. 14. 12. S. Tho. 3. p. q. 46 a. 6.

Oratio Spiritus Chriſti contrarius ſpiritui mundi.

III. Chriſtus prouocat Apoſtolos ad imitandum.

TERTIA cauſa fuit, vt ſuos *Apoſtolos*, ad admirationem *incitaret*, & prouocaret ad imitationem. Stupebant enim ſequentes, & properabant etiã ipſi, vt illum aſſequerentur, ſingulis contendentibus alios anteire, vt ipſi IESV magis appropinquarent; timorem quo afficiebantur, vincentibus igne amoris, quem erga illum habebant: à quo etiam vrgebantur feſtinaregreſſum, ipſius Chriſti exemplo prouocati. In quo etiam modus nobis oſtenditur, quo reſpicere debeamus ad ipſum Chriſtum in paſsione ſua; & illã meditari; admirantes videlicet de iis; quæ facit, & patitur, & eum in eiſdem ſtudentes imitari; vt, cum aſpicio Chriſtum Dominum flagellis cæſum, purpurã indutum, ſpinis coronatum, ſuamque crucem baiulantẽ, admirer, quòd tantus Dominus tantas pænas, tãto amore ſuſtineat, & appropinquem, quantum mihi licebit, eidem; eundem ſequens in ſuſcipiẽdis diſciplinis, geſtandis ciliciis, & pauperibus veſtibus induendis, meaq; cruce quotidie ſublata properem, vt alios præcedam, ipſumque ſequar, non *à longè*, vt S. Petrus ſequebatur, nocte qua Chriſtus fuit comprehenſus; ſed propè: eidem Domino ſupplicans; vt ſua gratia mihi adſit, qua poſsim difficultates & impedimenta vincere, quæ me ab ipſo ſequendo auertunt: faciam verò, quod in me eſt, quicquid potero, vt ea ſuperem.

Prouocat & nos.

Matt. 62. 58 Chriſtus ſequendus eſt non à longè ſed propè.

PVNCTVM II.

CVM hac ratione Chriſtus Dominus iter faceret, ſubſtitit pauliſper, donec duodecim Apoſtoli ad ipſum peruenirent, quos ſeorſim accipiens ſecretò, dixit eis: a *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per prophetas de filio hominis*, b *tradetur enim principibus Sacerdotum & Scribis; & condemnabunt eum morte, & tradent eum*

a Luc. 18. 31. b Matt. 20. 17.

gentibus

Gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum. Nunc *tertio* aperuit Chriſtus Dominus Apoſtolis ſuis paſsionem ſuam; bis enim ante hac idē fecerat, licet non ita diſtinctè; PRIMVM poſtquam Petrus ipſum confeſſus fuerat c *eſſe filium Dei viui*: DEINDE poſtquam d *lunaticum dæmoniacū* magna omnium *admiratione & ſtupore* curauerat, vt refert S. Lucas.

Chriſtus Apoſtolis Paſsionem ſuam tertio prædixit.
c *Matt.* 16. 16 21. & 17 22.
c *Mar.* 8. 31. & 9. 31.
d *Luc.* 9. 22

PERPENDENDAE circa hæc ſunt cauſæ, cur toties Chriſtus Dominus & in huiuſmodi occaſionibus, aperuerit diſcipulis labores ſuæ paſsionis & mortis; ex quibus eas ſeligemus, quæ ad vtilitatem noſtram ſpiritualem magis conferunt.

I. Quia iugis ipſi erat Paſsionis memoria.

PRIMA cauſa fuit, vt omnes intelligerent, quam præſentem in ſua memoria haberet *paſsionem* ſuam, continuè guſtans eius amaritudinem, & inceſſanter bibens hunc tot pænarum calicem, ita vt ſiue comederet, ſiue biberet, ſiue prædicaret, ſiue alios ſermones miſceret, cùm miracula & alia admiranda opera faceret, vbique illam præſentem habebat, etiā e in glorioſa *ſua transfiguratione, cùm Moyſi & Elia loquebatur de exceſſu, quem completurus erat in Hieruſalem*, tanquam de re, in qua multum delectaretur, quamuis reipſa eſſet amariſsima. quod totum eo dirigebat, vt ſuo exemplo me permoueret, vt & ego eandem paſsionem ſemper habeam præſentem, & delecter de ea cogitare, & frequenter de eadem loqui, ita vt ſit mihi hæc memoria inſtar panis, qui cum omnibus reliquis cibis comeditur. O dulcis IESV, cur ego non delecter ea cogitare, quæ tu cogitabas; & loqui de iis, quæ tu loquebaris! Hoc meum eſt deſiderium, dilecte mi, vt ſit f *faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, & inter vbera mea commoretur*, & tui dolores ſemper in oculis meis verſentur, pectus meum occupent, vt eorum ſemper memor, tibi compatiar, teque plus amans quàm me, nunquam eos in dorſum proiiciam, ſed inter vbera mea, tanquam rē mihi gratiſsimam, & quam maximè amplecti cupiam, conſeruem; nec tuos labores omnes ſimul & confusè accipiā; ſed ſeorſim ſingulos cómemorabo, quamdiu mortalem hanc vitam, & peregrinationem pertranſeo, eorum odore recreatus & confortatus, donec perueniam ad æternam.

e *Luc.* 9. 31. 43.
Oratio
O ſi & nobis.
Oratio
f *Can.* 1. 13.

II. Quia Apoſtoli confirmandi erant in fide paſsionis & imitatione

SECVNDA cauſa fuit, vt diſcipulos confirmaret in fide & credulitate harum ignominiarum, vtpotè quæ creditu difficiliores eſſent, quàm eiuſdem excellentiæ & honores: & vt ad illas magna conſtantia ſubeundas, ſeſe præpararent. Quam ob cauſam, cùm ſe inter ſuos diſcipulos maximè honoratum videret, ob S. Petri confeſsionem; & inter plebem, ob magnitudinem miraculorum, tunc ſuam ipſe aperit paſsionem, vt iuxta ſententiam ſapientis: g *in die bonorum ne immemor eſſet malorum*, & in altero die, eos ad alterum præpararet. *Ecce*, inquit, *aſcendimus Hieroſolymam*, vbi tradendus ſum in mortem, & magnos deſpectus, & ignominias: & ſiquidem mecum aſcenditis, pręparate vos ad aliquid mecum patiendum; ne defici-

g *Eccl.* 11. 27

Oratio

atis in fide & amore, quem mihi debetis. O ſupreme *Magiſter*, quo tu aſcendis, & ego aſcendere volo: tecum enim pati, non deſcendere eſt, ſed aſcendere, & proficere; &, ſi verè in tuo ſum comitatu, nihil eſt quod timeam; quia certum erit auxilium tuum: tecum pati volo in Hieruſalem terreſtri, vt tecum regnem in Hieruſalem cœleſti. Ex his Chriſti Domini verbis, fructum eliciam in meis laboribus, cogitans, dici mihi, ab ipſo: *ecce aſcendimus Hieroſolymam*, prius ad compatiendum, poſtmodum ad corregnandum; nec ſolus aſcendis, ſed ego tecum, vt iuuem te: ego primus aſcendi, tu me ſequere, vt imiteris: h *ſi enim ſuſtinebis* & compaſſus fueris, etiam *conregnabis* in ſecula: Amen.

Chriſtus adeſt nobis in laboribus.
h 2. Tim. 2. 12.

PVNCTVM III.

i Luc. 18. 31.
b & c. 9. 45.
c Matt. 17. 23.

MOx adiecit S. Lucas, a *& ipſi nihil horum intellexerunt: & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur*, b *& timebant eum interrogare de hoc verbo*, c *& contriſtati ſunt vehementer.*

I.
Paſsionem nõ omnes qui legunt aut audiũt intelligunt. Intelligere ac penetrare Donum Dei eſt.
Suprà in Introduct. huius part.
d Phil. 2. 5.

PRIMVM hic perpendendum, non omnes, qui audiunt *concionem* de paſsione, aut illam legunt, aut de ea ſermonem fieri audiunt, eam intelligere, penetrare, aut verè ſentire; ſicut nec Apoſtoli tunc temporis eam intelligebant, aut penetrabant, quia adhuc erant imperfecti: nam eam ſentire, eius myſteria, fructus, excellentiaſque quæ in ea latent, penetrare, donum eſt Dei, quod ille electis ſuis amicis ſuo tempore largitur; ideoq; illud ab ipſo petam, dicens: Redemptor mi benigniſsime, intellectus meus eſt obſcuratus, & tuæ paſsionis myſteria velata mihi ſunt & occulta: da mihi, quæſo, illa ſentire, ſiquidem iubes per tuum S. Apoſtolum: d *hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto IESV.*

II.
Amor honorum, timor contemptus obſcurant intellectũ.

DEINDE perpendendæ ſunt cauſæ, ob quas Apoſtoli non intelligebãt ea quæ ipſis de paſsione dicebantur; quia videlicet vehementer deſpiciebant & *timebant contemptum* & ignominiam; *honores* autem & faſtum *amabant*, & ambiebant; ideoque referente Chriſto de ſuis doloribus & ignominiis vehementer contriſtabantur, animumque abijciebant, rem indignam iudicantes, quod ipſe illas ſibi euenire permitteret. Hinc etiam prouenit, vt cum eandem paſsionem ego meditor, aridus ſim totus, & nullũ eius ſenſum habeam; quia videlicet contrariam iis myſteriis diſpoſitionẽ habeo; quæ ſi ſentire volo, oportet me exuere vanum quemcunque contemptuum & dolorum timorem, & proprium ſimul amorem, ad honores & dignitates, & contendere magnam opinionem, & æſtimationẽ habere eius, quod eſt afflictiones & contemptus pati, quo Dei exequar voluntatem. Ad eandem veritatem, altius adhuc concipiendam, iuuerit plurimum, expendere, quod in hac occaſione, Chriſto Domino cum S. Petro euenit. Is enim vix dum confeſsionem illam præclaram abſoluerat,

Faciunt aridum in Meditatione.

qua

Digitized by Google

qua ex reuelatione patris cœleſtis, ipſum e *Chriſtum filium Dei viui* confeſſus erat; cum propriam ſuam ruditatem & quam à ſeipſo habebat tarditatem oſtendit, cum audiens Magiſtrum de paſsione ſua loquentem, adeò abiectè de ea ſenſit, vt auſus fuerit ipſum Chriſtum propterea increpare, dicens: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc*; cui tamen Chriſtus Dominus reliquos Apoſtolos aſpiciens, eſt comminatus, valdeque aſperè illi reſpondit, f *Vade poſt me Satana: ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt ſed ea quæ hominum*: atque ſi illi clariùs dixiſſet, tu qui me honoraſti, confitẽdo eſſe filium Dei viui, nunc Satanas es, & meus aduerſarius; quandoquidem te opponis meæ paſsioni, & ita, quod in te eſt, mihi es ſcandalo, dum ab ea me auertere contendis, contra voluntatem mei Patris, volentis, vt illam ſubeam: quod totum in te prouenit ex eo, quod non integram habeas cœleſtem ſapientiam ad cognoſcendum & amplectendum ea, quæ ſunt ordinata à Deo; ſed humana tantum ac terrena ſapientia cognoſcis, & delectaris iis rebus, quas homines huius mundi æſtimant, & magnifaciunt: *vade* itaq; *poſt me & ſequere me*: neq; enim ego ſecuturus ſum tuũ errans iudiciũ, ſed tu meũ, quod eſt rectũ. Ex hoc intelligã, quãtam Chriſtus Dominus de paſsione & morte ſua æſtimationem haberet, eò quod à voluntate Patris ſui, & in mundi commodum eſſet deſtinata: & quantam portò velit ipſe nos habere æſtimationem de laboribus & deſpectibus, hoc nomine ab ipſo toleratis: ita vt quemcunque, nos ab hoc auertere ſtudentem, tanquam Satanam, & lapidem ſcandali habeamus: nec nos poſt illum eamus, ſed deducere eum conemur, vt nos ſequens, id ſentiat, quod nos ſentimus: & quamuis pio fortè zelo nobis ſe opponat, & ipſe ſit ſanctus, à Deo in aliis rebus illuſtratus, nobiſque aliàs amicus & dilectus, repellere tamen eum debemus; ſicut hic videmus Petrum, à Chriſto repulſum fuiſſe. O ſupreme Magiſter, qui adeò altè de tua paſsione, ob cæleſtem ſapientiam, qua illius cauſam reſpiciebas, ſenſiſti, denuda me ab omni terrena ſapientia: indue verò tua cœleſti, vt & ego altè ſentiam de tuis laboribus, ac de illis, quos me volueris tuo amore perpeti. Nolo redemptor mi, eò te deducere, vt iudicium meum proprium, ac deſiderium ſequaris: quia verè eſt iudicium errans, & terrenum deſiderium: poſt te ire volo, teque ſequi: æſtimans, quod à te video æſtimari: diligens quod à te video diligi: ac deteſtans, quod tu deteſtaris; & ſiquidem tale mihi largiris deſiderium; da etiam quæſo gratiam ad illud exequendum. Amen.

e Matt. 16. 22.
e Mar. 8. 33.
f Matth. 16 23.
Terrena ſapientia deſpicit Paſsionem & labores.
Diuina extollit.
Oratio

MEDITATIO III.

DE HIEROSOLYMITANO CHRISTI CVM ramis palmarum ingreſſu.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM eſt *primum*, Chriſtum Dominũ quinque dies ante mortem ſuam, voluiſſe intrare Hieroſolymã, in qua erat crucifigendus, & occidẽdus magnis lætitiæ ſignis, & magna externa pompa, quam Hebræi ſolebant adhibere, dum a *Paſchalem agnum quinque dies antequam eſſet immolandus*, in ſuam domũ recipiebant. Hunc ingreſſum ſtatuerat Saluator noſter facere ob cauſas aliquas amore plenas.

a Exo.12.6.

I. Triumphalis ingreſſus indicat animi lætitiam & promptitudinẽ ad patiendum. *S.Agatha S.Laurentius.*

PRIMA fuit, vt ſuam ad patiendum propenſionem & lætitiam oſtenderet, qua labores, qui ipſum Hieroſolymis manebant, amplecteretur, ideoque tanta animi exultatione eam ingrediebatur, quanta ſolent, qui eunt ad nuptias: Zelus enim gloriæ Dei, & voluntatis æterni ſui patris ad hominum redemptionem exequendæ, iucunditatem illi adferebat, quod omnes illos labores & cruciatus eſſet perpeſſurus: quos tamen adeo præſentes in memoria habebat, atque ſi tunc illos pateretur. Ex hoc exemplo prouenit, vt ad Martyres ita læti ducerentur ad carceres atque ad nuptias; & in craticula ignita ita iucundè iacerent, atque ſi eſſet floridus lectus. O dulcis IESV, erubeſco in tuo conſpectu, ob repugnantiam, quam experior in me ad labores tui amore tolerandos: adiuua me, exultatio mea, vt exultem ego, aliquid pro te patiens, ſicut tu exultabas, cùm pro me patereris.

II. *S.Thom.3.p q 46.a.7.* Chriſtus inter timores & agonias exultauit ſpiritu.

SECVNDA cauſa fuit, vt intelligeremus, quando in *horto Gethſemani*, & in paſsionis ſuæ decurſu, timores, triſtitias, tædia, & agonias patiebatur, id totum in inferiori præcipuè animæ parte accidiſſe; cuius naturali inclinationi corporis dolores repugnabant; ſed eoſdem tamen ſponte & magna ſuperioris ſpiritus partis exultatione tolerabat: eò quòd voluntas Patris æterni, in eis reſplenderet; & in hoc ipſo ad mortẽ vſque perſeuerauit; ea ratione nos docens, quod ſumma patientia in eo conſiſtat, vt, magna ſpiritus voluptate nos offeramus, non ſolum ad labores externos, ſed ad internas quoque afflictiones. Ad quod meritò anhelare debeo, & exemplo Apoſtoli: c *libenter gloriari in infirmitatibus meis, & placere mihi in contumelijs, in neceſsitatibus, in perſecutionibus in anguſtiis pro Chriſto:* libenter itaque, SALVATOR mi, carnis triſtitias & agonias amplectar,

c 2.Cor.12.9.

Digitized by Google

ctar, vt te cum gaudio ſpiritus poſſim imitari; renuncians omnibus carnis & ſenſuum blanditiis, ne me à tui imitatione retrahant.

III. Chriſti charitas in peccatores.

Tertia cauſa fuit, vt oſtenderet, omnes iniurias, calumnias & perſecutiones, quas Ieroſolymis aliàs ſuſtinuerat, non eſſe ſufficientes ad extinguendam *charitatem* & *amorem*, quo illam ipſe proſequebatur; nec deſiderium & animi voluptatem, qua afficiebatur, dum illam viſitaret, doceret, & quicquid poſſet boni in eam conferret: ſimulque ſecuram eã reddebat, quod neque ignominiæ & dolores, in eadem ipſi nunc imminentes, remiſſuri eſſent ipſius charitatẽ; nec impedituri quo minus ipſam in gratiam & amicitiam reciperet, ſi illa ad eum rediret. O immenſa Iesv charitas, ô vehementiſſime amoris ignis, d *quem aquæ multæ non potuerunt extinguere, nec flumina* tribulationum *obruent illum!* Eadem hæc charitas in eo huc vſque perdurat; etſi enim lethale aliquod peccatum in anima mea admittens, e *rurſum ipſum intra meipſum crucifigam*, eiusque pretioſum ſanguinem eo facto conculcem, ac propterea ipſum ignominioſè à me repellam: ipſe nihilominus ſecundò reuertitur, & magna lætitia, per meas portas ingreditur; vt me viſitans, denuo ſuam gratiam mihi communicet: & ſi iterum eum crucifigam, proculcem, & à me repellam, reuertetur tertiò eadem iucunditate, qua venerat primò. O benedicta ſit talis charitas, & millies Angeli illum laudent, propter eam. Veniat tua maieſtas redemptor mi, ad ingratam hanc Hieruſalem animæ meæ; ſi quidem tantopere eius viſitatione delectaris: ſtatuo enim firmiter, nunquam te amplius à me reiicere, ſed ea reuerentia te impoſterum tractare, qua tanta tua charitas meretur. Sed quoniam ego ſum inconſtantiſſimus, adiuuet me ipſa tua gratia, ad conſtantiam in ea retinenda.

Oratio

d Cant. 8. 7.

e Heb. 5. 6.

Semper paratus eos recipere.

IV. Pati pro Chriſto eſt gloriæ & honoris.

Qvarta cauſa fuit, vt intelligamus, quod *labores* & *contemptus*, pro diuina voluntate exequenda, & virtute exercitanda pati, ſit quiddam *glorioſum* & *honorificum* in oculis ipſius Dei, Angelorum, & etiam hominum iuſtorum; ideoque ita illos aggredi oportet, vt non ſolùm gaudium & lætitiam præferamus, ſed etiam honoris & pompæ inſignia ex eis conficientes in iis gloriemur, & honorem ex eis quæramus, non erubeſcendo, aut pudorem aliquem propterea, quod illa ſubeamus, oſtendendo; auertat hoc à me Deus, vt aliquid f *patiar, vt homicida aut fur aut maledicus aut alienorum appetitor*, in pœnam huiuſmodi criminum; id enim pudorem & ruborem meritò adfert, at *vt Chriſtianus pati propter iuſtitiam, non erubeſcam*, quia id honor eſt meus, ſicut fuit Domini mei.

f 1. Pet. 4. 15.

V. Chriſtus triumphũ illum admiſit, vt

Verum vlterius progreſſa eſt ipſius Iesv charitas, & propenſio ad patiendum. Vult enim intrare Ieroſolymam tanto *honore* & *comitatu*, vt *contemptus* & *ignominia*, quæ illi imminebant, hac ratione maiores redderentur: ſicut illis contingit, qui ex magna aliqua dignitate & honore deci-

naior eſſet ignominia Paſsionis. g Pſal.87.16 Iſai.25.13.

dunt, iuxta illud Dauidis, g *exaltatus autem humiliatus ſum & conturbatus*. Et eius pater apud Iſaiam ait, *ſeruus meus exaltabitur & eleuabitur, & ſublimis erit valde. ſicut obſtupuerunt ſuper te multi ſic inglorius erit inter viros aſpectus eius, & forma eius inter filios hominum*. Bonus itaque noſter IESVS, ſemper externum hominum honorem refugit: quod ſi nunc illum procurauit, aut oblatum acceptauit, id fecit, vt hac ratione maior eſſet ignominia, quæ honorem hunc erat ſubſecutura: ad hoc enim honorem hunc direxit, vt maiori afficeretur ignominia. Gratias tibi dulciſs. IESV, pro fame adeò inſatiabili ignominiarum & contemptuum, quam habuiſti, propter quam demiſsè ſupplico, talia mihi deſideria patiendi pro te ignominias ſuggeri, vt nihil de eis remittam, etiam cùm honores accepero. Amen.

PVNCTVM II.

a Mat.21.2. a Mar 11.2. b Luc.19.35.

CONSIDERANDA hic eſt diſpoſitio, qua Chriſtus Dominus in hoc ingreſſu eſt vſus, *miſit* enim a *duos diſcipulos dicens eis, ite in caſtellum quod contra vos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam & pullum cũ ea, ſoluite & adducite mihi, & ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & confeſtim dimittet eos: euntes autem diſcipuli fecerunt, ſicut præcepit illis IESVS, & iactantes veſtimenta ſua ſupra pullum impoſuerunt IESVM*.

I. Chriſtus inſidens pullo, calcat humanam pompam.

PERPENDENDVM hic eſt, quod cùm REX iſte cœleſtis, ſemper conſueuiſſet pedes iter facere, per totam Galilæam & Iudæam: hac vice tamen, vt ſui regni aliquod indicium oſtenderet, non pedes Ieroſolymam intrare voluit, nec in curribus tamen quatuor equorum, neque equo aut mula inſignibus ornamentis phaleratis, ſed in vno iumento, pauperibus diſcipulorum veſtimentis ornato, conculcans hac ratione humanã pompam; præferens verò, tanquam regni ſui inſignia, ſuam paupertatem, humilitatem & manſuetudinem, quibus in mundo tanquam Meſsias & ſaluator erat agnoſcendus, iuxta Zach. prophetiam dicentis, c *dicite filiæ Sion, ecce rex tuus veniet tibi iuſtus & ſaluator, ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinum*.

c Zac.9.9. Docet & oſtendit paupertatẽ humilitatẽ & Manſuetudinem.

Diſcam ex hoc exemplo, omnem mundi pompam deteſtari, paupertatem verò, manſuetudinem, & humilitatem Chriſti amplecti. Si enim hæc ſunt regis mei & Domini mei inſignia, rationi conſentaneum eſt, eorum quoque ea eſſe, qui ſe tanti Regis ſubditos eſſe gloriantur; ac propterea eiſdẽ debeo me ornare & præparare, vt illi obuiam eam, ſiquidem & mihi dicitur, *ecce rex tuus venit tibi*. O vtinam intelligerem, quis iſte ſit rex meus, & quomodo veniat mihi! tu ſaluator mi, rex meus es, & rex regum, & hominũ & Angelorũ, rex cœlorum & terræ; rex natura tua, filius æterni patris, omnium quæ creata ſunt Monarcha, d *regnum* enim *tuum, regnum omnium ſeculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione*, tu de cœlo venis mihi ad ſalutem meam, ad conſolationem, ad remedium, ad exem-

d Pſ.144.13 d Apoc. 19. 16. Iiſdẽ virtutibus occurrendũ Chriſto.

Digitized by Google

plum, ad defenſionem & protectionem meam. O Rex & dilecte mi, c *tu mihi, & ego tibi*: ecce me dicatum tibi, ſeruitio tuo, honori & gloriæ tuæ, vt tibi obediam, te adorem & amem, ſimque totus tuus, ſiquidem tu totus es meus, & ſiquidem tu venis ad me pauper, manſuetus, & humilis: & ego volo obuiam tibi ire in paupertate, manſuetudine, & humilitate, eiſdem me induens inſignibus quibus tu vteris.

quib. ipſe ad nos venit.
c *Cant. 2. 16*
Oratio II.

Deinde particularia, quæ in hoc myſterio latent, perpendam. Duos *diſcipulos* mittit, vt iumentum deducant, & non vnum ſolum, vt ſolitum teneret morem, vt ſociati, & bini, charitateque coniuncti incederent. Iubet *ſolui iumenta*, & ad ſe deduci, vt ſignificet, Apoſtolorum officium eſſe f *peccatores, qui funibus peccatorum ſuorum conſtringuntur*, ſoluere: & ad Chriſtum deducere, vt illos ſub manibus ſuis tenens, ita gubernet, ſicut gubernat iumentum, qui illi inſidet. Iubet vt volenti prohibere, dicant, *quia Dominus his opus habet*, quò inſinuat, quod ſicut non deerunt, qui officium animas peccatorum ſoluendi impedire tentent: ſic ea impedimenta ceſſatura in nomine ipſius Domini, qui illos iubet adduci, quia his opus habet, pro gloria ſua. O *verbum* omnipotens, quod & obſtruit ora, & manus ligat eorum, qui Domini mandatum tentât impedire! O Rex gloriæ, quid tibi opus eſt tam vili & abiecto iumento vti, vt eſt peccator? g *qui cùm in honore eſſet, non intelligens, comparatus eſt iumentis, & ſimilis factus eſt illis*, ego miſer ſum, qui te opus habeo, non tu me; ego propter mea peccata, *vt iumentum factus ſum apud te*, & paſsionum mearum funibus conſtrictus teneor; iube Domine me ſolui, & tuo conſpectui ſiſti; erit enim mihi gaudium ferre ſuper me onus tuæ legis, teque ipſum in ea, tanquam gubernatorem meum: ne patiaris dæmonem, mundum, & carnem, hanc ſolutionem impedire: ſed verbo tuo dic eis, quia ſermo tuo opus habes, & confeſtim dimittent me liberum & expeditum, vt poſsim pro voto tibi ſeruire.

f *Prou. 5. 22*
Apoſtoli ſoluũt peccatores, & deducunt ad Chriſtũ.
Oratio
g *Pſ. 48. 13.*
Pſal. 72.

PVNCTVM III.

Pergenti Chriſto Domino, ac iumento inſidenti, repentè ex diuina inſpiratione obuiam ei venit a *plurima turba*, quorum quædam *ſtrauerunt veſtimenta ſua in via, alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via*, alij ex ipſa ciuitate Hieruſalem, palmas in manibus geſtantes, in ſignum victoriæ, obuiam ei venerunt & omnes ingenti gaudio b *qui præcedebant, & qui ſequebantur, clamabant dicentes, Hoſanna filio Dauid. benedictus qui venit in nomine Domini rex Iſrael, Hoſanna in excelſis*, c *benedictum quod venit regnum patris noſtri Dauid*, d *pax in cœlo & gloria in excelſis*. Circa hoc factum ſtupendum, quod Spiritus S. inſpiratione peractum

a *Mat. 21. 8.*
b *Mat. 21. 9.*
c *Mar. 11. 10*
d *Luc. 19. 38*

eſt,

eſt, perpendam PRIMO, quam verè pater æternus, *filium* ſuum *honoret* veris ſolidiſque honoribus & laudibus.

I. Honor exhibitus Chriſto, eſt à Deo. e *Luc.* 2.14.

VT enim in primo eius in hunc mundum ingreſſu, cùm natus eſſet in ſpelunca Bethlehemitica, exercitus miſit Angelorum, qui ſtupendum illum Regis ſui in mundum aduentum, ſolemnizantes canerent, e *gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, ita nunc ipſo ingrediente Ieroſolymam, paupere & miti, iumentoque inſidenti, excitat idem æternus Pater exercitum hominum, & puerorum innocentum, vt ingreſſum hunc ſolemnizantes, eodem, quo illi Angeli, ſpiritu dicant, *pax cœlo ſit* nobiſcum, qui degimus in terra, & *gloria* ipſi Deo *in excelſis*: benedictus qui venit in nomine Domini, Angeli petunt pacem in terra ab hominibus erga Deum; hi verò Hebræi, petunt pacem in cœlo à Deo erga homines.

Oratio

O PATER æterne, gratias tibi ago; pro honore, quo filium tuum vnigenitum proſequeris, cùm implendæ voluntatis tuæ cauſa, ad contemptũ & ignominiam ſubeundam pergit! O ſpiritus ſanctiſsime, gratias tibi, eò quod turbæ huic eam laudum formam, ad gloriam mei Redemptoris inſpiraueris: exulto Redẽptor mi, cùm video omnes te laudare ac benedicere, & ego cum eis ſimul eodem ſpiritu laudo te, ac benedico, dicens: *Hoſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini.* Hæc verba adhibet Eccleſia in Sacro Miſſæ ad finem Præfationis in memoriam aduentus ipſius Chriſti Domini, in altiſsimo altaris Sacramento, quæ eadem verba, eodemque ſpiritu exclamans, & ego dicam, benedictus qui è cœlo ad hoc Sacramentum venit, noſtræ ſalutis cauſa: veniat cum eo pax de cœlis, ſitque Deo gloria in excelſis.

In Præfatione Miſſæ cur dicatur. *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

II. Chriſto omnia noſtra ſubſternẽda ſunt. Palma ſignificat victoriam: etiam noſtram, ſed in virtute Chriſti.

DEINDE perpendam illius *turbæ deuotionem*: quæ ſeipſam veſtimentis ſuis ſpolians ea, in ſignum reuerentiæ, ſternebat in terra, vt CHRISTVS pertranſiẽs, illa calcaret; felices ſe exiſtimãtes, ſi res ſuas ipſe contingeret. Quo eodem ſpiritu, res omnes meas, ad ipſius CHRISTI pedes proiiciam, vt de iis pro ſuo libitu diſponat. En mi Redemptor, ad pedes tuos proiicio non ſolùm fortunas meas, ſed honorem meum, & quicquid mihi iucunditatem adferre poteſt: cor meum, & me ipſum totum, calca me, Domine, preme, & ſtatue de me pro tuo libitu: triumphum age de me, qui tuus fui inimicus; palmam ego huius victoriæ tuæ in manibus meis portabo, totique mundo lubens manifeſtabo: nam quod me tibi dedam, eſt quidem victoria tua, ſed lucrũ meũ; & victoria etiam mea eſt, ſed in virtute tua.

PVNCTVM IV.

INGREDIENTE Chriſto ciuitatem, a *quidam Phariſæorum de turbis dixerunt ad illum, magiſter increpa diſcipulos tuos, quibus ipſe ait, dico vobis quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt.*

PER-

PERPENDENDA hic *primò eſt iniquitas inuidi*, qui grauiter fert tu pro-ximi gloriam; & condemnat tanquam malum, quod reuera eſt bonum; & illuſionem ſeu paſsionem appellat, quod eſt à Spiritu ſancto inſpiratum: ideoq́ue agit, vt reprhendatur, quare talis inuidus indignum ſe reddit, cui Deus inſpiret, & ad ea, quæ ipſi ſunt placita, permoueat, ſicut plebem ſimplicem ac deuotam permouit, vt in Chriſti laudibus operam ſuam poneret. I. Inuidiæ malum. Pœna.

DEINDE perpendenda eſt *diuinæ inſpirationis efficacitas*, quæ poteſt hominum corda permutare, & ignaros docere, ac permouere ad Deum feruenter glorificandum, relictis interim ſuperbis Phariſæis, in ſua ſuperbia & torpore, quod indicant illa verba: *dico vobis, quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt*: atque ſi dixiſſet, non iſti ceſſabunt ab incepto, quia Deus vehementi inſpiratione eos ad id permouet: quod ſi tacerent ipſi, excitaret Deus alios etiamſi inſtar lapidum duri eſſent, qui clamarent, idemq́ue dicerent, quod iſti dicunt: eſt enim potens Deus ad omnia *b* etiam *de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ*: quod ſi iſti nunc tacerent, paulò poſt in mea paſsione ipſi lapides clamabunt, cum magno ſtrepitu ſcindentur, quibus clamoribus me Deum prædicabunt. O dulcis IESV, emollias duritiem cordium Iudæorum & gentilium, quo diuinus tuus ſpiritus locum in eis inueniat, vtque verum Meſsiam agnoſcentes, clament ac dicant: *benedictus qui venit in nomine Domini* ad ſaluandum nos. Salua tu illos, Saluator mi, nec obliuiſcaris cordis mei, quod ipſis lapidibus durius eſt: ſed emollias illud, vt ſpiritu deuotionis, cùm orat, tenerius reddatur: & ad te ſemper amandum, & laudandum in ſecula permoueatur, Amen. II. Efficacitas diuinæ inſpirationis. b Mat. 3.9. Oratio

MEDITATIO IV.

QVOMODO CHRISTVS SVPER CIVItatem Ieruſalem fleuerit, cùm illam vidit.

PVNCTVM I.

CVM perſequeretur Chriſtus Dominus iter ſuum, cum eo comitatu, & tanto turbarum applauſu vt proximè diximus, a *vt appropinquauit, videns ciuitatem fleuit ſuper illã*. Perpendenda hic eſt harũ Chriſti *lachrymarum cauſa* & occaſio; habet.n. maius quoddã myſteriũ, quod nũc fleat, quam quod aliàs fleuerit: quater aũt illum fleuiſſe, deprehendimus: PRIMVM, cùm eſſet *infans* in præ- a Luc. 19.41 Chriſtus quater fleuit.

terrenam, in qua ſunt permixti iuſti & peccatores, & ob impiorum peccata ac pœnas, quas propter ea eſſent daturi, fleuiſſe ſuper illos: & porrò cogitandum mihi eſt, etiam propter mea peccata fleuiſſe, quæ illi præſentia erant. O Redemptor mi, quã doleo, quod cauſam dederim, cur ita fleres: opto ex corde, quod in me eſt, illas excitare, remouendo cauſam earum, mea videlicet peccata! Ego ſum qui flere meritò debeo: ego ſiquidem ſum, qui peccaui, adiuua igitur me Domine euſque flere, vt merear conſolari. Oratio

PVNCTVM II.

PERPENDENDA etiam ſunt verba, quæ dum fleret, Chriſtus proferebat, a *ſi cognouiſſes*, inquit, *& tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis*: atque ſi diſtinctius dixiſſet: O Hieruſalem, ſi tu agnoſceres, quæ ego in te & de te cognoſco, fleres procul dubio, ſicut ego fleo: &, ſi cognoſceres, quæ ego tibi ad pacem & proſperitatem offero, ſicut hæc turba, quæ me comitatur agnoſcit: ſine dubio in laudes meas erumperes, ſicut illa, & acceptares cum ingenti gaudio illud bonum, quod intrat per tuas portas, te nihil tale exſpectante: & ſi cognoſceres hunc diem tuum, & felicem hunc diem, qui meo aduentu domui tuæ illuceſcit, admitteres illũ ſine dubio, b *ne defraudareris à die bono, & particula boni doni, ne te præteriret*: ſed quia, peccatis tuis ita exigentibus, totum hoc tibi eſt abſconditum, ideò nec fles, nec illud quæris, nec ad te veniens admittis. Hinc diſcã remedij mei initium conſiſtere in *viua & profunda* duarum rerum *cognitione*, mearum videlicet *miſeriarum*, & eius, qui antidotum illis adferre poteſt, qui eſt Chriſtus Dominus, accommodatiſsima mihi offerens media, vt ab eis liberer, credere ſcilicet in eum, amare eundem, & illi obedire, nominatim verò mea refert plurimũ, ea media cognoſcere, quæ ipſe mihi offert, ad animæ meæ pacem, in eo gradu & ſtatu, quẽ in ipſa Eccleſia, aut religione teneo: contra verò *ruina mea* initium eſt *ignorantia*, & parua horum æſtimatio; quia cum in ipſis manibus illa verſentur, neque aduerto talia eſſe, neque tanti illa facio. O Bone IESV, nunc verè aduerto, quam meritò noſtram defleas cœcitatem, ſiquidem tam parui facimus bonum, quod nobis offers, quod eſt alioqui infinita æſtimatione dignum! aufer, quæſo, Domine à me & ab omnibus hominibus velum hoc ignorantiæ; vt videamus & fleamus: oculis enim qui non videt, nec flet: qui tamen mox fleret, ſi videret.

a Luc. 19. 41

I.

b Ecc. 14. 14

Cognitio miſeriarũ ſuarum, & medici Chriſti, quam neceſſaria.

Ignorantiæ malum.

Oratio

MOX prædixit Chriſtus *mala & pœnas* quæ ciuitati illi erant euentura, *quia venient* inquit, *dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo; & circundabunt te, & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & filios* II.

c Luc. 19. 4

Ieſum autem dixiſſe eis: vtique: nunquam legiſtis, b *quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.* b Pſal. 8.3.

PERPENDENDA hic ex vna parte, *bonitas* & *liberalitas* CHRISTI Domini noſtri, qua omnibus ad ſe accedentibus cæcis & claudis benè faciebat; vt hoc teſtimonio oſtenderetur, quis ipſe eſſet, efficacia etiam inſpirationis diuinæ, quæ puerorum linguas permouit, ad laudes & gloriam Chriſto dicendam, & ſuis laudibus ipſius excellentias manifeſtandas; ex altera verò parte perpendenda eſt *phariſæorum malitia*, qua ex rebus omnibus, venenum eliciebant: nã inuidia tabeſcentes, nec manſuetudine Chriſti emolliebantur; nec operum eius excellentia, nec laudibus infantium; qui cum vix os aperire ſcirent, in Chriſti tamen laudes erumpebant. O Deus æterne, erue me ab hac cæcitate, & cordis duritia: ne ex eo detrimétum hauriam, quod tu in meum commodum ordinaſti; fac me etiam infantem, in ſynceritate & puritate; vt os meum dignum ſit laudum tuarum inſtrumentum, quibus te plurimi glorificent in ſecula, Amen.

I. Chriſti bonitas. Phariſæorũ malitia. Oratio.

DENIQVE perpendam, cùm Chriſtus Dominus totam illam diem in prædicatione, & mirandis aliis operibus conſumpſiſſet, c *circumſpectis*, vt ait S. Marcus *omnibus*, vt videret, ſi fortè aliquis inuitaret aut hoſpitio exciperet, & cùm nullus eſſet, qui ſignum huius aliquod daret propter metum Phariſæorum, *cum iam veſpera eſſet hora, exijt in Bethaniam cum duodecim.* Vt hinc videre liceat infinitam Dei erga homines liberalitatem, & miſericordiam; & contrà infinitam propè tenacitatem & ingratitudinem hominum contrà Deum, quamque parum ſit illis fidendum, qui humano reſpectu, & timore, tàm facilè deſeruerunt eum, quem tanta exultatione eodem die receperant, quorum pænam prædixit Chriſtus Dominus proximo die: d *mane, cum reuerſus in ciuitatem eſuriit, & videns fici arborem vnã ſecus viam, venit ad eam: & nihil inuenit in ea, niſi folia tantum, & ait illi: nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum: & areſacta eſt continuò ficulnea:* O Iudex iuſtiſsime, quàm iuſtè imprecaberis impiis in nouiſsimo iudicij die, quòd e *eſurienti non dederint manducare, nec peregrinum hoſpitio recipere* voluerint. O anima mea ne humano timore impediaris inuitare, & hoſpitio recipere Chriſtum, ne excludat te à regno ſuo: nec laborare deſiſtas, vt proximis tuis benefacias, quamuis nullum ab eis præmium recipias. Comitare Saluatorem tuum, ſicut Apoſtoli in ingreſſu Hieruſalem adeò honorifico, & in receſſu adeo ignominioſo; eidem ſeruiens f *per infamiam & bonam famam*, vt te ipſe in æterna ſua gloria recipiat. Amen.

II. c Mar. 11. 11. Chriſtus à nemine inuitatur illo die. d Matt. 21. 19. d Mar. 11. 20. Oratio. e Matt. 25. 42. f 2. Cor. 6. 8.

MEDITATIO V.

DE COENA QVA CHRISTVS DOMINVS exceptus eſt in Bethania.

QVAMVIS hæc cœna facta fuerit ante ſex dies Paſcha agni, & pridie quàm Chriſtus Dominus ciuitatem Hieruſalem ingrederetur cum ramis palmarum, vt refert S. Ioannes, *ſed quia S. Matthæus & Marcus eandem referunt poſt illum ingreſſum in Hieruſalem, propter occaſionem quam ex cœna illa Iudas accepit ad ipſum Chriſtum tradendum; eadem de cauſa, eundem ego ordinem ſequar.*

PVNCTVM I.

a Ioan. 12. 1. &c.
b Mar. 14. 3

CVM eſſet a Ieſus in Bethania fecerunt illi cœnam: & cum recumberẽt, venit mulier Maria ſoror Lazari, *habens alabaſtrum vnguenti, nardi piſtici pretioſi: & vnxit pedes IESV, & exterſit pedes eius capillis ſuis,* b *& fracto alabaſtro,* reſiduum *effudit ſuper caput eius, & domus impleta eſt ex odore vnguenti.*

I.
1. Part. Medicat. 25.
Maria Magdalena bis vnxit Dominũ

PRIMVM eſt conſiderandum, Mariã Magdalenam *bis vnxiſſe* Chriſtũ Dominũ noſtrũ; *primum* initio ſuæ conuerſionis, vt peccatorũ remiſsionẽ obtineret, vt ſuo loco declaratum eſt; *deinde* in hac cœna, vt gratitudinẽ ſuam oſtenderet, ob reſuſcitatum à Chriſto fratrem ſuum Lazarum; cuius gratitudinis hoc dedit indicium, dum ſe ipſam ad eius pedes proiecit, & lauit lachrymis (vt par eſt credere) amoris, ſicut cùm primùm illos lauerat, ac terſit optimo linteo, quod apud ſe habebat, propriis ſcilicet capillis, quos etiam pretioſiſsimo vnxit vnguento, nouoq́ue fiduciæ ſpiritu excitata, auſa eſt alabaſtro fracto, quod reliquum erat vnguenti, ſuper eius caput effundere; vt cùm integræ libræ eſſet vnguentum, nihil omninò ſupereſſet, quod non in Chriſti aut pedes, aut caput eſſe defuſum.

Quanto affectu vnxit.

O quàm attentè, placidoq́ue vultu, reſpexerit Chriſtus Dominus, hoc ſeruæ illius ſuæ opus & obſequium; multoq́ue magis internum eius affectum ac deuotionem, qua illud præſtabat, approbauerit, optans, multos eſſe in Eccleſia, qui illam in eo imitarentur! Quare ad vtriuſque huius vnctionis ſpiritum imitandum, conabor quo potero feruentiſsimo affectu, Deo reddere vtrumque debitum, quo teneor obſtrictus: *alterum* ob mea peccata; *alterum* ob eius in me beneficia: & quidem hoc ſecundum, maiori feruore & gratitudinis ſpiritu in ipſis operibus, aperta eius indicia præbendo, offerens optima & pretioſiſsima quæ habuero.

Vngendus à nobis Chriſtus.
II.

PRAECIPVE verò offeram alabaſtrum magnum, ſpirituali vnguento plenum, ad ipſum vngendum. Alabaſtrum ipſum cor meum eſt, & cor-

pus meum, quod frangere oportet exercitiis mortificationis & pœnitentiæ, contritione & dolore de peccatis, frangendo voluntatem & inordinatas meas appetitiones. Vnctio fieri debet vnguento fideli & puro ſpicę nardi, plurimis videlicet affectibus, & excellentiſsimis operibus humilitatis, & charitatis, cũ fidelitate & puritate intentionis in eis, vt mea c *charitas ſit* (iuxta ſententiam Apoſtoli) *de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta.* Hoc vnguento vngere debeo ſpiritaliter Chriſtum, primum in pedibus, deinde in capite; quia primum oportet meditari abiectiones & ignominias humanitatis eius, quam pedes ſignificant, ſtudendo eas imitari & amplecti ſuſceptis pœnitentiæ & mortificationis operibus; deinde aſcendendum eſt ad meditandas excellẽtias eius diuinitatis, quam ſignificat ipſum caput; de vtriſque gaudendo, & gratias pro beneficiis, ab vtriſque ad nos prouenientibus agendo. O dulciſsime IESV, Deus vere, & homo vere, quandoquidem quicquid boni in fragili hoc meo alabaſtro habeo à te accepi; id totum tibi offero, quamuis in tuo obſequio frangatur, quando id opus erit.

Alabaſtri fractio quid ſignificet. *S. Bernard. ſerm. 42. in Cant.* c 1. *Tim.* 1. 5. Oratio

III. DENIQVE perpendam, ſicut tota domus impleta eſt odore vnguenti, quod S. Maria Magdalena effudit, ita Eccleſiam vniuerſam & religioſam quamlibet domum, glorioſis huiuſmodi virtutis exercitiis ædificari, & confortari, quare par eſt, meipſum ad ea præſtanda excitare: vt eſſe poſſim (ſicut ait Apoſtolus) *bonus odor Chriſti in omni loco*: meoque exemplo conari, vt alij, quibuſcum verſor, ad idem præſtandum excitentur.

2. *Cor.* 2. 15.

PVNCTVM II.

VIDENS ergò a *vnus ex diſcipulis eius Iudas Iſcariotes, quare, ait, hoc vnguentum non venijt trecentis denariis, & datum eſt egenis? dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat & loculos habens, ea, quæ mittebantur portabat:* b *& quidam* alij ex diſcipulis *erant* etiam *indignè ferentes intra ſemetipſos, & dicentes, vt quid perditio iſta vnguenti facta eſt, & fremebant in eam.*

a *Ioan.* 12. 4. b *Mar.* 14. 4.

I. CONSIDERANDVM hic *primo* nunquam defuturos, qui temerè iudicantes, de bonis *iuſtorum operibus* murmurent, alij quidem intentione peruerſa, ſicut hic Iudas: alij ignorantia aut zelo bono, licet indiſcreto: ſicut diſcipuli, qui de hoc Magdalenæ opere murmurarunt, iudicantes illam eſſe prodigam, quæ vnguentũ adeo pretioſum proiiceret in re ipſi Chriſto ingrata, qualis erat recreatio illa, quæ ex vnctione proueniebat: & indiſcretã, vt quæ valore vnguẽti multis pauperib. potuiſſet opẽ ferre: quæ murmuratio tacitè etiã in ipsũ magiſtrũ, qui iacturã illã vnguenti permiſiſſet, redũdabat. Verũtamẽ oẽs illi in ſuo iudicio errabãt, nõ ſciẽtes ſpiri-

Iudicium temerariũ parit murmurationẽ

tum

tum æſtimare, quo S. hæc mulier ad præſtandum illud opus mouebatur; nec illum, quo Chriſtus idem acceptabat, ipſique exigua ſua deuotione & rudi operis apprehenſione, condemnabant, & contra eam indignabantur & murmurabant. Diſcam ex hoc nunquam temerè de aliquo iudicare, nec in deteriorem partem, quæ bona eſſe poſſunt opera, interpretari, multoq; minùs de eiſdem murmurare; ſed de his omnibus iudicium Deo relinquere, qui rectus eſt omnium iudex, alioquin facilè errare, & contra proximos, & ipſum Spiritum ſanctum, qui ad huiuſmodi opera illos inſtigat, peccare continget; quam iniuriam ipſe ſciet vlciſci. Quamobrem ipſe Chriſtus Dominus iuſsit, c *nolite iudicare, & non iudicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini.* Neque excuſabit me ſpecies apparens pietatis qua iudicia mea temeraria, & murmurationes contego; ſæpè enim huiuſmodi pallio peſsimæ intentiones operiuntur, ſicut Iudas affectum furandi pecuniam, quæ ex vnguento vendito prouenisset, cooperuit pallio eleemoſynæ, quæ in pauperes diſtribui potuiſſet.

c Luc. 6. 37.

II.

Malum exemplum quam noceat.

PERPENDERE etiam licet, facilè credi poſſe, hanc murmurationem, à *Iuda* ipſo initium ſumpſiſſe, ipſumque malo ſuo exemplo, reliquos condiſcipulos ad murmurandum induxiſſe; vt hinc intelligamus, quantum noceat malum exemplum, & vnus peruerſus, quot bonos poſt ſe tractos peruertat. Nam vt illa domus Bethaniæ impleta eſt odore bono vnguenti, & operibus bonis, quod Maria perfecit; ita eadem fuit repleta fœtore, qui ex peſtilente Iudæ ore exhalauit, & reliquos diſcipulos turbans, vitio murmurationis infecit.

PVNCTVM III.

a Matt. 26. 10.

SCiens a *autem IESVS ait illis, quid moleſti eſtis huic mulieri: opus enim bonũ operata eſt in me. Nam ſemper pauperes habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis. Mittens enim hoc vnguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit. Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.*

Pependendæ hic ſunt heroicæ *virtutes*, quas hac occaſione Chriſtus maniſeſtauit: PRIMA fuit magna *fidelitas* in defendẽda famula ſua Magdalena, tacente illa, ſicut iam bis aliàs fecerat: familiare enim eſt ipſi Domino, honorem tueri illorum, qui ipſius cauſa murmurationes ſuſtinent, non adhibentes excuſationem, nec ſeipſos defendentes, propter humilitatem; diuinæ ſe potius prouidentiæ committentes: quare inſignis eſt prudentiæ in huiuſmodi caſibus patienter tacere; nouerit enim ac poterit Deus melius me excuſare, & honorem meum tueri, quam ſciam ipſe, vel poſsim, ſicut hic fecit Chriſtus, Magdalenam multò melius defendendo, quàm

I. Luc. 7. 44. & 10. 42. Chriſtus tuetur honorem ſuorum.

ſciuiſſet ipſa: ſi enim ipſa ſe voluiſſet excuſare; aut ſcopum non attigiſſet, aut voti compos non euaſiſſet.

SECVNDA virtus fuit magna *benignitas* & blanditics, in diſcipulis, & ipſo Iuda corrigendis: etſi enim totam ſuam ſcholam turbatam vidit, ipſe tamen nec turbatus, nec indignatus eſt; ſed manſuetè à deceptione, qua laborabant, deduxit; falſaſque eorum apprehenſiones diſſoluit, opus illud approbans, diuinoque inſtinctui illud tribuens, quo hæc mulier inducta fuit, ad corpus ipſius viuum, eo vnguento vngendum, quo mortuum vngere non poſſet. Quod reipſa ita euenit: nam, cùm illa poſt mortem, eius corpus ad vngendum quæſiuiſſet, iam ille reſurrexerat. O Magiſter ſapientiſsime, doce me a *in ſpiritu lenitatis alios inſtruere*, vt manſuetudine potius curem, quàm deſtruam indignatione.

II. Chriſtus quam benignè ſuos corrigat

a Gal. 6. 1.

TERTIA virtus fuit inſignis *charitas* & *liberalitas*, cum magnis prudentiæ indiciis, quam adhibet in conuertendis rebus omnibus, quæ ipſum amantibus eueniunt, in maius eorum commodum, iuxta illud Apoſtoli: b *ſcimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum*: nam, ſi contra Magdalenam non fuiſſet murmuratum; nec opus hoc ita promulgatum fuiſſet; nec ipſa tanto honore affecta. Neque benigniſsimus noſter Saluator permitteret, contra iuſtos murmurationes, niſi poſſet, ac vellet, maiora ex eis bona illis adferre; & ob eam cauſam promiſit fore, vt in toto mundo, vbicunque hoc Euangelium prædicaretur, diceretur, hoc eam opus feciſſe, vt hac ratione honor illi accederet, quæ ipſum honoraſſet: quod ita te ipſa impleuit: omnes enim Chriſtiani credimus, opus illud fuiſſe ſanctum, & inſpiratione diuina perfectum; ideoque eam laudamus, quòd illud effecerit. Et ego redemptor mi, vt promiſsionem tuam, quod in me eſt, expleam, gaudeo de huius ancillæ tuæ deuotione, gratiaſque illi ego propter obſequium, & honorem tibi præſtitum; ſed multò amplius tuam liberalitatem laudo, qua modicum noſtrum obſequium tibi exhibitum, & paululùm, quod pro te ſuſtinemus, tam liberaliter remuneres, ſiquidem cùm quatuor vel ſex tantum de hoc opere murmurarint, tu vis vt millia millium hominum illud ipſum opus magnificent. Noli, ô anima mea, alteri Domino niſi Chriſto ſeruire, qui ſe adeò liberalem exhibet in afficiendis honore iis, qui ipſi honorem exhibent; & in remunerandis, qui ipſi obſequuntur.

III. Chriſtus ſuorum mala vertit in bonum

b Rom. 8. 28

B. Magdalena laudāda ab omnibus Oratio

MEDITATIO VI.

QVOD IVDAS CHRISTVM DOMINVM pro triginta tradiderit argenteis, & Principes Sacerdotum decreuerint ipſum occidere.

a *Luc.* 22. 3. INTRAVIT *autem Satanas in Iudam, qui cognominabatur Iſcariotes, vnum de duodecim. Et abijt, & locutus eſt cum Principibus Sacerdotum, & Magiſtratibus.* b *& ait illis: quid vultis mihi dare, & ego eum tradam? at illi conſtituerunt ei triginta argenteos: & exinde quærebat opportunitatem, vt eum traderet.*

b *Matt.* 26. 5. *Mar.* 14. 11.

Paſsionis Chriſti 1. pars, & iniuria

PRIMA paſsionis Chriſti Domini noſtri pars, primaque eius iniuria fuit, quod à Iuda fuerit *hoſtibus* ſuis venditus; quæ fuit vna ex grauioribus ignominiis, quas ſuſtinuit: quam propterea ipſe, cùm eſſet in cœna cum diſcipulis ſuis, maxime exaggerauit: quare circa eam, ſunt perpendēdæ omnes circumſtantiæ huius venditionis; *quis* videlicet *venditus* ſit, & *cur* permittat ſe *vendi*; *quis* item *venditor*, & quam habuerit ad *vendendum occaſionem*; quis id illi perſuaſerit, quam ob *cauſam*, quo *prætextu*: *quibus* item hæc venditio & traditio fiat, qua opportunitate, in quem finem, quo pretio & modo, ac demum huius venditionis exitus, quia ex ſingulis horum creſcit iniuriæ magnitudo.

PVNCTVM I.

Quis ſit venditus

PRIMVM eſt conſiderandum, eum qui cum tanta iniuria venditur, eſſe IESVM Chriſtum filium Dei viui, totius creaturæ *Dominum*, cuius proprietas eſt eſſe *ineſtimabilem*: quia eius valor eſt infinitus, qui immenſa ſua charitate de cælo deſcendit, vt ſanguinis ſui pretio nos redimeret; & bona gratiæ & gloriæ, quæ amiſeramus, nobis compararet: & in hoc vitam ſuam totam impendit, innumera conferens hominibus beneficia, quò illos liberaret à ſeruitute Dœmonis, cui ſe ipſos peccantes ſpontè tradiderunt, iuxta illud Iſaiæ: a *gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini.* Hic igitur ſupremus Dominus, & omnium tantus benefactor, proditione venditur, atque ſi mancipium aliquod eſſet. Quam adeò ignominioſam venditionem, duabus præcipuè de cauſis ipſe permiſit.

a *Iſai.* 52. 3.

Chriſtus cur permiſerit ſe vendi.

Oratio. I.

PRIMA fuit, vt ea ſatisfaceret ipſe pro *iniuria*, quam ego intuli DEO, dum animam meam Diabolo vendidi, culpâ meâ. O benigniſsime REDEMPTOR, fateor, me ſicut b *Achaz*, me ipſum *vendidiſſe* ac tradidiſſe, vt innumera *facerem mala in conſpectu tuo.* propter quæ meritus eram, vt

b 3. *Reg.* 21. 20.

ciuberes

c *iuberes me venundari, & omnia mea vt redderem debitum decem millium talentorum*, ſicut ſeruum illum nequam Euangelicum. Sed quandoquidem tu voluiſti vendi, vt mea debita perſolueres, ea benignè mihi remitte, nec patiaris me iterum ea contrahere. c Matt. 18. 25. 34.

SECVNDA cauſa fuit, vt nobis præberet raræ *humilitatis* exemplum: vt enim noſtri amoris intuitu, formam ſerui accepit; ita voluit etiam extremam ſeruorum abiectionem admittere, quæ eſt pro pecunia vendi. O dulcis IESV, quot tu quæris inuentiones ad te humiliandum, quò tua humilitate medearis meæ ſuperbiæ! Sana illam Domine ſemel, ſiquidem id tantoperè deſideras, vt poſſim ego humilitatem tuam imitari, ſicut deſidero. II. Humilitas

PVNCTVM II.

DEINDE conſiderandum, creuiſſe iniuriam hanc Chriſti Domini ex eo, quod venditor, non eſſet *hoſtis* aliquis manifeſtus, ſed eius *diſcipulus*, & quidem non ex illis, qui communiter illum ſequerentur, nec ex ſeptuaginta duobus, qui erant magis familiares, ſed vnus ex *duodecim*, quos Apoſtolos nominauit; cui extraordinaria beneficia, & gratias communicauit, manifeſtans illi ſua ſecreta, & poteſtatem tradens pellendi dœmonia, & miracula patrandi. I. A quo Chriſtus ſit venditus.

CAVSA ſiue motiuum principale, quo ad hanc venditionem Iudas fuit permotus, fuit *auaritia*; hinc enim eius iniquitas incepit; & eò progreſſa eſt, vt ad culmen peruenerit impietatis: in quo locum habuit Apoſtoli ſententia, a *radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis*. Erat Iudas propenſus ad habendas pecunias & res alias proprias, qui cum in paruis, permiſit ſe ſuperari, b *ſpernendo modica, paulatim decidit* in grauiſsima: curam enim habens accipiendi eleemoſynas, quæ magiſtro eius c *mittebantur, quia fur erat, & loculos habens*, cœpit aliquid furari, & pro ſuo arbitratu, & in ſuum commodum illud exponere: & hac ratione cœpit violare votum paupertatis: (ſi verum eſt Apoſtolos eo tempore fuiſſe eo obſtrictos) & ita Dei gratiã amiſit; & quando d *Magdalena Chriſti pedes vnxit*, eius opus ſanctum damnans murmurauit; imò etiam de ipſo Chriſto, quod illud admiſiſſet: ex qua occaſione, ita illum in corde ſuo odit, vt deuenerit ad *proditionis* ſcelus, & ipſum venderet, vt iacturam illam repararet, quam putabat ſe feciſſe, eò quòd vnguentum, quo eius pedes vncti fuerant, non fuiſſet trecentis denariis venditũ. Ex cupiditate ergò ortũ eſt *furtum*, & *voti violatio*, *murmuratio* & *ſcandalũ*, *odium* in magiſtrũ, & eius proditoria *venditio* facta eius inimicis. Ex quo apparet extrema malitia, in quã deuenit homo à Deo deſertus, qui ſe ſinit à ſuis appetitionib. duci. Siquidẽ hũc videmus, ex di- II. Auaritiæ mala. a 1. Tim. 6. 10. b Eccl. 19. c Ioan. 12. 6 Iudam auaritia impulit ad venditionẽ d Ioan 12. 3.

gniſsimo & altiſsimo ſtatu, qui in tota eſt Eccleſia, cecidiſſe in abyſſum iniquitatis profundiorem, quàm vnquam fuerit. Quod Chriſtus ipſe Dominus noſter magno & intimo ſuo ſenſu perpendit, cùm ſuis Apoſtolis dixit: e *Nonne ego vos duodecim elegi & ex vobis vnus Diabolus* factus eſt, atque ſi diceret, cùm ego ipſe vos elegerim ex mera gratia in Apoſtolos, vnus ex vobis factus eſt filius Dœmonis, & magnus meus inimicus, culpa ſua.

e Ioan. 6. 71

Ex hac conſideratione magnũ concipiã timorẽ & tremorem de iudicijs Dei: nã *S. Bernardo* teſte, in nullo peregrinorũ loco eſt perfecta ſecuritas, nec in ipſo cœlo; ſiquidem ex eo cecidit lucifer; nec in paradiſo, ex quo fuit pulſus Adã, & multò minus in hoc mundo, ſiquidẽ Iudas in ipſa Saluatoris ſchola perijt. Quod tamen non propterea dicitur, quaſi non debeat locus ſecurior eligi, ſed ne, poſtquã talem quis elegerit, curam ſui deponat: & ſecurum ſe falsò exiſtimet, nec ceſſet Dei miſericordiam implorare, vt ipſum protegat atque defendat. O *anima* mea quamuis nunc f *exiſtimes te ſtare*, time, & *vide ne cadas*; ſi enim qui Apoſtolus erat Chriſti, & cum eo familiariter verſabatur, eius audiens ſermones, videns exempla & miracula, cur tu nõ timeas cadere qui nihil horum habes? O piiſſime Magiſter, protege manu tua pauperem hunc diſcipulum, ne in miſerias cadat falſi huius Apoſtoli.

Serm. de ligno, fœno & ſtipula. Timendũ ſemper.

Oratio. f 1. Cor. 10. 12.

PVNCTVM III.

QVI ſcelus illud Iudæ perſuaſit, (vt ait S. Ioannes) fuit a *Satanas*, tũ vt eius animam raperet, tum vt Chriſto Domino, quem magno odio proſequebatur, vitam adimeret, illumque diſcipulum ab eius ſchola & poteſtate retraheret. In quo facto perpendere debeo, Iudæ lapſum, etſi ab ipſo cæpit, eò quòd propenſioni ſuæ deprauatæ ſe ſubiecerit, creuiſſe tamen dœmonis ſolicitudine, qui ſingulis momentis & ſuggerebat & fouebat eam propenſionem, qui etiam ingreſſus eſt eius animam: paſsio enim non mortificata eſt tanquam domeſticus inimicus, qui cordis portam Satanæ aperit, vt ingreſſus, illum præcipitet in abyſſum iniquitatis, qui tàm diu habitationem & poſſeſsionem ſuam ſecuram habet, quã diu ipſa paſsio in corde perdurat. Hinc diſcam, quàm ſit perniciosum vel vnicam malam *propenſionem* non mortificare: ex ea enim laqueum conficit Satanas, quo me illaqueet, raptetque pro libitu ſuo, ſicut venator, qui vel ex vno vngue aquilam tenet ligatam, facillimè poteſt alas eius frangere, & amputare caput. O SALVATOR fortiſsime, qui veniſti, vt b *fortem armatum* qui pacificè animas poſsidebat, vinceres & expelleres: oſtende te eſſe illo fortiorem, ita ex anima mea illum expellendo, vt amplius nunquam audeat in eam intrare.

Diabolus ſuaſit Iudæ vendit onẽ a Ioan. 13. 3. Paſsio non mortificata portam aperit Diabolo.

I.

S. Dorotheus ſerm. 11. b Luc. 12. 22

II.

DEINDE perpendam plauſibilem & apparentẽ rationem, qua callidus

hic

hic ſerpens, miſerum hunc decepit, hoc colore occultans iniquitatem: *magiſter tuus* dicit, ſe hoc paſchate moriturum, Iudæi hoc vehementer deſiderant, & perficere ſtudent. ſiquidem ergò id futurum eſt, & tuus magiſter id vult, parum illi nocebis, ſi eum vendas; ſic enim implebis deſiderium, & eadem opera etiã tuum perficies, pecuniam recipiẽs, quam ex effuſo vnguento perdidiſti. Hæc inquam ratio Iudam conuicit, quia paſsio mentem excæcat, efficitq; vt facilè credat, quicquid ei Dœmon in ipſius fauorem, etiam ſi alioqui ſit iniuſtiſsimum, ſuggerit. Ex quo diſcam non adhibere fidem illis cogitationibus, quæ cordi meo aliqua affectione perturbato ſunt conformes; perſuadens mihi, eas ab inferni ſerpente prouenire, cuius officium eſt, nos ſicut Euam decipere, proponens nobis, quod arridet, obducendo illud, quod malum eſt, ſpecie alicuius boni.

Dæmon quo argumento deceperit Iudam. Paſsione laborans facile decipitur.

PVNCTVM IV.

CONSIDERANDAE prætereà ſunt *perſonæ*, quibus venditur Chriſtus, & quem in finem illum emant. Qui emerunt, fuerunt *Principes* ſacerdotum, cùm Scribis & Phariſæis & ſenioribus populi; ad quos, cũ ipſi congregati eſſent, vt de Chriſto è medio auferendo tractarent, propter *inuidiã & rabiem*, qua contra illũ ardebant, venit Iudas; & concluſa eſt vẽditio. Proditor illũ itaq; nõ vẽdit matri ipſius Chriſti, quæ ſecundò illũ redemiſſet, ſicut ſantẽ in tẽplo redemit, vt illi tenerè indulgeret, nec vendit alijs diſcipulis aut amicis, qui illum emiſſent, vt de hoſtiũ manib. liberarẽt, & ſuũ Dominũ retinerent; ſed vẽdit infeſtiſsimis ipſius hoſtibus, qui illum comparant, vt exquiſitis tormentis vitam ei adimant. O Diabolica vendẽtis crudelitas! O infernales emptorum furiæ! Apparet benè, Sathanam eſſe huius venditionis & emptionis intermedium, quæ in tales fines dirigebatur. O *Agnus* manſuetiſsime, quanta iniuria hic afficeris, dum venderis, vt ſacrificeris, per *manus* adeò crudelium carnificum! O mundi *Saluator*, hodie es venditus ſicut Patriarcha Iacob à fratribus ſuis, quamuis alio fine: ille enim a *venditus* fuit *prætereuntibus Madianitis negotiatoribus*, vt ſic à morte liberaretur: Tu verò venderis vt crudeliter occidaris; ille ſeruata vita, Aegytum ſeruauit: tu morte tua ſaluaſti mundum. Salua me Domine miſericordiâ tuâ, quem cum pretio tui ſanguinis comparaueris, ne quæſo permittas, vt me ipſum pro vili peccati pretio vendam.

Quibus Chriſtus ſit venditus. I.

Ioſeph à fratrib. ſuis venditus. a Gen. 37, 28

DEINDE perpendendum eſt, quanta ignominia Chriſto Domino noſtro, ex hac *venditione* acceſſerit, apud ipſos emptores, & quantâ patientiâ illam ipſe tulerit; cùm, etſi corpore procul abſens, transfigi tamen videbat. Credi enim facilè poteſt, Iudam ipſum, vt facinus tam fœdum, quale erat proprium magiſtrum vendere, occultaret, multa mala de ipſo dixiſ-

II. Venditio Chriſto fuit ignominioſiſsima.

Digitized by Google

ſe in illo concilio. Quod videlicet ipſe ab eius ſchola ſe ſubduceret, quia aduertebat ipſum eſſe legis tranſgreſſorem, antiquarum conſuetudinum inimicum, voratorem & potatorem in conuiuiis, quod nimiũ ſibi indulgeret, & prodigus eſſet, permittens quandam mulierem vngere ſibi caput & pedes pretioſiſsimo vnguento, quod trecentis denarijs vendi potuiſſet: quæ omnia à toto concilio magno applauſu & gratulatione audiebantur, nullo quicquam adferente pro ipſo Chriſto.

Oratio. O *dulcis Magiſter*, quod nemo ſit, qui falſi huius murmuratoris obturet os, nec qui pro tua innocentia, vel verbum dicat, ſicut tu dixiſti pro Magdalena, cùm ipſe Iudas contra eã murmuraret! quã meritò per os tui Prophetæ conquerens dixiſti:

Pſal. 54. 13. *quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique; & ſi is qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo; tu verò*, ô Iuda *homo vnanimis, & notus meus*, & ita meus, vt *ſimul mecum dulces cibos caperes, & in domo Dei ambularemus cum conſenſu*, quomodo me tradidiſti! Magna fuit Domine iniuria hæc tua: ſed multò maior eſt patientia: nam plus doloris tibi adfert culpa iniuriam inferentis, quã damnum tibi ex eadem proueniens. Ex hoc exemplo ſolatiũ accipere poſſunt Magiſtri, Prælati & Principes, quando ſine propria ipſorum culpa, diſcipuli aut ſubditi, illis detraxerint.

III. A Diſcipulo vẽditur.

Fvit denique magnum Chriſti dedecus, apud illos homines & totum populum, quod ex eius ſchola, prodiret *diſcipulus*, adeò pecuniarum cupidus & deteſtandus, vt proprium magiſtrum venderet, externis exhibitis indicijs magni in eum odij: ex quo eius hoſtes occaſionem ſumerent dicẽdi, qualis eſt diſcipulus, talis & magiſter. O cœleſtis magiſter, ne quæſo permittas me mala vita mea, te afficere ignominia, nec c *vt* mei cauſa, *nomen tuum blaſphemetur inter gentes.* Simus Domine omnes tui d *diſcipuli* tales *ſicut es tu*, vnicus magiſter noſter, vt omnes ſimus *gloria tua.*

c Iſa. 52. 5. c Rom. 2. 24 d 2. Cor. 8. 23.

P V N C T V M V.

Pretivm, quo fuit Chriſtus Dominus noſter venditus, fuit *triginta denariorum* illius temporis: pretium verè viliſsimum, & pro ſimili a *venditus fuit Ioſeph à fratribus ſuis*: & communiter b *Iudæi*, eodem pretio ſuos *ſeruos æſtimabant*, quando ab aliquo occidebantur. Quod ipſum grauiorem multò reddit iniuriam Saluatoris: ex hoc ſiquidem apparet, quàm vili æſtimaretur, tàm à vendente, quàm ab emptoribus. Sed multò adhuc maior iniuria cenſetur illata, ex modo paciſcendi. Nam *diſcipulus* ille alicuius pecuniæ auidus, pretium remiſit emptorum voluntati, dicens: *quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam*, atque ſi diceret: date mihi quod libuerit, ego eum manibus veſtris tradam. Illi tum ob auiditatem vendentis, tum ob ſuam vilem æſtimationẽ & odium, quo Chriſtum

a Gen. 37. 28 b Exo. 21. 32 Chriſtus venditus fuit pretio ſerui aut mancipii.

pro-

proſequebantur, primo ſtatim verbo, triginta argenteos ſe daturos obtulerunt: quod pretium pro ſeruis offerebatur: ſed intereſt tamen; nam pro ſeruis dabatur tantum ab eo, qui illos occidiſſet, & in pœnam homicidij, pro Chriſto verò idem pretium offertur, vt mors illi crudeliſsima inferatur. O *mundi* Saluator, quàm tu aliam habes de peccatoribus æſtimationem quàm illi de te faciant! illi te vendunt pro triginta denariis, tu eos comparas pretioſo tuo ſanguine! illi in voluntate carnis ſuæ pretium huius venditionis ſtatuunt: tu in voluntate patris æterni, pretium collocas huius emptionis. O Pater æterne, totius creaturæ conditor, aſpice quo pretio tuus filius appretietur! O fili Dei viui, quam meritò conquereris apud Prophetam, c *decorum pretium quo appretiatus ſum ab eis* ſed quoniam formam ſerui accepiſti, non magnum eſt ſi & ſerui abiectionem & vilitatem experiaris, vt ſeruorum pretio æſtimeris. Gratias tibi pro prima hac iniuria, quam in tua paſsione ſuſtinuiſti: ego pro eius gratiarum actione meipſum tibi in ſeruum perpetuum offero, cupiens & ſtatuens nunquam à tuo obſequio recedere. Oratio Chriſtus parui æſtimatus, magni æſtimat homines. c Zac. 11. 13.

Hinc etiam magno pudore afficiar, memor, quod Chriſtum ipſum ſæpiùs vendiderim viliori pretio, quam triginta denariorum pro voluptate videlicet aliqua carnis, pro aliquo punctulo honoris, aut rei temporalis exiguo lucello; ſic eum iterum tradens eius hoſtibus, peccatis videlicet, vt in ipſo corde meo illum crucifigam; quare licebit imaginari Chriſtum ipſum mihi dicere, d *ſi bonum eſt in oculis tuis, affer* mihi *mercedem meam* pro tot beneficiis in te collatis; *& ſi non, quieſce*, quia nolo te cogere. Cui adeò iuſtæ petitioni, quod ego reſpondeo operibus, illud eſt, vt tam vili eum pretio tradam, vt mihi meritò reſpondeat: *O decorum* & inſigne ſcilicet *pretium, quo appretior à te!* Quomodo anima mea non magno pudore ſuffunderis, dum hoc audis verbum tui Redemptoris! O Redemptor mi, quam iuſtè abſtuliſſes à me virgam gubernationis tuæ & vitæ meæ filum abſcidiſſes, qui eâ tantoperè abutor. Remitte mihi quæſo præcedentes iniurias, & adiuua vt te in poſterum, prout dignus es, æſtimem, vt poſsis abſque ironia aut irriſione dicere, *decorum pretium* eſt, *quo me appretias.* Peccator pro quam leui re vendat Chriſtum. d Zac. 11. 12.

PVNCTVM VI.

CONSIDERANDVM ſextò eſt, quid poſt hanc venditionem tam Iudæ ipſi quàm ſacerdotum principibus euenerit. Nam PRIMVM Iudas, conſtituto pretio ſibi poſtea dando, ſpopondit, perfecturum ſe quod promiſerat, ideoq; valdè ſolicitè opportunitatem quærebat, qua eum traderet, quò promiſſum ſibi pretium recipere poſſet: ideoque ad Apoſtolorum collegiũ, Chriſtiq; ſocietatem rediit, iniquitatem ſuam diſsimulans: nam, quod fidem iam amiſiſſet, exiſtimauit, Chriſtum non 1.

Digitized by Google

Chriſti charitas in inimicos. eſſe conſcium facti ipſius. Chriſtus verò Dominus noſter, eiſdem amoris indiciis illum admiſit, atque ſi quod ille feciſſet, ipſe ignoraret: reipſa exercens hic eminentiſsimè dilectionem inimicorum: neque enim aut illum reprehendit, aut pudore affecit, aut aperuit eius proditionem, dixerit fortè illi: amice, gratus eſt tuus aduentus, vbi fuiſti, quid feciſti? ipſe verò falſa & mendacia reſpondens, non fuit à Chriſto Domino vel monitus: ſed, atque ſi illi crederet, tacens diſsimulauit. *Oratio.* O *paſtor* manſuetiſsime, & pater dulciſsime, quid in corde tuo perſenſiſti, cum hunc lupum intrantem vidiſti ad oues tuas, ouis pelle contectum, non vt illarum aliquam abſtraheret, ſed vt te, paſtorem etiam ſuum, raperet, ac traderet ad mortem. Ille diſsimulat, ne lupus agnoſcatur: tu etſi eum benè noueris, diſsimulas tamen; ille venit ex loco, vbi, de te in mortem tradendo, egit: tu autem cum tanto excipis amore, atque ſi in hoc ipſo de tua vita tuenda egiſſet. O immenſa charitas, ô infinita manſuetudo! fac me, quæſo mitem ſicut ouem, vt amoris tui intuitu iniurias patiar à quouis lupo.

II. PRINCIPES ipſi ſacerdotum, etiam manſerunt contentiſſimi, ſibiq́ue gratulabundi: & mox mutarunt mentem, quam ante Iudæ aduentum habebant: decreuerant enim non occidere Chriſtum a *in die feſto, ne tumultus* aliquis *fieret in populo*: ſed poſtquam Iudas ita ſpopondit, non exiſtimarunt occaſionem ſibi eſſe negligendam, ideoque ſtatuerunt illum occidere, quandocunque Iudas eum tradidiſſet, nihil iam curantes populi tumultum. *a Mat. 26.5* In quo apparet tum crudelium horum inimicorum rabies, & anxietas Chriſtum deſtruendi, tum reſplendet ſapientia & prouidẽtia Dei in hoc, vt Chriſtus in eo *die feſto* moreretur, vt verus hic Dei agnus tũc ſacrificaretur, cũ *paſchalis* ille, qui eius figurã habebat, conſueuit ſacrificari. *Chriſtus paſſus in Feſto Die.* *Oratio* O innocentiſsime *agnus* IESV, quãto iure poſſumus te paſchalẽ agnum cõpellare; ſiquidẽ feſtũ tibi reputas & paſcha mori, vt nos à morte liberes; & ſacrificari, vt vitã nobis dones: & quamuis tui inimici feſtinent te interficere etiam in feſto ſolemni, tu multò magis properas & acceleras, vt mortem pro illis ſubeas. Sit benedicta infinita iſta tua charitas, propter quam ſupplex oro, vt cor meum tanto feruore accendas, vt feſtum & paſcha mihi reputem, aliquid amore tui pati.

II. Ex prædictis in hac meditatione duas præcipuas cauſas deducam, ob quas Chriſtus Dominus noſter, tanto tempore, Iudam permiſerit ac ſuſtinuerit in ſchola ſua, expectans eius conuerſionem & pœnitentiã. *Chriſtus cur ſuſtinuerit Iudã tam diu in ſchola ſua.* PRIMA fuit cauſa, vt intelligamus in omnib. congregationib. etiam religioſiſsimis futuros aliquos *improbos*, ſine culpa eas gubernantis, ſicut in hac à Chriſto ipſo ſelecta, inuẽtus eſt Iudas & propterea S. Aug. in genere dixit, *ad quamcunque profeſsionem te conuerteris, para te pati fictos*; niſi enim hoc imprimis deuoraueris, & te ad id ſuſtinendum præparaueris, *inuenies quod non ſperabas* *Concio. 1. in Pſal. 36. colum. 2.*

bas, & vel *deficies* ab ea vocatione; aut certe plurimum in ea *perturbaberis*. Secvnda cauſa fuit, vt occaſionem ab eo acciperet exercendi, noſtri exempli cauſa, heroicos manſuetudinis, patientiæ, charitatis & aliarum *virtutum actus*, qui non poſſunt exerceri niſi adſint inimici: & nominatim, vt exemplo eſſet prælatis, & ſuperioribus ipſis malos ſubditos tolerandi, eoſdemq; pro viribus iuuandi, quamuis illi contra dent ipſis magnas occaſiones multa patiendi: nam teſte S. Bernardo, mali ſubditi vt onus gubernationis faciunt grauius, ita meritum faciunt copioſius, & *in quantum grauaris*, inquit, *in tantum lucraris*. Epiſt. 37.

MEDITATIO VII.

DE VLTIMA COENA IN QVA CHRISTVS Dominus noſter cum ſuis Apoſtolis legalem agnum comedit, antequam Sanctiſsimæ matri ſuæ valedixit.

Pvnctvm I.

PRima *die Azymorum* (quæ erat feria 5.) *in qua neceſſe erat iuxta legem occidi Paſcha* a *miſit Chriſtus* ſtatim mane *duos ex diſcipulis ſuis Petrum & Ioannem* ex Bethania in Ieruſalem b *dicens, euntes parate nobis Paſcha, vt manducemus: at illi dixerunt, vbi vis paremus? & dixit ad eos, ecce introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo, amphoram aquæ portans, ſequimini eum in domum, in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus*; c *tempus meum prope eſt, apud te facio paſcha cum diſcipulis meis, & ipſe vobis demonſtrabit cœnaculum grande ſtratum, & illic parate nobis.*

a Luc. 22. 7.
b Mar. 14. 13
c Mat. 26. 18.

Perpendendvm hic primo, quàm eſſet Chriſtus Dominus ſollicitus circa obſeruantiam *legis*, qui voluerit nunc ire in *Ieruſalem*, vbi neceſſario erat agnus comedendus, quamuis non ignoraret, ſe ibi & capiendum & crucifigendum, & ſic vitam amiſſurum, ſeipſum faciens verè *obedientem, vſque ad mortem.* Illud quoque perpendam, quod ſit perfectè obedientibus familiare, vt in tempore, res neceſſarias præparent, ad ſuam obedientiã, ſiue impedimento explendam; ſicut hic Chriſtus præparari voluit neceſſaria ad hoc paſcha, præbens nobis exemplum obedientiæ, diligentiæ, & prouidentiæ in eius executione, vt ego pudore afficiar, ob inobedientiam, incuriam, ac negligentiam meam in ſanctiſsimæ eius legis obſeruantia, etiam cum ſine magno labore, aut meo diſpendio ſatisfa-

I. Chriſti ſollicitudo circa obſeruantiã Mandatorum Legis, noſtram confundit incuriam.

d Prou. 24. 27.

cere poſſum. Memor eſto anima mea, ſententiæ illius, d *præpara prius foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, vt poſtea ædifices domum tuam.* Neque enim agrum animæ tuæ benè coles, aut exercebis mortificationibus, nec tuæ conſcientiæ domum virtutib: ædificabis, niſi præpares, quæ ſunt neceſſaria ad earum exercitationem.

II. Cur Petrus & Ioannes miſsi ad parandum Paſcha.

DEINDE perpendam, Chriſtum Dominum noſtrum, elegiſſe ex Apoſtolis duos præ cæteris dilectos: & in fide, amore, & obedientia inſigniores, *Petrum* ſcilicet & *Ioannem* vt domum & hoſpitem præuenientes, dexteritate & diligentia ſua, ipſum Dominum iuuarent, in præparandis, quæ neceſſaria erant ad ſacrificium agni. Et præterea, vt nos doceret curam, quam par eſt nos ponere, in præparandis noſtris animabus, cum iis omnibus, quæ requiruntur ad ſacrificium, & eſum puriſsimæ nouæ legis Agni, qui in ſanctiſsimo altaris Sacramento nobis proponitur: Ad quam præparationem pertinet in primis virtus fidei per Petrum ſignificata, & virtus charitatis quam ſignificat Ioannes, & vtraque feruens, ac perfectæ obedientiæ coniuncta. O *Agnus Dei*, qui tollis peccata mundi, iuſtiſsimum eſt, vt magna te præparatione ſumamus, purgantes & exornantes cœnaculum & ſalam, in qua ſis ſpiritualiter ſacrificandus, & comedendus. Mitte Domine è cœlo, ad hanc pauperem animam, fidei viuacitatem, & charitatis feruorem, cum promptitudine obedientiæ, quibus illa dilatetur, exornetur, & vt par eſt, præparetur ad cœleſtem hunc eſum: niſi enim hæc tu miſeris auxilia, nunquam me potero, vt oportet præparare.

Ad Præparationem cōmunionis inprimis pertinet, Fidei viuacitas, & charitatis feruor.

III.

DENIQVE perpendam breuem ac mollem ſententiam, quam ſuo nomine voluit Chriſtus dici patrifamilias, *magiſter dicit: tempus meum propè eſt; apud te facio paſcha cum diſcipulis meis,* quæ verba adeò fuerunt efficacia, vt mox ille hoſpes, diuino ſpiritu afflatus, optimum domus ſuæ locum, ſiue cœnaculum benè ſtratum obtulerit, in quo Chriſtus Dominus, paſcha ſuum celebraret, cui ipſe cum omnibus, quæ habebat, inſeruiret.

Oratio

O ſupreme Magiſter & Redemptor mi, cuius verba adeò ſunt efficacia, vt ſtatim perficiant, quod dicunt, dic animæ meæ; iam tempus meum peruenit, apud te facio paſcha cum diſcipulis meis. O tempus feliciſsimum, in quo Redemptor meus applicare vult mihi fructum paſsionis ſuæ, & ingreſſus animam meam, & in ea celebrare ſuum phaſe, quod eſt tranſitus à terrenis ad cœleſtia. Veni ô Magiſter dulciſsime, cum dulciſsimo tuarum virtutum comitatu, & ſimul cũ eis, celebra in anima mea hoc paſcha, & conuiuium cœleſte: ad quod tibi offero non ſolùm optimum in domo mea locum, ſed totam ipſam; quia tota tua eſt, & vtinam eſſet melior, vt complaceret tibi ſemper in ea manere.

Digitized by Google

PVNCTVM II.

SECVNDÒ eſt conſiderandum, Chriſtum Dominum noſtrum, antequam è Bethania exiret, voluiſſe matri ſuæ ſanctiſsimæ valedicere, eique dicere, perueniſſe iam *horam ſuæ Paſsionis ac mortis*, quam è tot annis adeſſe cupiebat, quo redẽptioni mundi finem imponeret, ſicut æternus pater ipſi commiſerat. Quam vt præueniret, fas eſt credere, ipſum teneriori animo, ſed virili tamen, narraſſe illi quæcunque euentura ſibi eſſent, dicens; ego vado Hieroſolymam, ad ſacrificandum, & comedendum agnum paſchalem, & ad inſtituendum ſacrificium, & ſacramentum, cuius figura fuit agnus ipſe paſchalis; & mox tanquam *latro*, comprehendar à meis hoſtibus, in horto Gethſemani; vnde ligatum deducent in domum Caiphæ, in qua tota nocte magnis contumelijs, ignominijs, & tormentis toleratis, ſummo mane deducar ad Tribunal Pilati, cuius iuſſu crudeliter verberabor, & ſpinea corona capiti meo ad maiorem irriſionem imponetur, & damnatus ad mortem crucis, ea oneratus, exibo ex illo prætorio ad *montem Caluarium*; vbi inter duos latrones medius crucifigar, & poſt tres tandem horas expirabo. Hoc totum à patre meo æterno eſt ita decretum, & ad mundi redemptionem ita expedit: propter quam cauſam magna voluptate mea hoc totũ amplector: ſatis enim mihi eſt quod pater meus ita velit, vt lubens illud acceptem; & quotquot patrem meum diligunt, meritò huic eius decreto & voluntati acquieſcent. Chriſtus quomod valedicit matri ſuæ I.

HAEC & ſimilia verba, quæ filius ſanctiſsimæ ſuæ matri dixit, tranſfixerunt eius ſanctiſsimã animam grauiſsimis doloribus, quia vnumquodque verbum, erat gladius, qui eius cor pertranſiret; ſed illa oculis in cœlũ ſublatis, cum æterno patre colloquens, ei dixit: *Pater*, ſi poſsibile eſt, ne bibat filius tuus & meus, adeò amarum huius Paſsionis calicem: at non mea voluntas, ſed tua fiat: & ad filium conuerſa dixit: fili, ſiquidem hæc tua eſt voluntas, vt calicem hunc bibas, fac etiam mihi poteſtatem, vt illum tecum & ego ebibam, aſsiſtens omnibus tuis laboribus: verum non quod ego volo fiat, ſed quod tu vis. Hac ratione perſenſit beatiſsima Virgo ſummum dolorem, cum ſumma tamen reſignatione in diuina voluntate. II. B. Virginis gladii dolorum. Eius Reſignatio.

LICET etiam piè meditari Chriſtum Dominum noſtrum, vt cui fides, & inuictum matris ſuę pectus erat cognitum, eidem commendaſſe, vt in breui hac ſua abſentia, diſsipatum Apoſtolorum & diſcipulorum ſuorum gregẽ, ad ſe reciperet, & eos in fine ſuę reſurrectionis cõfirmaret, animaret, & conſolaretur: Et in hunc ſenſum & finem dixerit, eidem matri ſuæ aliquas ſententias & rationes, ex multis, quas poſtea ſuis diſcipulis dixit in ſermone, quem ad eos poſt cœnam habuit. O Virgo ſuprema, quam hæc dies amara fuit tibi, cùm ſimul & vno veluti hauſtu, totius paſ- III. B. Virgo confirmat Apoſtolos in fide & conſolatur. Oratio

i Luc.2.35. nonis calicem, ſicut filius tuus tibi referebat, ebibiſti. Iam a *gladius*, quem Simeon prædixit, *pertranſire* incipit *animam tuam*, ingenti dolore: qui, ſi valdè nunc eſt acutus, præpara Virgo ſanctiſsima cor tuum, quia die craſtina multò magis exacuetur! O ſi mihi contigiſſet tibi comitem aſsiſtere, vt vel vnicam calicis huius guttam delibare licuiſſet, & me iſtius gladij mucro ſaltem tetigiſſet. Obtineas mihi Domina tantum cœleſtem fauorem, vt ita audiam, ac mediter tuos & filij tui labores, vt eorum participes eſſe merear. Amen.

PVNCTVM III.

a Luc.22.15. CIRCA veſperum feriæ quintæ, exiens Chriſtus Dominus noſter è Bethania cum ſuis Apoſtolis, & perueniens in Ieruſalem, a *cùm facta eſſet hora, diſcubuit: & 12. Apoſt. cum eo, & ait illis: deſiderio deſideraui hoc Pacha* (agnum videlicet paſchalem) *manducare vobiſcum, antequam patiar.*

I. PERPENDENDVM hic primò, varios fuiſſe vultus eorum, qui illud iter conficiebant à Bethania in Ieruſalem. Nam CHRISTVS Dominus noſter, *hilari vultu* pergebat, quia ſciebat ſe ad mortem, ex decreto patris ire; *Iudas* etiam ibat gaudens, quia videbat appropinquare tempus & occaſionem tradendi eum, quem iam vendiderat, & promiſſum ſibi pretiũ recipiendi; cæteri *Apoſtoli triſtes* incedebant, metuentes ſui magiſtri mortem, memores illius eius ſententiæ, qua pridie illis dixerat, b *poſt biduum* b Mat.26.2 *paſcha fiet, & filius hominis tradetur, vt crucifigatur.* O fili hominis verus Oratio. Deus & homo, cur in tuo comitatu accipis eum, qui tradit te, vt crucifigaris? attende, quod iſte lupus, totum gregem tuum ſit turbaturus: & quandoquidem in eo colligendo tantum laboraſti, expelle eum, qui ſit totũ diſsipaturus. O quam dulces ſermones habuit Chriſtus Dominus cum ſuis diſcipulis, vt cordis illorum triſtitiam moderaretur, & itineris laborem ſubleuaret: Felix ille, qui graditur cum IESV, non fictè ſicut Iudas, ſed in veritate & ſimplicitate, ſicut cæteri Apoſtoli; nam in dulci eius comitatu, leuamen inueniet ſuæ triſtitiæ.

II. Chriſti ingens deſiderium patiendi, & præbendi ſeipſum nobis. DEINDE perpendam *viſcerum* Chriſti *charitatem* & comitatem, quam tenerrimis illis verbis expreſsit, *deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum:* atque ſi diceret, diu eſt, quod vehementer deſiderauerim hunc diem, quò ſigna vobis oſtenderem magni amoris; quem erga vos gero, comedens vobiſcum non ſolum legalem hunc agnum, ſed alium etiam multò excellentiorẽ, quẽ vobis offerre cogito, antequam patiar. O dulciſſime & benigniſsime *Magiſter*, imminente tibi adeò amara paſsione ais, te Oratio vehementer deſideraſſe hoc conuiuiũ, proximè ante, quã illã ingrediaris? quomodo huiuſmodi tuis deſideriis reſpõdebo, niſi alia ſimilia deſideria

concipien-

concipiendo tibi ſeruiendi? vt ſi tu plurimũ deſideres hoc paſcha vltimũ manducare mecum, ego ſimiliter vehementer deſiderem tecum illud manducare. O Rex cœli, c *qui ſtas ad oſtium* cordis *pulſans*, optans vehementer, *audiri vocem tuam, & aperiri tibi ianuam, vt ad nos intrans, nobiſcum cœnes, & nos tecum*. Veni Domine in domum meam: patet enim tibi oſtium, & vehementi deſiderio tuum aduentum deſidero, vt tuæ ſim particeps cœnæ c *Apoc.* 3. 20

PVNCTVM IV.

VLTIMO conſiderandum eſt, Chriſtum Dominum paſchalem agnum comediſſe, omnibus legis cæremonijs obſeruatis, & contemplantem magno cordis ſui ſenſu, quid illæ ſignificarent. Eſus Agni paſchalis quomodo fuerit typus Chriſti patientis

I. ASPICIENS enim *agnum* illum ſuper menſam mortuum excoriatum & a *aſſum igni*, obijciebatur illi, quod & ipſe eſſet in ara crucis extendendus, occidendus, & verberibus excoriandus, & igni tormentorum aſſandus; obſeruans verò ſecari illum in partes, *non confringendo eius oſſa*, ſeipſum vidit luxatum quidem, ſed nullo ſuo oſſe confracto, ſicut accidit latronibus; attendens item *feſtinantes* illos, qui aderant, agnum *comedere*; occurrebat illi, quàm feſtinanter ſuperuentura eſſet ſuper ipſum ſuorum inimicorum furia, vt illum cruciatibus conſumerent; delibans etiam *lactucas agreſtes* & amaras, meminit fellis & aliarum amaritudinum, quæ illum manebant; attendens denique ad *baculum*, quem manibus tenebat, recordatus eſt crucis, quam eſſet amplexurus, & cui clauis eſſet affigẽdus. a *Exod.* 12. 9. 46.

Oratio: O dulcis IESV, quàm fuit iſte cibus amarus ex admixto amaro talis repræſentationis condimento! tali Domine condimento deſidero ſemper comedere, memor laborum, quos pro me ſuſtinuiſti, & fellis acetique, quod pro me guſtaſti.

II. DENIQVE finita legali *cœna*, facilè credi poteſt, CHRISTVM Dominum noſtrum gratias æterno ſuo patri egiſſe, quòd finis tandem figuræ huic & repræſentationi impoſitus eſſet; & ſeſe obtuliſſe ad omnia illa ſuſtinenda, quæ in ea cœna adumbrabantur, quo eius diuinæ voluntati plenè ſatisfieret, & porrò dixiſſe: Pater mi, noui benè te b *ſacrificium & oblationẽ noluiſſe, nec holocauſtum* huius legis *pro peccato poſtulaſſe*, quòd nihil horum plenè tibi placeret, ac propterea miſiſſe me in mundum, & c *corpus mihi aptaſſe*, vt ipſe ſacrificari poſſem, & quoniam iam hæc hora huius ſacrificij peruenit, *ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam*, ſicut tu ſtatuiſti, ita ego volo. b *Pſal.* 39. 7 c *Hebr.* 10. 6. 7.

Oratio: Gratias tibi vnigena fili DEI, pro noua hac tui oblatione quã æterno patri offers, & ego me tibi offero, vt faciam voluntatem tuam, iube Domine quod vis, & gratia tua me adiuua, vt quæ iuſſeris, reipſa præſtare poſsim.

Digitized by Google

MEDITATIO VIII.
DE LOTIONE PEDVM.

PVNCTVM I.

a Ioan. 13. 1

SCiens IESVS, a *quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mũdo ad Patrem, cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.*

Hoc eſt prooemium & ingreſſus S. Ioannis ad myſteria Paſsionis Chriſti, quæ ſequentur, circa quę perpendendæ ſunt proprietates *amoris*, quem Chriſtus Dominus noſter erga ſuos diſcipulos, & omnes ſuos, qui vel tũc viuebat, vel inpoſterũ erant in hoc mundo victuri, habebat. Præmittendum eſt autem, tres tunc familias ſuorũ habuiſſe Chriſtũ, vnã *Angelorũ* in cœlo, alteram *Iuſtorum* in Lymbo, & tertiã *diſcipulorum* in hoc mundo. Et quamuis hi vltimi multis aliis eſſent permixti, qui, quòd mali eſſent ipſius non erant; imò & ipſi culpas aliquas & imperfectiones adhuc haberent, eos nihilominùs tenero quodam & paterno proſequebatur amore: quia ipſius erant, hoc eſt, filij & amici ipſius, ſeruique fideles.

Chriſti tres familiæ eo tempore, Angelorũ in cœlo, Patrum in limbo, Diſcipulorũ in mundo. Amoris Chriſti erga ſuos proprietates.

I.

HINC colligentur amoris huius proprietates. PRIMA eſt, quòd eos tanquam *propriam* rem ſuam dilexerit, & conſequenter ſicut ſeipſum, immò quodammodo plus quàm ſe ipſum; ſiquidem morti proximus, ſui, & imminentium ſibi laborum oblitus, totum ſe, vt illis indulgeret, impendit, pro quorum vita b *tradidit in mortem animam ſuam, & eorum iniquitates portauit, vt eos iuſtificaret*, eorumq́; debita ſolueret. O dilecte animæ meæ, ſi tu me amas, vt rem tuam, ego dico quod te amo, vt rem meam: nam vt ego ſum tuus, ita es tu meus. Ego ſum creatura tua, mancipium, & filius tuus; tu verè es Creator meus & Redemptor, Dominus meus, & Pater meus. Ego te volo diligere non tantùm ſicut me, ſed ſupra me, & ſupra omnia, ſiue quæ ſunt creata, ſiue inpoſterum creabuntur: quia digniſsimus es, qui ſuper omnia diligaris.

b Iſai. 53. 11. 12.

Dilexit eos & ſeipſum, & plus.

II.

Dilexit eos vſque in finem vitæ ſuæ & ipſorum.

SECVNDA proprietas eſt, quòd *perſeueranter* vſque ad finem eos dilexerit. Amauit eos, dum vixit in hac vita, & vſq; ad finẽ eius & amauit quãdiu ipſi vixerunt, donec finis etiam illorum peruenit; & amabit omnes ſuos vſque ad finem mundi. O amor IESV conſtantiſsime, cuius ignem c *aquæ multæ* immenſarum tribulationum *non potuerunt extinguere*, *nec flumina* innumerabilium tormentorum *obruere*. O quoties meis ego peccatis volui, quod in me erat, ignem iſtum ſuffocare! ſed præualuit tamen ille, ſemper benefaciens ei, qui malè ipſi ſeruiebat, d *prunas congregans ſuper caput eius* qui quotidie multiplicauit offenſiones. Neceſſe eſt me in finem diligere, Saluator mi, vt ego te ſine fine diligam. Amen.

c Can. 8. 7.

d Pro. 25. 22

d Ro. 12. 20.

TERTIA proprietas, quòd eos dilexerit *maximo amore*, & ſine limite ad eum vſque terminum, quò poteſt amor peruenire, agens & patiẽs pro illis ſummum, quod potuit; & quod agere & pati conueniebat; cupiens multo plura ſine termino, ſi ad eorum remedium fuiſſet neceſſarium. O dilecte mi, & ego te diligere opto, vt amoris præceptum præſcribit, e *ex toto corde, & tota anima, & ex omnibus viribus meis*, ſine vllo termino, ad illum perueniens, ſi poſſem, ad quem amor creaturæ erga ſuum creatorem peruenire poteſt. Cuperem plus te diligere, quam Angeli, & Seraphini diligant: &, ſi poſsibilis mihi eſſet infinitus amor, illo te vellem diligere, & ſine vlla defatigatione; ac, te mihi auxilium ferente, ſemper in amore creſcere: donec ad finem à te perſcriptum, amando peruenirem: quia dignus es amari ſine fine.

III. Dilexit eos amore infinito.

c Deut. 6. 5. Matt. 22. 36

QVARTA proprietas fuit, quod eos dilexerit in *finem*, in quem videlicet illi fuerant deſtinati, vt ſcilicet in mortali hac vita, ipſum diligerent, eique ſeruirent; in æterna verò ipſo fruerentur. Non enim illos dilexit, vt illis diuitias, honores, aut diuitias temporales conferret: quia non erat hic ipſorum finis; ſed vt omnia illis gratiæ ſuæ media tribueret, quibus conſequerentur finem gloriæ. Amauit illos ſibi ipſi, qui principium & finis eſt omnium rerum, vt eoſdem amoris coniunctione ſibi coniungeret, in quo tanquam in vltimo fine requieſcerent: O dilecte mi, vtinam te in eũ finem diligerem: in quem tu me dilexiſti! non te diligo Domine, vt temporalia mihi bona dones, ſed te diligo: quia tu me diligis, & vt dones mihi bona ſpiritualia, quibus in amore tuo creſcam, tibique ſine fine coniũgar, qui meus es vltimus finis, & ſuprema beatitas. Amen.

IV. Dilexit eos in finem gratiæ & gloriæ.

Hos amoris affectus exercere contendam in ſubſequentibus Meditationibus, cum proprietatibus prædictis.

PVNCTVM II.

COENA *facta*, a *cùm Diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iſcariotes: ſciens quia omnia dedit ei pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit: ſurgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua; & cum accepiſſet linteum præcinxit ſe. Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes Diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.*

a Ioan. 13. 2

CONSIDERANDA hic eſt excellentia perſonæ, quæ facit hoc opus, modus etiam quo illud per ſeipſum facit, & myſterium Incarnationis & Paſſionis, quod nobis proponit.

In lotione pedum quæ conſideranda.

PRIMVM immorandum eſt in eo, in quo ipſe Euangeliſta Ioannes in facti huius deſcriptione fuit immoratus: perpendemus, inquam, *excellentiam* perſonæ, quæ ad opus tam vile ſe deiicit, atque eſt lauare pedes diſcipulorũ ſuorũ. Quò enim altior eſt is, qui ſe demittit; eò eſt maior cenſenda humiliatio; ipſaq; humilitas eò erit magis heroica

I. Excellentia perſonæ Chriſti.

roica, quò excellentior eſt perſona in qua illa inuenitur. Ad quod aſpiciam in Chriſto Domino noſtro, quod habet in ſe quà Deus eſt; & quod hic habet, quà eſt homo. Quà Deus, eſt in Cœlo, in medio innumerabilium Angelorum, qui ad eius pedes proſtrati, illum adorant: quà homo, eſt hic in paupere cœnaculo, in medio vilium piſcatorum, proſtratus ipſe ad eorum pedes, vt eos lauet! quà Deus, *decorē indutus eſt, & fortitudine ſe præcinxit*, qui manibus ſuis omnia creauit: quà verò homo, exuit veſtimenta ſua, præcinxit ſe linteo, & manibus ſuis lauat pedes ſordidos ſuarum creaturarum! Nominatim verò perpendendum eſt, quod & ipſe perpendit Euangeliſta; quod hic ipſe Dominus, qui ſe hic humiliat, ſit infinitè *ſapiens*, cui nihil ſit occultum, nec propria excellentia, nec vendētis Diſcipuli nequitia, nec vilitas & timiditas cæterorum, quos habet in ſuo conſpectu. Eſt etiam infinitè potens; quia Pater æternus, omnia poſuit in eius manu & poteſtate, communicans illi, quà Deus eſt, ſuam omnipotētiam vi generationis æternæ; & quà homo, propter hypoſtaticam cum verbo æterno vnionem, eſt etiam Filius Dei naturalis, à quo natus eſt ab æterno, venitque in mundum, vt ei remedium adferret: & poſtquam mortuus fuerit reuertetur ad Deū, vt ſedeat in throno, ad dexteram Patris. Et cùm totum hoc ſciret clariſsimè, voluit tamen ſe demittere ad hoc opus, non itaque ſe humiliauit, quod ignoraret quid ipſe eſſet, nec quòd aliquis ipsū ad id cogeret, nec quod ipſe ex abiecto eſſet genere, aut abiectam haberet intentionem, aut finem aliquem abiectum ſibi proponeret; ſed propterea ſolùm, quod ſe voluerit *humiliare*, & noſtri cauſa & amore ſerui formam accipere, perfectiſsimè amplectens conſilium illud ſapientis: c *quanto magnus es, humilia te in omnibus*. O humilitas infinita, quæ in perſona infinitæ dignitatis, adeò reſplendes, ad confundendam ſuperbiam infinitæ meæ vilitatis! Si IESVS infinitè ſapiens & potens, adeò ſe deiecit; quomodo ego ſummè ignorans ac debilis adeò me extollo? Si Dei filius, qui à Deo exiuit, & ad Deū vadit d *ſemetipſum exinaniuit, formā ſerui accipiens*, quomodo ego filius iræ, & mancipium Diaboli, qui ex puluere conditus ſum, & in eundem puluerem reuertar, me erigere præſumo, & velle, vt aliquis mihi tanquam Domino ſeruiat! O humillime IESV, libera me ab hoc ſpiritu ſuperbiæ, & conſtitue in profunda humilitate, qui tot nominibus teneor eſſe humilis.

Pſal. 92. 1.

Sapientia eius

Potentia

Humilitas Chriſti noſtram confundit ſuperbiam.

c Eccl. 3. 20.

Oratio

d Phil. 2. 7.

II.

Humilitas Chriſti laborioſa.

PERPENDAM deinde, quòd altiſsimi huius Domini *humilitas* comis fuerit ac diligens, perficiens totū hoc opus ipſemet, abſque alterius auxilio, in ſignum maioris amoris: nam ipſemet ponit veſtimenta ſua, ſeipsū præcingit, & aquam mittit in peluim, & portat ad locum vbi ſedent diſcipuli, ſeſe proſternit, ac lauat non manus, ſed puluerulentos & lutoſos pedes; ipſemet eos beneuolè abſtergit linteo, quo erat præcinctus, ſibi ipſi

com-

Digitized by Google

complacens, dum hæc omnia per ſeipſum facit: docens me huiuſmodi humilitatis & charitatis opera, per meipſum præſtare, gaudens potiùs manus ad id apponere, quàm vt alij faciant iubere: & opus quodcunque humile ſine aliqua iactantiæ macula præſtare. O Magiſter amantiſsime, qui nihil loquens, clamas tamen: e *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*: Concede mihi hanc manſuetudinem, & beneuolam humilitatem; vt gratiam inueniam in oculis tuis f *cui humilium & manſuetorum placuit ſemper deprecatio.*

e *Mat.* 11.29

f *Iudit.* 9.16

III.

QVOD ſi huius externi operis magna eſt humilitas, maior multò eſt humilitas & ſolicitudo, quam illa refert, quam ipſe erga nos omnes exercuit. ſiquidem cum filius Dei eſſet, noſtri cauſa g *ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens*; exuit etiam veſtimenta gloriæ magnitudinis ſuæ, præcinxit ſe carne mortali & patibili, magniſque pœnis ſubiectæ, & monte Caluario permiſit ſpoliari ſe valdè ignominioſè veſtibus ſuis, & ibi pro aqua effudit totum pretioſiſsimum ſanguinem è venis ſuis, deponens illum in ſacramentis, quæ, ad nos è noſtris culpis abluendos, conſtituit: & vt nos mundi maneremus, voluit puriſsimum linteum ſacratiſsimæ ſuæ humanitatis, quo ſe præcinxerat, remanere in externa ſpecie ſordidum & eodem ſanguine maculatum. O DEVS æterne, quid tibi referam pro iis, quæ mei gratia feciſti? cupio exuere omnem temporalem faſtum, & me pænitentiæ rigore præcingere, ſanguinem meum amore tui fundere, eas pœnas ſubiens, quas tu ob culpas meas ſubiiſti: &, h *poſtquam fecero hæc omnia, dicam me eſſe inutilem ſeruum*, qui nec minimam partem eorum faciam quæ meus Dominus fecit.

g *Phil.* 2.7.

Myſterium Incarnationis & Paſsionis latet in lotione pedum.

Oratio.

h *Luc.* 17.10

PVNCTVM III.

CONSIDERANDVM præterea, quid euenerit CHRISTO Domino cum Sancto Petro, quando ad eius pedes lauandos acceſsit, & colloquia, & mutua vtriuſque verba.

PRIMVM obſtupefactus Petrus de ſui Magiſtri humilitate, dixit: DOMINE TV MIHI LAVAS PEDES? qua ſententia patefecit viuam ſuam fidem de Chriſti maieſtate, & de ſua vilitate, & abiectione illius operis, ad quod ſe Chriſtus abiiciebat. Et interna facti huius conſideratione & perpenſione, magno admirationis & ſtuporis affectu, erupit in illa verba: *Domine tu mihi lauas pedes?* TV DEVS infinitus, Cæli terræque Creator, Angelorum & Seraphinorum Dominus, MIHI creaturæ tuæ, mancipio tuo, peccatori viliſsimo & ſordidiſsimo, manibus iſtis, quæ dant lumen cœcis, ſanitatem ægrotis, vitam mortuis, LAVAS, non caput meum, aut manus meas, ſed ſordidos & horridos PEDES meos? ego Domine debe-

I.

Cognitio Dei & ſuiipſius parit humilitatẽ

rem tibi ſeruire,& tuos pedes lauare,& neque ad hoc me iudicio dignum: & tu vis mihi lauare? Hinc diſcam altiſsimè de Chriſto,de me autem humillimè ſentire: & conferens,quæ Deus adeo altus, fecit erga hominem adeò vilem,eliciam affectus admirationis,actionis gratiarum, & imitationis.

II. His Sancti Petri verbis,quæ à magno eius feruore procedebant, reſpondit Chriſtus Dominus noſter, eum inſtruens: & ad id, quod ei expediebat,dirigens: *quod ego facio,tu neſcis modò,ſcies autem poſtea*: atque ſi illi diceret,quod ego nunc facio,myſterium continet, quod tu necdum aſſequeris; ſed poſtea illud tibi aperiam:nunc ſine te gubernari.cui Petrus, adhuc in ſuo feruore perſiſtens: *non lauabis mihi*,inquit,*pedes in æternũ*.inſtitit verò Chriſtus.*ſi non lauero te,non habebis partem mecum.* Perpendendũ autem hic,quàm grauiter Chriſtum Dominum noſtrum offendat quælibet *inobedientia*,& *mens rebellis*,& vel ipſa inſinuatio pertinaciæ in proprio iudicio,quamuis humilitatis & reuerentiæ pallio veletur.ſiquidem hoc ſolum vitium,ſufficiens fuit,vt Chriſtus horrendas illas minas Petro proponeret: *non habebis partem mecum.* quaſi diceret, non eris amplius meus Diſcipulus,non te patiar in ſchola,& ſocietate mea, nec te ad Regni mei hæreditatem admittam. Ex quo diſcam,nunquã reſiſtere voluntati Dei, & ſuperiorum meorum, vllo prætextu apparentis virtutis; ſed iudicium meum,primæ admonitioni ſubijcere,& primæ correptioni,quæ eſt amoris;priuſquàm accedat ſecunda,quæ minas continet & timorem incutit. Nam etſi eſſem Chriſto ita coniunctus, atque S. Petrus, tantumque æterni Patris fauorem expertus,quantum ille fuit, non vltra durabit gratia & fauor,quàm durauerit obedientia: & quamprimum hæc cum pertinacia defecerit,fauor quoque gratiaque deficiet. O bone Iesv, exemplar omnis perfectæ obedientiæ,ne permittas mihi à proprio meo iudicio imponi, vt tuo illud præferam aliquando;neq; vllo humilitatis prætextu propriam ſequar voluntatem,tua relicta : ne horrendæ illæ minæ mihi eueniant; vt non habeam partem tecum.

Inobedientiæ & pertinaciæ in proprio iudicio,pœna horrenda.

III. Deniqve expendam,quàm ſit mihi neceſſarium,à Chriſto Domino noſtro *lauari*,& à peccatis meis *mundari*. ſiquidem niſi ille me lauet,nõ habebo partem cum illo. Et ob hanc cauſam,non dixit Chriſtus: *ſi non lauero pedes tuos;ſed ſi non lauero te,non habebis partem mecum.* O mũdi Saluator, fateor me ſordidũ eſſe,& innumeris peccatis maculatum,à quibus ego me non poſſum lauare: quia peccare quidem fuit meum,ſed peccatum remittere,tuum eſt,quare a *amplius laua me ab iniquitate mea,& à peccato meo mũda me.* Et poſtquam ſemel laueris me, *amplius* adhuc *laua*,vt maiorem tecum partem habeam,& ſecurior ſim,ne ab illa excidam.

a Pſal 50.4.

PVNCTVM IV.

QVARTÒ conſiderandum, quem *effectum* habuerit in corde Sancti Petri, hæc Chrriſti DOMINI reſponſio & admonitio. INPRIMIS enim ad hanc admonitionem Chriſti reſpondit Petrus: *Domine non ſolum pedes, ſed & manus & caput.* Quibus verbis, magnum ſuum erga Chriſtum amorem oſtendit, maximique facere, ſemper cum ipſo manere; grauiſsimè verò ſe laturum, ab eius ſocietate ſeparari. Ideoque dixit: *Domine*, ſi ad partem tecum habendam neceſſe eſt, vt me laues; laua *non ſolum pedes, ſed & manus & caput*. ex quo diſcam, me Deo meiſque ſuperioribus dedere, ſaltem ob *timorem* ne ſeparer à Deo: nam hic timor non eſt ſeruilis & mancipiorum; ſed eſt *filialis* & iuſtiſsimorum; efficit enim, vt quis Deo ſe dedat, ne ipſo careat. Ac propterea Chriſtus Dominus non dixit Petro: *ſi non lauero te* proiiciam te in infernum; ſed *non habebis partem mecum*; ſicut qui cupit ſibi obediri ex caſto timore, non ſeruili.

I. S. Petri amor erga Chriſtum.

Timor ſeparationis à Deo eſt Filialis.

HVIC Petri petitioni, reſpondit Chriſtus Dominus noſter, dicens: a *qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet; ſed eſt mundus totus. Et vos mundi eſtis, ſed non omnes. Sciebat enim, quiſnam eſſet, qui traderet eum.* Qua ſententia, voluit nos docere, eũ, qui per baptiſmũ & pœnitẽtiã à culpis lethalib. eſt lotus, etſi cenſeatur eſſe totus mundus, quia munditiem habet neceſſariam ad gratiam & amicitiã cum Deo; nihilominus indigere, vt pedes lauet ab affectibus terrenis, & culpis leuioribus, quæ ex conuerſatione & cõmertio rerũ terrenarũ facilè adhæreſcunt: quod etiam eſt neceſſariũ, ad partem cum ipſo Chriſto habendam, in eo ſenſu, quod non admittemur in cœlum, donec ab his etiam culpis mundemur: quod etiam nobis continget per Chriſtum Dominum. Ex quo deducam, quàm graue malũ ſit *peccatum veniale*, (ſicut S. Bernard. benè perpendit) & quantum porrò debeamus illud horrere, ob duas cauſas. *Prima*, quia non remittitur, niſi expenſis ſanguinis Chriſti, cuius virtute, ab huiuſmodi maculis emundamur. *Secunda*, quia non eſt poſsibile, habere nos partem in cœlo cum Chriſto: niſi priùs vel in hac vita, vel in purgatorio igne alterius purgemur. Quoniam verò balneum illud *purgatorium* eſt *acerbiſsimum*, vt alibi diximus, magnæ prudentiæ erit, ſiquidem quotidie leuioribus hiſce culpis maculor, frequenter vti iucundis lotionibus, quas Chriſtus reliquit in Eccleſia.

II. a Ioan. 13. 10.

Peccatum veniale graue malum eſt.

Serm. in Cœna Domini. Medit. vlt. 1. part.

DENIQVE cauſam perpendam, cur dixerit Chriſtus: *vos mundi eſtis, ſed non omnes.* Voluit enim obliquè monere Iudam ſuæ immunditiei, à qua omninò eſſet neceſſarium lauari, ſub ea interminatione, quod nunquam eſſet aliàs cum ipſo partem habiturus; & obiter me etiam monere vt diligenter attendam, num à grauioribus culpis ſim immunis; nã inter

III.

multos mundos, aliqui ſunt immundi, & fortè ego vnus eorum ſum. Et quamuis vel vnicus ſit, non poteſt Chriſtum latere, qui mundos ab immundis ſit optimè diſcernere.

PVNCTVM V.

Chriſtus Iudæ quomodo lauet pedes

CONSIDERANDVM prætereà Chriſtum Dominum noſtrum, progredientem in hoc *humilitatis* & *charitatis* opere, etiam ad *Iudam* perueniſſe, & ad pedes eius cum *pelui* ſua proſtratum, *pedes* eius lauiſſe, & linteo terſiſſe, ſicut fecerat reliquis: Imò aliquibus maioris beneuolentiæ & amoris indiciis adhibitis, ad eum emolliendum: Eſtque fas credere, ad cor illi locutum dixiſſe: O Iuda diſcipule & Apoſtole mi, quid tibi feci, vt tanto me odio proſequaris, vt me vendere ſtatuas? Si quam aduerſum me querelam habes, en me ad pedes tuos proſtratum, fac mihi quodlibet, modò ne offendendo metu pereas: Qui corporis pedes tibi lauat, cupit etiam animæ lauare maculas; ne lauari refugias; nullam alioqui mecum partem habiturus: quod ſi mecum partem non habebis, a *pars tua erit cum hypocritis* & fictis in miſerando illo lacu, *vbi erit fletus*, & perpetuus *ſtridor dentium*. Licet etiam credere, eundem CHRISTVM Dominum, lacrymas ex oculis ſuis fudiſſe, ob illius animæ duritiem & miſeriam, quas miſcuerit in pelui cum aqua, vt etiam illis, eius lauaret pedes, ſed nihil tamen profecit: quia erat cor eius obſtinatum, & à Satana poſſeſſum. Profuerit tamen hoc exemplum, vt diſcam ex eo diligere inimicos meos, & facere quantum potero, vt ad veram cum Deo & mecum, propter amorē eius, amicitiam eos reducam. Ex duritie etiam Iudæ accipiam documentum, vt ex alieno periculo exemplum capiens, cautior efficiar, memor eius quod dixit ſapiens: b *impius cum in profundum venerit peccatorum*, *contemnit*, & illud, c *conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit*, quia ille priùs voluit Deum deſpicere. Contemplare, anima mea, attentiſsimè duo hæc quæ coram habes exemplaria: alterum maioris charitatis, alterum maioris duritiei, quàm vnquam fuerit in mundo! quò enim potuit vlla charitas altius aſcendere, quam vt ipſemet Deus ſeſe demitteret ad lauandos pedes proditoris, qui de eius proditione & venditione tractabat! Item quò potuit duritia alicuius proditoris altiùs pertingere, quàm vt non emolliretur immenſa eius charitate, qui ad eius pedes proſtratus eſſet! O Deus animæ meæ, commuta quæſo cor meum, & d *aufer cor lapideum de carne mea*, & da mihi *cor carneum*, vt ſentiam diuinos tuos pulſus: & amplectar tua beneuola exempla.

a Matt. 24. 51.

Iudæ cor obſtinatū.

b Prou. 18. 3
c Eccl. 7. 14.

Maximæ Charitatis exemplum in Chriſto; maximæ duritiei in Iuda.

d Eze. 36. 26.

PVN-

PVNCTVM VI.

FINITA pedum lotione, Chriſtus Dominus noſter ſoluit linteum, quo fuerat præcinctus, obſeruans maculas peccatorum alienorũ, quæ in cauſa erant futura, quod ſanctiſsima eius humanitas, tingeretur proprio ſuo ſanguine, qui vt nos à noſtris peccatis liberaret, erat fundendus. *a poſtquam ergo lauit pedes illorum, & accepit veſtimenta ſua, cũ recubuiſſet iterum, dixit eis; ſcitis quid fecerim vobis? vos vocatis me Magiſter, & Domine: & bene dicitis, ſum etenim. Si ergo ego laui pedes veſtros, Dominus & Magiſter: & vos debetis alter alterius lauare pedes; Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen, amen dico vobis, non eſt ſeruus maior Domino ſuo, neque Apoſtolus maior eſt eo, qui miſit illum. Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea. Non de omnibus vobis dico, ego ſcio quos elegerim;* a Ioan. 13. 12

I. PERPENDENDVM hic primum, quid ſibi voluerit illa Chriſti interrogatio: *ſcitis quid fecerim vobis?* Senſus enim eſt, num intelligitis myſterium, quod in hoc meo facto latet? & in quem finem illud fecerim? Docet enim nos, non omnes, qui externa ipſis opera vident, etiam aſſequi ſecretum & ſpiritum illorum. O cœleſtis magiſter, clarifica ſuperno tuo lumine oculos meos, vt fide viua credam, intelligam, ac penetrem ea, quæ pro nobis feciſti; vt ex omnibus fructum capiam, ad gloriam tuam, Amen.

Facta Chriſti habẽt & Myſterium

II. DEINDE perpendam vim illius rationis, qua dixit Chriſtus: *ſi ego Dominus & Magiſter laui pedes veſtros*, quantò magis decet, vt *vos alter alterius lauetis pedes?* Hoc eſt, vt alij in alios, humilitatis & charitatis opera exhibeatis; ſiquidem toto tempore vitæ meæ, harum virtutum exempla vobis dedi, in quibus, me imitantes, exerceamini.

III. VLTIMO perpendam poſtremum illud verbum: *ſi hæc ſcitis beati eritis, ſi feceritis ea.* Quia ſententia nos docet, non ſatis eſſe virtutum exempla noſſe, quæ ipſe nobis præbuit, niſi etiam opere illa exſequamur: nec beatum aut electum ad cælum eum eſſe, qui ea nouerit, vt in cognitione hæreat, ſed qui nouit & imitatur: ſiquidem Iudas, qui præſens aderat, ea, quæ coram oculis eius fiebant, ignorare non poterat, ſed quia non imitabatur, ideo fuit reprobatus. O ſalus mea, ſiquidem hoc me beneficio affeciſti, vt ſciam quæ feciſti pro me, complaceat tibi, vt totum id exequar, quod mihi iuſsiſti. Fateor DOMINE me non facere quod ſcio, nec exequi quod intelligo: quapropter meritò b *vapulabo multis, ſicut ille ſeruus, qui nouit voluntatem Domini ſui, & non facit ſecundùm eam.* Parce Domine præteritis meis erratis, & permoue me ad eorum emendationem: vt ſim ex numero tuorum electorum, & tandem beatus, te fruens in æternum Amen.

Chriſti opera non ſcienda ſolum, ſed & imitanda.

b Luc. 12. 47

MEDITATIONES DE SANCTISSIMO Euchariſtiæ Sacramento.

FINITA *lotione pedum Apoſtolorum, & finito colloquio, & ſermone quem Chriſtus ad illos habuit, ad myſterium declarandum, quod in ea actione latebat; maiora alia quædam voluit illis oſtendere amoris indicia, quo illos proſequebatur: magis adhuc beneuola ſigna, quod illos in finem dilexerit; nec ſolum in finem vitæ ipſorum, ſed etiam ad finem vſque mundi: ideoq́; excellentiſſimum voluit inſtituere ſacramentum, in quo ipſe verè & realiter cum ipſis maneret* a vſque ad conſummationem ſeculi, *exhibens illud ſolenne & iuge conuiuium, in quo proprium ſuum corpus comedendum, & proprium ſanguinem bibendum daret, modo quodam admirando, ſuaui, & deliciarum pleniſſimo, vt in meditationibus ſubſequentibus apparebit.*

a Matt. 28. 20.

MEDITATIO IX.

QVAE DIXERIT, FECERITQVE CHRISTVS antequam ſanctiſſimum Sacramentum inſtitueret, vt eorum diſpoſitionem nobis proponeret, qui ad illud ſumendum accedunt.

PVNCTVM I.

I. Lotio pedũ cur præceſſerit inſtitutionem Euchariſtiæ.

PERPENDENDAE ſunt *primò cauſæ*, propter quas pedum ablutio, præceſſerit ſacratiſsimi ſacramenti inſtitutionem.

PRIMA fuit, vt nos doceret, quantam *puritatem* & cordis munditiem, oporteat habere eos, qui ad ſuſcipiendum hoc ſacramentum accedunt, vt huius cõuiuij participes fiant. vt non ſint contenti, ſi à grauioribus peccatis ſint mundi, ſed quoad poterunt, dent operam, vt nec leuioribus ſint fœdati: lauantes pedes ſuos à pulueribus, qui ex terrenis affectionibus illis adhærent. Cum enim Chriſtus ſit ipſa puritas, par eſt ſummâ, quâ fieri poterit, puritate illum recipere, lauantes noſipſos ſacramento *confeſsionis* & *aquâ lacrymarum*, eidem Domino ſupplicantes, vt ipſe nos lauet, ac purget; vt ipſum dignè recipiamus. Expedit autem ad hoc imaginari Chriſtum Dominum noſtrum, idem mihi dicere quod S. Petro: *ſi non lauero te, non habebis partem mecũ* in hoc conuiuio: quia non accipies eum fructum, & animi gaudium ex eo, quod illi accipiunt & ſentiunt, qui mundi purique aſsiſtunt. O Deus animæ meæ, ſi hoc ita eſt, *non ſolum pedes, ſed & manus & caput laua*, purga inquã cogitationes, opera,

Accedendum ad Euchariſtiam maxima animi puritate.

& affe-

 II.

& affectus, vt ſic purus & mundus conuiuio huic aſsiſtens, fructuum eius particeps fiam. Amen.

SECVNDA cauſa fuit, quod vſu receptum eſſet, cum quis alium inuitabat, pedes eius lauare in ſignũ humilitatis & charitatis: & ideò Chriſtus de Simeone illo Phariſæo conqueſtus dixit, *intraui in domum tuã, & aquã pedibus meis nõ dediſti*. Sub cuius laudabilis conſuetudinis ſignificatione, voluit Chriſtus Dominus docere nos, eos, qui cõuiuio huic adeſſe velint, debere ad ipſius imitationem, exercere ſe in magnis humilitatis & charitatis affectibus, quæ ſunt optimæ duæ diſpoſitiones, quas habere poſſunt, humiliantes videlicet ſe coram Deo & hominibus, & ex totis viſceribus Deum diligentes, & omnes homines propter Deum: exhibentes illis opera pietatis, cum reuerentia & charitate. Quare ſi vis anima mea, conuiuio Chriſti frui, diſce primùm lectionem, quam tibi ipſe prælegit, cùm dixit: *Scitis quid fecerim vobis?* ſequere ergo eius exemplum, vt fructum tibi adferat eius Sacramentum. a *Luc. 7. 44*

PVNCTVM II.

DEINDE conſiderandæ ſunt cauſæ, cur *agni paſchalis* cœna, *myſticam* cœnam præceſſerit, in quâ fuit diuinum hoc ſacramentum inſtitutũ, quæ fuerunt duæ in quibus potuit figuratũ figuræ reſpõdere. Agnus paſchalis fuit figura Euchariſtiæ.

I. PRIMA cauſa fuit, vt intelligeremus, quod ſicut agnus ille ſacrificabatur, *in gratiarum actionem*, ob acceptum à Deo beneficium, cum populus ille Hebræus, eductus eſt ex Aegypto, & captiuitate Pharaonis, & eius ſanguine ſignabantur poſtes & ſuperliminaria domorum, in quibus Hebræi habitabant, vt Angelus Dei, qui omnia primogenita Aegypti interficiebat, domos illas non tangeret, in quibus ſanguinis illud ſignum videret; eius verò carnibus veſcentes confortabantur, qui iter illud erant confecturi, vt in fortitudine illud inchoarent & proſequerentur: Sic etiam Agnus iſte Dei, cuius caro & ſanguis eſt in hoc SS. Sacramento, ſacrificatur in Miſſæ ſacrificio, in memoriam & gratiarum actionem ob ſupernũ beneficium quod ipſe Chriſtus nobis contulit, eruens nos à captiuitate dæmonis, media paſsione & morte ſua; cuius ſanguine & virtute præſeruamur à morte culpæ, & ab ipſa æterna morte, & eius pretioſa carne ſuſtentamur & confortamur, vt Aegyptiacam ſeruitutem euadentes, nouam virtutis viam feruenter inchoemus, & vſque ad æternam vitam proſequamur. O Agnus Dei, a *qui occiſus es ab origine mundi*, nõ in ipſa tua humanitate ſanctiſsima, ſed in eis figuris: incipiens ab ipſa origine mundi, gratias & dona communicare, quæ morte tua eras promeriturus, quid tibi reddam pro innumeris bonis, quæ pretioſa tua morte mihi comparaſti? nihil, Domine, pretioſius habeo quod dẽ, quã vt hoc tuiipſius ſacrificium

S. Thom. 3. p. q. 75. ar. 6. Miſſæ in ſacrificio offertur Agnus Dei.

Oratio. a *Apoc. 13. 8*

b Pſal. 115. 13. ficium, tibi ipſi offeram, & b *calicem ſalutaris accipiam, & nomen tuum* cum laude *inuocem.* Libera me ô Agne puriſsime à Dæmonis ſeruitute, ne in domo animæ meæ, eius primogenitus, liberum videlicet arbitrium, extinguatur: conforta etiam me, vt per huius vitæ deſertum ambulem, vſque ad requiem æternæ gloriæ.

II. Ritus Eſus Agni Paſchalis, denotant diſpoſitiones Communicantium.

SECVNDA cauſa fuit, vt in eſu Agni legalis, doceret nos *diſpoſitiones requiſitas* ad edendum Diuinum hunc Agnum, in illo adumbratum. Nam primò c *renes* oportet *accingere* cingulo caſtitatis, & mortificare ſenſuales carnis voluptates: quia Agnus hic, vt caſtiſsimus eſt, ita maximè virginali puritate delectatur. Deinde *calceamenta habere in pedibus*, per cordis & omnium affectuũ noſtrorũ cuſtodiam, ne ſordeſcant, & rerum terrenarum cupiditate inficiantur. Tertiò *baculos in manibus tenere*, fiducia collocata in cruce Chriſti Domini noſtri, & in eiuſdem protectione & gubernatione, facientes opera, quæ diuinis eius oculis placeant. PRAETEREA *feſtinanter eſt comedendus*, feſtinatione videlicet feruoris ſpiritus omnem tarditatem & laxitatẽ animi excutiendo, non acedia, tædio, aut faſtidio, ſed fame, & magno deſiderio illum comedendi. QVINTÒ comedendus ſimul eſt *panis azymus cum lactucis agreſtibus*, hoc eſt, cum animæ puritate, ſine vlla culpæ corruptione, & exercitijs mortificationis, carni ipſi amaræ. DENIQVE *nihil eius comedendum eſt crudum, nec coctum aqua, ſed tantum aſſum igni*: Non enim comedendus eſt niſi priùs conſideretur quid ſit iſte cibus, idque non frigida & rudi conſideratione: ſed tali d *meditatione*, in qua *exardeſcat ignis* amoris in corde.

c Exo. 12. u.
1.
2.
3.
4.
5.
6.
d Pſal. 38. 4.

His omnibus benè perpenſis, reflectar ſuper me ipſum; vt erubeſcam, ob exiguam meam diſpoſitionem, qua cœleſtem hunc Agnum conſueui comedere: contendam verò in poſterum ſeriò, exactiorem habere diſpoſitionem iuxta illud Apoſtoli: e *quia Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus* pro nobis: itaque *epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, ſed in azymis ſynceritatis & veritatis.*

e 1. Cor. 5. 8.

PVNCTVM III.

TERTIO hoc loco reuocanda ſunt in memoriam verba illa beneuolentia pleniſsima, quæ retulimus dixiſſe Chriſtum in principio cœnæ, & fortè ea dixit initio huius cœnæ ſacramentalis: a *deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Dico enim vobis quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei*, quæ verba duo continent, quæ mirum in modum nos iuuant, ad ſanctiſsimum hoc ſacramentum ſuſcipiendum.

a Luc. 22. 15.

PRIMVM eſt, quod magno & valdè vehementi deſiderio ſit acceden-

dum

Digitized by Google

dum, ſicut ipſe vehementiſsimè deſiderauit illud Paſcha mãducare cũ ſuis nã pretioſum adeò Agnũ par eſt vehemẽtiſsima fame, comedere ac deſiderio, orto ex ſummæ noſtræ neceſsitatis & infinitæ excellentiæ & dignitatis eius conſideratione. Quia neque mea neceſsitate vlla maior eſſe poteſt, neque cibi excellentia præſtantior, quam ſit ipſius: ideòque nullius rei tanta fames & appetitio eſſe debet, quàm huius.

Communicandum ſummo cũ deſiderio & fame.

SECVNDVM eſt, vt ita Agnum hunc ſemper comedamus, atque ſi tunc vltimò, nec amplius, niſi in ipſo cœlo, eſſet comedendus; nam & propterea viaticum appellatur, quaſi ſumatur ab eo, qui ad aliam vitam migrare velit: quod ſi hoc affectu communicem, erit communio pia & fructuoſa reuocanti in memoriã, quod ait Sapiens b *quando ſederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende, quæ appoſita ſunt ante faciem tuam, & ſtatue cultrum in gutture tuo*: comede inquam cibum hunc à cæleſti Principe tibi oblatum, atque ſi iam cultrum haberes ad guttur, & prope eſſes vt exſpirares. Et comede poſtquam inordinatas carnis appetitiones mortificaueris, & ſicut re ipſa mortificares ſi certò ſcires, cibum illũ futurum tibi poſtremum. O Rex cœli, quando me vis tecum ſupernæ huic menſæ aſsidere, tantum mihi præbe animi, vt affectiones omnes, quæ indignum me ea reddunt, omninò abſcindam, præparans me ad hoc conuiuium, ſicut qui eſt in procinctu, vt properet ad æternum, in quo te fruar in ſæcula, Amen.

II. Euchariſtia cur dicatur viaticum.

b *Prou.* 23.1

MEDITATIO X.

DE LOCO, TEMPORE, AC SOCIETATE quam elegit Chriſtus ad ſanctiſsimi huius Sacramenti inſtitutionem.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDAE inprimis ſunt cauſæ, cur Chriſtus Dominus ſanctiſsimum hoc ſacramentum inſtituerit in nocte ſuæ paſsionis, & pridie quàm pateretur; cùm potuiſſet eam inſtitutionem differre poſt ſuam reſurrectionem. Sed PRIMA cauſa fuit, vt *magnitudinem amoris*, quo nos proſequebatur, magis patefaceret: ſiquidem cùm homines in id maximè incumberent, vt horrendis tormentis & ignominiis, vitam illi adimerent, inſtituit ipſe hoc cœleſte conuiuium, vt vitam illis admirandis deliciis & fauoribus pararet, quo multi fruituri erant, qui tunc re ipſa de morte illi inferenda agebant. Quo facto ſimul nos docebat, quod ſicut iniuriæ & impiorum per-

Cur Sacramentum Euchariſtiæ inſtituerit Dominus pridie quam pateretur.

I. Ob magnitudinem amoris.

ſecutiones,non potuerunt eius charitatem extinguere, aut efficere, ne ipſe hoc conuiuio ſuos electos non indulgenter exciperet, ita nullos labores,contemptus, aut tormenta ſufficere debere, vt electi eius ſeruitio abſtineant,& huic conuiuio ſe ſubtrahentes, copioſum eius fructum colligere negligant. Ex quo intelligam,quàm rectè dixerit Apoſtolus: a *quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Tam ſcilicet ab eius in nos quàm à noſtra in ipſum charitate,quis nos ſeparabit? Num diuortium hoc & ſeparationem, vtriuſque huius charitatis ab inuicem, efficere poterit *tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an gladius? certus ſum, quia neque mors, neque vita neque creatura vlla poterit nos ſeparare à charitate* DEI, *quæ eſt in* CHRISTO IESV.

a *Rom.* 8. 35.

Oratio

O dulcis IESV, certus ſum quod nullæ perſecutiones charitatem tuam extinguent: ſiquidem in medio earum, tantum perpetui amoris tui nobis pignus dediſti, corpus ſcilicet tuum in cibum, & ſanguinem in potum propter quam charitatem ſupplico, aliam adeò mihi accenſam concedi,vt perſecutio nulla ſufficiat eam remittere.

II. Deſideriũ nobiſcum manendi. *S. Thom.* 3. *p. q.* 73. *ar.* 5.

SECVNDA cauſa fuit, vt intimum ſuum *deſiderium, nobiſcum* ſemper *manendi* magis nobis aperiret,non ſolum quà DEVS eſt,ſed etiam quà homo. Ideoque diſceſſurus à nobis, quoad corporalem, ſpectabilem & ordinariam ſuæ humanitatis præſentiam, decreuit, ſingulari alio præſentiæ modo etiam ordinario ac perpetuo, vſque ad finem mundi, ſub ſpeciebus huius Sacramenti nobiſcum manere. Et quamuis ſatis fuiſſet, paulò ante ſuam aſcenſionem in cœlum, illud inſtituere, potiùs tamen voluit, ante ſuam paſsionem id facere; vt in mortali adhuc vita præclarũ modum cum hominibus mortalibus manendi diſponeret, pro quorum amore illum adinuenerat; & vt infinita eius charitas, magis emineret; quæ,dum homines, propter inuidiam & rancorem illum è mundo expellere ſtudebant; ipſa ſtatuebat,cum ipſis manere,alio modo piiſsimo & amoris pleniſsimo.

Oratio Templa quando & quare potiſsimum frequentanda.

O dilecte cordis mei, ſi adeo mecum manere deſideras, ego ſemper tecum eſſe deſidero, præſentem te cernens in omni loco, quà Deus es; & in hoc SS. Sacramento quà es homo. O ſi liceret continuò in Eccleſia manere quando hoc diuinum myſterium celebratur! & vbi hoc SS. Sacramentum eſt, vt eius præſentiâ fruerer! ſed cùm non poſsim præſtare quod cupio, faciam ſaltem quod potero, vt quoties corpore & animo ibi eſſe potero, id faciam; corde verò & affectu ſemper.

III. *Luc.* 22. 19. Ne deeſſet Sacrificiũ & ſacramẽtũ Euchariſtiæ quod eſt repræſentatio & memoriale Paſsionis Domini.

TERTIA cauſa fuit, ne vnquam deeſſet in mundo ſacratiſsimæ eius paſsionis memoriale, & aliquod ſacrificium, ad placandum & glorificandum Deum. Et quoniam in illa cœna & ipſius paſsione, ceſſabat Paſchalis Agni memoriale, & legis antiquæ ſacrificia, voluit tunc inſtituere diuinum hoc ſacramentum & ſacrificium, vt eſſet repræſentatio, & memoriale paſsionis eius,per quod nobis eiuſdẽ fructus applicaretur. Et quam-

uis ſatis fuiſſet, illud poſt reſurrectionem inſtituere, maluit tamen ante ſuam paſsionem id facere: quia vehemens amor, plus delectatur præueniendo tempus benefaciendi, quam poſt illud, dilecto ſuo benefaciendo. Ac præterea vt hac ratione, nos magis adſtringeret ad recentiorem & teneriorem ſui memoriam habendam: nam quod parentes morti vicini, filiis commendant, altiùs ſolet illorum menti infigi. O Pater amantiſsime, ſiquidem tali hora memoriale adeò beneuolum paſsionis & mortis tuæ mihi reliquiſti, b *memoria* tenaci *memor ero tui*, quamdiu vita ſuperſtes erit: & c *ſi oblitus fuero tui*, *obliuioni detur dextera mea adhæreatque lingua mea faucibus meis*, *ſi non meminero tui*.

b *Thren.* 3. 20.
c *Pſal.* 136. 5

PVNCTVM II.

CONSIDERANDVS hic eſt *locus*, quem elegit Chriſtus ad huius ſacramenti inſtitutionem & myſterium, quod in eo latet. Elegit enim a *cœnaculum grande & ſtratum*, quod lubens ad id obtulit quidam Paterfamilias, (cuius nomen non exprimitur) & Chriſtus ipſe Dominus id acceptauit, & vt proprio vſus eſt, ad ſua opera myſteriis plena peragenda: nam præter ea, quæ in hac cœna ſunt facta, etiam poſt eius b *paſsionem*, ad illud ſe receperunt Apoſtoli, cum beatiſsima Virgine; ibi etiam poſt reſurrectionem Chriſtus Dominus illis apparuit; ibi c *erant omnes pariter perſeuerantes vnanimiter in oratione* vt Spiritus S. aduentum expectarent; qui ſuper eos deſcendit in d *diſpertitis linguis*, *tanquam ignis*, & inde exiuerunt ad prædicandam legem Euangelicam. Et quamuis hoc cœnaculum ſit præcipuè figura Eccleſiæ Catholicæ, & ſicut *in vna domo iubebatur comedi Agnus Paſchalis*, nec permittebatur *efferri de carnibus eius foras*, ita in *ſola Eccleſia* Agnus hic eſt comedendus, & gratiæ ac dona quæ ab illo procedunt, ſunt recipienda & non extra: Refert tamen etiam idem cœnaculum animam, in quam Chriſtus Dominus ingreditur, & in ea manet, medio hoc diuino ſacramento: quam propterea decet eſſe magnam, & cœleſtium donorum capacem; latam, latitudine charitatis & amoris Dei ac proximi; longam, longanimitate ſpei; & ſtratam ac ornatam omni genere virtutum quæ ſunt aulææ domus, in qua Deus habitat: nam vt cœlum ſtellis, ita anima virtutibus exornata eſſe debet. O Deus æterne, ſiquidem ad pauperem meam animam dignaris venire, aſpice, quã ex ſe ipſa ſit habitatio anguſta, breuis, & ſine vllis ornamentis: tu eam Domine donis tuis exalta, charitate & fiducia dilata, tuisque virtutibus exorna f *inclina Domine* ſtellatos iſtos *cœlos tuos* & imprime in anima mea viuam eorum figuram, vt digna fiat habitatio tua, Amen.

1. Locus in quo Eucharistia inſtituta.
a *Mar.* 14. 15
Luc. 22. 12.
b *Ioan* 20. 19.
c *Act.* 1. 13.
d *& ca.* 2. 3.
e *Exod.* 12. 46.
Deſignat Eccleſiam, & Animam fidelem.
Oratio
f *Pſal.* 143. 5

MYSTERIVM *duorum diſcipulorum*, *qui ad procurandum hoc cœnaculum venerunt*, *ad rẽ quidem præſentẽ facit*; *ſed de eo Meditatione ſeptima eſt dictum*.

II. Nomen Patrisfamilias cuius erat cœnaculũ cur non exprimatur.

DEINDE perpendendum eſt, quanti faciat Chriſtus Dominus bonã & *promptam voluntatem* ipſum recipiendi, nihil interim curans huiuſmodi excellentias, aut opulentias: & ideò noluit huius hominis exprimi nomẽ, qui ſuum Cœnaculum libenter & promptè obtulit: ſignificans ſe non in hoc hærere, num diues ille ſit, an pauper, nobilis aut plebeius, eruditus an ignarus, qui ſit ipſum in anima ſua recepturus: ſed id ſolùm ſe quærere, vt bona & pia voluntate, à Deo inſpirata, ipſo verò homine conſentiente, promptè offerat, quod habet.

III.

DENIQVE, quando hic Dominus ingreditur animam, quæ digne illum recipit, illam ipſe in propriam ſuam accipiens, facit eam domum orationis, reuelat illi ſua myſteria, Spiritus ſancti dona communicat, efficitque, vt ad ipſius magnalia promulganda exeat, & ſuos etiam proximos iuuet. O felicem illum, qui eò peruenit, vt ſit cœnaculum Chriſti, in quo ille ſibi complaceat, in quo reſideat, & ſua myſteria operetur! Veni Domine in hoc cœnaculum cordis mei, illudque in tuum accipe: quia ex nunc non volo amplius eſſe meum.

PVNCTVM III.

CONSIDERANDVM hic, quam hominum ſocietatem Chriſtus elegerit, in quorum præſentia hoc ſacramentum inſtitueret, quos etiam eius fecit participes, qui fuerunt ipſi Apoſtoli; inter quos certiùs creditur (teſte S. Thoma) fuiſſe Iudam, qui necdum è cœnaculo exiuerat; ac perpendendum, quantum eſſet diſcrimen inter reliquos vndecim, & hunc proditorem: nã illi *corpore & ſpiritu* aderant, attentè ac reuerenter attendentes ad ea, quæ CHRISTVS Dominus noſter faciebat, illumque cibũ maxima deuotione accipientes, diſcernebant à reliquis cibis. at Iudas *ſolo corpore* præſens erat, nam ſpiritu potiùs erat in ſuis impijs cogitationibus. Quare nec attendebat, nec intelligebat, quæ Chriſtus faceret; ideoque panem illum vitæ, ita accepit de manu Chriſti, vt à communi & vulgari pane non diſcerneret. Quare non modò ex eo fructum non accepit, ſed potius illi attulit magnum detrimentũ: nam inde exiuit vt ſuum Magiſtrum traderet, exitumque habuit infelicem. In quo propterea locũ habuit quod Apoſtolus dixit: *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini*, atque ſi ſuis iterum hoſtibus illum traderet. Et addit Apoſtolus: *ideo multi ſunt infirmi, & imbecilles & dormiunt* infeliciter *multi*. Quare ne tanta iniuria venerando adeò corpori inferatur, conandum mihi eſt huic conuiuio adeſſe ſicut Apoſtoli, corpore ſcilicet & ſpiritu, attentione, reuerentia & deuotione, attentè obſeruando, quæ Chriſtus Dominus pro me facit, & quod ego ſim facturus, quando illum recipio, retrahendo cor meum non ſolùm à

3. Part. q. 81. a. 1.

Iudas communicauit cum ceteris Apoſtolis ſed ſi digni, ille indigne & ſine fidei.

1. Cor. 11. 27.

rebus

rebus malis, ſed etiam diuerſis negotiis b *attendens* (vt ait Sapiens) *diligenter, quæ ante faciem meam* in hac menſa *proponantur.* b *Prov.* 23.

MEDITATIO XI.

DE ADMIRANDA PANIS IN CORPVS Chriſti conuerſione, & quomodo ipſe & Apoſtoli communicarint.

PVNCTVM I.

PRIMVM conſiderandum, quòd CHRISTVS Dominus noſter ad menſam ſedens, & *cœnantibus illis* a *accepit panem* vnum ex iis, qui erant ad menſam, & benedixit, dicens hæc verba: *accipite & commedite* : HOC EST CORPVS MEVM : quorum verborum virtute, ita omninò mutauit panem in Sanctiſsimum corpus ſuum, vt quod initio ipſorum verborũ verus erat panis, in momento, quo illa ſunt finita, fuerit conuerſum in verum eius corpus, coopertum tantum externis ſpeciebus ſiue accidentibus panis. (a *Matt.* 26. 26. *Mar.* 14. 22. *Luc.* 22. 19. 1 *Cor.* 11. 24.)

I. In tranſſubſtantiatione panis elucet Chriſti Domini infinita ſapientia.

Circa hanc fidei noſtræ veritatem, perpendam primùm, infinitam magnitudinem, quam Chriſtus Dominus noſter in hoc opere patefecit, nominatim verò infinitam ſapientiam, omnipotentiam, bonitatem, & charitatem. *Sapientiam* quidem, quòd modum adeò ineffabilem adinuenerit communicandi ſe hominibus, & vitæ alimẽtum eis tribuendi: quem modum ſolus Deus, infinita ſua ſapientia aſſequi potuit. Et ſicut in eius Incarnatione, reſplenduit etiam ſapientia, qua modum inuenit, coniungendi in vnitate perſonæ res adeò diſtantes, atq; ſunt Deus & homo, vt ſubſidium nobis adferret; ſic in Sanctiſsimo hoc Euchariſtiæ myſterio, eadẽ reſplendet ſapientia in modo inueniendo, quo Deum hominem factum, coniungeret cum panis & vini ſpeciebus, & accidentibus in vno ſacramento ad noſtrum alimentum. Ex quo affectus deducam admirationis, exultationis & laudis, exultans quod habeam Deum adeo ſapientem; & laudans eum pro his diuinæ ſuæ ſapientiæ inuentionibus; & ſubijciens meum iudicium per actus fidei iis, quæ eadem ſapientia adinuenit: ſiquidem non magnum eſt, quod ipſe infinitè ſapiens facere nouerit, quod ego aſſequi non poſſum. O ſapientiſsime IESV, b *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ* Dei *abſconditi*, fac me eorum participem, vt tantam gratiam cognoſcere & æſtimare, ac debitas pro ea gratias tibi agere valeam. (Oratio. b *Coloſ.* 2.)

II. Nomen Patrisfamilias cuius erat cœnaculũ cur non exprimatur.

Deinde perpendendum eſt, quanti faciat Chriſtus Dominus bonã & *promptam voluntatem* ipſum recipiendi, nihil interim curans huiuſmodi excellentias, aut opulentias: & ideò noluit huius hominis exprimi nomẽ, qui ſuum Cœnaculum libenter & promptè obtulit: ſignificans ſe non in hoc hærere, num diues ille ſit, an pauper, nobilis aut plebeius, eruditus an ignarus, qui ſit ipſum in anima ſua recepturus: ſed id ſolùm ſe quærere, vt bona & pia voluntate, à Deo inſpirata, ipſo verò homine conſentiente, promptè offerat, quod habet.

III.

Denique, quando hic Dominus ingreditur animam, quæ digne illum recipit, illam ipſe in propriam ſuam accipiens, facit eam domum orationis, reuelat illi ſua myſteria, Spiritus ſancti dona communicat, efficitque, vt ad ipſius magnalia promulganda exeat, & ſuos etiam proximos iuuet. O felicem illum, qui eò peruenit, vt ſit cœnaculum Chriſti, in quo ille ſibi complaceat, in quo reſideat, & ſua myſteria operetur! Veni Domine in hoc cœnaculum cordis mei, illudque in tuum accipe: quia ex nunc non volo amplius eſſe meum.

Pvnctvm III.

Conſiderandvm hic, quam hominum ſocietatem Chriſtus elegerit, in quorum præſentia hoc ſacramentum inſtitueret, quos etiam eius fecit participes, qui fuerunt ipſi Apoſtoli; inter quos certiùs creditur (teſte S. Thoma) fuiſſe Iudam, qui necdum è cœnaculo exiuerat; ac perpendendum, quantum eſſet diſcrimen inter reliquos vndecim, & hunc proditorem: nã illi *corpore* & *ſpiritu* aderant, attentè ac reuerenter attendentes ad ea, quæ Christvs Dominus noſter faciebat, illumque cibũ maxima deuotione accipientes, diſcernebant à reliquis cibis. at Iudas *ſolo corpore* præſens erat, nam ſpiritu potiùs erat in ſuis impijs cogitationibus. Quare nec attendebat, nec intelligebat, quæ Chriſtus faceret; ideoque panem illum vitæ, ita accepit de manu Chriſti, vt à communi & vulgari pane non diſcerneret. Quare non modò ex eo fructum non accepit, ſed potius illi attulit magnum detrimentũ: nam inde exiuit vt ſuum Magiſtrum traderet, exitumque habuit infelicem. In quo propterea locũ habuit quod Apoſtolus dixit: *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini*, atque ſi ſuis iterum hoſtibus illum traderet. Et addit Apoſtolus: *ideo multi ſunt infirmi, & imbecilles & dormiunt* infeliciter *multi*. Quare ne tanta iniuria venerando adeò corpori inferatur, conandum mihi eſt huic conuiuio adeſſe ſicut Apoſtoli, corpore ſcilicet & ſpiritu, attentione, reuerentia & deuotione, attentè obſeruando, quæ Chriſtus Dominus pro me facit, & quod ego ſim facturus, quando illum recipio, retrahendo cor meum non ſolùm à

3. Part. q. 81 a. 1. Iudas communicauit cum cæteris Apoſtolis ſed ſi dignis, ille indigne & ſine fidei.

1. Cor. 11. 27.

Digitized by Google

rebus malis, ſed etiam diuerſis negotiis b *attendens* (vt ait Sapiens) *diligenter, quæ ante faciem meam* in hac menſa *proponantur*. b *Prou.* 23.1

MEDITATIO XI.

DE ADMIRANDA PANIS IN CORPVS Chriſti conuerſione, & quomodo ipſe & Apoſtoli communicarint.

PVNCTVM I.

PRIMVM conſiderandum, quòd CHRISTVS Dominus noſter ad menſam ſedens, & *cœnantibus illis* a *accepit panem* vnum ex iis, qui erant ad menſam, & benedixit, dicens hæc verba: *accipite & commedite*: HOC EST CORPVS MEVM: quorum verborum virtute, ita omninò mutauit panem in Sanctiſsimum corpus ſuum, vt quod initio ipſorum verborũ verus erat panis, in momento, quo illa ſunt finita, fuerit conuerſum in verum eius corpus, coopertum tantum externis ſpeciebus ſiue accidentibus panis. a *Matt.* 26. 26 *Mar.* 14.22 *Luc.* 22. 18 1 *Cor.* 11.24

Circa hanc fidei noſtræ veritatem, perpendam primùm, infinitam magnitudinem, quam Chriſtus Dominus noſter in hoc opere patefecit, nominatim verò infinitam ſapientiam, omnipotentiam, bonitatem, & charitatem. *Sapientiam* quidem, quòd modum adeò ineffabilem adinuenerit communicandi ſe hominibus, & vitæ alimẽtum eis tribuendi: quem modum ſolus Deus, infinita ſua ſapientia aſſequi potuit. Et ſicut in eius Incarnatione, reſplenduit etiam ſapientia, qua modum inuenit, coniungendi in vnitate perſonæ res adeò diſtantes, atq; ſunt Deus & homo, vt ſubſidium nobis adferret; ſic in Sanctiſsimo hoc Euchariſtiæ myſterio, eadẽ reſplendet ſapientia in modo inueniendo, quo Deum hominem factum, coniungeret cum panis & vini ſpeciebus, & accidentibus in vno ſacramento ad noſtrum alimentum. Ex quo affectus deducam admirationis, exultationis & laudis, exultans quod habeam Deum adeo ſapientem; & laudans eum pro his diuinæ ſuæ ſapientiæ inuentionibus; & ſubijciens meum iudicium per actus fidei iis, quæ eadem ſapientia adinuenit: ſiquidem non magnum eſt, quod ipſe infinitè ſapiens facere nouerit, quod ego aſſequi non poſſum. O ſapientiſsime IESV, b *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ* Dei *abſconditi*, fac me eorum participem, vt tantam gratiam cognoſcere & æſtimare, ac debitas pro ea gratias tibi agere valeam.

I. In tranſſubſtantiatione panis elucet Chriſti Domini infinita ſapientia.

Oratio b *Coloſ.* 2. 3.

II. Omnipotentia.

Deinde in eodem facto, reſplendet eiuſdem Chriſti Domini *omnipotentia*, in hoc, quod vnico verbo, & vnico momento innumera edat miracula, tam in pane, quam in ipſiuſmet corpore, cum ea ita in noſtrum alimentum pinſit & coniungit, vt in momento ita ſubſtantiam panis, in ſuum corpus commutet ac conuertat; vt nihil aliud panis, præter ſola accidentia, remaneat, quibus ipſum corpus contegatur: quod etiam ita diſponit, vt omnino totum, ſub parua vnius hoſtiæ quantitate contineatur, vt totum quidem ſit in tota hoſtia, & totum quoque in qualibet eius parte, ita vt, quãuis hoſtia ipſa diuidatur, nulla tamẽ fiat corporis diuiſio. Quod totum viua fide credendum eſt. Ad credendum enim ipſum potuiſſe id efficere ſufficit, quod ipſe ſit omnipotens; ad credendum verò quod reipſa id effecerit, ſufficit quòd ipſe dixerit. O omnipotentiæ Chriſti magnitudo! quid hoc eſt, quod facis, omnipotens Saluator! ad viliſsimum vermiculum ſuſtentandum, inuertis totum naturæ ordinem, condiendo nouo modo corporis tui conſtitutionem, vt paruitati ſerui tui illud accommodes! ſit tua omnipotentia benedicta, propter quam oro ſupplex, vt in alium me virum conuertas, vt eius fructu frui poſsim.

III. Bonitas & charitas.

Tertiò manifeſtatur etiam hic infinita *bonitas & charitas* eiuſdem Chriſti Domini noſtri, maximis, quæ dare potuit, eius indicijs. Nam vt Pater æternus bonitatem & charitatem ſuam manifeſtauit iuxta illud ipſius Chriſti ad Nicodemum: c *ſic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*, rem videlicet quam habebat chariſsimam & pretioſiſsimam, ac porrò d *cum eo omnia nobis donando*, quo redemptio noſtra eſſet copioſa: Sic ipſe filius Dei, oſtendit ſuam bonitatem, & charitatem, dans nobis in alimentum rem pretioſiſsimam, quam habebat, ſeipſum videlicet, & ſuum pretioſum corpus cum omnibus, quæ in ſe continebat. Atque ſi Rex quiſpiam haberet opulentum ſcrinium, magnis theſauris, auri, argẽti, & lapidum inæſtimabilis pretij plenum, qui alicui diceret: cape tibi hoc ſcrinium, cùm ſcrinium donat, etiam quæcunque continet donare cẽſetur. Sic noſter ſupremus Rex, corpus ſuum & carnem ſanctiſsimam nobis donans, ſimul etiam ſanguinem ſuum, animam ſuam, diuinitatem ſuã, & omnes meritorum ſuorum theſauros, ſatisfactioneſque nobis donat, vt eis fruamur: cupiens ſemper eſſe nobiſcum, noſter eſſe ſocius, ipſum conuiuium, & qui nobis perpetuò indulgeat. O dilecte mi, quid reddere potero tantæ bonitati & charitati, quam in hoc ſacramento mihi oſtẽdiſ? tu mihi das optimum quod habes, ego tibi reddo optimum quod habeo tu mihi teipſum & omnia tua donas: en offero tibi meipſum; & omnia mea, corpus meum, & animam meam; ſanguinem meum, & vitam meam; & quidquid poſſum tuo obſequio dedico: adiuua me, vt reipſa præſtem quod opto, in gratiarum actionem, ob plurimum, quod huius beneficij

c Ioan 3.16.
d Rom. 8. 32

Simile.

Oratio

intuitu,

u, me tibi debere agnoſco. Denique hic reſplendet feruentiſsimus *zelus*, quem habuit Chriſtus ſalutis noſtræ, dum tale medium adinueuo ipſemet ſuæ paſsionis fructum nobis applicaret, ita vt iam dicere :: e *zelus domus tua comedit me*. non enim ſolum comedit meum hon, facultates, & vitam meam; ſed meipſum quoque fecit comeſtibi- t effecit, vt permitterem me comedi, vt ſalus & vita iis proueniret, anet in domo mea. O dulcis IESV, gratias tibi pro hoc tuo adeo innato zelo domus Patris tui, quæ eſt Eccleſia; & quando etiã anima ſt domus tua, propter quam efficis teipſum cibum & meum nutrium, concede mihi adeo feruentem gloriæ tuæ zelum, vt ſinam me :di, & eſſe deſinere, pro eius defenſione & augmento.

IV. Zelus feruentiſsimus ſalutis noſtræ. e *Pſal.* 68.10

Oratio

PVNCTVM II.

DEINDE conſideranda grandia myſteria, quæ in verbis conſecrationis panis latent: S. enim Lucas hæc refert Chriſtum dixiſſe: HOC EST CORPVS MEVM, *quod pro vobis datur*; & S. Paulus: HOC CORPVS MEVM *quod pro vobis tradetur*.

a S. *Luc.* 22. 19. b 1. *Cor.* 11. 24. S. *Tho.* 3. *p.* q. 78. *a.* 2.

PERPENDENDVM eſt primùm, non dixiſſe Chriſtum; hæc eſt *figura repræſentatio* corporis mei, ſed *hoc eſt corpus meum* reale & verum, quò m præſentiam ſanctiſsimi ſui corporis declaret, daretque excellenia ſuæ miſericordiæ paternæque prouidentiæ indicia: nam reipſa em, ad nos ſanctificandos, & ſpiritualiter nutriendos, ſuffeciſſet, hoc mentum eſſe merum panem, quò repræſentaret Chriſtum; ſicut pura in Baptiſmo nos lauans, ſanctificat: ſed infinita Chriſti Domini tas, non hoc ſatis habuit, ſed ipſemet in proprio corpore, propriaque na, voluit in ſacramento eſſe, & nos ſanctificare, quò ſuum erga nos em, quamque ſibi curæ ſint ea, quæ ad noſtrum nutrimentum & inentiam pertinent, manifeſtaret: nam quod quis per ſe ipſum præſtat, aiori amore facit, maiori compaſsione, diligentia, ac prouidentia; ſiater quæ filium ſuum vehementer amans, magnique illum faciens, permittit ab alia nutrice educari, aut alieno lacte vti; ſed ipſamet ilturam gerit, propriique pectoris lacte nutrit, quod tenerrimè ſumque amore illi offert, magnamque eius curam gerit, & neceſsitatis cõionem. O Pater amantiſsime! ô mater & nutrix noſtra piiſsima, quolo non totus ſum in ſeruiendo tibi cum amore, & tui gratia id facienquod tu facis pro me. Non ampliùs ex nunc contentus ero, ſi præſtem : tuis præceptis mihi facienda iniungis; ſed ita id faciam, vt conſilia que tua perfectiſsimè expleam.

I. Chriſtus cur in Sacramento voluerit eſſe non figuram ſui, ſed ſeipſum.

Oſee 11. 3. 4. Ego quaſi nutritius Ephraim, declinaui ad eum, vt veſceretur Simile.

DEINDE perpendam, non dixiſſe Chriſtum Dominum: hæc eſt *pars* poris mei aut carnis meæ; ſed *hoc eſt corpus meum* totum, integrum, ac

II. Chriſtus cur non aliquam partẽ ſui

perfectum

perfectum: eſto enim quælibet carnis eius ſanctiſsimæ particula ad nos ſanctificandos ſuffeciſſet, voluit tamen ibi ponere integrum ſuum corpus, caput, oculos, aures, os, linguam, pectus, cor manus, & pedes, vt ſignificaret, ſe membris ſuis ſacratiſsimis ſanctificare velle omnia eius mẽbra, qui ipſum reciperet; & totum ac integrum hominẽ ſanitati reddere. Suis oculis vult meos ſanctificare, ſuo corde meum, & manibus ſuis manus meas, ſicut Propheta Eliſæus, vt defunctum puerum vitæ redderet, c *poſuit os ſuum, ſuper os eius; & oculos ſuos ſuper oculos eius & manus ſuas, ſuper manus eius*, & ſic puer eſt vitæ reſtitutus. Et ita cùm communico, par eſt cum illo colloqui, & per ſingula eius membra diſcurrentem, ei dicere: ô *dulciſsime* IESV, qui adeo te incuruaſti in hoc ſacramẽto, vt animæ meæ vitam redderes, auribus tuis & oculis meos ſanctifica, vt ea ſolum videant vt audiant, quæ tibi ſunt grata; linguâ tuâ purifica meam, ne quid loquatur, quod te offendat; manibus & pedibus tuis conforta meos, ne ijs deſint, quæ tibi placent. O dilecte mi, aperi oculos tuos miſericordes, & illis me reſpiciens, illumina meos, vt te cognoſcam, viuaque fide credam; aperi aures tuas, & exaudi orationes meas, & meas aperi, vt verbum tuum audiant, & ſanctæ tuæ legi obediant; aperi os tuum linguamque benedictam, & cordi meo aliquid loquere, vt os meum aperiatur ad te benedicendũ, & lingua mea à te laudando nunquam deſiſtat: Aperi, Deus, pectus tuum & tuum dilata, meq; ad illud introduc, vt totus inflammer, & amoris tui igne totus ardeam; extende manus tuas, meq; illis tange, vt meę ſanctificentur in operibus, quę præſtabunt; per greſſus illos, quos tui ſanctiſsimi pedes peregerunt, ſupplico, vt meos dirigas, vt tuis conformes efficiantur; & totum corpus meum, ſit viua effigies ſanctitatis, quæ reſplenduit in tuo.

ſed ſe totũ voluerit eſſe in Sacramento.

c 4. Reg. 4. 34.

Oratio

III. Pro nobis tradidit corpus ſuũ

TERTIÒ perpendendum eſt verbum illud vltimum: *quod pro vobis datur*: aut *quod pro vobis tradetur*: quo nobis ſignificat, ibi eſſe corpus vendendum, & in mortem pro nobis tradendum; & ipſummet, qui ſe in mortem tradebat, ſe nunc tradere in cibum; vt comedatur; & vtrumque ex vno eodemque erga nos amore procedere. Quare in ſanctiſsimo hoc corpore, meritò conſiderabo *quinque* illa *vulnera*, quæ in ſua paſsione accepit: quæ, vt ſuæ mortis, ita vitæ noſtræ ſunt ſigna. Et propter illa petam, vt in ea me introducens viuificet, ac ſanctificet; dicens illi: ô ſanctiſsimum mei Saluatoris corpus, quod in cruce fuiſti clauis & haſtâ confixum, crudeliſſima illa quinque vulnera ſuſtinens, & nunc es in cœlo, & in hoc Sacramẽto eiſdem vulneribus, ſed valde ſplendentibus exornatum, adoro te, laudo, & glorifico; ac propter eadem vulnera ſupplico, vt mea velis curare, & fœditatem ac turpitudinem, quam culpâ meâ contraxi, gratiâ tuâ in pulchritudinem & ſplendorem conuertere.

Oratio ad ſanctiſsimum Sacramentũ.

Digitized by Google

PVNCTVM III.

CONSIDERANDVM *tertio*, quòd CHRISTVS Dominus noſter, *omnes* ſuos *Apoſtolos* communicauerit; & perpendenda altiſsima deuotio & reuerentia, qua illi ſacratiſsimum illum panem acceperunt, & mederunt. Nam in eodem momento, quo ipſe panem illum, inenarrai prodigio, conuertit in ſuũ corpus, illiſq; tradidit comedendum, aliud omnipotentiæ ingens miraculũ edidit, in intellectibus videlicet & rd bus rudium illorum piſcatorum, & imperfectorum Diſcipulorum, uſtrans illos extraordinario quodam lumine, vt viua fide certiſsimè ederent, quod ſub illo panis velo latebat, eſſe ipſummet ſui Magiſtri rpus: ideoque eâ reuerentiâ & amore, quo illum proſequebantur, & genti noui miraculi ſtupore, illud receperunt: hinc quidem præ reuentia trementes; inde verò præ amoris magnitudine plurimum exultan, quòd illud in ſua viſcera reciperent. O Apoſtoli ſacri, orate communm veſtrum & meum Magiſtrum, ſanctum vt illum timorem & amorẽ ihi tribuat, quo vos tunc communicaſtis, vt fructum quoque ex eo uriam, quem vos tunc hauſiſtis.

I. Apoſtolorũ in communicatione Fides, & Deuotio ingẽs ſunt Chriſti miraculum.

DEINDE, perpendam magnam *dulcedinem* & admirandos affectus, ıos Apoſtoli in prima illa communione ſenſerunt, qui ſine dubio adeo ꝛrunt excellentes; vt ex eis cognouerint infinitam Diuini illius cibi exllentiam, & dignitatem; ipſa experientia diſcentes diſcrimen inter dini huius panis ſaporem & dulcedinem, & eius, quem paulò ante comerant. Solus infeliciſsimus Iudas nullum in hoc diuino cibo guſtum innit, quia illum ſumpſit ſine fide, ſine attentione, & reuerentia vlla. Vt tem melius hæc ſentiam, licet piè diſcurrere per reliquos vndecim Aſtolos, perpendens, qua ratione ſinguli communicarint: Sanctus Petrus citauerit ibi ſuam fidem, loquens cum eo, quod ſub illis panis accidenbus latebat, ac dixerit: a *tu es* CHRISTVS *filius* DEI *viui*: cui Chrius potuit reſpondere: *Beatus es Simon Bar. Iona, quia caro & ſanguis non uelauit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt*: & cùm Chriſtus panem hunccõcratum porrigeret, ipſe viua fide, reuerentiâ pleniſsima dixerit intra ſe: *exi à me, quia homo peccator ſum Domine*: ſed obediens tamen acceperit & omederit. In ſancto Ioanne perpendam, qua ratione, ipſe affectus ſui aoris tunc excitauerit, attendens, Magiſtrum ſuum non ſolum ſibi ipım coniungere, ſed in ipſius quoque pectus hac ratione ingredi velle: aleoque abſorptus & in tantam extaſim raptus fuerit excellentiſsimo illo nore, vt, finita hac myſtica, c *recubuerit ſupra pectus ipſius* IESV, dulciſsimum dormiens contemplationis ſomnum. O ſi tantam haberem fidem & reuerentiam, ſicut Petrus; tantumque amorem & charitatem, ſicut Ioan-

II. Dulcedo ſpiritualis.

a *Mat.* 16. 17

b *Luc.* 5. 8.

c *Ioa.* 13. 25.

Oratio

nes, vt cum illis Dominum meum ſuſciperem. O quàm abundè ſoluit illis CHRISTVS laborem, in legalis Agni cœna præparanda inſumptum! nam tanquam magis dilectis, & præ alijs feruentibus, copioſiorem illis dedit amoris & gratiæ ſuæ portionem. Impetrate mihi, ô glorioſi Apoſtoli, ſpiritum illum, quo vos communicaſtis; vt eadem, qua vos, fruar voluptate. Eodem modo diſcurrere licebit per reliquos Apoſtolos iuxta deuotionem, quam in ſingulis, ex aliquo inſigni eorum facto, mihi fingere poſſum.

PVNCTVM IV.

S.Thom.3. p.q.81. ar.1. Chriſtus quoque communicauit.

DENIQVE conſiderandum eſt, Chriſtum Dominum noſtrum (vt communiter Sancti dicunt) accepiſſe bolum vnum conſecrati illius panis, ac ſeipſum *communicaſſe*, quò Apoſtolis animum adderet ad comedendum, daretque illis exemplum reuerentiæ, modeſtiæ, ac deuotionis, quâ panem illum ſumere deberent. Fuit enim illi hoc familiare, vt priùs nos exemplo, quàm præcepto; & opere ipſo, quàm verbo doceret: &, vt voluit baptizari: ita etiam voluit communicare. O quantam reuerentiam ac deuotionem oſtendit exteriùs, cum ille bolus ad os eius perueniebat, attendens ad diuinitatem, quæ coniuncta erat carni ſuæ, quam in illo ſumebat! O quàm recentes lætitiæ iubilos in ſanctiſsima anima ſua ſenſerit, cùm ſeipſum in bolo illo comedit, ob ingens gaudium, quod illi acceſsit, ex admirandi huius ſacramenti inſtitutione peracta! O dulcis IESV, ſi quis eo amore & reuerentia te exciperet, qua tu te in hac communione ſumpſiſti, eo modo eam imitando, quo eſt imitabilis. Illam DEVS meus, tibi offero pro ea, quæ mihi, deeſt, & per eandem ſupplico, vt maximam, quæ mihi eſt poſsibilis, eius partem mihi tribuas: tota ſiquidem tantæ maieſtati debetur.

MEDITATIO XII.

DE CONVERSIONE VINI IN SANGVINEM Chriſti, & theſauris qui in ea latent.

PVNCTVM I.

a *Luc.22.20* b *Matt.26.28.* b *Mar.14.24.* S.*Tho.3.p.q.87.a.3.*

POST conſecrationem & communionem ſacri panis, accepit CHRISTVS Dominus noſter calicem vini in manibus ſuis, dicẽs: a *Hic eſt calix* b *ſanguinis mei noui teſtamenti, qui pro* a *vobis, & pro* b *multis effundetur in remiſsionem peccatorum.* Quorum verborum virtute vinum fuit conuerſum in pretioſum ipſius Sanguinem.

Circa quod, eſt *primùm* conſideranda infinita Chriſti Domini noſtri charitas, liberalitas,& omnipotentia,quæ in eo reſplenduit, quod *totum* ſuum *ſanguinem*, nec vnica excepta gutta,in calice pro nutrimento & deliciis noſtris poſuerit. Satis proculdubio ſuiſſet ad noſtram ſanctificationem, ſi tanta ſanguinis quantitas, in calice ſuiſſet, quanta erat meri vini, aut certè vnica tantum gutta illius ſanguinis ſuffeciſſet: non tamen hoc voluit; ſed vt totus venarum eius ſanguis,quem tunc habebat,& nunc habet in capite,corde,brachijs, & reliquo corpore, in eo calice deponeretur: quem totum, nihil ſibi eius reſeruans, liberaliſſimè tradidit; hoc indicio,amorem ſuum & liberalitatem nobis manifeſtans: eodemque facto me inuitans, vt & ego meum totum, ſi ad ipſius obſequium id neceſſe fuerit,illi offeram. I. Chriſtus in ſacramento Euchariſtiæ totum ſuum ponit ſanguinem.

Verum vlteriùs progreditur eius charitas & liberalitas: quia non ſolum ſanguinem tradit,ſed etiam ipſum *calicem* pretioſiſsimum, in quo ille continetur: Atque ſi quis Princeps inuitaret alium, ad bibendum excellens vinum ex aureo poculo,pretioſiſsimo, plurimis gemmis ornato, ac diceret bibe vinum,& retine tibi poculum: ita Christvs Dominus noſter,dat nobis ſuum ſanguinem pretioſum,& ſimul vas in quo ille cõtinetur,quæ ſunt eius venæ,caro,& corpus Sanctiſsimum, cum anima & Diuinitate ſua, vt totus ipſe ſit potus & cibus noſter. O charitas immenſa! ô prodigalitas ſanctiſsima! quomodo non tibi dabo Domine quidquid habeo, ſiquidem tu mihi admirãdo adeo modo das quidquid habes. II. Ipſum dat calicem. Simile.

Magnvm etiam myſterium habet illud verbum Mei, mei inquam, non alieni, ſed proprij: In quo nobis aperit ſuam charitatem, multò aliter; quàm Reges terræ,qui bibunt ſanguinem ſubditorum ſuorum; & ex eo ſunt poſtea liberales,& illo expenſo prouincias ſuas propugnant,& expugnant alienas: at Chriſtus Dominus noſter, pretioſum ſuum ſanguinẽ ſuis ſubditis bibẽdum propinat: ex illo liberalis eſt & profuſus; eo conquirit ipſe theſauros & regna pro ipſis.O Rex ſupreme,non Tyranne, ſed Pater; & Pater amantiſsime,qui ſanguine venarum tuarum vitam, & nutrimentum das filiis tuis,& ſubditis,vt omnes ſimus de tuo ſanguine Regio, *genus electum, regale ſacerdotium. gens ſancta.* O ſi totus pupulus Chriſtianus agnoſceret genus ſuum,& ſanguinem,& de eo gloriaretur, bibens ſanctos & generoſos tuos mores. III. Chriſti charitas in ſuos quam diuerſa à Regũ terræ affectu in ſubditos. 1. Pet.2.9.

Pvnctvm II.

Consideranndvm deinde,quomodo Chriſtus Dominus noſter,hunc ſanguinis ſui calicem appellarit *nouũ teſtamentum.* Primvm vt declararet excellentiã teſtamenti noui ſupra vetus:nã hoc innitebatur ſanguini animaliũ quã Chriſti ſanguinẽ præſignabat: ad nouũ innititur ſanguini ipſius Chriſti: in quo eſt fundatũ,ſtabilitũ,& cõfirmatum Sanguinis calix cur dicatur Nouum Teſtamentum. I.

Chriſtus vltima nocte quale condiderit teſtamentum.

matum. Et ita perpendam Chriſtum Dominum noſtrum, hac nocte ſuæ paſsionis *teſtamentum* condidiſſe cum plurimis legatis, & promiſsionibus infiniti valoris. complectebantur enim omnes theſauros *gratiæ* & *gloriæ*, quos Deus habet, vt ſuis electis diſtribuat. In hoc teſtamento promittit nobis *veniam peccatorum*, etiam pœnarum æternarum, quas illis ſumus promeriti; promittit nobis etiam gratiam & adoptionem filiorum Dei cum charitate, & virtutibus, ac donis omnibus Spiritûs ſancti; & hæreditatem cœleſtem, quæ eſt æterna beatitudo; & exauditurum ſe noſtras orationes, noſtriſque aduerſitatibus adfuturum, & auxilium in noſtris actionibus præbiturum. Omnium harum promiſsionum & legatorum ſanguis hic eſt firmamentum, pignus, arrha, ſcriptura & inſtrumentum priuilegij, quo aſſecuturi ſumus, quod Chriſtus nobis comparauit, quod promiſit, & quod teſtamento nobis legauit: ideoque quod hoc priuilegium apud nos habeamus magnorum affectuum amoris, fiduciæ, lætitiæ, & ſecuritatis noſtræ ſalutis, occaſionem & motiuum nobis adferre debet. Et quando ſacrum facimus, vel audimus, aut communicamus, debemus hunc ſanguinem Patri æterno offerre, maximâ fiduciâ hæc omnia obtinendi, dicẽtes: ô Pater æterne pretioſiſsimum huius calicis ſanguinem tibi offero, tanquam inſtrumentum & priuilegium, & ſignum teſtamenti filij tui, quo promiſit mihi, te daturum, quod peterem, & ſiquidem tu es teſtamẽtarius, imple in me ipſius teſtamentum, mihi largiens quod peto.

II. Promittit veniā peccatorum.

Futuræ gloriæ nobis pignus datur.

Oratio pr. ſub Miſſæ ſacrificio.

III. Amoris dat mandatum.

ETIAM hoc ipſo teſtamento, reliquit nobis Chriſtus Dominus magna monita, & conſilia, nouum illud mandatum *amoris* inter nos mutui, obſeruantiam præceptorum ipſius, & quidquid pertinet ad humilitatem, patientiam, & perfectionem Chriſtianam. Ad hæc omnia valet ſanguis, qui in hoc calice continetur, quo vires obtinemus ad ea implenda; omne ſtudium ad id adhibentes, & ſtrenuos ſemper nos, in eius ſeruitio præbentes.

PVNCTVM III.

CONSIDERANDVM tertiò, quòd Chriſtus Dominus noſter de SANGVINE dixit Apoſtolis: *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum.*

PRIMVM dicit: *qui pro vobis effundetur*, vt eos ad compaſsionem, & dolorem, ad amorem & gratitudinem, permoueret: atque ſi illis diceret: attendite, quod eundem ſanguinem vobis trado, quem grauiſsimis doloribus ſum effuſurus, non mei cauſa, ſed veſtri, & pro veſtra ſalute: compatimini mihi, qui eum effundo; & me redamate, qui adeò vos diligo. Et vt dixit verbum illud; *pro vobis*, quia cum multis loquebatur, potuiſſet ſingulis dicere, hic eſt ſanguis; qui pro te effundetur: ideoque poſſum imaginari,

ınari, idem mihi dici. O amantiſsime Redemptor, qui ſanguinem uum tanto dolore pro me effudiſti, & illum mihi tanto amore in hoc ibuis ſacramento, da mihi gratiam, vt doloribus tuis compatiar & amoi tuo magnis obſequiis correſpondeam. Orari.

II. Sanguis Chriſti effuſus, pro omnibus quantum ad ſufficientiam; pro multis quantum ad efficaciam.

DEINDE dicit: *qui pro multis effundetur*, hoc eſt, pro omnibus hominius, qui ſunt in mundo quantum ad ſufficientiam; & pro multis, quantum d efficacitatem, & fructum, quem ex eo percipient. Et in hoc calice poıitur pro omnibus iis, pro quibus fuit effuſus. Facitque huius rei menionem, vt cognoſcamus eius liberalitatem, ſiquidem nullus eſt homo in nundo, etiam viliſsimus, pro quo hunc ſanguinẽ non effuderit, & quem pſe non inuitet ad eius fructum, etiamſi mancipium ſit, & fæx terræ. O Saluator liberaliſsime, ſiquidem vna gutta tui ſanguinis ſufficit pro toto nundo, plurimis quæſo eius valorem applica, vt plurimi eius fructu gauleant, Amen.

III.

ADDIDIT denique: effundetur *in remiſsionem peccatorum* abſque vllo limite, numero, aut grauitate; quia nullus eſt tantus numerus peccatorum, nec peccatum adeò graue & horrendum, quod non poſsit hoc ſanguine deleri, nam etiam peccatum ſatellitum & carnificum, qui diabolica crudelitate illum effuderunt, eodem ſanguine deleri potuit: nam etiam pro illis fuit effuſus, & ſi voluiſſent, illi facilè veniam obtinuiſſent. *O ſanguis Agni* IESV pretioſiſsime, cuius virtute omnes poſſumus *ſtolas noſtras lauare, & dealbare* ab omnibus peccatorum maculis, laua me & dealba, purga & exorna animam meam, omnes ab ea culpæ fœditates lauans, & gratiæ diuinæ virtutibus eam exornans. *Apoc. 7. 14*

ILLVD quoque verbum eſt perpendendum *effundetur*: quo ſignificatur non guttatim ex corpore ſuo ſanguinem exiturum, nec parcè, ſenſim per diſtillationem; ſed magna copia eum effuſurum totum, & per omnes ſui corporis partes, vt apparebit inferius.

QVARTI *puncti materia eſſe poteſt, quomodo Chriſtus Dominus, & eius Apoſtoli ex calice illo biberint: ſed eadem hic perpendi poſſunt, quæ ſuperius diximus de pane.*

(***)

MEDITATIO XIII.

DE SACRAMENTALIBVS PANIS ET vini ſpeciebus: & quid eiſdem nobis proponatur.

HAC meditatione, & proxima ſequenti vti licebit, quando ſacro Miſſæ ſacrificio interſumus accepto aliquo earum puncto, vt aliquos deuotionis actus exerceamus, circa ſacroſanctum illud myſterium.

PVNCTVM I.

Cur Chriſtus inſtituerit Sacramentũ Euchariſtię ſub duabus ſpeciebus.

PRIMVM exquirendæ ſunt cauſæ, cur Chriſtus Dominus, ſub duabus diſtinctis ſpeciebus *panis* & *vini* ſacramentum hoc inſtituerit: ſub vna ponens rectà & principaliter ſuum corpus, ſub altera verò ſuũ ſanguinem? ſiquidem verè & reipſa, cum corpore eſt etiam ſanguis & cum ſanguine etiam corpus, mutuò ſe comitantes.

I.

DVAE præcipuæ fuerunt huius rei cauſæ. PRIMA vt oſtenderet ſe nobis *perfectiſsimum* parare *conuiuium*, quoniam ergò in omnibus terrenis cõuiuiis diſtinctè proponitur cibus & potus: ita in cœleſti hoc vtrumque diſtinctè proponeretur: quamuis (quæ infinita eſt eius excellentia) alterum alteri eſſet coniunctum: & vtrauis eius pars expleret tam famem quam ſitim noſtram: quam ob cauſam infinitas illi gratias agam, gaudens quod in omnibus ſuis operibus adeò ſit ipſe perfectus.

II.

SECVNDA cauſa magiſque præcipua fuit vt ita ſignificaret pretioſiſsimum ſuum *ſanguinem* totum fuiſſe à corpore in paſsione ſeparatum; quia ingentibus doloribus, & grauiſsimis tormentis, pro noſtris peccatis illum effudit. Quare dum ſacro Miſſæ interſum, videoque ſeorſim hoſtiam ſacram eleuari, & poſtmodum ſanguinem in calice, meminiſſe debeo ſeparationis illius ſanguinis à corpore, attendens in calice illo totum ſanguinem ſimul collectum contineri, quem Chriſtus Dominus noſter, tam nocte præcedente quàm ipſo die paſsionis, *quinquies* diuerſis in locis effudit, ſudore videlicet in horto, flagellis ad columnam, coronâ ſpineâ, clauis & lancea in cruce, quæ omnia loca percurrenti, licebit in ſingulis colloquia & petitiones cum amoris affectibus, & gratiarum actione, ac dolore de peccatis inſtituere, hoc modo:

Chriſtus in Paſsione, quinquies ſanguinẽ effudit.

Oratio

O ſanguis IESV pretioſiſsime, qui in horto Gethſemani, per eius corporis poros, ingenti animæ eius triſtitia & anxietate effluxiſti, gaudeo te in iſto calice contineri, vt à fidelibus omnib. adoreris: & ego quantum poſſum te adoro, & glorifico, ſupplicans, vt meâ

triſtitiis,& anxietatibus æternis liberes, quas meis peccatis ſum promeritus, pro quibus effuſus fuiſti. O calix pretioſiſsime, ſanguine illo plene, quem Dominus meus ex dorſo ſuo, crudelibus verberibus vulnerato, effudit:& eo, qui ex eius capite,cum fuit ſpinis acutiſsimis punctum, effluxit,inebria me diuino iſtius ſanguinis liquore, vt totus conuertar in eius amorem, qui pro me illum effudit.O amantiſsime IESV, qui in iſto calice ſanguinem tuum repoſuiſti, quem per clauorum vulnera, ſacris tuis pedibus & manibus inflicta, & per vulnus lateris lanceâ aperti effudiſti, a *quid* tibi *retribuam pro omnibus quæ retribuiſti mihi?* niſi *calicem ſalutaris accipiens*, ſanguinem tuum in eo contentum tibi offeram,ſanctum tuum nomen in eo glorificans, Amen. a Pſ.115

PVNCTVM II.

DEINDE cauſas cõſiderabo,cur Chriſtus Dominus noſter, hanc panis & vini in ſuum corpus & ſanguinem conuerſionem, voluerit eſſe ita *inuiſibilem*, vt viſibilibus tantum panis & vini accidentibus obtegeretur;qui ſi voluiſſet,facilè potuiſſet talem conuerſionem viſibilẽ effeciſſe; aut certè externum aliquod ſignum adhibuiſſe, quo magnitudo rei,quæ ſub illis continebatur appareret, ſed cur id non fecerit, duplex potiſsimùm fuit cauſa.

Cur corpus & ſanguis Chriſti in ſacramento ſint inuiſibilia.

PRIMA ex parte ipſius noſtri Seruatoris, quò ſe humilians, recens & continuum *humilitatis*,& heroicæ *patientiæ* nobis exemplum præberet:nã, vt in Incarnatione,qui filius erat Dei,*ſemetipſum exinaniuit, formã ſerui accipiens*, diuinitatis altitudinem humanitatis vilitate cooperiens, quam ob cauſam plurimi eum, quis eſſet non agnoſcentes, deſpexerunt; & tanquam purum hominem malè tractarunt: ita in hoc ſacramento,qui ſimul *Deus* eſt & *homo* verus, voluit eò ſe demittere, vt ſacramentalem illam figuram externam panis & vini accipiens, diuinitatis & humanitatis ſuæ altitudinem occultaret: quæ etiam cauſa eſt, vt multi eum, non agnoſcentes, contemnant, & malè habeant: & interdum, atque ſi merus panis eſſet & vinum, conculcent: quod tamen ipſe maxima tolerat patientia, nullo vel inſinuato vltionis indicio, vt hoc ab illo accipiamus exemplum. O humillime & patientiſsime IESV, gratias tibi pro hac rara humilitate,& patientia, quam exempli noſtri cauſa hic exerces: adiuua,Domine, vt ad imitationem tui occultem,quidquid vanum apud homines honorem mihi afferre poteſt, feramque patienter quemuis contemptum,& iniuriam mihi ab eis illatam. Clarifica noſtros oculos ſanctæ fidei lumine,vt credamus ac veneremur infinitam,quæ ſub iſto ſacramentali velo continetur, magnitudinẽ, ſiquidem quò magis te noſtri cauſa humilias,eò eſt magis rationi conſentaneum, vt te nos ampliùs exaltemus,& per omnia ſæcula laudemus: Amen.

I. Chriſtus ſe hic occultans Humilitatis & Patientiæ mirum præbet exemplum.

SECVN-

II. Fidei Exercitiū atque myſterium eſt hoc in Sacramento. 1. Cor. 10. Medit. Chriſti. Punc. 3. Maximum Chriſti miraculum quod fuerit vltima in nocte. Praxis Exercendi Fidem circa hoc Sacramentum. a Heb. 1. 3. b Cant. 5. 10 c Gen. 27. 27 d Ioan. 6. 51.

SECVNDA cauſa fuit ex parte noſtra, vt recens & continuatum heroicæ *fidei* exercitium haberemus, negantes omnes noſtros ſenſus & ratiocinationes, quas noſter intellectus, ex eiſdem fabricaret, ſubijcientes illum & captiuantes *in obſequium Chriſti*: qui propterea in verbis conſecrationis calicis hoc ſacramentum appellat *Myſterium fidei*, quaſi per excellentiam hoc nomen illi applicetur. Ideoque maximum, quod Chriſtus Dominus hac nocte edidit miraculum, fuit, (vt ſupra diximus) repentè mutare corda & intellectum Apoſtolorum, vt crederent, id, quod in ſuis manibus habebat, ſtatim atque verba illa protulit, HOC EST CORPVS MEVM, deſiiſſe omninò eſſe panem: & in eius, qui illa protulerat, corpus fuiſſe conuerſum. Et iuxta hæc, cum ſacrum Miſſæ audio, aut communico, aut ingredior Eccleſiam, optimum eſt actuare, & viuificare fidem, per omnes meos ſenſus, hac ratione diſcurrendo: credo Domine; quamuis *oculi* mei, panis colorem & figuram videant, non tamen panem verum, ſed te filium Dei viui a *ſplendorem gloriæ, & figuram ſubſtantiæ eius*, b *candidum & rubicundum, electum ex millibus*, iſtic eſſe. Credo, Deus meus, etſi meus *odoratus*, panis & vini odorem percipiat, ſub illis tamen eſſe te ipſum verum Iacob, c *cuius odor eſt ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Credo item quamuis *Guſtatus* meus ſaporem percipiat panis; & *Tactus*, mollitiem, & reliquas panis qualitates, iſthic nihilominus non eſſe terrenum panem, ſed te d *panem viuum qui de cælo deſcendiſti*, fontem omnis dulcedinis & ſuauitatis. O Saluator dulciſsime, illuſtra quæſo meum intellectum, ſicut illuſtraſti tuos Apoſt. vt fide viua agnoſcam infinitam pulchritudinem iſthic latentem, & ſuauiſsimo tuarum virtutum odore conforter, & deliciarum tuarum dulcedine nutriar ac recreer.

III. Chriſtus hic ſe occultās præbet nobis fiduciā cōmunicādi. Cur ſub ſpeciebus panis & vini, & non alterius rei, ſe præbet Chriſtus.

VLTIMA cauſa perpendi poteſt, vt noſtram *fiduciam* excitaret, adderetq; animum, vt accedere auderemus, tangere, in nobis recipere, & comedere. Niſi.n. ità ſeſe occultaret, quis hæc facere auderet? Ideoq; idem amor, qui effecit, vt nobiſcum maneret; eum impulit, vt ita ſe occultaret; quò arctiori vnitione ipſo frui liceret, dū intra noſipſos illum recipimus. O benedictus ſit talis amor, qui ſuæ granditatis oblitus, noſtræ ſe accommodat vilitati, ne aliàs viles vermiculi, à tanta maieſtate perterriti, eam fugerent.

PVNCTVM III.

TERTIÒ exquirendæ ſunt cauſæ, cur ſub ſpeciebus *panis* & *vini* potiùs quam ſub re alia ſpectabili nobiſcum manere decreuerit, quas ad noſtram ſpiritualem vtilitatem applicabimus.

PRIMA cauſa fuit, vt nobis coniungeretur non modò ſpiritualiter, quà *Deus* eſt; ſed corporaliter etiam, quà eſt *homo* idq; maxima, quæ eſſe poteſt, coniunctione: nihil eſt enim, quod magis intimè homini vniatur atq;

cibus

cibus & potus:qui non exterius adhæret, ſed per os intrans, ad ipſa viſcera penetrat,ibique cùm illis coniungitur. Et quoniam amor,vniendi vim habet amantem cum re amata , voluit amantiſsimus Iesvs, non ſolùm manere prope nos,ſed ad noſipſos intrare,& hac ſacramẽtali vnitione ſpiritualem illã efficere, quæ veri eſt & ſolidi amoris.O Iesv amantiſsime, quomodo non horres intrare in viſcera,adeò ſordidi & horridi corporis, atq; hoc eſt meũ!quis hoc Domine efficit,ſi nõ tui amoris magnitudo?quæ quò poſsit noſtræ vilitati coniungi, proprias ſuas granditates conculcat: cõiunge me tecum perfecta charitatis vnione,vt in ęternũ à te nõ recedã. | Cibus & potus arctiſſimè & intimè vniuntur homini; ſic & Chriſtus hoc in ſacramento.

Secvnda cauſa fuit, vt hac ratione nobis ſignificaret, ſe omnes eos *affectus* in *anima* noſtra efficere quos panis & vinum in *corpore* noſtro efficiunt.Nam ſua præſentia diuina & gratia , quam nobis in hoc ſacramento communicat,nutrit,conſeruat,& auget vitam noſtram ſpiritualem , dat robur,cor lætificat, peruerſo amoris proprij incendio reſiſtit, & dãna reparat,quæ ab ipſo nobis proueniunt:ac deniq; nos facit ſibi ſimiles,virtutes ſuas & proprietates nobis imprimens, ideoq; dixit ipſe,a *qui manducat me,viuet propter me*. His conſiderationibus, magnũ in me conabor excitare huius ſacramenti appetitũ,plurimi faciens, quantũ mea referat frequẽter illud ad animæ meæ ſuſtentationem ſuſcipere; ſicut eſt neceſſe corporalẽ cibum ſuis temporibus ſumere,vt corpus ſuſtentetur. O cibum cœleſtem!ô panem Angelorum ; & verè panẽ quotidianũ! ſi mihi daretur te quotidie ſumere, vt vitam per te ducerẽ diuinã!b *O vinum germinans Virgines*;& c *vinum lætificans cor hominis* ; veni , & puritate tua purifica animam meã,& tua lætitia lætifica ſpiritũ meum, & me totũ vi tui amoris inebria.

II. Panis & vinum quod præſtant corpori; hoc Euchariſtia animæ.

a *Ioan*.6.58.

b *Zac*.9.17.
c *Pſ*.103.15.

Tertia cauſa fuit,vt nobis ſignificaret,ſicut *panis* efficitur, ex multis frumenti granis contritis, & in maſſam vnam coeuntibus; vinumque ex multis vuarum granis calcatis & expreſsis:ita diuinum hunc *cibũ* & *potum*, corda requirere verâ charitate coniuncta ; ad quam multorũ fidelium in vno ſpiritu coniunctionem efficiendam dirigitur: propterea.n. *communio* appellatur, quaſi communis multorũ inter ſe, & cum Chriſto vnio,cuius ſpiritum omnes participant. Quare,ſi ad huiuſmodi communẽ vnitionẽ, neceſſe eſt,me permittere moli,calcari, & conculcari, mortificando in me quidquid habeo de veteri homine,debeo meritò ad id me prõptũ offerre,quò diuini huius cibi guſtata dulcedine,ipſi Chriſto coniungar.O Chriſte dulciſsime, qui tuum corpus coniunxiſti ſpeciebus panis,qui prius fuit molitus; & tuum ſanguinem vini accidentib. quod prius fuit calcatum & expreſſum; en Domine,me offero vt molar, & comminuar,& conculcer; quò tuum conſeruem amorem & coniunctionem concordiamque cũ meis fratribus,vt tu,Deus meus,digneris te mihi in hac vita,per copioſam gratiam coniungere,vt maneat perpetua hæc vnio in æterna gloria. Amen.

III. Euchariſtię Sacramentum quare dicatur cõmunio.

Oratio

MEDITATIO XIV.

DE SEX MYSTICIS REBVS QVAS in panis & vini conſecratione Chriſtus Dominus fecit, dixitq́;.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM primò, Chriſtum Dominum noſtrum extrema vultus grauitate, modeſta, ac deuota, quæ poſſet ſuis diſcipulis admirationem & reuerentiam adferre, *accepiſſe* ex menſa ſanctiſsimis & venerandis *ſuis manibus panem* vnum; quem, etſi in menſa manentem conſecrare potuiſſet, voluiſſe tamen ambabus manibus illum accipere, vt ea ratione oſtenderet, eiuſdem in corpus ſuum conuerſionem, opus eſſe omnipotentiæ & liberalitatis ſuæ; vnumque ex ſuis operibus meritoriis, quæ ipſius manibus ſignificantur.

Chriſtus Panem & calicem conſecrandos cur ſumat in manus.

I. a Ioan. 13. 3. Tranſſubſtantiatio quātæ potētiæ Chriſti ſit opus. b Pſal. 76. 11

PRIMVM enim erat opus *omnipotentiæ* ipſius, quà DEVS erat; & *Poteſtatis* Excellentiæ, quam habebat, quà erat *homo*, à Patre ſibi datam. a *quia omnia dedit ei Pater in manus*: quibus ſtupendam hanc effecit mutationem, ita, vt idem ipſe ſeipſum in propriis manibus totū & integrum haberet; manensq́ue ipſe in loco ſuo, totum tamen ſe & integrum, manus diſcipulorum traderet, vt ipſum comederent. O diuinæ potentiæ magnitudinē! ô b *mutationem dexteræ excelſi!* gaudeo, Saluator mi, quod manus tuæ adeò ſint potentes! muta me, Domine, & tranſmuta dextera tua, vt ſuperni huius panis virtutem recipiam.

II. c Pſ. 103. 27 & 144. 15. Quantæ & liberalitatis.

DEINDE infinitam quoque *manuum* ſuarum *liberalitatem* hic oſtendit: nam, vt teſte Dauide, c *omnia à Deo expectant, vt det illis eſcam in tempore opportuno: eoq́; aperiente manum ſuam, omnia implentur bonitate & benedictione*, ſic etiam liberaliſsimè cæleſtem hunc panem nobis dat, ambas manus aperiens, vt nos virtutibus & benedictionibus repleat. Quæ maior liberalitas eſſe poteſt, quàm vt ſe *totum* & integrum nobis tradat, nihil ſibi reſeruans, in pretium, alimentum & ſocium noſtrum, idq́ue totum omninò gratis, & nullo ſuo emolumento, ſed ſolum quod bonus ſit ac liberalis! Hac conſideratione, petam ſupplex ab hoc Domino, dari mihi ſanctiſſimas illas manus, quas exoſculer, ob tot beneficia, quæ in me confert, gloriam ei tribuens, propter ea quæ illis operatur.

III.

FVIT denique hoc opus manuum ipſius, quia ſuis meritis, & manuum ſuarum laboribus, *ſudoreque* ſui *vultus*, hunc panem lucratus eſt, quem de-

dit

Digitized by Google

dit nobis ad veſcendum; ſimul volens panem hunc non otioſorum hominum ſed laborantium, d *qui labores manuum ſuarum manducant*, cibum eſſe, *qui propterea beati ſunt, & benè illis eſt.* Quare ad eum edendum diſponere nos oportet bonorum operum exercitationibus; &, poſtquā ſumpſerimus, proſequi laborē manuum noſtrarum, in ipſius obſequio. O Adā cæleſtis; qui ſicut alter ille terrenus laboraſti, & ſudaſti, vt panē lucrareris, quē tuis filiis eſſes traditurus, laudo te & glorifico, quia mihi das gratis, quod tu tam caro pretio comparaſti, ac tanta tui defatigatione fuiſti lucratus. Iuſtum eſt, Domine, vt & ego laborem manibus meis, ne diuini huius panis indignus efficiar: ſcriptū eſt enim, e *quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet.*

Chriſtus panē hunc cæleſtē ſudore vultus ſui lucratus eſt.
d *Pſ.* 127. 2.
e 2. *Theſ.* 3. 10.

PVNCTVM II.

CONSIDERANDVM deinde, quod Chriſtus Dominus noſter *accipiens panem in manus ſuas*, eleuauerit *oculos* ſuos in cælum, vt ſignificaret, panem, quem dare illis diſponebat, non terrenum eſſe, ſed cæleſtem, panem Angelorum, & ſuperſubſtantialem, ab æterno ſuo patre datum, vt impleret, quod promiſerat in ſuo ſermone quando dixit, a *non Moyſes dedit vobis panem de cælo, ſed pater meus dat vobis panem de cælo verum. Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi.* Et ſic oculos leuat in cœlum, vt ſuos *diſcipulos*, & *nos* moueat, ad corda noſtra, cum magnis affectibus ſpei, charitatis, & puritatis leuanda, ſperantes cœleſtis noſtri patris, qui in cœlis eſt, cibum; eum petentes affectuoſa oratione & nos ipſos diſponentes, ad illum cum puritate vitæ cœleſtis accipiendum; facientes quod Eccleſia in Præfatione Miſſæ monet, *Surſum corda*; ad quod reſpondemus, *habemus ad Dominum.* O Pater noſter, qui es in cœlis, eleua corda noſtra, vbi tu es; & da nobis hodie panem hunc ſuperſubſtantialem, qui de cœlo deſcendit, vt vitam cœleſtem daret mundo.

I. Chriſtus ante conſecrationem cur Oculos eleuarit in cælum.
a *Ioan.* 6. 32 & 51.

STATIM *Gratias egit* æterno patri, pro tam inſigni beneficio, quod ipſius manibus mundo conferebat, dando ei hunc panem in cibum & nutrimentum: hac via nos docens, panē hunc magnis gratitudinis affectibus, ante & poſt ſumptionē elicitis eſſe comedendum: ideo enim appellatur Euchariſtia, quod ſignificat gratiarum actionem. O quàm feruentem gratiarum actionem fecerit Chriſtus in illa hora! nam ſi pro pane hordeaceo, quem dedit quinque millib. hominum in deſerto, gratias egit; quantò maiores, & maiori affectu plenas egiſſe credendus eſt, pro pane hoc cœleſti, quem dabat omnibus hominibus, in deſerto huius mundi! nam ad beneficij menſuram creſcit eius gratitudinis affectus. Et ſiquidem ego quantas debeo, agere non poſſum; offeram tamen quas ille patri ſuo egit, & ſacramentum recipiam, quod ipſe in hunc finem inſtituit.

II. Gratias cur egerit. Sacramentum hoc cur dicatur Euchariſtia.

Digitized by Google

III. Benedictionis Chriſt efficacia.

Hoc facto, *panem benedixit* ita vt non ſolùm patrem ſuum benedixerit benedictione laudum, & gratiarum actionis; ſed ipſum panem benedictione orationis, effectricis eius quod benedicebat. Nos benedicimus alicui rei deſiderio & oratione optantes ei bonum aliquod; & petentes à Deo vt illud donet: At Chriſtus Dominus noſter benedicit panem, non ſolum à Patre petens conuerſionem & tranſmutationem, quam ex eo facere cogitabat; ſed communicans ei virtutem diuinam, bonumque adeo grande imprimens, quale erat, illum in proprium ſuum corpus permutare, & facere principiũ & cauſam benedictionũ ſpiritualiũ, quæ per ipſum de cœlo deſcendunt ad noſtram ſalutem. O efficacitatem benedictionis Chriſti! benedic mihi, Saluator mi, ſiquidem tuum benedicere, eſt etiam benefacere; vt per te benedictus, perueniam ad Sacratiſsimũ hunc panem edendum; & particeps fiam benedictionum, quas per illum nobis tribuis.

IV. Fractionis myſteria.

Fregit præterea *panem*: quia non ſine magno myſterio integrum ex menſa accepit; quem frangens, *dedit ſuis Apoſtolis*: vt ſignificaret primùm, omnes *eandem eſcam manducare, & omnes eundem potum bibere*, ideoq; omnes vno eodemque amore coniunctos eſſe debere: quò omnes inter ſe vnũ eſſent: Item vt intelligeremus, panem illum poſſe diuidi, eo manente Integro, quod intus latebat: nam in quauis parte totum corpus erat, & in ſingulis bolis, quos ſingulis Apoſtolis dabat, tantum erat, atque in ipſo toto pane. Et denique, vt ſignificaret, diuinum hunc panem non eſſe integrum, & ita in confuſo comedendum; ſed fractum & comminutum meditatione, attentè cõſiderando, quidquid in eo latet, carnẽ videlicet ipſius Chriſti, ſanctiſsimam eius animam, ſanguinem pretioſum, eius diuinitatẽ, & omnia eius merita, & ſingula horum ſeorſim perpendere, idem eſt, atque panem hunc ſpiritualiter diuidere ad comedendum. O Redemptor mi, ego, vt paruulus, non ſcio panem hunc diuidere, nec non diuiſum debeo comedere: tu ergo illum mihi tua manu diuide; vt cum fructu illum comedam, præſentiens minutim, quod in eo continetur.

Pvnctvm III.

Expenſio verbi illius, *Dedit*.

VLtimò conſiderabo, Chriſtum Dominum, poſtquam panem fregiſſet ſuis diſcipulis dediſſe, dicentẽ: *Accipite & comedite*: Hoc Est Corpvs Mevm. In quo perpendendum eſt illud verbum: *deditq́; diſcipulis ſuis*. O pretioſiſsimum donum! in quo illis dedit, quidquid erat, & habebat; idq; ex mera gratia, quia propenſiſsimus eſt ad dandũ! O Charitatem infinitam! O bonitatem immenſam: quæ hic non ſe ſibi vult; ſed ſe vult vt nobis ſe donet! O dator liberaliſsime, da temetipſum mihi: ſiquidem & ego tuus ſum diſcipulus, & quamuis tale donũ nõ promereor;

ſed

ſed benè noui, te non hoc propterea nobis dare, quia illud promeremur; ſed quia tu bonus es, ac delectaris, tantum nobis bonum tribuens, quod omne meritum excedit.

Mox perpendam, tantam fuiſſe reuerentiam & æſtimationem Apoſtolorum, erga hunc diuinum panem, propter internum veræ fidei lumen, quod illis Chriſtus tribuerat: vt niſi illis dixiſſet: *Accipite, & comedite omnes*, non fuiſſent illi auſi, vel in manibus accipere: multò minùs comedere: ideoque neceſſe fuit illis hoc iuberi, ac dici: *Accipite* hunc panem: & attendite, nō dari vobis ſolum, vt exoſculemini, & adoretis, & ſuper capita veſtra illū ponatis, aut inſtar reliquiarū cuſtodiatis, ad veſtram conſolationem: ſed vt illum comedatis, & eo nutriamini. *Comedite omnes*, nemo ſe prætextu humilitatis excuſet: trado enim illum pro vobis omnibus, qui verè eſtis mei diſcipuli: nec ſolùm præſentibus, ſed etiam vſque ad finem mundi futuris. O dilecte mi, ſiquidem iubes me, diuinum hunc cibum comedere: ego accipiam & adorabo, & poſtmodum ex obedientia comedam, vt dulci tua præſentia fruar ſperans te miſericordiæ & liberalitatis tuæ abundantia ſuppleturum indignitatem meam.

Apoſtoli præ reuerentia & æſtimatione non comediſſent panem hunc cæleſtem, niſi Chriſtus iuſſiſſet.

Oratio.

MEDITATIO XV.

DE POTESTATE, QVAM CHRISTVS DOminus dedit Apoſtolis, vt facerent idem, quod ipſe fecerat, & quam nunc etiam habent Sacerdotes ad conſecrandum & offerendum corporis & ſanguinis Chriſti ſacrificium.

PVNCTVM I.

S.Tho.3.p. q.81.a.1. & in Additio 4.

CONSIDERANDVM eſt primò, Chriſtum Dominum noſtrum, poſtquam hoc Sacramentum inſtituiſſet, dixiſſe Apoſtolis ſuis: a *hoc facite in meam commemorationem*. Ex quibus verbis ſatis conſtat, dediſſe illis poteſtatem idem faciendi, quod ipſe fecerat, conuertendi videlicet panem in corpus ipſius, & vinum in ſanguinem eius, præcipiens tam ipſis, quàm Sacerdotibus, eis in dignitate ſacerdotali ſucceſſuris, vt hoc ipſum facerent eo modo, quo ipſe fecit.

a Luc. 22. 19 a 1. Cor. 11. 24.

Poteſtas conſecrandi eſt à Chriſto relicta Eccleſiæ.

I.

CIRCA hoc adeo beneuolum mandatum, in primis conſiderabo infinitam Chriſti Domini *Charitatem*, qua non Angelis cœli, ſed hominibus

Sacerdotalis hæc poteſtas quanta.

in terra degentibus dederit poteſtatem, ſupra verum ipſius corpus & Sanguinē: vt illi, inquam, ipſius nomine & eius perſonam gerentes, veriſsimè dicere poſsint ſuper panem: HOC EST CORPVS MEVM; & virtute horum verborum, conuertere panem in corpus ipſius Chriſti, ſicut ipſemet Chriſtus conuertit, tanta miraculorum multitudine, vt excedant illa, quibus cæcis viſus, ægrotantibus ſanitas, ac mortuis vita fuit data. O amantiſsime IESV, quid amplius facere potuiſti, quam feceris pro hominibus, talem illis tribuens poteſtatem, quæ omnem Angelorum dignitatem, excedat? b *minuiſti eos paulò minus ab Angelis, quos tamen conſtituiſti ſuper opera manuum tuarum.* Et nunc amplius eos exaltas, poteſtatem illis concedens, vt Corpus & Sanguinem tuum è cælo ad manus ſuas proprias deducant. Omnes tuæ creaturæ, te Domine, ob tantum beneficium benedicant; & anima mea, cum ſuis omnibus potentiis, vt à tuis laudibus nunquam deſiſtat, Amen.

b *Pſal. 8. 6.*

II. Templorũ & ſacerdotum multitudo, Chriſti liberalitatem denotant

SED eſt quod vltra in *liberalitate* infinita diuini huius Domini perpendatur: vt qui noluerit hanc poteſtatem, ad certum numerum perſonarũ, locum, aut tempora certa, limitare; quò omnibus liceret, ſanctiſsimi huius Sacramenti fructu copioſè frui. Potuiſſet ſtatuere, ne in toto mundo, niſi vnus eſſet Sacerdos, aut vnus in ſingulis prouinciis, aut in ſingulis ciuitatibus; aut ne Sacerdotes, corpus eius & ſanguinem conſecrare poſſent, niſi ipſi valdè eſſent Sancti; aut quod hoc Sacramentum, ſicut, c *Agnus ille Paſchalis*, non niſi in deſignato aliquo loco, & ſemel tantum in anno conſecraretur. Sed eius liberalitas, his terminis & limitibus noluit contineri; ſed plenam dedit facultatem, vt plurimi eſſent Sacerdotes, qui etſi improbi, omni tamen tempore, & loco, quotidie in ſingulis templis, & cuiuſuis etiam pagi Oratorijs, hoc ſacramentum conficerent. O Saluatoris noſtri immenſam liberalitatem! nunquid Domine noſtram conditionem ignoras? qua, niſi quod pretioſum eſt, ſit etiam rarum, ſtatim illud parui facimus? cur igitur tot vis eſſe ſacerdotes, cum plena poteſtate, adeò frequenter, venerandum hoc Sacramentum celebrandi? Sed amor tuus ſine modo eſt, & menſura; qui, vt bonis beneque tuis donis vtentibus benefaciat, diſsimulat, ac ſuſtinet, quod multi mali, eadem dona parui faciant. Vtinam omnes ſine modo & menſura, in tuis obſequiis liberales & prodigi eſſemus; ſiquidem ſine modo & menſura, tua nobis dona adeò indulgenter communicas.

c *Exod. 12. 46.*

Oratio

III. Sacerdotis voci obedit Chriſtus.

SED multò adhuc plus eſt perpendendum, in hac infinita *humilitate & obedientia*, quam oſtendit IESVS Chriſtus Dominus noſter, ad vocem cuiuſuis Sacerdotis: nam ex hoc nunc obſtrinxit ſe, vſque ad mundi finem, deſcenſurum ad vocem Sacerdotis ſine nulla mora, quando ille conſecraret, in quocunque loco, & tempore id faceret: & quamuis impius ille

eſſet, & peruerſa intententione, ad illum verbi gratia conculcandum, aut in ignem proiiciendum, conſecraret: omnia hæc tolerans in gratiam & in bonum electorum. O immenſum charitatis Chriſti pelagus? fieri ne poteſt, vt ipſe d *DEVS voci hominis obediat*, & non ſancti alicuius, vt erat Ioſue, ſed etiam peruerſi ſicut Iudas? & ſe tractari ſinat à manibus ſanguinariis, ſeque tot ac tantis abiectionibus ſubijciat? O Domine, quàm geris addictum animum humilitati & obedientiæ, qui adeò illuſtre vtriuſque exemplum nobis quotidie exhibes. Ex quo diſcam obedire Prælatis, in omnibus licitis, quæ iniunxerint: etiamſi improbi illi ſint, & peruerſam habeant intentionem: eorum inquam, iuſsis obtemperabo ad nutũ, promptè, & conſtanter vſque ad mortem; non deſiſtens ab obedientia: ſicut nõ deſiſtit Chriſtus implere, quod ſemel ſe facturum promiſit. d *Ioſu. 10. 14*

PVNCTVM II.

CONSIDERABO deinde, Chriſtum Dominum, eiſdem illis verbis mandaſſe Apoſtolis, & Eccleſiæ ſuæ ſanctæ Sacerdotibus, offerre hoc ſacrificium corporis & ſanguinis ſui, quod ipſe ſub accidentibus panis & vini inſtituit, loco ſacrificiorum antiquæ legis. perpendenda etiã eſt, ſacrificij huius *excellentia*, & *bona*, quæ ex eo nobis proueniunt.

Sacrificiũ miſſæ excellentia & vtilitas.

I.

PRIMVM, Sacrificium eſt *oblatio*, quam homo facit Deo, rei alicuius ipſi gratæ, vt illum reuereatur & colat, in ſignum infinitæ eius excellentiæ & maieſtatis. Quid autem æterno PATRI offerri poteſt, quod magis ſit pretioſum, magiſque illi placeat, quam ipſiuſmet filius, qui verus eſt Deus & homo, de quo ipſe dixit: a *hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui*. O quantum tibi debemus, Saluator mundi, quòd nobis in Sacramento & Sacrificio, dederis rem pretioſiſsimam, quam poteras nobis dare, temetipſum videlicet: & ne oblatio, etiamſi pretioſa, reiiceretur, eò quòd eſſet improbus, qui illam offerret; tu ipſe principalis eſſe voluiſti, qui illam offerres, ſicut b *Sacerdos æternus ſecundum ordinem Melchiſedec*: offerens panem hunc, & vinum cæleſte, manibus ſacerdotum terrenorum.

Sacrificii definitio.

a *Matt. 3. 17*

b *Pſa. 109. 4* *Hebr. 7. 17.*

DEINDE perpendam, Sacrificium hoc eminenter eſſe cauſam *trium* effectuum, in quos diriguntur Sacrificia, in *ſatisfactionem* videlicet noſtrorum peccatorum; in *gratiarum actionem*, ob accepta beneficia; & ad *impetrandum* ab eo *bona*, quæ cupimus, tẽporalia vel æterna. Propter hos fines intereſſe debeo Sacro; aut illud celebrare: extendendo, quantũ fieri poterit, fiduciæ vela: Sufficiens .n. ad hæc omnia eſt in eo fundamẽtũ, vt confidã, per ipſũ placari irã æterni Patris; & meorũ peccatorũ debita eidẽ reddi ac virtutes & dona, quę petiuero, impetrari. Charitate verò, hoc totũ extẽdã ad bonũ proximorũ, ſiue viuẽtiũ, ſiue vita functorũ qui ſunt in Purgatorio: quia omnib. prodeſſe poteſt. Quo verò magis fiduciã meã excitẽ, mi-

II.

Sacrificij Miſſæ effectus, ſiue fines.

hi ipſi

hi ipſi dicam: quæ adeo grauia ſunt peccata, quorum remiſsio non impetretur, diuino hoc corporis & ſanguinis Sacrificio, quod ipſe in ara crucis pro omnibus peccatoribus obtulit? Quæ item pœnæ, grauioribus noſtris culpis debitæ, non hac ſolutione ſoluentur, ſi quas Chriſtus Dominus ad earum ſatisfactionem obtulit, offerantur? Et quæ denique bona à Deo peti poſſunt, quæ non impetrentur hac media oblatione, in qua ſibi ſumme complacuit? O Pater æterne, ſi adeò tibi grata fuit innocentis Abelis oblatio, quem inuidia fratris eius Cain occidit; multò magis placebit oblatio innocentiſsimi filij tui IESV, quem fratris ſui populi ſcilicet Hebræi, occidit inuidia; qui vitam ſuam obtulit, vt morte ſua vitam nobis adferret! Accepta ô Pater benigniſsime, hoc ſacrificium in remiſsionem meorum peccatorum; accepta item in gratiarum actionem, propter innumera beneficia, quæ à munificentiſsima tua manu accepi; & propter illud ſupplico dari mihi hic copioſam gratiam, & poſtea vitam æternam. Amen.

PVNCTVM III.

I. Chriſtus duplex obtulit ſacrificium: cruentum in cruce: incruentū in cœna. Sacrificiū incruentum ſiue Miſſæ, eſt memoriale Paſsionis.

CONSIDERANDVM hic etiam, in eiſdem verbis commiſiſſe Chriſtum Dominum noſtrum hæc fieri *in memoriam* ſui, præcipuè autem ſuæ paſsionis & mortis: perpendam autem, Chriſtum *duplex* ſacrificium noſtri cauſâ obtuliſſe: *Alterum* cruentum in cruce, *alterum*, incruentum in ipſa cœna: & hoc voluit eſſe in alterius memoriam: vt hinc diſcamus, quanti ipſe faciat, ſui, paſsioniſque ſuæ ſacratiſsimæ memoriam, recentem apud nos eſſe, ob commodum, quod ex ea nobis proueniet: ſiquidem hanc ob cauſam hoc ſacrificium & ſacramentum inſtituit, vt ipſe in eo apud nos manens, hanc memoriam in nobis excitaret & permoueret ad exercendos tres actus gratitudinis, recognoſcere videlicet & magnifacere ipſum beneficium; laudare ipſum benefactorem; & aliquod ei obſequium exhibere.

II. Eſt ſacrificium gratiarum Actionis & Laudis.

AD hæc eſt perpēdendū, quoties Deus Dominus noſter inſigne aliquod beneficium ſuo populo conferebat, ſtatuiſſe aliquid faciendum in *gratiarum actionem*, eò quòd plurimùm noſtra referat gratos nos illi pro acceptis exhibere, quò nos, ad noua alia recipienda diſponamus. Et quoniam pro hoc Paſsionis eius beneficio, ac cæteris donis, quæ ab eo nobis proueniunt, non poterant homines ſe ſatis gratos exhibere; voluit ipſe hunc noſtrum defectum ſupplere, ſeipſum faciens noſtram oblationem, vt eam ipſimet pro collatis in nos donis offerremus. Et quoniam ipſamet oblatio eſt nouum quoddam beneficium, non eſt aliud medium, quo pro eo nos gratos exhibeamus, niſi eâdem memoria munificè & liberaliter illud

frequen-

Digitized by Google

frequentare, procurando aſsiſtere quotidie venerando huic ſacrificio; & ſpiritualiter diuinum hoc ſacramentum accipere; & ſuis etiam temporibus ſacramentaliter ſicut alibi diximus. O dulciſsime Saluator ſiquidem ad hoc nobiſcum manere voluiſti, vt noſtram memoriam excitares, concede mihi tui ſemper eſſe memorem, ſicut tu mei memor fuiſti: vt ſemper te laudem ob innumera, quæ mihi contuliſti beneficia. Amen.

1. Part. Meditat. 33. & 34.

VLTIMÒ perpendam, Chriſtum Dominum noſtrum, etiam velle, vt celebremus hoc myſterium, in *memoriam* heroicarum *virtutum*, quas tum in vita ſua, tum in morte ipſe exercuit, quarum venerandum hoc Sacramentum eſt viuum quoddam exemplar: nam, vt ipſe venit in mundum, non ſolum vt nos redimeret, ſed etiam vt virtutum exempla, quæ ſequeremur præberet; ita deſcendit ad hoc ſacramentum, non ſolum, vt nos ſanctificet; ſed etiam vt eadem exempla renouet, quæ, quod ſint præſentia & continuata, efficacius nos moueant ad ſui imitationem. Licet itaque imaginari, eum inde nobis hæc dicere: a *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*: b *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*. Hæ virtutes ſunt *Charitas, Miſericordia, Liberalitas, Humilitas, Patientia, Manſuetudo, & Obedientia* prompta ad nutum, & cum perſeuerentia, in his omnibus vſque ad finem mundi, ſicut in hac ipſa Meditatione & præteritis diximus; in *ſexta* verò *Parte* fuſius etiam hæc dicentur, ad explicandũ quidquid pertinet ad ſupremum hoc beneficium. Imitatio harum virtutum debet eſſe potiſsimus fructus, quem ex his meditationibus eliciamus ſupplicantes Domino noſtro, vt ſit nobis auxilio, ad eas reipſa exequendas. O Deus virtutum, qui memoriam feciſti mirabilium tuorum dans te ipſum eſcam timentibus te, concede mihi ita hæc myſteria meditari & recipere, vt clariſsima tua imiter exempla. Amen.

III. Sacrificio hoc eſt Sacramentum ut ad imitationem virtutum Chriſti

a Ioan. 13.15
b Mat. 11.29
Meditat. 11 & 13.

MEDITATIO XVI.

CHRISTVS IN COENA DIXIT APOSTOLIS, quia vnus veſtrum me traditurus eſt; & Iudas, ad id ſcelus perpetrandum, exiuit ab eis.

PVNCTVM I.

DISCVMBENTE IESV a *cum duodecim diſcipulis ſuis, & edentibus illis*, b *turbatus eſt ſpiritu, &* magno ſenſu *proteſtatus eſt, & dixit: Amen Amen dico vobis, quia vnus ex vobis* c *qui manducat mecum & a intingit mecum manum in parobſide, tradet me*. Et d *filius quidem*

a Mat. 26. 21.
b Ioan 13.21
c Luc. 22. 21
d Marc. 14 18.

hominis vadit ,vt moriatur;*ſicut ſcriptum eſt de illo:væ autem homini illi,per quē filius hominis traditur:bonum erat ei,ſi natus non fuiſſet homo ille.*

I.
Chriſtus turbatur Spiritu ob Iudæ improbitatem.

Primvm conſiderandum hic cauſam *turbationis* & interni Chriſti ſēſus fuiſſe quod *Iudam* videret inter ſuos hominem peruerſum, *impœnitentem* ,& reprobatum : qui,etſi ſolus eſſet,ſufficiebat tamen ipſum turbare,contriſtare,ac eius diluere gaudium,quod cum tot bonis & electis habebat:non quod ipſe hominem,propter ſeipſum odiſſet; ſed quòd ſūmè deteſtaretur eiuſdem iniquitatem ;& nominatim *ingratitudinem*, ad tanta accepta beneficia,quam voluit ipſe Dominus grauiſsimè aperire, cùm dixit:*vnus ex vobis* ,quem ego in Apoſtolum meum elegi,cui mea ſecreta patefeci , & poteſtatē dedi patrādi miracula , cuius pedes nūc laui,corpus meum ad edendum , ſanguinem verò ad bibendum , dedi,& *mecum intingit manum in parobſide*,& ex eodem calice bibit : *hic me traditurus eſt* in mortem.O bone Iesv,non mirum,te ſpiritu turbari, & ſponte accipere hanc turbationem & triſtitiam,cuius horrendum adeò crimen eſt motiuum & cauſa!

Oratio.

pœnitet me,Domine,cauſæ ,quam ego, ingratitudine mea,tuæ triſtitiæ præbui,ſed auxilio tuo ſtatuo certo, me velle emendare.

II.
Chriſtus quare declaret ſe noſſe Proditorem.

Deinde perpendēdæ ſunt cauſæ,ob quas Chriſtus Dominus noſter hæc verba coram Apoſtolis omnibus dixerit.Prima enim fuit, vt omnes intelligerent,ipſum eſſe Devm, & omnium *corda cognoſcere* , & quid aduerſum ſe machinarentur : quæ notitia,circumſtantia quædam erat, eius labores aggrauans , iuxta illud Sapientis; *qui addit ſcientiam, addit & laborem*:Quia tamen notitia non ad vltionem ſuorum inimicorum vtebatur;ſed vt plus in ſuis laboribus pro illis pateretur.Secvnda cauſa,eáque valde ſingularis, fuit eius de Iuda *commiſeratio* :Cupiebat enim eum reducere ad meliorem mentem *tribus* ad id *rationibus* adductis, efficaciſſimis ad quemuis peccatorem conuertendum.

Chriſtus quærit Iudā conuertere.
1.
Deo nil occultum.
2.
Deceptionem oſtendit.

Prima ratio fuit,qua illū monuit,ſe conſcium eſſe occultarum eius cogitationum & operū iniquorum:ac propterea,ſe Deum eſſe,& iudicem ipſius, cui nihil eſſet occultū, Secvnda qua eius diſſoluit deceptionem,cui peccatum illius innitebatur,vt enim ſupra inſinuauimus,Iudas ſcelus ſuum ſic excuſabat:quod ſiquidem Christvs Dominus,tunc temporis erat moriturus per manus perſequentium Iudæorum , non multum illi noceret ipſe eiſdem illum tradens;vt poſſet quoque aliquod inde emolumentum accipere.huic inquam Iudæ cogitationi & excuſationi reſpondit Christvs : *filius quidem hominis vadit,ſicut ſcriptū eſt de illo,veruntamen væ homini illi per quē tradetur*:atque ſi clarius diceret:decretum patris mei,de morte mea,non te cogit,vt me in mortem tradas;liberum enim tibi manet,id non facere:quare quod facere velis,id tu tuæ culpę tribuas.Tertia ratio fuit,horren-

Digitized by Google

das illi minas propoſuiſſe: *bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille*, quã tali ſe culpa maculare, propter quam ad æternum ignem damnatus, optabit ſe non eſſe, ne talibus tormentis crucietur: quòd tamen illi non concedetur. His tribus rationibus permotus, ego contremiſcam ad quoduis lethale peccatum; ſiquidem nec occultari illud Deo poteſt; nec alteri cauſę quam peruerſæ meæ voluntati tribui: eſtque adeò grande malum, vt pręſtaret non eſſe, quàm, propter illud admiſſum, æternùm damnari.

1. Minas proponit

PVNCTVM II.

Apoſtolo. cõtriſtatio

DEINDE cõſiderandũ, quid cæteris Apoſtolis, ex hac Chriſti ſẽtẽtia euenerit, quidque ipſe Chriſtus circa hoc effecerit. PRIMVM enim a *contriſtati valde cœperunt ſinguli dicere, nunquid ego ſum Domine?* In quo apparet, bonarum eſſe mentium, *culpam timere*, etiam vbi non eſt: nam ob amorem, quo Deum diligunt, adeò peccatum aduerſantur, vt nec eius vmbram videre, nec veſtigium eius vllum in ſe inueniri, audire vellent. Vtinam adeò cordi meo Chriſti amor eſſet infixus, vt vel ea cogitatione tremerem, quod poſſem illum aliquando offendere.

I. a *Matth.* 26. 22. Mens bo. timet culpam.

DEINDE Chriſtus Dominus noſter, conſueta ſua charitate & prouidentia, noluit proditorem, qui adhuc erat occultus, nominatim promulgare; ne etiam occaſionem Apoſtolis daret, turbationis & iræ contra eum hoc exemplo nos docens: tum, quod in nobis eſt *occultare* proximorũ peccata; quamuis mox alia via ſint manifeſtanda; tum etiam omnem diſcordiarum & turbationis occaſionem in communitate, in qua ſumus, remouere. Solum autem hominem patefecit duabus perſonis, quarum VNA fuit ipſemet Iudas, qui, vt ſuum delictum occultaret, impudentiſsimè vt alios interrogantes audiuit, interrogauit & ipſe: b *nunquid ego ſum Rabbi?* At Chriſtus Dominus abſque vlla in impudentem hominem indignatione, aut iniuria vlla prolata, manſuetiſsimè voceque ita ſubmiſſa, vt alij nõ audirent, c *ait illi: tu dixiſti*. Atque ſi diceret, tu es qui me trades; & propter te hæc omnia dixi: adhuc eſt tibi tempus pœnitendi, ſi vis: & ego tibi remittam. ALTERA fuit perſona, dilectus Ioannes, qui ſuper eius pectus recumbebat, vt eſſet teſtis charitatis, qua erga Iudam vtebatur: dixitque illic *ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero: & cum intinxiſſet panem, dedit Iudæ Simonis Iſcariotæ*. Eſt autem credendum, dediſſe illi panem comiter valde magniſque amoris ſignis, ſicut mater ſolet filio, aut amicus amico ſibi familiari & dilecto: vt hinc appareat, quouſque peruenerit charitas Chriſti, qui etſi turbatus, & contriſtatus fuiſſet, ob huius hominis ſcelus & proditionem, non propterea deſtitit indicia illi amoris oſtendere; vt à malo propoſito reuocaret. Gratias tibi Saluator benigniſsime, qui

II.

Proximorũ peccata occultãda ſũt.

III. Duabus perſonis patefecit. b *Matt.* 26. 25.

c *Ioan.* 13. 26

d *Prou.25.26.*

non ceſſas nec deſatigaris d *prunas congregare ſuper caput eius*, qui adeò te odit, adeò beneuole bolum intinctum ei porrigens, quo eius cor emolliretur, & ad mentem rediret.

PVNCTVM III.

CONSIDERANDVM tertio, infelicem Iudam accepiſſe quidem bolum de manu Chriſti Domini, ſed cum magna in propoſito ſuo malo pertinacia, & obſtinatione: atque ſi diceret intra ſeipſum, etiamſi amplius mihi indulgeas, ego tamen te tradam & pecuniam recipiam quam propter te perdidi. In pœnam autem huius obſtinationis *duæ* horrendæ *pœnæ* illum ſunt ſubſecutæ.

I. Bis ſatanas Iudam ingreſſus a *Luc.22.3.* b *Matt.26.14.*

PRIMA pœna fuit, quod permiſſus fuerit Satanas poſt bolum in illum intrare. Bis autem Satanas ingreſſus eſt in Iudam. PRIMVM, vt ipſum induceret ad vendendum Chriſtum Dominum, cuius ſuggeſtioni acquieſcens *abijt* a vt ſuperius eſt dictum b *& locutus eſt cum Principibus ſacerdotum dicens: quid vultis mihi dare: & ego eum vobis tradam?* DEINDE, vt proditionē ſuam diligenter exſequeretur, vrgens eum, vt è cœnaculo egrederetur, & pergeret executioni mandare traditionem, quam fuerat machinatus. Hoc autem accidit illi, poſtquam intinctum bolum acceperat: vt hinc diſcamus, quàm ſit periculoſum delitijs Dei, & ſignis amoris eius erga nos abuti; ac porro periculoſiſſimum, male diſpoſitum, & cum aliquo peccato lethali, panem hunc vitæ accipere, intinctum in ſanguine pretioſiſſimo, qui in ipſo continetur, nobiſque ſignum perfecti amoris Chriſti erga nos datur. Nam in pœnam huius temeritatis & ingratitudinis, poſt ipſum bolum, ingreditur Satanas, & cordis capit poſſeſſionem, quod poſtea ad innumera & horrenda peccata inſtigat & vrget.

II. Deſerit Chriſtus Iudam c *Ioan.13.27.*

SECVNDA pœna fuit, quod ei dixit Chriſtus: *quod* c *facis, fac citius,* quod perinde fuit, atque illum deſerere, & in ſua manu illum relinquere, permittendo peruerſam ſuam voluntatem implere. Atque ſi diceret: hactenus te in comitatu meo, & in hoc cœnaculo te retinui ſæpe tibi indulgendo, & gratijs ac fauoribus te proſequendo, quo te peccati tui pœniteret: ſed quandoquidem tu id non vis, manum ego meam à te ſubtraho, & exire permitto, vt quod tu deſideras, exſequaris: ac propterea *quod facis, fac citius*; nam ego magis appeto mori, quā tu me tradere ad mortē.

Oratio

O charitatē IESV immēſā! ô duritiē Iudæ diabolicā! quātūuis deſideret Iudas Ieſū vēdere multo āpliꝰ IESVS vēdi deſiderat, tradique ad mortē, vt ipſū etiam Iudā ſaluet, at cum iniquitas eò peruenit, vt reſiſtat caritati, accedit ſoror eius iuſtitia, vt iniuriam vlciſcatur, iudicatque deſerendum eſſe eū, qui obſtinate curari voluit, iuxta illud Paophetæ, *curauimus* d *Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam*. Tu igitur anima

d *Ier.51.9.*

me

mea, *miſericordiam c & iu-icium Deo tuo canta*: vt ſi miſericordia te non inclinauerit ad bonum, iudicium retrahat à malo, & extorqueat timor iuſti iudicis, quod non obtinet amor patris miſericordis. c *Pſal*. 101.

PVNCTVM IV.

PERPENDENDVM quartò, hac permiſsione Chriſti Domini, a *continuò exiuiſſe Iudam* ex cœnaculo, *& Chriſtus Dominus dixit: nunc clarificatus eſt filius hominis: & Deus clarificatus eſt in eo, ſi Deus clarificatus eſt in eo, & Deus clarificabit eum in ſemetipſo & cõtinuò clarificabit eum*. a *Ioan*. 13, 30

I. Exeunte Iuda, ſchola & grex purus, & ſanctus remanſit.

HIS verbis duo, quæ magnam conſolationem nobis afferre poſſunt, nos Chriſtus docere voluit. PRIMVM eſt, quod exeunte Iuda, ipſe maneret glorificatus, eò quòd eius ſchola & grex, purus remaneret & ſanctus ſicut fiet in die Iudicij, cùm ipſe valdè glorificatus, ad iudicandum veniens, malos ſeparabit de medio iuſtorũ & electorum. Sicut ergo ipſe Chriſtus turbatus, & contriſtatus fuit, quod Iudam inter ſuos electos videret; ita nunc exultauit, & glorificatus eſt, videns illum diſceſsiſſe. O ſi talis eſſem, vt Chriſtus glorificaretur, me in ſancta ſua ſocietate permanente. Ne Domine, patiaris eò vſque peccata mea peruenire, vt honor tibi ſit & gloria me ab ſchola & ſocietate tua expellere.

II. Exitus Iudę Paſſioni dedit initium.

ALTERVM fuit, quòd illo Iudæ exitu, initium iam dabatur paſsioni, propter quam ipſe Chriſtus erat glorificatus: gloriam enim ſuam ipſe reputabat, mori pro gloria Patris ſui; & Deus glorificabatur in ipſo; & ipſum erat glorificaturus: tum miraculis multis in paſsione, tum gloria reſurrectionis. Ex quo intelligimus, quibus oculis Chriſtus Dominus noſter ſuas ignominias aſpiceret; quas gloriam ſuam appellat; quibus etiam oculis aſpiciat ſuorum electorum cotemptus, in quibus ipſe glorificatur, & propter quos, illos ipſe glorificat, ſummoque honore afficit: vt ex hoc ego diſcã b *gloriari in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs* pro Chriſto, qui glorificatur dum ego patior, & propterea ipſe me glorificabit. Quare c *gloriare*, anima mea, cum Apoſtolo, in tribulationibus, & *in cruce Domini noſtri* IESV *Chriſti*: in eis ſiquidem & per eas Chriſtus glorificatur: cui ſit honor & gloria in ſecula. Amen.

Gloriandũ in tribulatione. b 2. *Cor*. 12. 10. c *Gal*. 6, 14.

MEDITATIO XVII.

DE CONTENTIONE APOSTOLORVM, QVIS *illorum videretur eſſe maior, quos Chriſtus corripuit ac præmonuit ſcandali, quod illa nocte erant paſſuri, & prædixit Petro, quòd ter eſſet ipſum negaturus.*

PVNCTVM I.

POSTQVAM dixit Chriſtus: *nunc* a *clarificatus eſt filius hominis, & Deus continuò clarificabit eum*: Mox eructauit in Apoſtolis ſpiritus ambitionis, & b *facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior.*

a *Ioan.* 13. 31
b *Luc* 22. 24.

Ambitionis viuacitas.

HIC ſtatim apparet acumen & viuacitas huius paſsionis honoris, quæ ſtatim in omni occaſione erumpit: nam qui paulò ante triſtabantur audientes, quia vnus veſtrum me traditurus eſt; nunc inter ſe contendunt, quis eorum videatur eſſe maior; quis ipſi Magiſtro familiarior; & potiorem ac honoratiorem locum apud eum ſit habiturus. Chriſtus autem Dominus noſter mox illam contentionem eiuſq; originem, & radicem interrupit, dicens *primum*: multò aliam eſſe rationem agendi in ſua *ſchola*, quàm agatur in *mundo*, & inter Reges gentium; nam *qui maior eſt*, inquit, *in vobis fieri debet ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator nam & ego in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat*, omnibus in humilitate ſeruiens; ſicuti alibi perpendimus. Quos tamen vt animaret, adiecit: *vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis*: relicta igitur præcedendi contentione, conſtantes potiùs eſtote, vt pergatis mecum permanere; *nam ego* teſtamento *diſpono vobis*, *ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum.* Vt ſcilicet per humiliationes & tribulationes, ad regnum meum perueniatis, ſicut & ego per eaſdem, eò ſum peruenturus. O dulcis IESV, ego accepto legatum regni tui, etiam cum pacto perſeuerandi in tribulationibus & laboribus, obſequij tui cauſa. Adiuua me, Domine, vt tecum perſeuerem, ne coronam amittam. Hinc diſcam, ſi quando contentionem aliquam eſſem cum alijs habiturus, eam non de excellentia, ſed de abiectione eſſe debere: eò quòd optem ego infimum locum; & omnibus ſubijci: nam hæc via eſt perueniendi ad excelſiorē locum in Regno CHRISTI.

Eius efficax Medicina, eſt cogitatio Humilitatis Chriſti.

Medita. 23. 3 *parte.*

Et memoria vocationis noſtræ.

PVNCTVM II.

DEINDE conſiderandum: Chriſtum Dominum noſtrum triſtia alia, & ingrata noua ſuis Apoſtolis dixiſſe: a *Omnes*, inquit, *vos ſcandalum patiemini in me, in iſta nocte: Scriptum eſt enim*, b *percutiā paſtorem, & diſpergentur oues gregis*, a *poſtquam autem reſurrexero præcedam vos in Galilæam:* Atque ſi dixiſſet, vos, quos ego hactenus fauoribus & indulgentia adeò ſum proſecutus, ſcandalizabimini in me hac nocte; cum videbitis quæ mihi euenient; & me deſerentes, fidei iacturam aut omni-

a *Mat.* 26. 31
a *Marc.* 14. 27.
a b *Zach.* 13. 7.

nõ facietis, aut hærebitis dubitantes de ea: ne tamen propterea animum abijciatis; ego enim reſurgens, & præcedens vos in Galilæam, iterum recolligam. Hæc dixit illis Chriſtus, partim vt illos humiliaret, & *ambitionis* fumos faceret euaneſcere, propoſita illis propria ipſorum imbecillitate, ac timiditate, in quam eſſent deuenturi; partim verò, vt hac admonitione eos præueniret, ne deſperarent, aut animo eſſent deiecto, propter illum lapſum; promittens illis, ſe illos viſitaturum. Ex vtroque capite documentum accipiam, ita in timore viuendi, ne ſcandalizatus Chriſtum relinquam; nec tamen deſperem, ſi quando reliquiſſe contigerit: quandoquidem adeò ſe benignum, ad me recipiendum, oſtendit.

Cur Chriſtus Apoſtolis prædixerit lapſum ipſorum.
1. Vt ambitionis æ orbum curaret.
2. Vt ad ſpem veniæ erigeret.

Respondens *autem* a *Petrus ait illi: etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor,* b *quia tecum paratus ſum, & in carcerem, & in mortem ire;* c *quia animam meam pro te ponam.* In his verbis oſtenditur feruorẽ, qui nõ ſit cum humilitate coniunctus cauſam eſſe multorũ errorũ. *Tres* autem hîc admiſit Petrus.

a *Matt.* 26. 19.
b *Luc.* 27. 33
c *Ioan.* 13. 37
Feruor ſine humilitate facilè errat & impingit.
Petrus errauit tripliciter.

Primvs fuit, quod Chriſto Domino *contradixit*: quo viſus eſt aliquo modo non adhibere fidem ijs, quæ Chriſtus dixit.

Secvndvs fuit, quod ſe alijs *pratulerit*, plus ſibi virtutis & conſtantiæ tribuens, quàm alijs.

Tertivs fuit, quod nimium de ſuis viribus *præſumpſerit*, ſeſeque iactarit; ex quo euenit, vt cæteri quoque Apoſtoli; ne Petro inferiores viderentur, & timiditatis notarentur; d *omnes ſimiliter* reſponderint: *etiamſi oportuerit nos mori tecum, non te negabimus.* Quod ſi hæc humiliter dixiſſent, petentes à ſuo Magiſtro ad id auxilium, non impegiſſent; ſed quia ex nimia præſumptione reſponſio illa procedebat, non fuit ipſi Chriſto grata, qui propterea meritò illis reſpondere potuiſſet, e *audiuimus ſuperbiam Moab: ſuperbus eſt valdè: ego ſcio iactantiam eius, & quod non ſit iuxta eam virtus eius: nec, iuxta quod poterat conata ſit facere*: quod reipſa in his diſcipulis impletum eſt: ſed Chriſtus Dominus noſter, reliquis diſcipulis prætermiſsis, conuerſus ad Petrum dixit illi, *animam tuam pro me pones! amen amen* f *dico tibi, non cantabit gallus donec ter me neges &* g *abneges noſſe me.* Quod idem fuit atq; ſi diceret: tu, qui præ alijs *præſumis* & *iactas* præ alijs quoque *ſcandalizaberis* hac ipſa nocte, in qua *ter* negaturus es me. Videturque Chriſtus ternam illam negationem in Petro permiſiſse, in pœnam trium errorũ, quos in ſuis verbis admiſiſſe diximus, & fuſiùs poſtea videbimus. Hinc accipiam documentum, ne mihi nimium fidens, alijs me præferam: ſed demiſsè, imbecillitati meæ timens, ſupplicem ipſi Domino noſtro, ne manum ſuam à me ſubtrahat, quia is ego ſum, vt etiam nullo alio ſcandalizato, ipſe ſcandalizer, niſi ſuo ille auxilio me ſuſtenter. Aſpice Devs meus, mangnam hanc meam imbecillitatem,

1. Contradicendo.
2. Se aliis præferẽdò.
3. De ſe nimis præſumendo.
d *Matt.* 26. 35.
e *Ier.* 48. 29
f *Ioan.* 13. 38
In pænam trium illorum errorũ permiſit Dominus Petri trinam negationem.

Digitized by Google

& eius miſerere: ſi enim tu eam non iuueris, in quacunque ſcandali occaſione, erit certa mea ruina.

PVNCTVM III.

a *Luc.* 22. 31.

CONSIDERANDVM tertiò aliud documentum, quod Chriſtus Dominus noſter S. Petro quidem nominatim, ſed eadem tamen opera cæteris etiam Apoſtolis dedit; ait enim: a *Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando, conuerſus, confirma fratres tuos.*

I. Diabolus ſine permiſſione Dei nihil poteſt. b *Iob.* 1. 12. c *Matt.* 8. 31. Deus cur permittat eius tentationes. Tentationis vtilitas

IN his verbis tria magni momenti documenta continentur. PRIMVM quod *Satanas* eorum aduerſarius poteſtatem ſibi fieri petierit ad eos *tentandos*; ſine qua non potuiſſet, ſicut nec potuit S. b *Iob*, aggredi, *nec* c *quidem in porcos intrare*, aut vllum illis damnum inferre: ſed facta eſt illi poteſtas, quia ita expediebat. Quamuis enim dæmon quæreret eos turbare, & diſpergere, ſicut qui temere cribrat triticum; voluit tamen Deus eã tentationem in illorum commodum conuertere, quò humiliores illi, purioreſq; in poſterum manerent, ſicut benè cribratum triticum, remanet, purum à lolio & paleis. Quodipſum conſolationis mihi motiuum eſſe debet, cùm adeſt aliqua tentatio: exiſtimandum eſt enim, tentationem eſſe inſtar cribri, & quamuis dæmon furioſè me cribret, non vt perpurget, ſed vt deijciat; diuina tamẽ protectio ita cribrum circumdare ſolet, vt eum, qui cribratur, protegat, manumque dæmonis ita contineat, vt reipſa non ſolum non deijciat, ſed purget ac perficiat; nec mihi defutura eſt hæc protectio, ſi demiſsè & confidenter ad miſericordiam Dei recurrero.

II. Oratio Chriſti, ſtabiliuit Petrum. Oratio. d 1. *Cor.* 10. 13.

SECVNDVM documentum fuit, quod ipſe Chriſtus *rogauerit* pro *Petro*, ne fides eius deficeret; ei ſignificans: ipſum procul dubio periturum, Satanamque contra eum ita præualiturum fuiſſe, vt omninò ipſum proſterneret; niſi oratione ſua & protectione ipſe eum eripuiſſet. O amantiſſime IESV, diuinam tuam maieſtatatem ſupplex oro, vt, ſi facultatem Satanæ dederis, ad me cribrandum ſicut triticum, tu mihi patronus ſis & protector, ne deficiat fides mea, aut charitatis aliquod detrimentum faciam. Conuerte Domine ipſam tentationem in meum commodum, *faciens* d *cum* ipſa *tentatione prouentum*, & afflictio, quam ſuſtinuero, ſit mihi conflatorij inſtar, in quo ita purificer, vt quidquid in me erit mali, ſecernatur.

III. Tu cõuerſus confirma fratres.

TERTIVM documentum fuit, cùm dixit: & *tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos*; quibus verbis oſtenditur miſericordia huius Domini, qua ſuperius poſitam ſeueritatem temperauit. vt enim ei reuelauit, quod eſſet ter ipſum negaturus, ſic reuelat his verbis, quòd eſſet conuertendus; ne, cùm videret ſe leproſum, deſperaret. Item eundem monet, vt, ob acciepiendum

cipiendum conuerſionis beneficium, gratum ſe oſtendat, erga fratres ſuos eos adiuuans, vt & illi conuertantur. Vbi adhuc magis elucet Chriſti charitas in ſuos, cùm non dixerit, tu conuerſus gratias mihi agas, quod pro te orauerim: ſed *confirma*, inquit, *fratres tuos* in fide & fiducia, curam illorum gere, & in eo eos adiuua, in quo tu fuiſti adiutus, & ſic referes aliquid pro multis, quæ tui cauſa ego feci.

MEDITATIO XVIII.

DE SERMONE CHRISTI AD SVOS DIſcipulos poſt cœnam habito.

F*INITA cœna, habuit* Chriſtus *Dominus noſter, ad ſuos Apoſtolos, pijſſimum & altiſſimum ſermonem, in quo mirè exercuit* tria *ſua præcipua munia*, Magiſtri *ſcilicet*, Conſolatoris, *&* Patroni, *ſiue* Aduocati. *Vt* Magiſter, *exhortatus eſt illos ad heroicos virtutis actus; vt* Conſolator, *multa illis magna conſolationis promiſit; vt* Patronus *orauit æternum Patrem pro illis, ſicut in hac & ſequenti meditationibus diſtinctè conſiderabitur.*

PVNCTVM I.

INCIPIENS ab *amore* DEI, quod eſt primum & ſupremum mandatum, exhortatus eſt Chriſtus Apoſtolos ſuos, vt ipſum amarent, aliquot efficacibus rationibus ad perſuadendum allatis dicens: *ſicut* a *dilexit me Pater, & ego dilexi vos, manete in dilectione mea*, atque ſi diceret: amor meus erga vos, non qualiſcunque eſt & vulgaris; ſed ſicut amor Patris mei erga me; quo plurima dona, quæ mihi Pater contulit, vobis ego communicaui, ideoque vos hortor, vt *maneatis in dilectione mea*, ſtudentes quod in vobis eſt, hunc meum amorem in vobis conſeruare; ne culpa veſtra, vos amare deſinam: ſtudentes quoque amare me, ſicut ego vos amo: amor enim non niſi amore ſimili compenſatur; ipſe enim amor permouet, vt ametur. O amor dulciſsime, quibus verbis declarare, & exaggerare magis potuiſti amoris tui erga nos magnitudinem, quã illis: *ſicut dilexit me Pater, ita dilexi vos*? quibus item efficacioribus rationibus ad te diligendum permouere nos poteras quàm allata magnitudine tui in nos amoris! Vtinam ſimili amore te diligerem, ſi quidem tali diligi cupis.

> I. De amore Dei.
> a *Ioan*. 1. 9.
> Amamur vt amemus

DIXIT deinde, *amorem* hunc præcipuè oſtendi in *obedientia & obſeruãtia* mandatorum ipſius, adductis ad id etiam magnis rationibus dixit itaque: *ſi b diligitis me, mandata mea ſeruate: qui habet mandata mea, & ſeruat ea,*

> II. De obediẽtia diuinorum

mandatorum, quæ oſtendit amorem.

ille eſt qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à Patre meo & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum, ſi quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. His verbis nos docet, verum Dei *amorem* nec *ocioſum* eſſe, nec pro libitu ſuo, quæ velit facere; ſed contendere vt voluntatem Dei exſequatur, in quo tria magna bona continentur. *Primum* quod diligetur ab æterno Patre, ſingularibus amoris indiciis. Quòd ſi tanti ſit, diligi & charum eſſe Regibus terrenis, quanti par eſt æſtimare à cæleſti Rege diligi, charumq; illi eſſe? nihil enim deeſſe illi poteſt, qui tali Regi placet & charus eſt. *Secundum*, quod Pater & Filius & (quod eſt conſequens) Spiritus S. *ad eum venient, manſionemq;* in anima eius *facient*, eam dirigentes, ei indulgentes, & adiuuantes, ſingularemque eius curam gerentes. *Tertium* eſt, quod Chriſtus Dominus manifeſtabit ei ſeipſum, tum in hac vita clariſsimo fidei lumine, & gratia contemplationis; tum in futura, beatifica viſione qua Deus clarè videtur. O felices eos, qui amant Chriſtum, eius implentes mandata, ex quo adeò ingentia bona illis proueniunt. Dilige anima mea, obediendo, & obedias diligendo; vt hac charitatis obedientia, te ipſam ita purifices, vt videas quem diligis, eiuſque aſpectu fruaris per ſæcula, Amen.

b Ioan. 14. 15. 21. 23. — Amor non eſt otioſus. — Amoris priuilegia. 1. 2. 3.

III. c Ioan. 15. 10. — Chriſtus eſt exemplar amoris.

Tertiò ſeipſum poſuit eorum quæ dixerat *exemplar*, dicens: *ſi c præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego patris mei præcepta ſeruaui, & maneo in eius dilectione*, Tam in amore eius ad me, quàm mei ad ipſum: Cuſtodia itaque mandatorum Dei conſeruat nos tam in dilectione, qua nos illum diligimus, quàm quâ ille nos diligit; idque ad imitationem Chriſti Domini, aſpicientes, quoniam is hæc patris mandata ſeruauit, vita ſua, vt ea exſequeretur, impenſa. O dilecte mi, ita ego Patris tui voluntatẽ cupio exſequi, ſicut tu fuiſti exſecutus, eũ diligẽdo, ſicut tu dilexiſti; vt ab eo diligar, ſicut fuiſti dilectus: *diligã te, ſicut diligor à te.* Et ſiquidẽ iubes vt te diligã, da mihi quod iubes, vt te diligã, ſicut vis.

PVNCTVM II.

De amore inter nos mutuo.

PRæcepto amoris Dei coniunctum eſt præceptum amoris *proximi*, ad quem etiam exhortatus eſt Chriſtus ſuos Apoſtolos, ter in hoc ſermone: & quidem verbis grauiſsimis & efficaciſsimis.

1. d Ioan. 13. 34. — Amor proximi nouũ quare dicatur mandatum.

Primum dixit: *mandatũ d nouũ do vobis vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Nouũ appellat hoc mãdatũ quia ipſe illud renouauit, & collapſũ ad perfectionẽ erexit, & poſuit tanquã fundamentũ legis nouæ, quæ tota eſt lex amoris, per quẽ ſimiles efficimur Adamo nouo, & renouamur ſpiritu, & obtinemus nouã dignitatẽ filiorũ Dei per adoptionem Chriſti, & quia nouum amoris exemplar, ſeipſum nobis exhibuit

hibuit. Præceptum antiquum ita habebat: *diliges proximum ſicut teipſum*: nouum autem hoc mandatum dicit, vt diligamus, *ſicut Chriſtus dilexit nos*, ea videlicet puritate, eo feruore, eaque intentione, qua ipſe nos dilexit, optantes & procurantes noſtris proximis bona, præcipuè ſpiritualia, etiã cũ iactura commoditatum noſtrarum temporaliũ. Quò verò *dilectionem* hac magnifaciamus, ait, in ea ſita eſſe *inſignia diſcipulorum* eius, quibus omnes cognoſcantur ipſius eſſe diſcipuli: quaſi illis diceret: Moyſi diſcipulos cognoſci ex obſeruantia *cæremoniarum legis*; Sancti Ioannis Baptiſtæ diſcipulos, ex *ieiuniis*, & *aſperitatibus* corporis; Phariſæorum diſcipulos, ex *habitu* & *cæremoniis externis*; diſcipulos Philoſophorum ex *acutis ſententiis*; at ſcholæ meæ diſcipulos, ex *dilectione* ad inuicem cognoſci. Hæc dilectionis inſignia certiſsima ſunt; quæ alia quoque ſunt inſignia, vtpote Fides, Prophetia, Miracula, & ſimilia opera glorioſa, in omnibus meis diſcipulis eſſe poſſunt, ſed ſine amore eſſent imperfecta. Et propterea dixit Sapiens: b *Filij ſapientiæ, Eccleſia iuſtorum, & natio illorum obedientia, & dilectio.* Nam vt nationes mundi cognoſcuntur ex idiomate, aut habitu, aut legibus, aut aliis ſimilibus ſignis externis, ita natio filiorum ſapientiæ incarnatæ, qui eſt Chriſtus Dominus, agnoſcitur ex obedientia & dilectione: tam Dei quàm inuicem. O Magiſter dulciſsime, appone mihi ſignum eorum, qui ſcholam tuam frequentant, quo non ſolùm ego diſcipulus tuus eſſe agnoſcar; ſed tu quoque glorificeris: ſiquidem virtus diſcipuli, cedit in Magiſtri gloriam.

Amor proximi eſt inſigne diſcipulorum Chriſti.

b Eccl. 3. 1.

II. Secvndò dixit: c *hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos: maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animã ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Quibus verbis, quod *nouũ* amoris *mandatũ* aliàs appellauerat, nunc *ſuum* appellat: nam, etſi reliqua etiam ſint ipſius, hoc tamen eſt tale eminenter: nam ipſius eſt eò quòd legem ſuam ſuper illud fundet, ipſius eſt, quia in eius perfectiſsima obſeruantia exultat; & quia præ aliis illud æſtimat; & per illud homines facit ſuos, filios ſuos, amicos ſuos, & ſeruos fideles; eodem res ſuas proprias illis tradit, gratiam videlicet, hęreditatem gloriæ, & ſeipſum ita dat, vt ſe faciat ipſorum proprium: ac denique eſt præceptũ ipſius, quia ipſemet facit ſe huius amoris exemplar, cuius ſumma perfectio eſt, vitam ſuam, vbi fuerit opus pro amicis ſuis ponere. O amator infinite, qui tuam vitam pro omnibus dediſti, quia dilexiſti omnes; & quamuis tui erant d *inimici*, eam tamen pro illis tradidiſti, vt tuos faceres amicos; da mihi quæſo, adeò perfectum amorem, atque iſte eſt; neque enim par eſt, me vitam meam vilem adeò & miſerã pluris facere, quam tu feceris tuam, adeò pretioſam & admirandam.

c Ioa. 15. 12.

Amor proximi quare dicatur mandatũ Chriſti.

d Rom. 5. 1

III. Tertiò illis dixit: e *hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Quibus verbis apertè ſignificauit omnia, quæ in lege ſua ipſe mandauit, & reliqua

e Ioan. 15.

Gharitas ſiue Dilectio eſt plenitudo legis. Rom.13.10

omnia præcepta, hoc vno *Amoris* contineri, & propterea dixit: *hæc mando vobis. vt diligatis inuicem*; ſi enim vos dilexeritis, reliqua omnia impleueritis. Nam ſ *plenitudo legis eſt dilectio.* Ter repetiit hoc *præceptum*, vt altiùs cordi illorum infigeretur: ſemper autem illud vocauit præceptum; qua tamen voce non eſt vſus, cùm commendaret, vt ipſum diligerent; atque ſi illis diceret, vt me diligatis, non eſt neceſſe dicere, hoc eſſe præceptum meum, aut hoc vobis mandare; amor enim meus erga vos, & beneficia à me accepta ſatis hoc vrgent, vt me diligatis, vt vero vos inuicem diligatis, hoc expreſsè vobis mando, *ſemel, iterum, & tertiò*, ne in hoc amore, incurij & negligentes ſitis.

Pvnctvm III.

Ter quoque exhortatus eſt Chriſtus Dominus noſter Apoſtolos ſuos, in hoc ſermone, ad exercitium orationis, aperiens illis fiduciam, & reliquas conditiones, quæ meritò debent illam comitari.

I. a Ioan.14.12. De oratione, & in ea cõfidentia. Orationis potentia.

Dixit ergo illis primùm: a *Amen amen dico vobis: qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado. Et quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam; vt glorificetur Pater in Filio: ſi quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.*

His verbis nos docet, *orationem* cum *viua fide*, & certa *ſpe* in eius verbo, potentem eſſe ad obtinendũ ab æterno Patre, & ab ipſomet Chriſto vires & poteſtatem, admirandà opera facienda, ijs ſimilia, quæ ipſe in hoc mũdo fecit, ſiue ſint opera virtutis & ſanctitatis, ſiue miracula maiora, & magis ſtupenda quàm fuerint ipſius, ſi opus erit: quò autem certos nos reddat, id ita futurum, idem ſecũdo repetit, additq; *vt glorificetur Pater in filio* pertinere videlicet ad gloriam Patris id concedere, propter filium ſuum; vt intelligamus, quàm libenter id vterque ſit præſtiturus.

II. Obedientia cum amore facit orationem exaudiri.

Deinde dixit illis: b *ſi manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* His verbis docet nos miram efficacitatem, & connexionem orationis, cum vnitione ad Chriſtum, per dilectionem, & obedientiam verborum ipſius. Nam in poteſtate voluntatis hac ratione Chriſto Domino coniunctæ ponitur; & velle & petere; Chriſtus verò ipſe recipit, & ſe obligat concedere, quod petetur. quod tamen locum habere intelligitur, cùm ea vult & petit inſtinctu diuinæ huius vnitionis, & quod ei eſt conſentaneum: quæ propterea nunquam plus vult, quam velit Devs; nec petit, niſi quod eidem placet: quia non habet propriam voluntatem: ſed accipit ipſam diuinam pro ſua, & hanc ob cauſam, ait S. Thomas, ſemper exaudiri orationem eorum, qui hoc modo orant. O Devs animæ meæ, concede mihi ſemper tecum eſſe coniunctum, tuaq; verba & præcepta ſemper mihi eſſe cõiuncta

1.p.q.21.a.4 Oratio

amanti illa, & ex toto corde exſequenti: certum eſt enim mihi, ſi te diligam, & tibi obediam, meas ſque voluntates amoris legi accommodem, poſſe me velle quidquid libuerit; & te daturum quidquid petiuero, cõplacet enim tibi gratum ei facere, qui, quod tibi gratum eſt, facit, iuxta illud: c *voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet*: d & illud: *quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea, quæ ſunt placita coram eo facimus.* Tales enim ſunt, qui eius voluntatem faciunt. c Pſal. 144. 19. d 1. Ioan. 3. 22.

III.

Tertiò dixit eis: e *Amen amen dico vobis: ſi quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Vſque modo non petiſtis quicquam in nomine meo: petite & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum.* Quibus verbis magna aſſeueratione & ſolennitate promittit, quidquid eius nomine à Patre petiuerint, obtenturos; & mox illos exhortatur, vt hac promiſsione vtantur, vt ipſa experientia deprehendant, promiſsionis veritatem, & ſoliditatem: & plenum habeant gaudium, cùm viderint, eam reipſa expletam. Ad huius promiſsionis præſtantiam cognoſcendam, perpendendum eſt, quiſnam illam faciat, & quibus; quis illam ſit completurus, & à quo id petendum; quæ petenda ſint, quibus nominibus, & quo modo, & forma. e Ioan. 16. 23. Oratio in nomine Chriſti omnia impetrat.

1.

Qvi promittit, eſt *filius* Dei viui, f *qui vocatur fidelis & verax* & ipſa veritas ac ſapientia infinita, qui nec decipi poteſt, nec vult nos decipere, nouitque optimè quid promittat; quidque implere poſſit, & velit, & expediat; quare omni ex parte eius promiſſio eſt certiſsima. f Apoc. 19. 11. Chriſtus hoc promitit.

2.

Qvibus promiſsio fit, ſunt ipſi *Chriſti diſcipuli*, qui cum ipſo, in cænaculo illo, Iuda exeunte, remanſerant; quæ propterea iis tantùm facta cenſetur, qui in Chriſtum credunt, & ſperant, cupiuntque eidem ſeruire, & vt diſcipuli obedire, non verò rebellibus & obſtinatis peccatoribus, qui eius ſcholam deſerentes, ab ipſius obedientia ſe ſubtrahunt. Et in hoc ſenſu cœcus ille dixit, g *ſcimus quia peccatores Deus non audit.* Et Sapiens dixit, h *qui declinat aures ſuas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis*: hoc eſt, non exaudietur. Quãuis tamen ſint peccatores, ſi cupiant non eſſe tales, ſed fieri diſcipuli Chriſti, etiam ſunt promiſsionis huius participes, quando admitti petunt ad eius ſcholam. i *Pater* enim *veſter de cælo*, ait ipſe Chriſtus, *dabit ſpiritum bonum petentibus ſe*, vt deſinat eſſe malus: ſed præcipuè ea promiſſione vtuntur, qui *permanent in Chriſto, & eius verba in illis permanent.* Promittit credentib. ſperátibus, amantib. g Ioan 9. 31. h Prou. 28. 9. i Luc. 11. 13. Etiam peccatoribus cupientib. conuerti.

3.

Qvi promiſsionem illam implebit, & à quo, vt id faciat, petendũ eſt, ille eſt Pater, hoc eſt, Dominus ille, qui eminenter hoc nomen meretur, & verè eſt Pater beneuolus, ſolicitus, & potens dare filijs ſuis, quidquid ab eo petiuerint, idq; multo præſtantiùs cæteris omnib. patribus terrenis: Promiſsionem illam implet Deus Pater.

renis: quia quidquid dederit, nihil amitit, & oblectatur plurimùm cùm dat omnibus. Et propterea Chriſtus ipſe de eo dicit: k *Si vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris, quantò magis Pater veſter,* qui natura ſua bonus eſt, *de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.* Eandem promiſsionẽ adimplebit etiam idem qui promiſit, filius Dei, qui nos adeò dilexit, vt animam ſuam pro nobis poſuerit; eſtque adeò liberalis, & in dando profuſus, vt ſeipſum etiam det; adeoq; deſiderat plurima nobis dare, vt mandet nobis, ab ipſo petere, quæ volumus. Ac denique ipſe etiam Spiritus ſanctus, qui vnus eſt cum Patre & Filio Deus, eandem promiſsionẽ implebit, l *qui* (vt ait Apoſtolus) *cùm nos, quid oremus ſicut oportet, neſciamus, ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis,* nobis inſpirans ea, quæ poſtulemus, adeò propendet, ad dandum.

k Luc. 11. 13.

Deus Filius.

Deus Spiritus S.

l Rom. 8. 26

4. In nomine Chriſti petere, quid ſit.

Nomina ſiue tituli, quibus petamus quæ volumus, eſt **nomen** ipſum Christi, hoc eſt, Chriſti bonitas, omnes eius virtutes & merita, laboresque vitæ ac mortis ipſius, ſeruitia & obſequia, quæ Patri exhibuit, honor deniq; ac gloria eius, & vt eius nomẽ glorificetur. Non itaq; in nomine meo petã, nec meæ confidens virtuti, aut meritis meis, nec ad gloriã nominis mei; ſed his omnibus prætermiſsis, mihique diffidens, Chriſto ipſi Domino innitar, & ad eius gloriam dirigam, quidquid petiuero.

5. Quæ ſint illa Omnia quæ impetrat oratio.

Ea, quæ promiſsio hæc complectitur, ſunt *omnia* quæ decent, & conueniunt bonitati Patris, qui ea eſt largiturus; nominique & virtuti Filij, per quem illa petuntur, neceſsitati denique petentis, in bonum ſcilicet eius animæ, aut aliorum, pro quibus petitur: nullo tamen hic præfixo limite, quem ipſe Chriſtus, in ſua promiſsione non præfigit. Ex quo efficitur, quoniam Devs profuſus eſt, vult ad dandũ, me non debere eſſe parcum, aut timidum in petendo; ſed petere, ſicut qui à liberaliſsimo Deo petit, & vt ipſe Chriſtus monet, *petere, vt gaudium noſtrum ſit plenum.* Non inquam petendæ ſunt res terrenæ, quæ plenum gaudium non adferunt; ſed cœleſtes, eæque, non parcè, ſed in tanta copia, vt impleant noſtrum gaudiũ, & expleant deſiderium; Primum, in temporali hac vita; & poſtea in æterna.

S. Baſil. de conſtit. Monaſt. c. 2.

6. Orationis modus & Forma, ſtat in fide & Fiducia.

Modvs deniq; & *forma petitionis,* eſſe debet cũ magna *fide,* & *fiducia* de bonitate, & liberalitate promittentis, qui & daturus eſt quæ petuntur; & de mediatoris meritis, per quem illa petuntur. Hæc fides illa eſt, de qua Chriſtus Dominus noſter dixit apud Sanctũ Marcum, m *habet fidem Dei,* fidem videlicet maximam, fidem dignam Deo, fidem altiſsimam, quæ, rebus omnibus terrenis reiectis, anchoras ſuas iaciat in cœlum, expectans à Deo, quidquid ille promiſit, innitens verbo eius, vt eius eſt. Hæc fides eſt, quam alibi ipſe comparat n *grano ſinapis*, de quo alibi eſt dictum. Huic fidei coniungi debet inſignis perſeuerantia, donec no-

m *Marc.* 11. 22.

Iacob. 1. 6. Poſtulet in fide, nihil hæſitãs.

Fides Dei, quæ ſit.

n *Matt.* 17 19.

Digitized by Google

ſtrum gaudium ſit plenum: donec ſcilicet ipſa experientia aduertamus, exauditos nos eſſe, & propterea exultemus, tanquam plenum gaudium conſecuti; quod nobis contingit, cum petita dona obtinemus.

Luc. 17.6. In 1. ... *Medit.* 46.

Oratio

O mundi Redemptor, liberaliſsime in promittendo, & in reddendis promiſsis fideliſsime, magnas tibi gratias pro liberalitate & fidelitate, quam in omnibus manifeſtas: Oro, Domine, ſupplex, gratiam mihi dari, ad petendum, quod me petere iubes; & eo modo, quo vis à te peti, vt gaudium meum ſit plenum, eo accepto, quod petam: gaudens quidem donis tuis; ſed multò ampliùs tecum, illorum largitore: nunquam .n. gaudium meum plenum erit, niſi te ipſum habeam, qui ſummum es gaudium meum in ſæcula. ***Quod huius promiſſionis eſt reliquum, in quinta parte ponetur.***

PVNCTVM IV.

In aduerſis conſolationem præſtant.

MAGNAM partem ſermonis ſui poſuit CHRISTVS Dominus noſter, in conſolandis & animandis Apoſtolis, ad labores & aduerſitates præſentes, & quas poſtea perpeſſuri erant in mundo, multis ad id adductis rationibus, quarum aliquas inſinuabo, (licet non ſeruato eodem ordine) vt ſint nobis inſtar punctorum ad meditandũ, & cauſarum ad conſolationem, & nos ipſos excitandos, ad tolerandum patienter perſecutiones, & aduerſitates occurrentes.

I.

a *Ioan.* 15. 20. 21.

Exemplum Chriſti.

b *Ioan.* 16. 2

PRIMA ratio eſt, propter *exemplum* eius, quod ipſe Chriſtus eſt paſſus. a ***Mementote,*** inquit, ***ſermonis mei, quem ego dixi vobis, non eſt ſeruus maior Domino ſuo,*** vt ex emptiones & priuilegia ſeruus habeat, plus quã eius Dominus: ***ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.*** b ***Abſque ſynagogis facient vos: ſed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare DEO.*** a ***Sed hæc omnia facient vobis, propter nomen meum.*** O felices aduerſitates, quarum Chriſtus eſt cauſa, & propter quas illi aſsimilamur. Nolo, mi Domine, priuilegium aut exemptionem à laboribus, quia enim ſeruus tuus ſum, magno honori mihi duco, eandem ſubire legem, quam meus Dominus ſubiit.

II.

Signum electionis.

c *Io.* 15. 16.

SECVNDA ratio fuit, nam pati *perſecutionem*, ſignum & pignus quoddam eſt, quòd illi non ſint ex reprobata mundi factione, & quod conſequens eſt, quod ſint ex parte Chriſti, & electorum eius. c ***Si mundus,*** inquit, ***vos odit: ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit; ſi de mundo fuiſſetis; mundus quod ſuum erat, diligeret: quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.***

O bone IESV, ad partes tuas ego tranſeo, non ad factionem mundi: &, ſi mundus me oderit & perſequetur, inde ego exultabo; nam tu me proteges; ſiquidem ille, propter te, me perſequitur.

Digitized by Google

III. Succeſsio gaudii. d Ioan. 16. 20. TERTIA ratio fuit, quia huiuſmodi *labores* & triſtitiæ breui conuertentur in gaudium. d *Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos; mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Mulier, cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius; cùm autem peperit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium quia* filius ei *eſt natus in mundo.*

Simile. Idem verò filius, qui fuit ei cauſa doloris, eſt poſtea cauſa gaudij; dolor breui tempore durauit, gaudiũ longo: adeoque hoc excellit, vt dolorũ partus faciat obliuiſci. Ita & vos triſtitiã habebitis, propter meam abſentiam & mortem: ſed ego reſurgam, & ſicut qui recens in mundo naſcitur, planctum veſtrum conuertam in gaudium. Graues dolores ſicut parturientis ſuſtinebitis, legem meam prædicantes, & quod iuſsi exſequentes; quia exſurgent graues aduerſum vos tempeſtates; ſed id ipſum quod vobis triſtitiam adferet, occaſioni erit magnæ lætitiæ; quæ triſtitiæ vos faciat obliuiſci, propter fructum ex ea triſtitia collectum: dolor breui euaneſcet, *gaudium* erit perpetuum, *quod nemo tollet à vobis.*

e Prou 14. 13. e Iacob. 1 2. O anima mea, ne concupiſcas gaudium mundi, e *cuius extrema luctus occupat*; elige potius triſtitiam & dolorem pro Chriſto: e *omne gaudium exiſtimans in tentationes & tribulationes incidere*, quas qui amat, mox in illis magnam reperit lætitiam.

IV. Præmium æternum. f Ioan. 14. 1. QVARTA ratio eſt, quia in cœlo ſunt *manſiones* æternæ, vbi excipientur à Chriſto, qui hic pro eius amore patiuntur. f *Non turbetur,* inquit, *cor veſtrum: creditis in Deum, & in me credite: In domo Patris mei, manſiones multæ ſunt; & ego vado parare vobis locum*, quem ibi eſtis habituri: *& ſi abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis, mea fruentes ſocietate & gloria.* O anima mea, ne conturberis aut affligaris tuis laboribus: *præterit enim* habitatio & *figura huius mundi*; veniet autem Chriſtus ad te in hora mortis, vt præmium reddat laborum, quos in hac vita pertuliſti, collocans te ſummo & pleno gaudio in æternis ſuis manſionibus.

1. Cor. 7.

V. Chriſti auxilium. g Ioan. 14. 18. 28. h c. 16. 16. QVINTA ratio, nã in medio aduerſitatum huius vitæ, accedit CHRISTVS Dominus, vt nobis ſubueniat: ideoque illis dicit: g *non relinquam vos orphanos, ſed veniam ad vos. Non turbetur cor veſtrum, neque formidet: audiſtis, quia ego dixi vobis: vado & venio ad vos. modicum enim & iam non videbitis me; & iterum modicum & videbitis me*; h *& ego videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.*

Oratio. O Pater amantiſsime, qui tuos filios nunquam orphanos deſeris, etiam cùm ipſi te abſentem exiſtimant; quia reipſa nunquam ita abes, quin illorum bonũ ſpectes. Cupio non turbari propter meos labores, ſiquidẽ i-

ta bre-

ita breui venturus es, vt me viſites, & in eis conſoleris: Da mihi, Domine, gaudium internum, quod nec Dæmon, nec mundus, nec vlla creatura tollere à me poſsit: nam ſi illud gaudium verè poſsideo, iucundus mihi erit omnis labor.

SEXTA ratio fuit, quia quamuis aduerſitatibus premantur, diliguntur tamen ab æterno Patre, i *quamuis*, inquit, *ego non rogarem Patrem de vobis*, ſcitote quod *ipſe Pater amat vos quia vos me amaſtis & credidiſtis, quia ego à Deo exiui*. Atque ſi diceret: ne turbemini, aut timeatis: nec fiduciam animumque etiam in ipſis laboribus deijciatis, quos mei cauſa ſuſtinere contigerit, nam ſignum quoddam & pignus ſunt, quòd pater vos amet, propter amorem, quem oſtenditis, dum cauſa mei patimini: quod ſi pater vos amat, etiam proteget, & conſolabitur: nam Pater adeò beneuolus & potens, non poteſt deeſſe conſolationi filiorum. O Pater amantiſsime, nullam aliam in terra conſolationem volo, niſi ſcire quòd me ames: te enim amante, nihil mihi deeſſe poteſt; qui nō nouiſti, aliquē amare, & deſerere. VI. Dilectio Dei Patris. i Ioa. 16. 26.

SEPTIMA ratio conſolationis deducitur ex certis *confidentiæ* pignoribus, quę habemus, euadendi victores de omnibus hoſtibus, qui nos perſequuntur. ait enim k *in mundo preſſuram habebitis; ſed confidite, ego vici mundum:* Quaſi diceret: ego vici Dæmonem, huius mundi principem; vici laborum ac perſecutionum feritatem: vici peccatum & mortem, & in huius meæ victoriæ virtute, ſecurè poteſtis & vos ſperare victoriam; ſiquidem ego ea vobis vici, & in vobis ſum etiam, pugnans ad vincēdum. l *Gratias tibi, æterne Pater, qui dediſti nobis victoriam per filium tuum* IESVM Chriſtū. Cū igitur victoria, & eius gloria ſit tua, nec dubitare volo, nec diffidere, quin illam ſim obtenturus. VII. Chriſti de mundo victoria. k Ioa. 16. 33. l 1. Cor. 15. 57. Medit. 17. & 22.

Alias rationes conſolatorias adhibet CHRISTVS *Dominus noſter, quæ innituntur aduentui Spiritus ſancti, quas reijcimus in quintam partem, vbi de eius aduentu agetur.*

MEDITATIO XIX.

DE ORATIONE CHRISTI DOMINI noſtri ad Patrem ſuum, in fine ſermonis poſt cœnam facta.

HAEC *oratio Chriſti Domini noſtri, eſt viuum quoddam & perfectiſſimum exemplar omnium rerum, quæ in feruenti & alta oratione inueniri debent quò ad eos, pro quibus orandum eſt, & quo ad ea, quæ petenda ſunt, & nomina ſiue titulos, qui ad eà obtinenda adduci poſſunt; ac deniq; quo ad ordinem in his ſeruandum. Eam reuocabimus ad tria puncta, iuxta tres eius partes: nam* PRIMVM *orauit ipſe Chriſtus, quà homo pro ſe & ſuis rebus;* DEINDE *orauit pro* Oratio. Chriſti eſt orationis exemplar. S. Thom. 3. p. q. 21. a. 3.

Ordo ſeruandus in petendo pro nobis & pro aliis.

ſuis Apoſtolis, quos præſentes habebat, ſua cura commiſſos; ac deniq; pro omnibus Electis & fidelibus, qui ad finem vſq; mundi erant futuri. & hunc ordinem exigit charitas benè ordinata, quem par eſt, nos ea forma & ratione ſeruare, qua ſeruauit ipſe Christus.

PVNCTVM I.

a *Ioan.* 17.1.

STANS CHRISTVS Dominus noſter, præſentibus ſuis Apoſtolis, a *ſubleuatis oculis in cœlum*, clara voce orans Patrem ſuum pro ſeipſo, dixit: *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te.*

I. Chriſti reuerentia in oratione.

PERPENDENDA hîc *Primùm* eſt interna & externa *Christi* Domini in orando Patre *reuerentia*; deuotio item, quam ſubleuando oculos in cœlũ oſtendit; ipſa denique vocis teneritas, & blanditiеs verborum, quæ proferebat; vt hoc exemplo doceret Apoſtolos, quam rationem in orando tenerent, & vt hanc de ipſis curam oſtendens, eos conſolaretur.

II. Clarificatio quam petit, quæ ſit.

DEINDE perpendendum, quid hac oratione à Patre petiuerit; videlicet, vt *clarificaretur miraculis* editis tempore ſuæ paſſionis; quibus manifeſtum fieret; quamuis tot ignominijs afficeretur, eſſe tamen filium Dei: Præterea, vt etiam clarificaretur claritate & gloria Reſurrectionis, & Aſcenſionis in cœlum; item, vt in mundo clarificaretur, credentibus hominibus ipſum eſſe filium DEI. Quò verò intelligeretur, ipſum hæc non petere, ob honorem ſuum proprium, adiecit: hoc peto Pater, *vt filius tuus clarificet te*; vt videlicet per meam gloriam, & in ea, tu glorificeris; & vt ego à te clarificatus, iterum te clarificem & patefaciens tuam gloriam meis diſcipulis, & per eos toti mundo.

Quo fine eam petat.

Quomodo & ea nobis petenda. Oratio.

HAC Chriſti Domini noſtri *oratione*, varijs modis mihi eſt vtendum; nunc petendo à Patre æterno, vt Filium ſuum in toto mundo clarificet apud infideles, dando illis lumen fidei, qua credant & glorificẽt eum, tanquam filium eius; vt ſic idem ipſe Pater, magis clarificetur: hoc itaq; ſpiritu ſæpiùs repetam: *Pater clarifica Filium tuum, vt Filius clarificet te*; vt in eo videlicet, & per eum tu, in vniuerſo mundo clarificeris. *Aliàs* eandem orationem mihi ipſi applicans à Patre æterno petam, vt me, etſi miſerum & indignum filium ſuum clarificet, gratiæ ſuæ claritate, & virtutis operibus eximijs, non ad honorem meum, ſed ad ipſius gloriã; vt ego ipſum glorificem, eiuſque magnalia prædicem. Hoc itaque ſpiritu, licebit mihi pro me ipſo petere: Pater clarifica filium tuum, vt Filius tuus clarificet te. Nec temeritas cenſenda eſt, ſimili oratione pro me vti: poſito enim quod ipſe velit ſe patrem appellari, licet mihi, appellare me filium: quod ſi non tantus ſit mihi animus, licebit mutare verbum Filij in verbum ſerui, aut mancipij; ac dicere: DEVS meus, clarifica ſeruum tuum, vt ſeruus tuus clarificet te; Pater dilige mancipiũ hoc tuum, vt mancipiũ tuũ diligat te.

Etiam pro nobis.

TER-

Tertiò orationi huic adiecit Chriſtus Dominus cauſas, & titulos ad obtinendum, quod petebat. *Ego* b *te*, inquit, *clarificaui ſuper terram: opus conſummaui, quod dediſti mihi, vt faciam; & nunc clarifica me Pater apud temetipſum, claritate, quam habui prius, quàm mundus eſſet, apud te.* Quaſi diceret: ad hoc petendum, iuſtus eſt hic titulus; quod ego tuam gloriam ſollicitè procurauerim in terra, & obediuerim tuæ voluntati, implens quæcunque mihi mandaſti; iuſtum itaque eſt, vt tu me clarifices claritate, & præmio, quod in æterna tua prædeſtinatione mihi conſtituiſti. Ex quo *duo* deducam.

III. b Ioan. 17. Chriſtus ex titulo petit quia obediuit Patri. Quia prædeſtinatus Filius Dei. Rom. 1.

Primvm, quod quando viri perfecti, aliquid à Domino petunt, poſſint (vt aliàs diximus) demiſsè adferre obſequia ipſi Deo, exhibita, quærentes ipſius gloriam, & eius voluntati obedientes: nam cum conſcientia hoc illis reddit teſtimonium, valdè confidenter à Deo petunt. O *Pater amātiſsime*, ſi poſſem verè tibi dicere, quod ſemper te clarificauerim in terra, & conſummauerim opus, quod mihi commiſiſti! ſed heu, multò aliter vixi, quærens videlicet gloriam meam, cum tuæ imminutione; & voluntatem tuam conculcans, quò meæ obtemperarem. Quare ſupplico, Domine, non vt fidelis ſeruus, ſed vt pauper magna neceſsitate preſſus, vt me tua gratia clarifices, quo ex nunc clarificem te ſuper terram, & conſummem quidquid mihi commiſiſti.

I. *In introdu part. 1. §. 1* Iuſtis in petendo licet humiliter adferre obſequia ſua.

Altervm eſt, quod ratio medium ſit aptiſsimum ad impetranda ea, quæ Deus in æterna ſua prædeſtinatione ſtatuit futura, quare non decet nos deficere in cōtinuata oratione; nam fortè per eam daturus eſt nobis Deus, quod decreuit in ſua prædeſtinatione ad noſtram ſalutem: ideoque inſtanter petere ab eo oportet, non gloriam mūdi apud homines, ſed gloriam apud ipſum, ad quam nos deſtinauit.

2. *S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 2. ex S. Greg. 1. Dial. c. 2.* Oratio eſt mediū effectuum prædeſtinationis.

Pvnctvm II.

Considerandа deinde eſt *oratio* Christi Domini pro ſuis Apoſtolis, in qua priùs aperuit, pro quibus rogaret, dicens Patri ſuo: a *non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi: quia tui ſunt.*

a Ioan. 17. 2

Mvndvm appellat multitudinem *reproborum*, & rebellium Deo & legi eius: qui culpa ſua indignos ſe reddūt, pro quibus Chriſtus oret, quoad orationis ſuæ efficacitatem quæ nullum in eis habet effectum. Ideoque dicit, ſe orare pro Apoſt. electis à Patre: *quia tui*, inquit, *ſunt*, amici tui, ſerui fideles, & electi: quos ſub tua habes protectione. Hic titulus aptiſsimus eſt, qui in noſtris orationibus apud Devm allegetur, dicendo: cœleſtis Pater, faueas ijs quos mihi commiſiſti, & omnibus Chriſtianis auxilium præbe: quia tui ſunt.

1. Mundus ſunt reprobi & rebelles. Quomodo pro iis Chriſtus non roget. Inſignis titulus orationis. *Quia tui ſunt.*

Deus meus, reſpice animam meam & corpus meum, omnes ſenſus & facultates, quas mihi dediſti; quia & tua ſunt: conſerua deſideria, & propoſita omnia bona, quæ mihi dediſti; quia & illa tua ſunt. Quis eſt, qui non gerat curam eorũ quæ ſua ſunt? b *tuus ſum ego, ſaluum me fac*; tua eſt anima mea, ſalua eam, tuus eſt meus intellectus, illuſtra illum; tua eſt mea voluntas, dirige illam; &c. Ne permittas, Domine, me partem eſſe mundi, pro quo non rogas: ſi enim à tua oratione me excludas, ero etiam excluſus à tuo regno.

b *Pſal.* 118. 94.

II. c *Ioa.* 17. 11. Trina dona petit Apoſtolis ſuis Dominus.

Petiit deinde Chriſtus Dominus, tria excellentiſsima dona, pro ſuis Apoſtolis. *Primum* fuit, cùm dixit: c *Pater ſancte, ſerua eos, in nomine tuo*, & pro gloria tua, *quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos.* Quibus verbis petit ab æterno Patre, vt curam illorum gerat, ac ſeruet, dans illis coniunctionem charitatis inter ſeipſos & cum Deo: nec petit quancunque vnitionem, ſed perfectiſsimam, illi ſimilem, quam habent Pater & filius in vnitate eſſentiæ; vt quemadmodum vterque, quia vnus eſt Deus, vnũ habent ſentire, velle & operari; ſic illi in omnibus conformes ſint cum ipſo Dei ſenſu, & cum diuina eius voluntate, id ſolum facientes quod Deus vult illos facere: cõuenientibus enim omnibus in hac vnitione cum Deo, manebant & inter ſe vniti.

1. Vnionem charitatis.

2. d *Ioa.* 17. 15. Præſeruationem ab omni malo impeditiuo huius vnitionis.

Secundum donum, quod petijt eſt, vt eos liberet ab omnibus, quæ diuinæ huic vnitioni aduerſantur. d *Non inquit, rogo, vt tollas illos de mundo, ſed vt ſerues eos à malo.* Quaſi diceret: perpetientur ipſi in mundo grandes perſecutiones, & labores; non tamen peto, vt eos è mundo tollas: quia expedit eos adhuc in illo manere, ſed id rogo, vt in mundo manentes, ſerues à malo, hoc eſt, à peccato diſſenſionis & diſcordiæ, à dæmone, & ab omni æterno malo, ita, vt in mũdo manentibus, nihil adhæreſcat mali eiuſdem mundi.

3. e *Ioa.* 17. 17. Virtutum copiã, ſiue veram ſanctificationẽ. Sanctificatio petenda eſt: quia Deus Sanctus, quia ipſe ſanctificauit ſe pro nobis.

Tertium quod petit eſt, vt illos omnibus virtutibus repleat, dum dicit: e *ſanctifica eos in veritate*, ſiquidem *ego pro eis ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate:* quod eſt dicere, non ſolùm ſerua eos à malo, ſed etiam illos verarum virtutum copia ſanctifica, ab omni hypocriſi & fictione expeditos, conformes verò veritati, quam ego illis prædicaui: ſiquidem ego me conſecraui, & in ſacrificium & hoſtiam ſanctam obtuli, vt ſanctos illos facerem. Ex his omnibus apparet, Chriſtum Dominum noſtrum velle, vt petamus in oratione res verè grandes, dignas Deo, duplici ad impetrandum allato titulo, altero gloriæ & maieſtatis ſanctiſsimi ſui nominis; altero ſanctitatis ſacrificij, quod ipſemet pro nobis obtulit in cruce. O Pater ſupreme, exaudiens vnigeniti filij tui orationem, libera me ab eo malo, quod inficit mundum; & ſanctifica vera ſanctitate: vt vnione quam habes cum illo, fruar, vnitus tecum charitate perfecta, Amen.

PVNCTVM III.

Oꝛauit & Chriſtus pro omnibus fidelib Ioa.17.20

VLTIMO conſideranda eſt *oratio*, quam fecit pro reliquis fidelibus petens pro illis bona gratiæ, & vitam æternam: nam *primum* dixit: a *non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint, vt credat mundus, quia tu me miſiſti.*

I. Petijt pro illis Charitatis Vnitionem cum Deo Et inter ſeſe inuicé

Ex quibus conſtat, ipſum oraſſe pro omnibus, qui nunc in eius Eccleſia viuimus, &, quod eſt conſequens, etiam pro me ipſo: nam omnes & ſingulos, & me ipſum, æquè ſibi præſentes habebat, atque eos, qui in illo erant cœnaculo: & pro omnibus, petijt perfectiſsimam hanc charitatis vnitionem cùm Deo & inter ſeipſos, modo prædicto: quam adeò excellentem & mirabilem eſſe voluit, vt ſufficeret conuertere totum vniuerſum: & infideles crederent, Chriſtum eſſe Deum, qui diſcipulos haberet, adeò charitate vnitos. O dulciſsime IESV, quantam geris curã ac zelum boni tuorum electorum; ſiquidem ante quam illi naſcantur, iã tu pro illis oras, ac petis ingentia adeò dona! O Pater amantiſsime, exaudi hanc vnigeniti *filij* tui orationem, quam ipſe pro me offert, & fac me ſupremæ iſtius vnionis, quam cum illo habes, participem.

Oratio

Et eandem vnionem concede religioſis, vt ex ea, intelligant ſæculi huius homines, vnigenitum Filium tuum, in illis habitare: eandem etiam omnibus fidelibus tribue, vt ſtupefacti infideles, de adeò prodigioſa vnitione ſanctam tuam legem recipiant. Et ſiquidem Filius tuus offert nobis claritatem ſuæ gratiæ, vt omnes ſimus *conſummati in vnum*, hoc eſt, perfecti & abſoluti in hoc, quod eſt eſſe vnum quid: concede omnibus iuſtis, qui huius claritatis effecti ſunt participes, vt ad eius excellentiæ culmen perueniant, vt claritas eius gloriæ, per mundum vniuerſum dilatetur; Amen.

II. b Ioa.17.24 Petijt & vitam æternã

DEINDE dixit: b *Pater, quos dediſti mihi, volo; vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum, vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi*, quod eſt dicere non ſolum pro meis fidelibus vnionem peto charitatis, & perfectionem in *hac vita*, ſed etiam, vt poſt eam, meum ſint *in cælo* vbi ego ſum: fruentes mea ſocietate: vt videant claritatem, quam dediſti mihi, quà Deus ſum: & quà homo: & ita ſint hac viſione beati. O Amator dulciſsime, quàm efficaciter orabas, cum hæc diceres: ſiquidem cum Patre tuo colloquens, adhibes ſupremam tuam auctoritatem, & æqualitatem, quam cum illo habes, dicens; *Pater* Volo, *vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum*. Quis poterit aduerſus hoc tuum VOLO, ſiquidem quidquid tu vis efficaciter, c *Et omnis voluntas tua fiet*. O vtinam eſſẽ vbi tu es! ſcio te eſſe in omni loco, vbi ſunt boni & mali;

c Iſa.46.10 D. Dionyſ. cap.3. de diuin. nomin.

ſed non omnes tecum ſunt, gaudentes tua dulci ſocietate. Concede mihi, ſemper eſſe, vbi tu es, videns te in hac vita fide valde clarificata; & poſt eã clara viſione in tua gloria, Amen.

MEDITATIO XX.

DE CHRISTI EXITV EX COENACVLO AD hortum Gethſemani & interna eius triſtitia & afflictione.

PVNCTVM I.

a Matt. 26. 30.
b Ioan. 18. 1.
c Luc. 22. 39

FINITO ſermone a *& hymno dicto*, b *egreſſus eſt IESVS cum diſcipulis ſuis, trans Torrentem Cedron*, a *in montem Oliueti*, b *vbi erat hortus* in campo Gethſemani, *in quẽ introiuit ipſe & diſcipuli eius*, c *ſecundum conſuetudinem, ſciebat autem & Iudas locum, quia frequenter* IESVS *conuenerat illuc cum diſcipulis ſuis*.

I. Cõſuetudo bona maxime orationis nunquã omittenda

PERPENDENDAE ſunt in primis cauſæ cur Chriſtus ex cœnaculo exiuerit ad hortum Gethſemani? PRIMA enim fuit, vt bonam conſuetudinem ſeruaret, recipiendi ſe orationis cauſa, ad ſeparata & ſolitaria loca, poſtquam concionandi officio ſatisfeciſſet. Eſtque magnopere attendenda magnanimitas, & integritas huius Domini, qui nullis laboribus aut periculis deterrebatur, quo minus bonas ſuas conſuetudines ſeruaret: & ita hic habuit ſermonem: & conſuetum, poſt cænam hymnum dixit, ac ſeſe recepit in ſolitudinem: atque ſi nullam ibi aduerſitatem expectaret. Ex quo exemplo, pudorem concipiam de meo torpore, vt qui, quauis occaſione occurrente, bonas & probatas meas conſuetudines facile omitto, præcipuè verò orationis: cum contra merito eſſet faciendum; vt tempore videlicet maioris neceſsitatis, auidius ad eam accederetur.

II.

SECVNDA cauſa fuit, ne comprehenſio eius in cœnaculo, & aliena domo fieret, ſed in ſolitudine, & in horto illo, vbi facilius perficeretur, & abſque hoſpitis incommodo. Ne verò fugere videretur, ad eum locum ſe contulit, *quem ipſe Iudas ſciebat*, qui illum erat traditurus: ſicut qui ſponte ſe in carcerem & mortem offert, non catenis ferreis, ſed amoris & obedientiæ deductus: ideoq; in ſermone illo poſt cœnam dixit ſuis diſcipulis d *vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatũ dedit mihi Pater, ſic facio: ſurgite eamus hinc*. O dulcis IESV, da mihi hoſce affectus amoris & obedientiæ, ne labores fugiam, ſed ad illos ſubeundos me potiùs offeram te amanter ſequens, & comitans obedienter.

d Ioa. 14. 31

TERTIA

Digitized by Google

Tertia cauſa fuit ad ſignificandum: quod ſicut mundi ruina incepit, ob malam libertatem Adami, in horto; ita mundi ſalutem incipere debere à comprehenſione Chriſti in alio horto, in valle oliuarum ſito. Quidquid enim in eo accidit, nobis fuit fluuius immenſus miſericordiarum; quamuis ipſi Chriſto fuerit præceps torrens triſtitiarum & afflictionum. Et quamuis, dum pertranſiret ipſum Torrentem Cedron, occurrerint illi inundationes dolorum, qui eſſent ipſius animam penetraturi; nihilominus pergens cum ſuis Apoſtolis, magna illis beneuolentiæ ſigna oſtendebat. Concede mihi, Saluator mi, licentiam te comitandi, & laborum ac pœnarum torrentem tecum tranſeundi, omnes ſiquidem tanquã vallem oliuarum & miſericordiarum mihi eſſe reputabo.

III. In horto peccauit Adam, Chriſtus in horto incipit pati.

Pvnctvm II.

Cvm perueniſſet a *in villam, quæ dicitur Gethſemani, dixit diſcipulis ſuis: Sedete hic, donec vadam illuc & orem. & aſſumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi cœpit contriſtari & mæſtus eſſe*, b *pauere, & tædere.*

a Matt. 26: 37. b Marc. 14. 33.

I.

Considerandvm *Primò*: Chriſtum Dominum noſtrum, inchoare voluiſſe dolores ſuæ *paſſionis* præmiſsis duabus rebus horrendis, quæ illam atrociſsimam reddiderunt. Prima fuit, quod ſponte voluerit omni *lætitiæ ſenſuum*, aditum prohibere; adeò, vt cum aliàs in tolerandis aduerſis, oblectationem quandam cum lætitiæ indicijs ſentiret; nunc etiam illam oblectationem & lætitiam inferioris partis animæ, à ſe reiecerit; & omni ſenſuum cõſolationi, quæ ex ſuperiori animæ parte poterat venire, oſtium obſerarit. Secvnda fuit, aſſumpſiſſe ſponte *affectus contrarios, timoris* videlicet ac *triſtitiæ*, poteſtatem faciens ſenſuum apetitionibus, vt hoſce affectus pœnales magna vehementia producerent: nam cum liberũ ipſi eſſet, huiuſmodi affectibus locum dare, aut negare; eoſque vel remiſſos vel intenſos admittere; reipſa intenſiſsimos ſentire voluit: quo eius paſsio, magis eſſet amara. Nam cum aduerſitates & labores, cum ſenſuum aliqua lætitia ſentiuntur, parum hominem afficiunt, vt multi Martyres ſunt experti; at cum ſenſuum triſtitia adeſt, multo grauius tolerãtur: ideoque patientia in illis tolerandis, multo eſt glorioſior: eo quod abſque ſenſuum ſubſidio tolerentur, & inſipidus, amaruſque tribulationis cibus abſque vllo condimento, & purè intuitu amoris Dei comedatur. O dulcis Iesv gratias tibi ob hoc initiũ, quod tuis laboribus feciſti; ita illos accipiens, vt grauiores ad ſuſtinendum efficerentur: concede mihi vt amore tui, omni ſenſuum oblectationi mihi interdicam; meque ad calicem paſsionis tuę purum ebibendum, ſicut bibiſti, offeram.

Lætitiam omnem Chriſtus & conſolationem inferioris animæ partis, à ſe reiecit. Aſſumpſit Affectus intenſiſsimos Internarum afflictionũ.

Oratio

Digitized by Google

II. Timotis. DEINDE perpendenda eſt *multitudo* & grauitas internarum harum Chriſti Domini *afflictionum*, quas Euãgeliſtæ *timorem* ſeu *pauorem*, *tædium*, *triſtitiam* & *mœrorem* ſeu agoniam appellant. TIMOR fuit *tormentorum*, & terribilis mortis, quæ illi imminebant; qui ſolet interdum grauius torquere, quam ipſa mors, inferens tremorem & ſtuporem quendam, qui

Pauoris. Agoniæ. *Pauor* dicitur; & anxietatem quandam interiorem, quæ dicitur *Agonia*, de quibus dicemus poſtea. Hic timor inuaſit Chriſtum Dominum noſtrũ tanquam innumerabilium militum exercitus, tot ſibi timores fabricans quot fuerunt poſtea tormenta. Habuit enim timorem *comprehenſionis*, *iniuriarum* illius noctis, *flagellorum corona* ſpineæ, & *crucis* & *clauorum* imò ictum etiam *lanceæ* quem poſt mortem ſuam, corpus erat acceptũrũ, horruit. Omnes hos timores ſuã ſponte ſuſcepit, vt ſe illis affligens, fortitudinem ſuam in reſiſtendo manifeſtaret, non retrocedens propter illos ab incepto.

Oratio. O bellator fortiſsime, quam potiori iure dicere poſſes, quam dixerit Dauid: c *cor meum conturbatum eſt in me, & formido mortis cecidit ſuper me: timor & tremor venerũt ſuper me, & contexerunt me tenebræ*: qui tamen non propterea optas *pennas columbæ*, vt *volans* fugias; nam ipſum timorem ſumis, vt eum ſuperes.

c Pſal. 54. 5.

Tædij. TAEDIVM fuit *faſtidium* quoddam & inappetentia rerũ omnium huius mũdi, nihil in terra cernens, quod illi cõſolationem aut leuamen afferret; vt ſicut alter Iob, dicere poſſet: d *tædet animã meam vitæ meæ* quam tot malis & periculis obſeſſam videbat. Hac enim ratione, luebat ipſe tædium meum, circa virtutis opera; & inappetentiam ad tolerandum, quod in ea amarum eſt & difficile.

d Iob. 10. 1.

Triſtitiæ. TRISTITIA fuit grauitas quædam & *afflictio interna*, ob aduerſa, quæ tanquam præſentia intuebatur, naturali carnis ſuæ propenſioni repugnantia. Et quoniam labores & multi erant, & horrendi, eorum verò apprehenſio valde viua, quia tãquam diuino decreto ſtatutos, vt ineuitabiles apprehendebat, maiori affectus eſt triſtitia, quam fuerit vnquam vlla aut futura ſit in hac vita. Quę triſtitia etiam eſt illum aggreſſa, tanquam truculentorum militum exercitus, contriſtatum; quaſi reipſa videret ſe ignominia affectum, contemptum, ſputis fœdatum: deſertum & perſecutum.

Oratio. O lætitia Angelorum: cur te tot triſtitijs ſubieciſti? Quid hoc, quod lætitiam & gaudium tuum in pœnam tibi conuertas; vt pœnas & triſtitias meas mihi conuertas in gaudium! laudẽt te omnes Angeli, pro immẽſa hac charitate, qua tibi triſtitiã elegiſti, vt me repleres lætitiã. Concede mihi, Domine, tantum animi robur in tuo obſequio; vt nec timor me deijciat, nec tædium opprimat, nec triſtitia conſumat, Amen.

IN his omnibus perpẽdẽdũ eſt, ſicut infinita Chriſti Domini charitas

Digitized by Google

re ipléuit in eo, quod mori deſideraret, & pro noſtro bono pati gauderet; ſic nunc eandem reſplendere, cũ pœnales hoſce affectus ſumit voluntariè: vt internos labores & afflictiones patiatur, quas patiuntur eius electi: & ſeipſum ſuis fratribus ſimilem facit in iis, quæ ſunt eis connaturalia, exceptâ culpâ: vt nobis exemplo eſſet patientiæ, & inuicem toleraremus, cùm continget, in eo nos ſtatu eſſe, in quo erat Iob, cùm dixit: *factus ſum mihimetipſi grauis.* Iob. 7. 20.

PVNCTVM III.

TERTIÒ conſiderandæ ſunt reliquæ cauſæ, quas adluxit Chriſtus, vt ſe ad hanc triſtitiam & afflictionem internã permoueret, in quibus illæ rationes, & motiua proponuntur, quæ mihi iuſtam triſtitiam afferre poſſunt, quam Apoſtolus a *Triſtitiam ſecundum Deum appellat.* 2. Cor. 7. 10. PRIMA cauſa fuit *memoria*, viuaque apprehenſio *peccatorum* omniũ hominum, tam præteritorum, quàm præſentium, & futurorum, quæ ſibi præſentiſsima habebat: & magna euidentia cognoſcebat: cogitans tria valdè horrenda, quæ in illis ſunt: multitudinem ſcilicet eorum innumeram: grauitatem penè infinitam, ob iniuriam, quam inferunt Deo: & maxima damna, quæ adferunt hominibus, quos ad intoleranda inferni tormenta condemnant. Hoc totum maximam illi attulit triſtitiam, quam ipſe admiſit ſponte: tum vt triſtitiæ defectum, quã homines de ſuis culpis non ſentiunt, hoc interno ſuo dolore ſupplens illas lueret; tum vt eos ab æterna triſtitia eriperet, quam ſuis culpis promeriti erant.

I. Peccatorũ noſtrorum multitudo, grauitas, damna Chriſtum contriſtarunt.

Hoc perpendens imaginabor meipſum, in memoria & corde ipſius Chriſti; & attendam, quòd ipſe peccata mea & teporem aſpiciens, magnã concipiat triſtitiam & terribilem animi mœrorẽ; ideoque meritò & ipſe contriſtabor, tria prædicta perpendens, multitudinem ſcilicet & grauitatem peccatorum, & æternam pœnam, quã illis ſum promeritus: & contendam peccatum horreſcere, quod adeò grande eſt malum, vt eius ſola conſideratio ſufficiat, tantam Chriſto adferre triſtitiam.

O Pater æterne, hanc Filij tui vnigeniti triſtitiã & dolorẽ, offero in ſatisfactionem plurimorum & grauiſsimorum peccatorum meorum; pœnitet me ea admiſiſſe, ſed quoniam pœnitentia hæc & triſtitia, exigua valdè eſt; eam ego cum illius triſtitia coniungo, per eam tibi ſupplicans; vt meam augeas, vt hac pœnâ culpas meas luam. O Saluator mi, gratias tibi ago ob triſtitiam, quam propter mea peccata accepiſti. O ſi nunquam illa admiſiſſem, ne tantam illis pœnam tibi attuliſſem! deleas illa quæſo ex anima mea, vt nihil in ea ſit, quod tibi triſtitiã adferre poſsit, aut pœnam. Oratio

SECVNDA cauſa huius triſtitiæ fuit *conſideratio exigui fructus*, quem in multis hominibus productura erant media, quæ ipſe ad vberrimos producendos adhibebat: Incarnatio videlicet ſua, Paſsio & Mors, Sacramen-

II. Multorum torpor &

ignauia in negotio ſalutis, etiam contriſtauit Chriſtum.

ta, & ſacrificia, doctrina, & exempla vitæ ſuæ, in quibus omnibus perpendebat ipſe inſignem hominum ingratitudinem, cæcitatem, duritiem & obſtinationem in ſalutis ſuæ mediis reiiciendis, quæ ipſe tantis ſuis expenſis & laboribus illis offerebat: propter quod plurimi reipſa eſſent condemnandi. POENAM quoque illi adferebat tepor, & ignauia multorum aliorum, in percipiendo fructu ex his mediis, ad ſalutem & perfectionem eorum adeò efficacibus. In qua etiam conſideratione imaginabor me vnum eſſe eorum, qui meum ſaluatorem affligebant meis tepiditatibus: eò quòd eius paſsionem & mortem, non tanti facerem atque debebam. Quamobrem contriſtari cum illo debeo, ſupplicans, vt auferat à me, quidquid talem ei triſtitiam afferebat.

III. Omnium electorum ſuorū paſſiones, afflictionesque Chriſtus ſenſit.

b *Zach.* 2. 8.

V de intra *Medit.* 23. *p.* 2. *nu.* 4.

TERTIA huius triſtitiæ cauſa fuit, conſideratio *afflictionum* omnium & triſtitiarum, quas eius electi, & omnes iuſti, ipſius cauſa erant perpeſſuri: quas omnes etiam præſentiſsimas habens, ita tunc ſentiebat, atque ſi ipſe tunc illas pateretur, eò quod illos interno amore & charitate ſibi coniunctos haberet; b *& qui eos tangeret, tangeret pupillam oculi eius*, quia magis illi ipſius cordi coniuncti erant, quā oculo ſua pupilla. Ibi perſentiebat afflictiones Apoſtolorū & Martyrū; perſecutiones Doctorū, & miniſtrorū Euangelii, tentationes; quas paſsi ſunt Cōfeſſores & Virgines: triſtitias & deſolationes iuſtorū afflictorū: ibi etiā preſentes habebat tribulationes & tētationes meas, meos timores & triſtitias, & tactus cōmiſeratione mei triſtabatur: volens affectu hoc cōmiſerationis, idē ſentire in ſe, quod ego patior in me, hac ratione me obſtringens, vt eodem ego affectu compatiar ipſi, in eis, quæ ipſe eſt paſſus.

Oratio.

O piiſsime & clementiſsime IESV, quid hoc eſt quod facis, vt contriſteris & affligaris? num ſatis non habes; dum proprias tuas pœnas conſideras: niſi etiam alienas conſideres, vt contriſteris de eis, atque ſi eſſent tuæ? ſufficiebat, Domine, ob mea peccata contriſtari: ſed interim de pœnis, quæ iuſtè mihi propter illa inferuntur, gauderes: at cum tua immenſa charitas nullum terminum habeat, triſtari vis ob culpas & pœnas meas, vt liberes me ab vtriſque. Concede mihi, Domine, ita de tuis laboribus contriſtari, ſicut de meis triſtabaris: tui ſiquidem reuera ſunt mei, cuius cauſa illos ſuſtinuiſti.

IV. Chriſtus doluit perditionē populi Iudaici: & populorū à Fide deficientiū.

V. Iudæ condemnatio quā Chriſto acerba

HIS generalibus triſtitiæ Chriſti Domini cauſis, particulares aliæ poſſunt accedere, qualis eſt *perditio* illius *populi* Hebræi, quem ipſe in ſuum elegerat: & eiuſdem ingratitudo, qui vitam ipſi adimebat. In eundem modum imaginari licet, ſenſiſſe Chriſtum Dominum perditionem aliquorum Chriſtianitatis Regnorum, quæ negatura erant & amiſſura fidem. *Iudæ* quoque condemnationem ſentiebat, videns Dæmonem illum ex ſchola ſua rapientem. Et imaginabor; ſicut homo grauiſsimos ſentit dolores, cùm aliquod membrum ipſi abſcinditur, quod reliquo corpori

adeo

adeò eſt vnitum; ita Chriſtum Dominum, ſenſiſſe in corde ſuo impulſus & violentias Dœmonis, quibus aliquod membrum viuum corporis eius myſtici præcidebat, aut auellebat; atque ſi ipſa eius viſcera transfigeret; &, quem in ipſis infixum habebat, extraheret. O bone IESV, quàm innumera huiuſmodi tormenta ſimul patiebaris! præſentes habens lapſus tot iuſtorum, quos Dœmon ad ſe rapit: compatere mihi, Domine, nec me patiaris nunquam à te diuelli.

TRISTABATVR etiam ob *ſcandalum diſcipulorum*, & afflictionem mœſtiſsimæ Matris ſuæ, quam etiam ibi præſentem habebat, ac denique, cùm verè dixerit Sapiens; c *qui addit ſcientiam addit & laborem*, ingentes Chriſto Domino noſtro attulit labores magna ſcientia viuaque apprehenſio, quam habuit de rebus omnibus, quæ illorum erant cauſæ. O Deus & ſcientiarum Domine, da mihi dolorum tuorum iſtam ſcientiam, vt magnam in illis partem habeam. VI. Scandalũ diſcipulorum, Afflictio Matris attulere Chriſto triſtitiam c *Eccl*. 1. 18.

PVNCTVM IV.

QVARTÒ conſiderandum, Chriſtum Dominum noſtrum, cùm à cæteris Apoſtolis receſsiſſet, Petro, Iacobo, & Ioanni, quos ſecum acceperat, afflictionem ſuam aperuiſſe, vultuque valde mutato, dixiſſe: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem; ſuſtinete hic, & vigilate mecum*. a *Matt*. 26. 38.

PERPENDENDA itaque ſunt ipſa Chriſti Domini *verba*; & magnum quid, quod illis ſignificat. Dicere enim; *anima mea eſt triſtis vſque ad mortem*, idem eſt, atque ſi dicat; tanta mea eſt triſtitia, quanta in ipſa morte haberi ſolet: & quæ ſufficeret ſola, ad ipſam mortem mihi adferendam, niſi vitam ego, ad crudeliorem mortem ſubeundam, referuarem: Eritque tam prolixa, vt continuò ſit me vſque ad ipſam mortem afflictura: neque enim in toto reliquo vitæ meæ, vlla lætitia locum in me habere poterit. O Saluator mi, quomodo hæc verba cor meum non transfigunt, & lethali vulnere feriunt, cum te videam triſtitia mortis, mei cauſa contriſtari! O Virgo ſacratiſsima, ſi hæc verba audiuiſſes, an non illa gladius fuiſſent doloris, qui animam tuam puriſsimã, ab vna parte ad alterã pertranſiret, vt quæ coniunctiſsima eſſet animæ filij tui, vſque ad mortem contriſtata! O lethale peccatum, quantum pondus habes, ſiquidem in Chriſto efficis triſtitiam vſque ad mortem. I. Quæ ſit triſtitia animæ vſque ad mortẽ. Oratio

DEINDE cauſæ & *motiua* ſunt perpendenda, ob quæ CHRISTVS hæc verba dixerit Apoſtolis: quæ fuerunt duo. PRIMVM quia cùm hæc *triſtitia* eſſet *interna*; neceſſe fuit eius magnitudinem, externis ſignis nobis manifeſtari; vt intelligeremus, quàm multa & grauia, noſtri cauſa ipſe ſuſtineret; & gratos nos exhiberemus, & ad imitandum excitaremur: ſicut in cruce dixit, *ſitio*, vt cognoſceremus etiam illum cruciatum, quẽ noſtri cauſa ſuſtinebat; ſed nobis fuiſſet occultus, niſi verbo ipſe illũ aperuiſſet. II. Triſtitiam ſuã quare aperuerit Apoſtolis Chriſtus.

III. Succeſsio gaudij. d Ioan. 16. 20. 21. 22.

TERTIA ratio fuit, quia huiuſmodi *labores* & triſtitiæ breui conuertentur in gaudium. d *Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos; mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Mulier, cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius; cùm autem peperit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium quia* filius ei *eſt natus in mundo.* Idem verò filius, qui fuit ei cauſa doloris, eſt poſtea cauſa gaudij; dolor breui tempore durauit, gaudiũ longo: adeoque hoc excellit, vt dolorũ partus faciat obliuiſci. Ita & vos triſtitiã habebitis, propter meam abſentiam & mortem: ſed ego reſurgam, & ſicut qui recens in mundo naſcitur, planctum veſtrum conuertam in gaudium. Graues dolores ſicut parturientis ſuſtinebitis, legem meam prædicantes, & quod iuſsi exſequentes; quia exſurgent graues aduerſum vos tempeſtates; ſed id ipſum quod vobis triſtitiam adferet, occaſioni erit magnæ lætitiæ; quæ triſtitiæ vos faciat obliuiſci, propter fructum ex ea triſtitia collectum: dolor breui euaneſcet, *gaudium* erit perpetuum, *quod nemo tollet à vobis.*

Simile.

e Prou 14. 13. e Iacob. 1 2.

O anima mea, ne concupiſcas gaudium mundi, e *cuius extrema luctus occupat*; elige potius triſtitiam & dolorem pro Chriſto: e *omne gaudium exiſtimans in tentationes & tribulationes incidere*, quas qui amat, mox in illis magnam reperit lætitiam.

IV. Præmium æternum f Ioan. 14. 1.

QVARTA ratio eſt, quia in cœlo ſunt *manſiones* æternæ, vbi excipientur à Chriſto, qui hic pro eius amore patiuntur. f *Non turbetur*, inquit, *cor veſtrum: creditis in Deum, & in me credite: In domo Patris mei, manſiones multæ ſunt; & ego vado parare vobis locum*, quem ibi eſtis habituri: *& ſi abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis, mea fruentes ſocietate & gloria.* O anima mea, ne conturberis aut affligaris tuis laboribus: *præterit enim* habitatio & *figura huius mundi*; veniet autem Chriſtus ad te in hora mortis, vt præmium reddat laborum, quos in hac vita pertuliſti, collocans te ſummo & pleno gaudio in æternis ſuis manſionibus.

1. Cor. 7.

V. Chriſti auxilium. g Ioan. 14. 18. 28. h c. 16. 16.

QVINTA ratio, nã in medio aduerſitatum huius vitæ, accedit CHRISTVS Dominus, vt nobis ſubueniat: ideoque illis dicit: g *non relinquam vos orphanos, ſed veniam ad vos. Non turbetur cor veſtrum, neque formidet: audiſtis, quia ego dixi vobis: vado & venio ad vos. modicum enim & iam non videbitis me; & iterum modicum & videbitis me;* h *& ego videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.*

Oratio.

O Pater amantiſsime, qui tuos filios nunquam orphanos deſeris, etiam cùm ipſi te abſentem exiſtimant; quia reipſa nunquam ita abes, quin illorum bonũ ſpectes. Cupio non turbari propter meos labores, ſiquidẽ ita bre-

Digitized by Google

ita breui venturus es, vt me viſites, & in eis conſoleris: Da mihi, Domine, gaudium internum, quod nec Dæmon, nec mundus, nec vlla creatura tollere à me poſsit: nam ſi illud gaudium verè poſsideo, iucundus mihi erit omnis labor.

Sexta ratio fuit, quia quamuis aduerſitatibus premantur, diliguntur tamen ab æterno Patre, i *quamuis*, inquit, *ego non rogarem Patrem de vobis*, ſcitote quod *ipſe Pater amat vos quia vos me amaſtis & credidiſtis, quia ego à Deo exiui.* Atque ſi diceret: ne turbemini, aut timeatis: nec fiduciam animumque etiam in ipſis laboribus deijciatis, quos mei cauſa ſuſtinere contigerit, nam ſignum quoddam & pignus ſunt, quòd pater vos amet, propter amorem, quem oſtenditis, dum cauſa mei patimini: quod ſi pater vos amat, etiam proteget, & conſolabitur: nam Pater adeò beneuolus & potens, non poteſt deeſſe conſolationi filiorum. O Pater amantiſsime, nullam aliam in terra conſolationem volo, niſi ſcire quòd me ames: te enim amante, nihil mihi deeſſe poteſt; qui nō nouiſti, aliquē amare, & deſerere. VI. Dilectio Dei Patris. i Ioa. 16. 26.

Septima ratio conſolationis deducitur ex certis *confidentiæ* pignoribus, quę habemus, euadendi victores de omnibus hoſtibus, qui nos perſequuntur. ait enim k *in mundo preſſuram habebitis; ſed confidite, ego vici mundum:* Quaſi diceret: ego vici Dæmonem, huius mundi principem; vici laborum ac perſecutionum feritatem: vici peccatum & mortem, & in huius meæ victoriæ virtute, ſecurè poteſtis & vos ſperare victoriam; ſiquidem ego ea vobis vici, & in vobis ſum etiam, pugnans ad vincēdum. l *Gratias tibi, æterne Pater, qui dediſti nobis victoriam per filium tuum* IESVM Chriſtū. Cū igitur victoria, & eius gloria ſit tua, nec dubitare volo, nec diffidere, quin illam ſim obtenturus. VII. Chriſti de mundo victoria. k Ioa. 16. 13. l 1. Cor. 15. 57. Medit. 17. & 22.

Alias rationes conſolatorias adhibet CHRISTVS *Dominus noſter, quæ innituntur aduentui Spiritus ſancti, quas reijcimus in quintam partem, vbi de eius aduentu agetur.*

MEDITATIO XIX.

DE ORATIONE CHRISTI DOMINI noſtri ad Patrem ſuum, in fine ſermonis poſt cœnam facta.

HAEC *oratio Chriſti Domini noſtri, eſt viuum quoddam & perfectiſſimum exemplar omnium rerum, quæ in feruenti & alta oratione inueniri debent quò ad eos, pro quibus orandum eſt, & quò ad ea, quæ petenda ſunt, & nomina ſiue titulos, qui ad ea obtinenda adduci poſſunt; ac deniq;, quò ad ordinem in his ſeruandum. Eam reuocabimus ad tria puncta, iuxta tres eius partes: nam* PRIMVM *orauit ipſe Chriſtus, quà homo pro ſe & ſuis rebus;* DEINDE *orauit pro* Oratio. Chriſti eſt orationis exemplar. S. Thom. 3. p. q. 21. a. 3.

ſuis Apoſtolis, quos præſentes habebat. ſuæ curæ commiſſos; ac deniq; pro omnibus Electis & fidelibus, qui ad finem vſq; mundi erant futuri. & hunc ordinem exigit charitas benè ordinata, quem par eſt, nos ea forma & ratione ſeruare, qua ſeruauit ipſe Christus.

Ordo ſeruandus in petendo pro nobis & pro aliis.

PVNCTVM I.

a *Ioan.* 17. 1.

STANS CHRISTVS Dominus noſter, præſentibus ſuis Apoſtolis, a *ſubleuatis oculis in cœlum*, clara voce orans Patrem ſuum pro ſeipſo, dixit: *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te.*

I. Christi reuerentia in oratione.

PERPENDENDA hîc *Primùm* eſt interna & externa *Christi* Domini in orando Patrē *reuerentia*; deuotio item, quam ſubleuando oculos in cœlū oſtendit; ipſa denique vocis teneritas, & blanditiæs verborum, quæ proferebat; vt hoc exemplo doceret Apoſtolos, quam rationem in orando tenerent, & vt hanc de ipſis curam oſtendens, eos conſolaretur.

II. Clarificatio quam petit, quæ ſit.

DEINDE perpendendum, quid hac oratione à Patre petiuerit; videlicet, vt *clarificaretur miraculis* editis tempore ſuæ paſsionis; quibus manifeſtum fieret; quamuis tot ignominijs afficeretur, eſſe tamen filium DEI: Præterea, vt etiam clarificaretur claritate & gloria Reſurrectionis, & Aſcenſionis in cœlum; item, vt in mundo clarificaretur, credentibus hominibus ipſum eſſe filium DEI. Quò verò intelligeretur, ipſum hæc non petere, ob honorem ſuum proprium, adiecit: hoc peto Pater, *vt filius tuus clarificet te*; vt videlicet per meam gloriam, & in ea, tu glorificeris; & vt ego à te clarificatus, iterum te clarificem & patefaciens tuam gloriam meis diſcipulis, & per eos toti mundo.

Quo fine eam petat.

Quomodo & ea nobis petenda. Oratio.

HAC Christi Domini noſtri *oratione*, varijs modis mihi eſt vtendum; nunc petendo à Patre æterno, vt Filium ſuum in toto mundo clarificet apud infideles, dando illis lumen fidei, qua credant & glorificēt eum, tanquam filium eius; vt ſic idem ipſe Pater, magis clarificetur: hoc itaq; ſpiritu ſæpiùs repetam: *Pater clarifica Filium tuum, vt Filius clarificet te*; vt in eo videlicet, & per eum tu, in vniuerſo mundo clarificeris. *Aliàs* eandem orationem mihi ipſi applicans à Patre æterno petam, vt me, etſi miſerum & indignum filium ſuum clarificet, gratiæ ſuæ claritate, & virtutis operibus eximij s, non ad honorem meum, ſed ad ipſius gloriā; vt ego ipſum glorificem, eiuſque magnalia prædicem. Hoc itaque ſpiritu, licebit mihi pro me ipſo petere: Pater clarifica filium tuum, vt Filius tuus clarificet te. Nec temeritas cenſenda eſt, ſimili oratione pro me vti: poſito enim quod ipſe velit ſe patrem appellari, licet mihi, appellare me filium: quod ſi non tantus ſit mihi animus, licebit mutare verbum Filij in verbum ſerui, aut mancipij; ac dicere: DEVS meus, clarifica ſeruum tuum, vt ſeruus tuus clarificet te; Pater dilige mancipiū hoc tuum, vt mancipiū tuū diligat te.

Etiam pro nobis.

TER-

Tertiò orationi huic adiecit Chriſtus Dominus cauſas, & titulos ad obtinendum, quod petebat. *Ego* b *te*, inquit, *clarificaui ſuper terram: opus conſummaui, quod dediſti mihi, vt faciam; & nunc clarifica me Pater apud temet ipſum, claritate, quam habui prius, quàm mundus eſſet, apud te.* Quaſi diceret: ad hoc petendum, iuſtus eſt hic titulus; quod ego tuam gloriam ſollicitè procurauerim in terra, & obediuerim tuæ voluntati, implens quæcunque mihi mandaſti; iuſtum itaque eſt, vt tu me clarifices claritate, & præmio, quod in æterna tua prædeſtinatione mihi conſtituiſti. Ex quo *duo* deducam.

III. b *Ioan.* 17. 4. Chriſtus e titulo peti quia obediuit Patri. Quia prædeſtinatus Filius Dei. *Rom.* 1.

Primvm, quod quando viri perfecti, aliquid à Domino petunt, poſſint (vt aliàs diximus) demiſsè adferre obſequia ipſi Deo, exhibita, quærentes ipſius gloriam, & eius voluntati obedientes: nam cum conſcientia hoc illis reddit teſtimonium, valdè confidenter à Deo petunt. O *Pater amātiſsime*, ſi poſſem verè tibi dicere, quod ſemper te clarificauerim in terra, & conſummauerim opus, quod mihi commiſiſti! ſed heu, multò aliter vixi, quærens videlicet gloriam meam, cum tuæ imminutione; & voluntatem tuam conculcans, quò meæ obtemperarem. Quare ſupplico, Domine, non vt fidelis ſeruus, ſed vt pauper magna neceſsitate preſſus, vt me tua gratia clarifices, quo ex nunc clarificem te ſuper terram, & conſummem quidquid mihi commiſiſti.

1. *In introdu part.* 1. § 1. Iuſtis in petendo licet humiliter adferre obſequia ſua.

Alterum eſt, quod ratio medium ſit aptiſsimum ad impetranda ea, quæ Deus in æterna ſua prædeſtinatione ſtatuit futura, quare non decet nos deficere in cōtinuata oratione; nam fortè per eam daturus eſt nobis Deus, quod decreuit in ſua prædeſtinatione ad noſtram ſalutem: ideoque inſtanter petere ab eo oportet, non gloriam mūdi apud homines, ſed gloriam apud ipſum, ad quam nos deſtinauit.

2. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 83. *a.* 2. *ex S. Greg.* 1. *Dial. c.* 2. Oratio eſt mediū efficaciſsimum prædeſtinationis.

Pvnctvm II.

Considerand*a* deinde eſt *oratio* Christi Domini pro ſuis Apoſtolis, in qua priùs aperuit, pro quibus rogaret, dicens Patri ſuo: a *non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi: quia tui ſunt.*

a *Ioan.* 17. 2. 1. Mundus ſunt reprobi & rebelles.

Mvndvm appellat multitudinem *reproborum*, & rebellium Deo & legi eius: qui culpa ſua indignos ſe reddūt, pro quibus Chriſtus oret, quoad orationis ſuæ efficacitatem quæ nullum in eis habet effectum. Ideoque dicit, ſe orare pro Apoſt. electis à Patre; *quia tui*, inquit, *ſunt*, amici tui, ſerui fideles, & electi: quos ſub tua habes protectione. Hic titulus aptiſsimus eſt, qui in noſtris orationibus apud Devm allegetur, dicendo: cœleſtis Pater, faueas ijs quos mihi commiſiſti, & omnibus Chriſtianis auxilium præbe: quia tui ſunt.

Quomodo pro iis Chriſtus non roget. Inſignis titulus orationis. *Quia tui ſunt.*

Digitized by Google

Deus meus, reſpice animam meam & corpus meum, omnes ſenſus & facultates, quas mihi dediſti; quia & tua ſunt: conſerua deſideria, & propoſita omnia bona, quæ mihi dediſti; quia & illa tua ſunt. Quis eſt, qui non gerat curam eorũ quæ ſua ſunt? b *tuus ſum ego, ſaluum me fac*; tua eſt anima mea, ſalua eam, tuus eſt meus intellectus, illuſtra illum; tua eſt mea voluntas, dirige illam; &c. Ne permittas, Domine, me partem eſſe mundi, pro quo non rogas: ſi enim à tua oratione me excludas, ero etiam excluſus à tuo regno.

b *Pſal.* 118. 94.

II. PETIIT deinde Chriſtus Dominus, tria excellentiſsima dona, pro ſuis Apoſtolis. *Primum* fuit, cùm dixit: c *Pater ſancte, ſerua eos, in nomine tuo*, & pro gloria tua, *quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos.* Quibus verbis petit ab æterno Patre, vt curam illorum gerat, ac ſeruet, dans illis coniunctionem charitatis inter ſeipſos & cum Deo: nec petit quancunque vnitionem, ſed perfectiſsimam, illi ſimilem, quam habent Pater & filius in vnitate eſſentiæ; vt quemadmodum vterque, quia vnus eſt Deus, vnũ habent ſentire, velle & operari; ſic illi in omnibus conformes ſint cum ipſo Dei ſenſu, & cum diuina eius voluntate, id ſolum facientes quod Deus vult illos facere: conuenientibus enim omnibus in hac vnitione cum Deo, manebant & inter ſe vniti.

c *Ioa.* 17. 11. Trina dona petit Apoſtolis ſuis Dominus.

1. Vnionem charitatis.

2. *Secundum* donum, quod petijt eſt, vt eos liberet ab omnibus, quæ diuinæ huic vnitioni aduerſantur. d *Non* inquit, *rogo, vt tollas illos de mundo, ſed vt ſerues eos à malo.* Quaſi diceret: perpetientur ipſi in mundo grandes perſecutiones, & labores; non tamen peto, vt eos è mundo tollas: quia expedit eos adhuc in illo manere, ſed id rogo, vt in mundo manentes, ſerues à malo, hoc eſt, à peccato diſſenſionis & diſcordiæ, à dæmone, & ab omni æterno malo, ita, vt in mũdo manentibus, nihil adhæreſcat mali eiuſdem mundi.

d *Ioa.* 17. 15. Præſeruationem ab omni malo impeditiuo huius vnitionis.

3. *Tertium* quod petit eſt, vt illos omnibus virtutibus repleat, dum dicit: e *ſanctifica eos in veritate, ſiquidem ego pro eis ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate:* quod eſt dicere, non ſolùm ſerua eos à malo, ſed etiam illos verarum virtutum copia ſanctifica, ab omni hypocriſi & fictione expeditos, conformes verò veritati, quam ego illis prædicaui: ſiquidem ego me conſecraui, & in ſacrificium & hoſtiam ſanctam obtuli, vt ſanctos illos facerem. Ex his omnibus apparet, Chriſtum Dominum noſtrum velle, vt petamus in oratione res verè grandes, dignas Deo, duplici ad impetrandum allato titulo, altero gloriæ & maieſtatis ſanctiſsimi ſui nominis; altero ſanctitatis ſacrificij, quod ipſemet pro nobis obtulit in cruce. O Pater ſupreme, exaudiens vnigeniti filij tui orationem, libera me ab eo malo, quod inficit mundum; & ſanctifica vera ſanctitate: vt vnione quam habes cum illo, fruar, vnitus tecum charitate perfecta, Amen.

e *Ioa.* 17. 17. Virtutum copiã, ſiue veram ſanctificationẽ. Sanctificatio petenda eſt: quia Deus Sanctus, quia ipſe ſanctificauit ſe pro nobis.

PVNCTVM III.

VLTIMÒ conſideranda eſt *oratio*, quam fecit pro reliquis fidelibus petens pro illis bona gratiæ, & vitam æternam: nam *primum* dixit: a *non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint, vt credat mundus, quia tu me miſiſti.* — Orauit & Christus pro omnibus fidelib. Ioa. 17. 20

Ex quibus conſtat, ipſum oraſſe pro omnibus, qui nunc in eius Eccleſia viuimus, &, quod eſt conſequens, etiam pro me ipſo: nam omnes & ſingulos, & me ipſum, æquè ſibi præſentes habebat, atque eos, qui in illo erant cœnaculo: & pro omnibus, petijt perfectiſsimam hanc charitatis vnitionem cùm Deo & inter ſeipſos, modò prædicto: quam adeò excellentem & mirabilem eſſe voluit, vt ſufficeret conuertere totum vniuerſum: & infideles crederent, Chriſtum eſſe Deum, qui diſcipulos haberet, adeò charitate vnitos. O dulciſsime IESV, quantam geris curã ac zelum boni tuorum electorum; ſiquidem ante quam illi naſcantur, iã tu pro illis oras, ac petis ingentia adeò dona. O Pater amantiſsime, exaudi hanc vnigeniti filij tui orationem, quam ipſe pro me offert, & fac me ſupremæ iſtius vnionis, quam cum illo habes, participem. — I. Petijt pro illis Charitatis Vnitionem cum Deo Et inter ſe inuicẽ — Oratio

Et eandem vnionem concede religioſis; vt ex ea, intelligant ſæculi huius homines, vnigenitum Filium tuum, in illis habitare: eandem etiam omnibus fidelibus tribue, vt ſtupefacti infideles, de adeò prodigioſa vnitione ſanctam tuam legem recipiant. Et ſiquidem Filius tuus offert nobis claritatem ſuæ gratiæ, vt omnes ſimus *conſummati in vnum*, hoc eſt, perfecti & abſoluti in hoc, quod eſt eſſe vnum quid: concede omnibus iuſtis, qui huius claritatis effecti ſunt participes, vt ad eius excellentiæ culmen perueniant, vt claritas eius gloriæ, per mundum vniuerſum dilatetur; Amen.

DEINDE dixit: b *Pater, quos dediſti mihi, volo; vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum, vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi,* quod eſt dicere non ſolum pro meis fidelibus vnionem peto charitatis, & perfectionem in *hac vita*, ſed etiam, vt poſt eam, meum ſint *in cælo* vbi ego ſum: fruentes mea ſocietate: vt videant claritatem, quam dediſti mihi, quà Deus ſum: & quà homo: & ita ſint hac viſione beati. O Amator dulciſsime, quàm efficaciter orabas, cum hæc diceres: ſiquidem cum Patre tuo colloquens, adhibes ſupremam tuam auctoritatem, & æqualitatem, quam cum illo habes, dicens; *Pater* Volo, *vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum.* Quis poterit aduerſus hoc tuum VOLO, ſiquidem quidquid tu vis efficaciter, c *Et omnis voluntas tua fiet.* O vtinam eſſẽ vbi tu es! ſcio te eſſe in omni loco, vbi ſunt boni & mali; — II. b Ioa. 17. 24 Petijt & vitam æternã — c Iſa. 46. 10 D. Dionyſ. cap. 3. de diuin. nomin.

TERTIA cauſa fuit ad ſignificandum: quod ſicut mundi ruina incepit, ob malam libertatem Adami, in horto; ita mundi ſalutem incipere debere à comprehenſione Chriſti in alio horto, in valle oliuarum ſito. Quidquid enim in eo accidit, nobis fuit fluuius immenſus miſericordiarum; quamuis ipſi Chriſto fuerit præceps torrens triſtitiarum & afflictionum. Et quamuis, dum pertranſiret ipſum Torrentem Cedron, occurrerint illi inundationes dolorum, qui eſſent ipſius animam penetraturi; nihilominus pergens cum ſuis Apoſtolis, magna illis beneuolentiæ ſigna oſtendebat. Concede mihi, Saluator mi, licentiam te comitandi, & laborum ac pœnarum torrentem tecum tranſeundi, omnes ſiquidem tanquã vallem oliuarum & miſericordiarum mihi eſſe reputabo.

III. In horto peccauit Adam, Chriſtus in horto incipit pati.

PVNCTVM II.

CVM perueniſſet a *in villam, quæ dicitur Gethſemani, dixit diſcipulis ſuis: ſedete hic, donec vadam illuc & orem. & aſſumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi cœpit contriſtari & mæſtus eſſe*, b *pauere, & tædere.*

a Matt. 26: 37.
b Marc. 14. 33.

I.

CONSIDERANDVM *Primò*: Chriſtum Dominum noſtrum, inchoare voluiſſe dolores ſuæ *paſſionis* præmiſsis duabus rebus horrendis, quæ illam atrociſsimam reddiderunt. PRIMA fuit, quod ſponte voluerit omni *lætitiæ ſenſuum*, aditum prohibere; adeò, vt cum aliàs in tolerandis aduerſis, oblectationem quandam cum lætitiæ indicijs ſentiret; nunc etiam illam oblectationem & lætitiam inferioris partis animæ, à ſe reiecerit; & omni ſenſuum cõſolationi, quæ ex ſuperiori animæ parte poterat venire, oſtium obſerarit. SECVNDA fuit, aſſumpſiſſe ſponte *affectus contrarios, timoris* videlicet ac *triſtitiæ*, poteſtatem faciens ſenſuum apetitionibus, vt hoſce affectus pœnales magna vehementia producerent: nam cum liberũ ipſi eſſet, huiuſmodi affectibus locum dare, aut negare; eoſque vel remiſſos vel intenſos admittere; reipſa intenſiſsimos ſentire voluit: quo eius paſsio, magis eſſet amara. Nam cum aduerſitates & labores, cum ſenſuum aliqua lætitia ſentiuntur, parum hominem afficiunt, vt multi Martyres ſunt experti; at cum ſenſuum triſtitia adeſt, multo grauius tolerãtur: ideoque patientia in illis tolerandis, multo eſt glorioſior: eo quod abſque ſenſuum ſubſidio tolerentur, & inſipidus, amaruſque tribulationis cibus abſque vllo condimento, & purè intuitu amoris Dei comedatur. O dulcis IESV gratias tibi ob hoc initiũ, quod tuis laboribus feciſti; ita illos accipiens, vt grauiores ad ſuſtinendum efficerentur: concede mihi vt amore tui, omni ſenſuum oblectationi mihi interdicam; meque ad calicem paſsionis tuę purum ebibendum, ſicut bibiſti, offeram.

Lætitiam omnem Chriſtus & conſolationem inferioris animæ partis, à ſe reiecit.
Aſſumpſit Affectus intenſiſsimos Internarum afflictionũ.

Oratio

DEINDE

II. Timoris. Deinde perpendenda eſt *multitudo* & grauitas internarum harum Chriſti Domini *afflictionum*, quas Euãgeliſtæ *timorem* ſeu *pauorem*, *tædium*, *triſtitiam* & *mærorem* ſeu agoniam appellant. Timor fuit *tormentorum*, & terribilis mortis, quæ illi imminebant; qui ſolet interdum grauius torquere, quam ipſa mors, inferens tremorem & ſtuporem quendam, qui
Pauoris. Agoniæ. *Pauor* dicitur; & anxietatem quandam interiorem, quæ dicitur *Agonia*, de quibus dicemus poſtea. Hic timor inuaſit Chriſtum Dominum noſtrũ tanquam innumerabilium militum exercitus, tot ſibi timores fabricans quot fuerunt poſtea tormenta. Habuit enim timorem *comprehenſionis*, *iniuriarum* illius noctis, *flagellorum corona* ſpineæ, & *crucis* & *clauorum* imò ictum etiam *lanceæ* quem poſt mortem ſuam, corpus erat accepturũ, horruit. Omnes hos timores ſuâ ſponte ſuſcepit, vt ſe illis affligens, fortitudinem ſuam in reſiſtendo manifeſtaret, non retrocedens propter illos ab incepto.
Oratio. O bellator fortiſsime, quam potiori iure dicere poſſes, quam dixerit Dauid: c *cor meum conturbatum eſt in me, & formido mortis cecidit ſuper me: timor & tremor venerũt ſuper me, & contexerunt me tenebræ*: qui tamen non propterea optas *pennas columbæ*, vt *volans* fugias; nam ipſum timorem ſumis, vt eum ſuperes.
c Pſal. 54. 5.
Tædij. Tædivm fuit *faſtidium* quoddam & inappetentia rerũ omnium huius mũdi, nihil in terra cernens, quod illi cõſolationem aut leuamen afferret; vt ſicut alter Iob, dicere poſſet: d *tædet animã meam vitæ meæ* quam tot malis & periculis obſeſſam videbat. Hac enim ratione, luebat ipſe tædium meum, circa virtutis opera; & inappetentiam ad tolerandum, quod in ea amarum eſt & difficile.
d Iob. 10. 1.
Triſtitiæ. Tristitia fuit grauitas quædam & *afflictio interna*, ob aduerſa, quæ tanquam præſentia intuebatur, naturali carnis ſuæ propenſioni repugnantia. Et quoniam labores & multi erant, & horrendi, eorum verò apprehenſio valde viua, quia tãquam diuino decreto ſtatutos, vt ineuitabiles apprehendebat, maiori affectus eſt triſtitia, quam fuerit vnquam vlla aut futura ſit in hac vita. Quę triſtitia etiam eſt illum aggreſſa, tanquam truculentorum militum exercitus, contriſtatum; quaſi reipſa videret ſe ignominia affectum, contemptum, ſputis fœdatum: deſertum & perſecutum.
Oratio. O lætitia Angelorum: cur te tot triſtitijs ſubieciſti? Quid hoc, quod lætitiam & gaudium tuum in pœnam tibi conuertas; vt pœnas & triſtitias meas mihi conuertas in gaudium! laudẽt te omnes Angeli, pro immẽſa hac charitate, qua tibi triſtitiã elegiſti, vt me repleres lætitiâ. Concede mihi, Domine, tantum animi robur in tuo obſequio, vt nec timor me deijciat, nec tædium opprimat, nec triſtitia conſumat, Amen.

In his omnibus perpẽdẽdũ eſt, ſicut infinita Chriſti Domini charitas

re iplẽduit in eo, quod mori deſideraret, & pro noſtro bono pati gauderet; ſic nunc eandem reſplendere, cũ pœnales hoſce affectus ſumit voluntariè: vt internos labores & afflictiones patiatur, quas patiuntur eius electi: & ſeipſum ſuis fratribus ſimilem facit in iis, quæ ſunt eis connaturalia, exceptâ culpâ: vt nobis exemplo eſſet patientiæ, & inuicem toleraremus, cùm continget, in eo nos ſtatu eſſe, in quo erat Iob, cùm dixit: *factus ſum mihimetipſi grauis.* Iob.7.20.

PVNCTVM III.

TERTIÒ conſiderandæ ſunt reliquæ cauſæ, quas adſumxit Chriſtus, vt ſe ad hanc triſtitiam & afflictionem internã permoueret, in quibus illæ rationes, & motiua proponuntur, quæ mihi iuſtam triſtitiam afferre poſſunt, quam Apoſtolus a *Triſtitiam ſecundum Deum appellat.* 2.Cor.7.10 PRIMA cauſa fuit *memoria*, viuaque apprehenſio *peccatorum* omniũ hominum, tam præteritorum, quàm præſentium, & futurorum, quæ ſibi præſentiſsima habebat: & magna euidentia cognoſcebat: cogitans tria valdè horrenda, quæ in illis ſunt: multitudinem ſcilicet eorum innumeram, grauitatem penè infinitam, ob iniuriam; quam inferunt Deo: & maxima damna, quæ adferunt hominibus, quos ad intoleranda inferni tormenta condemnant. Hoc totum maximam illi attulit triſtitiam, quam ipſe admiſit ſponte: tum vt triſtitiæ defectum, quã homines de ſuis culpis non ſentiunt, hoc interno ſuo dolore ſupplens illas lueret; tum vt eos ab æterna triſtitia eriperet, quam ſuis culpis promeriti erant.

I. Peccatorũ noſtrorum multitudo, grauitas, damna Chriſtum contriſtarunt.

Hoc perpendens imaginabor meipſum, in memoria & corde ipſius Chriſti; & attendam, quòd ipſe peccata mea & teporem aſpiciens, magnã concipiat triſtitiam & terribilem animi mœrorẽ; ideoque meritò & ipſe contriſtabor, tria prædicta perpendens, multitudinem ſcilicet & grauitatem peccatorum, & æternam pœnam, quã illis ſum promeritus: & contendam peccatum horreſcere, quod adeò grande eſt malum, vt eius ſola conſideratio ſufficiat, tantam Chriſto adferre triſtitiam.

O Pater æterne, hanc Filij tui vnigeniti triſtitiã & dolorẽ, offero in ſatisfactionem plurimorum & grauiſsimorum peccatorum meorum; pœnitet me ea admiſiſſe, ſed quoniam pœnitentia hæc & triſtitia, exigua valdè eſt; eam ego cum illius triſtitia coniungo, per eam tibi ſupplicans; vt meam augeas, vt hac pœnâ culpas meas luam. O Saluator mi, gratias tibi ago ob triſtitiam, quam propter mea peccata accepiſti. O ſi nunquam illa admiſiſſem, ne tantam illis pœnam tibi attuliſſem! deleas illa quæſo ex anima mea, vt nihil in ea ſit, quod tibi triſtitiã adferre poſsit, aut pœnam. Oratio

SECVNDA cauſa huius triſtitiæ fuit *conſideratio exigui fructus*, quem in multis hominibus productura erant media, quæ ipſe ad vberrimos producendos adhibebat: Incarnatio videlicet ſua, Paſsio & Mors, Sacramen-

II. Multorum torpor &

Digitized by Google

ignauia in negotio ſalutis, etiam contriſtauit Chriſtum.

ta, & ſacrificia, doctrina, & exempla vitæ ſuæ, in quibus omnibus perpendebat ipſe inſignem hominum ingratitudinem, cœcitatem, duritiem & obſtinationem in ſalutis ſuæ mediis reiiciendis, quæ ipſe tantis ſuis expenſis & laboribus illis offerebat: propter quod plurimi reipſa eſſent condemnandi. Poenam quoque illi adferebat tepor, & ignauia multorum aliorum, in percipiendo fructu ex his mediis, ad ſalutem & perfectionem eorum adeò efficacibus. In qua etiam conſideratione imaginabor me vnum eſſe eorum, qui meum ſaluatorem affligebant meis tepiditatibus: eò quòd eius paſſionem & mortem, non tanti facerem atque debebam. Quamobrem contriſtari cum illo debeo, ſupplicans, vt auferat à me, quidquid talem ei triſtitiam afferebat.

III. Omnium electorum ſuorũ paſſiones, afflictionesque Chriſtus ſenſit.

Tertia huius triſtitiæ cauſa fuit, conſideratio *afflictionum* omnium & triſtitiarum, quas eius electi, & omnes iuſti, ipſius cauſa erant perpeſſuri: quas omnes etiam præſentiſſimas habens, ita tunc ſentiebat, atque ſi ipſe tunc illas pateretur, eò quod illos interno amore & charitate ſibi coniunctos haberet; b *& qui eos tangeret, tangeret pupillam oculi eius*, quia magis illi ipſius cordi coniuncti erant, quã oculo ſit pupilla. Ibi perſentiebat afflictiones Apoſtolorũ & Martyrũ; perſecutiones Doctorũ, & miniſtrorũ Euangelii, tentationes; quas paſſi ſunt Cõfeſſores & Virgines: triſtitias & deſolationes iuſtorũ afflictorũ: ibi etiã præſentes habebat tribulationes & tẽtationes meas, meos timores & triſtitias, & tactus cõmiſeratione mei triſtabatur: volens affectu hoc cõmiſerationis, idẽ ſentire in ſe, quod ego patior in me, hac ratione me obſtringens, vt eodem ego affectu compatiar ipſi, in eis, quæ ipſe eſt paſſus. O piiſſime & clementiſſime Iesv, quid hoc eſt quod facis, vt contriſteris & affligaris? num ſatis non habes; dum proprias tuas pœnas conſideras: niſi etiam alienas conſideres, vt contriſteris de eis, atque ſi eſſent tuæ? ſufficiebat, Domine, ob mea peccata contriſtari: ſed interim de pœnis, quæ iuſtè mihi propter illa inferuntur, gauderes: at cum tua immenſa charitas nullum terminum habeat, triſtari vis ob culpas & pœnas meas, vt liberes me ab vtriſque. Concede mihi, Domine, ita de tuis laboribus contriſtari, ſicut de meis triſtabaris: tui ſiquidem reuera ſunt mei, cuius cauſa illos ſuſtinuiſti.

b *Zach.* 2. 8. V de intra *Medit.* 23. *p.* 2. *nu.* 4.

Oratio.

IV. Chriſtus doluit perditionẽ populi Iudæi: & populorũ à Fide deficiẽtiũ.

His generalibus triſtitiæ Chriſti Domini cauſis, particulares aliæ poſſunt accedere, qualis eſt *perditio* illius *populi* Hebræi, quem ipſe in ſuum elegerat: & eiuſdem ingratitudo, qui vitam ipſi adimebat. In eundem modum imaginari licet, ſenſiſſe Chriſtum Dominum perditionem aliquorum Chriſtianitatis Regnorum, quæ negatura erant & amiſſura fidem. *Iudæ* quoque condemnationem ſentiebat, videns Dæmonem illum ex ſchola ſua rapientem. Et imaginabor; ſicut homo grauiſſimos ſentit dolores, cùm aliquod membrum ipſi abſcinditur, quod reliquo corpori

V. Iudæ condemnatio quã Chriſto acerba

adeo

adeò eſt vnitum; ita Chriſtum Dominum, ſenſiſſe in corde ſuo impulſus & violentias Dœmonis, quibus aliquod membrum viuum corporis eius myſtici præcidebat, aut auellebat; atque ſi ipſa eius viſcera transfigeret; &, quem in ipſis infixum habebat, extraheret. O bone IESV, quàm innumera huiuſmodi tormenta ſimul patiebaris! præſentes habens lapſus tot iuſtorum, quos Dœmon ad ſe rapit: compatere mihi, Domine, nec me patiaris nunquam à te diuelli.

VI. Scandalū diſcipulorum. Afflictio Matris attulere Chriſto triſtitiam

TRISTABATVR etiam ob *ſcandalum diſcipulorum*, & afflictionem mœſtiſsimæ Matris ſuæ, quam etiam ibi præſentem habebat, ac denique, cùm verè dixerit Sapiens; c *qui addit ſcientiam addit & laborem*, ingentes Chriſto Domino noſtro attulit labores magna ſcientia viuaque apprehenſio, quam habuit de rebus omnibus, quæ illorum erant cauſæ. O Deus & ſcientiarum Domine, da mihi dolorum tuorum iſtam ſcientiam, vt magnam in illis partem habeam.

c *Eccl.1.18.*

PVNCTVM IV.

QVARTÒ conſiderandum, Chriſtum Dominum noſtrum, cùm à cæteris Apoſtolis feceſsiſſet, Petro, Iacobo, & Ioanni, quos ſecum acceperat, afflictionem ſuam aperuiſſe, vultuque valde mutato, dixiſſe: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem; ſuſtinete hic, & vigilate mecum.*

a *Matt.26.38.*

I. Quæ ſi triſtitia animæ vſque ad mortē.

PERPENDENDA itaque ſunt ipſa Chriſti Domini *verba*; & magnum quid, quod illis ſignificat. Dicere enim; *anima mea eſt triſtis vſque ad mortem*, idem eſt, atque ſi dicat; tanta mea eſt triſtitia, quanta in ipſa morte haberi ſolet: & quæ ſufficeret ſola, ad ipſam mortem mihi adferendam, niſi vitam ego, ad crudeliorem mortem ſubeundam, reſeruarem: Eritque tam prolixa, vt continuò ſit me vſque ad ipſam mortem afflictura: neque enim in toto reliquo vitæ meæ, vlla lætitia locum in me habere poterit. O Saluator mi, quomodo hæc verba cor meum non transfigunt, & lethali vulnere feriunt, cum te videam triſtitia mortis, mei cauſa contriſtari! O Virgo ſacratiſsima, ſi hæc verba audiuiſſes: an non illa gladius fuiſſent doloris, qui animam tuam puriſsimā, ab vna parte ad alterā pertranſiret, vt quæ coniunctiſsima eſſet animæ filij tui, vſque ad mortem contriſtatæ! O lethale peccatum, quantum pondus habes, ſiquidem in Chriſto efficis triſtitiam vſque ad mortem.

Oratio

II. Triſtitiam ſuā quam aperuerit Apoſtolis Chriſtus.

DEINDE cauſæ & *motiua* ſunt perpendenda, ob quæ CHRISTVS hæc verba dixerit Apoſtolis: quæ fuerunt duo. PRIMVM quia cùm hæc *triſtitia* eſſet *interna*; neceſſe fuit eius magnitudinem, externis ſignis nobis manifeſtari; vt intelligeremus, quàm multa & grauia, noſtri cauſa ipſe ſuſtineret; & gratos nos exhiberemus, & ad imitandum excitaremur: ſicut in cruce dixit, *ſitio*, vt cognoſceremus etiam illum cruciatum, quē noſtri cauſa ſuſtinebat; ſed nobis fuiſſet occultus, niſi verbo ipſe illū aperuiſſet.

SECVNDVM motiuũ fuit, vt oſtenderet ſe *hominẽ*, & ſubiectum triſtitiis & timoribus: & qui quà talis aliquod ſolatium inueniebat, dum ſuis chariſsimis diſcipulis afflictionem ſuã communicabat, vt ipſi compaterentur, & aliquo modo conſolarentur: & ideò dixit illis: *vigilate mecum*, & me comitamini. O deſolatorum conſolator, quis te adeò deiecit, vt conſolationẽ à tuis creaturis petas? Peccata mea, Domine, ad hoc te deduxerunt; & deſiderium, quo teneris meæ conſolationis, quam tuarum deſolationum pretio mihi comparas. Hinc diſcere etiã poſſum, non detrahi quidquã perfectioni patientiæ; quòd quis Confeſſariis, aut Magiſtris ſpiritus & fidelibus amicis, ſuarum deſolationum & aduerſitatum rationem reddat; quia poſſunt illi veram conſolationem in Chriſto nobis adferre.

III. Quare ſolum tribus Apoſtolis.

TERTIÒ perpendam cauſam, propter quam Chriſtus Dominus noſter, hanc ſuam triſtitiã, his tantùm Apoſtolis, potiùs, quàm aliis aperuerit: vt nimirum, qui gloriæ ſuæ *transfigurationis teſtes* fuerunt; iidem quoque, huius *triſtitiæ* & *agoniæ*, quam in ſua paſsione aſſumebat, teſtes eſſent: vt illam cum hac conferentes, agnoſcerent, aliiſque teſtificarentur, quantum ei debeamus, qui noſtri amoris intuitu, corpus ſuum tantâ gloriâ priuaret; & nunc terribili adeò triſtitia affligeret. Itẽ vt intelligamus, ſi Deus in hac vita ſuos electos cõſolatur, id facere, vt eos præueniat, & ad magnos labores tolerandos excitet: Et, ſi fauor & gratia reputatur, cũ Chriſto eſſe, in monte Thabor, eiuſque gloriam ſpeculari, & gaudiorum eius participes eſſe; etiam fauorem eſſe cenſendum, cum eodem Chriſto in horto manere, eumque in tanta triſtitia & mœrore conſtitutũ videre, & afflictionum ac triſtitiarum eius participem eſſe; neque huiuſmodi fauorem omnibus concedi, ſed dilectis ac intrinſecis magis. Ita ego credo, Saluator mi, & ita deſidero, ſupplex orans, vt hoc me fauore proſequaris, vt ſim vnus illorum paucorum, quibus tuos labores communices; magnumque illorum ſenſum concedas.

Conſolationes ſpirituales ſunt incitamenta laborum.

MEDITATIO XXI.

DE ORATIONE CHRISTI DOMINI noſtri in Horto.

PVNCTVM I.

CVM eſſet CHRISTVS modo prædicto triſtis, ſuoſque diſcipulos triſtes videret, exhortatus eos eſt ad orandum. a *Vigilate*, inquit, *& orate, vt non intretis in tentationem.* & accipiens idem conſilium ſibi, b *& ipſe auulſus eſt ab eis, quantum iactus eſt lapidis*, vt oraret.

a Matt. 26. 41.

b Luc. 22. 41.

Digitized by Google

CONSIDERA *primùm*, Chriſtum Dominum noſtrum, *verbo* & *exemplo* hic docuiſſe nos, deſolationes & mœrores noſtros non ſubleuari garriendo, & tempus inaniter cum aliis hominibus conſumendo, qui cordis cõſolationem adferre non poſſunt; ſed colloquendo cum Deo in oratione ad quem tanquam præcipuum noſtrum conſolatorem, recurrendum eſt: quia ipſe verè poteſt vel omnino triſtitiam noſtram auferre; vel eandem moderari, prout magis nobis expedire nouit. Diſcam itaque ex hoc exemplo, in meis tribulationibus, non quærere conſolationem ab hominibus, aut à terrenis rebus; ſed primùm (vt S. Iacobus ait) c *Triſtatur aliquis veſtrum? oret*: & à Deo ſubſidium expectet: & ipſa experientia diſcet, quod Dauid de ſeipſo fatetur: d *In die tribulationis meæ Deum exquiſiui: renuit conſolari anima mea; memor fui Dei, & delectatus ſum.* S. Tho. 3. p. q. 21. tota maximè a. 4. I. Triſtitiæ tempore orandum. c Iacob. 5. 13 d Pſal. 76. 3

DEINDE nos monet, *Orationem* firmiſsimum eſſe aduerſus tentationes, & pericula imminentia remedium: ideoque, dum illis nos circundari videmus, feruentiùs orandum eſt. Nec tamen orandum ſuaſit, ne tentemur; ſed, *ne intretis*, inquit, *in tentationem*, & in ea ſubmergamini. Sæpè enim expedit, nos tentari, & affligi: Oratio autem hoc nobis præſtat, ne ſuccumbamus; aut, ſi labi contigerit, ne omninò pereamus; ſed auxilio, quod nobis Deus præſtabit, reſurgamus. & quoniam tentatio quotidiana eſt, meritò repetam quotidie vltimam Dominicæ precationis petitionem. *Ne nos inducas in tentationem: ſed libera nos à malo.* Amen. II. Orandum cum tentamur, cum tribulamur.

PERPENDAM tertiò verbum illud, e *vigilate mecum*, hoc eſt, comitamini me vigilantem, vigilate, vt ego vigilo, imitamini me. Nobis innuens, ſecum vigilantibus vigilare; & orare cum orantibus; & vigilantes orantesque id facere cum ipſo, eundem & Magiſtrum & comitem, & adiutorem in his habentes. Cùm huiuſmodi igitur comite, cur non ego & vigilem, & orem animo lubenti? Adiuua me dulciſsime IESV, vt ſemper tecum vigilem; dies in labore, noctes in oratione expendens; & totos dies noctesque in obediendo tibi, qui mei amore ſemper vigilaſti, oraſti, & laboraſti. III. e Mat. 26. 38

DENIQVE *mortificationis* actum illum expendam, quo ipſe Chriſtus à comitibus ſuis Apoſtolis ſeparauit ſe, vt oraret. cùm enim in afflictione conſtituta natura, gaudeat inter amicos eſſe, qualiſcunque ſolatij ab eis accipiendi cauſa; illam ipſam naturæ propenſionem viriliter vincens, *auulſus eſt ab eis*, tanquam impetu ſpiritus, eam carnis ad manendum cum ſuis amicis propenſionem, ea ſeparatione vinceret, vt ſolus oraret. Concede mihi, Deus meus, vt f *ablacter à lacte, & auellar ab vberibus* humanarum conſolationum, & Orationi me totum dedicare, in qua ſanctiſsimam tuam voluntatem & cognoſcam & exequar. Amen. IV. Afflicti propenſio ad conſortium amicorum. Superanda eſt Chriſti exemplo. f Iſai. 28. 9.

PVNCTVM II.

a Luc.22.41
b Matt.26.39.
c Mar.14.35
Vide Sanct. Thom. ſup.
Orationis Chriſti ſenſus primus.
orationis Chriſti conditiones.

PERVENIENS Chriſtus Dominus ad Orationis ſuæ locum: a *poſitis genibus & b procidens in faciem ſuam c ſuper terram orabat, dicens: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Quaſi diceret, ſi abſque tuæ iuſtitiæ decreti detrimento fieri poteſt, vt calix iſte meæ paſsionis; à me ita tranſeat, vt illum non bibam, id mihi concede: ſed non peto fieri voluntatem meam iuxta naturalem eius propenſionem; ſed tuam, quàm ego meæ præferri volo. O altiſsimam orationem! ô reſignationem exactiſsimam! ô Magiſtrum orationis & obedientiæ peritiſsimum! quam altam mihi harum duarum virtutum lectionem prælegis! aperi, Domine, mentis meæ oculos, vt eam capiam; & aures, vt audiam, & exequar.

I. Solitudo ſiue ſecretum.

QVATVOR in hac oratione fuerunt valdè ſingularia, quæ in meũ commodum perpendere pat eſt. PRIMVM enim fuit *oratio*, ab aliis ſeorſim *ſeparata* & *ſola*, quò ab omnibus diſtractionum occaſionibus expedita, cum ſolo Deo ageret, omnibus naturalis propenſionis difficultatibus ſuperatis, vt prædictum eſt.

II. Animi corporiſq; Humilitas & reuerentia profundiſsima.

FVIT deinde huic orationi profundiſsima interna externaque coniuncta *humilitas & reuerentia* quæ ex illa ſumma æſtimatione oriebatur, quam Chriſtus de Maieſtate diuina habebat, & ex cognitione vilitatis humanitatis ſuæ, quà erat creatura, ac demũ ex præſenti neceſsitate, qua premebatur: nam aliàs orabat ſtans; nunc autem in animæ afflictione cõſtitutus, genibus flexis, & in faciem ad terram vſque proſtratus, orauit.

III. Fiducia ingens.

TERTIO eidem erat inſignis *confidentia*, amorque coniunctus, vt oſtendit verbum illud: *Pater mi*. nam ſæpè aliàs ſolùm Patrem compellauit; nũc addit: *Pater mi*, oſtendens creuiſſe fiduciam & amorem erga ſuum, non quomodocunque Patrem, ſed naturâ Patrem,

IV. Abnegatio propriæ voluntatis, cum abſolutiſsima reſignatione in volũtatem Dei.

PRAETEREA coniunctam habuit propriæ voluntatis abnegationem, & exactiſsimam in voluntate diuina reſignationem. Labores enim imminebant horrendi, quos naturæ propenſio maximè horrebat; afflictio interior grauiſsima: quare reſignatio illa abſoluta in ea occaſione, actus fuit heroicæ virtutis. Hæc omnia dũ perpendo, vehementer erubeſcã, ob harum virtutum in me defectum; oraboque ſupplex eundem Chriſtum Dominum, vt eaſdem mihi velit communicare: & quoties in aliqua me afflictione conſtitutum videro, eadem vtar orandi forma, eodemque ſpiritu, quo eam Chriſtus obtulit, offerre contendam. O Pater cœleſtis, ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix hic amaritudinis, quo iam premor: veruntamen non quod ego volo, ſed fiat, quod tu vis.

V.

SED & ſingulare illud conſiderandum eſt, quod habuit hæc Chriſti o-

Prolixitas, ſiue duratio.

ratio, quòd fuerit *prolixior.* Neque enim exiſtimandum eſt, eo tantum duraſſe tempore, quo verba illa protulit; ſed horam minimum vnam, vt licet colligere ex verbis illis ad S. Petrum: d *ſic? non potuiſti vna hora vigilare mecum?* Quam horam expendit Chriſtus in cogitandis expendiſque cauſis, quæ ipſum ad reuerentiam, fiduciam, amorem & reſignationem, cæteroſque affectus, quos in ea oratione exercuit, permouere poterant; ſed & memoria percurrebat paſſus omnes & partes calicis imminentis, ſeipſum in ſingulis paternæ voluntati reſignans ſeorſim dicens: PATER MI, SI POSSIBILE EST, TRANSEAT A ME CALIX ISTE triſtitiæ: ſed non quod ego volo fiat; ſed quod tu: tranſeat à me calix iſte comprehenſionis, calix verberum, &c. veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat.

d *Matt.* 26. 40.

VI. Secundus orationis Chriſti ſenſus, quē reuelatione didicit S. Catharina Senēſis.

EST etiam credibile, dixiſſe Chriſtum eandem hanc orationem in alio atque alio ſenſu, quos Sancti referunt, qualis eſt, quem S. Catharina Senēſis reuelatione diuina accepit. Quod videlicet Chriſtus Dominus, ex ingenti patiendi deſiderio, quo humani generis redemptionem ſitiebat, petierit ab æterno Patre, vt ſi poſſibile id eſſet, ea accelerаretur, & citiùs calix ille pertranſiret. & in eo exauditum fuiſſe: paucis enim horis eius Paſſio fuit expedita; & referemus ſtatim alios eiuſdem orationis ſenſus. Ad horum verò omnium imitationem par eſt, expēdere me horam vnam, aut ampliùs in ſeparata ab aliis oratione, ita vt licet eius argumentum ſit breuis aliqua ſententia, conſiderationes tamen affectuſque varij eam faciant prolixiorem; ſicut refertur de S. Franciſco, quòd integram noctem in hac breui ſententia expenderit: *Deus meus & omnia*: aut ſicut S. Auguſtinus in ea ſententia, qua loquens cum Deo, aiebat: *Nouerim te; nouerim me.*

S. Auguſt. & S. Franciſcus breuis ſententiæ in cōſideratione diu inhæſere.

PVNCTVM III.

a *Matt.* 26. 40.

PRIMA hac oratione finita, rediit Chriſtus a *ad Apoſtolos ſuos,* vt videret, num, iuxta præſcriptum vigilarent: ſed *inueniens eos dormientes, blandeq; excitans, dicit petro nominatim:* (quia ſe præ cæteris feruentiorem oſtenderat) *ſic? non potuiſti vna hora vigilare mecum? vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.*

I. Documenta ex facto Chriſti ſurgentis ab oratione, & ſuos viſitātis & leniter corripientis.

CONSIDERA primùm Chriſti Domini inſignem *Charitatem,* curamq; & ſolicitudinem, quam de ſuis diſcipulis gerebat: ſiquidem in tantis afflictionibus poſitus, orationem ſuam interrūpit, vt eos viſitet, animetq; mæſtos. Quos tamen etſi dormientes inuenerit, non indignatus contra eos eſt, ſed blandè corripuit, monens eos de imminenti periculo, repetenſque quod ante eis dixerat, *vigilate & orate, vt non intretis in tentationem*: nā etſi ſpiritus ſit promptus, caro tamen, vtpotè infirma, niſi oratione iuuetur & corroboretur, facilè ſuccumbet. Ex his omnibus docu-

mentc

menta ſunt accipienda ad perfectionem, ita ſtudendo in orationem, & mei collectionem incumbere, ne iis, quæ meæ curæ commiſſa ſunt, ſiue homines, ſiue negotia ſint, deſim. Itemque non aſperioribus verbis, ſed beneuolis blandiſque in ſpiritu lenitatis eos corripere, quos imbecillitate potiùs, quàm ex malitia delinquere animaduerto.

II. Diſcipulorum incuria.

In diſcipulis deinde, hominum in rebus ad ſalutem pertinentibus in*curiam* perpendam; quas tamen Christus tantâ curâ & ſolicitudine ſuſcipit. Quare in his, qui hic dormiunt, meipſum dormientem, ignauumque in meo profectu aduertens, exiſtimabo me eiſdem verbis, ab Ipſo Chriſto corripi: *Non potes* nec ad *horam vnam* vigilare mecum? O Domine, quàm iuſtè ignauiæ reprehendor, qui, te vigilante, dormire audeo: nec ſolùm non vigilo hora vna; ſed nec media vigilo, vt oporteret, à mea tractus inertia! ſed qui aduertis carnis meæ imbecillitatem, ſubueni mihi, nè, tecum vigilando defatiger.

III. Triſtitia in imperfectis ſomnolentiam in orando parit, in perfectis feruorem.

Perpendam præterea, inter perfectos & imperfectos quid interſit: in his enim triſtitia ſomnolentiam, animique deiectionem, & in oratione tædium adfert; quàm quòd intermittant, facilè in tentatione ſuccumbunt, ſicut hi Apoſtoli, Chriſtum, dum comprehenderetur, deſerentes, ſuccubuerunt: At perfectos ipſa triſtitia inuitat potiùs, & ad orationem deducit, in eaq; reddit viuaciores: & quò triſtitia magis augetur, eò creſcit magis feruor orationis, vt videmus in Chriſto creuiſſe: ideoque tantum abeſt, vt deficiant in tentatione; vt maiores contra eam vires, conſtantiamque recipiant. O Deus benigniſsime, b *non amoueas orationem meam, & miſericordiam tuam à me*. Eſt enim tanta inter eas connexio, vt ſi ego orationem meam non deſeruero; nec tua miſericordia ſit me deſertura.

b *Pſal. 65.* 20 Orationis & miſericordiæ Dei quanta connexio.

Pvnctvm IV.

Itervm a *ſecundò abijt, & orauit, dicens: Pater mi*, aut (quod maiorem affectum oſtendit.) a *Abba Pater*, quod eſt, *Pater Pater: omnia tibi poſſibilia ſunt, transfer calicem hunc à me: ſed non quod ego volo, ſed quod tu.*

a *Mar. 14. 39.*

I. Amoris & fiduciæ affectus requiritur in oratione, qui excitatur confeſſione omnipotentiæ Dei.

Perpende magnum illum amoris & fiduciæ affectum, qui verbo illo: *Abba Pater*, ſiue *Pater Pater*, oſtenditur, & in eiuſdem omnipotentiæ confeſsione, cui oratio ipſa innititur; dum priùs eum laudat, quàm petat, quod cupit obtinere. Atque ſi illi diceret: non deſines audire me ob amoris defectum, ſiquidem Pater es, & talis Pater; neque ob defectum potentiæ, ſiquidem omnia potes. Huius orationis forma vſui mihi eſſe poteſt in laboribus & periculis meis; & ita licebit, ſimilem aliam formare: *Abba Pater*, omnia tibi poſsibilia ſunt, libera me ab hac tentatione, quæ me premit:

Digitized by Google

mit: concede hanc virtutem, quâ indigeo, & quam peto; ſubueni huic neceſsitati, in qua ſum conſtitutus: *veruntamen, non quod ego volo, ſed quod tu vis fiat.*

II Deinde conſiderandum, bonum temporis interuallum, in hac oratione, fuiſſe à Chriſto Domino poſitum; & facilè credi poteſt, eodē tempore, orauiſſe pro omnibus hominibus; quorum, quòd vniuerſalis eſſet Redemptor, ſalutem cupiebat; & Paſsionis ſuæ fructum omnibus vtilem eſſe: ne tantorum laborum fructus in aliquo periret. & in hoc ſenſu ſimul cum eo, quem prædiximus, credere licet: eum prædicta verba dixiſſe: *Pater Pater, omnia tibi poſsibilia ſunt: ſi poſsibile eſt* non in me ſolo calix iſte ſubſiſtat; ſed *tranſeat* ad vniuerſos homines, vt omnes fructum eius ſentiant: *veruntamen non mea, ſed tua voluntas* fiat. Quæ petitio conformis omninò erat charitati ipſius Chriſti: qua & mihi licebit vti, æternoq; Patri ſupplicare, vt calix Paſsionis filij ſui efficaciter tranſeat ad totum vniuerſum; reſignatis interim & iudicio & voluntate, in diuinam æternamq; ipſius ordinationem. Tertius ſenſus orationis Chriſti.

In eadem hac conſideratione, licebit cernere ipſum Chriſtum quaſi præſentem, & ab æterno ſuo Patre petētem, vt ſuæ Paſsionis calix, ad me tranſeat, mihiq; fructus eius communicetur: quare ſupplex eum orabo, vt mihi fructum illum applicare dignetur. O Pater æterne, quandoquidem filius tuus, amarum adeò calicem bibit, vt toti huic mundo, & mille alijs ſi eſſent, vitam adferre poſsit, oſtende in hoc tuam charitatem & omnipotentiam, vt eius fructus reipſa ad plurimos tranſeat, pro gloria eius, qui illum bibit. Tranſeat & ad me, impleatque ſuis amaritudinibus, doniſque illis, quæ ipſe per eas obtinuit. Oratio.

III. Perpendi etiam poſſunt verba, quæ Sãctus Matthæus refert, Chriſtum in ſecunda hac oratione dixiſſe: *Pater mi, ſi non poteſt tranſire hic calix, niſi bibam illum, fiat voluntas tua:* atque ſi diceret apertiùs; ſi calix hic paſsionis ad electos tranſire non poteſt, & fructum illis adferre, niſi illum ego præbibam, id libenter faciam in illorum commodum. Gratias tibi Redemptor amantiſsime, quòd tanti me facias, vt amarum adeò calicem, intuitu mei commodi velis ebibere. Neceſſe omninò eſt, vt prius per te ille tranſeat, vt in eo tranſitu amaritudinem ſuam mittens, cùm ad me venerit, facilior ſit ad bibendum. Niſi tu eum præbibiſſes, quis fuiſſet auſus guſtare? poſtquam verò tu, adeò viriliter amanterque bibiſti; quis non illum etiam libenter ebibat? Tranſeat, Domine, tranſeat à te ad me: nam quicunque labores pro te tolerati, erunt iam mihi iucundi. IV. Senſus orationis Chriſti.

Digitized by Google

PVNCTVM V.

SECVNDA oratione finita rediјt Chriſtus ad Apoſtolos, eadem charitate, qua primò venerat: quos cùm etiam a *dormientes inueniſſet*, eorũ imbecillitatis commiſeratione permotus, quia a *oculi eorum erant grauati, & ignorabant, quid reſponderent ei,* b *iterum abijt & orauit tertiò eundem ſermonem, dicens:* c *Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me: veruntamen nõ mea volun tas ſed tua fiat.* Quæ ratio fuit etiam prolixa: nam (eodem S. Luca teſte) *factus in agonia prolixiùs orabat,* ſuam videlicet orationem producens.

a *Marc.* 14. 40.
b *Matt.* 26. 44
c *Luc.* 22. 42

I. Chriſti deſolatio.

HIC perpende primùm, CHRISTVM Dominum noſtrum, etſi nõ ignoraret Apoſtolos ſuos dormire, voluiſſe tamẽ ad eos venire, vt quam de illis curam gereret, aperiret. Sed nominatim perpende, quid Saluator noſter ſenſerit tũc cùm cerneret, ſe omni ſolatio deſtitutum! Locus enim erat ſeparatus & ſolitarius! tempus ipſum tenebroſum: diſcipuli ſomno oppreſsi: mater eius abſens: Pater cœleſtis videbatur aures, ne audiret, obturaſſe: diuinitas, & pars animæ ſuperior ſinebat inferiorem portionem omnia pati: vt omninò locum in eo habuerit illud Dauidis: d *Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit; & qui conſolaretur, & nõ inueni;* & fas eſt credere, protuliſſe ipſum illud Pſalmiſtæ *Deus Deus meus, reſpice in me, quare me dereliquiſti: Deus meus, clamo per diem & non exaudis; & nocte, &,* vt ſpero, nec ob culpam meam, vel *ad inſipientiam* aut damnum *mihi.*

d *Pſal.* 68. 21
e *Pſal.* 21. 2.

II. Sed ſine vlla impatientia, & orationis intermiſſione.

ET hinc profecta eſt tanta Chriſti deſolatiſsimi perſeuerãtia in orando, abſque vlla, eò quod non exaudiretur impatienti querela, aut tædio, aut orandi intermiſsione; ſed item ſemel ſecundò & tertiò, ipſo repetente; potius feruor creſcebat ſemper; vt hoc ternario orãdi numero, qui perfectionem ac durationem indicat, doceret me inſtanter & perſeueranter orare; nec conqueri de Deo, etiam ſi non exaudiat, aut exaudire differat; nec propterea ab orando deſiſtere. Nam ſi Chriſto Domino meo, qui vel ad primam inſinuationem exaudiri dignus erat, non niſi tertiò orationem ſuam repetenti, reſponſum datur: quid mirum, ſi mihi indigniſsimo qui exaudiar, reſponſum differatur? &, ſi dilatio illa in reſpondendo, Chriſto non attulit incommodum; nec mihi adferet: & ſi perſeuerauero, exaudiar tandem proculdubio in tempore & in re, quam poſtulo; ſi mihi expedierit eam obtinere: f *ſi non eò quod amicus ſim: propter improbitatem tamen* in petendo *dabit quidquid mihi erit neceſſarium.*

2. *Cor.* 12. 8. Ter Dominũ oraui.
Trina Chriſti oratio deſignat orãdi perſeuerantiam.
f *Luc.* 11. 8.

III.

DENIQVE expendam, æternum Patrem propterea tamdiu reſpõſum, orãti Chriſto dare, diſtuliſſe, vt magis nobis innoteſceret, quam nobis eſſet eius filij paſsio neceſſaria: ſiquidem petenti, vt tranſiret à ſe, & ſi poſſibile eſſet, vt calicem illum non biberet, tam diu reſponndere diſtulit quod ipſum meritò me vehementer impellet ad ipſum ardentiùs aman-

dum,

dum, qui tanti fecerit bonum & commodum meum. O Pater ſupreme, cur ſeruos tanti facis, vt illorum cauſa filium proprium ita affligas! Cur ad ipſius clamores obſurdeſcis? nec ijs acquieſcis, quæ ipſe adeò inſtanter rogat, vt ijs conſulas, qui nunquam tibi acquieſcunt? *Si* g *voluntatē timentium te facis, & deprecationem eorum exaudis* velociter: cur non ei acquieſcis & annuis, qui te adeò amat? cur non ſtatim atque ad te h *clamat, dicis ei: ecce adſum*, quid à me requiris? Tua Deus meus, filijque tui charitas horum omnium eſt cauſa. Nam eo modo, quo tu illum exaudire non vis, nec ipſe vult exaudiri, vt qui ſalutem noſtram propriæ vitæ præferret. Concede & mihi hanc cum tua voluntate coniunctionem, in tuis omnibus decretis: nam etſi aliquid ob culpam meam in me ſtatueris, non erit, vt mihi noceat, propter ſummum illum amorem, quo filium tuum proſequeris. Cui ſit honor & gloria in æternum. Amen.

Chriſto orãti cur tam diu dilatum à Deo Patre reſponſum.

g Pſ. 144.19
h Iſai. 58.9.

MEDITATIO XXII.

ANGELVS CHRISTO APPARVIT, ET ipſe ſanguinem ſudat.

PVNCTVM I.

PERSISTENTI in ſua oratione Chriſto, a *Apparuit illi Angelus de cœlo, confortans eum.*

PERPENDENDVM hîc, quis hunc Angelum miſerit, quis fuerit ipſe *Angelus*, & qua ratione Chriſtum confortauerit. Qui Angelum miſit, eſt æternus Pater qui videns filium in tanta afflictione, ac deſertione, in oratione tamē perſeuerantem, per hunc Angelum voluit eum conſolari; vt hac ratione oſtenderet ſuam de eo prouidentiam & curam; & ſe non deſpicere orationem eius: ſicut etiam, cùm in deſerto dæmonem vicisſet, & b *Angelos* miſit, qui cibum eſurienti *miniſtrarent*. Docet nos autem eadem opera, paternam ſuam curam circa eos, qui orationi incumbunt: mittens eis per inuiſibilem Angelum, Sanctam videlicet inſpirationem ſuam, opportuno tempore cōſolationem: quam ſi differt interdùm, non id facit, quòd orantem oderit, aut reipſa non audiat; ſed vt tempore, quo ei magis expedit, illam mittat. O Pater æterne, gratias tibi ob miſſum Angelum, qui mœſtiſsimum tuum filium cōſolaretur. Per eundē oro ſupplex; ne me in tribulationibus meis deſeras: ſed in tempore mihi mittas ſolatium, quo eas perferre poſsim.

a Luc. 22.43

I. Angelus miſſus à Deo Patre ad confortandum Chriſtum, docet Dei curã circa orantes.

b Mat. 4.11

III.
S. Th. 1. p. q. 113. ar. 4. ad 1.
Angelum illum Gabrielem fuiſſe, qui verbo Incarnato aſſignatus Miniſter.
Angeli aſſiſtunt orãtibus.

ANGELVM qui venit, credibile eſt fuiſſe Gabrielẽ, cui commiſſum erat incarnato Verbo miniſtrare: non tanquam cuſtodi, ſed tanquam miniſtro, & executori eorum, quæ ad obſequiũ eius pertinebant in myſterio Redemptionis. Et quamuis vnus tantum Angelus venerit, quia is erat ſufficiens ad Chriſtũ confortandum; ſi tamen plures ad id fuiſſent neceſſarij, etiam decem eorum Legiones ab æterno Patre impetrare potuiſſet eius oratio: ſicut paulò poſt ipſemet Petro dixit. In quo apparet, Angelorum munus eſſe orantibus aſsiſtere, vt conſolentur, & animum eis addant eorum orationes Deo offerant, & earum expeditionem referant: ipſa verò oratione illos permouemus, vt, quotquot erunt ad noſtrum auxilium neceſſarij, ad nos veniant.

III.
Qua forma apparuerit Angelus Chriſto.
Quas adduxerit rationes ad conſolandũ Chriſtũ Oratio.

PERVENIENS itaque Angelus ad Chriſtum orantem, ſpectabili indutus corpore ſumma reuerentia, vultuque commiſerationis pleniſsimo locutus eſt illi, aliquibus adductis rationibus quæ ipſum poſſent conſolari, & in afflictionibus confortare. Quod videlicet æterni Patris voluntas ac decretum eſſet, vt ipſe mortem ſuſtineret, calicemq; paſsionis ebiberet; eò quòd mundi redemptio id exigeret; & captiuorum, qui in Lymbo detinebantur, liberatio, vt ipſum cælum iuſtis & electis conderetur: vt Prophetiæ implerentur: quod iminentes cruciatus breui finirentur, ſequeretur verò mox reſurrectionis gloria, & carnis ipſius æterna requies: has & ſimiles adduxerit Angelus rationes, quas Chriſtus Dominus demiſsè audiens, oſtẽdebat ſe, quà hominem, ſuæ creaturæ huiuſmodi confortatione indigere. & quamuis ipſe non ignoraret, quæ Angelus ad ipſius conſolationem adferre poterat, libenter tamen eum audiebat: & audiens confortabatur. O Saluator mi, quid ſibi vult, vt qui Angelorum es conſolatio & fortitudo, in eas te conijcere volueris anguſtias, vt vnius illorum confortatione indigeres! Charitas omninò tua effecit, pro qua infinitas tibi gratias ago: peto verò ſupplex, mihi vt adſis, ad fructum: ex ipſius Angeli cuſtodis, tuiſque (qui magni conſilij es Angelus) conſolationibus & monitis, capiendum. Ex hoc etiam exemplo diſcam, eò me dimittere, vt à quocunque accipere conſolationem non renuam, etiamſi minus ille ſit ſapiens, aut prudens, quàm ego; & licet ego æquè nouerim, quæ ille ad mei conſolationem adferre poſsit: ſæpè enim Deus per minores & inferiores conſolatur Superiores; nouumque illis ſenſum communicat veritatum, quas ipſi antea nouerant. Accipiam etiam documentum, diuinas potius quam humanas rationes conquirendi, ad conſolationem mearum calamitatum; & ſimul audiendi, quas Spiritus S. verus & ſolidus conſolatur cordi ſuggerere conſueuit, ad eius conſolationem.

Cõſolatur ſæpè Deus Superiores per minores & inferiores.

PVNCTVM II.

AVDITIS Angeli rationibus, Chriſtus a *factus in agonia prolixius orabat. Et factus eſt ſudor eius, ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram.* a Luc.22.43

CIRCA quem commiſeratione digniſsimum caſum, conſiderandæ ſũt ſudoris huius adeo extraordinarij & prodigioſi cauſæ: in eo enim apparuit internæ afflictionis acerbitas, qua innocentiſsimi huius Domini animus afficiebatur. Sudoris ſanguinei cauſæ.

I. Pugna triſtitiæ cum Zelo gloriæ Dei & ſalutis hominũ.

PERPENDAM itaque acerrimam *pugnam* inter triſtitiam & timorem mortis imminentium cruciatuum ex parte vna, zelum verò Dei gloriæ, hominumque ſalutis ex altera, in ipſa Chriſti anima exortam. Vis enim imaginandi, efficaci dolorum apprehenſione, affectus timoris, triſtitiæ & agoniæ internæ vehementes excitabat; ſed ratio ſuperior, mortis neceſſitatem ex prædictis cauſis æſtimans zeli amoriſque affectus excitans alijs contrarijs reſiſtebat: quo affectuũ cõflictu, eò vſq; excreuit agonia & animi mœror, vt ſanguis pro ſudore toto corpore eruperit, in tanta copia, vt ad terram vſque deflueret. O fortiſsime athleta, quid tibi opus eſt adeo fortiter contra timores triſtitiaſque certare, quæ tuæ in omnibus ſubiectæ ſunt voluntati? Præparare te fortè & delibare nunc vis luctam & congreſſum, qui te cum tortoribus & carnificibus expectat? aut ſtadium totius imminentis Paſsionis tuæ ſic mente perambulare, priùs quam ipſe conflictus accedat? aut mihi exemplum præbes, aduerſus animi mei perturbationes, dimicandi ſtrenuè videlicet vſque ad ſanguinem, donec illas omnino ſuperem, rationique ſubijciam? pro omnibus, immenſas gratias ago, ſupplex petens, vt gratia tua ſic me præuenias, vt artem hanc, contra omnes animæ meæ hoſtes ſtrenuè decertandi, & diſcam, & reipſa exerceam. Ratio autem aduerſus animi mei propenſiones ad imitationem eius quod hic geſsit Chriſtus decertandi, ea erit; vt ob oculos mihi diſtinctè proponam ea omnia, quæ timorem mihi terroremq; in via virtutis, & executione diuinæ voluntatis adferunt, ſiue timor ſit paupertatis, ſiue doloris, ſiue ignominiæ, ſiue morbi, aut alterius cuiuſuis difficultatis, viriliterque decertans, feruenti gloriæ Dei, meque ſalutis zelo contendam illas vincere, ſenſuumque appetitiones omnes diuinę ſubijcere voluntati, eiſdemq; vſq; ad ſanguinẽ ex animi contra eas obfirmatione reſiſtendo.

Oratio. Tantæ pugnæ rationes. 1. 2. 3.

II. Chriſti liberalitas in fundendo Sanguinem, pro nobis.

DEINDE immenſum Chriſti *amorem*, profuſamquè liberalitatem perpendam, qua ſanguinem ſuum ſponte pro nobis effundit, qua de cauſa in Canticis arbori mirrhæ comparatur quæ primum b *diſtillat*, ſudoris in- b Cant.5.

Myrrhæ arbori quare comparetur Christus.

ſtar per ſuos poros, *myrrham primam*, ea autem poſtea puncta, corticeque ſpoliata maior erumpit copia: ita Chriſtus Dominus noſter, noluit carnificum verbera, ſpinas & clauos expectare, vt ſanguinem illi extraherent; ſed priùs voluit imaginatione & ſancto ſuo zelo, tanquam ſpontaneis à ſe adhibitis carnificibus, & flagris, & clauis adeo ad viuum cruciatus omnes, quos in omnibus corporis ſui partibus, erat poſtea perpeſſurus, apprehendere, vt ſanguinem pro ſudore effunderet per caput, faciem, dorſum, pectus, & per reliquas partes, ita vt illa hora ſpiritualiter, & agmine quaſi ſimul facto, paſſus fuerit, quidquid poſtea ſuccedaneis horis erat perpeſſurus: atque ſi ſpiritu comprehenderetur, verberaretur, ſpinis coronaretur, crucifigeretur, felleque potaretur, mortis denique doloribus torqueretur; quo intelligeretur magis ipſum optare ſanguinem ſuum intuitu noſtri boni effundere, quam ipſos carnifices, eundem, vt ei nocerent extrahere. O arbor Myrrhæ benedicta, quæ antequam excorticeris & pũgaris, *myrrham primam* per corporis totius poros *diſtillas*. gratias tibi ob adeo profuſum amorem, & benignisſimam, liberalitatem, quam hic oſtẽdiſti! ſuffeciſſet Domine ſemel cruciari: ſed charitas tua liberaliorem ſe voluit oſtẽdere: quo noſtra redemptio eſſet copioſior; & patiendi exemplum, quod nobis præbes, efficacius. Vtinam imitari liceret! & d *faſciculũ mirrhæ* huius *primæ* collectum *inter vbera mea* reponere: vt dolenter amaritudines, quas hic es perpeſſus, recogitans, *manus meæ ſtillarent myrrham probatisſimam*, caſtigationem videlicet carnis meæ, per opera pœnitentiæ, ad imitationem tui, qui tuam, etſi innocentem, adeò ſeuerè caſtigare voluiſti. Adiuua me, dilecte mi, tua gratia, vt voti huius fortiter compos euadam.

Supra Introd. §. 1.

Cant. 5. 17.

d *Cant. 1. 13. & 5. 15.*

III. Chriſti tenerrimus ſenſus de peccatis noſtris.

Tertia huius *ſudoris* fuit cauſa, vt viuum ſuum tenerrimumque ſenſum de noſtris peccatis lethalibuſque vulneribus, quibus totum myſticum Eccleſiæ corpus eſt ſauciatum, magis nobis aperiret. Ad cuius remedium, voluit ipſe, tanquam caput noſtrum, interni doloris pharmacum tanta vehementia ſumere, vt toto ſuo corpore naturali ſanguinem ſudaret. & quoniam peccata lachrymis ex hoc dolore obortis purgantur, & remittuntur, tantum ipſe ſenſit, vt non ſolum tanquam aquæ guttæ per oculos lachrymæ, ſed vt ſanguinis guttæ, quæ terram ipſam irrigarent, per omnes corporis poros effluerent. O ſanguis pretioſisſime, infinito amore & ingenti dolore pro meis peccatis effuſe! O ſi quis terra illa eſſet, in quam defluxiſti! vt tali lauacro ablutus, mũdus euaderet, ac ſanctificatus: laua me ô bone Iesv, iſto tuo ſanguine: & vel vnicam eius guttam mihi applica; quia illa ad meam ſalutem ſufficiet. & quid ad meam dico? cum ad Vniuerſi totius ſola vnica ſuffeciſſet? cur ergo Saluator mi, tot effundere voluiſti? O amor verè immenſe, & abſque menſura! ô quis immenſè

Oratio

& ſine

& ſi ne termino te amaret! O ſi omnia membra, & corporis particulæ in linguas conuerterentur, vt tuas laudarem miſericordias: & in oculos, quibus ſanguinis lachrymas pro meis peccatis effunderem.

IV. Chriſti ſenſus in afflictionibus electorum ſuorum. *Lib. de Triumphali Chriſti agone cap. 19. num. 40.*

VLTIMA cauſa fuit, vt oſtenderet, quantum illi ſenſum adferrent *afflictiones* & perſecutiones, quæ myſticum electorum ipſius corpus manebant; ex quorum commiſeratione ſanguinem nunc ſudauit, & (vt Sanctus Laurentius Iuſtiniamus ait) ibi fuit cum ſancto Stephano lapidatus, cum Sancto Petro crucifixus, cum Sancto Andrea eidem coextenſus, cũ Sancto Bartholomæo excoriatus, cum Sancto Laurentio in craticula aſſatus, cum Sancto Ignatio à beſtijs dilaniatus, ac denique ſpiritu ipſe paſſus eſt, quidquid eius omnes Martyres paſſi ſunt in corpore, in cuius teſtimonium nunc ſudat ſanguinem ex ſuo. Digniſsimus omnino es, ô Saluator hominum, quem omnes laudent, ament, & tibi toto conatu ſeruiant, ob tanta eius amoris indicia data. O ſi quis mihi daret, ita dolores tuos ſentire, vt vel eorum cogitatio, ſanguineum à me ſudorem eliceret! Si enim caput ſentit adeò ſuorum membrorum dolores; conſonum omnino eſt, & membra ipſa, capitis ſui dolores perſentire.

Chriſti poſt ſudorem debilitas corporis.

DENIQVE perpendendum, quanta fuerit Chriſti *debilitas* poſt hunc ſudorem! quàm ſolus, nec habens quo ſudorem abſtergeret: aut qui leuamen aliquod illi offerret! Angelus ſolus rem obſtupeſcens, iterum forte confortauerit; donec abeũdi tempus adeſſet. O IESV afflictiſsime, ſi quis in horto iſto fuiſſet, vt in tanta afflictione te comitaretur: O quis animã tibi & cor offerre potuiſſet, vt ſudorem abſtergere, & leuamini tibi eſſe licuiſſet! Da mihi ſpiritu id preſtare, quod tunc ex compaſsione reipſa facere voluiſſem, in tuum ſolatium.

PVNCTVM III.

a *Luc. 22. 46.* b *Marc. 14. 41.* b *Matt. 26 45.*

PVGNA hac & ſudore ſanguinis finito, a *ſurgens* CHRISTVS *ab oratione venit tertio ad diſcipulos, & inueniens eos dormientes præ triſtitia*, b *ait illis*: dormite iam & requieſcite. *Sufficit: Venit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorũ. Surgite, eamus: Ecce appropinquauit, qui me tradet.*

Chriſtus ex oratione ſurrexit fortior. Orationis vis ad carnis imbecillitatem corroborãdam.

PERPENDE primum, quantam virtutem & fortitudinem caro ipſa CHRISTI, ex oratione acceperit, ad paſsionis conflictum aggrediendũ: hoc nos exemplo docens efficacitatem orationis, ad carnis imbecillitatẽ corroborandam, & animum ei addendum, quo aggredi audeat, quod prius horrens refugiebat.

II.

DEINDE perpende Chriſti Domini *manſuetudinem*, qui etſi in tanta fuiſſet agonia & anguſtijs, videretque diſcipulos adhuc dormientes, nullà eſt commotus indignatione, ſed commiſeratione potius dicens eis. *Dormite iam*

Digitized by Google

te iam & requieſcite. O bone Iesv, quanto magis tu ſomno & requie indigebas, quam tui diſcipuli! ſed amantiſsimi inſtar patris, tibi labores & curas accipis; tuis vero filijs requiem concedis.

III. Pavlò poſt eos excitans: *Sufficit*, inquit, *ſurgite eamus: ecce appropinquauit qui me tradet:* tanquam comiter eos monens diceret: Vos dormitis, qui amici mei eſtis: non ita inimicus meus, qui vigilans in necem meam, iam adeſt. His ego pudore afficiar, attendens, quantò diligentiores ſint iniqui ad offendendum Chriſtum, quam ego ſim ad ſeruiendum eidem. Sed eius tamen virtuti gratiæque innitens, ab hoc meo ſomno & torpore ſurgens, eum in ſuis laboribus comitabor, meipſum promptum offerens, ad ſimiles, ipſius amore ſubeundos.

MEDITATIO XXIIII.

APPLICATIONEM CONTINENS INTERNORUM animæ ſenſuum ad ſanguinem Chriſti Domini in horto effuſum.

2. P. Medit. 16.

PRAEMISSIS, *quæ de hac orandi ratione, per ſenſuum applicationem ſunt dicta, erit hac meditatio vſui, ad reliquas Paſsionis Domini partes, in quibus Chriſtus fudit pretioſiſsimum ſanguinem: ſicut etiam ad eum, quem in ſua circumciſione fudit.*

Pvnctvm I.

Internis animæ oculis quomodo aſpicienda effuſio Sanguinis Chriſti, & eius oblatio in Sacrificio Miſſæ.

PRimvm, internis animæ Ocvlis aſpiciam *ſanguinem*, quem effundit Iesvs Dominus noſter, perpendens, quis eſt, qui effundit; cur, quo modo, qualique affectu eum effundat. Quomodo videlicet ipſe Deus infinito amore, grauiſsimo dolore, & contemptu indigniſsimo, ſanguinem ſuũ pro meis peccatis effundat! qui viuis virtutum eius, patientiæ, humilitatis, & charitatis coloribus illuſtratus effluebat. Ex quo aſpectu, eliciam affectus admirationis, amoris, & gratitudinis, & imitationis, in hunc modum. Sic ne poſsibile eſt, quod Deus tantæ Maieſt. pretioſum adeò ſanguinem, pro vili adeo creatura, atque ego ſum, effundat! & tot proprijs impenſis meum quærat remedium! ex proprio ſuo ſanguine antidotum peccatori mihi conficiat! Benedicatur bonitas, quę nec termino clauditur, nec habet menſuram! Quas tibi laudes reddam pro tanta beneficentia? qui poſsim ſatis, &, vt teneor, gratum me oſtendere! Quomodo ex toto corde te diligam! Quomodo excelſas adeo imitabor virtutes! Statuo tamẽ Deus meus, aſsiſtente mihi gratia tua, eas pro viribus imitari, quamuis ſanguinem meum, vt te ſequar, effundere me oporteat.

PVNCTVM II.

AVRIBVS deinde animæ internis audiam voces & clamores ſiue ſtrepitum *effluentis ſanguinis*, & exercitij tot altiſsimarum virtutũ.

Auribus internis, quomodo audienda

PRIMVM ergo ſanguinis huius clamores voceſque perpendam, quibus apud æternum *clamat* Patrem, non vltionem, vt *Abelis* ille, ſed miſericordiam erga homines, ac remiſsionem petens, qui & exauditus, impetrat quod petit: quia non poteſt Pater æternus talem clamorem nõ exaudire. Ex quo magnos fiduciæ affectus eliciam, cum ſanguinis huius intuitu mearum culparum veniam petiuero. I. *Heb.* 12. 24.

DEINDE voces quoque illas audiam, quibus me Chriſtus, per ſuum hũc ſanguinem alloquitur, dicens: cum ego pretioſum meum ſanguinem in tuum effundam commodum; da mihi tu viliſsimum tuum, in meum obſequium; reſiſtendo videlicet peccato vſque ad ſanguinis, ſi opus erit, effuſionem; ne illi conſentias. II.

TERTIÒ etiam illa verba audiam, quæ patri ſuo æterno Chriſtus dixerit, dum ſanguinem ſuum eidem pro nobis offerret. O quam libenter ea Pater audiuerit, & oblationem acceptans, promiſerit illi quidquid propter eam peteret. III.

DENIQVE ipſius etiam Saluatoris gemitus audiam, & fluentis ſanguinis ſtrepitum: compatiarque illi ob tot dolores, ita illos in me transferẽs ac ſentiens, atque ſi verè mei eſſent: defleamque ob meas culpas, quæ illorum cauſæ fuerunt. IV.

PVNCTVM III.

INTERNO præterea ODORATV percipiam ſanguinis huius odorem fragrantiamque ſuauiſsimam, quæ ad æternum Patrem aſcendens, eius iram, & iuſtam indignationem aduerſus homines, multo efficacius placat, quam a *ſacrificium animalium* cruentum quod *obtulit Noë*. O quam ſuauiter illi redolet, quod tãto amoris igne videat effundi, & in ſacrificiũ ſibi, & oblationem pro noſtris culpis, offerri à filio ſuo, b *qui* (vt Apoſt. ait) *tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo, in odorem ſuauitatis!* Perpendam quoque, quam ſuauem Deo odorem id præbeat, cum eundem ſanguinem, in Sacro Miſſæ ſacrificio, eidem offerimus: magnos ex hoc amoris & fiduciæ effectus hauriens, virtutum etiam fragrantiam percipiam, quæ eam ſanguinis Chriſti effuſionem comitantur, qua fragrãtia, cor meum confortans me ad earum virtutum imitationem excitabo, c *poſt eum currens in odorem* talium *vnguentorum*, vt aliquam eius virtutum obtineam: bene perpendens, quod humilitas, patientia & obedientia meo ſanguine tinctæ, & Chriſti ſanguine commixtæ, fragrantiſsimum afflent odorem, æternoque Patri iucundiſsimum, ob ſimilitudinem, quam gerit, ſãguinis filij ſui: quãobrem me ad eas imitãdas & procurẽdas vrgebo,

Odoratu interna quo modo percipiẽda

a *Gen* 8. 20
b *Epheſ.* 5. 2

c *Cant.* 1. 3.

PVNCTVM V.

Guſtu interno, vt delibanda.

GVSTV etiam animæ interno, ſuauitas & dulcedo huius ſanguinis eſt delibanda, & virtutum, quæ in eius effuſione reſplendent: attẽdendo, quanta iucunditate aſficeretur pars ſuperior ſpiritus huius Domini, cum eum effundebat, vt æterno Patri obediret, & remedium nobis adferret. Percipienda quoq; eſt eiuſdem ſanguinis ineffabilis ſuauitas, cum in ſacratiſsimo Altaris Sacramento ſumitur: eadem nunc animam meam oblectans & exoptans, eius ſemper eſſe participem. Deguſtanda eſt etiam immenſa hæc dulcedo, qua etiam res amariſsimas huius vitæ dulciſſimas facit, ſi in eum intingantur: ſtatuens ſemper illum pro condimento adhibere obedientiæ, & humiliationis, contemptus & aliarum calamitatum, quæ in vitæ meæ decurſu ſe offerrent. Sed & alias amaritudines doloreſque quos in carne ſua hic Dominus ſuſtinet, deguſtans, in meis intimis ſentiens, iuxta illud Apoſt. a *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto* IESV. O dulciſsime IESV, ſi mihi daretur ſentire, quod tu ſentiebas: guſtareque quod guſtabas, cum pretioſum tuum funderes ſanguinẽ. Fac, Domine, vt illud ſentiam, etiam ſi amariſsimã: nam hoc ipſo quod tu prælibaſti, mihi accident iucundæ.

Sanguine Chriſti dulcoratur omnis amaror huius vitæ.

a Phil. 2. 5.

Oratio

PVNCTVM VI.

Tactu interno quomodo contingenda.

TACTV denique interno animæ, contingam ipſum ſanguinem, exoſculabor, meipſum in eum immergam & balneabo, vt a *lauer*, *dealber*, & purificer *ſanguine agni* huius immaculati. O ſi mihi contingeret eſſet terram, quæ pretioſum hunc ſanguinem excepit! O ſi cor meũ Reliquiarum eſſet, in quo tanquam in depoſito reconderetur! O IESV ſanguis effuſe infinito amore, dolore & contemptu; accende me deſiderio dolores contemptuſque patiendi, pro eo, qui te effudit! O ſanguinem, qui in ſacratiſsimo Altaris Sacramento, in pectus meum illaberis: ego te contingo, te palpo, guſto, & amplector, tibique meipſum incorporo & coniungo: cupioque in tuis ſemper eſſe complexibus, eique coniunctus, qui te mihi donauit. Amen.

a Apoc. 1. 5. & 7. 14.

MEDITATIO XXIV.

DE IVDAE CVM COHORTE ET MINIſtris aduentu ad comprehendendum Ieſum.

PVNCTVM I.

CHRISTO poſt orationem, cum vndecim Apoſtolis in horto colloquente: a *Ecce Iudas vnus de duodecim cum accepiſſet cohortem, & à Pontificibus & Phariſæis miniſtros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis:* b *dederat autem Iudas eis ſignum, dicens: quemcunque oſculatus fuero ipſe eſt, tenete eum,* c *& ducite caute. & accedens ad IESVM, ait: Aue Rabbi, & oſculatus eſt eum: Dixitque illi IESVS: Amice, ad quid veniſti?* d *Oſculo filium hominis tradis?*

a Ioan. 18. 3
b Matt. 26 48.
c Marc. 14 44.
d Luc. 22. 48.

I. Iudæ proditoris nequitia & impudentia.

PERPENDE primum, quas verſutias Satanas per Iudam excogitauerit, vt Chriſtum comprehenderet; *militum* inſolentium *violentiam*; ipſius *Iudæ calliditatem*, qua proditionem oſculo pacis contegeret: cuius etiam execrãdum facinus fuit, quod ex eiuſdem Chriſti Apoſtolo, caput, Duxque ſit factus proditorum, & capitalium Chriſti hoſtium; quos docet quid ſint facturi, vt voti compotes fiant; ne triginta argenteorum, quos poſt traditum illis Chriſtum accepturus ab eis erat, iacturam faceret. Ac denique intolerandam eius impudentiam; quam oſtendit, dum notitia ipſius Chriſti, locique ad quem orationis gratiâ accedere conſueuerat, vtitur ad illum tradendum; & pacis de more oſculo, ad eum indicandum. Ex quibus omnibus, magnum timorem concipiam profundiſsimorum iudiciorum Dei: quem ſupplex orabo, ne me deſerat; nec permittat iniquitatem meam eo vſque progredi, vt ex bono eliciens malum, in meũ damnum illud conuertam.

II. Chriſti Charitas & manſuetudo, in admittẽdo oſculo proditoris.

DEINDE inſignem ipſius Chriſti Domini charitatem & manſuetudinem perpende, quam in hac occaſione multis in rebus oſtendit. *Primum* in admittendo *proditoris* illius *oſculo*, non ignorans ad proditionem adhiberi. O dulciſsime IESV, quomodo non horres, quod maledictum illud os, ad tuam diuinam faciem adeo impudenter accedat? quomodo non ignis flammas emittis, quæ illum conſumant? ſed immenſa tua charitas, non alias nunc flammas vult emittere, quàm amoris, cupiens nimirum induratum proditoris cor emollire! Ex quo magnam fiduciam concipiã de miſericordia huius Domini, qui nõ repellit oſculũ peccatoris ad ipſũ cõuerti cupiẽtis, ſicut Magdalenæ, ſiquidẽ nec proditoris Iudæ repulit.

In appellando eum Amicum.

OSTENDIT etiam ſuam manſuetudinem, dum *Amicum* illum compellauit, & diſsimulanter oſculũ eius admiſit, atq; ſi, in quem finẽ dirigeretur, ignoraret; dicẽs illi: *Amice, ad quid veniſti?* atq; ſi dixiſſet illi: recordare, quod mihi fueris amicus, & vt amicũ te tractauerim: & nũc ex hoſte

cupio facere amicum; & ex amico ficto, verum & fidelem amicum. Si ideo veniſti, lubens te recipiam, & ignoſcam. dic ergo: *Ad quid veniſti?* Benedicatur talis charitas, quæ blandè adeò comiterque agit cum eo, qui vicem adeo crudelem ei reddit!

III. Iudam corripit. VOLVIT denique Chriſtus Dominus blandè ac beneuolè Iudam corrigere, aperiendo illi, ſcire ſe ipſius ſcopum & finem: ideoque illi dixit: *Iuda, oſculo filium hominis tradis?* ſigno tam beneuolæ amicitiæ vteris, vt tantam exerceas inimicitiam? & pacis oſculo, bellum mihi inferſ? & quamuis diſcipulum nomine proprio compellat, in ſignum notitiæ & amoris, quo illum proſequebatur; ſeipſum tamen non appellauit, niſi communi nomine *filij hominis*, quo ſuam oſtenderet humilitatem; omnia adhibens media, ad cor illud induratum emolliendum: quamuis illius tanta fuerit obſtinatio, vt nihil ad emolliendum profecerit: ſed oſculo proditorio expleto, ad milites & miniſtros mox redijt, à quibus, vt ſignum illud calidè daret, paulo ante receſſerat.

PVNCTVM II.

a Ioan. 18. 4. IESVS a *itaque ſciens omnia quæ ventura erant ſuper eum, præceſſit, & dixit eis: Quem quæritis? Reſponderunt ei: IESVM Nazarenum,* (non dixerunt: Te ſed IESVM Nazarenum: quia nec ſatis eû nouerã:) *Dixit illis IESVS: Ego ſum. & ſtatim abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.*

I. Chriſtus comprehẽdendus dat ſignum ſuæ omnipotẽtię & Diuinitatis, proſternendo hoſtes Verbo vno. CONSIDERA: voluiſſe Chriſtum, cum erat comprehendendus, omnipotentiæ ac diuinitatis ſuæ indicia dare, duobus editis ſignis: altero ad *iuſtitiæ* ſuæ potentiam; altero ad *miſericordiæ* magnitudinem aperiendam. In *primo* eſt perpendenda eius magnanimitas & omnipotentia, dum intrepidè obuiam exit hoſtibus ſuis; vnoque verbo, illos omnes, & Iudam ipſum proditorem ad terram proſternit: vnde nunquam ſurgere potuiſſent, niſi ad id ipſe dediſſet facultatem. Idque fecit Chriſtus, vt tam Iudas quam reliqua turba intelligerent, nihil aduerſus ipſum valere calliditatem aut fraudes, nec arma vlla, aut vires omnes humanas; vt illum, niſi ipſe vellet, comprehenderent: & ſi moriebatur, id eſſe, quia ipſe ſpõtè ſe ad mortem offerebat. Ex quo facilè intelligam: quod non valet contra ipſum Chriſtum; nec contra eos valiturum, qui ſub ipſius ſunt protectione: ideoque de ipſius omnipotentia, ita mihi exultandum eſſe, vt illi innixus, quoſcunque aggrediar labores.

II. Vis verbi huius, *Ego ſum.* b Matt. 14. alia bonis *Vide in 1. p. Meditat. 27 Punct. 3.* VERBI quoque illius, EGO SVM, eſt perpendenda vis: quod bonis & iucundum eſt, & magnæ conſolationi, cum poſtquam in oratione eum quæſiuerunt & inuocauerunt, reſpondet, ſicut Apoſtolis. b EGO SVM, *nolite timere.* Ego veſter ſum pater, protector, remediũ, requies, & lætitia. Ego ſum veſtra ſapientia, & iuſtitia; veſtra ſanctificatio & redemptio:

Digitized by Google

Ego via veſtra, veritas, & vita: ego ſum qui ſum; & vos per me etiam habebitis Eſſe quoddam beatum ab Eſſe meo participatum. At ſceleratis, qui quærunt Chriſtum, vt offendant, iniurijſque afficiant, verbum hoc eſt terribile & tremendum: ſignificat enim eis: EGO SVM Iudex veſter, qui ſum vos iudicaturus; ſum omnipotẽs, qui damnare vos poſſum: Ego ſum Deus vltionum, qui pœnas à vobis exigam; ſum qui ſum, in damnum & infortunium veſtrum, licet veſtrâ id exigente culpâ. Quòd ſi verbum hoc à Chriſto in hiſce anguſtijs conſtituto prolatum, eſt adeò potens, vt hoſtes ſuos proſternat: quantò erit potentius illud, quod proferet, dum veniet Rex ad iudicandum; cùm dicet impijs: c *Diſcedite à me maledicti!* Erit procul dubio inſtar violentiſsimi turbinis, qui non ad terram modò proſternet; ſed ad profundũ Inferni proijciet. Quamobrẽ anima mea, Chriſtum humiliter quære, & eum inuenies in tuum magnum commodum: nam ſi clarè quæſieris & ob fines inanes, inuenies etiam; ſed in tuam perniciem. Alia malis. c *Mat. 5. 41* Chriſtus quærendus humiliter.

CONSIDERARE etiam licet cauſam, cur turba illa *retrorſum* ceciderit, non in faciem? ſiquidem non caſu aliquo id eueniſſe cenſendum eſt; ſed vt intelligamus, impiorum caſum eſſe periculoſiſsimum, vt qui non videant, quò cadant, &, quæ illos mala expectent: in quæ incident repentè, & incogitantes. Libera me Deus ab huiuſmodi caſu, vt nec ab incepto bono retrocedam; nec à tua gratia in culpæ decidam abyſſum. Ante faciem tuam volo ob humilitatem cadere, meam agnoſcens & confitens culpam; & Nihilum, quod ex meipſo habeo; terramque, ex qua ſum formatus: vt hac ratione cadens, ad æternam tuam gloriam reſurgam. Amen. III. Retrorſum cur ceciderint cum Iuda milites. *Prou. 4. via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant.*

PVNCTVM III.

FACTA militibus poteſtate ſurgendi, a *iterum interrogauit eos* IESVS: *Quem quæritis? illi autem dixerunt:* IESVM *Nazarenum. Reſpondit* IESVS: *dixi vobis, quia ego ſum. Si ergo me quæritis, ſinite hos abire.* a *Ioan. 18. 7*

PERPENDE hic primùm *cæcitatem* & obſtinationem *Iudæ*, & infelicium illorum miniſtrorum, qui etiam tam aperto diuinitatis & omnipotẽtiæ Chriſti ſigno, non ſeſe illi ſubiecerunt, nec vt Deum agnoſcere voluerunt: ſed more Dæmonum in obſtinatione ſua perſtiterunt. Qui tamẽ etſi adeò impij, non tamen abſque myſterio, interroganti Chriſto reſponderunt, ſe quærere IESVM Nazarenum: ita Spiritu ſancto ſtatuente, vt ore etiam improbiſsimo manifeſtaretur, quod quem ad comprehendendum & occidendum quærebant, is Saluator eſſet mundi, Nazarenus & Sanctus, Deo conſecratus, floridus virtutibus cœleſtibus: quia talem eſſe oportebat, qui morte ſua nos eſſet ſeruaturus. O IESV Nazarene, quem I. Iudæ & Miniſtrorũ obſtinatio. Nazarenus Quid ſignificet.

ſi homines nocerent, omnes quærerent; non vt tibi mortem inferrent; ſed vt à te vitam ipſi reciperent! Quæram te ego, ô dulcis Iesv, veſis mihi ipſe Iesvs! Quærã te ego ſanctum Nazarenum, vt per te ſim ego Sanctus, tuoque obſequio conſecratus.

II. Efficacitas huius verbi, *Sinite hos abire.*

Prae omnibus tamen immenſam *Chriſti* erga ſuos perpende *charitatem*, curamque quam de eis gerit, vt ad eos defendendos, omnipotentiæ ſuæ efficacitate vtatur. Nam illud verbum: *Sinite hos abire*, adeò potens mandatum fuit, vt non potuerint eius hoſtes illi contrauenire, aut Apoſtolis in re vlla nocere. O Iesv amantiſsime, nunquam ceſſas amorem erga nos tuum in omnibus occaſionibus oſtẽdere? Permittis hoſtibus tuis contra te ſæuire; prohibes autem nocere amicis tuis? vis omnia flagella cruciatusque ſuper tuum dorſum venire, vt à tuis electis eos auertas? Seruias, ô anima mea, ex toto corde, tanto huic Domino; ſine cuius licentia nutuve, nemo tibi moleſtus eſſe poteſt: cuiuſque bonitas eſt tanta, vt nulli talem det facultatem in tuum detrimentum, ſi ei ſeriò ac diligẽter volueris inſeruire.

Pvnctvm IV.

a Luc 22. 49. b Ioan. 18. 10. Petri feruor in defendendo Chriſtum. Reprimitur tribus ſententiis.

Videntes Apoſtoli, a *qui circa* Iesvm *erant, quod futurum erat*, quia iam milites eum aggrediebantur: *dixerunt ei: Domine, ſi percutimus in gladio?* b *Simon autem Petrus*, feruore accenſus, nec expectato Chriſti Reſponſo, *educens gladium, percuſsit Pontificis ſeruum & abſcidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen ſeruo Malchus.* a *Reſpondens autem* Iesvs, ad interrogationem, dixit: *Sinite vſq; huc*, permittite facere quod volunt. Petrum verò reprehendit, eiuſque feruorem breuibus quidem, ſed admirandis ſententijs ſeuerè ſimul & blandè repreſsit.

I. c Matt. 26. 52. Vindictæ ſpiritus elõgandus.

Prima ſententia fuit: c *Conuerte gladium tuum in locum ſuum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Quod eſt dicere; qui vltionis intuitu aliũ occidit; & ipſe dignus eſt, qui occidatur. Perpende igitur, quàm procul velit Dominus noſter, nos ab hoc vindictæ ſpiritu abeſſe in rebus proprijs, qui ita diſcipulum increpat, ipſummet defendentem; eò quòd aliquid de eo ſpiritu feruori defenſionis admiſcuit. ſimul verò patefacit ſuam manſuetudinem, dum nec inter tot hoſtes ipſum iniurijs afficientes exiſtẽs negligit, ſuis prælegere ac inculcare lectiones, quas ſæpè alias docuerat, patientiæ, & tolerantiæ; atque ſi pro ſuggeſtu & cathedra inter ſuos tantùm diſcipulos loqueretur.

II. d Ioa. 18. 11. Calix Paſſionis quẽ offert Deus bibendus.

Secvnda ſententia fuit: d *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Quibus verbis oſtendit: quo ipſe eſſet affectu erga calicem ſuæ Paſſionis; quantique faceret illum bibere. Non enim illum tanquam à ſuis hoſtibus oblatum, ſed tanquam Patris ſui voluntate decretũ intuebatur; quam ſummis votis optabat implere: grauiterque ferebat, eſſe, qui illum

ab eo

Digitized by Google

ab eo auerteret. Nam etſi amariſsimum, à tali tamen Patre adeoque ſapiente, & erga ſe beneuolo oblatum, dulciſsimum iudicabat. Similibus ergo oculis reſpicere me decet omnes labores & tribulationes mihi euenientes. Quòd ſi acceſſerit tentatio, aut cogitatio, quæ à tali calice ebibendo me retrahat, reſpondebo tali ſuggeſtioni: *Calicem quem dedit mihi Pater, nõ vis vt bibam?* O Pater amantiſsime, ecce me offero paratũ ad quemcunq; calicem, à te mihi oblatum exhauriendum; & quamcunq; potionem præſcripſeris ebibẽdam, etiamſi inſulſam & amariſsimam: nam à tua ſapiẽtia prouidentiaq; præſcripta, erit procul dubio iuſtiſsima, mihiq; vtiliſsima.

TERTIA ſententia fuit. e *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim Legiones Angelorum?* in ſubſidium & defenſionem meam? *Quomodo ergò implebuntur Scripturæ,* quæ aſſerunt: *quia ſic oportet fieri?* Quibus verbis oſtendit, quam ſibi fuiſſet facile, media oratione, ſeipſum ab omnibus ſuis hoſtibus defendere, plures Angelorũ exercitus ea impetrans, quam veniſſent hoſtes ad ipſum comprehendendum: quos tamen petere nolebat, vt diuinum de ipſius morte decretum, quam Scripturæ prædixerant, impleretur. III.

e *Matt.* 26. 53.

Fidendum in Deo: nec petendum quidquam quod aduerſatur eius voluntati.

O bone IESV, gratias tibi ago, quòd abſtinueris id petere, quod Pater tibi conceſsiſſet: quia nimirum maiorem noſtræ neceſsitatis, quam tuæ quietis aut vitæ curam gerebas.

DVO hinc documenta eliciam: ALTERVM Orationis, quæ magna in Deum fiducia ſit, efficacitate: vt certò mihi perſuadeam, ſi mihi ſit neceſſarium, fore vt etiam Legiones Angelorum in mei defenſionem mittantur; eſſeque veriſsimum, quod Eliſæus dixit puero ſuo, f *plures nobiſcũ ſunt quàm cum illis.* ALTERVM documentũ eſt, quòd cum de voluntate Dei mihi conſtat, non debeam aliquid contra illum petere, etſi conſtaret mihi poſſe me illud impetrare: quia nihil adeò optare debeo, aut petere; atque vt ſanctiſsima eius voluntas & decretum in me perficiatur.

Oratio. Orationis quæ ſit cũ fiducia, efficacitas.

f 4. *Reg.* 6. 16.

Eiuſdem reſignatio.

PVNCTVM V.

CVM g *tetigiſſet* IESVS *auriculam eius* ſerui, *ſanauit eum.*

g *Luc.* 22. 51.

Hoc ſecundum eſt miraculum, quod fecit Chriſtus tẽpore ſuæ Paſsionis; cuius cauſa fuit, tum vt amoris perfecti legem impleret, benefaciens inimico, & graue malum ipſi inferre cupienti: tùm quòd viſcera miſericordiæ eius ferre non poterant, quemquam eius cauſa damno aliquo & incommodo affici: ac denique ne hoſtes acciperent occaſionem nocendi eius diſcipulis, calumniãtes eos, quòd publicæ iuſtitiæ reſiſterẽt. O IESV dulciſsime, qui cùm poſſes miraculo vti ad tui defenſionem, eâ poteſtate vti non vis; qua tamen ad benefaciendum ei, qui te offendit, vteris libenter! Confer mihi quæſo hunc amoris ſpiritum, quo erga meipſum ſeuerus, ergà proximos verò ſim lenis. Amen.

Chriſtus circa hoſtes ſuos duo miracula exercuit. Primũ fuit proſtratio eorum in terram. Alterum ſanatio auriculæ dextræ Malch

Dexteræ auriculæ ſanatæ myſterium.

LICET etiam latentem in eodem miraculo ſpiritum conſiderare. Quod enim Chriſtus dexteram *auriculam ſanet*, indicat, meritis Paſsionis eius, auditum animæ dextrum, hoc eſt, fidem, promptamque obedientiã ijs omnibus quæ Deus reuelat, & iubet eſſe nobis reſtituendum. Eſt enim credendum, quoniam Chriſti opera fuerunt perfecta, quibus dum corpori ſanitatem conſerebat, animæ quoq; ſalutem dabat (vt 3. *parte* eſt dictum) hûc Malchum, ſtatim atque beneficium hoc accepit, admirantem miraculi magnitudinem, & Chriſti omnipotentiam, etiam in eum credidiſſe, & animæ ſanitatem recepiſſe; ac à maledicta illa hominum fœce, cũ qua venerat, ſe ſeparaſſe, & domum reuerſum fleuiſſe, quòd homini adeò Sancto atque potenti, tanta inferretur iniuria! O mutationẽ dexteræ excelſi. Tange, quæſo Domine, animæ meæ auditum, illumque perfectè ſana: vt ſerui ſpiritu abiecto, verè fiam Malchus, quod Regem ſignificat; fideliter tibi paſsionum mearum dominio, ſeruiens: cui ſeruire eſt verè regnare. Amen.

Malchus conuerſus eo beneficio & miraculo.

Malchi etymon.

MEDITATIO XXV.

DE COMPREHENSIONE CHRISTI.

PVNCTVM I.

a *Luc. 21. 52*
Matt. 26. 55
Marc. 14. 48

DIXIT a *autem* IESVS *ad eos, qui venerant ad ſe, Principes Sacerdotum, & Magiſtratus templi, & Seniores. Quaſi ad latronem exiſtis cum gladijs & fuſtibus? cum quotidie vobiſcum fuerim in templo, non extendiſtis manus in me: ſed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.*

I. Chriſtus tractatur vt latro & prædo.

PERPENDE primùm, innocentiſsimum hunc Dominum, vt *latronem* ab eis habitum, & tractatum, & vt ad talem veniſſe comprehendendum. Et credibile eſt, hoc clamore excitatos veniſſe milites illos gentiles. O bone IESV, quàm procul id abeſt, vt tu ſis latro, aut alienorum prædator; qui noſtri commodi cauſa effundis, quicquid habes vt propriũ? Si deprædari corda, ſi animas hominum de ſatanæ poteſtate liberare, eſt eſſe latronem: certum eſt te talem eſſe: cuius eſt compellatio: b *Velociter ſpolia detrahe, citò prædare*: ſed hoc non iniuriæ, ſed honoris eſt: non culpa eſt comprehenſione digna; ſed facinus præclarum, laudabile. Deprædare, Domine cor meum, tibique illud accipe: qui nec accipies aliena, cùm ſint omnia tua; nec id facies inuito Domino; quia libentiſsimè potiùs habeo, ſic eſſe tuæ prædæ.

b *Iſaia 8. 1.*

DEIN-

II. Ingratitudo Iudæorum pro magiſterio Chriſti.

Deinde perpende, qua ratione turbam illam Chriſtus reprehendat: *Quotidie*, inquit, *apud vos ſedebam in templo docens*. Atque ſi diceret, hanc à vobis reporto mercedem laboris mei, in vos docendo, vt tanquam latro tracter, qui veſter ſemper Magiſter fuerim? O cœleſtis Magiſter, quàm malè tibi rependimus doctrinam, quam nobis tradidiſti! Dimitte nobis hanc inciuilitatem; & compatere noſtræ miſeriæ: qui etſi mali ſimus diſcipuli, non tu deſinis bonus eſſe Magiſter.

III. Chriſtus dat Hoſtibus ſuis & Diabolo poteſtatem in ſe ſæuiẽdi. c Iob. 1. 12. & 2. 6.

Demvm & illa perpende verba: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarũ*: quibus fecit Chriſtus Dominus hoſtibus ſuis poteſtatẽ in corpus ſuũ, etiam Dæmonibus, quorum illi erant miniſtri; vt caperent, & pro libitu cruciarent, non limitatione c *vita* eius *ſeruanda*, ſicut Iob, ſed plenam: vt & illam vi tormentorum adimerent. Quod magnam in me debet compaſsionem excitare, attendente, quòd ſæuis adeò hoſtibus, tantus Dominus meus mei cauſa ſit traditus. Gratias tibi ô amantiſsime Iesv, pro tanta hac tua in me charitate, qua & corpus & vitam tuam Inferni poteſtatibus tradideris, vt animam meam ab eiſdem liberares. Ego, ego dignus eram, qui eis traderer, quia ego peccaui. Sed charitas tua hanc pro me pœnam vult ſubire, vt me liberet à culpa! Supplico Domine Deus meus, vt ab eorum furore ita me defendas, vt neque in hac, neque in futura vita, in eorum incidam tenebras.

Pvnctvm II.

Chriſtum quam crudeliter tractent milites. a Ioan. 18. 12. b Iſai. 9. 3.

Accepta ea poteſtate, tota illa militum acies furioſè aggreſſa eſt Chriſtum, & comprehendit. Licetque cogitare, impetu illo, fuiſſe Chriſtum in terram proiectum, & ab eis incredibili rabie calcatum in ipſa facie, & toto corpore; moxque è terra violenter erectum, fuſtibus crudeliſsimè percuſiſſe, & (vt Ioannes ait) etiam a *ligaſſe* in primis manus crudeliſsimo vno fune, iniecto etiam ad collum alio; idque totum magno gaudio, b *ſicut exultant victores, capta præda, quando diuidunt ſpolia*: præcipuè cum præda valde fuit in votis, & ſæpè fuerunt in periculo eam amittendi.

Heroicæ virtutes Christi.

I. Humilitas extrema. c Iſai. 6. Pſal. 98. d Pſal 55. 2. Oratio

Perpendendae hic ſunt heroicæ Seruatoris noſtri virtutes, vt eas imitemur, & ipſi Domino compatiamur. Prima fuit *humilitas* extrema, quæ ſubiecit pedibus hominum, & quidem peccatorum, eum c *qui ſedet ſuper Cherubim & Seraphim*. O quàm ſenſerit tenerè ſe ab omnibus conculcari! Dixerit ſine dubio Patri ſuo æterno: d *Miſerere mei Deus, quoniam conculcauit me homo: tota die impugnans tribulauit me. Conculcauerunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes aduerſum me*. Gratias tibi dulciſsime Iesv pro humilitate adeò profunda, quam hic nobis, & pro nobis oſtendiſti. Magna quidem illa fuit, qua te ad Apoſtolorum tuorum etiam Iudæ pedes, vt eos lauares, abieciſti: ſed quî illa conferri cum hac poteſt,

qua te ſinis à Iudâ ipſo eiuſque acie maledicta conculcari! Concede mihi, Redemptor humillime, vt lubens me ſinam à quouis conculcari, & ſub omnium hominum pedes abijci, qui etiam ſum dignus eſſe ſub Luciferi pedibus, & à Dœmonibus proteri.

HINC progrediar ad conſiderandum diſcrimen inter iuſtos & peccatores in hoc caſu. Peccatores enim (teſte Apoſtolo) e *filium Dei conculcant*, eiuſque legem pedibus ſubijciunt; At iuſti (vt idem Apoſtol. ait.) f *glorificant & portant Deum in corporibus ſuis*, eiuſque legem ponunt ſuper humeros & caput ſuum. Percurrens autem præteritam vitam deflebo, quòd ſæpiùs Dei filium conculcarim, eiuſque voluntatem protriuerim, quò meæ locum darem.

c Heb. 10. 29
f 1. Cor. 6. 20
1. Cor. 4. 10. 11.

II. Patientia inuicta.

Perpendam deinde inuictam manſuetiſsimi huius agni patientiam, in tot iniurijs, & ictibus, ac percuſsionibus tolerandis, nullo verbo inferentibus reddito, nullo edito querelæ ſigno, aut motus alicuius iræ aut indignationis: etiamſi rabida inimicorum corda perſpiceret, & illorum, ob ſe captum, exultationem. In quo illud Dauidis locum habuit: g *Circundederunt me vituli multi: tauri pingues obſederunt me: Aperuerunt ſuper me os ſuum ſicut leo rapiens & rugiens.* O patientiſsime Agne, quid facis tot lupis, & ferocibus leonibus circundatus? cur non balas, nec tuum aperis os contra illos, qui vel dicens, *Ego ſum*, proſternere omnes potes! verùm elapſa iam eſt hora loquendi: & nunc tacens & tolerans, calcari te ſinis; vt patientiæ mihi exemplum præbeas: Adiuua me, vt verè illud accipiens, ſilentio tolerem quamuis iniuriam & contemptum mihi aduenientem.

g Pſal. 21. 13

III. Charitas infinita.

PRAE cæteris autem virtutibus imminet infinita dulciſsimi huius Seruatoris *charitas*, dum ſacratiſsimas ſuas *manus* tradidit adeò crudeliter *ligandas*: manus inquam illas, quæ ſemper in benefaciendo iis ipſis, qui eas ligabant, ſeſe occuparunt. & licet ligamina & vincula illa faciliùs ipſe lacerare potuiſſet, quàm Samſon h *ruperit* ſua: noluit tamen id facere, quia ipſemet ſibi ligare illas voluit funibus & catenis charitatis, in pœnam iniquæ libertatis, nimiæque laxitatis manuum noſtrarum; quam ipſe ſubire voluit, vt nos ab eo carcere liberaret, in quo manibus pedibuſque ligatis, detineri, eramus promeriti. Tunc impletum eſt illud Dauidis: i *Funes peccatorum circumplexi ſunt me; ego autem legem tuam non ſum oblitus.* Et quæ hæc alia quàm charitatis lex eſt? quam CHRISTVS non fuit oblitus, cũ à peccatoribus ligaretur: quos tamen ipſe diligens, k *in funiculis Adam ad ſe trahere, & in vinculis charitatis ſecum ligare* cupiebat. O amantiſsime, & beneuolétiſsime IESV, quis tuas manus ligare ſuffeciſſet, niſi eaſdẽ ipſe amore prius alligaſſes? O manus liberaliſsimas, & potentiſsimas, quæ paulò ante, cœleſtem panem in veſtros diſtribuiſtis, nec vnquam ad benè hominibus faciendũ ligatæ fuiſtis: cur nunc permittitis adeò crudeliter vos li-

h Iudic. 16. v. 12.
i Pſal. 118. 61.
k Oſeæ 11. 4

Oratio

gari

gari? O verè diabolicam hominum audaciam, tam ignominioſè Dei manus ligantium. Ne quæſo permittas Domine, manus tuas à peccatis meis & ingratitudine ligari, ne mihi bene facias: potius oro ſupplex meas à te ligari, ne vnquam ad aliquid extēdantur, quod ſapiat culpam; ſolui verò ad omnia, quæcunque ſunt virtutis.

PVNCTVM III.

TVNC a *diſcipuli omnes relicto eo, fugerunt.* — a *Matt.* 26. 56.

Perpende primùm *diſcipulorum inertiam* & timiditatem, à qua ita oppreſſi fuerunt, vt paulò antè tantam ab ipſo Chriſto benignitatem fuerant experti ſalutaria adeò conſilia audiuerant, tot eius prodigia viderant; & verò ipſi iactabant ſe paratos eſſe cum ipſo mori: nunc horum omnium obliti, cùm captum eum cernerent; ſtatim deſeruerint, ac fugerint, non ſolùm corpore: ſed etiam Spiritu: Fidem ipſam, aut omninò amittentes, aut certe grauiter in ea nutantes. *Pedes*, qui paulò antè Chriſti manibus fuerant loti, defœdati nunc ſunt hac turpi fuga; *cor*, quod ſacratiſsimo Chriſti corpore & ſanguine fuerat confortatum, fortitudine illa à metu, vitam amittendi euaneſcente debilitatum fuit; Fides profundè ſatis in eorum mentibus radicata, ex tot prodigiis conſpectis, obſcurata fuit nebula illa, quam perſecutionis timor excitauit. Vt hinc diſcam, quàm ſit parum fidendum hominibus, quorum hæc eſt agendi ratio, vt etiam amiciſsimum in hac tantum vita comitentur, in mortis articulo omninò deſerant: in proſperitate ſeſe adiungant; ſeparent verò ſe in aduerſitate. Meipſum itaque in his diſcipulis aſpiciam, qui pacis tempore me præclare facturum iactem, & præſumam; inſtante verò pugna & contradictione imminente, primus terga vertam: Chriſtum ſequor dum panis diſtribuitur, mihique indulget; ſed cùm Paſsionis calix ebibendus eſt, aut me premit, mox me ſubtraho: adeoque acceptorum beneficiorū obliuiſcor; atque ſi nulla accepiſſem. O Saluator mi, libera me à tali ſcandalo, & inertia; nec me deſere tentationis tempore: Si enim tu me protexeris; nunquam ego te deſeram.

I. Fuga diſcipulorum. Fugæ illius peccatum & damna. Inconſtantia & infidelitas hominum.

Ex parte autem Chriſti, eius intimum ſenſum perpendam, quem habuit ex ſui diſperſione, & ſcandalo, quod illi prædixerat: ſeipſum etiam ſolum & ab amicis ſuis deſertum cernens, dixerit illud Dauidis: b *Longè feciſti notos meos à me: poſuerunt me abominationem ſibi. Traditus ſum* vt abo minabilis inimicis meis, *& non egrediebar*, vt me defenderē *Oculi mei languerunt præ inopia*, attendens eorū miſeriam. O dilecte mi, ſi datū mihi fuiſſet, te in illa hora comitari, ſimulq; comprehendi, ita vt iidem funes ma-

II. Chriſti dolor ex fuga ſuorum. b *Pſal.* 87. 9. Oratio.

nus meas ligaſſent, qui tuas ligauerunt! Hic honor meus erit: Auertat verò ipſe DEVS, ne in tantam deueniam dementiam, vt abominationem exiſtimem eum, qui conſolatio & ſanctificatio mea eſt.

MEDITATIONES DE MYSTERIIS PASSIONIS, nocte comprehenſionis ſubſecutis.

Chriſtus deductus ad quatuor Tribunalia

PRO *inſequentium Meditationum fundamento aduerte, Chriſtum Dominum noſtrum, quò maioribus ignominiis afficeretur, voluiſſe ad* quatuor tribunalia *ſiue concilia deduci, hominũ inſigniorum qui erant Ieroſolymis, duo Eccleſiaſticorũ, & duo Secularium.*

Ad Tribunal Annæ. *Baron. tom. 1. an. 30. & 34. Chriſti* Ad Tribunal Cayphæ. Ad Tribunal Pilati. Ad Tribunal Herodis.

PRIMVM *fuit tribunal* Annæ, *qui Scribarum & Legiſperitorum Princeps & Caput erat; ex quibus conficiebatur Concilium ſeptuaginta Seniorũ, ad cauſas & quæſtiones, de doctrina, quæ ſecundũ Scripturas docebatur & prædicabatur, diſcernendas.* SECVNDVM *fuit* Cayphæ, *ſummi Pontificis & ſupremi Sacerdotis; ad quẽ cæteri Pontifices & Sacerdotes ac Phariſæi religioſi illius temporis conueniebant, in cauſis Religionem concernentibus. Et hoc erat Eccleſiaſticum, legitimi illius temporis Iudicis, Tribunal.* TERTIVM *fuit* Pilati, *Iudicis & Præſidis Iudææ, ad quod confluebat multitudo Scribarum, Iudicum, & aliorum Miniſtrorum iuſtitiæ, vt moris erat.* QVARTVM *deniq; fuit* Herodis *Regis Galilææ, apud quem plurimi erant aulici Domini, & manus militum ad cuſtodiam de more.*

Vbique & ab omnibus illuſus & deſpectus.

IN *quatuor hæc tribunalia & concilia fuit Chriſtus Dominus deductus; & in omnibus ignominioſè illuſus. Ad eius itaque contemptus, conuenerunt omnes inſigniores, & eminentiores in literis, in Religione, in iuſtitia, & excellentia, qui eſſent Ieroſolymis. Et qui ſapientiſſimus erat, & in ſcientiis omnibus eminentiſſimus Magiſter voluit à Sapientibus, & earum profeſſoribus contemptui haberi; qui ſummus erat Sacerdos, & omnis Religionis & Sanctitatis exemplar, deſpici voluit à Sacerdotibus & profitentibus ſanctitatem; qui iuſtiſſimus erat viuorum & mortuorum Iudex, ſubſannatus fuit à Iudicibus & miniſtris iuſtitiæ; ac denique Rex Regum, & Dominus Dominantium illuſus fuit à Regibus, & aulicis, ac ſatellitibus eius, præter infinitam aliam populi turbam, quæ ad eaſdem illuſiones & ſannas confluxit, ita ſtatuente ipſa Maieſtate diuina, vt ex eo exemplo humilitatem diſceremus, & patientiam, & vt quicunque in hoc mundo contemptui erunt cuiuis hominum generi, conſolationem hinc haurirent, conjicientes oculos in hunc noſtrum Seruatorem: & ob alios fines in ſubſequentibus meditationibus perpendendos.*

P. Ignatius eundem ſequitur ordinem in ſuis exercitiis.

Circa quas obſerua, me ſupponere ex multorum Doctorum Sententia, primum examen Chriſti Domini, & alapam *eidem inflictam accidiſſe in domo* Annæ:

ac pro-

ac propterea me ſecutum ordinem & narrationem S. Ioannis: conficio item ex tribus *Sancti Petri* negationibus *vnitam meditationem, ſiue illa omnes apud* Caypham *euenerint, ſiue duæ tantùm vltima, prima verò apud Annam: ſi quidem ad ſcopum meditationum non refert, quòd in vno omnes, vel in diuerſis locis euenerint.*

MEDITATIO XXVI.

DE IIS QVAE CHRISTVS DOMINVS ab horto vſque ad Annæ domum, in ea pertulerit.

PVNCTVM I.

MILITES ergo cum ſuo Tribuno & cæteris Iudæorum miniſtris, qui Chriſtum comprehenderant, a *adduxerunt eum ad Annam primum, erat enim ſocer Caiphæ qui erat Pontifex anni illius.*

a Ioan. 18. 13.

PERPENDENDI hic ſunt labores Chriſti Domini, in *prolixo* illo *itinere.* Nam PRIMVM graues ſuſtinuit dolores, eò quod inimici illi crudeliter illum tractarent, trahentes funibus, percutientes & impellentes, vt feſtinaret, & quaſi curreret, qui propterea impegerit, ac etiam (vt in huiuſmodi caſibus euenire ſolet iis, qui ligati à comprehenſoribus trahuntur) aliquando ceciderit. Meminerit ipſe nunc poſtremæ aſcenſionis ſuæ in Hieruſalem, cùm b *diſcipulos ſuos præcederet*, vt ſignificaret animi ſui alacritatem & promptitudinem ad patiendum. O dulciſsime IESV, quàm celeriter ire cogeris, à tuis hoſtibus raptatus; ſed multò magis à tua charitate, quæ ad eius poteſtatem facit! O quantum intereſt, inter hunc & illum comitatum! vbi nunc ſunt illi diſcipuli, qui tunc comitabantur? non poterant adeò concitatum greſſum ſequi; & propterea te deſeruerunt! Ne, quæſo, patiaris Domine, vt à te alacriter ſequendo ego deſiſtam, etiamſi ſint magni ſubeundi dolores.

I. Chriſti labores & dolores ab horto vſque ad Annæ domum.

b Mar. 10. 32. Supra Medit. 1.

Oratio

DEINDE, quàm fuerit *defatigatum* ipſum Chriſti Domini delicatum *corpus*, ob ſudorem ſanguineum! credi etiam poteſt, poros recens fuiſſe apertos, ſudoremque fluxiſſe ob nimiam feſtinationem, quam hoſtes vrgebant, ſi non ſanguineum, at ex anxietate multum debilitantem. Tranſiens quoque Torrentem Cedron impegerit fortè ad eius lapides, c *bibens* non aquas eius, ſed *torrentis* amaritudinũ & defatigationum quæ cor eius

II. Chriſti defatigatio & ſudor.

c Pſal. 109. 7.

trans-

Digitized by Google

tranſigebant. O corpus ſanctiſsimum, gratias tibi ob tantam in hoc itinere defatigationem! O pedes ſacratiſsimi, gloriam vobis tribuo ob feſtinos greſſus, quibus hoc iter confeciſtis! Nunc, bone IESV, incipiunt pedes tui pœnas luere peccatorum, quæ pedes ad malum feſtinantes admiſerunt. Contine quæſo meos ab huiuſmodi greſsibus, vrge verò, vt currant ad bonum.

III. Chriſti ignominia in ciuitatis ingreſſu. Oratio

INSIGNEM præterea in eodem itinere ſuſtinuit *ignominiam* dum tanquam latro aliquis ligatus, & miniſtri tanto ſtrepitu & clamoribus duceretur: præcipue enim in ipſo Ciuitatis ingreſſu credendi ſunt illi miniſtri altioribus clamoribus vſi, iactantes inſolentiſsimè prædam quam cæpiſſent. O mi Redemptor, quam diſtat ingreſſus hic tuus in Ieruſalem ab eo, quem proximè feciſti! Nam tunc plurimi palmarum ramos in manibus geſtabant, tuæ victoriæ ſymbolum; nunc gladios hi miniſtri geſtant & lanceas, in ſignum victoriæ ſuæ; Tunc omnes vocem

d Matt. 21. 9

extollebant in tuas laudes dicentes: d *Benedictus qui venit in nomine Domini:* nunc magnis clamoribus te irrident, milleq; afficiunt iniuriis & blaſphemiis; Tunc *veſtimenta ſua & arborum ramos ſternebant in via* honoris gratia, vt iumentum, cui inſidebas, ea calcaret: nunc teipſum per veſtem & funem peditem trahunt, & veluti raptant. O hominum in Deum ſuum mutabilitatem! O Dei patientiam in talibus hominibus tolerandis! Libera me Domine ab inconſtantia adeò deteſtanda: & patientiam adeò inſignē concede, qua omni mutabilitate ſuperior euadam.

IV. Chriſti affectus hoc in itinere.

DEMVM perpendam quo ſpiritu, & humilitatis ac patientiæ affectu, Chriſtus Dominus iter illud peregerit, offerens æterno ſuo Patri charitate ſumma laborioſos greſſus ſuos in ſatisfactionem noſtrorum, quibus eundem offendimus. Ex quo affectus deducam gratitudinis, & imitationis, vt poſtea dicemus.

PVNCTVM II.

a Iſa. 18. 19.

PONTIFEX *ergo interrogauit* IESVM *de diſcipulis ſuis, & doctrina eius.*

I.

CONSIDERA primùm, quibus *opprobriis* & irriſionibus exceptus ſtatim fuerit Chriſtus Dominus, cùm in Annæ domum eſt inductus. Nam

Scientia inflans, irriſionibus Chriſti dat initium. b Gen. 3. 4. Oratio

eo conuenerant ſeniores, & Legis periti, atque ſi ad eos ſpectaret de Chriſti doctrina iudicare, quem plebs tota vt prophetam habebat. Cumq; omnes illi hoſtes eſſent Chriſti, ſimulque periti, & verſati in lege, ſtatim atque viderunt Chriſtum, cœ̃ cœperunt irridere & ſubſannare, exultantes, quod tandem victũ & humiliatum cernerent; vt hinc intelligamus, ſcientiam, quæ inflat, initium dare irriſionibus Chriſti Domini, quæ pœna eſt peccati Adami, quod fuit ortum ex appetitu b *ſciendi bonum & malum*, ſicut Deus. O Magiſter *ſapientiſsime*, auctor & principiũ omnis ſcientiæ, cur ſa-

pientes aduerſum te inſurgunt, & totius ſapientiæ auctorem ſubſannant? Superbia mea huius inſolentiæ eſt cauſa: & inflans ſcientia mea, tali indigebat curatione: vt videns eum, qui eſt ipſa ſapientia, ita illudi ab huius mundi ſapientibus, gaudeam me ab eiſdem humiliari, nec quicquam me moueant illorum deprauata iudicia. Da mihi, Domine, in ſapientia humilitatem. Nam c *Sapientia humilitati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum conſedere illum faciet.*

Sapientia Dei illuditur à ſapientibus mundi.

c *Eccl.* 11. 1.

II. Chriſti examen.

Deinde perpendẽda eſt *Pontificis* & Seniorum illorũ *ſuperbia*, quâ cœperunt Chriſtum Dominum examinare, animo videlicet illum calumniandi. Ideoque interrogauerint proculdubio, quæ eius eſſet doctrina? nũ aliquid contrà Moyſis legem docuiſſet? num è cœlo per reuelationem eam habuiſſet? quot haberet diſcipulos? qui illi? & vbi iam eſſent? Quæ omnia demiſsè omninò manſueteque audiebat Chriſtus, etiamſi prauam interrogantis intentionem optimè noſceret. Ex quo diſcam ad propriæ confuſionis, Chriſti verò Domini compaſsionis affectionem peruenire: dum inter tot hoſtes & velut carnifices tanquam iudices ſedentes, eum tanquã reum ſtare video; illos cum inſignibus Doctorum legis, ipſum verò, ligatis manibus, quaſi malefactorem. O Doctor excellentiſsime, Doctor doctorum, & omnium gentium: cùm 12. eſſes annorum, ſedebas in medio Doctorum, audiens eos, & interrogans cum omnium ſtupore: nunc verè ſtas etiam in medio, audiens & reſpondens, ſed omnibus te irridentibus & ſubſannantibus. ſed ſi tua ſapientia, quam tuis tunc reſponſis & interrogationibus oſtendebas, admirationi fuit; non minùs miranda illa eſt, quam nunc manifeſtas, dum ignominias toleras, quæ inde tibi proueniunt. O ſi mater tua ſanctiſsima præſens nunc adeſſet! quo illa animi ſenſu beneuolã ſuam querelam repeteret. *Fili, quid mihi feciſti ſic*? cur me ſolâ relictâ, in medium horum Doctorum veniſti, qui lupi ſunt potius carniuori, quàm pii Doctores. Verùm idem tu nunc ei reſpondiſſes, quod tunc: *in iis quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe*: Vult autem ille, hoc me nunc examen ſubire. Gratias tibi Redemptor amantiſsime, ob eam quam Patri tuo præſtas obedientiam; & ob humilitatem, quam eiuſdem amore inter homines oſtendis.

Chriſti in medio Doctorum ſtatus. Oratio.

PVNCTVM III.

Respondit Pontifici Iesvs: a *Ego palam locutus ſum mundo: ego ſemper docui in Synagoga & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt: & in occulto locutus ſum nihil*, vt in occulto maneret. *Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid locutus ſim ipſis: ecce hi ſciunt, quæ dixerim ego.*

a *Io.* 18. 20.

I. Chriſti libertas ſpiritus in reſponſione.

Perpendendvm hic primùm; Chriſtum, etſi vinctum & humiliatũ, non tamen in hoc concilio ignauum aut timidum fuiſſe; ſed magnam

Sanctitas vitæ & veritas Doctrinæ præſtant hanc libertatem. *Act.5.19.*

ſpiritus *libertatem*, quæ ex ſanctitate vitæ, & veritate doctrinæ procedebat, oſtendiſſe. Conſcientia, enim, quæ ſecum habet ſanctitatem, & veritatem, tanquam duo firmiſsima fulcra, libera eſt, & ad omne bonum animata, ſine metu, ſine contractione aliqua; etiam ſi coram ſapientib. & magnatibus mundi huius conſtituta ſit. Quare meritò contendam, huiuſmodi ſemper conſcientiam, ſanctamque libertatem habere; ſicut Apoſtoli, ad ſui Magiſtri imitationem, poſtea fecerunt.

II. Chriſti prudentia in reſponſione.

Deinde perpendenda eſt ſumma Chriſti Domini noſtri *prudentia*, cùm noluit in particulari reſpondere de ſua doctrina, qualis illa eſſet; ſciens, quàm ægrè laturi fuiſſent omnes illi Seniores veram de ea reſponſionem: ſed eā in genere remiſit ad eos, qui audiuiſſent, quia ſecurus adeò erat de eius veritate & ſoliditate, vt ſuos ipſos hoſtes, qui aderāt, eamq; audiuerāt, teſtes habere vellet. Et rē ipſam exitus comprobauit: nā omnes illi obmutuerunt; nec fuit qui vel minimum verbum in medium proferret, tanquam malè ab ipſo prolatum. O doctrinæ Saluatoris noſtri puritatem! quàm eſt vis tua potens, quæ non modò te tradenti generoſam tribuis libertatem; ſed os etiam obſtruis inimici, qui te audit! concede mihi Domine, & Saluator mi lucem ad eam intelligendam; libertatem ad promulgandam & obedientiam ad exactè perfecteque exercendam.

III. *Ita Cyr. lib. 11 c.37.* Mala Vita detrahit bonæ doctrinæ. b *Luc.9.26*

Perpendam tertiò, Chriſtum Dominum, etſi de diſcipulis interrogatum, *nihil* tamen de eiſdem *reſpondiſſe*: quod cùm fuga elapſi eſſent, nec accuſare eos voluerit, eorum imbecillitatem promulgando, nec tunc de eorum fidelitate potuerit gloriari: Imò (vt quidam meditantur) quòd Iudas adeſſet, qui & pactam pecuniam; quæ ad Annam, vt ſolueretur, & remiſſa erat, exſpectaret; & pro ipſius diſcipulo, etſi infeliciſsimo, agnoſceretur, ſuaque illa infauſta præſentia multum Magiſtro detraheret: quod totum non parum ipſum Saluatorem cruciabat. O magiſter amantiſsime, ne quæſo permittas me ab ea fidelitate degenerare, quam tibi vt fidelis diſcipulus debeo, *ne* b *coram Patre tuo & Angelis eius erubeſcas* *me*, tuum eſſe, *confiteri*,

Amen.

MEDITATIO XXVII.

DE ALAPA CHRISTO DATA ET eius ad Caipham miſſione.

PVNCTVM I.

VNVS *aßiſtens miniſtrorum dedit alapam IESV, dicens: ſic reſpondes Pontifici?* Ioan.18. 22.

PERCVSSIO & *alapa* hæc, fuit prima iniuria Chriſto, apud Annam Pontificem, ab eius miniſtris illata, adeoque inſolens, vt S. Ioan. non putauerit ſilendam; ſed ſingulariter exprimendam, quatuor habuit circumſtantias. Alapæ Chriſto inflictæ, crudelitas.

I. PRIMA, quod fuerit *crudelis*, data ab irato ſatellite; & animo vlciſcendi iniuriam Domino ſuo, vt ipſe iudicabat, illatam; & ea via, eiuſdem ſui Domini voluntatem ad ſe trahendi; ac circumſtantibus placendi.

II. Ignominia. SECVNDAM, quod valdè fuerit *ignominioſa*, vtpote in tot nobilium & grauium virorum præſentia tali homini data, qui eo vſque fuerat venerationi & honori omnibus; de cuius vultu talis ſplendor emicabat, vt non perturbato animo eum aſpicientes, ad reuerentiam permoueret.

III. Iniuſtitia. TERTIAM, quod fuerit omninò *iniuſta*, vtpotè intuitu vindictæ, &, ad calumnioſe improbandam reſponſionem prudentiſsimam, data à temerè iudicante, eam fuiſſe minus ciuilem, & contra autoritatem Pontifici debitam.

IV. Impunita licentia. QVARTAM, quod fuerit ab omnibus præſentibus *approbata*; nemine pro Chriſto reſpondente; nec ſceleſtiſsimi illius furorem reprehendente: ideoque via aperta fuit, vt alij eius exemplum ſecuti, ſimile quid attentarent. Aſpice itaque anima mea Saluatoris tui venerandam illam faciem, furenti illo ſatellitis ictu percuſſam: roſeo rubore, ob naturalem pudorem ſuffuſam, ob grauem adeò acceptam iniuriam; & erubeſcentē; totùm ob circumſtantium inimicorum exultationem & cachinnos; erga quem compaſsionis affectum concipe, dum colophizatum vides eum, b *in quem deſiderant Angeli proſpicere!* O fili Dei viui, c *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius*, quis in tua diuina facie ſignum poſuit & figuram tam deteſtandæ manus? O Pater æterne, *reſpice in faciem Chriſti* filij tui digitis ſignatam ſceleſtiſsimi miniſtri! Et ſiquidem ille hanc tantam iniuriam pro peccatoribus ſuffert: ſuſtine & tu eoſdem: parcens eis intuitu eorum, quæ ille pro eiſdem ſuſtinuit.

b 1.Pet.1.12 c Heb. 1.3. Pſal.83.

Sanctitas vitæ & veritas Doctrinæ præſtant hanc libertatem.
Act.5.19.

ſpiritus *libertatem*, quæ ex ſanctitate vitæ, & veritate doctrinæ procedebat, oſtendiſſe. Conſcientia, enim, quæ ſecum habet ſanctitatem, & veritatem, tanquam duo firmiſsima fulcra, libera eſt, & ad omne bonum animata, ſine metu, ſine contractione aliqua; etiam ſi coram ſapientib. & magnatibus mundi huius conſtituta ſit. Quare meritò contendam, huiuſmodi ſemper conſcientiam, ſanctamque libertatem habere; ſicut Apoſtoli, ad ſui Magiſtri imitationem, poſtea fecerunt.

II. Chriſti prudentia in reſponſione.

DEINDE perpendenda eſt ſumma Chriſti Domini noſtri *prudentia*, cùm noluit in particulari reſpondere de ſua doctrina, qualis illa eſſet; ſciens, quàm ægrè laturi fuiſſent omnes illi Seniores veram de ea reſponſionem: ſed eã in genere remiſit ad eos, qui audiuiſſent, quia ſecurus adeò erat de eius veritate & ſoliditate, vt ſuos ipſos hoſtes, qui aderãt, eamq; audiuerãt, teſtes habere vellet. Et rẽ ipſam exitus comprobauit: nã omnes illi obmutuerunt; nec fuit qui vel minimum verbum in medium proferret, tanquam malè ab ipſo prolatum. O doctrinæ Saluatoris noſtri puritatem! quàm eſt vis tua potens, quæ non modò te tradenti generoſam tribuis libertatem; ſed os etiam obſtruis inimici, qui te audit! concede mihi Domine, & Saluator mi lucem ad eam intelligendam; libertatem ad promulgandam & obedientiam ad exactè perfecteque exercendam.

III. *Ita Cyr. lib. 11 c.37.* Mala Vita detrahit bonæ doctrinæ. b *Luc.9.26*

PERPENDAM tertiò, Chriſtum Dominum, etſi de diſcipulis interrogatum, *nihil* tamen de eiſdem *reſpondiſſe:* quòd cùm fuga elapſi eſſent, nec accuſare eos voluerit, eorum imbecillitatem promulgando, nec tunc de eorum fidelitate potuerit gloriari: Imò (vt quidam meditantur) quòd Iudas adeſſet, qui & pactam pecuniam; quæ ad Annam, vt ſolueretur, & remiſſa erat, exſpectaret; & pro ipſius diſcipulo, etſi infeliciſsimo, agnoſceretur, ſuaque illa infauſta præſentia multum Magiſtro detraheret: quod totum non parum ipſum Saluatorem cruciabat. O magiſter amantiſsime, ne quæſo permittas me ab ea fidelitate degenerare, quam tibi vt fidelis diſcipulus debeo, ne b *coram Patre tuo & Angelis eius erubeſcas me*, tuum eſſe, *confiteri*,

Amen.

MEDITATIO XXVII.

DE ALAPA CHRISTO DATA ET eius ad Caipham miſsione.

PVNCTVM I.

VNVS *aſsiſtens miniſtrorum dedit alapam IESV, dicens: ſic reſpondes Pontifici?* Ioan.18. 22.

PERCVSSIO & *alapa* hæc, fuit prima iniuria Chriſto, apud Annam Pontificem, ab eius miniſtris illata, adeoque inſolens, vt S. Ioan. non putauerit ſilendam; ſed ſingulariter exprimendam, quatuor habuit circumſtantias. Alapæ Christo inflictæ, crudelitas.

PRIMA, quod fuerit *crudelis*, data ab irato ſatellite; & animo vlciſcendi iniuriam Domino ſuo, vt ipſe iudicabat, illatam; & ea via, eiuſdem ſui Domini voluntatem ad ſe trahendi; ac circumſtantibus placendi. I.

SECVNDAM, quod valdè fuerit *ignominioſa*, vtpote in tot nobilium & grauium virorum præſentia tali homini data, qui eo vſque fuerat venerationi & honori omnibus; de cuius vultu talis ſplendor emicabat, vt non perturbato animo eum aſpicientes, ad reuerentiam permoueret. II. Ignominia.

TERTIAM, quod fuerit omninò *iniuſta*, vtpotè intuitu vindictæ, &, ad calumnioſe improbandam reſponſionem prudentiſsimam, data à temerè iudicante, eam fuiſſe minus ciuilem, & contra autoritatem Pontifici debitam. III. Iniuſtitia.

QVARTAM, quod fuerit ab omnibus præſentibus *approbata*; nemine pro Chriſto reſpondente; nec ſceleſtiſsimi illius furorem reprehendente: ideoque via aperta fuit, vt alij eius exemplum ſecuti, ſimile quid attentarent. Aſpice itaque anima mea Saluatoris tui venerandam illam faciem, furenti illo ſatellitis ictu percuſſam: roſeo rubore, ob naturalem pudorem ſuffuſam, ob grauem adeò acceptam iniuriam; & erubeſcentē, totùm ob circumſtantium inimicorum exultationem & cachinnos; erga quem compaſsionis affectum concipe, dum colophizatum vides eum, b *in quem deſiderant Angeli proſpicere!* O fili Dei viui, c *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius*, quis in tua diuina facie ſignum poſuit & figuram tam deteſtandæ manus? O Pater æterne, *reſpice in faciem Chriſti* filij *tui* digitis ſignatam ſceleſtiſsimi miniſtri! Et ſiquidem ille hanc tantam iniuriam pro peccatoribus ſuffert: ſuſtine & tu eoſdem: parcens eis intuitu eorum, quæ ille pro eiſdem ſuſtinuit. IV. Impunita licentia. b 1.Pet.1.12 c Heb. 1.3. Pſal.83.

PVNCTVM II.

a Ioa. 18. 23

I. Chriſti inſignis patientia & manſuetudo in accepta alapa.

b 3. Reg. 13. 4 Ieroboam manus, extenſa contra prophetā exaruit.

c 3. Reg. 22. 24. Michæas propheta percuſſus in maxilla.

II. Chriſtus cædentem ſe corripit, vt corrigat.

d 1. Pet. 2. 22

e Ioa. 7. 46.

RESPONDIT IESVS: *ſi malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem benè, quid me cadis?*

PERPENDE hic primùm inſignem patientiam & manſuetudinem, quam Chriſtus Dominus, tantâ acceptâ iniuriâ, conſeruauit in animo ſuo! Nam quamuis dignus ille ſceleſtus eſſet, quem ignis de cœlo deſcendens combureret, aut dehiſcens terra abſorberet, aut eius manus, vt olim Ieroboam, cùm ſuam ad *verum Dei* Prophetam *tenendū extendiſſet, exareſceret*; Et Chriſto fuiſſet facile, eum hiſce vel ſimilibus pœnis caſtigare: nihil tamen tale voluit; ſed illatam iniuriam, tanta vultus ſerenitate tulit; vt prætulerit animi promptitudinem, ad ſimilem alapam in altera maxilla, & innumeras alias ſuſtinendas. O IESV dulciſsime, verè Propheta, qui, ob dictam veritatem, vt alter c *Micheas: percuſſus* fuiſti *in maxilla*, eum ictum admiranda patientia & manſuetudine ferens; fac me harum virtutum participem, vt illatas mihi iniurias feram ſine animi perturbatione, aut vltione.

SED & hic illud perpendendum, eundem Chriſtum Dominum; qui aliàs optimè nouit & tacere & diſsimulare ſannas, nūc manſuetiſsimè quidem, ſed voluiſſe tamen rationem ſui reddere, ne putaretur iniuria Pontificem afficere; eademq́; opera offenſorem ſuum corrigere; quò ſuum ille peccatum agnoſceret, dicens illi: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo:* priùs quàm me caſtiges; cùm non tu iudex ſis, ſed teſtis; *ſin autem benè, cur me cadis*, contra fas, meque notas quaſi inciuilē & irreuerentem? Quæ ratio, cùm reipſa conuinceret, non tamen admiſſa fuit, nec illius aliqua ratio habita, vt aliquid pro ipſo valeret, vt ego hinc diſcam, patienter ferre, ſi quando meæ rationes non audientur, nec admittentur; ſed contemnentur potiùs. O IESV amantiſsime, cui familiariſsimum fuit, benè ſemper loqui & d *in cuius ore non inuentus eſt dolus*, & multò minùs *mendacium*; & de quo veriſsimè ſcriptum eſt: e *Nunquam ſic locutus eſt homo*: Gratias tibi ob iniurias doloresque, quibus benè loquens afficeris, in pœnam culparum mearum, quas malè loquens admiſi: concede mihi, quæſo, ſemper loqui, quæ tibi ſunt grata; etiamſi eadem ſint hominibus ingrata, quorum propterea calumnias ſim ſubiturus.

PVNCTVM III.

a Io. 18. 24

I. Chriſtus mittitur ligatus ad Caypham.

MISIT a *Annas* IESVM *ligatum ad Caipham Pontificem.*

PERPENDENDA hic primùm eſt reſolutio ſiue decretum Annæ & Seniorum qui cum illo erant, vt CHRISTVS Dominus ad *Caipham duceretur*, qui Pontifex erat, legitimusque iudex huiuſmodi cauſarum, ad quem hac de cauſa conuenerant. Sacerdotes, Phariſæi, & alij

Digitized by Google

Seniores, quò ſimul omnes hanc tractarent. Ait verò Euangeliſta, quòd Annas ligatum miſerit, videlicet tanquam reum: fortè ſecundò illum ligari iuſsit, duplicantes eius vincula, ne aut euaderet ipſe, aut alij è manibus ducentium eriperent, eò quòd per mediam ciuitatem deducendus eſſet. O manſuetiſsime agne, cuius charitas etſi fortiùs ligatus à primo hoc concilio exeas, ad ſecundum deducendus; non propterea eſt imminuta; potiùs eadem te ſtringit premitque amplius recentibus patiendi deſiderijs, vt illi à grauiſsimis culpis ſuis liberentur, qui te crudelibus adeo funibus ligant. Auge in me, Domine, labores; modò ſimul augeas, eos ferendi deſiderium & amorem.

Forte & nouis vinculis conſtringitur.

DEINDE perpendenda eſt *defatigatio* & ignominia eiuſdem Chriſti Domini, in ſecundo hoc itinere: cùm per mediam ciuitatem feſtinanter, & militum ac miniſtrorum clamoribus duceretur: multa turba prodeunte ex domibus ſuis, vt viderent, quid tanti clamores & tali hora ſibi vellent: quorum multi ad milites ſeſe adiunxerint, vt eos iuuarent, iniurias Chriſto inferre, immemores beneficiorum, quæ ab eo antea accepiſſent: ipſo interim benigniſsimo Domino, nihil vel de pace ſua, vel de charitate in eoſdem remittente; ſed ſeſe offerēte ad patiendū iniurias à multis, pro ſalute omnium. Quamobrem dignus omninò eſt, qui ab omnibus per infinita ſecula glorificetur. Amen.

II. Chriſti hoc in itinere defatigatio & ignominia.

MEDITATIO XXVIII.

DE TRIPLICI S. PETRI negatione.

a Matt. 26. 58. a Marc. 14. 54. a Luc. 22. 54. b Ioan. 18. 15

PVNCTVM I.

POSTQVAM diſcipuli fugiſſent, a *Petrus ſequebatur IESVM à longè*, b *& alius diſcipulus*, (S. Ioannes) *qui erat notus Pontifici, & introiuit cum IESV in atrium Pontificis:* & ingreſſus etiam poſtea *Petrus, accedens ad alios miniſtros, calefaciebat ſe, quia frigus erat,*

PERPENDE, per quos gradus peruenerit Petrus ad negandum Chriſtum, vt in alieno capite accipiens experimentum, cautior euadas, & pericula fugere diſcas.

Negationis Petri fons eſt ſecreta præſumptio, & fiducia ſui ipſius. Huius fontis riui.

PRIMVS gradus fuit *amoris tepiditas*, orta ex humano timore: Amor. n. ad ſequendum Chriſtum eum mouerat; ſed humanus timor amorem ita debilitauit, vt *longè* tantum *ſequeretur*, cum antea propè ſecutus eſſet.

I. Amoris tepiditas ex humano timore.

SECVNDVS fuit *obliuio* eorum, quæ Chriſtus illi prædixerat, futurū ſcilicet, vt ter ipsū illa nocte negaret. Eſt. n. familiare nimiū de ſe confidentibus obliuiſci verborum Dei, & eius admonitionum, quaſi ad ſe non pertinerent, quibus eos, à nimia de ſe ipſis præſumptione, retrahit.

II. Obliuio prædicationis Chriſt

III. Temeraria periculi expoſitio, ſiue aggreſſio.

TERTIVS fuit, *temerè* ſe exponere occaſioni & periculo *negationis*, cum ſub ſpecie amoris Chriſtum ſecutus, coniunxit ſe abiectorum hominum ſocietati, qui more ſuo vanè conuerſantes, eum ad negationem prouocarent. Nec ſine myſterio dictum videtur: *quia frigus erat*, vt cordis Petri frigus, & obſcuritas eius mentis notaretur. Quod tamen totum à ſecreta præſumptione & ſui ipſius fiducia originem duxit; quæ quòd admonitione & prædictione Chriſti curata non fuerit, ſed viua permanſerit, malos hos fructus intempeſtiuè protulit.

Diſce hinc non præſumere, non tibi fidere. c *Rom.* 11. 20 d 1. *Cor.* 10. 12 2. Chriſtũ non à longe ſed prope ſequi. 3. Occaſiones peccatorũ fugere. e *Eccl.* 3. 27.

TRIA ex facto hoc propoſita firma concipiam. PRIMVM: non *præſumendi*, nec mihi ipſi fidendi, memor ſententiæ illius: c *Tu, ſi fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time:* & illius: d *qui exiſtimat ſe ſtare, videat ne cadat*. SECVNDVM propoſitum eſt, Chriſtum non à longe, ſed *propè* & cum feruore & alacritate *ſequendi*. Qui enim à longe tantùm ſequitur, non ponit ſuos pedes, vbi eos poſuit Chriſtus, nec eius benè veſtigia terit, aut ea aduertit, aut ab eo in ſuis periculis protegitur. TERTIVM propoſitum eſt, *fugiendi* omnes *occaſiones* impingendi, prauaſque ſocietates, quæ ad lapſum impellunt, memor ſententiæ Sapientis: e *Qui amat periculum peribit in illo.*

IV. S. Ioannes an ille diſcipulus notus Pontifici. Vnde liber à periculo negationis. f *Iob.* 17. 3.

LICET denique conſiderare, ſi (vt aliqui Doctores aſſerunt) ille diſcipulus notus Pontifici fuerit S. Ioannes, eum etſi in eiſdem occaſionibus fuerit, in quibus S. Petrus, non tamen negaſſe Chriſtum, aut negandi periculum incurriſſe, præcipuè quidem ob ſingularem Chriſti protectionẽ, qua eum præſeruauit & protexit; & præterea, quia non habuit occultam ſuperbiam & præſumptionem, quam S. Petrus. O DEVS omnipotens, libera me ab occaſionibus ruinæ; in quas, ſi (quæ mea eſt magna miſeria) fortè incidero, ita me protege gratiâ tuâ, vt non ſuccumbam. f *Pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me:* ſi enim me tua manu tenueris, nemo deiiciet, aut extrahet ex ea.

PVNCTVM II.

a *Matt.* 26. 69. b *Marc.* 14. 67. c *Luc.* 22. 56 d *Ioan.* 18. 17

ACCEDENS a *Ancilla* d *oſtiaria*, c *cùm vidiſſet Petrum ſedentem ad lumen, & eum fuiſſet intuita*, agnoſcens eum eſſe Chriſti diſcipulum, conuerſa ad circumſtantes c *dixit: & hic cum illo erat*, & vertens ſe ad Petrum dixit ei: d *Nunquid & tu ex diſcipulis es hominis iſtius?* proculdubio b *tu cum IESV Nazareno eras. At ille negauit, dicens:* d *Non ſum*, c *non noui illum*, b *neque ſcio, neque noui, quid dicas.*

1. A muliere, quanta mala.

CONSIDERA primùm *Dæmonis aſtutiam*, dum primùm aggreditur S. Petrum per mulierem, ſicut Adamum aggreſſus fuit per aliam; vt eum deiiceret, mulieres enim, vt ſunt audaciores & molliores, etiam Eccleſiæ arces & rupes etiam firmas, deiiciunt ad terram, niſi fugiantur ſolicitè.

ATTENDE in Petro magnam *hominis imbecillitatem*, ſi quidem is, qui lapis & petra erat, & quaſi fundamentũ Eccleſiæ conſtitutus; & cui Chriſti diuinitas fuerat ab æterno Patre reuelata, & propterea palam confeſſus eum fuerat filium Dei viui, & pro eo, & cum eo mori ſeſe paulò antè obtulerat: idem nunc vnius mulierculæ voce adeo concutitur, vt eum neget, dicatque ſe non noſſe hominem, ſe diſcipulum eius non eſſe, nec de tali Magiſtro gloriari? Quo exemplo diſcam, non mihi fidere, vt qui nec Petrus nec petra ſum; ſed puluis & lutum: & quicquid e *auri argentiue* virtutum in me eſt, *fundatur in fictili pedum* fundamento; vt vel paruulus tentationis & humani timoris *lapillus* ſufficiat, ad totam ædificij machinam *conterendam*. O Deus æterne, fac me altiſsimè cognoſcere lutum hoc, quod ex meipſo habeo, ne de mea virtute præſumam; ſed de te, cuius virtute ictibus tentationum reſiſtere; & collata mihi dona ſeruare poſsim.

II. Imbecillitas Petri docet nos ne fidamus nobis.

c Dan. 2. 31.

Oratio

PERPENDE, quam ſit noxius *timor* immoderatus *dedecoris*: nam non tam ipſa aduerſitas aut calamitas, quàm eius me timor deijcit: cuius cauſa ſæpiùs Chriſtum f *negaui*, ſi non verbo, certè *factis*, erubeſcens aliquas virtutum actiones, (ad quas præſtandas eram obſtrictus) ne humani honoris aliquod punctulum amitterem, aut lucrum ſiue commodum, aut carnis aliquas illecebras & voluptates. Ideoque orandus mihi eſt Deus, vt g *ſcuto* protectionis ſuæ *circundet me veritas eius, ne timeam à timore nocturno*, qui cor meum contendat occupare.

III. Timor immoderatus decoris quam noxius.

f Tit. 1. 16.

g Pſal. 90. 5

PRAETEREA expende, quantam *iniuriam* Petrus *Magiſtro* ſuo hac occaſione irrogarit, quantumque doloris perceperit Chriſtus, videns dilectum & chariſsimum ſibi, nũc dedignari ſe fateri eius eſſe diſcipulum; & eo facto vitam eius improbare, quem negabat. Et hac conſideratione vicem dolebo Domini mei, quem adeo videam à ſuis non agnoſci, & deſeri. O ſupreme Magiſter, nihil iam mirum eſt, quòd tepidus Iudas te neget, cupiditatis ſtimulis actus; ſiquidem video feruentem Petrum ita puſillanimitate mutatum, vt & ipſe te neget. Sed tua ſapientia, hanc ſibi inferri iniuriam permiſit, vt magis innoteſcat tua patientia, quâ talia toleras; & noſtra imbecillitas ad peccandum: tuæ denique gratiæ efficacitas ad lapſum erigendum.

IV. Dolor Chriſti ex negatione Petri. Cur Chriſtus permiſerit negationem Petri.

PVNCTVM III.

VIDENS Petrus quod ſibi euenerat, & periculum, in quo verſabatur, a *exijt foras ante atrium*, ad b *ianuam* videlicet; a *&* tunc *gallus* primùm cantauit: (ſed præ turbatione non aduertit) ſed c *poſt puſillum* reuerſus ad locum, vbi alij erant, ad ignem calefacientes ſe, d *dixe-*

a Mar. 14. 68.

b Matt. 26. 71.

c Luc 24 58

d Ioa. 18. 25.

lus cantet a bis, ter me negabis. Et egreſſus foras Petrus fleuit a.b. *amarè.*

Hic deſcribitur Petri *conuerſio & pœnitentia.* Circa quam conſideranda in primis eſt infinita Chriſti Domini *miſericordia* & *charitas*: qui etſi hoſtibus circumdatus, & in horrendarum perſecutionum & calumniarum igne conſtitutus, omnium laborum ſuorum veluti oblitus, recordatur tamen diſcipuli, qui iniuriâ illâ negationis, eos magis augebat: & licèt à Petro remotus, agnoſcens lapſum eius, loco pœnæ, quã propterea promeritus erat, eidē cōpatitur; & eum reſpiciens benignis oculis, cupit ad pœnitentiam prouocare; vt conuerſo condonet lapſum: idq; totum ſumma fecit feſtinatione, quò illam ouem, quàm citiſsimè eriperet ex infernalis lupi faucibus, quam deuorauerat: ideo ſtatuit, vt gallus iterum cantet ſtatim. quamuis nec ſecundus hic cantus ſuffeciſſet, ſicut primus non ſuffecit niſi ipſe Christvs oculos ſuos miſericordes ad eum conuertiſſet, illius oculos cæleſti lumine illuſtrans, vt errores ſuos agnoſceret; & cor eius alloquens, vt illos defleret. O benigniſsime Iesv, cur te non amem ex toto corde! ſiquidem tunc media tu adhibes ad mihi ignoſcendum, cùm ego in te offendendo occupor! & c *cùm iram tuam* oſtendere poſſes, me caſtigando, *recordaris miſericordiã*, & eam exerces, peccata condonando. Compatere, Domine, omnibus peccatoribus, eoſque miſericordiæ oculis aſpiciens, fac vt aures præbeant tuis & concionatorum tuorum vocibus; & ita illorum corda tange, vt ſua defleant peccata: & cùm ex imbecillitate mea contigerit me labi, ne obliuiſcaris tuos ad me oculos miſericordiæ conuertere.

Petri conuerſio & pœnitentia.

I. Miſericordia & charitas Chriſti elucet in conuerſione Petri.

c *Habac.* 3.2.

Deinde conſiderandæ ſunt *amara* Sancti Petri *lacrymæ*, quæ non ex ſupplicij alicuius timore, ſed ex amore ſui Magiſtri procedebant. Nam reuocans in memoriam gratias & beneficia, quæ ab eo acceperat; & ſuam in eo negando ingratitudinem in tali occaſione, oculi eius conuerſi ſunt in fontem lacrymarum, ingentemque amaritudinem cordis; bene ſentiens illud Ieremiæ: d *Quia malum & amarum eſt reliquiſſe Deum tuum*, & tuum Dominum negauiſſe. Eheu me (dixerit) infelicem, quomodo adhuc viuo, qui vitam negaui! quomodo non, dehiſcens terra, me deuorat, qui eius offenderim conditorem! O infandum os, quomodo apertum fuiſti, vt iurares te non noſſe eum, qui tanta in te contulit bona! O linguam execrandam, quomodo fuiſti ſoluta, vt maledicta tibi imprecareris, ſi eum noſti, qui tot amoris tibi oſtendit ſigna! Iuſtiſsimè ſanè e *veniſſet mihi maledictio quam dilexi; & intraret ſicut aqua in interiora mea; & ſicut oleum in oſsibus meis*, ſiquidem eam amplexatus, *indui ſicut veſtimentum!* O quis meo cordi, maris daret amaritudinem! f *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte inter-*

II. Petri lacrymæ.

d *Iere.* 2.19.

Peccati confeſsio.

e *Pſal.* 108. 18.

f *Ierem.* 9.1

fectam

Dei, & poſt triduum readificare illud: b *& non erat conueniens teſtimonium eorum.* a *Et ſurgens Princeps Sacerdotum ait illi: nihil reſpondes ad ea, quæ iſti aduerſum te teſtificantur?* IESVS *autem tacebat* b *& nihil reſpondit.* b *Marc. 14. 59.*

I. Tribunalis Caiphani forma.

CIRCA hoc punctum conſideranda PRIMÒ eſt *forma iudicij*, quod Caiphas aduerſus Chriſtum aggreſſus eſt inſtituere. Perpendendum ergò eſt, qui ſint iudices, & quam deprauata eorum corda, ſuperbia, ambitioq; qua omnes pro maieſtate ſedent; qui deinde ſint accuſatores, qui teſtes, quàm multi, & quàm habent viſcera maleuola; quis præterea ſit vinctus, & tanquam reus accuſatus, eius diuinitas, & altiſsima excellentia, ſimul cum modeſtia & humilitate coniuncta; & obſtupeſcam, quod filius Dei, iudex viuorum & mortuorum ſtet quaſi reus, ligatis manibus, tot contra ſe audiens calumnias, idque coram adeò deteſtandis iudicibus; qui crudeliſsimi erant eius perſecutores; & qui talem inſtituentes iudicij formam, omnes iuſtititiæ leges violabant; falſos teſtes conquirentes, quorum teſtimonio falſo innocentem condemnarent. O innocentiſsime Agne, quis te inter tot crudeles adeò rabidoſque lupos conſtituit? O Iudex iuſtiſsime, quis te ſubiecit iudicibus adeò iniuſtis? iniuſtitiæ meæ, tot calumniarum tuarum ſunt cauſæ, quas tu ſuſtines, vt à meis iniuſtitijs me liberes. c *Redime me à calumnijs hominum vt cuſtodiam* in pace *mandata tua.* c *Pſ. 118. 34.*

II. Innocentia & puritas vitę Chriſti

DEINDE perpendenda eſt ſumma Chriſti Domini *innocentia* & puritas vitæ: ſiquidem eius hoſtibus adeò anxiè per fas aut nefas quærentibus, quod illi obijcerent, nec fundamentum quidem, quod ſpeciem aliquã haberet, contra eum, pœna aliqua dignum, inuenire potuerunt. Ex quo etiam apparet veriſsimè ipſum dixiſſe: d *venit Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.* Satanas enim per ſuos miniſtros venit, vt illũ comprehenderet, & comprehenſum ad mortem damnaret: idq; titulo & prætextu iuſtitiæ; ſed nihil in eo tale reperit, hoc eſt, peccatum aliquod aliqua pœna dignum. O innocentiſsime & puriſsime Saluator, per ſanctiſsimæ tuæ vitæ innocentiam & puritatem, ſupplex oro, adeò innocentem & puram vitam mihi concede, vt accedens Princeps huius mũdi, in hora mortis meæ, nihil ſuum reperiat, cuius cauſa accuſare me poſsit, vt damner. Amen. d *Ioa. 14. 30*

III. Silentium Chriſt.

TERTIÒ perpendendum eſt admirandum Chriſti Domini *ſilentium*, ad tot calumnias, nihil pro ſe afferentis, non ſe excuſantis, nec teſtes falſos repellentis, aut ex verbis proprijs, falſitatis arguere volentis: quod fuiſſet illi facillimum, ob inſignem ſuam ſapientiam; ſed voluit potiùs tacere, innixus innocentiæ ſuæ, & robori veritatis, & implere quod dixit per os Dauid: *qui inquirebant mala mihi locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur. Ego autem tanquam ſurdus non audiebam: & ſicut mutus non aperiens os ſuum. Et factus ſum ſicut homo non audiens: & non habens in ore ſuo redargu-* *Pſal. 37. 13.*

tiones, aut quid ad eorum calumnias reſpondere. Quod totum fecit Redemptor noſter; vt nobis ſilentij & tolerantiæ, in huiuſmodi occaſionibus, exemplum daret: vt noſtri defenſionem, Deo & manifeſtæ veritati remittamus. Quod ipſum, modus quidam eſt occultus, omninò glorioſè de hoſtibus triumphandi, qui auidè expectãt, & obſeruant, quid reſpondeatur, vt aliquid arripiant aduerſus impatientiam, aut imprudentiã noſtram; etiam iuſtam noſtram excuſationem calumniantes: ſic enim *Caiphas* ægrè ferens tantum Chriſti ſilentium, *ſurgens ait illi: nihil reſpondes ad ea, quæ iſti aduerſum te teſtificantur?* IESVS *autem*, etiam ad hanc interrogationem *tacebat*: O verbum Diuinum, æternum Patris verbum; cur non verbum aliquod profers in tui defenſionem? caue ne tacenti objiciatur, *qui tacet, conſentire videtur*: ideoque reum te iudicent, quod te non defenderis. Sed miſericordia tua vult, iſto ſilentio, pro mea garrulitate ſatisfacere; meæque linguæ frenum inijcere, ne proprias culpas excuſet. infrena illã Domine gratia tua; vt tacens toleret, quod tu ſuſtinuiſti, triumphetque de hoſtibus, ſicut tu hic triumphaſti.

Vincit qui tacet.

Silentii Chriſti cauſa.

PVNCTVM II.

a *Matt* 26. 63.

VIDENS Caiphas, Chriſtum ad omnia tacentem: a *Adiuro te*, inquit, *per Deum viuum, vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei benedicti. Dicit illi* IESVS: *Tu dixiſti: veruntamen dico vobis, amodò videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.*

I. Reuerentia nominis Dei.

PERPENDENDVM hîc primùm, quantam *reuerentiam* Chriſtus Saluator noſter deferat ſancto Dei *nomini*, qui, cùm conſtantiſsimè ad omnes calumnias ſilentium tenuiſſet: ſtatim atque per nomen DEI viui adiuratus eſt, reſpondit obediens Pontifici; quamuis non ignoraret peruerſam eius intentionem, quâ verbum aliquod extorquere nitebatur, vt calumniandi & accuſandi occaſionem arriperet; & quamuis præuideret, ex ſua reſponſione, occaſionem illos accepturos, propter illam eum dãnandi. hoc ſuo exemplo nos docens, ſanctum ipſius nomen reuereri, & ſuæ Eccleſiæ Prælatis obedire, etiam impijs, abſque reſiſtentia & obſtinatione in tacendo, cum loqui nos iubent, aut aliquid præſtare contra id, quod facere decreuiſſemus.

II. Chriſti de ſe cõfeſſio.

DEINDE, ipſa Chriſti *reſponſio* eſt perpendenda, quâ veritatem ſincerè confeſſus eſt: ſe videlicet eſſe Chriſtum, ſimul eos ab errore & deceptione educere volens, qua contra hanc veritatem laborabant, eò quod ipſũ adeò iam oppreſſum viderent: & eadem opera timorem aliquem illis incutere, qui eos auerteret, & à pernicioſa intentione retraheret: atq; ſi illis diceret: ego ſum Chriſtus: & quamuis nunc me non agnoſcatis, quòd videatis adeò humiliatum, dies veniet, in quo videbitis filium hominis, ſedentem à dextris Dei, & venientem in nubibus cœli, ad mundum iudi-

candum, ſicut de Chriſto b *prophetatum eſt*, quare quid faciatis, diligenter attendite. O fili Dei viui, & filij hominis, Deus & homo vere, humiliate, & exaltate, qui rei inſtar ſtas, vt à Caipha iudiceris, ſedebis verò inſtar iudicis in nubibus cœli, vt mundum vniuerſum iudices! anima mea exardeſcit igne tui amoris, cum te video humiliatum, ad me redimendum: ſed ingenti timore concutior, cùm te conſidero in throno ſedentem, ad me iudicandum. Sit mihi Domine amor tuus calcar, ad tibi ſeruiendum, timor verò frenum, quo detinear à te offendendo. b Ex Pſal. 109.1. Dan. 7.13.

PRAETEREA, & illud verbum eſt perpendendum: *amodò videbitis filium hominis, &c. Quoniam ante oculos Dei, mille anni, tanquam dies* ſunt *hesterna, quæ præterijt*: & quamuis Chriſti aduentus, ad iudicandum, differri videatur: breui tamen futurus eſt, qua ſententia docere nos voluit, vt cū aliqua humiliatione & aduerſitate premi nos videbimus; nos ipſos cōſolemur cogitatione, breui adfuturæ exaltationis; è contra verò, cum ex aliqua proſperitate euaneſcentes ſuperbimus; nos ipſos humiliemus cogitatione imminentis iudicij, in quo timere poſſumus humiliationem: in vtroque autem euentu iuuerit conſiderare, quid Caiphas cæterique, in hoc concilio, contra Chriſtum congregati ſentient: cum eum viderint in tāta gloria, tanquam Iudicem, ad eos condemnandos ſedentem. O quanta erit fortium mutatio, flentibus amariſsimè abſque ſpe remedij ijs, qui auſi ſunt his ipſum offendere! quare elige tibi, anima mea, humiliari cū Chriſto in hac vita, vt ab eodem glorificeris in futura. III. c Pſal. 89.4. Quid cogitandū in aduerſitate Quid in proſperitate.

PVNCTVM III.

TVNC a Princeps Sacerdotū, *ſcidit veſtimenta ſua dicēs: Blaſphemauit! quid adhuc egemus teſtibus? ecce nūc audiſtis Blaſphemiam: quid vobis videtur? at illi reſpodnentes dixerunt: reus eſt mortis.* a Matt. 26. 65.

CONSIDERANDA hic primò eſt Diabolica impij huius Pontificis *hypocriſis*, ad alios irritandum ad indignationem, contra Chriſtum: nam ex parte vna ſcidit veſtimenta ſua, vt indicaret ſuam triſtitiam, ob ingentem blaſphemiam, contra Deum auditam; ex altera verò parte exultat, quod occaſionem inuenerit ad illum condemnandum, ideoque tāquam victoriam obtinuerit, ait: *quid adhuc egemus teſtibus?* & iudicij ordinem, peruertens & conculcans, ſeipſum Actorem facit, & circumſtantes tanquam iudices compellat, petens, vt illi iudicent, ſuamq; ſententiam proferant; eos prouocans, vt tanquam Blaſphemum condemnent: qui nihil illo meliores, mox ſententiam tulerunt, dicēres, eum eſſe reum mortis. Vt hinc ego videam, quàm aberrent hominum iudicia à via recta, præcipuè cum animi aliqua perturbatione mouentur. Siquidem eò vſque progrediūtur, vt condemnent, dignumque morte aſſerant, vitæ authorē; Blaſphemiæ contra Deum damnent, ipſummet Deum. I. Caiphæ hypocriſis. Perturbatio animi excæcat iudicium.

II. Chriſti humiliatio.

SIMVL etiam perpendam eiuſdem Chriſti Domini noſtri, in hac occaſione, ***humiliationem***: vt compatiar adeò afflicto; & ob reſponſionem veriſsimam & ſolidiſsimam oppreſſo: & obſtupeſcam, quod filius Dei, eouſque contemptus peruenerit, vt Blaſphemus iudicetur; eiuſq; ***verba***, quæ ſunt ***vita æterna***, habeantur pro blaſphemijs, æterna morte dignis. Ex quo etiam exemplo accipiam documentum conſolationis; ſi me videro innocentem contemni & condemnari. O dulcis IESV, quàm potiori iure tu potuiſſes ſcindere veſtem tuam, cùm audiuiſti verba Caiphæ, tam plena Blaſphemijs in in DEVM: quam tua fuerunt pleniſsima veritate & gloria eiuſdē DEI! O ſi cor meum, præ dolore & pœna ſcinderetur, dum audit tot Blaſphemias; quas hic dicunt contra te! non tu Blaſphemus es, Domine, ſed Blaſphematus; qui propter Blaſphemias, quas homines in Deum iaciunt, permittis te ab eis Blaſphemari, luens eorum culpas, tuis pœnis.

III. Sententiā mortis quo animo exceperit Chriſtus.

DENIQVE conſiderabo, quo animo Chriſtus Dominus noſter exceperit illam ſententiā: ***reus eſt mortis***, cumque audiret, omnes vnanimi conſenſu illam proferentes, hinc vehementer triſtabatur, ob eius iniuſtitiam, & quòd, quibus ipſe tot beneficia contulerat, ij ſtatim eum ad mortē condemnarent: inde verò interiùs illam acceptabat, & ad eandem mortē, pro eorundem vita ſeſe offerebat. O charitas IESV immenſa! qui ita doles de noſtris culpis ob damnū; quod ex eiſdem nobis euenit; vt ſimul te ad moriendum offeras, quò nos ab eis eripias. Laudent te, Domine, omnes Angeli tui, & vna voce, peruerſo huic concilio contradicētes, dicant: dignus eſt vita, dignus eſt vita; vos verò, ô peruerſi, eſtis rei mortis: ſolus verò Chriſtus, dignus ſempiterna vita.

MEDITATIO XXX.

DE INIVRIIS ET POENIS CHRISTI DOmini, in præſentia Caiphæ, eiuſq; concilij, & in reliqua illa nocte.

PVNCTVM I.

Multiplices Iniuriæ pœnoſæ illatæ Chriſto in domo Caiphæ.

HAC ſententia in Chriſtum audita qui illum tenebant, (non enim tantum ligatus tenebatur, ſed alij etiam multi eum tenebant, ne aufugeret) occaſionem arripuerunt, vt auderent, iniurijs eum afficere, & inſtigante Sathana, illum cruciare, rebus ignominioſis ea inſerētes, quæ dolorem inferrēt; vt ex vtraq; parte, pœnæ eſsēt acerbiores. Hæ pœnæ ad quinque ſex ve genera reduci poſsūt.

Digitized by Google

1\. a Matt. 26. 66. Mar 14.65. Expuitio in faciem eius.

Prima iniuria fuit, quòd a *expuerunt in faciem eius.* quod tormentũ & ignominioſum erat,& ſordidum;in vſu quidem apud Iudæos,ſed quod magnæ iniuriæ loco haberetur,& quoniam milites & miniſtri multi erãt, omneſque contentione quadam in eum exſpuebant,remanſit facies illa Chriſti defœdata,& vehementer obſcurata.

Qui ille cuius facies conſpuitur. b Ioan. 9.6. c Mar. 7.33. d Pſal. 79.4. A quibus.

Perpende igitur,anima mea, quis hic ſit, qui conſpuitur;& qui illi, qui eum conſpuunt;quæ illa facies tot conſputationibus defædata, & quæ illa ora,quæ illam defædant,&inuenies,conſputum quidem, Deum eſſe maieſtatis,cælorum ac terræ Creatorem:b *ſputo ſuo dat lumen cœcis,* c *linguam mutis,& ſurdis auditum.*conſputa eſt facies illa, cuius amore ardẽt Seraphini:in quam reſpicientes,nunquam Angeli ſatiantur: in qua eſt õnium hominum ſalus;pro qua ſuſpirabant Prophetæ,dicentes : d *oſtende nobis faciem tuam,& ſalui erimus.* hic itaque eſt,qui conſpuitur à viliſsimis homuncionibus,ab execrandis peccatoribus,à gẽte indigniſsima, digniſsima quæ ab omnibus tanquam locus viliſsimus, & mundi totius abiectiſsimus,conſpueretur. Quomodo igitur non tangeris commiſeratione, tanti Domini,ab huiuſmodi mancipijs conſputi excellentiſsimi Creatoris,à viliſsimis creaturis! O veneranda Iesv facies,ſplendidior ſole, luna pulchrior,ſtellis cœli ſpecioſior! quomodo te obſcurarunt,ac defœdarũt ſputa peccatorum terræ! eorum peccata huius fœditatis ſunt cauſa, quos vt ab eis ablueres,tu ipſe vis ita deturpari. e *Spuebatur olim in faciem illius qui non vellet ſuſcitare nomen & familiam fratris ſui,qui abſque liberis mortuus eſſet:* ſed tu Domine ſpueris,eò quod reſuſcites familiam Adami, qui & ſeipſum,& filios ſuos omnes occidit. Gratias tibi, ob inæſtimabilem hanc charitatem,ob quam peto, ſuſcitari animam meam, & lauari exornarique pulchritudine tuæ gratiæ, Amen.

Oratio. e Deut. 25.9. Et quomodo contra Legem.

2\. Chriſti conſputi patientia. f Iſa. 50.6.

Deinde perpendenda eſt illa *modeſtia* vultuſque grauitas & ſerenitas Chriſti Domini noſtri, admiranda manſuetudine & ſilentio tolerantis ſputorum illum imbrẽ: f *nec faciem ſuam* vt loquitur Iſa. *auertentis ab increpantibus & conſpuentibus in eum:* nullo geſtu, aut motu oſtenſo hominis,tanta iniuria affecti,aut commoti:nec verbo vllo prolato aduerſus ipſos iniurios. O Deus æterne, ſi propterea quod g *Maria* ſoror Aaron, Moyſi iniurioſa fuiſſet, *ſpuiſti in eius faciem, & illa* ſtatim *apparuit candens lepra quaſi nix;* cur non ſpuis etiam in iſtos,qui in faciem tuam ſpuunt, vt lepra pro meritis repleantur? Sed tu, Devs meus,non veniſti in mundum, vt homines faceres leproſos; ſed vt ſanares eos à lepra, accipiens ipſe pœnam lepræ illorum, & factus h *quaſi leproſus & percuſſus à Deo!* non veniſti,vt exſpueres,ad aliquem occidendum, ſed vt ſanares,& vitam ſputo tuo redderes peccatori,ea priuato. Tange me,Domine, ſputo tuo , vt fiam ſapi-

g Nu. 12. 10. h Iſa. 53. 4.

Digitized by Google

ens,ad te cognoſcendum; & ſanus ac fortis, ad te amandum, tibique ſeruiendum.

Tertiò hoc idem ſpiritualiter accipiendo perpendam quoties graui culpa Deum offendo *exſpuere* me ſpiritualiter *in faciem Chriſti* eamq; ſputo meæ culpæ, à venenata mea lingua, & corde ac pectore peruerſo procedente, fœdare. Item perpendam, quantus huiuſmodi ſputorum imber deciderit, modoque decidat ſuper ipſum Chriſtum Dominum, & quàm ſint ei hæc peccatorum ſputa grauiora, quam illa fuerint, quæ hoc loco, in eius faciem proijciebantur. Sunt enim magis horrenda fœtidaque apud Deum, quàm fuerint horum miniſtrorum ſupra. Denique perpendam, quod proximum contemnere, & in eum exſpuere, idem ſit, atque in ipſum Chriſtum exſpuere: accipit enim ipſe vt propriam iniuriam quæ fit proximo. Ex quibus omnibus effectus eliciam doloris, compaſſionis, & propoſiti fugiendi peccatum, quo Deus conſpui cenſetur.

5. Peccator ſpuit in faciem Chriſti. Imber nūc magnus ſputorum Proximi contemptus eſt Chriſti cōtemptus

II. i *Mar.* 14. 65 *Luc.* 22. 64. Velatio faciei Chriſti k *Exo.* 34. 35 Contraria eſt velamini Moyſis

Secunda iniuria Chriſto illata fuit, quod i *eius faciem velauerint*, quo liberius eum percutere, & ſubſannare poſſent, quaſi ab ipſo non viderētur; quia vultûs Chriſti grauitas, & ſerenitas, eos quaſi reprimebat, ne ita liberè & pro ſuo libitu illuderent. cuius contrarium accidit Moyſi, k *qui velamine operiebat faciem ſuam quando loquebatur* ad populum eò quòd ſplendor, qui prodibat ex eius facie, aſpectum intuentium offuſcabat: dulciſsimus autem noſter Iesvs, *qui eſt ſplendor gloriæ æterni Patris*, permittit velari ſibi faciem alio velo à diſcipulis Moyſis, non vt eum attentius & obſeruantius audiant; ſed vt liberius & impudentius eum irridere, eique illudere poſsint. In qua permiſsione oſtendit, ſe non minus appetere illorum illuſiones & contemptus, quàm ipſi & illudere appetant. Eſt verò fas credere, vittam ſeu velum, quo faciem eius velarunt, fuiſſe aliquod vile, & abiectum; quò irriſio eſſet maior.

Vilitas veli Chriſti.

Perpendam deinde, quàm ſit proprium ac familiare inſignium peccatorum, optare, ſe non videri à Deo, aut id ſibi fingere, quò liberius peccare poſsint, dicentes quod eſt apud Iob ſcriptum: l *Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat*. Sicut ſtupidi hi miniſtri, velarunt oculos corporis Chriſti, ne ab eo viderentur; ſed non propterea impediebant, quò minus oculis animæ ſuæ ac diuinitatis, eos videret. Quare ſeipſos potius excœcarunt, quàm Chriſti conſpectum effugerunt. Et hac ratione cogitare debeo, cum peccatum admitto, oblitus, quod me videat Deus; hanc obliuiuionem inſtar eſſe veli, quo exiſtimo, Dei oculos eſſe velatos dicens illud Iob. m *Quid nouit Deus? quaſi per caliginem iudicat*, cum reuera non illius, ſed mei velati ſint; & vt ait ſapiens: in omni loco n *oculi Domini contemplantur bonos & malos*; & bonum malumve, quod quiſque facit. O Deus æterne, ne

l *Iob.* 22. 14. Obliuio Dei, eſt velum.

m *Iob.* 22. 13 n *Prou.* 15. 3 Seraphim quare velent Deum

permittas aliter me velare oculos tuos, aut o *faciem tuam* quã *Seraphim*, qui *aliis* ſuis *eam velabant*, diuinitatem tuam venerantes, & confitentes, deeſſe ſibi oculos ad eam comprehendendam: ſed tu Domine clariſsimos, & perſpicaces illos habes, vt me videas & comprehendas, & hoc mihi ſufficit, vt credam, te videre meas culpas; & ad eas deflendas mouear, animo eas non repetendi.

o Iſa. 6. 2.

III. Percuſsio Chriſti quę facta Pugno & Palma.

Tertia iniuria & tormentum fuit, quòd *manibus* eum crudeliter *percuſſerint*; quod fecerunt duobus modis. Alii enim pugnis eum cædebant in faciem, caput, pectus, dorſum, & brachia, contentione quadam & rabie: ait enim Sanctus Matthæus p *colaphis eum ceciderunt*, & Marcus q *miniſtri alapis eum cædebant*. Facilè autem credi poteſt, cœleſtem illam faciem intumuiſſe, & liuoribus deformatam fuiſſe, & corpus totum à multitudine ictuum (quia percuſſores multi erant, & crudeles, iraque, zelo quodã vlciſcendi Blaſphemiam contra Deum, palliata incenſi) valde contuſum. Alii *palmas*, vt ait Sanctus Matthæus, *in faciem eius dederunt*, quod iniuriæ genus, maior eſt inter homines ignominia & dedecus, quàm quæ fit pugno. Impleuit hic ipſe Christvs reipſa conſilium, quod aliàs dederat, cum dixit: r *ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*: neque enim vnus tantum, aut ſemel, palmas in faciem eius dedit, ſicut apud Annam; ſed ſæpe & contentione quadam, multi miniſtri Dæmonis dederunt, exiſtimantes magnum ſibi lucrum eſſe, quod illum cæderent. Excipiebat autem illas mitiſsimus Saluator, nec illud quidem hic reſpondens: ſ *cur me cædis*? potius, ſi non verbo, opere certè ipſo dicere videbatur, ſi cædere placet, cædite; paratus ſum enim cædi, & percuti; cupiẽs ſaturari & irriſionibus repleri, iuxta illud Ieremiæ: t *dabit percutienti ſe, maxillam: ſaturabitur opprobrijs*.

p Matth. 26. 67.
q Marc. 14. 65.
Matt. ſupra.
r Matt. 5. 39.
ſ Ioan. 18. 23.
t Thren. 3. 30.

Myſtica percuſsio Chriſti pugnis & palmis.

Praeterea perpendendum eſt myſterium, quod in his duobus modis, Chriſtum manibus cædendi, latet: quidam enim *manu compreſſa* cædunt, & hi ſunt *auari* & *cupidi*, qui in bonis ſibi ipſis comparandis occupantur, quæ poſtea tenaciter retinentes, comprimunt, nec manum extendunt, vt bona pauperibus communicẽt; alij vero *expanſis manibus* ſeu palmis cædunt; & hi ſunt *ſuperbi, & glorioſi* huius mundi, *delicati* & carnis ſuę *molles* amatores; *prodigi* item, & qui ob ſuam vanitatem & ſenſuum voluptatem omnia profundunt. Quorum culpæ maiorem adferunt Chriſto ignominiam, quia illum illudunt, vt proprium ſuum honorem promoueant. In pœnam duplicis huius generis culparum, vult Christvs Dominus duplici etiam pœnarum differentia affici. Cogitandum itaque mihi eſt, me eſſe, qui tum pugnis manibuſque compreſsis Chriſtum Dominum cædo, cùm, bonorum terrenorum cupiditate, il-

Auari & cupidi pugnis; ſuperbi & prodigi palmis cædunt.

te, illum offendo; tum extenſis manibus & palmis, cum vanitatis intuitu, vt honorem & famam meam promoueam, aut carnis meæ delicias quęram, eius mandata tranſgredior.

Oratio

O liberaliſsime bonorum omnium largitor, qui adeo liberaliter faciem tuam cædenti te præbes, deſiderans etiam cor tuum eidem dare, propter ingentem amorem, quo illum proſequeris: aperi, Domine, benedictam manum tuam, tangeque illos, qui ſua te cædunt; vt à te cædendo abſtinentes v *ſua pectora*, ſicut ille *Publicanus percutiant*; & peccata ſua confitentes, illorum veniam impetrent, Amen.

v *Luc.* 18, 13.

IV. Barbæ & capillorum euulſio.

Qᴠᴀʀᴛᴀ pœna & tormentum fuit, quod *barbam & capillos* ingenti crudelitate *extraxerint*, quamuis enim Euangeliſtæ, hoc factum eſſe non exprimant; ipſe tamen Dominus, apud Iſaiam expreſſit. Nec dubitandum eſt, quin hic fuerit impletum: x *corpus*, inquit, *meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus & conſpuentibus in me.* O ſumme Sacerdos, nobilior multo quam fuerit y *Aaron, cuius vnguentum deſcendebat à capite, vſque in barbam*, vt eius dignitas & virilis fortitudo ſignificaretur: quomodo permittis barbam tuam ita velli, itaque ignominioſè & crudeliter trahi! O conſecrate z *Nazaræe, cuius capilli non erant eradendi nec nouacula aſcendere poterat in caput eius, omni tempore conſecrationis ſuæ*: cur nunc finis te ita expilari: ſiquidem ſemper tu es Nazaræus, & ſanctus, ac ſanctitas ipſa? Sed video, Domine, velli barbam tuam, ob effœminatam meam timiditatem: tuos verò capillos euelli, propter nimios exceſſus meos. Siquidem vero amor, quo me proſequeris, mundior & caſtior quam fuerit ille *Samſonis ad Dalilam*, hanc illis voluit facere poteſtatem; ſupplex te oro remittas mihi culpas, quæ has tibi attulerunt pœnas; & concedas virilem & fortem animum, ad tibi ſeruiendum, valde verò mortificatum, vt nunquam te audeat offendere.

x *Iſai.* 50. 6.
y *Pſal.* 130. 2.
z *Num.* 6. 5. 18.
Iudicium 16 4. 16.

V. Irriſio Chriſti.

Qᴠɪɴᴛᴀ iniuria fuit verborum, *pudoris & confuſionis faciei*, cum velatum colaphis cedentes, dicebant: a a *prophetiza nobis Chriſte, quis eſt, qui te percuſſit*? atque ſi dicerent, tu dicis te eſſe Chriſtum & Prophetam, prophetiza igitur nunc, quis eſt, qui te percuſsit, cum illum non videas. Quibus verbis ſignificabãt, quid de illo ſentirent: eſſe nimirum fictum Chriſtum, & falſum Prophetã. Addit verò Sanctus Lucas: b b *& alia multa blaſphemantes, dicebant in eum.* quæ tamen cum ipſe non exprimat, nobis conſideranda relinquit: ſed vt credantur multa fuiſſe, eaque grauia ſufficit noſſe, blaſphemantes illos, fuiſſe multos, audaces valde, impudentes, ira & rancore plenos: ſerpens enim infernalis c c *acuit linguas illorum ſicut ſerpentis, ſub quorum labijs venenum eſt aſpidum, vt maledicta & amaritudines*, iniurias ſcilicet & inauditas blaſphemias in eum euomerent, vt ad impatientiam eum prouocarent, & crudelem de eo vltionem ſumerent:

a a *Matth.* 26. 68.
b b *Luc.* 22. 65.
c c *Pſal.* 139 4.

& facilè

& facilè credi poteſt, repetiuiſſe illos iniurioſa illa verba, quæ aliàs in eū dixerant: d.d *Samaritanum* eum appellantes *Dæmoniacum*, e.e. *voracem, & potatorem vini, Publicanorum & peccatorum amicum*, violatorem Sabbathi & feſtorum, commotorem plebis, ſeductorem, Blaſphemum in DEVM, & alia innumera obijcientes. Illi itaque ſaturati ſunt, & ſua deſideria, opprobrijs illum afficiendi impleuerunt: vt in ipſo Chriſto locum haberet, quod Iob de ſe ipſo dixit: f.f *aperuerunt ſuper me ora ſua, & exprobrātes percuſſerunt maxillam meam: Satiati ſunt pœnis meis*: & ipſe quoque, vt Ieremias dixit, g.g *ſaturatus fuit opprobrijs*: ſemper tamen maiora appetebat, ſicut reipſa hac nocte ſuſtinuit. Nam inimicorum deſiderium, ſimile erat fami caninæ, & ſiti hydropiſis, quæ quamuis ad ſaturitatem vſque, comedat & bibat, mox famet iterum ac ſitit vſque ad mortem. CHRISTI vero Domini noſtri fames & ſitis erat charitatis infinitæ, quæ nunquam omnino ſatiari poteſt: ideoque, & ſi illi valde optabant, iniurijs illum implere: paratus ille erat maiores alias admittere. Sit benedicta inſatiabilis adeo charitas, h.h *ignisque adeo ardentis amoris*, *qui nunquam* iniurioſis ſuis *dicere* nouit, *ſufficit, ſufficit*, ſed potius *affer, affer*.

d.d Ioa. 8. 48.
e.e Mat. 11. 19.
Conuitia iacta in Chriſtum.
f.f Iob. 16. 11
g.g Thren. 3. 30.
Simile
h.h Prouer. 30. 15. 16.

VI.

DENIQVE circa hæc *quinq;* iniuriarum genera eſt perpendendum, ſacros Euangeliſtas non erubuiſſe, nec dedignatos eſſe, hæc opprobria & iniurias CHRISTO illatas, adeo minutim recenſere; ſcientes id cedere in gloriam DEI, & CHRISTI Domini; imo & noſtram, quòd voluerit CHRISTVS talia pro nobis tolerare, & quod conſequens eſt, nec nos erubeſcere debere ſimilia pati; potius in eis gloriari, & ex toto corde eum diligere, qui talia ſui in nos amoris indicia dedit; nec deſiſtere ab eius laudibus, & à continuata gratiarum actione, & continuis eius obſequijs. Licebit verò ex illis omnibus vnam quaſi litaniam hac ratione contexere: Gratias tibi, *dulciſſime* IESV, quod inenarrabili patiētia & humilitate ſuſtinueris faciem tuam conſpui, oculos velari, maxillas alapis cædi, barbam velli, capillos crudeliter extrahi, corpus tuum cædi & contundi, aures tuas innumeris blaſphemijs offendi: propter quas ſacratiſsimas pœnas, ſupplex te, Domine, oro, vt culpas mihi, quæ illarum fuerunt cauſæ, remittas adeoque me felicem facias, vt patienter & amanter patiar pro te pœnas quas tu adeò patienter & amanter pro me ſuſtinuiſti.

Iniuriarum harum perpeſsio, quid in nobis debeat efficere.
Litania cōtexta ex iniurijs Chriſto factis.

PVNCTVM II.

I. Chriſtus tota nocte quomodo illuſus.

CONSIDERANDVM deinde, quid Chriſtus Dominus, in reliqua *noctis* illius *parte* perpeſſus fuerit, quod ſine dubio plus eſt, quam noſter intellectus aſſequi poſsit. Nam Pontificibus & ſacerdotibus ad quietem diſcedentibus, manſit Chriſtus Dñs noſter in ſula illa fortiſsimè ligatus & multis militibus, ad eius cuſtodiam circumdatus, accedentibus etiam domeſticis ſeruis & miniſtris familiæ, qui omnes, tota illa nocte ſeſe ibi continuerunt, irridentes, & ludentes cum ipſo IESV cum quinq; illis prædictis circumſtentijs: & plurimis alijs, quas ſuggerebat illis Satanas, vt ſe de Chriſto vlciſceretur, & eius conſtantiam labefactaret. His verò dormitum abeuntibus, alij recenter ſuperuenientes, iniurias proſequebantur; non permittentes eum dormire, vel paululum quieſcere tota nocte: ſed tanquam ſignum quoddam, & ſcopum, in quem ſuas omnes iniurias iacerent; eum conſtituerunt: vt etiam hic locum habeat, quod Sãctus Symeon prædixerat: a *poſitum eum eſſe in ſignum, cui contradiceretur*; Et Dauid: b *ego ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.*

a Luc 2. 34. b Pſal. 21. 7

II. Orat pro illudẽtibus.

Oratio Dei quæ ſit c Luc. 6. 12.

SED quid tunc faciebat ſupremus hic Redemptor, non *homo*, ſed plus quam homo, & omnium hominum gloria? præferebat vultum adamantinum, & chalybeum corpus, non defatigatus tanta ferre, nec ſignum præbens tædij, aut commotionis alicuius! Internè autem labores omnes illos & dolores, æterno ſuo Patri, pro peccatoribus, offerens; & continuè maximoque feruore ita pro eis orans, vt & hic verum ſit illud: c *erat pernoctãs in oratione Dei*, in oratione ſcilicet altiſsima, oratione digna Deo: quã nec iniuriarum multitudo, nec dolorum, quos patiebatur, acerbitas aut diſtrahebat, aut remittebat. Ibi præſentes habebat diſcipulos ſuos; qui ouium inſtar ſine paſtore, vagabantur: pro quibus, ne inferni lupus nos deuoraret, ardentiſsimè orabat: licetque exiſtimare, etiam me in ſua memoria præſentem habuiſſe, ſuamque orationem pro me fudiſſe. O Saluator mi, ſi comes tibi fuiſſem, vt iam prolixæ noctis deſolationem aliquo modo tibi temperarem! Spiritu nunc ante conſpectum tuum me colloco, cupiens pernoctare in oratione Dei, & meam tuæ coniungere, vt exaudiatur, & feliciter expediatur.

PVNCTVM III.

I. B. Maria vbi illa nocte fuerit. a Luc. 2. 85.

TERTIÒ conſiderandum, aliquem diſcipulorum (& forte S. Ioannem) iuiſſe ad Virginem ſacratiſsimam, quæ cum ſancta Magdalena, & alijs pijs mulieribus, in loco illo erat, in quo comederant Agnum Paſchalem; illique retuliſſe filij eius IESV comprehenſionem: quo triſti nuncio accepto doloris a *gladius animam eius pertranſiuit*, & adeo

Digitized by Google

vehemens triſtitia, vt veriſsimè potuerit Filij ſui verba illa vſurpare: *triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, hoc eſt, triſtitia hæc mortalis eſt. & anguſtias anxietateſque tanquam mortis adfert; nam, cum eius erga filiũ amor eſſet ardentiſsimus, fideſque valde viua, & ipſa iniuriarum & dolorum apprehenſio, quos perpeſſurus erat; perpendit verò eundem iam illis immerſum! fuit eius anima amaritudine repleta, & quodam quaſi mari compaſsionis ita transfixa, vt merito illud Ieremiæ ei applicare liceat: b *magna eſt velut mare contritio tua: quis medebitur tui!*

Dolor B. Virginis de filij comprehenſione

b Thre. 2.13

II.

SED quoniam ſacratiſsima hæc Virgo plena erat Deo, imitata ſuum filium, mox recurrit ad remedium orationis; & genibus flexis, vultuque cum terra confixo, æterno Patri dicebat: ſupreme Pater, ſi poſsibile eſt, tranſeat calix iſte à filio meo, ne illum bibat; aut certè terribilem eius amaritudinem tempera; ſed non, quod ego volo, ſed quod tu vis fiat: Abba Pater, omnia tibi poſsibilia ſunt, transfer calicem hunc à meo filio in me; ego illum ebibam, ne ille bibat; ſed non mea voluntas, ſed tua fiat. Et in hac oratione vigilauerit magno temporis tractu, eliciens iam fiduciæ actus, iam reſignationis ſuæ voluntatis, eam cum diuina conformando, eſtque fas credere, in agonia poſitam prolixius oraſſe, donec æternus pater ſiue per Angelum aliquem, ſiue per ſeipſum, internè illum confortaret.

Eiuſdem oratio & reſignatio.

III.

MOX ab oratione ſurgens, imitata Filium ſuum, ſicut bona mater, cõfortauerit reliquas ſuas comites, ne in fide deficerent: reliquum verò noctis expenderit, memoria reuoluens afflictiones, quas tunc Filius eius patiebatur; ſicut eas leg erat in Prophetis, fontes lachrymarum hic conſiderationibus ex ſuis oculis emittens. O Virgo ſacratiſsima, quæ, ſicut altera Sion, c *plorans ploraſti in nocte, & lachryma tua in maxillis tuis, nec eſt qui conſoletur te, ex omnibus charis tuis*: meritò ploras, d *quia ſpiritus vitæ noſtræ* CHRISTVS *Dominus, captus eſt pro peccatis noſtris*. O peccata noſtra, quantum dolorem adfertis Chriſto Domino, & matri eius! Plorate oculi mei tota nocte, plorate plorantes ingenti dolore! copioſas lachrymas, per veſtras maxillas fundentes: nec enim aliam conſolationem illi adferre poteſtis, quàm deflere culpas, quæ ipſorum ſunt cauſa planctuum.

Oratio ad B.V.

c Thren. 1.2

d Thren. 4.20.

Digitized by Google

MEDITATIO XXXI.

DE CHRISTI DOMINI AD PILATVM DEductione, & infelici Iudæ morte.

PVNCTVM I.

a Luc. 22. 66.

ETa *vt factus eſt dies, conuenerũt Seniores plebis, & Principes Sacerdotum & Scribæ, & duxerunt illum in concilium ſuum dicentes: ſi tu es Chriſtus dic nobis. Et ait illis: ſi vobis dixero, nõ credetis mihi: ſi autem & interrogauero, nõ reſpondebitis mihi neq; dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tũ ergo es Filius Dei? Qui ait: vos dicitis, quia ego ſum. At illi dixerunt: quid adhuc deſideramus teſtimonium? ipſi enim audiuimus de ore eius.*

I. Et Chriſtus & Iudæi exoptabãt diem; ſed diuerſo fine

b Marc. 15. 1

PERPENDENDVM eſt hic primùm, quam fuerit in votis, vt hæc dies illuceſceret, tam ipſi Chriſto Domino, quàm eius hoſtibus, *diuerſa* licet *mente* ac *fine*: nam Chriſtus diem deſiderabat, quia in eo erat Redemptioni mundi finem impoſiturus, quem diem à triginta tribus annis expectauit, & vt proprium ſuum habebat, quatenus, quidquid ille optabat, in bonum noſtrum cedebat: hoſtes autem eius cupiebant diem illuceſcere, vt peruerſam ſuam mentem ac deſiderium, Chriſtum crudeliter occidendi, citius adimplerent: ideoque b *confeſtim*, hoc eſt, ſummo mane, ad ſuum concilium redierunt. Ex quo affectus deducam gratitudinis ad Chriſtum Dominum noſtrum, ob eius deſideria videndi hunc diem, cõfuſionis verò & pudoris, attendens, quàm ſint impij diligentes ad malum & quàm impigri ad ſurgendum, vt propriam expleant peruerſam volũtatem: ego contra tardior & incurioſus, in explenda diuina.

II. Malitia & aſtutia Iudæorum in interrogã-do.

DEINDE perpendenda eſt *malitia & aſtutia*, quam oſtenderunt iſti Scribæ & Seniores, in propoſita Chriſto quæſtione; vt quidquid ille ad eam reſponderet, caperetur: ſi enim negaret, ſe eſſe Chriſtum, dixiſſent, ipſum ſibi eſſe contrarium; & hac ratione ſe ipſum condemnare, vt qui prius habuerit ſe pro Chriſto: ſin verò fateretur ſe eſſe Chriſtum, ratificando quæ antea dixiſſet, aſſequerentur ipſi quod optabant, vt illum condemnarent.

III. Chr iſti in eſpondẽdo rudẽtia & nodeſtia.

SED multò amplius perpendenda eſt *Chriſti* Domini noſtri, in ſuo reſponſo admiranda *prudentia*, modeſtia, & manſuetudo, ſimulque ſpiritus libertas, cum iam ſecũdo verbum illud adiecerit: *Ex hoc erit Filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei*, vt illis timorem incuteret, & nos intelligamus: vt eius humiliationes habuerunt felicem exaltationis exitum, ita noſtras habituras, ſi illum imitemur,

DENI-

II. Quomodo piè interrogare poſſimus, *ſi tu es Chriſtus.*

Deniqve, alia multò, mente, quàm hi profligatiſsimi Proditores habuerunt, videns ego Chriſtum Dominum noſtrum, multis grauiſsimè illius noctis afflictionibus adeò defatigatũ, interrogabo: *ſi tu es Chriſtus?* num mi Iesv, tu es Chriſtus? tu es Meſsias? Filius Dei viui? ſplẽdor gloriæ æterni Patris? & figura ſubſtantiæ eius? imago inuiſibilis Dei? Quod ſi tu es, ſicut reuera es, quomodo facies iſta tua adeò eſt defœdata? quomodo tot ſputis deturpata? quomodo tot liuoribus obſcurata? quis te ſic tractauit, abſque vllo, ad venerãdam tuam perſonam, reſpectu? Mea, mea peccata, horum omnium ſunt cauſa, charitas verò tua hæc inſignia ſuſcepit, vt teſtimonio eſſent, quòd tu ſis Chriſtus, filius Dei viui, qui in mundum veneris, vt eum redimeres: neque enim alius, quàm Chriſtus, ferre potuiſſet tot cruciatus, tantoque amore, propter peccata, quæ ipſe non fecit, & quoniam tu ea ſuffers, tu Chriſtus meus es, Deus meus, & Saluator meus, cui ſit gloria in ſæcula. Amen.

Pvnctvm II.

a Luc. 23. 1. b Marc. 15. 1 b Mat. 27. 1.

Responso illo Chriſti audito, & facto à Senioribus decreto, de illo in mortẽ tradendo, a *exſurgens omnis multitudo eorum*, b *vincientes iterum Ieſum, duxerunt illum; & tradiderunt Pontio Pilato præſidi.*

I. Chriſtus traditur Pilato, vt crudeliore morte occidatur.

In hoc tertio tribunali ſiue Statione, ad quam Chriſtus fuit deductus, eſt Primò conſiderandum quòd Status Eccleſiaſticus Iudæorum, manifeſtus Chriſti hoſtis, ſententiâ ſuâ illum relaxauerit brachio ſeculari, tradens illum Pilato, Præſidi pro Romanis; vt crudelius ille mortis ſententiam in illum ferret, paruam exiſtimantes eſſe pœnam, qua ipſi eum afficere poterant; optabant enim, crudeliſsima illum morte mactari: ita diſponẽte prouidentiâ diuinâ, vt ſimul Iudæi & Gentes, conuenirent ad inferendam ei mortem, qui pro ſalute omnium mori volebat. O dulcis Iesv, ſi tuæ gentis homines, in quos tot beneficia contuliſti, ſic tecum agũt & te condemnant; quid ab extraneis ſperandum eſt, qui te non nouerunt? ſed tu Domine, paratus es ab omnibus perſecutionem pati; vt omnibus adferas ſalutem: mors enim tua eſt vita noſtra, & tua hæc in concilio impiorum damnatio, erit ſalutio noſtra, in conſpectu Dei in æternum. Amen.

II. Chriſti deductio ad Pilatum.

Deinde perpendenda eſt crudelitas illa, qua Chriſtus Dominus noſter, per plateas illas Hieruſalem; magnis militum & miniſtrorum clamoribus & vociferationibus ducebatur, plurima ad ſpectaculum concurrente turba, quæ tunc temporis, intuitu feſti Agni Paſchalis, innumera in ciuitatem cõfluxerat. Deducebatur bonus noſter Iesvs ligatis manibus, celeri greſſu, ſed vultu tamen modeſto, graui & manſueto; qui ſe ab illis tygridibus deduci ſinebat, abſque vlla reſiſtentia, ſimul tolerans con-

temptus & opprobria, quæ illi obijciebantur, maiori multò ignominia, quàm nocte præcedenti: nam die clara omnes eum videre, & agnoſcere poterant; & cùm intelligerent, omnia illa fieri, præſcripto ſuorum ſacerdotum, quos etiam non longè ab ipſo pergere videbant, nemo auſus eſt contradicere: potiùs omnes contra vinctum ipſum clamabant. Gratias tibi, bone IESV, ob greſſus tuos omnes, quos à domo Caiphæ, vſque ad Pilati Prætorium feciſti, & ignominias, quas in illo itinere es perpeſſus: per quas oro ſupplex, mihi remitti peruerſos omnes greſſus, quos feci ad te offendendum; eòſque in poſterum dirigas, vt in tuum rectà tendant obſequium.

Quam fuerit ignominioſa.

PVNCTVM III.

Matt. 27. 3. Iudæ infructifera pœnitudo.

TVNC *videns Iudas, qui eum tradidit quod* IESVS in concilio Sacerdotum *damnatus eſſet* ad mortem; eumque propterea ad Pilatum deduxiſſent, vt ille eam approbaret, & executioni mandari iuberet, *pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & Senioribus,* qui tunc in templo miniſterijs ſuis vacabant, *peccaui tradens ſanguinem iuſtum. At illi dixerunt: quid ad nos?* tuum erat, antequam faceres, id cogitare: nunc autem *tu videris; & ille proiectis argenteis in templo receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit.*

I. Diabolus ante peccatū excæcat oculos peccatoris; poſt aperit ad deſperationem.

PERPENDENDVM hîc primò, Dœmonem *excæcare* oculos peccatoris, tempore, quo peccatum admittit, ne, culpæ turpitudinē aſpiciens, eam fugiat; poſt admiſſum verò peccatum, aperire illos, & culpam admiſſam adeò exaggerare, fœdamque reddere, vt præ pudore incidat in deſperationem, ſicut accidit Cain b *qui* deſperans, *dixit ad Dominum: maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear,* aut miſericordiam. Ego verò, DEVS meus, etſi agnoſco, culpæ meæ magnam eſſe turpitudinem, ſimul tamen confiteor, maiorem tuam miſericordiam: propter quam confido, veniam obtinere; quam non ſum promeritus: ſciens c *voluntatis tuæ non eſſe mortem impij ſed vt conuertatur à vijs ſuis, & viuat.*

b Gen. 4. 13

c Ezech. 18. 23.

II. Pœnitudinis Iudæ defectus.

DEINDE perpendendum, *Iudam* quidem cœpiſſe agere pœnitentiam, & eius tres partes exercere; nam dolorem habuit internum, quia *pœnitentia ductus;* & confeſſus eſt ſuum peccatum ſatis diſtinctè, quia dixit: *peccaui tradens ſanguinem iuſtum;* ſatisfecit quoque, pretium reſtituens, quod iniuſtè acceperat, quia *proiectis argenteis in templo receſſit*: ſed nihil illi hæc profuerunt: quia eius pœnitentia non fuit recta. Nam neq; dolor fuit verus; nec facta confeſsio fuit cui oportebat; nec ſpem habuit veniam obtinendi. Ex quo accipiam documentum, vt attendam, ne pœnitētia mea ſit ficta: non enim ſufficit dicere, vt Iudas dixit: *peccaui;* ſed ſicut Dauid, qui, d *cùm dixiſſet, peccaui Domino,* ſtatim Deus remiſit peccatū, aſſerente Pro-

d 2. Reg. 12. 13.

pheta

Digitized by Google

pheta *Nathan: Dominus quoq; tranſtulit peccatum tuum*: quia & contritio fuit inſignis; & fiduciæ coniuncta.

TERTIÒ perpendenda eſt horum Iudæorum *obſtinatio*, & Sacerdotum crudelitas qui videntes diſcipulum pœnitentem, & confitentẽ Magiſtri ſui, quem ipſis tradi dederat, innocentiam; ipſi nihilominus in ſua impietate perſiſtunt, *quid* inquiũt, *ad nos?* quod ipſe ſit innocens, aut tu, cũ tradendo, peccaueris: reſpexiſſes prius, quid faceres. Qua moroſa reſponſione, occaſionem illi dederunt deſperandi. Ex quo apparet, quàm ſit periculoſum, non excipere humaniter & beneuolè peccatores, cum aliquod pœnitudinis indicium inſinuant. Eſt enim valde alienum ab ſpiritu Domini noſtri, de quo ſcriptum eſt, quòd *linum fumigans*, & in quo vel aliquid eſt luminis, *non extinguet*; ſed potiùs accommodabit, vt viuat, & plenum lumen concipiat.

III. Peccator pænitens humaniter excipiẽdus *Iſai. 42. 3.*

QVARTÒ perpendendum, iuſtum DEI *iudicium*, quo hunc proditorem, ita exigentibus eius peccatis, deſeruerit, permittens, eum nec apud homines cõſolationem, nec in ſua pecunia quietem vllam inuenire: quin potiùs vt ipſa pecunia eſſet ipſius carnifex, & expletum deſiderium, tortor & vexator: & maiorem in ea retinendæ anxietatem ſentiret, quàm habuerit eam recipiendo, voluptatem; ideoque à ſe illam proiecit; nec tamen habuit animam ad Deum confugiendi, nec ad ſuum Magiſtrum, vt facti ſui veniam ab eo peteret; ſed à ſua potiùs conſcientia tortus, & inſtigatus à Satana; non auſus Chriſti ipſius reſurrectionem (cuius aliquam notitiam habebat) expectare, ſtatuit ſe ipſum ſuſpẽdere: vt in hoc infelici homine, omnes agnoſcamus, quanta ſit auaritiæ pœna, iactura ſcilicet ipſius pecuniæ, & vitæ, ac felicitatis æternæ: quam pœnam deſcribit S. Petrus, dum ait: f *Et hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis, & ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius.* Eò quòd non habuerit miſericordiæ viſcera ad ipſum Chriſtum.

IV. Auaritiæ pæna in Iuda elucet

f *Act. 1. 18.*

DENIQVE perpendam, quid ſenſerit CHRISTVS ob diſcipuli huius infelicitatem & damnationem, qui paratus erat, pœnitentem ipſum recipere; ſi, vt acceſſit tẽpli Sacerdotes, ad ipſum pœnitens ac dolens confugiſſet. O benigniſſime Redemptor, qui nullum peccatorem, etiam peccatis onuſtiſſimum, ad te redeuntem repellis, ſiquidem adeò fers grauiter eorum, qui tui erant, perditionem & condemnationem; ne me Domine deſeras: ſi enim me deſerueris, in Iudæ amentiã & deliramentum facilè incidam; neq; enim vllum malum aliquis homo facit quod non poſſit alius facere, ſi manum tuam ab eo retrahas.

V. Chriſti dolor de Iudæ perditione.

Digitized by Google

PVNCTVM IV.

a Mat. 27.6

PRINCIPES a *autem Sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam,* ſiue ciſtam templi; *quia pretium ſanguinis eſt. Conſilio autem inito, emerunt, ex illis agrũ figuli, in ſepulturã peregrinorum.*

I. Emptio agri in ſepulturam peregrinorum myſtica explicatio.

PERPENDENDA hîc primùm eſt, hinc horum Sacerdotum hypocriſis; inde verò Dei bonitas, qui ſecreto ſuo inſtinctu, ad hoc conſilium & electionem eos permouit; ad ſignificandum, Chriſti Domini noſtri ſanguinẽ exiguo fructui futurum Sacerdotibus templi, & ijs, qui eos ſequerentur, futurum tamẽ pretium, quo requies æterna ijs compararetur, qui in hac vita ſe gerunt, tanquam peregrinos verſus illam.

II.

PERPENDENDVM deinde eodem facto oſtendiſſe Chriſtum Dominum, ſuum erga pauperes amorem; dum ſanguinis ſui pretium, voluit cedere in remedium & ſepulturam ipſorum; nos hac ratione permouens ad opera miſericordiæ, etiamſi noſter ſanguis propter ea ſit exponẽdus. O dulcis IESV, ſiquidem adeò nos diligis, vt, quidquid ad te pertinet, velis in vtilitatem noſtram conuerti; reſpice paupertatem meam, & ſanguinis tui pretio, illi ſubſidium adfer; vt viuens ſicut peregrinus in hac vita, properem ad alterius æternam requiem.

MEDITATIO XXXII.

DE ACCVSATIONE CHRISTI DOMINI apud Pilatum, & huius interrogationibus.

PVNCTVM I.

a Matt. 27. b Ioa. 18.29

CVM a *vinctum adduxiſſent* IESVM, *& tradidiſſent Pontio Pilato Præſidi,* b *in Prætorio, ipſi non introierunt in Prætorium vt non contaminarentur; ſed vt manducarent Paſcha: exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: quam accuſationem affertis aduerſus hominem hunc? reſponderunt & dixerunt ei: ſi non eſſet hic malefactor non tibi tradidiſſemus eum.*

I. Chriſtus à Pilato qualiter exceptus. c Ioan. 8. 3. Chriſti lenitas in mulierem adulteram.

PERPENDENDVM hîc *primò*, quàm durè Pilatus exceperit CHRISTVM Dominum, quem vinctum, tanto ſtrepitu; & in die adeò ſolenni ſibi tradi aduertit: ex his enim exiſtimauit omninò ipſum inſignem aliquem malefactorem eſſe: ſiquidem tali die, & ab hominibus adeò grauibus vinctus, ipſi tradebatur. dolebo autem vicem Dñi mei, adeò nũc contempti; reuocans in memoriam, quàm aliter exceperit ipſe IESVS c *mulierem, quam ipſi Scribæ & Phariſæi, ad eum adduxerunt, in adulterio deprehenſam*; vt ipſe eius cauſam iudicaret. O Iudex benigniſsime qui tanta

manſue

manſuetudine vinctos excipis,non ſolùm, cùm ſunt innocentes, ſed etiam reipſa reos,eripiens illos ab actoribus crudelibus,quomodo cum ipſa ſis innocentia,ita torue & ignominioſè vis excipi à ſuperbo hoc iudice? tu verè reæ accuſatores pudore afficiens,cogis,d *vnum poſt vnum exire*, te tantum *ſcribente digito tuo in terra* peccata eorum: cur non etiam nunc eorum peccata ſcribis, vt illi pudore affecti,à te accuſando ceſſent,& in pace relinquant? ſed miſericordia tua adeò eſt magna, vt, quæ peccatorum miſeretur,ſibi non compati; ſed pro illis pati velit. Libera me Domine à meis accuſatoribus,cùm tuo ſiſtar iudicio, meque piè excipe,vt per te liberatus,te fruar in æternum. Amen. d *Ioan.*8.9.

II. Superbia ingens Accuſatorum Chriſti.

Deinde perpendenda eſt horum accuſatorum ſuperbia, & præſumptio,quam oſtenderunt verbis illis: *ſi non eſſet hic malefactor,non tibi tradidiſſemus eum*,quaſi tumentes dicerent: vt hunc credas eſſe malefactorem ſatis tibi eſſe debet,quòd nos Sacerdotes,Scribæ,legiſque Doctores vinctùm eum ad te adducamus. O Diabolicam ſuperbiam, qui ita malefactores ipſos excæcas! O altiſsimam humilitatem, quæ ſupremum benefactorem ita demittis! Ex hac Chriſti Domini humilitate, qui cùm eſſet omnium benefactor,ab ijs ipſis quibus benè fecerat,haberi voluit publicus malefactor,magnum affectum concipiam, erga ipſam humilitatem: magnæ felicitati meæ tribuens, quod aliis benefaciens iudicer malefactor; vt ſic meum imiter Saluatorem.

Humilitas è contra Chriſti maxima.

Pvnctvm II.

Dixit *eis Pilatus*,ſi tantus hic eſt malefactor,vt vos dicitis: *accipite eum vos,& ſecundum legem veſtram iudicate eum*: *Dixerunt ergo Iudæi: nobis non licet interficere quemquam* (hoc eſt,eo mortis genere, quã ipſe meretur: Nam nobis ſolum licèt illum lapidare; quæ tamẽ pœna parua eſt pro tantis eius delictis) & tunc tria illi obiecerunt. Primvm, dicentes: b *hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram*,prauâ ſcilicet ſuâ doctrinâ. Secvndvm: *& prohibentem tributa dari Cæſari.* Tertivm *dicentem, ſe Chriſtum Regem eſſe*,Meſsiam ſcilicet in lege promiſſum, qui futurus eſſet Rex Iudæorum.

a *Ioan*.18.31 Iudæorum magiſtratui quomodo nõ liceat interficere quemquam. b *Luc*.23.2.5.

Calumniæ Accuſatorum Chriſti.

Perpendenda hic eſt horum *Actorum iniquitas*, in calumniis venenato animo contra Chriſtum exquirendis. Planum enim erat, Chriſtum Dominum non commouiſſe aut ſubuertiſſe gentem;quam potius ad pænitentiam,& omne virtutum genus permouebat,adeò, vt etiam ſuis diſcipulis diceret: c *Super cathedram Moyſi, ſederunt Scribæ & Phariſæi*; *omnia ergo quæcunque dixerint vobis,ſeruate & facite*.Certum quoque erat eum nõ prohibuiſſe tributa dari Cæſari,qui dixit: d *reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei,Deo*. Imò ipſemet e *ſoluit tributum pro ſe & Petro*, *etiamſi ad*

c *Mat*. 23.2 Earum refutatio. d *Matt*. 22.21. *Luc*.20.25. e *Matt*. 17.26.

ta non teneretur: nec dixit vnquam, ſe *Regem eſſe* temporalem ſcilicet, qualem Romani creabant; qui potius, f *cùm cognouiſſet, quòd venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, ipſe fugit ſolus in montem*, ne fieret Rex: quòd ſi Meſsiam dixit ſe eſſe, eius opera id teſtabantur. Quouſque ergo peruenire potuit, falſorum Actorum audacia & temeritas, quàm vt tales calumnias, tali innocentiæ obiicerent? & quouſque crudelitas progredi potuit, quæ non ſatiaret rabiem ſuam eo mortis genere, quam ipſi poterant inferre; ſed fictis criminibus, crudeliorem ei mortem, crucis videlicet, procurare? O dulcis IESV, gratias tibi pro tanto ſilentio, in audiendis tantis calumniis, cùm facilè tibi fuiſſet, eas diſſoluere. Concede mihi Domine, patientiam tuam imitari, & à vitio odij, quod tales calumnias, contra quem odit, excogitat, me libera.

f Ioan. 6. 15

HAS accuſationes audiens Pilatus, g *introiuit iterum in Prætorium*, vt de his delictis IESVM examinaret; & incipiens ab vltimo, quod grauius eſſe iudicabat, *dixit ei: Tu es Rex Iudæorum?* IESVS (videns interrogantis candorem) *reſpondit, regnum meum non eſt de hoc mundo: ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non eſt hinc*, ſicut cætera huius mundi, *dixit itaque ei Pilatus: ergo Rex es tu? reſpondit* IESVS: *tu dicis, quia Rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati: omnis, qui eſt ex veritate, audit vocem meam.*

g Ioan. 18. 33. Pilati interrogatio de regno Chriſti.

CIRCA hoc examen, perpendendæ ſunt admirandæ ſententiæ in ipſius Chriſti reſponſione. PRIMA ſententia fuit: *regnum meum non eſt de hoc mundo*, & terrenum, ſicut ſunt alia; ideoque non habebat militum apparatum, nec cuſtodiam, nec miniſtros reliquos, ſicut terreni Reges; in regnis ſuis habere conſueuerunt. Nec ſolùm dicere voluit, ſe non eſſe Regem huius mundi, ſed neque id quærere, aut vnquam quæſiuiſſe, ſicut accuſatores calumniabantur.

Chriſti admiranda reſponſio. I. Regnum ſuum non eſſe terrenum.

SECVNDA ſententia fuit: *tu dicis, quia Rex ſum ego*: ſed cœleſtis, *quia regnum meum non eſt hinc*; ſed eſt regnum alterius mundi, regnum cœli, & regnum ſpirituale Eccleſiæ ipſius; &, quod eſt conſequens ſubditos etiam ſe habere & famulos, ſed cœleſtes tamen & ſpirituales, quales ſunt Angeli, & iuſti, ac fideles, qui in eum credunt: qualis enim eſt Rex, tales ſunt eius ſubditi; & quale regnum eſt, tales ſunt eius ciues. O Rex ſupreme h *qui conſtitutus es à Patre æterno Rex, ſuper Sion montem ſanctum eius!* Decebat omninò excellentiam tuam, etiam eſſe huius mundi Regem, & ſubditos, imò mancipia habere omnes Reges terræ, ſed tua charitas infinita, mundanæ huic pompæ renunciauit, vt humilitatis mihi præberes exemplum; excitares verò cor meum, vt terreno regno contempto, cæleſte obtinere contenderem. Fac me, Rex meus, ſubditum tuo regno dig-

II. Sed cæleſte & ſpirituale.

h Pſal. 2. 6.

num,

Digitized by Google

num, ita animatum: vt calcare velim quicquid æſtimat mundus.

III. Ad docendam videlicet, faciendamque veritatem. Idque purè.

Tertia ſententia fuit: *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati*, eam docendo, prædicando, & miraculis, ſtupendiſque operibus eandem confirmando: in quo tria fuerunt eminentia.

Primùm, quòd nunquam fuerit teſtificatus aliquid, quod falſum eſſet, aut mendacium; ſed veritatem, nec cuiuſcunque ordinis, ſed vtilem ad illud regnum conſequendum, cuius ipſe Rex erat.

Fortiter.

Secundum, quod magna vi animi ſemper ſit veritatem teſtificatus, etiamſi vita propterea eſſet exponenda.

Dei ad honorem.

Tertium, quod quando veritatis argumentum erat ipſi glorioſum, eam quidem dicebat; non tamen ob ſuum honorem: ſed quia id ab ipſo eius officium exigebat, vt veritati teſtimonium daret. Ad huius Domini imitationem perſuadere mihi debeo, me quoque natum eſſe, & in hunc mundum veniſſe, vt meis operibus & verbis, teſtimonium perhibeam veritati, conando ſemper, vt veritas diuina in eis reſplendeat abſq; mendacij aut fictionis vllius admixtione, etiamſi in tali teſtimonio vitã ipſam amittam.

IV. Electorum ad ſalutem

QVARTA ſententia fuit: *Omnis, qui eſt ex veritate*, & illam diligit, *audit vocem meam*; credens quod ego dico, & iis obediens, quæ ego iubeo. Et hinc ego deprehendam, num ad Chriſti partes, qui veritas ipſa eſt, ſpectẽ; an verò ad factionem Dœmonis, i *in quo non eſt veritas, quia mendax eſt & pater mendacij*.

i Ioan. 8. 44

IN his omnibus, perpendenda eſt Chriſti Domini authoritas, & quæ in eo relucebat diuinitas, qui inter tot opprobria, non intermiſit propter illa Magiſtri munus. Et, ſi infelix ille iudex, has veritates audire voluiſſet, promptus ipſe erat, ad diſtinctius eum docendum hanc veritatem, ſed infelix, etſi inſinuauit, ſe deſiderare inſtrui, interrogans: *quid eſt veritas*; non tamen reſponſum expectauit: quia eam audire dignus non erat. O Magiſter cœleſtis, reſponde mihi intus in corde meo, quid ſit veritas, idque fac me firmiſſimè ſentire. Tu, Deus meus, es ipſa veritas, & quicquid à te procedit eſt veritas. Veritas eſt tua vita, tua doctrina, præcepta tua, conſilia, & miracula, & Sacramenta ipſa tua. Vtinam vita mea huic veritati conſona ſemper eſſet, & k *ambularem ſemper in veritate*, donec clarè te viderem in tua gloria.

Pilatus nō dignus audire quid veritas.

k Ioan. Epiſt. 3. 4.

PVNCTVM III.

AVDITIS adeò prudentibus Chriſti reſponſis, iudicauit Pilatus, IESVM verè eſſe innocentem, ideoque ſecum ex Prætorio deducens, ad conſpectum plebis, l *dixit ad Principes Sacerdotum & turbas:*

l Luc. 23. 4

b Mar. 15. *nihil inuenio cauſa in hoc homine*, vt eum ad mortem condemnem; at illi timentes ne liberum eum dimitteret, iterùm b *accuſabant eum ſummi Sacerdotes in multis.* IESVS *autem* c *nihil reſpondit. Tunc dicit illi Pilatus: non audis, quanta aduerſum te dicunt teſtimonia?* cur nihil reſpondes? IESVS *autem non reſpondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur Preſes vehementer.*

c Matt. 22. 12.

Silentium Chriſti admirandū.

IN hoc puncto, perpendendum eſt altiſsimum & admirandum Chriſti Domini *ſilentium*, quod non immeritò vehementem Pilato attulit admirationem, tanquam res inaudita & inuiſa in mundo: multa enim in eo caſu occurrebant, quæ humano iudicio, ad loquendum, & ſui defenſionem aliquid adferendum, illum vrgerent. Nam accuſationes, multæ erant & falſæ, & in re grauiſsima, & quæ grauiſsimè honorem læderent: & ab iis proponebantur, qui omni exceptione maiores eſſe viderentur, & in eum finem dirigebantur, vt propter eas, ad crudeliſsimam & ignominioſiſsimam mortem damnaretur; ipſe quoque Iudex eum ad ſe purgandum, & aliquid pro ſua innocentia reſpondendum prouocabat, deſiderans liberū eum omninò dimittere, cuius nouerat innocentiam. Quæcunque harum circumſtantiarum ſufficiens erat, ad quemcunque hominem permouendum, vt ad tot calumnias reſponderet, & ſe defenderet: at Chriſtus Dominus noſter perrumpens omnia, tacere maluit, quàm vel vnum verbū, in ſui defenſionem adferre: hac ratione inſignem ſuam *manſuetudinem* & *patientiam* manifeſtans, qua non ſolum vindictam de calumniatoribus ſumere noluit: ſed neque de calumnia eos conuincere, cùm id fuiſſet illi facillimum. Oſtendit quoque excellentem animi fortitudinem, reipſa oſtendens, quam parui faceret ignominiam, tormenta & ipſam mortem; qui nec verbum, quò hæc mala euaderet, reſpondere voluit: & hoc eſt, quod Pilatus vehementer admirabatur, debetque meipſum in magnā trahere admirationem. O bone IESV, quàm meritò hoc nomen tibi tribuitur: d *Admirabilis*, qui non ſolùm ſis Admirabilis in tuis excellentiis, & prodigiis: ſed in ipſis quoque abiectionibus & laboribus! admiranda eſt tua manſuetudo, admiranda tua tolerantia, admirandum tuum ſilentiū! admirandum certè fuit, quòd coram Caipha tacueris: ſed multò eſt admirabilius, quòd coram Pilato nunc obmuteſcas, vbi accuſationes ſunt grauiores, periculum grauius, iudexque ipſe propitius ad te audiendum. Neceſſarium erat tale ſilentium, vt garrulitas mea caſtigaretur; & exemplum efficax ad tacendum daretur, vt æquanimiter iniuriæ tolerarentur. e *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis: non declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas* inaniter *excuſationes in peccatis:* Et ego Domine gratia tua adiutus: ſtatuo f *ponere ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator aduerſum me, & obmuteſcere &* meipſum *humiliare ſilendo*

Manifeſtat eius manſuetudinem, patientiam, fortitudinem animi.

d Iſai. 9. 6. Ieſus vbique admirabilis.

e Pſ. 140. 3.

f Pſal. 38. 2.

etiam à bonis, quæ in mei defenſionem adferre poſſem, ſicut te video tacuiſſe, quæ potuiſſes ad tuam adferre.

Hinc diſcam, ſilentium adeò rarum, atque hoc fuit, non poſſe reperiri niſi in iis, qui mortificatiſsimum habeant honoris & vitæ amorem: & qui eò peruenerint, vt neque infamiam, neque ipſam mortem timeant vltra modum; eò quod omnia ſua in prouidentiam diuinam coniecerint, vt ſupra eſt dictum. Eò reſpexiſſe videtur Spiritus ſanctus, cùm dixit: g *aurum tuum & argentum tuum conſla, & verbis tuis facito ſtateram, & frenos ori tuo rectos; & attende, ne fortè labaris in lingua.* Quod eſt dicere: collige omnes virtutes morales, & ſimul charitatem quæ per aurum exprimuntur: & intellectuales ſimul cum prudentia, quæ argento ſignificantur: omnes.n. ſunt neceſſariæ, vt noueris benè loqui, & benè tacere, eò quòd omnia vitia, velut agmine facto, conueniant ad confundendam & perturbandam linguam; ideoque neceſſe eſt, virtutes quoque omnes conuenire, vt illam contineant, & rectificent: Quare *qui verbo & lingua* h *non offendit DEVM is perfectus eſt vir.*

g *Eccl.* 18. 29. Silentii difficultas.

h *Iacob.* 3. 2.

MEDITATIO XXXIII.

DEDVCITVR CHRISTVS DOMInus ad Herodem, & ab eo illuſus remittitur.

PVNCTVM I.

SACERDOTES a & Phariſæi, *inualeſcebant dicentes: commouit populum docens per vniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa vſque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit, ſi homo Galilæus eſſet. Et vt cognouit, quod de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Ieroſolymis erat illis diebus*, vt Chriſti cauſam ille cognoſceret.

a *Luc.* 23. 5. Chriſti deductio ad Herodem.

I.

PERPENDE, Chriſtum Dominum noſtrum, b *qui* (teſte Sancto Petro) *pertranſiit per vniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa, benè faciendo, & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo, quoniam Deus erat in illo*, eam nunc ſuſtinere calumniam, quòd *populum commoueat*, peruerſam illam docens doctrinam, incipientem à Galilæa per totam Iudæam; vt hinc cognoſcamus, quantoperè voluerit humiliari, qui omnes ſuas peregrinationes, & ſermones, quos in illius populi vtilitatē direxerat, ea infamiæ nota nunc proponi videret, quòd in eiuſdē populi deſtructionē & ruinam directi fuiſſent.

b *Act.* 10. 37.

II.
Quàm fuerit ignominioſa.
Herodis crudelitas & iniuſtitia.

CONSIDERANDA deinde eſt *ignominia*, quam Chriſtus Dominus in quarta hac ſtatione ſuſtinuit, à Prætorio Pilati vſq; ad palatium Herodis, per medias plateas & fora Hieruſalem, tanto populi ſtrepitu. Et admirabor charitatem, & humilitatem filij Dei, qui per tot tribunalia, ab iniquo vno ad aliud deterius, deduci voluerit, etiam illius Regis crudeliſsimi & iniuſtiſsimi, qui proprij fratris vxorem ſibi acceperat, & ſanctum Ioan. Baptiſtam decollauerat, eò quod ſcelus illud reprehenderet. Quod totum prouidentia diuina ita diſpoſuit; vt, quò plura noſtri cauſa ipſe ſuſtineret; eò nos magis ad obſequium ipſi præſtandum obſtringeret & efficaciora patientiæ exempla nobis præberet.

PVNCTVM II.

a Luc. 23. 8.

HERODES autem a viſo IESV, gauiſus eſt valdè: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum; & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis ſermonibus. Stabant autem Principes Sacerdotum & Scribæ conſtanter accuſantes eum.

Herodis gaudiũ ex conſpecto Ieſu, curioſitatis eſt, non charitatis.
Chriſtus ne reſponſo dignatur Herodem.

CIRCA hoc punctum conſiderandum eſt, Herodem gauiſum quidem fuiſſe conſpecto Chriſto, & benignè illũ excepiſſe; tamen non ex charitate, ſed *curioſitate* permotum, quod tanti nominis virum, apud ſe haberet; & inſignem aliquam nouitatem, aut ſignũ fieri ab eo ſperaret: quod tamen totum, in maius Chriſti Domini dedecus & opprobriũ redundauit; quia nihili faciens ipſe Chriſtus, quod eſſet humaniter exceptus; tantum abeſt, vt ſignum aliquod, in eius pręſentia faceret; vt nec reſponſo quidem illum dignaretur.

I.
Deteſtatur crimina ipſius.
b Luc. 13.
c Cant. 15.

INDVE primùm in deteſtationem *ſceleris* ipſius; agens cum illo, tanquã cùm excommunicato & indigno, qui admiranda ipſius ſigna videret; & ideo alia occaſione, b *vulpem* illum appellauit, inſinuare volens aſtutã eius malitiam, qua præcipuos c *vineæ* Domini *palmites demoliretur*.

II.
Vanã ipſius curioſitatẽ redarguit.
curioſitatis ſpiritualis damna.

DEINDE, in deteſtationem *vanæ* illius *curioſitatis*; neque.n. diuina ſua verba, Deus effundit, aut ſtupenda ſua opera facit, vt curioſitatem tantũ hominũ alat. Ideoq; qui inani hoc ſpiritu, ad agendũ cum Deo in oratione accedit, mutũ illũ ſurdũq; erga ſe experietur; nec eius inſpirationes, & interna verba ſentiet, aut ad res magnas aggrediẽdas inſtinctũ & motionẽ.

III.
Damnat teporem noſtrum in patiendo.

DENIQVE, vt hac ratione, propenſionem ſuam, & *mortis deſiderium* nobis manifeſtaret nã qui miraculosè effecit, vt poſſet pro hominibus mori interdicendo corpori ſuo gloriam, quæ illi, propter animæ beatitudinẽ debebatur; non erat cur miraculũ adhiberet, ad paſsionẽ fugiendã, & mortem euitandã quo ſuo facto, pudorẽ noſtræ adfert tepiditati, qua miracula petimus, vt ab occurrentib. laborib. & calamitatibus liberemur. O bone IESV, qui tot miraculis, alienis neceſsitatib. conſuluiſti, cur vel vnicũ non adhibes corã Herode, vt conſulas propriæ? nã etſi illius curioſitas ſit indi-

gna;tua tamen neceſsitas vrget & clamat. Sed apparet benè, te noſtrarum neceſsitatũ clamores, propriæ tuæ neceſsitatis clamoribus anteferre, quibus morte tua ſubſidiũ feres. Eandẽ ob cauſam, quãuis Sacerdotes & Scribæ, conſtanter ipſum apud Herodẽ accuſarent, tacuit, & quidẽ ſilentio nõ minus ſtupendo quã ſeruauerit apud Pilatũ: immò adhuc exactiori: nam Pilato locutus fuerat in prætorio; & ad interrogata reſpondens, veritatẽ illi aperuerat; cũ apud Herodem, nec verbum protulerit, nec in ſui defenſionem, nec ob humanum alium reſpectum: quamuis non ignoraret, ob tale ſilentiũ, incurrere ſe Herodis indignationẽ: hac ratione nos docens, ſanctã libertatẽ, quã etiã coram Regib. & Principib. tenere debeamus: ne aut loquamur, aut faciamus coram eis humano tantum reſpectu, quod ipſi deſiderant; quamuis niſi faciamus, dãni alicuius periculũ nobis immineat.

IV. Docet ſeruandam coram Principibus ſanctam in loquendo & faciendo libertatẽ.

PVNCTVM III.

VIDENS Herodes, Chriſtum ad omnia, quæ ipſe interrogabat, & ea, quæ Scribæ & Sacerdotes illi obiiciebant, omninò tacentem: a *ſpreuit illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum: & facti ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa die: nam ante ini mici erant ad inuicem.*

a Luc. 23. 11

PERPENDENDA hic primùm eſt, *iniqui* huius *Regis* contra Chriſtum ſententia; qua illum ſtultum eſſe iudicauit, valdè ruſticum & inurbanum, & quaſi ex mẽtis inopia & mera ſimplicitate taceret, & Rex eſſe cupiuiſſet: & ideò noluit ad mortẽ illũ damnare; ſed ignominia afficere: & in opprobriũ & irriſionẽ, alba veſte induere, vt illã Cæſares geſtare cõſueuerant: cuiuis facilè ſit credere antiquam aliquã & laceram eam fuiſſe, vt maiori riſui exponeretur, & hac ratione indutum remiſit ad Pilatum; quaſi diceret; remitto tibi ſtultũ & ſimplicem iſtum, qui ex mera ſimplicitate, Rex fieri voluit. Totus verò ipſius Herodis exercitus, vt iniuriam ſuo Domino illatam vlciſceretur, ſuoq; Domino adularetur mille iniuriarũ modis ipſum Chriſtum affecerunt: appellantes illũ ſimplicem, inurbanum, ineptum, ſtultũ, Regulũ, & alijs huiuſmodi infamib. cõpellationibus; licetq; credere manus quoq; irriſionis gratia, in illum conieciſſe, inſtigante eos ad id Satana; quod tamẽ totũ admiranda patientia Chriſtus Dominus ſuſtinebat, hac ratione, nos docens, vanos mundi honores contemnere & nihili facere errantia hominum iudicia, qui Deum ipſum ita tractare ſunt auſi. O verbũ diuinum, æterni Patris ſapientia, gratias tibi, quod eò te vſq; demiſeris, vt ſimplex & ſtultus ab hominibus iudicareris! verè neceſſaria fuit tanta tua humiliatio, vt ſuperbia & præſumptio mea ſanaretur! vtinã huiuſmodi inſignib. ornatũ me viderẽ, & ſtultũ haberi: nulla tamẽ culpa mea neq;.n. maior ſapiẽtia eſt, quã lubẽti animo videre, ſe in mũdo, tui amore, cõtẽptui haberi; nec ſtultitia maior quam quærere in honore eſſe, ſine te.

I. Herodes cũ ſuis illudit Chriſto vt ſtulto.

Induit vt ludicrum Regem veſte alba, ſed lacera.

Sic vana mundi calcat Chriſtus & luit. Oratio Docet in ſtultitia ſapientiam.

Deinde perpendendum eſt, quantam ignominiam Chriſtus Dominus fuerit paſſus, cùm per illas *plateas Ieroſolymitanas* duceretur, pergentibus omnibus, qui illum comitabantur in opprobriis & ſcommatis in eum coniiciendis, altis clamoribus ſtultum illum & fictum Regem compellantibus. O Rex cœleſtis quantum intereſt inter hos clamores, & illos, quos ante quinque dies, turba tota edebat, cùm te Regem Iſrael, & benedictũ Domini compellaret: ſed tempus nunc eſt patiendi, vt poſsis ad Regnum peruenire: implebitur enim quod ſcriptum eſt: b *deridetur iuſti ſimplicitas, Lampas contempta apud cogitationes diuitum parata ad tempus ſtatutum* reuelari. O lampas pretioſiſsima, quæ doctrina & claritate lucens & ardens, radios emittis manſuetudinis & patientiæ, tot noſtri cauſa opprobria ſuſtinens; erit tempus, cûm pretioſitas tua reuelabitur, ad confuſionẽ diuitum & ſuperborum, qui te deſpiciunt. Confunde eos Domine exemplis tuæ humiliationis in hac vita, vt ad ſe reuerſi, quod contemnebant diligant: & contemnant, quod antea diligebant, & magni æſtimabant.

Oratio. Chriſtus lampas pretioſiſsima. b Iob. 12. 4.

III.

Perpendendvm tertiò, quanto rubore Chriſtus Dominus ante *Pilatum* comparuerit, nouo illo habitu indutus: & iterum, ab eius officialibus & ſeruis irriſus, creſcentibus ſemper iniuriis humillimi Iesv: vt eo exemplo, non defatiger ego illatis mihi iniuriis, ob culpas meas: ſed erubeſcam, quod tanto deſiderio tenear, ſapiens & prudens haberi; quàm verò grauiter feram, quod quis dicterio aut ſcommate, ſtultum me aut non ſatis prudentem notet, ad quod iuuerit ſententiæ illius Apoſt. meminiſſe: c *ſi quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, vt ſit ſapiẽs: ſapientia enim huius mundi, ſtultitia eſt apud Deum*, ſicut è contra, Dei ſapientia, ipſi mundo eſt ſtultitia.

Sapiẽs ſtultitia. ſtulta ſapientia. c 1. Cor. 18.

IV.

Conſiderandvm præterea *veſtem* illam *candidam*, qua Chriſtus Dominus, irriſionis cauſa, fuit indutus, eius animæ candorem & puritatem vitæque innocentiam retuliſſe; quæ opprobriis & humiliationibus iuncta eſſe conſueuit: magnum enim quid eſt (vt habetur in Cant.) puram & candidam intus eſſe, d *nigram* verò & *fuſcam*, ac propterea contemptam exterius, quare ab ipſo Chriſto petam, vt candida innocentiæ veſte animam meam; corpus verò irriſionis & contemptûs veſte & inſignibus induat; vt in omnibus ei ſimilis euadam. O Agnus immaculate, cuius e *ſanguine* etſi rubicundo *ſancti ſtolas ſuas lauant ac dealbant*, fac me album ſicut niuem: vt tuam referam puritatem: tinge verò tuo ſanguine, vt etiam imiter paſsionem.

Veſtis alba animæ candorem & puritatem denotat. d Cant. 1. e Apoc. 7. 14.

V.

Deniqve conſiderandum, *Herodem* & *Pilatum*, qui ante inimici erant adinuicem, ab eo tempore, amicos factos eſſe: vt ſignificaretur f *aſtitiſſe quidem reges terræ, & Principes conueniſſe in vnum, aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius:* Chriſtum verò Dominum per mortem ſuam, vera illos

Herodis & Pilati amicitia quid præfigeret. f Pſal. 2. 2.

amic-

amicitia coniunxiſſe; Iudæos nimirum & Gentes, vnitione charitatis, quã hæc Herodis & Pilati amicitia inita præfigurat. Ex quo etiam apparet, quantam quodlibet humilitatis indicium, vim habeat, ad corda diſsidentia reconcilianda: ſi quidem duobus his Principibus adinuicem diſsidentibus, in puncto aliquo Iuriſdictionis, cum Pilatus eò ſe demiſit vt Chriſtum vinctum ad Herodem mitteret, eò quod eius eſſet iuriſdictionis, ſtatim ſunt reconciliati: quamuis Chriſti humilitas pondus totum ſuſtinuerit: ipſe.n. ſuis humiliationibus, comparauit coniunctionem charitatis, quam electi habent ſuper profundam humilitatem fundatam.

Epheſ.2.14. Qui fecit vtraque vnum. Humilitatis vis in reconciliando animos diſsidẽtes.

LICET etiam hic expendere, infelicem horum duorum Iudicum finem & exitum; eò quod Chriſtum Dominum noſtrum ita contempſerint. Nam etſi patientia ſua, iniurias ſibi illatas tolerat ac diſsimulat; quoniam tamen ipſe iuſtus eſt Iudex, in tempore illos pro meritis caſtigat.

Herodis & Pilati infelix interitus.

MEDITATIO XXXIV.

QVOD IVDAEI BARABBAM CHRISTO prætulerint.

PVNCTVM I.

CVPIENS Pilatus adhuc magis, Chriſtum à morte eripere, eò quod videret, neque ab Herode fuiſſet damnatum; incidit illi medium quoddam, ad id ſuo iudicio aptum, & fas eſt credere, incidiſſe ex inſpiratione diuina.

CONSVETVDO erat, vt Præſes duos vinctos aut plures, in Paſchate, plebi proponeret, vt vnum ex eis eligerent, qui liber dimitteretur. Pilatus itaque hac opportunitate vſus, Chriſtum Dominum & vnum alium illis propoſuit inſignem, præ alijs omnibus qui in carcere detinebantur, malefactorem, Barabbam nomine; hominem turbulentum, latronem & homicidam, qui propterea omnib. odio erat: exiſtimans itaque Pilatus, plebem, ne ſceleſtiſsimus ille homo liberaretur, Chriſtum Dominum electuram, dixit illis: a *quem vultis dimittam vobis Barabbam an IESVM, qui dicitur Chriſtus?*

Barabbæ ſcelera.

a Matt. 27. 17. Marc. 15. 6. Luc. 23. 17. Ioan. 18. 39.

PERPENDE hic primùm: Chriſti Domini *humiliationem*: qui cùm tantus eſſet, tam ſanctus, tã ſapiens, tantus omnium benefactor, componatur tamen cũ homine infami, latrone, ſeditioſo, homicida, & publico malefactore: & cùm de re agatur tanti momenti, atque eſt libertas, honor, & vita, deliberetur, vter ſit alteri præferendus: & apud homines quidem

I. Chriſtus componitur cum Barabba.

Digitized by Google

dedecori tribuitur, quod quis cum homine aliquo vili, aut conditione ſibi non pari congrediatur, aut conferatur: & tamen Chriſtus Dominus noſter, confertur cum homine totius plebis viliſsimo; vt in rebus omnibus, humilitatis nobis præberet exemplum. O bone Iesv, quàm iure optimo conqueri potuiſſes, ac dicere, quod ante dixeras per Prophetam: b *cui aſsimilaſtis me & adæquaſtis*? ſed video Domine, maiorem adhuc iniuriam te expectare, quia noſtra ſuperbia, maiori adhuc humiliatione eſt curanda.

b Iſa. 40. 25.

II. Cvm populus hæreret, quem è duobus propoſitis ſibi eligeret, c *Principes Sacerdotum & ſeniores perſuaſerunt populis, vt peterent Barabbam, IESVM verò perderent.* Circa quod conſideranda eſt Sacerdotum, maledictorum Seniorum ſolicitudo in prēſando populo, & ad peruerſam ſuam ſententiam deducendo: facilè enim credi poteſt, illos in varias partes diſtributos, iam cum his, iam cum illis egiſſe, mala plurima, de Chriſto eis dicentes, quod magis ipſe ſeditioſus, & homicida eſſet, quàm Barabbas: ſiquidem non ciuitatem, vnam modò, ſed prouinciam totam, & Regnum commoueret; ac periculum propterea eſſet, non vnum aut duos homines propterea perituros, ſed totam etiam Gentem, niſi è medio ipſe tolleretur; ac propterea potiùs ipſum morte dignum eſſe, quàm Barabbam; eò quòd maior illo eſſet peccator; ſi quidem blaſphemus, præſtigiator, & Moyſis legis inimicus eſſet. Quod totũ Chriſtus Dominus cognoſcebat, eratq; illi valde graue, videre falſos illos prædicatores, ſimplicem plebem decipere, & verum ſenſum ac iudicium, quod illa habebat, auferre.

c Mat. 27. 20.

Sacerdotũ ambitus pro Barabba.

III. Perpendam denique magno cordis mei dolore, quòd *Barabbas* tot habeat patronos & agentes, ſiue negotiorum ipſius ſtrenuos ſolicitatores qui ei fauent, eumque defendunt, & populum prenſant, etiamſi in cauſa iniuſtiſsima; nec defuerunt illi amici & cognati, qui ſimul cum ſacerdotibus, eius cauſam agerent: at Chriſtus Dominus noſter, adeò ſolus eſt, atq; deſertus, vt nullum habeat, qui audeat vel populum de eius innocentia informare, vel aliquod verbum, pro eo loqui; etiamſi eius cauſa eſſet iuſtiſſima; iudexq; ipſe, ad ei fauendum valdè propenſus; nullum habet amicum, nullum diſcipulum, cognatum, aut hominē aliquem, ex plurimis, quibus plurima beneficia contulerat, qui pro eo vel verbũ loqui audeat. O pauperum protector & aduocate, cur nullus eſt, qui adeò iuſtam cauſam tuam propugnet? querelas tuas Domine, apud æternum Patrem tuũ depone dicens: d *tibi derelictus eſt pauper.* O Pater mi, tu ſolus protector es deſerti huius pauperis, & *orphano tu eris adiutor*: mitte de alto tuo cœlo aliquem qui patrociniũ mei ſuſcipiat, & in re tam graui cauſam meam agat. Sed infinita tua charitas, ô Saluator mi, deſertionem hanc tui libentiùs admittit, vt me ab ea liberes, quam peccatis meis ſum promeritus.

Barabbas habet patronos.

Pro Chriſto loqui-tur nemo.

Oratio

d Pſal. 9. 14.

Digitized by Google

PVNCTVM II.

CVM Pilatus plebem vrgeret, vt vnum è duobus propoſitis eligeret, ait illis: *quem vultis vobis de duobus dimitti? exclamauit autem ſimul vniuerſa turba, dicens: tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam.* a Mat. 27. 21. b Luc. 27. 18

I. Barabbam Chriſto prælegerũt Iudæi

PERPENDENDA hic primùm eſt, extrema Chriſti Domini humilitas & abiectio; ſiquidem hominem adeò vilem, & omnibus deteſtandum habens in cauſa libertatis competitorem, reiectus ipſe fuerit, & magis libertate & vita indignus iudicatus, quàm Barabbas. O IESV dulciſsime, nunc aduerto, quàm verè dixeris: c *ego ſum vermis, & non homo opprobrium hominum & abiectio plebis.* omnes enim te reipſa abiiciunt, ac viliſsimum & abiectiſsimum totius populi hominem tibi præferunt. O ſuperbiam meam, quæ ſuper omnes conſcendere quæris; cur te hoc exemplo non humilias, demittis, omnibusque poſtponis? confunde Domine, & ſuperbiam hanc deiice: neq; enim par eſt, ex nunc eâ, coram tanta humilitate leuare caput. c Pſal. 21. 7.

II. Inuidia & odium quã excæcent intellectũ.

DEINDE perpendam, quàm grauiter errent *hominum iudicia*, quæ in cauſa adeò clara, contra iuſtitiam & veritatem, & in manifeſtam Chriſti Domini iniuriam, ſuffragia ſua ferunt: Et quàm ſit potens inuidiæ odijque paſsio, ad excæcandum intellectum, & errores intolerabiles præcipitandum: quàm item homines ſint inconſtantes, facileque patiantur ſe decipi; ſiquidem qui ante paucos dies, altis vocibus clamarunt, Chriſtũ eſſe Saluatorem, & Regem Iſrael; nunc contra, magnis clamoribus, eum dicunt eſſe Barabbâ ſceleſtiorem. Ex quo diſcam ego, nullam iudiciorũ hominum rationem ducere, aut permittere ab eis me deduci, ſiue me laudent, ſiue vituperent: & hoc exemplo Chriſti me conſolabor; ſi quando in ijs quæ aſſequi cupio, etiam iuſtè videro, me repelli; certo mihi perſuadens, in vita æterna quærenda, non hominum, ſed ſupremi Iudicis, qui ab omni perturbatione & fraude liber eſt, ſuffragium profuturum. Gratias tibi Deus æterne, quod libertatem meam, & animæ meæ ſalutem, non in hominum affectibus collocaueris; nec ab adeò errantibus iudicijs, & quæ tot paſsionibus ducuntur, eam pendere volueris. Fac me, Domine, ita omnib. illis ſuperiorem vt vana illorum iudicia ſpernens, tui ſolius rationem & curam habeam; ſiquidem reuera nec bonus, nec malus ſim, propter ea, quæ homines de me dixerint, ſed propterea, quòd ſim talis coram te. Iudicii mundani inſtabilitas.

III. Peccator Barabbam præponit Chriſto.

DENIQVE perpendã, quoties DEVM *offendo*, toties in corde meo ſimile peruerſum iudicium huic Iudæorum iudicio tranſigi. Tentatio enim quæ me ad peccandum inſtigat, non aliud eſt, quam interrogatio; quæ mihi proponitur, vtrum pluris faciam, Chriſtum ne an Barabbam? Deum ne, an creaturam? eiuſne honorem, an proprium? cumque hæreo ac dubito, vtrum eligere velim, accedit Dæmon, & ipſa caro,

ſuggeſtionibus & rationibus plauſibilibus, vt perſuadeat, Chriſtum relinquere, & tandem cum tentationi ſuccumbo, idem facio, atque ſi Barabbam eligerem creaturam, ſenſuum voluptatem, aut honorem inanem, cum magna Dei iniuria, & Chriſti eiuſque excellentiæ contemptu, atque inſigni ingratitudine, ad tot beneficia, quæ in me contulit. Ex quo merito erubeſcam, meque Iudæis peruerſiorem iudicabo; ſiquidem verã habens fidem, qua noui, quis Deus, & quis Chriſtus ipſe ſit, ipſum tamen cõtemno, & abijcio pro re viliori, quam ſit ipſe Barabbas. O cœleſtis Patris Vnigena, qui Barabbæ, quòd ſignificat Filium Patris, non cœleſtis, ſed terreni, collatus; eius comparatione reprobatus fuiſti ab ijs, *qui ex Patre diabolo erant, & deſideria Patris ſui facere volebant*; ne patiaris, talem me proditionem, atque hæc eſt, in anima mea admittere; ſed concede, vt ſemper viuam, ſicut frater tuus, & æterni tui Patris filius: reprobans quidquid tu reprobas; approbans verò, quod probas; te præ rebus omnibus creatis æſtimans, ſiquidem omnibus illis infinitè es amabilior.

Oratio d Io. 8. 44.

PVNCTVM III.

a Matt. 17. 22. b Luc. 23. 22

OBSTVPVIT Pilatus, cùm audiuit turbam, elegiſſe Barabbam, a *ac dixit illis: quid igitur faciam de IESV, qui dicitur Chriſtus? dicunt omnes, crucifige.* b *Ait illis Præſes: quid enim mali fecit? nullam cauſam mortis inuenio in eo: corripiam ergo eum, & dimittam. At illi inſtabant vocibus magnis, poſtulantes, vt crucifigeretur.*

I. Pilati puſillanimitas pro Iuſtitia.

PERPENDENDA hic primùm eſt *præſidis puſillanimitas*, qui innocentiam Chriſti cognoſcens, non tantum animi habuit, vt illum pro officio liberaret; ſed furentem turbam interrogat, quid velit fieri de Chriſto; conſtituens hac ratione, eos iudices illius, quem odio proſequebantur, & per inuidiam illum ipſi tradidiſſent: quod totum, in maiorem ipſius Saluatoris ignominiam ceſſit.

II. Peccata ſunt quæ clamant, crucifige.

DEINDE etiam perpendendum, quàm graues Chriſto Domino noſtro fuerint voces illæ, adeo rabidæ, & toties repetitæ, *crucifige, crucifige*: quibus non quamcunque eius mortẽ, ſed mortem adeò crudelem, qualis eſt crucis expetebant. O mundi Saluator, in quantas anguſtias, mea peccata te coniecerunt? illa enim ſunt, quæ clamabant, crucifige, crucifige: nam te cruci affixo, & ipſa ſimul affigentur, & morientur in cruce; iuxta illud Apoſtoli: c *quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati.* Ita quæſo, mea peccata macta Domine, vt amplius in anima mea non viuant, *nec vltra ſeruiam peccato*: aut ſimilis aliquando clamor, ex anima mea prodeat, d *rurſum crucifigens mihi met ipſi te filium Dei.*

d Heb. 6. 6.

(.·.)

MEDITATIO XXXV.

DE CHRISTI AD COLVMNAM flagellatione.

PVNCTVM I.

VIDENS Pilatus, pertinaciam turbæ in petendo, vt Chriſtus crucifigeretur, a *dimiſit illis Barabbam*, & primam contra Chriſtum ſententiam tulit, vt *flagellaretur*: quem mox militibus tradidit, vt eam ſententiam ſtatim exequerentur.

a *Matt.* 27. 26. *Mar.* 15. 15. *Ioan.* 19. 1. *Luc.* 23. 16. Pilatus iubet Chriſtum flagellari.

I. PERPENDENDAE ſunt primum *cauſa*, quæ Pilatũ permouerunt ad hanc ſententiam de Chriſto flagellando, quæ duæ fuerunt potiſsimum; ALTERA, vt videret, num fortè hac flagellorum pœna, turba ita emolliretur, eiq́; ſatisfieret, vt à morte Chriſtus liberaretur: quam cauſâm inſinuauit ipſe, cùm ad turbæ clamores petentis, vt Chriſtus crucifigeretur, dixit, b ***nullam cauſam mortis inuenio in eo: corripiam ergò illum, & emendatum dimittam.*** quare facilè credi poteſt, eum militibus iuſsiſſe, vt crudeliter flagellarent, & ita tractarent, vt quicunque illum viderent, compaſsione tangerentur.

b *Luc.* 23. 16. 22.

II. ALTERA *cauſa* fuit, vt ſi etiam eſſet crucifigendus, flagella mortem præceſsiſſent, ex lege Romanorum, quæ id ſtatuebat; quò aſpicientes crucifixum nudum, non offenderentur; ſed compaſsione potiùs mouerentur, videntes vulneratum. Sunt verò, qui contemplentur, Chriſtum Dominum bis fuiſſe flagellatum: PRIMVM, ob *primam* cauſam: DEINDE ob *ſecundam*, quando fuit reipſa ad crucis mortem condemnatus. Quicquid verò de hoc fuerit ſententia illa, tũ fuit iniuſtiſsima & crudeliſsima; tum ignominioſiſsima: ſciebat enim ipſe iudex, Chriſtum eſſe innocentem: & nihilominus ad flagella ſuſtinenda eum condemnauit: quæ pœna tum erat infamis, & latronum ac mancipiorum propria, & crudele ſupplicium, quo ſanguis innoxius horrendis doloribus effundebatur: tum reipſa, turbæ iudicium & electio comprobatur, qua Barabbam elegerat, vt Chriſtus morti traderetur; ſiquidem reipſa ita illum tractari iubebat, ſicut Barabbas ob ſua furta & latrocinia, tractari dignus fuerat.

Romani cur ſoliti flagellare crucifigendos. *S. Hierony. in hunc locum. Gerſon. in Monoteſ. c 146 rubr. 6*

III. Et quamuis talis eſſet illa ſententia, Chriſtus tamen Dominus; ita in corde ſuo illam acceptauit, vt nec appellauerit ab ea, nec ſupplicauerit, nec verbum aut querelam vllam dixerit, aut vllum ſenſus iudicium cõtra eam oſtenderit; ſed potiùs corpus ſuum libenter obtulit ad *flagella*

Chriſtus cur paſſus ſe flagellari.

Iſai. 53. 5.

ſuſtinenda, in ſatisfactionem pro noſtris peccatis: c *ipſe enim* (vt ait Iſaias) *vulneratus eſt* in toto ſuo corpore, *propter iniquitates noſtras* , vt omnia animæ meæ vulnera, ita ſanarentur; & ego prouocarer ad illud diligendũ, & illi ſeruiendum. Aperiens enim mihi viſcera ſua flagellis lacerata , ad hoc me obſtrinxit, vt ego illi mea offerrem, cum omnibus affectibus meis. Eſt verò meritò credendum, Chriſtum Dominum noſtrum , eleuaſſe tunc oculos in cœlum, Patrique ſuo æterno dixiſſe verba illa Dauidis: d *quoniam ego in flagella paratus ſum*; quia ita tu ſtatuiſti. Corpus quidem meum, debuit eſſe immortale & impatibile, ad quod e *malum*, nullum pœnæ *accederet*, *& flagellum non appropinquaret tabernaculo meo*, in quo habitat anima mea; tua tamen prouidentia ita ſtatuit, vt f *corpus meum ita aptaretur*, vt & pati poſſem, & flagellis cædi, & ex tunc ad ſuſtinenda , ſum paratus, vt g *quæ non rapui, exoluerem*; vt à pœna, quam erant promeriti, qui honorem tuum rapuerunt, illos liberarem. Gratias tibi, ô dulciſsime Redemptor, quòd adeò crudelem, infamem, & iniuſtam ſententiam acceptaueris; ecce Domine, me ob tuum amorem, ad flagella præparatum , animo acceptandi ſententiam, quam tuleris contra me; quæ neque iniuſta erit, quia peccata mea illam promeruerunt: nec infamis erit, aut crudelis, ſiquidem erit à Patre, qui h *quem diligit, corripit*, vt ſeſe emendet.

d Pſal. 37. 18
e Pſal. 90. 10.
f Pſal. 39. 7. Hebr. 10. 5.
g Pſal. 68. 5
Oratio
h Prou. 3. 12 Hebr. 12, 6.

PVNCTVM II.

Chriſtus ſpoliatur veſtibus, & rubore ſuffunditur.

EA ſententia audita, milites magna inſolentia Chriſtum accipientes, & in atrium quoddam deducentes, veſtibus ſuis eum ſpoliarunt, etiam tunica inconſutili.

I.

In quo facto conſiderabo *primùm*, quanto rubore affectus fuerit pulcherrimus ille iuuenis , & excellentiſsimus Dominus, cùm ſe nudum in conſpectu tot militum videret; & audiret irriſiones , quibus illi tanto pudore ſuffuſum irridebant. Eam ignominiam & irriſionem patientiſſimè ille tulit, tum in pœnam impudentiæ , qua ego ipſius gratiæ veſte meipſum nudaui: tum vt eâ, tanquam pretio, ſacram hanc veſtem compararet, qua miſeranda nuditas mea cooperiatur. O amantiſsime Domine, qui a *ſuades mihi, emere à te aurum ignitum* charitatis, *vt locuples fiam*; *& veſtimentis albis* virtutum indui , *vt non appareat confuſio nuditatis meæ*, & ab æterna confuſione liberer; quam, quòd eis me ſpoliaſſem, promeritus eram. En in pretium nuditatis & ruboris, quo propter eam afficeris , offero tibi cor meum, & certam animi reſolutionem, exuendi me ab omni re terrena: per eundem tuum ruborem ſupplico, vt gratia tua diuina , ita me induas, vt non incidam in confuſionem æternam.

Oratio
a Apoc. 3. 18

II.

Licet etiam conſiderare, quòd, vt aliqui dicunt, milites Chriſtum

Domi-

Digitized by Google

Dominum noſtrum fortiſsimè ad *columnam* alligarunt, brachiis in altū extenſis, quò faciliùs pro ſuo libitu totum corpus ferire poſſent: quod ſine dubio grauioris fuerit tormenti, nam & pedes inferiùs,& manus ſuperiùs crudeliſsimè ligauerunt; qui tamen, etiamſi funibus illis ligatus non fuiſſet, erat ipſe amoris funibus fortiùs conſtrictus, & paratus, permittere ſe flagellis excoriari, remedij noſtri cauſa. b O AGNE innocentiſsime, qui, admiranda manſetudine permittis te à crudelibus iſtis *tonſoribus* ligari, non ſolùm, vt lanam, hoc eſt, ſacra tua veſtimenta tibi auferant; ſed etiam vt delicatiſsimum tuum corpus, forficibus crudelium flagellorum totum excorient, dolorem iſtum tantum te ita ſuſtinente,& *obmuteſcente, vt nec aperires os tuum!* Supplex te oro, vt me tecum liges, c *vinculis charitatis* adeo ſolidis, vt nulla flagella aut labores temporales à te vnquam exoluere poſsint. Amen.

Chriſtus columnæ quomodo alligatus.

b *Iſai.53.7.*

c *Oſea 11.4*

PVNCTVM III.

LIGATO iam Chriſto ad columnam, cæperunt carnifices illi, inaudita crudelitate, eum flagellare. *Tria* verò (vt quidam aſſerunt) diuerſa fuerunt huius *flagellationis inſtrumenta*, quibus diuerſi carnifices vſi ſunt; vno poſt alterum, eum feriente: PRIMVM fuit, *virides virgæ ſpinoſæ*: SECVNDVM, *ſcuticæ è loris* ſeu *neruis boum* confectæ, in quarum extremitatibus, aculei ferrei erant acutiſsimi: TERTIVM, *catenulæ ferreæ* quibus carnes ita lacerabantur, vt coſtarum oſſa nudarentur. His itaque inſtrumentis, Chriſti dorſum verberantes: primùm ictuum vi liuidum, mox ſubtilior pellis lacerata, demum & ipſa caro ita ſciſſa & fracta fuit; vt ſanguinis riuuli, ad terram vſque difluerent,& eadem crudelitate, reliquas corporis partes, nec brachiis, nec pectori, nec humeris parcentes, vſque ad ipſa oſſa diſcooperienda, verberabant. Sicut itaque totum corpus myſticum illius populi (Iſaia teſte) a *à planta pedis, vſque ad verticem*, ita languebat, *vt non eſſet in eo ſanitas*, à minimo vſque ad maximum, propter vulnera peccatorum: ita corpus ipſum Chriſti Domini noſtri à plāta pedis, vſque ad verticem capitis, nullam partem à vulnere immunem habuit: ſed tanquam leproſum, totum erat vulneratum: quem Iſaias in ſpiritu videns, de eo dixit: b *non eſt ſpecies ei, neque decor; & vidimus eum, & non erat aſpectus*, aut quod deſiderari poſsit, *deſpectum & nouiſsimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus: vnde nec reputauimus eum. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit; & nos portauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à DEO, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.* O ſi tantum luminis cæleſtis mihi eſſet,

Salmeron. tom.10.tract.29.

I. Flagellatus Chriſtus, virgis, loris, catenulis.

Flagellationis Chriſti crudelitas.

a *Iſaia 1.6*

b *Iſaia 53.* Chriſti flagellati ſpecies.

Oratio

vt con-

vt contemplari liceret, Redemptor mi, figuram adeò deformatam, quam illi columnæ alligatus habebas! O ſi ignitam adeò charitatem haberem, quæ me c *in eandem figuram*, vi compaſsionis eius *transformaret*: d *O ſpecioſe forma præ filiis hominum*; quis pulcherrimam tuam figuram ita offuſcauit? e *O ſplendor Paternæ gloriæ*, quis diuinæ tuæ faciei ſplendorem ita obſcurauit? O vir ſuper omnes viros f *deſideratus omnibus Gentibus*, & expectatus: quis te in virum dolorum, & omnium gentium abominationem cómutauit? O leproſorum ſalus, quis te fecit tanquam leproſum? O Pater æterne, cur toleras, quod Filius tuus, tanquam latro tractetur, &, tanquam à Deo percuſſus & caſtigatus habeatur? Si mea peccata ſunt in cauſa, æquius eſt, me propter illa caſtigari: g *Ego ſum, qui peccaui ego iniquè egi*, Agnus verò iſte *quid fecit? vertatur obſecro manus tua contra me.* deſcendant flagella ſuper dorſum meum, vt quod culpam admiſit, pœnam luat.

c 2. Cor. 3. 18
d Pſal. 44. 3
e Heb. 1. 3.
f Aggei. 2. 8
g 2. Reg. 24. 17.

O immenſa Patris charitas, qui vt ſeruum ſibi reconciliaret, proprium Filium percuſsit! O item infinita eiuſdem filij charitas: qui adeò, ſeuerè caſtigari ſe ſinit, vt Patri ſuo ſeruum reconciliet! gratia tibi æterne Pater, pro immenſa hac tua charitate; tibique ſimiliter gratias, Fili Dei vnigenite, pro hoc tuo infinito amore.

II. In flagellatione, quæ potiſſimum cóſideranda.

QVO magis adhuc ſupplicij huius atrocitas æſtimetur, conijcere licet oculos in *quatuor*, quæ in eo concurrerunt, circumſtantias.

1. Corporis Chriſti tenerîtudo, & laſsitudo.

h Pſal. 128. 3

PRIMA fuit ex parte *corporis* ipſius Chriſti Domini, quod tenerrimũ, delicatiſsimum, ac propterea ſenſuum dolori maximè obnoxium erat; quod etiam ſanguineo ſudore, qui pridie præceſſerat, & noctis ipſius incommoditate, & alia eiuſdem diei defatigatione laſſum erat & confractum; & cum verberum ictus omninò ad interiora penetrarent, ingentem illi dolorem adferebant. nam propterea in Pſalmo, vbi nos legimus: h *ſupra dorſum meum fabricauerunt peccatores*, alia lectio habet *Ararunt*. nam vt aratrum terram ſcindit, & totam ſulcat; ſic flagella, ſacratiſsimam ipſius carnem, ita ſulcarunt, vt ad ipſa interiora penetrarent. O terra virginea, pura, & candida, nihil tibi neceſſe erat arari; niſi commiſeratio, qua ob duritiá cordis mei tangebaris, ad id te permoueret. Penetra illud, Deus meus, compaſsionis aratro, vt ſentiam ego in carne mea dolores, qui tuam penetrarunt.

2. Præſidis mandatũ, Tortorum ſæuitia, Dæmonis ac Iudæorum inſtigatio.

Secunda circumſtantia fuit, ex parte *tortorum*, ſiue carnificum, qui tum ex propria conſtitutione erant crudeles, tum ipſe Præſes in mandatis eis dederat, vt crudeliſsimè verberarent, propter cauſas ſuperiùs dictas. Dæmon quoque ipſe ad idem vrgebat, vt Chriſtum Dominum ea ratione, ad impatientiam induceret: Principes etiam Sacerdotum, & reliqui eius hoſtes, ignem admouebant: & quoniam tortores mutabantur; illi, qui recentes adueniebant, noua crudelitate corpus illud ſanctiſsimum percutiebant;

bant; maximè verò cùm viderent, Chriſtum Dominum adeò patienter ſuſtinere, vt nec ſignum quidem querelæ aut indignationis daret; & fortè contentioſè verberabant, vt exclamationem aliquam, aut indignationis iudicium extorquerent.

3. Verberum multitudo

S. Gertrud. lib. 4. diui. Inſinuat. c. 35. ait fuiſſe 5466. Coſterus Medit. 24. de Paſsione.

Tertia fuit circumſtantia, ob *multitudinem verberum*, ac *verberantiũ*, multi enim dicunt, fuiſſe plus quam quinque millia ictuum, quòd de hoſtium crudelitate facilè licet præſumere. Non enim ſeruabatur cum Chriſto lex, quæ prohibebat i *plagarum numerum excedere quadragenarium*; aut vt S. Paulus de ſeipſo fatetur, vt k *vnâ minus* eſſet, ſed multos numeros quadragenarios ſuſtinuit, pœnitentiam agens, quam noſtra peccata merebantur. Et hæc eſt Qvarta circumſtantia, ex parte ſcilicet noſtrorũ peccatorum, quæ & innumera erant, & grauiſsima. quamobrem verbera, quæ pro illis offerebantur, oportebat eſſe innumera & atrociſsima.

i Deut. 25. 3

k 2. Cor. 11. 24.

III. Inuictã Chriſti patientia.

Ex his ergo conſiderationibus, æſtimare debeo *inuictam* Chriſti Domini *patientiam*; vt qui nullum externum dederit indicium turbationis aut tædij; ſed inſtar duriſsimæ incudis, crudeliſsimos ictus ſuſcipiens, eos æterno Patri, pro noſtris peccatis obtulit amore adeò vehementi; vt quãuis verbera fuerint plurima, optaret multò plura & acerbiora perferre, ſi noſtrum remedium id exegiſſet; ideoque nunquam dixit, ſatis eſt; donec ipſa inimicorum rabies ſatiaretur, & iuſtitiæ Dei fieret ſatis. Ex quo magnum concipiam horrorem meorum peccatorum, quæ tanti ſupplicij cauſa fuerunt; magnumque deſiderium, eadem pænitentiis & diſciplinis in meipſo caſtigandi. Ac denique ad huius Domini pedes, prope ipſam columnam, me conſtituens; cernensq; eius deſertionem, & neminem adeſſe, qui ipſius vicem doleat, aut ei compatiatur, & quod ex omnibus corporis partibus ſanguine defluente, ipſe debilitetur; nunc ſpiritu oſculabor terram, ſanguine Domini & Creatoris mei madidam; nunc ipſa flagella, pretioſo illo ſanguine madentia cordi meo applicabo; ſupplicans, vt inordinatorũ affectionum mearum vulneribus medeatur, ſuoque diuino amore ipſum cor meum vulneret, tùm ſacram ipſam columnam ſummâ reuerentiâ complectens ac ſalutans dicam. O felicem *columnam*, in qua & alligatus, & verberatus is fuit, qui eſt totius mundi columna, & omnium quæ ſunt creata, fortitudo! O columnam ſupremam, dolatam & tinctam pretioſo ſanguine Filij Dei, qui effuſus eſt, vt homines l *faceret firmas columnas, in templo Dei* viui! O vtinam tibi eſſem alligatus, vt ſanguine iſto tinctus, & madens, ipſe fierem columna firma, in eius obſequio qui tanta mei cauſa in te ſuſtinuit. O columnæ Cœli, quid facitis, cur non contremiſcitis præ ſtupore, videntes Deũ veſtrum, in iſta columna verberari? O columna firmiſsima, cui totus mundus innititur, compatere tibi ipſi: m *induere fortitudinem brachium Domini*, quo modo ita exangue

Pia Chriſti flagellati Meditatio.

Columnæ amoroſa amplectatio. Oratio.

l Apoc. 3. 12

m Iſai. 51. 9

Digitized by Google

II. Quàm fuerit ignominioſa. Herodis crudelitas & iniuſtitia.

CONSIDERANDA deinde eſt *ignominia*, quam Chriſtus Dominus in quarta hac ſtatione ſuſtinuit, à Prætorio Pilati vſq; ad palatium Herodis, per medias plateas & fora Hieruſalem, tanto populi ſtrepitu. Et admirabor charitatem, & humilitatem filij Dei, qui per tot tribunalia, ab iniquo vno ad aliud deterius, deduci voluerit, etiam illius Regis crudeliſsimi & iniuſtiſsimi, qui proprij fratris vxorem ſibi acceperat, & ſanctum Ioan. Baptiſtam decollauerat, eò quod ſcelus illud reprehenderet. Quod totum prouidentia diuina ita diſpoſuit; vt, quò plura noſtri cauſa ipſe ſuſtineret; eò nos magis ad obſequium ipſi præſtandum obſtringeret & efficaciora patientiæ exempla nobis præberet.

PVNCTVM II.

a Luc. 23. 8.

HERODES *autem a viſo IESV, gauiſus eſt valdè: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum; & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis ſermonibus. Stabant autem Principes Sacerdotum & Scribæ conſtanter accuſantes eum.*

Herodis gaudiũ ex conſpecto Ieſu, curioſitatis eſt, non charitatis. Chriſtus nec reſponſo dignatur Herodem.

CIRCA hoc punctum conſiderandum eſt, Herodem gauiſum quidem fuiſſe conſpecto Chriſto, & benignè illũ excepiſſe; tamen non ex charitate, ſed *curioſitate* permotum, quod tanti nominis virum, apud ſe haberet; & inſignem aliquam nouitatem, aut ſignũ fieri ab eo ſperaret: quod tamen totum, in maius Chriſti Domini dedecus & opprobriũ redundauit; quia nihili faciens ipſe Chriſtus, quod eſſet humaniter exceptus; tantum abeſt, vt ſignum aliquod, in eius præſentia faceret; vt nec reſponſo quidem illum dignaretur.

I. Deteſtatur crimina ipſius. b Luc. 13. c Cant. 15.

INDQVE *primùm* in deteſtationem *ſceleris* ipſius; agens cum illo, tanquã cùm excommunicato & indigno, qui admiranda ipſius ſigna videret; & ideo alia occaſione, b *vulpem* illum appellauit, inſinuare volens aſtutã eius malitiam, qua præcipuos c *vineæ* Domini *palmites demoliretur.*

II. Vanã ipſius curioſitatẽ redarguit. curioſitatis ſpiritualis damna.

DEINDE, in deteſtationem *vanæ* illius *curioſitatis*; neque. n. diuina ſua verba, Deus effundit, aut ſtupenda ſua opera facit, vt curioſitatem tantũ hominũ alat. Ideoq; qui inani hoc ſpiritu, ad agendũ cum Deo in oratione accedit, mutũ illũ ſurdũq; erga ſe experietur; nec eius inſpirationes, & interna verba ſentiet, aut ad res magnas aggrediẽdas inſtinctũ & motionẽ.

III. Damnat teporem noſtrum in patiendo.

DENIQVE, vt hac ratione, propenſionem ſuam, & *mortis deſiderium* nobis manifeſtaret nã qui miraculosè effecit, vt poſſet pro hominibus mori interdicendo corpori ſuo gloriam, quæ illi, propter animæ beatitudinẽ debebatur; non erat cur miraculũ adhiberet, ad paſsionẽ fugiendã, & mortem euitandã quo ſuo facto, pudorẽ noſtræ adfert tepiditati, qua miracula petimus, vt ab occurrentib. laborib. & calamitatibus liberemur. O bone IESV, qui tot miraculis, alienis neceſsitatib. conſuluiſti, cur vel vnicũ non adhibes corã Herode, vt conſulas propriæ? nã etſi illius curioſitas ſit indi-

Digitized by Google

gna; tua tamen neceſsitas vrget & clamat. Sed apparet benè, te noſtrarum neceſsitatũ clamores, propriæ tuæ neceſsitatis clamoribus anteferre, quibus morte tua ſubſidiũ feres. Eandẽ ob cauſam, quãuis Sacerdotes & Scribæ, conſtanter ipſum apud Herodẽ accuſarent, tacuit, & quidẽ ſilentio nõ minus ſtupendo quã ſeruauerit apud Pilatũ: immò adhuc exactiori: nam Pilato locutus fuerat in prætorio; & ad interrogata reſpondens, veritatẽ illi aperuerat, cũ apud Herodem, nec verbum protulerit, nec in ſui defenſionem, nec ob humanum alium reſpectum: quamuis non ignoraret, ob tale ſilentiũ, incurrere ſe Herodis indignationẽ: hac ratione nos docens, ſanctã libertatẽ, quã etiã coram Regib. & Principib. tenere debeamus: ne aut loquamur, aut faciamus coram eis humano tantum reſpectu, quod ipſi deſiderant; quamuis niſi faciamus, dãni alicuius periculũ nobis immineat. IV. Docet ſeruandam coram Principibus ſanctam in loquendo & faciendo libertatẽ.

PVNCTVM III.

VIDENS Herodes, Chriſtum ad omnia, quæ ipſe interrogabat, & ea, quæ Scribæ & Sacerdotes illi obiiciebant, omninò tacentem: a *ſpreuit illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum: & facti ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa die: nam ante ini mici erant ad inuicem.* a Luc. 23. 11

PERPENDENDA hic primùm eſt, *iniqui* huius *Regis* contra Chriſtum ſententia; qua illum ſtultum eſſe iudicauit, valdè ruſticum & inurbanum, & quaſi ex mẽtis inopia & mera ſimplicitate taceret, & Rex eſſe cupiuiſſet: & ideò noluit ad mortẽ illũ damnare; ſed ignominia afficere: & in opprobriũ & irriſionẽ, alba veſte induere, vt illã Cæſares geſtare cõſueuerant: cuius facilè ſit credere antiquam aliquã & laceram eam fuiſſe, vt maiori riſui exponeretur, & hac ratione indutum remiſit ad Pilatum; quaſi diceret; remitto tibi ſtultũ & ſimplicem iſtum, qui ex mera ſimplicitate, Rex fieri voluit. Totus verò ipſius Herodis exercitus, vt iniuriam ſuo Domino illatam vlciſceretur, ſuoq; Domino adularetur mille iniuriarũ modis ipſum Chriſtum affecerunt: appellantes illũ ſimplicem, inurbanum, ineptum, ſtultũ, Regulũ, & alijs huiuſmodi infamib. cõpellationibus; licetq; credere manus quoq; irriſionis gratia, in illum conieciſſe, inſtigante eos ad id Satana; quod tamẽ totũ admiranda patientia Chriſtus Dominus ſuſtinebat, hac ratione, nos docens, vanos mundi honores contemnere & nihili facere errantia hominum iudicia, qui Deum ipſum ita tractare ſunt auſi. O verbũ diuinum, æterni Patris ſapientia, gratias tibi, quod eò te vſq; demiſeris, vt ſimplex & ſtultus ab hominibus iudicareris! verè neceſſaria fuit tanta tua humiliatio, vt ſuperbia & præſumptio mea ſanaretur! vtinã huiuſmodi inſignib. ornatũ me viderẽ, & ſtultũ haberi: nulla tamẽ culpa mea neq; e.n. maior ſapiẽtia eſt, quã lubẽti animo videre, ſe in mũdo, tui amore, cõtẽptui haberi; nec ſtultitia maior quam quærere in honore eſſe, ſine te.

I. Herodes cũ ſuis illudit Chriſto vt ſtulto.

Induit vt ludicrum Regem veſte alba, ſed lacera.

Sic vana mundi calcat Chriſtus & luit.

Oratio Docet in ſtultitia ſapientiam.

DEINDE perpendendum eſt, quantam ignominiam Chriſtus Dominus fuerit paſſus, cùm per illas *plateas Ieroſolymitanas* duceretur, pergentibus omnibus, qui illum comitabantur in opprobriis & ſcommatis in eum coniiciendis, altis clamoribus ſtultum illum & fictum Regem compellantibus. O REX cœleſtis quantum intereſt inter hos clamores, & illos, quos ante quinque dies, turba tota edebat, cùm te Regem Iſrael, & benedictũ Domini compellaret: ſed tempus nunc eſt patiendi, vt poſsis ad Regnum peruenire: implebitur enim quod ſcriptum eſt: b *deridetur iuſti ſimplicitas, Lampas contempta apud cogitationes diuitum parata ad tempus ſtatutum* reuelari. O lampas pretioſiſsima, quæ doctrina & claritate lucens & ardens, radios emittis manſuetudinis & patientiæ, tot noſtri cauſa opprobria ſuſtinens, erit tempus, cùm pretioſitas tua reuelabitur, ad confuſionẽ diuitum & ſuperborum, qui te deſpiciunt. Confunde eos Domine exemplis tuæ humiliationis in hac vita, vt ad ſe reuerſi, quod contemnebant diligant: & contemnant, quod antea diligebant, & magni æſtimabant.

Oratio. Chriſtus lampas pretioſiſsima. b Iob. 12. 4.

III. PERPENDENDVM tertiò, quanto rubore Chriſtus Dominus ante *Pilatum* comparuerit, nouo illo habitu indutus: & iterum, ab eius officialibus & ſeruis irriſus, creſcentibus ſemper iniuriis humillimi IESV: vt eo exemplo, non defatiger ego illatis mihi iniuriis, ob culpas meas: ſed erubeſcam, quod tanto deſiderio tenear, ſapiens & prudens haberi; quàm verò grauiter feram, quod quis dicterio aut ſcommate, ſtultum me aut non ſatis prudentem notet, ad quod iuuerit ſententiæ illius Apoſt. meminiſſe: c *ſi quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, vt ſit ſapiẽs: ſapientia enim huius mundi, ſtultitia eſt apud Deum*, ſicut è contra, Dei ſapientia, ipſi mundo eſt ſtultitia.

Sapiẽs ſtultitia. ſtulta ſapientia. c 1. Cor. 18.

IV. CONSIDERANDVM præterea *veſtem* illam *candidam*, qua Chriſtus Dominus, irriſionis cauſa, fuit indutus, eius animæ candorem & puritatem vitæque innocentiam retuliſſe; quæ opprobriis & humiliationibus iuncta eſſe conſueuit: magnum enim quid eſt (vt habetur in Cant.) puram & candidam intus eſſe, d *nigram* verò & *fuſcam*, ac propterea contemptam exterius, quare ab ipſo Chriſto petam, vt candida innocentiæ veſte animam meam; corpus verò irriſionis & contemptus veſte & inſignibus induat; vt in omnibus ei ſimilis euadam. O Agnus immaculate, cuius e *ſanguine* etſi rubicundo *ſancti ſtolas ſuas lauant ac dealbant*, fac me album ſicut niuem: vt tuam referam puritatem: tinge verò tuo ſanguine, vt etiam imiter paſsionem.

Veſtis alba animæ candorem & puritatem denotat. d Cant. 1. e Apoc. 7. 14.

V. DENIQVE conſiderandum, *Herodem* & *Pilatum*, qui ante inimici erant adinuicem, ab eo tempore, amicos factos eſſe: vt ſignificaretur f *aſtitiſſe quidem reges terræ, & Principes conueniſſe in vnum, aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius:* Chriſtum verò Dominum per mortem ſuam, vera illos

Herodis & Pilati amicitia quid præfigeret. f Pſal. 2. 2.

amici-

amicitia coniunxiſſe; Iudæos nimirum & Gentes, vnitione charitatis, quã hæc Herodis & Pilati amicitia inita præfigurat. Ex quo etiam apparet, quantam quodlibet humilitatis indicium, vim habeat, ad corda diſsidentia reconcilianda: ſi quidem duobus his Principibus adinuicem diſsidentibus, in puncto aliquo Iuriſdictionis, cum Pilatus eò ſe demiſit vt Chriſtum vinctum ad Herodem mitteret, eò quod eius eſſet iuriſdictionis, ſtatim ſunt reconciliati: quamuis Chriſti humilitas pondus totum ſuſtinuerit: ipſe.n. ſuis humiliationibus, comparauit coniunctionem charitatis, quam electi habent ſuper profundam humilitatem fundatam.

Epheſ.2.14. Qui fecit vtraque vnum.

Humilitatis vis in reconciliando animos diſsidẽtes.

LICET etiam hic expendere, infelicem horum duorum Iudicum finem & exitum; eò quod Chriſtum Dominum noſtrum ita contempſerint. Nam etſi patientia ſua, iniurias ſibi illatas tolerat ac diſsimulat; quoniam tamen ipſe iuſtus eſt Iudex, in tempore illos pro meritis caſtigat.

Herodis & Pilati infelix interitus.

MEDITATIO XXXIV.

QVOD IVDAEI BARABBAM CHRISTO prætulerint.

PVNCTVM I.

CVPIENS Pilatus adhuc magis, Chriſtum à morte eripere, eò quod videret, neque ab Herode fuiſſet damnatum; incidit illi medium quoddam, ad id ſuo iudicio aptum, & fas eſt credere, incidiſſe ex inſpiratione diuina.

CONSVETVDO erat, vt Præſes duos vinctos aut plures, in Paſchate, plebi proponeret, vt vnum ex eis eligerent, qui liber dimitteretur. Pilatus itaque hac opportunitate vſus, Chriſtum Dominum & vnum alium illis propoſuit inſignem, præ alijs omnibus qui in carcere detinebantur, malefactorem, Barabbam nomine; hominem turbulentum, latronem & homicidam, qui propterea omnib. odio erat: exiſtimans itaque Pilatus, plebem, ne ſceleſtiſsimus ille homo liberaretur, Chriſtum Dominum electuram, dixit illis: a *quem vultis dimittam vobis Barabbam an IESVM, qui dicitur Chriſtus?*

Barabbæ ſcelera.

a *Matt.* 27. 17. *Marc.* 15. 6. *Luc.* 23. 17. *Ioan.* 18. 39.

PERPENDE hic primùm: Chriſti Domini *humiliationem*: qui cùm tantus eſſet, tam ſanctus, tã ſapiens, tantus omnium benefactor, componatur tamen cũ homine infami, latrone, ſeditioſo, homicida, & publico malefactore: & cùm de re agatur tanti momenti, atque eſt libertas, honor, & vita, deliberetur, vter ſit alteri præferendus: & apud homines quidem

I. Chriſtus componitur cum Barabba.

dedecori tribuitur, quod quis cum homine aliquo vili, aut conditione ſibi non pari congrediatur, aut conferatur: & tamen Chriſtus Dominus noſter, confertur cum homine totius plebis viliſsimo; vt in rebus omnibus, humilitatis nobis præberet exemplum. O bone IESV, quàm iure optimo conqueri potuiſſes, ac dicere, quod ante dixeras per Prophetam: b *cui aßimilaſtis me & adequaſtis*? ſed video Domine, maiorem adhuc iniuriam te expectare, quia noſtra ſuperbia, maiori adhuc humiliatione eſt curanda.

b *Iſa.* 40. 25.

II. CVM populus hæreret, quem è duobus propoſitis ſibi eligeret, c *Principes Sacerdotum & ſeniores perſuaſerunt populis, vt peterent Barabbam, IESVM verò perderent.* CIRCA quod conſideranda eſt Sacerdotum, maledictorum Seniorum ſolicitudo in prenſando populo, & ad peruerſam ſuam ſententiam deducendo: facilè enim credi poteſt, illos in varias partes diſtributos, iam cum his, iam cum illis egiſſe, mala plurima, de Chriſto eis dicentes, quod magis ipſe ſeditioſus, & homicida eſſet, quàm Barabbas: ſiquidem non ciuitatem, vnam modò, ſed prouinciam totam, & Regnum commoueret; ac periculum propterea eſſet, non vnum aut duos homines propterea perituros, ſed totam etiam Gentem, niſi è medio ipſe tolleretur; ac propterea potiùs ipſum morte dignum eſſe, quàm Barabbam; eò quòd maior illo eſſet peccator; ſi quidem blaſphemus, præſtigiator, & Moyſis legis inimicus eſſet. Quod totũ Chriſtus Dominus cognoſcebat, eratq; illi valde graue, videre falſos illos prædicatores, ſimplicem plebem decipere, & verum ſenſum ac iudicium, quod illa habebat, auferre.

c *Mat.* 27. 20.

Sacerdotũ ambitus pro Barabba.

III. PERPENDAM denique magno cordis mei dolore, quòd *Barabbas* tot habeat patronos & agentes, ſiue negotiorum ipſius ſtrenuos ſolicitatores qui ei fauent, eumque defendunt, & populum prenſant, etiamſi in cauſa iniuſtiſsima; nec defuerunt illi amici & cognati, qui ſimul cum ſacerdotibus, eius cauſam agerent: at Chriſtus Dominus noſter, adeò ſolus eſt, atq; deſertus, vt nullum habeat, qui audeat vel populum de eius innocentia informare, vel aliquod verbum, pro eo loqui; etiamſi eius cauſa eſſet iuſtiſſima; iudexq; ipſe, ad ei fauendum valdè propenſus; nullum habet amicum, nullum diſcipulum, cognatum, aut hominẽ aliquem, ex plurimis, quibus plurima beneficia contulerat, qui pro eo vel verbũ loqui audeat. O pauperum protector & aduocate, cur nullus eſt, qui adeò iuſtam cauſam tuam propugnet? querelas tuas Domine, apud æternum Patrem tuũ depone dicens: d *tibi derelictus eſt pauper.* O Pater mi, tu ſolus protector es deſerti huius pauperis, & *orphano tu eris adiutor*: mitte de alto tuo cœlo aliquem qui patrociniũ mei ſuſcipiat, & in re tam graui cauſam meam agat. Sed infinita tua charitas, ô Saluator mi, deſertionem hanc tui libentiùs admittit, vt me ab ea liberes, quam peccatis meis ſum promeritus.

Barabbas habet patronos.

Pro Chriſto loquitur nemo.

Oratio

d *Pſal.* 9. 14.

PVN-

Digitized by Google

PVNCTVM II.

CVM Pilatus plebem vrgeret, vt vnum è duobus propoſitis eligeret, a ait illis: *quem vultis vobis de duobus dimitti? exclamauit autem ſimul vniuerſa turba, dicens: tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam.* — a Mat. 27. 21. b Luc. 27. 18

I. Barabbam Chriſto prælegerũt Iudæi

PERPENDENDA hic primùm eſt, extrema Chriſti Domini humilitas & abiectio; ſiquidem hominem adeò vilem, & omnibus deteſtandum habens in cauſa libertatis competitorem, reiectus ipſe fuerit, & magis libertate & vita indignus iudicatus, quàm Barabbas. O IESV dulciſsime, nunc aduerto, quàm verè dixeris: c *ego ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* omnes enim te reipſa abiiciunt, ac viliſsimum & abiectiſsimum totius populi hominem tibi præferunt. O ſuperbiam meam, quæ ſuper omnes conſcendere quæris; cur te hoc exemplo non humilias, demittis, omnibusque poſtponis? confunde Domine, & ſuperbiam hanc deiice: neq; enim par eſt, ex nunc eâ, coram tanta humilitate leuare caput. — c Pſal. 21. 7.

II. Inuidia & odium quã excæcent intellectũ.

DEINDE perpendam, quàm grauiter errent *hominum iudicia*, quæ in cauſa adeò clara, contra iuſtitiam & veritatem, & in manifeſtam Chriſti Domini iniuriam, ſuffragia ſua ferunt: Et quàm ſit potens inuidiæ odijque paſsio, ad excæcandum intellectum, & errores intolerabiles præcipitandum: quàm item homines ſint inconſtantes, facileque patiantur ſe decipi; ſiquidem qui ante paucos dies, altis vocibus clamarunt, Chriſtũ eſſe Saluatorem, & Regem Iſrael; nunc contra, magnis clamoribus, eum dicunt eſſe Barabbâ ſceleſtiorem. Ex quo diſcam ego, nullam iudiciorũ hominum rationem ducere, aut permittere ab eis me deduci, ſiue me laudent, ſiue vituperent: & hoc exemplo Chriſti me conſolabor; ſi quando in ijs quæ aſſequi cupio, etiam iuſtè videro, me repelli; certo mihi perſuadens, in vita æterna quærenda, non hominum, ſed ſupremi Iudicis, qui ab omni perturbatione & fraude liber eſt, ſuffragium profuturum. Gratias tibi Deus æterne, quod libertatem meam, & animæ meæ ſalutem, non in hominum affectibus collocaueris; nec ab adeò errantibus iudicijs, & quæ tot paſsionibus ducuntur, eam pendere volueris. Fac me, Domine, ita omnib. illis ſuperiorem vt vana illorum iudicia ſpernens, tui ſolius rationem & curam habeam; ſiquidem reuera nec bonus, nec malus ſim, propter ea, quæ homines de me dixerint, ſed propterea, quòd ſim talis coram te.

Iudicii mundani inſtabilitas.

III. Peccator Barabbam præponit Chriſto.

DENIQVE perpendã, quoties DEVM *offendo*, toties in corde meo ſimile peruerſum iudicium huic Iudæorum iudicio tranſigi. Tentatio enim quæ me ad peccandum inſtigat, non aliud eſt, quam interrogatio; quæ mihi proponitur, vtrum pluris faciam, Chriſtum ne an Barabbam? Deum ne, an creaturam? eiuſne honorem, an proprium? cumque hæreo ac dubito, vtrum eligere velim, accedit Dæmon, & ipſa caro,

Digitized by Google

ſuggeſtionibus & rationibus plauſibilibus, vt perſuadeat, Chriſtum relinquere, & tandem cum tentationi ſuccumbo, idem facio, atque ſi Barabbam eligerem creaturam, ſenſuum voluptatem, aut honorem inanem, cum magna Dei iniuria, & Chriſti eiuſque excellentiæ contemptu, atque inſigni ingratitudine, ad tot beneficia, quæ in me contulit. Ex quo merito erubeſcam, meque Iudæis peruerſiorem iudicabo; ſiquidem verã habens fidem, qua noui, quis Deus, & quis Chriſtus ipſe ſit, ipſum tamen cõ-
ratio temno, & abijcio pro re viliori, quam ſit ipſe Barabbas. O cœleſtis Patris
Io. 8. 44. Vnigena, qui Barabbæ, quòd ſignificat Filium Patris, non cœleſtis, ſed terreni, collatus; eius comparatione reprobatus fuiſti ab ijs, *qui ex Patre diabolo erant, & deſideria Patris ſui facere volebant*; ne patiaris, talem me proditionem, atque hæc eſt, in anima mea admittere; ſed concede, vt ſemper viuam, ſicut frater tuus, & æterni tui Patris filius: reprobans quidquid tu reprobas; approbans verò, quod probas; te præ rebus omnibus creatis æſtimans, ſiquidem omnibus illis infinitè es amabilior.

PVNCTVM III.

Matt. 17. OBSTVPVIT Pilatus, cùm audiuit turbam, elegiſſe Barabbam, a *ac*
: *dixit illis: quid igitur faciam de IESV, qui dicitur Chriſtus? dicunt omnes,*
Luc. 23. 22 *crucifige.* b *Ait illis Præſes: quid enim mali fecit? nullam cauſam mortis inuenio in eo: corripiam ergo eum, & dimittam. At illi inſtabant vocibus magnis, poſtulantes, vt crucifigeretur.*

I. Pilati puſillanimi- tas pro Iuſtitia.

PERPENDENDA hic primùm eſt *præſidis puſillanimitas*, qui innocentiam Chriſti cognoſcens, non tantum animi habuit, vt illum pro officio liberaret; ſed furentem turbam interrogat, quid velit fieri de Chriſto; conſtituens hac ratione, eos iudices illius, quem odio proſequebantur, & per inuidiam illum ipſi tradidiſſent: quod totum, in maiorem ipſius Saluatoris ignominiam ceſsit.

II. Peccata ſunt quæ clamant, crucifige.

DEINDE etiam perpendendum, quàm graues Chriſto Domino noſtro fuerint voces illæ, adeo rabidæ, & toties repetitæ, *crucifige, crucifige*: quibus non quamcunque eius mortẽ, ſed mortem adeò crudelem, qualis eſt crucis expetebant. O mundi Saluator, in quantas anguſtias, mea peccata te coniecerunt? illa enim ſunt, quæ clamabant, crucifige, crucifige: nam te cruci affixo, & ipſa ſimul affigentur, & morientur in cruce; iuxta illud Apoſtoli: c *quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati.* Ita quæſo, mea peccata macta Domine, vt amplius in anima mea non viuant, *nec vltra ſeruiam peccato*: aut ſimilis aliquando clamor,
d Heb. 6. 6. ex anima mea prodeat, d *rurſum crucifigens mihi met ipſi te filium Dei.*

(∴)

MI-

MEDITATIO XXXV.

DE CHRISTI AD COLVMNAM *flagellatione.*

PVNCTVM I.

a Matt. 27. 26. Mar. 15. 15. Ioan. 19. 1. Luc 23. 16. Pilatus iubet Chriſtum flagellari.

I.

VIDENS Pilatus, pertinaciam turbæ in petendo, vt Chriſtus crucifigeretur, a *dimiſit illis Barabbam,* & primam contra Chriſtum ſententiam tulit, vt *flagellaretur:* quem mox militibus tradidit, vt eam ſententiam ſtatim exequerentur.

PERPENDENDAE ſunt primum *cauſæ*, quæ Pilatũ permouerunt ad hanc ſententiam de Chriſto flagellando, quæ duæ fuerunt potiſsimum; ALTERA, vt videret, num fortè hac flagellorum pœna, turba ita emolliretur, eiq; ſatisfieret, vt à morte Chriſtus liberaretur: quam cauſam inſinuauit ipſe, cùm ad turbæ clamores petentis, vt Chriſtus crucifigeretur, dixit, b *nullam cauſam mortis inuenio in eo: corripiam ergò illum, & emendatum dimittam.* quare facilè credi poteſt, eum militibus iuſsiſſe, vt crudeliter flagellarent, & ita tractarent, vt quicunque illum viderent, compaſsione tangerentur.

b Luc. 23. 16. 22.

II. Romani cur ſoliti flagellare crucifigendos.

ALTERA *cauſa* fuit, vt ſi etiam eſſet crucifigendus, flagella mortem præceſsiſſent, ex lege Romanorum, quæ id ſtatuebat; quò aſpicientes crucifixum nudum, non offenderentur; ſed compaſsione potiùs mouerentur, videntes vulneratum. Sunt verò, qui contemplentur, Chriſtum Dominum bis fuiſſe flagellatum: PRIMVM, ob *primam* cauſam: DEINDE ob *ſecundam,* quando fuit reipſa ad crucis mortem condemnatus. Quicquid verò de hoc fuerit ſententia illa, tũ fuit iniuſtiſsima & crudeliſsima; tum ignominioſiſsima: ſciebat enim ipſe iudex, Chriſtum eſſe innocentem: & nihilominus ad flagella ſuſtinenda eum condemnauit: quæ pœna tum erat infamis, & latronum ac mancipiorum propria, & crudele ſupplicium, quo ſanguis innoxius horrendis doloribus effundebatur: tum reipſa, turbæ iudicium & electio comprobatur, qua Barabbam elegerat, vt Chriſtus morti traderetur; ſiquidem reipſa ita illum tractari iubebat, ſicut Barabbas ob ſua furta & latrocinia, tractari dignus fuerat.

S. Hierony. in hunc locum. Gerſon. in Monoteſ. c. 146 rubr. 6.

III. Chriſtus cur paſſus ſe flagellari.

Et quamuis talis eſſet illa ſententia, Chriſtus tamen Dominus; ita in corde ſuo illam acceptauit, vt nec appellauerit ab ea, nec ſupplicauerit, nec verbum aut querelam vllam dixerit, aut vllum ſenſus iudicium cõtra eam oſtenderit; ſed potiùs corpus ſuum libenter obtulit ad *flagella*

Iſai. 53. 5. ſuſtinenda, in ſatisfactionem pro noſtris peccatis: c *ipſe enim* (vt ait Iſaias) *vulneratus eſt* in toto ſuo corpore, *propter iniquitates noſtras*, vt omnia animæ meæ vulnera, ita ſanarentur; & ego prouocarer ad illud diligendũ, & illi ſeruiendum. Aperiens enim mihi viſcera ſua flagellis lacerata, ad hoc me obſtrinxit, vt ego illi mea offerrem, cum omnibus affectibus meis. Eſt verò meritò credendum, Chriſtum Dominum noſtrum, eleuaſſe tunc oculos in cœlum, Patrique ſuo æterno dixiſſe verba illa Dauidis: d *quoniam ego in flagella paratus ſum*; quia ita tu ſtatuiſti. Corpus quidem meum, debuit eſſe immortale & impatibile, ad quod e *malum*, nullum pœnæ *accederet*, & *flagellum non appropinquaret tabernaculo meo*, in quo habitat anima mea; tua tamen prouidentia ita ſtatuit, vt f *corpus meum ita aptaretur*, vt & pati poſſem, & flagellis cædi, & ex tunc ad ſuſtinenda, ſum paratus, vt g *quæ non rapui, exoluerem*; vt à pæna, quam erant promeriti, qui honorem tuum rapuerunt, illos liberarem. Gratias tibi, ô dulciſsime Redemptor, quòd adeò crudelem, infamem, & iniuſtam ſententiam acceptaueris; ecce Domine, me ob tuum amorem, ad flagella præparatum, animo acceptandi ſententiam, quam tuleris contra me; quæ neque iniuſta erit, quia peccata mea illam promeruerunt: nec infamis erit, aut crudelis, ſiquidem erit à Patre, qui h *quem diligit, corripit*, vt ſeſe emendet.

d Pſal. 37. 8
e Pſal. 90. 10.
f Pſal. 39. 7. Hebr. 10. 5.
g Pſal. 68. 5
Oratio
h Prou. 3. 12 Hebr. 12, 6.

PVNCTVM II.

Chriſtus ſpoliatur veſtibus, & rubore ſuffunditur.

EA ſententia audita, milites magna inſolentia Chriſtum accipientes, & in atrium quoddam deducentes, veſtibus ſuis eum ſpoliarunt, etiam tunica inconſutili.

I. In quo facto conſiderabo *primùm*, quanto rubore affectus fuerit pulcherrimus ille iuuenis, & excellentiſsimus Dominus, cùm ſe nudum in conſpectu tot militum videret; & audiret irriſiones, quibus illi tanto pudore ſuffuſum irridebant. Eam ignominiam & irriſionem patientiſſimè ille tulit, tum in pænam impudentiæ, qua ego ipſius gratiæ veſte meipſum nudaui: tum vt eâ, tanquam pretio, ſacram hanc veſtem compararet, qua miſeranda nuditas mea cooperiatur. O amantiſsime Domine, qui a *ſuades mihi, emere à te aurum ignitum* charitatis, *vt locuples fiam*; & *veſtimentis albis* virtutum indui, *vt non appareat confuſio nuditatis meæ*, & ab æterna confuſione liberer; quam, quòd eis me ſpoliaſſem, promeritus eram. En in pretium nuditatis & ruboris, quo propter eam afficeris, offero tibi cor meum, & certam animi reſolutionem, exuendi me ab omni re terrena: per eundem tuum ruborem ſupplico, vt gratia tua diuina, ita me induas, vt non incidam in confuſionem æternam.

Oratio
a Apoc. 3. 18

II. Licet etiam conſiderare, quòd, vt aliqui dicunt, milites Chriſtum

Digitized by Google

Dominum noſtrum fortiſsimè ad *columnam* alligarunt, brachiis in altũ extenſis, quò faciliùs pro ſuo libitu totum corpus ferire poſſent: quod ſine dubio grauioris fuerit tormenti. nam & pedes inferiùs, & manus ſuperiùs crudeliſsimè ligauerunt; qui tamen, etiamſi funibus illis ligatus non fuiſſet, erat ipſe amoris funibus fortiùs conſtrictus, & paratus, permittere ſe flagellis excoriari, remedij noſtri cauſa. b O Agne innocentiſsime, qui, admiranda manſetudine permittis te à crudelibus iſtis *tonſoribus* ligari, non ſolùm, vt lanam, hoc eſt, ſacra tua veſtimenta tibi auferant; ſed etiam vt delicatiſsimum tuum corpus, forficibus crudelium flagellorum totum excorient, dolorem iſtum tantum te ita ſuſtinente, & *obmuteſcente, vt nec aperires os tuum!* Supplex te oro, vt me tecum liges, c *vinculis charitatis* adeo ſolidis, vt nulla flagella aut labores temporales à te vnquam exoluere poſsint. Amen.

Chriſtus columnæ quomodo alligatus.

b *Iſai.* 53. 7.

c *Oſea* 11. 4

Pvnctvm III.

Ligato iam Chriſto ad columnam, cœperunt carnifices illi, inaudita crudelitate, eum flagellare. *Tria* verò (vt quidam aſſerunt) diuerſa fuerunt huius *flagellationis inſtrumenta*, quibus diuerſi carnifices vſi ſunt; vno poſt alterum, eum feriente: Primvm fuit, *virides virgæ ſpinoſæ*: Secvndvm, *ſcuticæ è loris* ſeu *neruis boum* confectæ, in quarum extremitatibus, aculei ferrei erant acutiſsimi: Tertivm, *catenulæ ferreæ* quibus carnes ita lacerabantur, vt coſtarum oſſa nudarentur. His itaque inſtrumentis, Chriſti dorſum verberantes: primùm ictuum vi liuidum, mox ſubtilior pellis lacerata, demum & ipſa caro ita ſciſſa & fracta fuit; vt ſanguinis riuuli, ad terram vſque difluerent, & eadem crudelitate, reliquas corporis partes, nec brachiis, nec pectori, nec humeris parcentes, vſque ad ipſa oſſa diſcooperienda, verberabant. Sicut itaque totum corpus myſticum illius populi (Iſaia teſte) a *à planta pedis, vſque ad verticem,* ita languebat, *vt non eſſet in eo ſanitas,* à minimo vſque ad maximum, propter vulnera peccatorum: ita corpus ipſum Chriſti Domini noſtri à plãta pedis, vſque ad verticem capitis, nullam partem à vulnere immunem habuit: ſed tanquam leproſum, totum erat vulneratum: quem Iſaias in ſpiritu videns, de eo dixit: b *non eſt ſpecies ei, neque decor; & vidimus eum, & non erat aſpectus,* aut quod deſiderari poſsit, *deſpectum & nouiſsimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus: vnde nec reputauimus eum. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit; & nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à* Deo, *& humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.* O ſi tantum luminis cæleſtis mihi eſſet,

Salmeron. tom. 10. tract. 29.

I. Flagellatus Chriſtus, virgis, loris, catenulis.

Flagellationis Chriſti crudelitas.

a *Iſaia* 1. 6

b *Iſaie* 53. 2

Chriſti flagellati ſpecies.

Oratio

vt con-

bant; maximè verò cùm viderent, Chriſtum Dominum adeò patienter ſuſtinere, vt nec ſignum quidem querelæ aut indignationis daret; & fortè contentioſè verberabant, vt exclamationem aliquam, aut indignationis iudicium extorquerent.

3. Verberum multitudo. S. Gertrud. lib. 4. diui. Inſinuat. c. 35. ait fuiſſe 5466. Coſterus Medit. 24. de Paſsione. i Deut. 25. 3. k 2. Cor. 11. 24.

TERTIA fuit circumſtantia, ob *multitudinem verberum*, ac *verberantiũ*, multi enim dicunt, fuiſſe plus quam quinque millia ictuum, quòd de hoſtium crudelitate facilè licet præſumere. Non enim ſeruabatur cum Chriſto lex, quæ prohibebat i *plagarum numerum excedere quadragenarium*; aut vt S. Paulus de ſeipſo fatetur, vt k *vnâ minus* eſſet, ſed multos numeros quadragenarios ſuſtinuit, pœnitentiam agens, quam noſtra peccata merebantur. Et hæc eſt QVARTA circumſtantia, ex parte ſcilicet noſtrorũ peccatorum, quæ & innumera erant, & grauiſsima. quamobrem verbera, quæ pro illis offerebantur, oportebat eſſe innumera & atrociſsima.

III. Inuictã Chriſti patientia.

Ex his ergo conſiderationibus, æſtimare debeo *inuictam* Chriſti Domini *patientiam*; vt qui nullum externum dederit indicium turbationis aut tædij; ſed inſtar duriſsimæ incudis, crudeliſsimos ictus ſuſcipiens, eos æterno Patri, pro noſtris peccatis obtulit amore adeò vehementi; vt quãuis verbera fuerint plurima, optaret multò plura & acerbiora perferre, ſi noſtrum remedium id exegiſſet; ideoque nunquam dixit, ſatis eſt; donec ipſa inimicorum rabies ſatiaretur, & iuſtitiæ Dei fieret ſatis. Ex quo magnum concipiam horrorem meorum peccatorum, quæ tanti ſupplicij cauſa fuerunt; magnumque deſiderium, eadem pœnitentiis & diſciplinis in meipſo caſtigandi.

Pia Chriſti flagellati Meditatio.

Ac denique ad huius Domini pedes, prope ipſam columnam, me conſtituens; cernensq; eius deſertionem, & neminem adeſſe, qui ipſius vicem doleat, aut ei compatiatur, & quod ex omnibus corporis partibus ſanguine defluente, ipſe debilitetur; nunc ſpiritu oſculabor terram, ſanguine Domini & Creatoris mei madidam; nunc ipſa flagella, pretioſo illo ſanguine madentia cordi meo applicabo; ſupplicans, vt inordinatarũ affectionum mearum vulneribus medeatur; ſuoque diuino amore ipſum cor meum vulneret, tùm ſacram ipſam columnam ſummâ reuerentiâ complectens ac ſalutans dicam.

Columnæ amoroſa amplectatio. Oratio.

O felicem *columnam*, in qua & alligatus, & verberatus is fuit, qui eſt totius mundi columna, & omnium quæ ſunt creata, fortitudo! O columnam ſupremam, dolatam & tinctam pretioſo ſanguine Filij Dei, qui effuſus eſt, vt homines l *faceret firmas columnas, in templo Dei* viui! O vtinam tibi eſſem alligatus, vt ſanguine iſto tinctus, & madens, ipſe fierem columna firma, in eius obſequio qui tanta mei cauſa in te ſuſtinuit. O columnæ Cœli, quid facitis, cur non contremiſcitis præ ſtupore, videntes Deũ veſtrum, in iſta columna verberari? O columna firmiſsima, cui totus mundus innititur, compatere tibi ipſi: m *induere fortitudinem brachium Domini*, quo modo ita exangue

l Apoc. 3. 12. m Iſai. 51. 9.

ac debilitatum manes,& in periculo omninò deficiendi? ſed quoniam id totum propter mea peccata ſuſtines, corrobora me tuâ gratiâ, vt illa ipſe caſtigem; & me ab eis emendem.

IV. Compaſſiua contemplatio Chriſti poſt flagellationem cadentis in terram, & quaſi repentantis ad veſtimenta ſua. Oratio.

VLTIMO perpendam,quòd expedita hac,adeò iniuſta & impia ſentẽtia, milites illi Chriſtum Dominum *ſoluerint*, quem propter *defatigationem* ac *debilitatem*,ob tantam ſanguinis, qui ex vulneribus fluxerat, copiam: credibile eſt,cecidiſſe in terram: & quoniam veſtimenta, remotiùs à loco iacebant,ipſe nudus,& prout poterat,quaſi repens,& ſanguine ipſo, qui circum circa columnam effuſus erat,ſeipſum iterum madefaciens, ad locum tandem vbi veſtes erant perueniens: illas induit: eò quòd carnifices illi,ſiue ob crudelitatem,ſiue ob deſpectum & deriſionem, vt illas indueret, non iuuabant: hoc totum inquam piè contemplari poſſum,tactus compaſsione,ob tantam huius Domini tum debilitatem, tum ab omnibus deſertionem. O Rex cæleſtis,qui omnes creaturas, in ſuis actionibus adiuuas: quia ſine te,nihil illæ facere poſſunt;quomodo neminem habes, qui te in hac neceſsitate adiuuet? O Sacra veſtimenta, quæ veſtro contactu effec ſtis; vt n *mulieris, quæ fimbriam veſtram tetigit, confeſtim ſteterit fluxus ſanguinis, & o quicunque vos tangebant, ſalui fiebant*; ſanate nunc vulnera mei Saluatoris,& ſiſtite ſanguinis eius fluxum: vt vires ei ſuppetant, ad noſtram redemptionem,ad finem vſq; perducendam. O vtinam præſens adfuiſſem, vt ei miniſtrarem! quamuis ad eius leuamen, proprium meum ſanguinem effundere opus fuiſſet: accipe tamen nunc Deus meus bonam hanc voluntatem, quam mihi dediſti, illamque ita corrobora, vt quæcunque potero,in tuum ſemper obſequium præſtem: deſiderando, multò etiam plura,quàm præſtare poſsim, efficere.

n *Luc.* 8. 44.
o *Mar.* 14 36.

MEDITATIO XXXVI.

DE CORONATIONE SPINEA, ET CAETERIS irriſionibus, quæ ſecutæ ſunt.

PVNCTVM I.

Coronatio ſpinea, & decoroſa, & ignominioſa.

MILITES,qui Chriſtum verberauerant,à Dæmone inſtigati, *nouum* aliud *tormentorum genus* adinuenerunt, quo non minus doloris inferrent,quàm adferrent ignominiæ, quæ vt maior eſſet, totam cohortem,ſiue milites ad cuſtodiam deputatos,conuocarunt,vt ſpectaculo huic & ludibrio,quod Chriſto Domino,in eius honoris & quietis detrimentum inferre ſtatuerãt, adeſſent; qui omnes libenter adfuerunt,tempus fallendi gratia.

I. CIRCA quod factum,perpendam in primis inſatiabile Chriſti Domi-

Digitized by Google

ni,pro nobis *patiendi deſiderium*: ex eo enim prouenit, vt voluerit, excogitari aduerſum ſe,nouos iniuriarum & tormentorum modos:nec eſſet cõtentus communibus & ordinariis; vt hac ratione magis amorem ſuum erga nos pateſaceret,& peccatorum noſtrorum grauitatem oſtenderet. Sicut enim homines, ab amore proprio agitati,nouos ſemper modos inueniunt,propriæ voluptatis & honoris intuitu,Deum offendendi:ita Chriſtus à diuino ſuo amore actus,voluit excogitari & adinueniri nouos ſuppliciorum modos,contra talia hominum peccata,& rationes nouas, ſanguinem ſuum effundendi: vt pro eiſdem ſatisfaceret:qualis illa fuit, qua in horto ſanguinem ſudauit.Gratias tibi ô dulciſsime IESV,ob hanc charitatis tuæ excellentiam,qua nos dilexiſti: optimè tibi conuenit nomen IVSTI, qui tot modos excogitas & inuenis, vt iuſtitiam promerearis, qua nos iuſtos efficias.Ex animo tibi congratulor, ob huiuſmodi amoris adinuentiones,ideoque tibi,qui eminenter es IVSTVS, dicam cum Propheta ESAIA: *quoniam fructum adinuentionum tuarum comedes*,dum per illas innumeras animas conquires & lucraberis.

Inſatiabile Chriſti deſideriũ patiendi nouos permittit excogitari ſuppliciorum modos.

Sic luit noſtras amoris proprii adinuentiones.

Chriſtus præcellenter Iuſtus.

Iſaia 3. 10.

II.

DEINDE *iniquitas* illorum *carnificum* eſt expendenda, qui Satanæ inſtinctu, tantam hominum turbam conuocarunt,vt Chriſto illuderent, & eius ludibriis intereſſent: & ſimul compaſsione ducar, ob tantam huius Domini humiliationem,quæ eò peruenerit,vt eſſet hominum riſus: deteſtabor verò eos,qui alios ad offendendum ipſum Chriſtum, & eius opera irridenda inducunt; ego verò,Saluator mi,cupio tanto huic ſpectaculo ſpiritu intereſſe,non ad te irridendum ſicut milites:ſed ad opera tua meditanda, & vt tuas adinuentiones exactiùs perpendens, tum ad tuorũ dolorum compaſsionem, tum ad propriorum tolerantiam permouear. Hoc ſpiritu conſiderandi ſunt mihi labores,& cruciatus, quos Chriſtus Dominus poſt verbera, in eodem Prætorij atrio ſuſtinuit, qui ad ſex referri poſſunt, qui ſibi ordine ſucceſſerunt.

Poſt flagellationem ſex genera iniuriarũ ſuſtinuit Chriſtus in Prætorio.

PVNCTVM II.

PRIMA iniuria Chriſto poſt flagellationem illata, fuit, quòd ſacris eius veſtibus a *eum exuerint*. eſt autem fas credere, quoniam hoc milites intendebant, vt tota turba vulneratum eius corpus videret: eũ etiam tunica inconſutili exuiſſe, *nudumquè* omninò conſtituiſſe: ex quo & maximum dolorem,& inſignem ignominiam ille ſuſtinuit:dolorem quidem,quia iam veſtes carni adhæſerant,ob recentem ſanguinem, qui fluebat,cùm illas poſt flagellationem induit:item quia de militum crudelitate facilè præſumi poteſt,quòd violenter,& nulla tacti compaſsione, veſtes abſtulerint: Ignominia ipſa fuit etiam magna, quòd in tot militũ conſpectu,ſe omninò nudum conſpiceret,vt in meditatione proxima etiam perpendimus.

I.

a *Matt*.27. 28.

Veſtium detractio cum dolore & ignominia.

Digitized by Google

II.

b Matt. 27. 18. c Mar. 15. 16. c Ioan. 19. 2. Purpureæ veſtis circumdatio. d Cant. 5. 10.

HVIC iniuriæ SECVNDA ſucceſsit. Nam b *chlamydem coccineam, ſiue* c *purpuream veſtem circumdederunt ei:* quæ veſtis talaris erat & propria aliàs Regum; ſed Chriſto eam circumdederunt, vt illi illuderent, & falſum fictumque Regem notarent. Quod itaque mundus honoris loco habebat, id in Chriſti ludibrium conuertit; vt ſpectaculum quoddam, ſiue comicam Regis actionem, in eo exhiberet. O animarum Sponſe, de quo Sponſa dixit: d *dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus*, propenſiſsimum te video ad hos dolores, non intuitu honoris, ſed opprobrij & contumeliæ: in Palatio ſiquidem Herodis *veſte alba* indutus fuiſti; apud Pilatum, *purpurea*: his tuis opprobriis, nobis promerendo innocentiæ candorem, & purpuram charitatis. Adiuua me Domine, vt hæc tua inſignia, & ignominioſam purpuram, ſemper magni faciam, ignominiam

Purpurea veſtis, quid denotet.

1. reputans, quidquid mundus honorem æſtimat; honorem verò iudicans, quidquid ille reputat ignominiam.

2. DENIQVE conſiderare poſſum, *talarem* hanc *purpuram* ſignificare ſanguinea noſtra peccata, quæ ipſi Chriſto fuerunt impoſita; quæ magis illum premebant, & maiori ignominia afficiebant, quàm fuerit huius pur-

3. puræ ignominia. Præcipuè verò eadem *purpura* ſignificabat ea opera, quæ in ſpecie quidem, bona & eximia apparent, in conſpectu verò Dei, impia ſunt & deteſtanda, propter intentionem huius mundi, quem qui illa faciunt, intuëtur, ideoque quibus operibus, Chriſtum Dominum honorare debuimus, eiſdem contemnimus & irridemus. O Deus animæ meæ, ne permittas, vt tali te veſte induam: nec pro me eam accipiam: quod ſi purpura ſit mihi quærenda, ea ſit ignitæ e *charitatis* qua *operiam* turpitudinem

e 1. Pet. 4. 8. & *multitudinem peccatorum* meorum, vt diuinis tuis oculis placeam, Amen.

PVNCTVM III.

a Matt. 27. 29. Ioan. 19. 2. Spineæ coronæ impreſſio.

TERTIA fuit iniuria, quod a *plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius*, non auream, aut argenteam, aut è roſis aut floribus contextam, ſed acutiſſimis *ſpinis* impoſuerunt; quæ totum caput occupabat: quam cùm valdè furioſè, & impetu magno imponerent, ſpinæ eius ſacrum caput ex omni parte, ita pupugerunt, vt ex vulneribus magna ſanguinis copia effluxerit.

I. Coronationis ignominia.

CIRCA hanc coronam, conſideranda eſt primò *ignominia* huius *coronationis*, & ingens eius dolor, cuius vtriuſque corona hæc fuit inſtrumentum, impoſuerunt enim eam ad *illuſionem*, loco eius quam Re-

1. gibus, & iis qui triumphum de ſuis hoſtibus agunt: & iis quos vt *deos* ve-

2. nerabantur, imponere conſueuerunt: vt hac ratione oſtenderent, in his tribus dignum eſſe CHRISTVM, cui illuderetur: erat enim Regulus & fictus DEVS, & proximè delatus ei triumphus fuerat inanis.

Sed

Sed talis fuit irriſio, vt ſimul crudeliter cruciaret. Nam quoniam ſpinæ plurimæ erant,& acutiſsimæ, caput lacerabant,& ſanguinem extrahebāt, quem verbera reliquerant in nobiliſsima totius corporis parte: fluenſq; per oculos & faciem,illam offuſcabat, & deturpabat, ipſum verò ſacrum caput frontemque grauiſsimo dolore cruciabat. Et dolor.

SVRGE itaque anima mea, & ſpiritu b *egredere, & ſicut vna ex filiabus Sion,vide verum hunc Regem Salomonem, in diademate, quo coronauit illum mater ſua*,aut potiùs nouerca Synagoga, ornans illum *in diem deſponſationis illius*, quam in crucis thalamo,paulò poſt erat celebraturus. b *Cant*.3.11

O Rex æterne, qui c *gloria & honore coronaſti hominem, & omnia ſubiecisti ſub pedibus eius*, tanquam eorum Regis,quomodo tu coronatus nunc es ab hominibus, ignominiæ corona,& doloris! O ingratitudinem,& inhumanam hominum aduerſus DEVM,feritatem! O ineffabilem DEI aduerſus homines manſuetudinem & bonitatē! DEVS illos gloria coronat,ipſi illum ignominia: ille miſericordiarum ſuarum magnitudine,illi feritate crudelitatum! Quomodo,igitur anima mea,iſtæ ſpinæ cor tuū nō pungūt? Quomodo non copioſam aquā,ex capite tuo,& fontē lachrymarū, ex tuis oculis non educunt, cùm videas,talibus ſpinis punctum Regem cœlorū, vt æterni regni coronam tibi promereatur! O verè Rex Salomon, qui ad celebrandum cum animabus,deſponſationem,ſpinis coronaris,meā quæſo eiſdem ſpinis corona, quo talis deſponſationis particeps eſſe merear. O ſacra IESV corona,quamuis mundo ſis tremenda,ego tamen te & reuereor & adoro, tanquam DEI mei coronā. O ſacratiſsimæ ſpinæ, ſi & ego cuſpidibus veſtris punctus fuiſſem: vt vulnera,quæ in illo capite feciſtis, medelam meis vulneribus adferrent. c *Pſal*.8.6. Ingratitudo hominū peccatorū. Coronæ ſpineæ ſalutatio.

II.

DEINDE meorum *peccatorum grauitatem* perpendam, præcipuè ſuperbiæ,& ſenſuum voluptatis, quæ tremendæ huius coronationis cauſa fuerunt. Illæ.n. ſpinæ fuerunt, quæ venerandū illud caput grauius multò pupugerunt atque torſerunt, quàm illæ aliæ. Nam quia ego d *roſis*; & floribus *me coronaui*, vt meas delicias quærerem, coronatus eſt meus Saluator ſpinarū corona: quia ego e *coronam ſuperbiæ* quæro,vanos honores ambiendo: vult Dominus meus,humiliationis coronam, cum ingenti dedecore, ſibi accipere. Eia igitur,anima mea, accipe omnia peccata tua, quæ ſunt ſpinæ pungentes Redemptorem tuum,& pænitentiæ, ſenſuumque mortificationis, ſpinis cor tuū punge: propterea,quod illa admiſeris: & quandoquidem tuum caput,quod Chriſtus eſt,ſpinis coronatur; pudeat te eius corporis membrum,floribus coronari,vitam tuam in deliciis & vanitatibus ducens. Peccata noſtra ſunt ſpinæ. d *Sap*.2.8. e *Iſaia* 28.1. Imitatur Chriſtum ſpinis coronatur qui mortificationi incumbit.

III.

TERTIÒ, myſterium *coronæ* huius, Chriſti capiti infixæ,perpendam: quæ & ſi ex mente tortorum, in opprobrium & cruciatum fuit impoſita: Coronæ ſpineæ myſterium.

dedecori tribuitur, quod quis cum homine aliquo vili, aut conditione ſibi non pari congrediatur, aut conferatur: & tamen Chriſtus Dominus noſter, confertur cum homine totius plebis viliſsimo: vt in rebus omnibus, humilitatis nobis præberet exemplum. O bone IESV, quàm iure optimo conqueri potuiſſes, ac dicere, quod ante dixeras per Prophetam: b *cui aſsimilaſtis me & adequaſtis?* ſed video Domine, maiorem adhuc iniuriam te expectare, quia noſtra ſuperbia, maiori adhuc humiliatione eſt curanda.

b Iſa. 40. 25.

II. c Mat. 27. 20.

Cvm populus hæreret, quem è duobus propoſitis ſibi eligeret, c *Principes Sacerdotum & ſeniores perſuaſerunt populis, vt peterent Barabbam, IESVM verò perderent.* Circa quod conſideranda eſt Sacerdotum, maledictorum Seniorum ſolicitudo in prēſando populo, & ad peruerſam ſuam ſententiam deducendo: facilè enim credi poteſt, illos in varias partes diſtributos, iam cum his, iam cum illis egiſſe, mala plurima, de Chriſto eis dicentes, quod magis ipſe ſeditioſus, & homicida eſſet, quàm Barabbas: ſiquidem non ciuitatem vnam modò, ſed prouinciam totam, & Regnum commoueret; ac periculum propterea eſſet, non vnum aut duos homines propterea perituros, ſed totam etiam Gentem, niſi è medio ipſe tolleretur; ac propterea potiùs ipſum morte dignum eſſe, quàm Barabbam; eò quòd maior illo eſſet peccator; ſi quidem blaſphemus, præſtigiator, & Moyſis legis inimicus eſſet. Quod totũ Chriſtus Dominus cognoſcebat, eratq; illi valde graue, videre falſos illos prædicatores, ſimplicem plebem decipere, & verum ſenſum ac iudicium, quod illa habebat, auferre.

Sacerdotũ ambitus pro Barabba.

III. Barabbas habet patronos.

Perpendam denique magno cordis mei dolore, quòd *Barabbas* tot habeat patronos & agentes, ſiue negotiorum ipſius ſtrenuos ſolicitatores qui ei fauent, eumque defendunt, & populum prenſant, etiamſi in cauſa iniuſtiſsima; nec defuerunt illi amici & cognati, qui ſimul cum ſacerdotibus, eius cauſam agerent: at Chriſtus Dominus noſter, adeò ſolus eſt, atq; deſertus; vt nullum habeat, qui audeat vel populum de eius innocentia informare, vel aliquod verbum, pro eo loqui; etiamſi eius cauſa eſſet iuſtiſſima; iudexq; ipſe, ad ei fauendum valdè propenſus; nullum habet amicum, nullum diſcipulum, cognatum, aut hominē aliquem, ex plurimis, quibus plurima beneficia contulerat, qui pro eo vel verbũ loqui audeat. O pauperum protector & aduocate, cur nullus eſt, qui adeò iuſtam cauſam tuam propugnet? querelas tuas Domine, apud æternum Patrem tuũ depone dicens: d *tibi derelictus eſt pauper.* O Pater mi, tu ſolus protector es deſerti huius pauperis, & *orphano tu eris adiutor*: mitte de alto tuo cœlo aliquem qui patrociniũ mei ſuſcipiat, & in re tam graui cauſam meam agat. Sed infinita tua charitas, ô Saluator mi, deſertionem hanc tui libentiùs admittit, vt me ab ea liberes, quam peccatis meis ſum promeritus.

Pro Chriſto loquitur nemo.

Oratio

d Pſal. 9. 14.

Digitized by Google

PVNCTVM II.

CVM Pilatus plebem vrgeret, vt vnum è duobus propoſitis eligeret, ait illis: *quem vultis vobis de duobus dimitti? exclamauit autem ſimul vniuerſa turba, dicens: tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam.* a Mat. 27. 21. b Luc. 27. 18

I. Barabbam Christo prælegerũt Iudæi

PERPENDENDA hic primùm eſt, extrema Chriſti Domini humilitas & abiectio; ſiquidem hominem adeò vilem, & omnibus deteſtandum habens in cauſa libertatis competitorem, reiectus ipſe fuerit, & magis libertate & vita indignus iudicatus, quàm Barabbas. O IESV dulciſsime, nunc aduerto, quàm verè dixeris: c *ego ſum vermis, & non homo opprobrium hominum & abiectio plebis.* omnes enim te reipſa abiiciunt, ac viliſsimum & abiectiſsimum totius populi hominem tibi præferunt. O ſuperbiam meam, quæ ſuper omnes conſcendere quæris; cur te hoc exemplo non humilias, demittis, omnibusque poſtponis? confunde Domine, & ſuperbiam hanc deiice: neq; enim par eſt, ex nunc eã, coram tanta humilitate leuare caput. c Pſal. 21. 7.

II. Inuidia & odium quã excæcent intellectũ.

DEINDE perpendam, quàm grauiter errent *hominum iudicia*, quæ in cauſa adeò clara, contra iuſtitiam & veritatem, & in manifeſtam Chriſti Domini iniuriam, ſuffragia ſua ferunt: Et quàm ſit potens inuidiæ odijque paſsio, ad excæcandum intellectum, & errores intolerabiles præcipitandum; quàm item homines ſint inconſtantes, facileque patiantur ſe decipi; ſiquidem qui ante paucos dies, altis vocibus clamarunt, Chriſtũ eſſe Saluatorem, & Regem Iſrael; nunc contra, magnis clamoribus, eum dicunt eſſe Barabbâ ſceleſtiorem. Ex quo diſcam ego, nullam iudiciorũ hominum rationem ducere, aut permittere ab eis me deduci, ſiue me laudent, ſiue vituperent: & hoc exemplo Chriſti me conſolabor; ſi quando in ijs quæ aſſequi cupio, etiam iuſtè videro, me repelli; certo mihi perſuadens, in vita æterna quærenda, non hominum, ſed ſupremi Iudicis, qui ab omni perturbatione & fraude liber eſt, ſuffragium profuturum. Gratias tibi Deus æterne, quod libertatem meam, & animæ meæ ſalutem, non in hominum affectibus collocaueris; nec ab adeò errantibus iudicijs, & quæ tot paſsionibus ducuntur, eam pendere volueris. Fac me, Domine, ita omnib. illis ſuperiorem vt vana illorum iudicia ſpernens, tui ſolius rationem & curam habeam; ſiquidem reuera nec bonus, nec malus ſim, propter ea, quæ homines de me dixerint, ſed propterea, quòd ſim talis coram te.

Iudicii mundani inſtabilitas.

III. Peccator Barabbam præponit Christo,

DENIQVE perpendã, quoties DEVM *offendo*, toties in corde meo ſimile peruerſum iudicium huic Iudæorum iudicio tranſigi. Tentatio enim quæ me ad peccandum inſtigat, non aliud eſt, quam interrogatio; quæ mihi proponitur, vtrum pluris faciam, Chriſtum ne an Barabbam? Deum ne, an creaturam? eiuſne honorem, an proprium? cumque hæreo ac dubito, vtrum eligere velim, accedit Dœmon, & ipſa caro,

Digitized by Google

ſuggeſtionibus & rationibus plauſibilibus, vt perſuadeat, Chriſtum relinquere, & tandem cum tentationi ſuccumbo, idem facio, atque ſi Barabbam eligerem creaturam, ſenſuum voluptatem, aut honorem inanem, cum magna Dei iniuria, & Chriſti eiusque excellentiæ contemptu, atque inſigni ingratitudine, ad tot beneficia, quæ in me contulit. Ex quo merito erubeſcam, meque Iudæis peruerſiorem iudicabo; ſiquidem verā habens fidem, qua noui, quis Deus, & quis Chriſtus ipſe ſit, ipſum tamen cōtemno, & abijcio pro re viliori, quam ſit ipſe Barabbas. O cœleſtis Patris Vnigena, qui Barabbæ, quòd ſignificat Filium Patris, non cœleſtis, ſed terreni, collatus; eius comparatione reprobatus fuiſti ab ijs, *qui ex Patre diabolo erant, & deſideria Patris ſui facere volebant*; ne patiaris, talem me proditionem, atque hæc eſt, in anima mea admittere; ſed concede, vt ſemper viuam, ſicut frater tuus, & æterni tui Patris filius: reprobans quidquid tu reprobas; approbans verò, quod probas; te præ rebus omnibus creatis æſtimans, ſiquidem omnibus illis infinitè es amabilior.

Oratio
d Io. 8. 44.

PVNCTVM III.

a Matt. 17. 22.
b Luc. 23. 22

OBSTVPVIT Pilatus, cùm audiuit turbam, elegiſſe Barabbam, a *ac dixit illis: quid igitur faciam de IESV, qui dicitur Chriſtus? dicunt omnes, crucifige.* b *Ait illis Præſes: quid enim mali fecit? nullam cauſam mortis inuenio in eo: corripiam ergo eum, & dimittam. At illi inſtabant vocibus magnis, poſtulantes, vt crucifigeretur.*

I.
Pilati puſillanimitas pro Iuſtitia.

PERPENDENDA hic primùm eſt *præſidis puſillanimitas*, qui innocentiam Chriſti cognoſcens, non tantum animi habuit, vt illum pro officio liberaret; ſed furentem turbam interrogat, quid velit fieri de Chriſto; conſtituens hac ratione, eos iudices illius, quem odio proſequebantur, & per inuidiam illum ipſi tradidiſſent: quod totum, in maiorem ipſius Saluatoris ignominiam ceſſit.

II.
Peccata ſunt quæ clamant, crucifige.

DEINDE etiam perpendendum, quàm graues Chriſto Domino noſtro fuerint voces illæ, adeo rabidæ, & toties repetitæ, *crucifige, crucifige*: quibus non quamcunque eius mortē, ſed mortem adeò crudelem, qualis eſt crucis expetebant. O mundi Saluator, in quantas anguſtias, mea peccata te coniecerunt? illa enim ſunt, quæ clamabant, crucifige, crucifige: nam te cruci affixo, & ipſa ſimul affigentur, & morientur in cruce; iuxta illud Apoſtoli: c *quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati.* Ita quæſo, mea peccata macta Domine, vt amplius in anima mea non viuant, *nec vltra ſeruiam peccato*: aut ſimilis aliquando clamor, ex anima mea prodeat, d *rurſum crucifigens mihi met ipſi te filium Dei.*

d Heb. 6. 6.

(∴)

ML-

Digitized by Google

MEDITATIO XXXV.

DE CHRISTI AD COLVMNAM flagellatione.

PVNCTVM I.

a *Matt.* 27. 26. *Mar.* 15. 15. *Ioan.* 19. 1. *Luc* 23. 16. Pilatus iubet Chriſtum flagellari. I.

VIDENS Pilatus, pertinaciam turbæ in petendo, vt Chriſtus crucifigeretur, a *dimiſit illis Barabbam*, & primam contra Chriſtum ſententiam tulit, vt *flagellaretur:* quem mox militibus tradidit, vt eam ſententiam ſtatim exequerentur.

PERPENDENDAE ſunt primum *cauſæ*, quæ Pilatũ permouerunt ad hanc ſententiam de Chriſto flagellando, quæ duæ fuerunt potiſsimum; ALTERA, vt videret, num fortè hac flagellorum pœna, turba ita emolliretur, eiq́; ſatisfieret, vt à morte Chriſtus liberaretur: quam cauſam inſinuauit ipſe, cùm ad turbæ clamores petentis, vt Chriſtus crucifigeretur, dixit, b *nullam cauſam mortis inuenio in eo: corripiam ergò illum, & emendatum dimittam.* quare facilè credi poteſt, eum militibus iuſsiſſe, vt crudeliter flagellarent, & ita tractarent, vt quicunque illum viderent, compaſsione tangerentur.

b *Luc.* 23. 16. 22.

II. Romani cur ſoliti flagellare crucifigendos.

ALTERA *cauſa* fuit, vt ſi etiam eſſet crucifigendus, flagella mortem præceſsiſſent, ex lege Romanorum, quæ id ſtatuebat; quò aſpicientes crucifixum nudum, non offenderentur; ſed compaſsione potiùs mouerentur, videntes vulneratum. Sunt verò, qui contemplentur, Chriſtum Dominum bis fuiſſe flagellatum: PRIMVM, ob *primam* cauſam: DEINDE ob *ſecundam*, quando fuit reipſa ad crucis mortem condemnatus. Quicquid verò de hoc fuerit ſententia illa, tũ fuit iniuſtiſsima & crudeliſsima; tum ignominioſiſsima: ſciebat enim ipſe iudex, Chriſtum eſſe innocentem: & nihilominus ad flagella ſuſtinenda eum condemnauit: quæ pœna tum erat infamis, & latronum ac mancipiorum propria, & crudele ſupplicium, quo ſanguis innoxius horrendis doloribus effundebatur: tum reipſa, turbæ iudicium & electio comprobatur, qua Barabbam elegerat, vt Chriſtus morti traderetur; ſiquidem reipſa ita illum tractari iubebat, ſicut Barabbas ob ſua furta & latrocinia, tractari dignus fuerat.

S. Hierony. *in hunc locum.* *Gerſon. in Monoteſ. c.* 146 *rubr.* 6.

III. Chriſtus cur paſſus ſe flagellari.

Et quamuis talis eſſet illa ſententia, Chriſtus tamen Dominus; ita in corde ſuo illam acceptauit, vt nec appellauerit ab ea, nec ſupplicauerit, nec verbum aut querelam vllam dixerit, aut vllum ſenſus iudicium cõtra eam oſtenderit; ſed potiùs corpus ſuum libenter obtulit ad *flagella*

Iſai. 53. 5. ſuſtinenda, in ſatisfactionem pro noſtris peccatis: c *ipſe enim* (vt ait Iſaias) *vulneratus eſt* in toto ſuo corpore, *propter iniquitates noſtras*, vt omnia animæ meæ vulnera, ita ſanarentur; & ego prouocarer ad illud diligendũ, & illi ſeruiendum. Aperiens enim mihi viſcera ſua flagellis lacerata, ad hoc me obſtrinxit, vt ego illi mea offerrem, cum omnibus affectibus meis. Eſt verò meritò credendum, Chriſtum Dominum noſtrum, eleuaſſe tunc oculos in cœlum, Patrique ſuo æterno dixiſſe verba illa Dauidis: d *quoniam ego in flagella paratus ſum*; quia ita tu ſtatuiſti. Corpus quidem meum, debuit eſſe immortale & impatibile, ad quod e *malum*, nullum pœnæ *accederet*, *& flagellum non appropinquaret tabernaculo meo*, in quo habitat anima mea; tua tamen prouidentia ita ſtatuit, vt f *corpus meum ita aptaretur*, vt & pati poſſem, & flagellis cædi, & ex tunc ad ſuſtinenda, ſum paratus, vt g *quæ non rapui, exoluerem*; vt à pœna, quam erant promeriti, qui honorem tuum rapuerunt, illos liberarem. Gratias tibi, ô dulciſsime Redemptor, quòd adeò crudelem, infamem, & iniuſtam ſententiam acceptaueris; ecce Domine, me ob tuum amorem, ad flagella præparatum, animo acceptandi ſententiam, quam tuleris contra me; quæ neque iniuſta erit, quia peccata mea illam promeruerunt: nec infamis erit, aut crudelis, ſiquidem erit à Patre, qui h *quem diligit, corripit*, vt ſeſe emendet.

d Pſal. 37. 18. e Pſal. 90. 10. f Pſal. 39. 7. Hebr. 10. 5. g Pſal. 68. 5. Oratio. h Prou. 3. 12. Hebr. 12, 6.

PVNCTVM II.

EA ſententia audita, milites magna inſolentia Chriſtum accipientes, & in atrium quoddam deducentes, veſtibus ſuis eum ſpoliarunt, etiam tunica inconſutili.

Chriſtus ſpoliatur veſtibus, & rubore ſuffunditur. I.

In quo facto conſiderabo *primùm*, quanto rubore affectus fuerit pulcherrimus ille iuuenis, & excellentiſsimus Dominus, cùm ſe nudum in conſpectu tot militum videret; & audiret irriſiones, quibus illi tanto pudore ſuffuſum irridebant. Eam ignominiam & irriſionem patientiſſimè ille tulit, tum in pœnam impudentiæ, qua ego ipſius gratiæ veſte meipſum nudaui: tum vt eâ, tanquam pretio, ſacram hanc veſtem compararet, qua miſeranda nuditas mea cooperiatur. O amantiſsime Domine, qui a *ſuades mihi, emere à te aurum ignitum* charitatis, *vt locuples fiam*; *& veſtimentis albis* virtutum indui, *vt non appareat confuſio nuditatis meæ*, & ab æterna confuſione liberer; quam, quòd eis me ſpoliaſſem, promeritus eram. En in pretium nuditatis & ruboris, quo propter eam afficeris, offero tibi cor meum, & certam animi reſolutionem, exuendi me ab omni re terrena: per eundem tuum ruborem ſupplico, vt gratia tua diuina, ita me induas, vt non incidam in confuſionem æternam.

Oratio. a Apoc. 3. 18.

II. Licet etiam conſiderare, quòd, vt aliqui dicunt, milites Chriſtum

Digitized by Google

Dominum noſtrum fortiſsimè ad *columnam* alligarunt, brachiis in altū extenſis, quò faciliùs pro ſuo libitu totum corpus ferire poſſent: quod ſine dubio grauioris fuerit tormenti. nam & pedes inferiùs,& manus ſuperiùs crudeliſsimè ligauerunt; qui tamen, etiamſi funibus illis ligatus non fuiſſet, erat ipſe amoris funibus fortiùs conſtrictus, & paratus, permittere ſe flagellis excoriari, remedij noſtri cauſa. b O AGNE innocentiſsime, qui, admiranda manſetudine permittis te à crudelibus iſtis *tonſoribus* ligari, non ſolùm, vt lanam, hoc eſt, ſacra tua veſtimenta tibi auferant; ſed etiam vt delicatiſsimum tuum corpus, forficibus crudelium flagellorum totum excorient, dolorem iſtum tantum te ita ſuſtinente,& *obmuteſcente, vt nec aperires os tuum!* Supplex te oro, vt me tecum liges, c *vinculis charitatis* adeo ſolidis, vt nulla flagella aut labores temporales à te vnquam exoluere poſsint. Amen.

Chriſtus columnæ quomodo alligatus.

b *Iſai.53.7.*

c *Oſea 11.4*

PVNCTVM III.

Salmeron. tom.10.tract.29.

LIGATO iam Chriſto ad columnam, cæperunt carnifices illi, inaudita crudelitate, eum flagellare. *Tria* verò (vt quidam aſſerunt) diuerſa fuerunt huius *flagellationis inſtrumenta*, quibus diuerſi carnifices vſi ſunt; vno poſt alterum, eum feriente: PRIMVM fuit, *virides virga ſpinoſa*: SECVNDVM, *ſcutica è loris* ſeu *neruis boum* confectæ, in quarum extremitatibus, aculei ferrei erant acutiſsimi: TERTIVM, *catenula ferrea* quibus carnes ita lacerabantur, vt coſtarum oſſa nudarentur. His itaque inſtrumentis, Chriſti dorſum verberantes: primùm ictuum vi liuidum, mox ſubtilior pellis lacerata, demum & ipſa caro ita ſciſſa & fracta fuit; vt ſanguinis riuuli, ad terram vſque difluerent,& eadem crudelitate, reliquas corporis partes, nec brachiis, nec pectori, nec humeris parcentes, vſque ad ipſa oſſa diſcooperienda, verberabant. Sicut itaque totum corpus myſticum illius populi (Iſaia teſte) a *à planta pedis, vſque ad verticem*, ita languebat, *vt non eſſet in eo ſanitas,* à minimo vſque ad maximum, propter vulnera peccatorum: ita corpus ipſum Chriſti Domini noſtri à plāta pedis, vſque ad verticem capitis, nullam partem à vulnere immunem habuit: ſed tanquam leproſum, totum erat vulneratum: quem Iſaias in ſpiritu videns, de eo dixit: b *non eſt ſpecies ei, neque decor; & vidimus eum, & non erat aſpectus*, aut quod deſiderari poſsit, *deſpectum & nouiſsimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus: vnde nec reputauimus eum. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit; & nos portauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à DEO, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.* O ſi tantum luminis cæleſtis mihi eſſet,

I. Flagellatus Chriſtus, virgis, loris, catenulis.

Flagellationis Chriſti crudelitas.

a *Iſaia 1.6*

b *Iſaia 53.2*

Chriſti flagellati ſpecies.

Oratio

Digitized by Google

bant; maximè verò cùm viderent, Chriſtum Dominum adeò patienter ſuſtinere, vt nec ſignum quidem querelæ aut indignationis daret; & fortè contentioſè verberabant, vt exclamationem aliquam, aut indignationis iudicium extorquerent.

TERTIA fuit circumſtantia, ob *multitudinem verberum*, ac *verberantiũ*, multi enim dicunt, fuiſſe plus quam quinque millia ictuum, quòd de hoſtium crudelitate facilè licet præſumere. Non enim ſeruabatur cum Chriſto lex, quæ prohibebat i *plagarum numerum excedere quadragenarium*; aut vt S. Paulus de ſeipſo fatetur, vt k *vna minus* eſſet, ſed multos numeros quadragenarios ſuſtinuit, pœnitentiam agens, quam noſtra peccata merebantur. Et hæc eſt QVARTA circumſtantia, ex parte ſcilicet noſtrorũ peccatorum, quæ & innumera erant, & grauiſsima. quamobrem verbera, quæ pro illis offerebantur, oportebat eſſe innumera & atrociſsima.

3. Verberum multitudo *S. Gertrud. lib. 4. diui. Inſinuat. c. 35. ait fuiſſe 5466. Coſterus Medit. 24. de Paſsione.*

i *Deut. 25. 3.*
k *2. Cor. 11. 24.*

Ex his ergo conſiderationibus, æſtimare debeo *inuictam* Chriſti Domini *patientiam*; vt qui nullum externum dederit indicium turbationis aut tædij; ſed inſtar duriſsimæ incudis, crudeliſsimos ictus ſuſcipiens, eos æterno Patri, pro noſtris peccatis obtulit amore adeò vehementi; vt quãuis verbera fuerint plurima, optaret multò plura & acerbiora perferre, ſi noſtrum remedium id exegiſſet; ideoque nunquam dixit, ſatis eſt; donec ipſa inimicorum rabies ſatiaretur, & iuſtitiæ Dei fieret ſatis. Ex quo magnum concipiam horrorem meorum peccatorum, quæ tanti ſupplicij cauſa fuerunt; magnumque deſiderium, eadem pœnitentiis & diſciplinis in meipſo caſtigandi. Ac denique ad huius Domini pedes, prope ipſam columnam, me conſtituens; cernensq; eius deſertionem, & neminem adeſſe, qui ipſius vicem doleat, aut ei compatiatur, & quod ex omnibus corporis partibus ſanguine defluente, ipſe debilitetur; nunc ſpiritu oſculabor terram, ſanguine Domini & Creatoris mei madidam; nunc ipſa flagella, pretioſo illo ſanguine madentia cordi meo applicabo; ſupplicans, vt inordinaterũ affectionum mearum vulneribus medeatur, ſuoque diuino amore ipſum cor meum vulneret, tùm ſacram ipſam columnam ſummâ reuerentiâ complectens ac ſalutans dicam. O felicem *columnam*, in qua & alligatus, & verberatus is fuit, qui eſt totius mundi columna, & omnium quæ ſunt creata, fortitudo! O columnam ſupremam, dolatam & tinctam pretioſo ſanguine Filij Dei, qui effuſus eſt, vt homines l *faceret firmas columnas, in templo Dei* viui! O vtinam tibi eſſem alligatus, vt ſanguine iſto tinctus, & madens, ipſe fierem columna firma, in eius obſequio qui tanta mei cauſa in te ſuſtinuit. O columnæ Cœli, quid facitis, cur non contremiſcitis præ ſtupore, videntes Deũ veſtrum, in iſta columna verberari? O columna firmiſsima, cui totus mundus innititur, compatere tibi ipſi: m *induere fortitudinem brachium Domini*, quo modo ita exangue

III. Inuicta Chriſti patientia.

Pia Chriſti flagellati Meditatio.

Columnæ amoroſa amplectatio. Oratio.

l *Apoc. 3. 12*

m *Iſai. 51. 9*

Digitized by Google

ac debilitatum manes, & in periculo omninò deficiendi? ſed quoniam id totum propter mea peccata ſuſtines, corrobora me tuâ gratiâ, vt illa ipſe caſtigem; & me ab eis emendem.

IV. Compaſsiua contemplatio Chriſti poſt flagellationem cadentis in terram, & quaſi reputantis ad veſtimenta ſua. Oratio.

Vltimo perpendam, quòd expedita hac, adeò iniuſta & impia ſententia, milites illi Chriſtum Dominum *ſoluerint*, quem propter *defatigationem* ac *debilitatem*, ob tantam ſanguinis, qui ex vulneribus fluxerat, copiam: credibile eſt, cecidiſſe in terram: & quoniam veſtimenta, remotiùs à loco iacebant, ipſe nudus, & prout poterat, quaſi repens, & ſanguine ipſo, qui circum circa columnam effuſus erat, ſeipſum iterum madefaciens, ad locum tandem vbi veſtes erant perueniens: illas induit: eò quòd carnifices illi, ſiue ob crudelitatem, ſiue ob deſpectum & deriſionem, vt illas indueret, non iuuabant: hoc totum inquam piè contemplari poſſum, tactus compaſsione, ob tantam huius Domini tum debilitatem, tum ab omnibus deſertionem. O Rex cæleſtis, qui omnes creaturas, in ſuis actionibus adiuuas: quia ſine te, nihil illæ facere poſſunt; quomodo neminem habes, qui te in hac neceſsitate adiuuet? O Sacra veſtimenta, quæ veſtro contactu effec.ſtis; vt n *mulieris, quæ fimbriam veſtram tetigit, confeſtim ſteterit fluxus ſanguinis, & o quicunque vos tangebant, ſalui fiebant*; ſanate nunc vulnera mei Saluatoris, & ſiſtite ſanguinis eius fluxum: vt vires ei ſuppetant, ad noſtram redemptionem, ad finem vſq; perducendam. O vtinam præſens adfuiſſem, vt ei miniſtrarem! quamuis ad eius leuamen, proprium meum ſanguinem effundere opus fuiſſet: accipe tamen nunc Deus meus bonam hanc voluntatem, quam mihi dediſti, illamque ita corrobora, vt quæcunque potero, in tuum ſemper obſequium præſtem: deſiderando, multò etiam plura, quàm præſtare poſsim, efficere.

n *Luc.* 8.44 o *Mar.* 14 56.

MEDITATIO XXXVI.

DE CORONATIONE SPINEA, ET CAETERIS irriſionibus, quæ ſecutæ ſunt.

PVNCTVM I.

Coronatio ſpinea, & decoroſa, & ignominioſa.

Milites, qui Chriſtum verberauerant, à Dæmone inſtigati, *nouum* aliud *tormentorum genus* adinuenerunt, quo non minus doloris inferrent, quàm adferrent ignominiæ, quæ vt maior eſſet, totam cohortem, ſiue milites ad cuſtodiam deputatos, conuocarunt, vt ſpectaculo huic & ludibrio, quod Chriſto Domino, in eius honoris & quietis detrimentum inferre ſtatuerãt, adeſſent; qui omnes libenter adfuerunt, tempus fallendi gratia.

I. Circa quod factum, perpendam in primis inſatiabile Chriſti Domini,

ni, pro nobis *patiendi deſiderium*: ex eo enim prouenit, vt voluerit, excogitari aduerſum ſe, nouos iniuriarum & tormentorum modos: nec eſſet cõtentus communibus & ordinariis; vt hac ratione magis amorem ſuum erga nos patefaceret, & peccatorum noſtrorum grauitatem oſtenderet. Sicut enim homines, ab amore proprio agitati, nouos ſemper modos inueniunt, propriæ voluptatis & honoris intuitu, Deum offendendi: ita Chriſtus à diuino ſuo amore actus, voluit excogitari & adinueniri nouos ſuppliciorum modos, contra talia hominum peccata, & rationes nouas, ſanguinem ſuum effundendi; vt pro eiſdem ſatisfaceret: qualis illa fuit, qua in horto ſanguinem ſudauit. Gratias tibi ô dulciſsime IESV, ob hanc charitatis tuæ excellentiam, qua nos dilexiſti: optimè tibi conuenit nomen IVSTI, qui tot modos excogitas & inuenis, vt iuſtitiam promerearis, qua nos iuſtos efficias. Ex animo tibi congratulor, ob huiuſmodi amoris adinuentiones, ideoque tibi, qui eminenter es IVSTVS, dicam cum Propheta ESAIA: *quoniam fructum adinuentionum tuarum comedes*, dum per illas innumeras animas conquires & lucraberis.

Inſatiabile Chriſti deſideriũ patiendi nouos permittit excogitari ſuppliciorum modos.

Sic luit noſtras amoris proprii adinuentiones.

Chriſtus præcellenter Iuſtus.

Iſaiæ 3. 10.

II.

DEINDE *iniquitas* illorum *carnificum* eſt expendenda, qui Satanæ inſtinctu, tantam hominum turbam conuocarunt, vt Chriſto illuderent, & eius ludibriis intereſſent: & ſimul compaſsione ducar, ob tantam huius Domini humiliationem, quæ eò peruenerit, vt eſſet hominum riſus: deteſtabor verò eos, qui alios ad offendendum ipſum Chriſtum, & eius opera irridenda inducunt; ego verò, Saluator mi, cupio tanto huic ſpectaculo ſpiritu intereſſe, non ad te irridendum ſicut milites: ſed ad opera tua meditanda, & vt tuas adinuentiones exactiùs perpendens, tum ad tuorũ dolorum compaſsionem, tum ad propriorum tolerantiam permouear. Hoc ſpiritu conſiderandi ſunt mihi labores, & cruciatus, quos Chriſtus Dominus poſt verbera, in eodem Prætorij atrio ſuſtinuit, qui ad ſex referri poſſunt, qui ſibi ordine ſucceſſerunt.

Poſt flagellationem ſex genera iniuriarũ ſuſtinuit Chriſtus in Prætorio.

PVNCTVM II.

PRIMA iniuria Chriſto poſt flagellationem illata, fuit, quòd ſacris eius veſtibus a *eum exuerint*. eſt autem fas credere, quoniam hoc milites intendebant, vt tota turba vulneratum eius corpus videret: eũ etiam tunica inconſutili exuiſſe, *nudumque* omninò conſtituiſſe: ex quo & maximum dolorem, & inſignem ignominiam ille ſuſtinuit: dolorem quidem, quia iam veſtes carni adhæſerant, ob recentem ſanguinem, qui fluebat, cùm illas poſt flagellationem induit: item quia de militum crudelitate facilè præſumi poteſt, quòd violenter, & nulla tacti compaſsione, veſtes abſtulerint; Ignominia ipſa fuit etiam magna, quòd in tot militũ conſpectu, ſe omninò nudum conſpiceret, vt in meditatione proxima etiam perpendimus.

I.

a *Matt. 27. 28.*

Veſtium detractio cum dolore & ignominia.

Digitized by Google

Sed talis fuit irriſio, vt ſimul crudeliter cruciaret. Nam quoniam ſpinæ plurimæ erant,& acutiſsimæ, caput lacerabant,& ſanguinem extrahebāt, quem verbera reliquerant in nobiliſsima totius corporis parte: fluenſq; per oculos & faciem, illam offuſcabat, & deturpabat, ipſum verò ſacrum caput frontemque grauiſsimo dolore cruciabat. Et dolor.

SVRGE itaque anima mea, & ſpiritu b *egredere, & ſicut vna ex filiabus Sion, vide verum hunc Regem Salomonem, in diademate, quo coronauit illum mater ſua*, aut potiùs nouerca Synagoga, ornans illum *in diem deſponſationis illius*, quam in crucis thalamo, paulò poſt erat celebraturus. b *Cant.* 3.11

O Rex æterne, qui c *gloria & honore coronaſti hominem, & omnia ſubieciſti ſub pedibus eius*, tanquam eorum Regis, quomodo tu coronatus nunc es ab hominibus, ignominiæ corona,& doloris! O ingratitudinem,& inhumanam hominum aduerſus DEVM, feritatem! O ineffabilem DEI aduerſus homines manſuetudinem & bonitatē! DEVS illos gloria coronat, ipſi illum ignominia: ille miſericordiarum ſuarum magnitudine, illi feritate crudelitatum! Quomodo, igitur anima mea, iſtæ ſpinæ cor tuū nō pungūt? Quomodo non copioſam aquā, ex capite tuo,& fontē lachrymarū, ex tuis oculis non educunt, cùm videas, talibus ſpinis punctum Regem cœlorū, vt æterni regni coronam tibi promereatur! O verè Rex Salomon, qui ad celebrandum cum animabus, deſponſationem, ſpinis coronaris, meā quæſo eiſdem ſpinis corona, quo talis deſponſationis particeps eſſe merear. O ſacra IESV corona, quamuis mundo ſis tremenda, ego tamen te & reuereor & adoro, tanquam DEI mei coronā. O ſacratiſsimæ ſpinæ, ſi & ego cuſpidibus veſtris punctus fuiſſem: vt vulnera, quæ in illo capite feciſtis, medelam meis vulneribus adferrent. c *Pſal.* 8.6. Ingratitudo hominū peccatorū. Coronæ ſpineæ ſalutatio.

DEINDE meorum *peccatorum grauitatem* perpendam, præcipuè ſuperbiæ,& ſenſuum voluptatis, quæ tremendæ huius coronationis cauſa fuerunt. Illa.n. ſpinæ fuerunt, quæ venerandū illud caput grauius multò pupugerunt atque torſerunt, quàm illæ aliæ. Nam quia ego d *roſis*; & floribus *me coronaui*, vt meas delicias quærerem, coronatus eſt meus Saluator ſpinarū corona: quia ego e *coronam ſuperbiæ* quæro, vanos honores ambiendo: vult Dominus meus, humiliationis coronam, cum ingenti dedecore, ſibi accipere. Eia igitur, anima mea, accipe omnia peccata tua, quæ ſunt ſpinæ pungentes Redemptorem tuum,& pænitentiæ, ſenſuumque mortificationis, ſpinis cor tuū punge: propterea, quod illa admiſeris: & quandoquidem tuum caput, quod Chriſtus eſt, ſpinis coronatur; pudeat te eius corporis membrum, floribus coronari, vitam tuam in deliciis & vanitatibus ducens. II. Peccata noſtra ſunt ſpinæ. d *Sap.* 2.8. e *Iſaia* 28.1. Imitatur Chriſtum ſpinis coronatur qui mortificationi incumbit.

TERTIÒ, myſterium *coronæ* huius, Chriſti capiti infixæ, perpendam: quæ & ſi ex mente tortorum, in opprobrium & cruciatum fuit impoſita: III. Coronæ ſpineæ myſterium.

Digitized by Google

tamen ſignificabat ipſum Chriſtum eſſe *Regē* æternum: & *regnum* eius cōſtans: & ipſam coronam firmam; non vt corona Regum terræ, quæ vt facilè imponitur, ita facilè remouetur: & ſimiliter, quòd ipſe eſſet *victor* & triumphator perpetuus, contra dæmones & infernum, contra mundum & carnem: quamuis propterea ſanguinem ſuum fuderit, ea corona extractum, qua ſuis electis innumeras victoriarum coronas promeruerit; quas illi tum in hac vita, tum in cœlo poſtea, erant conſecuturi.

IV. Cæleſtis corona nō obtinetur niſi per coronam ſpineam.

f *Pſal.* 31. 4.

Hac ratione, docet nos ipſe, cœleſtem coronam, ſpinea corona obtineri: & porrò, præſtare *coronam laborum* & afflictionum, quæ pungunt, in hac vita amplecti, quàm coronam deliciarum & voluptatum, quæ delectant. Si enim in hac vita, ſicut alij huius mundi homines, me roſis coronem, quærens delicias & vanitates, poſtea f *conuerſus in ærumna mea configar ſpinis* meorum peccatorum, & conſcientiæ remorſibus: vt poſſibile nō ſit, eas euellere. Gratias tibi, ô Rex ſupreme, victor glorioſe, & triumphator perpetue, ob hanc rationem quam elegiſti ad coronam & triumphum tuæ gloriæ obtinendum. Ex nunc ad te ſequendum me offero, ac præfero coronari me ſpinis in hac vita, vt poſtea gloriæ coronam obtineam in futura.

Pvnctvm IV.

IV. Iniuria. Arundinis geſtamen.

a *Matt.* 27. 29.

Imposita capiti eius ſpinea corona, a *arundinem quoque in dextera eius* poſuerunt loco ſceptri regij, hoc ſignificare volentes, quod eius regnū, eſſet inane, abſque ſubſtantia, & ipſe Rex, iocularis, & mobilis inſtar arundinis, mentis inops, quod ſe vellet Regem appellari, & in contemptū palmarum & ramorum aliarum arborum, quos turba geſtabat, cùm eius triumphum nuperrimè in Ieroſolymitano eius ingreſſu ſolemnizaret.

I. Chriſtus eā vt contēptus ſui inſigne acceptat.

Pia Arundinis ſalutatio.

b *Heſter.* 4. 11.

Circa hanc *iniuriam* perpendam, quàm parui mundus faciat regnum Chriſti; & eius doctrinam ac perfectionem, quam ille prædicabat; omnia iudicans vana eſſe, & nullius momenti: quanta verò ipſe Chriſtus humilitate, hanc iniuriam ſuſtinuerit, non enim arundinem accipere recuſauit, non ſtatim illam abiecit, ſed manu ſua ſacratiſſima illam accipiens, fortiter compreſſit, tanquam ſui contemptûs inſigne; quia hunc ipſe maximè amabat. Eo facto me docens, eundem contemptum acceptare, & amore magno cōplecti. O *arundo* veneranda! ô Domini mei diuinum *ſceptrum!* de cuius manu, virtutem accipis, ad vitam omnibus, quos tetigeris, impertiendam, efficaciùs multò, quàm fuerit b *Virga illa aurea*, quàm *Rex Aſſuerus extendebat, pro ſigno clementiæ*, ad eos, qui ad ſe accederent, *vt viuere poſſent*. Extende ergo, Rex meus, regiam hanc tuam virgam & tange cor meum, magnam ei imprimens tuorum contemptuum æſtimationem: talis.n. contactus, erit mihi clementiæ tuæ ſignum, & pignus æternæ vitæ.

Ex quo etiam intelligam, quàm grauiter hominum errent iudicia, qui ex auro ſolido ſceptrum ſibi accipiunt; in ſignum excellentiæ & ſtabiſitatis regni ſui, cùm ſit reuera, c *baculus arundineus* qui velociter tranſit, & *cui ſi innixus fuerit homo intrabit in manum eius & perforabit eam.* Cùm contra dicant: b *vanus eſt qui ſeruit Deo, & quod emolumentum, quia cuſtodiuimus præcepta eius?* Et hinc diſcam aberrantia huiuſmodi iudicia nihili facere; ac propterea nunquam ſequi.

Mundana potentia eſt baculus arundineus.
c *Iſaia* 36. 6
d *Mal.* 3. 34
V. Iniuria.
II.

Mox aliam iniuriam addiderunt. Nam e *genu flexo ante eum illudebant ei dicentes: Aue Rex Iudæorũ:* Quæ ſalutatio, etſi honorifica, quia tamen illuſionis intentione fiebat, afflictiſsimi Domini aures torquebat, qui in cœlis laudes audit Angelorum, noſtriſque orationibus exaudiendis valdè recreatur. O Rex ſupreme, quàm aliter ab Angelis in cœlo adoraris, quàm ab hominibus in terra! Angeli enim tanquam Deum, verumque Regem ſuum adorant: homines verò, adoratione ficta tibi illudunt, tanquã Deo falſo & ficto Regi! Ego te Domine adoro, & ex toto corde meo ſalutans, dico: *Aue Rex Iudæorum*, & ſimul Gentium: aue Rex ANGELORVM & hominum: Aue Rex cœli & terræ: Salua me, qui es Rex vniuerſorum, meque in Regnum tuum admitte, vt te fruar in æternum, Amen.

e *Matt.* 27. 29 *Marc.* 15 18. *Io.* 19. 3
Illuſoria genu flexio & ſalutatio.

LICET etiam perpendere, bis fuiſſe CHRISTVM Dominum noſtrum in ſua Paſsione ſalutatum: ſemel quidem ſecreta fictione & hypocriſi, cùm dixit ei Iudas: f *Aue Rabbi:* iterum verò publica fictione: vt hic, cùm ad illudendum milites *genu flexo* dixerunt: *Aue Rex Iudæorum.* In quo duplex genus peccatorum indicatur, qui DEVM offendunt. Alij enim hypocritæ ſunt qui fingentes ſe DEVM amare ac reuereri, reipſa tamen nec amant, nec reuerentur: alij verò non hypocritæ ſunt, ſed publicè aliis ſunt ſcandalo, dum res ſacras & diuinas publicè irrident, & contemnunt, & pro vtriſque patitur Chriſtus, vt omnib. adferat ſalutem. Nec myſterio caret, quod Euangeliſta dixit *genu flexo* g *adorabant eum*, & non dixit *genibus flexis*, vt ſignificaret huius mundi homines, non ſe totos Deo tradere, ſed partem vnam Deo, alteram mũdo dare: ideo q; vno genu honorẽ ſuũ, delicias, & facultates terrenas adorant, altero tantũ Deũ. Sed hæc adoratio parum illis prodeſt, quia Deus non dimidiato corde, ſed integro, vult ſibi ſeruiri.

Chriſtus bis fictè in Paſsione ſua fuit ſalutatus.
f *Mat.* 26. 50
Peccatores alii ſunt Hypocritæ; alii publicè ſcandaloſi.
g *Mar.* 15. 19
Homines mundani vno genu adorãt Deũ

PVNCTVM V.

VI. Iniuria. Percuſsio Alapæ, ſputa.

VERBIS iniurioſis, addebant milites etiam opere, alias iniurias, quæ dolorem adferrent & ignominiam. Nam alij à *accipiebant arundinem, & percutiebant caput eius*, ſpinas ipſas ſic ampliùs capiti infigentes: Alij b *alapas illi dabant*: Alij c *expuebant* in eum: faciem eius, ſputis ſuis ſtomachum & horrorem mouentibus, deſœdantes.

a *Matt.* 27. 30.
Mar. 15. 19.
b *Ioan.* 19. 4
c *Matt.* 27. 30.

Hoc triplex genus *iniuriarũ* referunt Euangeliſtæ. Eſt verò fas credere, alios pulſaſſe pugnis faciem, & pedib. alias corporis partes, alios verò capillos & è barba pilos extraxiſſe; vt in domo Pilati, ſimilia pro Gentibus pateretur iis, quæ apud Caipham paſſus fuerat pro Iudæis. Solùm Gentiles, à velanda eius facie abſtinuerunt; quia eum tractabant tanquam Regem, licet fictum, & comicum: & quoniam eius facies valdè defœdata, non iam præferebat illam maieſtatem, vt reſpectum & timorem illis adferret, ne etiam apertè illum percuterent, & expuerent. O mundi Saluator, quoties tuæ iniuriæ repetuntur, quoties dura tua tormenta iterantur! Suffeciſſet, Domine, ſemel fuiſſe colaphizatum, conſputum, & pro noſtris peccatis pulſatum, ſed charitas tua vult iterata hæc tormenta ſuſtinere, à Iudæis & gentibus; vt ab omnibus cruciatus, pro omnibus ſatisfacias; & pro omnibus miſericordiam obtineas. Omnes te, Domine, benedicant: & pro tanta tua charitate tibi dent gloriam: quandoquidē verò pro omnibus pateris, omnes quoq; tuæ paſsionis fructum conſequantur, Amen.

Milites cur non velarint faciē Chriſti.

Cur Chriſtus & à Iudæis, & à Gentibus fuerit conſputus & colaphizatus.

In ſingulis hiſce iniuriis perpendere licet, quæ ſupra *meditat.* 30. ſunt notata, inuictam præcipuè Chriſti *patientiam*, & *humilitatem* in eis tolerandis, etiamſi illæ fuerint innumeræ: eò quod plurimi eſſent milites, qui illas inferebant: & facilè credi poſsit, ſæpiùs illas repetiuiſſe: vt vel ita tēpus fallerent, vel hoc ſolatio, iniurias ei inferendi oblectarentur; qui eiſdem ſuſtinendis maximè oblectatur, vt vitam & ſalutem eiſdem promereretur, à quibus illas tolerabat.

Chriſti Domini in omnibus iniuriis Patientia, & Humilitas.

Tandem conſiderabo, quā defatigatus & afflictus remanſerit Chriſtus ipſe Dominus noſter, ex hiſce ludicris tormentis: quàm fuerit eius caput debilitatum, ob ſanguinis copiam, quem per vulnera ſpinarum effundebat: quàm deformatus venerandus ille vultus, tum ſanguineis maculis, tum ſputorum multitudine: quàm liuidus ex impactis eis colaphis.

Chriſti afflictio & defatigatiō ex hiſce iniuriis.

Perpendam etiam, neminem ibi fuiſſe, qui in tantis afflictionibus conſtituto compateretur, aut verbum pro illo loqueretur: aut feræ illius gentis furiam reprimeret: donec ipſi cruciando ſunt defatigati. Quamuis non fuerit defatigatus ipſius patientiſsimi Iesv animus, ſed potiùs ad noua tormenta, quæ illum exſpectabant, ſeſe præpararet. Quare rationi conſonum eſt, vt ego non defatiger, nec deſiſtam à lachrymis, ad eius pedes, pro eius laboribus, fundendis, & pro meis peccatis, quæ eorum cauſa fuerunt, & adorans illum, adoratione vera, petam gratias, tanquam à Rege vero. Et quidem non alias, quàm vt me contemptuum & dolorum ſuorum participem faciat: & ſimul, vt humilitatem patientiam, & charitatem in eis tolerandis mihi concedat, quam ipſe in eis oſtendit.

Animi ipſius fortitudo.

MEDITATIO XXXVII.

DE ECCE HOMO, ET VLTIMO EXAMINE, *quo Pilatus Chriſtum examinauit.*

PVNCTVM I.

INGRESSVS Pilatus locum, vbi erat Chriſtus Dominus, videns illum crudeliter adeò tractatum ac deformatum, exiſtimauit, vel ſolo eius aſpectu fore, vt plebis furor placaretur. Iuſsit itaque vt milites, ad quendam Prætorij locum eminentem, vbi poſſet ab omnibus facilè videri, cum deducerent, præueniens verò ipſe ad eundem locum, a *dicit eis: Ecce adduco vobis eũ foras, vt cognoſcatis, quia nullam inuenio in eo cauſam,* cur ſit morte mulctandus. *Exiuit ergo* IESVS *portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum.*

a Ioan. 19. 4 Chriſtus cum corona ſpinea & purpureo veſtimẽto producitur ad populum.

PERPENDENDVM hîc ruborem illum, quo Chriſtus Dominus fuerit affectus, cum eſſet coram tanta populi multitudine, viliſsimo & abiectiſsimo illo corporis & *veſtium* cultu, & quanta animi demiſsione voluerit in horrenda illa, & lacrymabili figura, ab omnibus conſpici! O Redẽptor mi, quantum intereſt inter hanc figurã tuam, & illam, quam in monte Tabor, ſplendore & maieſtate plenam, oſtendis! illam tribus tantùm diſcipulis tuis, & in edito monte oſtendiſti: hanc in edito etiam loco, ſed toti populo oſtendis, vt omnes tuas videant ignominias, & vt illæ creſcãt ex eo, quod conſpiciantur. Da mihi, Domine, viuæ fidei oculos, vt eandẽ hanc figuram aſpiciam: mihi enim non minus erit amabilis figura hæc calamitoſa, quàm altera illa glorioſa.

Oratio.

CVM Chriſtus coram toto populo, in tam miſeranda figura comparuiſſet, ait illis Pilatus: ECCE HOMO: quæ verba primũ ſunt perpendenda, tanquam à Pilato, proprio ſpiritu prolata: & poſtea tãquam à diuino ſpiritu, & æterno Patre, ipſi Pilato dictata, vt ea proferret. Simul etiam expendam, qua ego ratione illa audiam, & proferam.

Ecce homo Varia huius dicti conſideratio.

I. Vt à Pilato prolati, ad excitandã commiſerationem.

PRIMVM quatenus à Pilato fuerunt prolata, hunc ſenſum habent. Aſpicite hunc hominem, qui vocatur *Rex Meſsias,* & *Filius Dei,* & deprehendetis adeò Illum caſtigatum ac deformatum vt vix hominem eſſe iudicetis: cùm re ipſa tamẽ ſit homo: ſiquidem igitur homo eſt, ſicut vos eſtis, dolete humanæ veſtræ naturæ vicem, & eſtote cõtenti, quod talibus ſupplicijs, miſerandus hic homo ſit affectus. Sed tu, anima mea, eundem hũc hominem, aſpice ſecundum exteriora omnia, quæ in illo cerni poſſunt; vt miſerandæ eius figuræ compatiaris; aſpice hunc hominem flagellis vulneratum, ſputis defœdatum, alapis liuidum; aſpice eundem ignominioſa

O anima aſpice Chriſtum.

veſte indutum; doloris & contemptus corona coronatum; aſpice eum attentè, & intelliges, veriſſimè ipſum dixiſſe: b *Ego ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* & qui c *ſpecioſus* aliàs erat *forma præ filijs hominum*, idem nunc omniũ eſt deformiſsimus. d *Non enim eſt ſpecies ei, neq; decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus.* O Fili hominis, Deus & homo verus; ſatis magna fuit humiliatio, quòd te ad formã hominis ſuſcipiendam abieceris; cur te adhuc in ea forma abijcis, vt vermis potiùs quàm homo, & plebis abiectio, opprobrium hominum habearis? Superbia, qua ego contendi plus eſſe, quàm homo; & Deo comparari volui; illa in cauſa eſt, cur tu, Deus meus, ita te abieceris, vt minùs videaris eſſe, quã homo: tam deteſtanda enim ſuperbia, medicinam exigebat ſtupẽdæ huius humilitatis. O vtinam externus meus homo, tuo eſſet omninò ſimilis; gaudens, ex vera humilitate, calcari ſe tanquam vermem; & minùs quàm hominem, & opprobrium hominum haberi.

b *Pſal.* 21.7.
c *Pſal.* 44.3.
d *Iſaia* 53.2.
Humiliationũ Chriſti cauſa eſt noſtra ſuperbia.

II. Vt à ſpiritu diuino per Pilatum prolati. Ad oſtendendam Chriſti Diuinitatem, & Incarnationis Paſſionisque cauſam.

Deinde ſunt eadem verba expendenda, quatenus fuerunt à diuino Spiritu, per os Pilati prolata: Ecce Homo: qui etſi homo tantùm eſſe videtur, plus tamen eſt, quàm homo: quia filius eſt Dei viui, Meſsias in lege promiſſus, hominum & Angelorum caput, humani generis Redemptor, & vnicum miſeriarum eius remedium; cuius tanta fuit charitas, vt hanc figuram adeò lamentabilem, hominum tantùm amore ſuſceperit; vt peccatorum eorum debita ſoluens, eos ab æternis pœnis, quas peccatis ſuis promeruerant, liberaret. quamobrem dignus eſt, cui infinitæ gratiæ agantur, & omnes eundem verum hominem, & verum Deum confiteantur, laudent, adorent, eique ſeruiant in ſecula. Amen.

Has & ſimiles excellentias perpendens in hoc homine, & quaſi mihi verba illa: Ecce Homo, dicerentur, prorumpam in affectus admirationis, amoris, & fiduciæ, dicens: Itane eſt poſsibile, vt homo excelſus adeò atque diuinus, ita ſit abiectus? quid eſt, quod non mihi liceat ſperare; ab eo qui tantam mihi benignitatem & amorem oſtendit? quomodo non deficio præ amore eius, qui tãta pro me fecit? ô homo, plus quàm homo, honor generis hominum; ego te adoro & glorifico, tanquam hominem & Deum verum ac æternum; ſupplexque oro, vt me in tuum ſeruum accipiens, flebilem iſtam vultûs tui figuram vultui meo inuras.

III. Vt ab æterno Patre prolati. Ad declarandum Chriſtum eſſe exẽplar totius ſanctitatis & perfectionis.

Tertiò, eadem verba perpendam, tanquam ab æterno Patre prolata, dicente: Ecce Homo, quem ego in mundum miſi, vt hominum eſſet Magiſter, & totius perfectionis ac ſanctitatis exemplar; cuius vt exemplum relinqueret, tremendam hanc accepit figuram: attendite ad internas eius virtutes, in medijs huiuſmodi afflictionibus conſtituti; eius humilitatem, in tot opprobrijs; eius paupertatem ſpiritûs, in tanta nuditate; eius manſuetudinem, in atrocibus adeò iniurijs; eius patientiam, in

horrendis adeò doloribus; eius modeſtiam, inter tot ipſum blaſphemantes; obedientiam, inter tot perſecutores, charitatem, in medio eorum, qui illum oderunt. Et ſiquidem ipſe in veſtrum exemplum, hanc figuram aſſumpſit, diligenter illam inſpicite, & veſtris animis inſculpite. O Pater æterne, nûquid homo iſte, ille ipſe eſt, de quo tum in eius Baptiſmo, tum in Trãsfiguratione dixiſti: c *hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite*? ſi idem hic eſt, qui tunc; vbi columbæ figura, quæ eius declaret innocentiam? vbi nubes ſplendida, quæ oſtendat eius Diuinitatem? vbi Moyſes & Elias, qui ſua præſentia, authoritatem & opinionem illi conciliet? nam his omnibus eum video deſtitutum, ſed intelligo tamen, eius virtutes nunc ipſum comitari, quæ prædicent innocentiam, Diuinitatem manifeſtent, & perſonæ authoritatem adferant. Siquidem autem iubes, vt illum aſpiciam & imiter, adiuua imbecillitatem meam; & terreni hominis imaginẽ in me delẽs, fac me me conformari imagini huius hominis Cæleſtis. Hac igitur ratione pergam aſpicere Chriſtum Dominum noſtrum internè & externè, attendens, eum, qui in externis videtur minus eſſe, quàm homo; in internis plus eſſe, quàm homo. In externis deformis eſt, ob horrenda vulnera; in internis ſpecioſus ob admirandas eius virtutes: conabor verò firma concipere deſideria, ſingulas illarum imitandi.

Oratio ad Patrem.

c Matt. 3. 17 & 7. 5

DENIQVE ad æternum Patrem conuerſus, vt obtineam, quæ deſidero, dicam illi: ECCE HOMO. ô Pater æterne, ob mea peccata vulneratus & deformatus: tu iubes illum aſpicere, vt illi compatiar: ego ſupplico, eundem vt tu aſpicias, vt mei miſerearis. Vis me illum aſpicere vt imiter; eundem & tu aſpice vt eius intuitu, vires mihi ad illum imitandũ concedas. O Pater ſupreme, quem omnes homines, grauibus peccatis iniuria affecimus; reſpice iſtum hominem, grauibus doloribus cruciatum, vt pro noſtris offenſis ſatisfaceret; vt placatâ irâ tuâ, omnes illas nobis remittas! O Pater miſericordiarum, ECCE HOMO, qui intra cor ſuum, omnes homines continẽt, & vitam ſuam pro omnibus offert; ne in me ſolum oculos conijcias; ſed ſimul etiam in iſtum hominem; & quod ego per me non ſum promeritus, hoc mihi per illum, qui id promeritus eſt, concede. f *Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui*: nõ eſt enim poſſibile, vt quos ille in occulto faciei ſuæ, tali figura afflictæ, abſconditos habet, tu eos deſeras: reſpice, DEVS meus, in hoc ſpeculũ, in quo diuinam tuam faciẽ videbis, cum ſit *imago ſubſtantiæ tuæ*, & per eum nos etiam reſpice; ac videbis eius nos eſſe imaginem; & ob amorem, quo tuam imaginem proſequeris, ignoſce, reforma, & ſanctifica omnes, qui ad eius imaginem conditi, & ſanguine, quem in flebili illa figura effudit, redempti ſumus.

IV. Vt à nobis proferendi. Vt Deus Pater reſpiciat in faciẽ Chriſti ſui.

Oratio.

f Pſal. 83. 10

Pvnctvm II.

a Ioan. 19. 6. Luc. 23. 21. Crudelitas Iudæorum in Chriſtū.

AD hæc verba Pilati reſponderunt a *Pontifices & Miniſtri clamantes: crucifige, crucifige eum.* Conſideranda hic eſt, Diabolica Pontificum & Sacerdotum, plebiſque ab eis permotæ crudelitas, qui non ſolùm non ſunt compaſsi Domino huic, adeò vulnerato, & afflicto, ſed odio potiùs incredibili, conſpecta afflictiſsima illa figura, ſitis eorum creuit, vt alia maiora illi adderentur, dicentes: *crucifige, crucifige*, atque ſi dicerent Pilato, quòd benè cœpiſti, eum verberando, perfice, eum etiã crucifigendo; ſiquidem verbera crucifixionem præcedunt. O quantum ſenſum effecerint iſti clamores in auribus Saluatoris, reſpicientis plebis illius pertinaciam, in vrgenda eius morte, maiori feritate, quàm ipſi Gentiles, qui ſatis eſſe exiſtimabant, quæ illata ei fuerant tormenta: populus verò ille, noua alia vt inferrentur, vrgebat. Meminerat beneficiorum, quæ in eundem populum ipſe contulerat; & aduertens, quantum malum pro eis ipſi rependerent vehementer dolebat, ob ſupplicium, propterea illis inferendum: ac deſertionẽ, quam à Deo merebantur. O anima mea, quomodo non præ dolore crepas, videns tanto odio haberi eum, qui ſummo amore dignus erat? quomodo facies tua non lacrymis perfunditur, vidẽs tui Domini faciem, ſanguine perfuſam; & adhuc eius inimicos ſitientes, vt reliquum effundatur: ama igitur toto cordis affectu eum, qui tantoperè te amat; vt ſic aliquo modo ei reſpondeas pro adeò iniuſto odio, quo eius hoſtes eum proſequuntur; & ſtude feruẽtiùs eum diligere, quàm ipſi hoſtes eum deteſtentur.

b Ioan. 19. 6

Commotvs Pilatus proteruiâ Pontificum & Miniſtrorum, b *dicit eis: accipite eum vos & crucifigite: ego enim non inuenio in eo cauſam* ad id ſufficientem; *reſponderunt ei Iudæi: nos legem habemus, & ſecundùm legem noſtram debet mori, quia filium Dei ſe fecit.*

Chriſtum Pontifices accuſant Blaſphemiæ.

In his verbis, accuſarunt Pontifices illi & Miniſtri Chriſtum Dominum blaſphemiæ; *blaſphemiam* iudicantes, quòd dixerit ſe eſſe filium Dei, non adoptione, ſed naturâ, quare iuxta legem, debere pœna mortis puniri. In quo apparet huius deteſtandæ gentis cæcitas, quæ ipſam Dei veritatem, ſcripturis aſſerentibus, Meſsiam eſſe Filium Dei, probatam totque prodigijs, quæ Chriſtus ad certam eius fidem faciendam edidit confirmatam; ipſi blaſphemiam appellabant. Cõſtat igitur, ipſos potiùs blaſphemos eſſe, qui eam veritatem, blaſphemiam appellant; ac propterea illos pœnâ legis, aduerſus blaſphemos, fuiſſe dignißimos. Veruntamen hic vera blaſphemia condonatur, falſa verò caſtigatur, quia Dei filius, eò ſe voluit demittere, vt tanquam blaſphemus caſtigaretur, quò veniam verarum blaſphemiarũ promereretur. O Rex ſupreme, veriſsimũ quidẽ

eſt,

eſt, tibi ſecundum legem eſſe moriendum; non quod te filium Dei feceris, ſed quod cum verè filius Dei eſſes, factus ſis homo, vt morte tua, multos Deo filios adoptiuos generares. Per eandem mortem ſupplex oro, me vt facias filium tuum, & vt talis peccato moriar, mundo, & carni: & mihi viuere deſinam, vt tibi viuam Amen.

Ex his diſcam, quàm ſit proprium iniquorum & imperfectorum, legē iactare & perpetuo inculcare; quam tamen ipſi minimè ſeruant; niſi in ijs quæ ipſorum palato arrident, & honorem promouent. ad ea enim conſequenda, legem adhibent; vt ſic diſsimulantes, deprauatam ſuam intentionem, occultent. Ego autem peruerſum hunc & obſtinatum morem deteſtans, legem ita iactare ſtudebo, vt reipſa integram obſeruem, memor illius Apoſtoli ſententiæ: c *non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.* nam alioqui ipſa d *lex*, vt idem Apoſtolus ait, *iram operatur*, hoc eſt, me ipſum condemnabit, inobedientiam meam aperiens. Lex quibus ſit in ore, & non in opere. c Rom. 2. 13 d & 4. 14.

PVNCTVM III.

CVM a *ergo audiuiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit: & ingreſſus eſt Prætorium iterum & dicit ad IESVM: vnde es tu? IESVS autem reſponſum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: mihi non loqueris? neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimitere te? reſpondit IESVS: Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam: niſi tibi datum eſſet deſuper; propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* a Ioan. 19. 8

I. CONSIDERANDA hic eſt, cauſa huius timoris Pilati, cum audiuiſſet, Chriſtum Dominum, facere ſe filium Dei: inſignes enim virtutes, quæ in Chriſto reſplendebant, credibile valde faciebant, ita eſſe, vt ipſe dicebat. quare Pilatus, ne diuinam indignationem incurreret, eum condemnare metuebat. O quàm admiranda fuerit illa manſuetudo, & patientia; quæ vel ſola abſque inſignibus alijs prodigijs, fuit ſufficiens, vt Gentilis ille iudex, etiamſi alioqui iniquus, credibile iudicaret, hominem adeò afflictum, maleque tractatum, poſſe eſſe filium Dei viui: da mihi, ô bone IESV, has tuas virtutes ita imitari, vt propter illas, in me glorificeris. Chriſti mā ſuetudo & patientia quid effecerint in animo Pilati.

II. DEINDE conſiderandum, ſtatim, ſuperbiam iniquum hunc iudicem inuaſiſſe; indignatus eſt enim, quod Chriſtus illi nihil reſponderet, aduerſus ſuam authoritatem à Chriſto peccari exiſtimans. Eodem tendit eius præſumptio, & inflata illa grauitas, & verborum iactantia, vt efficeret ſe à Chriſto æſtimari: quæ omnia, vt propria ſunt hominum huius mundi inſignia, ita ſunt à me procul repellenda, ſi à partibus Chriſti ſtare volo. Pilati ſuperbia.

III. PRAE omnibus autem perpendenda eſt admiranda Chriſti Redemptoris noſtri prudentia, in tacendo & loquendo. Tacuit enim in hoc loco,

PVNCTVM II.

a Ioan. 19. 6. Luc. 23. 21.

Crudelitas Iudæorum in Chriſtũ.

AD hæc verba Pilati reſponderunt a *Pontifices & Miniſtri clamantes: crucifige, crucifige eum.* Conſideranda hic eſt, Diabolica Pontificum & Sacerdotum, plebiſque ab eis permotæ crudelitas, qui non ſolùm non ſunt compaſsi Domino huic, adeò vulnerato, & afflicto, ſed odio potiùs incredibili, conſpecta afflictiſsima illa figura, ſitis eorum creuit, vt alia maiora illi adderentur, dicentes: *crucifige, crucifige*, atque ſi dicerent Pilato, quòd benè cœpiſti, eum verberando, perfice, eum etiã crucifigendo; ſiquidem verbera crucifixionem præcedunt. O quantum ſenſum effecerint iſti clamores in auribus Saluatoris, reſpicientis plebis illius pertinaciam, in vrgenda eius morte, maiori feritate, quàm ipſi Gentiles, qui ſatis eſſe exiſtimabant, quæ illata ei fuerant tormenta: populus verò ille; noua alia vt inferrentur, vrgebat. Meminerat beneficiorum, quæ in eundem populum ipſe contulerat; & aduertens, quantum malum pro eis ipſi rependerent vehementer dolebat, ob ſupplicium, propterea illis inferendum: ac deſertioné, quam à Deo merebantur. O anima mea, quomodo non præ dolore crepas, videns tanto odio haberi eum, qui ſummo amore dignus erat? quomodo facies tua non lacrymis perfunditur, vidés tui Domini faciem, ſanguine perfuſam; & adhuc eius inimicos ſitientes, vt reliquum effundatur: ama igitur toto cordis affectu eum, qui tantoperè te amat; vt ſic aliquo modo ei reſpondeas pro adeò iniuſto odio, quo eius hoſtes eum proſequuntur; & ſtude feruẽtiùs eum diligere, quàm ipſi hoſtes eum deteſtentur.

b Ioan. 19. 6

COMMOTVS Pilatus proteruiâ Pontificum & Miniſtrorum, b *dicit eis: accipite eum vos & crucifigite: ego enim non inuenio in eo cauſam* ad id ſufficientem; *reſponderunt ei Iudæi: nos legem habemus, & ſecundùm legem noſtram debet mori, quia filium Dei ſe fecit.*

Chriſtum Pontifices accuſant Blaſphemiæ.

IN his verbis, accuſarant Pontifices illi & Miniſtri Chriſtum Dominum blaſphemiæ; *blaſphemiam* iudicantes, quòd dixerit ſe eſſe filium Dei, non adoptione, ſed naturâ, quare iuxtà legem, debere pœna mortis puniri. In quo apparet huius deteſtandæ gentis cæcitas, quæ ipſam Dei veritatem, ſcripturis aſſerentibus, Meſsiam eſſe Filium Dei, probatam totque prodigijs, quæ Chriſtus ad certam eius fidem faciendam edidit confirmatam; ipſi blaſphemiam appellabant. Cõſtat igitur, ipſos potiùs blaſphemos eſſe, qui eam veritatem, blaſphemiam appellant; ac propterea illos pœnâ legis, aduerſus blaſphemos, fuiſſe dignisſimos. Veruntamen hic vera blaſphemia condonatur, falſa verò caſtigatur, quia DEI filius, eò ſe voluit demittere, vt tanquam blaſphemus caſtigaretur, quò veniam verarum blaſphemiarũ promereretur. O Rex ſupreme, veriſsimũ quidẽ

eſt,

Digitized by Google

eſt, tibi ſecundum legem eſſe moriendum; non quod te filium Dei feceris, ſed quod cum verè filius Dei eſſes, factus ſis homo, vt morte tua, multos Deo filios adoptiuos generares. Per eandem mortem ſupplex oro, me vt facias filium tuum, & vt talis peccato moriar, mundo, & carni: & mihi viuere deſinam, vt tibi viuam Amen.

Ex his diſcam, quàm ſit proprium iniquorum & imperfectorum, legẽ iactare & perpetuo inculcare; quam tamen ipſi minimè ſeruant; niſi in ijs quæ ipſorum palato arrident, & honorem promouent. ad ea enim conſequenda, legem adhibent; vt ſic diſsimulantes, deprauatam ſuam intentionem, occultent. Ego autem peruerſum hunc & obſtinatum morem deteſtans, legem ita iactare ſtudebo, vt reipſa integram obſeruem, memor illius Apoſtoli ſententiæ: c *non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.* nam alioqui ipſa d *lex*, vt idem Apoſtolus ait, *iram operatur*, hoc eſt, me ipſum condemnabit, inobedientiam meam aperiens. Lex quibus ſit in ore, & non in opere. c Rom. 2. 13 d & 4. 14.

PVNCTVM III.

CVM a *ergo audiuiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit: & ingreſſus eſt Prætorium iterum & dicit ad IESVM: vnde es tu? IESVS autem reſponſum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: mihi non loqueris? neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimitere te? reſpondit IESVS: Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper; propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* a Ioan. 19. 8

I. CONSIDERANDA hic eſt, cauſa huius timoris Pilati, cum audiuiſſet, Chriſtum Dominum, facere ſe filium Dei: inſignes enim virtutes, quæ in Chriſto reſplendebant, credibile valde faciebant, ita eſſe, vt ipſe dicebat. quare Pilatus, ne diuinam indignationem incurreret, eum condemnare metuebat. O quàm admiranda fuerit illa manſuetudo, & patientia; quæ vel ſola abſque inſignibus alijs prodigijs, fuit ſufficiens, vt Gentilis ille iudex, etiamſi alioqui iniquus, credibile iudicaret, hominem adeò afflictum, maleque tractatum, poſſe eſſe filium Dei viui: da mihi, ô bone IESV, has tuas virtutes ita imitari, vt propter illas, in me glorificeris. Chriſti mãſuetudo & patientia quid effecerint in animo Pilati.

II. DEINDE conſiderandum, ſtatim, ſuperbiam iniquum hunc iudicem inuaſiſſe; indignatus eſt enim, quod Chriſtus illi nihil reſponderet, aduerſus ſuam authoritatem à Chriſto peccari exiſtimans. Eodem tendit eius præſumptio, & inflata illa grauitas, & verborum iactantia, vt efficeret ſe à Chriſto æſtimari: quæ omnia, vt propria ſunt hominum huius mundi inſignia, ita ſunt à me procul repellenda, ſi à partibus Chriſti ſtare volo. Pilati ſuperbia.

III. PRAE omnibus autem perpendenda eſt admiranda Chriſti Redemptoris noſtri prudentia, in tacendo & loquendo. Tacuit enim in hoc loco,

Digitized by Google

Corripitur à Chriſto.

quando eius reſponſum, in ſui tantum defenſionem fuiſſet opportunum: locutus eſt tamen, quando id erat ad propugnandum Dei honorem neceſſarium; & ad corripiendum iudicem ſuperbum, qui ſuam iactabat poteſtatem ; tantaque libertate nunc eſt locutus, atque ſi in tanta miſeria conſtitutus non fuiſſet. Dixit itaque illi: ne tuam iactes poteſtatem, quæ re ipſa tua non eſt, ſed deſuper tibi data à Patre meo cœleſti, ſine cuius licentia & permiſsione, nihil aduerſum me potuiſſes. In quo ipſo maximè eminet æterni Patris bonitas, qui in proprium filium poteſtatem dederit tam impio Iudici, in bonum noſtrum. O Iudex ſupreme, cui Pater æternus poteſtatem dedit, viuos & mortuos iudicandi: gratias tibi ago, quòd adeo ſuperbo Iudici, & ſuam poteſtatem iactanti, cum ex altera parte adeo eſſet timidus, vt eadem poteſtate rectè vti non auderet, ſubijcere te volueris. Libera me Domine, ab his adeò pernicioſis extremis, vt neque ſuperbia inſoleſcam, nec puſillanimitate opprimar.

Accuſatur merito Pilatus puſillanimitatis.

PVNCTVM IV.

PROPTER hoc reſponſum Chriſti Domini, a *quærebat Pilatus* liberum *dimittere IESVM: Iudæi autem* minas intentantes *clamabant dicentes: ſi hunc dimittis, non es amicus Cæſaris, omnis enim qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari.* Atque ſi diſtinctiùs illi dicerent: ſi hunc dimittis, accuſabimus te apud Cæſarem, quòd eius hoſtem, qui ſe Regem fecerit, in detrimentũ Imperij ipſius, liberum miſeris. b *Pilatus autem cum audiſſet hos ſermones*, cõterritus, *adduxit foras Ieſum, & ſedens pro tribunali, dicit Iudæis* : ECCE REX VESTER. Hæc verba conſiderari poſſunt, vel tanquam à proprio Pilati ſpiritu prolata, vel tanquam prolata à Diuino ſpiritu, qui ad ea dicenda illum permouit

a Ioan. 19. 12. Chriſtus accuſatur affectati Regni. b Ioan. 19. 13 Ecce Rex Veſter. Conſidera

I Vt dictum à Pilato.

PILATVS illa dixit in ludibrium, atque ſi dixiſſet: ecce miſerum hunc, quem dicitis, facere ſe Regem veſtrum: quòd neque Rex ſit, nec prætendat Rex eſſe. non eſt enim niſi Actionis alicuius comicæ Rex ; vt corona hæc, ſceptrum & purpura, quibus eſt ornatus, oſtendunt. Nec credite hũc poſſe facere ſe Regem, aut Cæſari contradicere. O Rex cœleſtis, quàm es abiectus inter homines, formam gerens ficti & depicti Regis, luens hac humiliatione ſuperbiam & ambitionem, qua illi regnare appetunt. b *Rex quidẽ Iſrael mutauit habitum ſuum, & ingreſſus eſt bellum.* vt hac larua mortẽ euaderet, quã eius aduerſarij *ipſi ſoli* machinabãtur, cæteris omnibus illæſis dimiſsis. Sed tu DEVS meus, Rex verus Iſrael, accipis inſignia, & Regis titulum, quo morti teipſum tradas, vt te mortuo exteri à morte liberentur: Benedictus hic ſit Rex, qui ita ſuos diligit ſubditos, vt quò illi viuant velit ipſe mori! moriar ego Domine millies, vt tu in me viuas, & ego tibi viuam.

b Reg. 22. 30. Achab Rex mutat habitum vt mortem effugiat: Chriſtus vt ſubeat.

Digitized by Google

II. Vt dictum inſuncta, Spiritus S.

Hæc eadem verba, dixit Spiritus diuinus ore Pilati Iudæis, vt illis indicaret, quòd præſentem haberent, quem tantoperè aliàs deſideraſſent, ECCE REX VESTER, quem per tot annos expectaſtis, Regem & Meſsiā, in Prophetis promiſſum, ad veſtrum remedium. c *Regem conſtitutum à Deo, ſuper Sion montem ſanctum eius*; qui ſuccedit in domo Dauid, cum virga æquitatis, cuius regnum erit æternum; Regem à Deo vnctum, vt vos à Dœmonis liberet ſeruitute; ecce illum vobis hic offero; aſpicite, num illum noueritis, & in verum Regem veſtrum, ſicut reipſa eſt, recipere velitis. Eodem quoque ſpiritu exiſtimabo, eadem verba mihi & Chriſtianis omnibus dici: ECCE REX VESTER, Rex ſanctus & ſapiens, manſuetus, & humilis, liberalis, profuſus, adeoque beneuolus, vt veſtri gratia, flebilem hanc figuram acceperit, cruciatus & tortus: ecce Rex ab æterno Patre cōſtitutus ſuper Eccleſiam militantem & triumphantem; Rex cœli & terræ, Rex gloriæ, Rex æternus, cuius regni non erit finis.

c *Pſal. 2. 6.*

Aſpice anima mea, num Regem hunc recipere velis, debitamque illi ſubiectionem offerre; cogita, num dedigneris, in Regem tuum habere eum, qui in externis adeò eſt abiectus & contemptus; cogita, num eius inſignia induere libeat, & in eius ſemper eſſe comitatu: tibi ſiquidem venit hic Rex. Libentiſsimè, mi Rex, te accipio, & vt Regem meum adoro; & quò te magis abiectum cerno, eò te pluris æſtimo; indue me Domine inſignia tua: honorificum eſt ſiquidem ſubdito, veſtibus ſui Regis eſſe indutum.

PVNCTVM V.

CVM Pontifices CHRISTVM vidiſſent, & Pilatum audiuiſſent dicentem: a *Ecce Rex veſter: illi clamabant: tolle tolle, crucifige eum. dicit eis Pilatus: Regem veſtrum crucifigam? reſponderunt Pontifices: non habemus Regem, niſi Cæſarem.*

a *Ioan. 19. 15*

I. Rabies Iudæorum, ne videre quidem Chriſtum ſuſtinentiū.

CONSIDERANDA hic primùm eſt execranda gentis huius rabies, quę nec *videre* quidem Chriſtum volebat. id enim illa verba ſignificant, tolle, tolle; atque ſi dicerent, ne amplius eum oculi noſtri videant, crucifige eum, vt ſemel tandem eſſe deſinat. re ipſa id præſtiterunt, quod in Sapientia, de eis ſcriptum erat: b *Circumueniamus iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ: promittit ſe ſcientiam Dei habere, & filium Dei ſe nominat: grauis eſt nobis etiam ad videndum quoniam diſsimilis eſt alijs vita illius, & immutatæ ſunt viæ eius.* O iuſte iuſtorum iuſtiſsime Saluator noſter, nobis cōmodiſsime & vtiliſsime, quia ſine te ōnes inutiles eſſemus, & æternū periremus? Grauis eſt impijs aſpectus tuus; ſed bonis eſt gratiſsimus; rebelles peccatores, te videre nō volūt, ſed iuſti ſēper cupiūt cōtemplari: nūquā

b *Sap. 2. 12. & 6.*

Oratio

qu æſo

quæſo, ſubtrahat ſe diuina iſta tua facies, ab oculis meis; quamuis in ea triſti figura, quam mei gratiâ accepiſti. nam cum te ita affectum aſpicio inducor &, adſpiro ad tuos labores imitandos, vt te videam poſtea, fruarque in æterna requie.

II. Eorundem cæcitas.

DEINDE iniquitas & cœcitas conſideranda eſt huius gentis; quæ verum Regem à Deo ſibi, in magnum ſuum commodum, datum reijcientes Tyrannum illum in Regem ſuum acceptarunt, qui facultatibus & libertate, quam illi tanti faciebant, ſpoliabat; & quem antea deteſtabantur; nunc, in odium Chriſti, recipiunt; ne ipſum Chriſtum Regem habeant:

Et pœna

in cuius ſceleris pœnam, permiſit Deus Dominus noſter, vt verum Regẽ & Meſsiam amitterent quidem; ſed terrenus ille Rex, quem ipſi elegerãt contra eos verſus, eoſdem deſtrueret ac deſolaret.

Mundani homines non habẽt Regem niſi Cæſarem.

HAEC omnia applicare mihi ipſi licebit, ac perpendere, quoties ego cęleſtem Regem abijcio, vt terrenum accipiam, idque ob inanis & tranſeuntis honoris puncta, ita ducens vitam meam, atque ſi nullum alium, quam Cæſarem, Regem haberem: quo magnam Deo Domino noſtro iniuriam infero; ſicut intulit pertinax ille & peruerſus populus Hebræus. O ſupreme Rex, ex toto corde doleo, quòd te toties reijciendo offenderim: quando eram de hoc mundo; dicebam cum mundanis: non habeo Regem niſi Cæſarem; ſed ex nunc Domine, quod in me eſt dico, me nullum alium Regem habere, niſi Chriſtum. tu meus es Cæſar, meus Rex, cui obedire, & toto corde ſeruire cupio, quod ſi terrenis regibus obediam, id faciam, quia tu ita vis; & in ijs tantum rebus, in quibus eis obediendum tu ſtatuiſti; nam in ijs, quæ contra tuam ſanctam legem erunt, neminem alium, quam te Regem agnoſco, cui ſit honor, & gloria, in ſæcula. Amen.

MEDITATIO XXXVIII.

DE CHRISTI AD CRVCIS MORTEM CONdemnatione.

PVNCTVM I.

a Matth. 17 19.

Viſio vxoris Pilati de Chriſto, vel

SEDENTE a *Pilato pro tribunali* vt ſententiam contra Chriſtum proferret; *miſit ad eum vxor eius, dicens: nihil tibi & iuſto illi: multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum.* Hæ viſiones, quas vxor Pilati in ſomnijs habuit, potuerunt prouenire vel à Dœmone, vel à bono Angelo, alij enim ſancti ab vno, alij ab alio factas contemplantur, & vtroque modo vtilitatem aliquam haurire licebit.

I.

LICET ergo primum conſiderare, quod Dœmon extremam videns

CHRI-

CHRISTI Domini manſuetudinem,& inuictam eius in tot iniurijs & doloribus patientiam,ſuſpicari cœperit, ipſum verè eſſe Meſsiam, & filium Dei,& qui regnum eius eſſet deſtructurus;ideoque vxorem Pilati, in ſõnijs conterruit,vt illa curaret impedire ipſius Chriſti mortem;exiſtimans per vxorem,poſſe marito perſuadere,quod ipſe volebat.Eſt verò attenta conſideratione dignisſimum,quàm ſit inuicta virtutis heroicæ vis,quę vel ipſis Dœmonibus adfert admirationem, de quibus Sanctus Iacobus ait,quod b *credant & contremiſcant*.credunt enim, ipſis iudicijs conuicti; contremiſcunt verò,ob maieſtatem & ſanctitatem, quam credunt. Vtinã omnes has virtutes Saluatoris aſpicerent,vt in eum crederent & reuererentur! non tamen hoc ſolo contenti eſſent,ſicut Dœmones,ſed imitarentur eundem,& illi,vt par eſt,ſeruirent.

a Dæmone volente impedire Domini mortem ex qua iam ſibi timeret.
b Iaco. 2. 19
Dæmones quomodo credunt & contremiſcunt.

LICET etiam conſiderare,bonum Angelum fuiſſe, qui vxori Pilati inſpirauerit, ac dixerit, ſi eius maritus Chriſtum condemnaret, fore,vt ipſe etiam condemnaretur, & grauiſsimas ſubiret calamitates; populus verò Hebræus eſſet deſolandus. Et in hunc modum, aliqua illi per viſum obiecit,quibus illa territa,marito perſuaderet,vt Chriſtum liberum dimitteret;ac propterea illa, Chriſtum iudicauit eſſe iuſtum;taleque teſtimonium dedit apud maritum, cum ſignificauit, *nihil tibi & iuſto illi*. O iuſte,& hominum iuſtificator,cuius iuſtitia notiſsima eſt ac teſtatiſsima;quę tamen, etiam cum talis ſit, nec admittitur, nec approbatur! iuſtifica me iuſtitiâ tuâ,& eius me fac participem; quia nec ſine tua ſocietate viuere poſſum;nec vellem vnquam ab ea diuelli.

II. Vel Abo ... Angelo ... Bonum Pilati.

PVNCTVM II.

SEDENS *pro a tribunali Pilatus,videns,quia nihil* ſe excuſando *proficeret,ſed magis tumultus fieret,accepta aqua,lauit manus coram populo, dicens: innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius: vos videritis,& reſpondens vniuerſus populus,dixit: ſanguis eius ſuper nos,& ſuper filios noſtros.*

a Matt. 27. 24.

PERPENDENDVM hîc primùm eſt,quàm frequenter Euangeliſtæ in hac hiſtoria in memoriam nobis reuocent,Chriſti Domini noſtri innocentiam,& teſtimonia,quæ Pilatus de ea reddebat,vt in ſingulis eius tormentis meminerimus,eum propter noſtra peccata pati; hac enim via,inuitent nos, ad maiorem innocentis huius Domini compaſsionem, & ad noſtra peccata,propter quæ tantas ille pœnas ſuſtinet,deflenda.

I. Pilatus Innocentiæ Chriſti prędicator.

DEINDE furioſa Iudaici illius populi nequitia eſt perpẽdẽda,qui modo Chriſto vitam adimeret,effundendo eius ſanguinem, proprium ſuũ & filiorum obtulerint, accipientes ſuper ſe pœnas & ſupplicia, quæ iuſti huius mors adeò iniuſta merebatur: & ita reipſa illis euenit. Nam Chriſti ſanguis, qui potens aliàs erat, ad vitam eis præſtandam, qui ſua culpa

II. Chriſti ſanguis aliter ſuper bonos, aliter ſuper malos.

eum offendebant, factus eſt illis occaſio mortis, in ſua pertinacia perſiſtẽtibus. Sed ego, alio quam Iudæi ſpiritu, dicam æterno Patri: ſanguis iuſti huius filij tui, veniat ſuper me, & ſuper Chriſtianos omnes, vt nos mũdet ac ſãctificet. Et ego meũ ſanguinẽ tibi offero, deſiderans illum effũdere, pro eo, qui ſuum pro me effudit. O ſanguis Saluatoris mei pretioſiſsime, ne venias ſuper me, ſicut ſuper iſtos rebelles, vt me confundas; ſed benignè veni, vt me laues ac iuſtifices. O Redemptor mi, ne permittas me Pilati exemplo, manus meas aqua lauare, corde interim culpis maculato remanente; & iniqua opera, humano timore perpetrans, excuſare ea velim, & in ſpecie lauare; alteri tribuens id, cuius miſer ego ſum reus.

Pilatus manus lauat, ſed nõ cor.

PVNCTVM III.

a Luc. 23. 24

b Matt. 27. 62.

PILATVS a igitur *adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimiſit autem illis eũ, qui propter homicidiũ & ſeditionem miſſus fuerat in carcerem, quem petebant, IESVM verò tradidit voluntati* b *eorum vt crucifigeretur.*

I. Sententiæ Pilati in Chriſtum latæ iniuſtitia & crudelitas

HAEC fuit ſententia iudicis contra Chriſtum, qua illum ad mortem crucis condemnauit. circa quam perpendendum eſt PRIMVM, quam fuerit iniuſta, & ſimul crudelis; ſiquidem ipſemet iudex, Chriſtum iudicabat innocentem, & eius innocentiæ teſtimonium reddebat, non ſolum verbis, ſed externa quoque illa lotionis manuum cærimonia, & nihilominus humano timore permotus, illam pronunciauit, ne populus eum apud Cæſarem accuſaret; nihili faciens, ob eum timorem, ipſam iuſtitiam conculcare.

Voluntas propria, Tyrannus.

FVIT quoque eadem ſententia crudelis: ſciens enim Pilatus Pontifices per inuidiam Chriſtum tradidiſſe, & ex odio cupere, vt crucis mortem ſubiret, eum tamen *tradidit voluntati eorum*; ſecutus nimirum non rationẽ nec iuſtitiæ, aut miſericordiæ leges; ſed furentis populi voluntatem; quę non, niſi crucis morte Chriſto illata, conquieſcebat. O dulcis IESV, nec te, nec tua tradere volo tyranno adeò crudeli, qualis mea eſt propria voluntas; volo potiùs me & omnia mea tuæ voluntati tradi: mea enim voluntas, adeò eſt crudelis, vt non videatur ceſſatura, donec te iterum in me crucifigis admiſſa culpa, tua verò volũtas, adeò benigna eſt & miſericors, vt gratia ſua, me ſit à morte liberatura.

II. Iudæorum gaudium audita mortis Chriſti ſẽtentia.

DEINDE, conſiderandum eſt illius gentis gaudium, & clamores quos edidit, cùm talem ſententiam audiuit pronuntiari. O quales inuicem cõgratulationes ſibi dixerint; quòd tanti voti compotes euaſerint! quòd totum in grauem Chriſti Domini noſtri iniuriam cedebat, qui audiebat omnia.

III.

PRAE cæteris verò, & maiori deuotione perpendam, qua ratione

CHRISTVS Dominus noſter, audita hac ſententia, quamuis ex parte iudicis iniuſtiſsima, attendens tamen eam ab æterno Patre, in mundi remedium decretam, ſtatim libentiſsimè eam acceptarit, non appellans ab ea, non conquerens de iniuria, quæ illi inferebatur; nec verbum dicens aduerſus Iudicem aut eius miniſtros: ſed prompta voluntate, ſeſe ad eius executionem propter noſtrum bonum obtulit; ſeipſum beneuola ſua voluntate, rabidæ ſuorum inimicorum voluntati, tradens; vt illi exequerētur, quod Pilatus ſententia ſua decreuerat. Gratias tibi dulciſsime Redemptor, pro beneuola iſta voluntate, qua ſententiam adeò iniuſtam & crudelem acceptaſti, vt me, à iuſtiſsima ſententia æternæ damnationis, quæ contra me lata erat, liberares: quod tibi pro iſta tua voluntate reddam? ecce meam tibi omnino trado, vt tuam in omnibus exequar: paratus ſum ad acceptandā quorumcunque laborum in me ſētentiam, quam tu decreueris, aut ferri permiſeris. Adiuua me verò gratia tua; vt nec timore, nec puſillanimitate, vnquam recedam à tuis mandatis, aut officio meo deſim, quod mihi iniunxeris.

Chriſtus quàm libēter Sententiam acceptarit.

IV.

LICET præterea, piè meditari, aliquem ex diſcipulis, qui, licet occultè, huic ſententiæ interfuerit, mox ad Virginem ſanctiſsimam iuiſſe: flebilemque figuram filij eius, & quod ad mortem crucis damnatus iam eſſet, retuliſſe. Qua relatione fuit cor Virginis tranſfixum, & vltra quam ſentiri aut dici poſsit afflictum: ſed exactiſsima reſignatione tamen in voluntate diuina, ſententiam amplexa eſt: nihil dubitans, filium ſuum eandem acceptaſſe; vt ſe patris ſui voluntati conformaret. O Virgo ſuprema conforta cor tuum: nam ſacrificio interfutura es, in quo Patri æterno offeres, quod ab eius manu acceperas: & ſi grauem tibi attulit pœnam triſtis illa relatio, quam tuis auribus accepiſti: maiorem multo adferet triſte illud ſpectaculum, quod tuis oculis perſpicies.

B. Virgini annūtiatur Damnatio Chriſti ad mortem crucis.

B. Virginis dolor & reſignatio.

MEDITATIO XXXIX.

DE BAIVLATIONE CRVCIS, ET QVAE euenerunt antequam ad Caluarium montem perueniretur.

PVNCTVM I.

I.

PROLATA, & acceptata ſententia, tria milites notatu digna fecerunt, ex mandato iudicis.

a Mat. 27. 31. a Marc. 15. 21.

PRIMVM fuit, *a exuere eum chlamyde, & induere eum veſtimentis eius:* vt ſic agnoſceretur: ſed non legitur tamen, quod abſtulerint illi ſpineā coronā, ſed illā potius reliquiſſe credēdi ſūt, ne aliquod illi leuamen adferrent.

Chriſtus exuitur chlamyde, ſed non corona ſpinea.

O dulcis Ieſu, exactè ſatis perſonā egiſti veri Regis, & propterea coronā

Digitized by Google

tibi relinquunt, quæ regni tui perpetuitatem ſignificat. Tempus iam eſt, vt latronis & malefici, cum talis non ſis, perſonam agas, inſignia ferens verorum latronum & maleficorum. Loco itaque inanis arundinis, quam auferunt illi ex manibus, amplecteris ſolidum lignum crucis, & comitatus duobus latronibus, exibis, vt cum eis in illa moriaris.

LICET etiam æſtimare iniurioſa verba, quæ illi carnifices Chriſto Domino obiecerint, tanquam homini, ob maleficia damnato; & crudelitatem, qua illum ad locum reduxerint, in quo fuerat verberatus; vt ibi eum exuentes, propria veſtimenta ſanguine infecta traderent, vt indueret. Quod totum habuit aliquod myſterium. Nam, vt CHRISTVS Dominus noſter, ad tollendam crucem ſuam, exuit aliena veſtimenta; (ſiue quæ apud Herodem, ſiue quæ apud Pilatum acceperat) ſua verò propria induit: ita ego, vt tollam Crucem meam, & illum imiter, omnes mores malos huius mundi, & carnis, exuere debeo, & proprios Chriſti induere; vt ſic agnoſcar, habearque diſcipulus eius, præcipuè verò induam manſuetudinem, patientiam, miſericordiam, & charitatis viſcera.

Chriſtus ad tollendam Crucẽ cur proprijs induatur veſtimẽtis.

II. Crucis lignum imponitur humeris Chriſti. Chriſtus vt animo exultauerit conſpecta cruce.

SECVNDVM, quod milites fecerunt, fuit, adferre lignum crucis magnum, valdeque graue, vt ipſum Chriſtus portaret. Circa quod perpendã, quid in corde ſuo Chriſtus Dominus ſenſerit, aut dixerit, conſpecta cruce, tanquam enim cum re ſibi gratiſsima, interius exultauit, multoque alacrius, quàm S. Andreas, dixerit: *ſalue crux pretioſa, diu deſiderata, ſolicitè amata, ſine intermiſsione quæſita, & aliquando cupienti animo præparata.* veni, & expanſis vlnis te complectar, quia tu me in tuis excipies; veni, daboque tibi oſculum pacis ore meo quia in te caput meum reclinabo, dormiamq; in pace, vltimum mortis ſomnum. O quam tenerè amplexatus fuerit Chriſtus Saluator noſter ſuam crucem primoque illo amplexu eandem ſanctificauerit; quam lubens acceptam ſuis manibus, afflictis ſuis humeris impoſuerit! O dulcis IESV, largire mihi gratiam, talibus oculis, tuam crucem aſpiciendi, & amore iſto complectendi, eodemque deſiderio eandem quærendi, & in ea ita gloriandi, vt non requieſcam, donec in ea moriar.

III. b Luc. 23. 33.

Latrones è contra id perterriti.

TERTIVM fuit, quod duos latrones ex carcere eduxerit, qui illum in itinere comitarentur; ſic enim Sanctus Lucas ait, b *ducebantur alij duo nequam cum eo, vt interficerentur.* Hoc autem in magnum ipſius Chriſti Domini dedecus, & ignominiam cedebat: quia vt latro & nequã habebatur. O quam diuerſis oculis, latrones illi crucem aſpexerunt: quos ne eam viderent, clauſerunt, eius conſpectu perterriti; illi culpam amantes, pœnam horruerunt: ſed dilectiſsimus noſter IESVS, pœnam amplexus eſt, culpam deteſtatus: illi pœnam, quam propria culpa erant meriti, refugiebant: Chriſtus verò pœnam acceptauit, quam aliena culpa fuit promerita.

GRATIAS

Gratias tibi dulciſsime Saluator, quod ita iucundè amplexus fueris crucis pœnam, abſq; tua culpa, vt me à mea liberares. Muta cor meum ad ſimilitudinem tui: vt, ſiquidem culpas, vt latrones illi, commiſi; lubens acceptem, ſicut tu pœnas, quas illis ſum promeritus: meque ipſum ex charitate offeram, ad ſuſtinendas etiam alienas; vt ſicut tu plurima pro hominibus es perpeſſus: aliqua ſaltem & ego, pro meis proximis patiar.

Pvnctvm II.

Iesvs *ergo baiulans ſibi Crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum.* a Ioa. 19.17

In hoc commiſeratione digniſsimo loco cõſiderabo Primvm, inſignem Chriſti Domini noſtri *ignominiam*: cùm in primo illo, ex domo Pilati exitu, *crucem baiulans*, inter duos latrones exiret, proclamante elata voce præcone illius delicta: magnoque populi clamore, & innumera turba, ad hoc ſpectaculum concurrente. O Angeli, qui exitũ hunc Domini veſtri, adeò ignominioſum ſpectatis; cur nõ ex veſtro iſto cœlo deſcendentes, huius ignominiæ cauſam, contra vocem præconis promulgatis, vt veſtri Domini honorem tueamini? O Pater æterne, quid facis, aſpiciens tuum filium, ligno crucis oneratum, in quo eſt ſacrificãdus? num, ſicut alter Abraham cum Iſaac filio ſuo exis, portans in manu tua ignem & gladium, quibus eſt ſacrificium peragendum? O vehemẽs amoris ignis, qui in huius Patris corde adeò exardeſcis, vt illum vrgeas, eximere iuſtitiæ ſuæ gladium vt proprium filium occidat, ac ſacrificet; quò peccatori vita tribuatur! exure, Domine, iſto igne cor meum, vt eum diligam à quo adeò me diligi video: vulnera me gladio iſto, ita, vt moriatur in me, quidquid tibi diſplicet. Sed cur quæſo Deus meus, cum filio iſto tuo, non *de nocte, & duobus* tantùm *iuuenibus*, ſicut Abraham, comitatus exis? ſed medio ipſo die cum magno turbæ concurſu & ſtrepitu, ad ipſum ſacrificium cõfluentis? O ignis amoris qui & ardes, & luces! viſque vt opera tua ſplendeant, & adurãt ſicut ſol, in meridie! aperi mihi paternæ huius charitatis magnitudinem; humilitatis verò, & obedientiæ filij profunditatem; vt eius opprobrijs glorier, eaque in totius mundi conſpectu, magno amore complectar.

I. Baiulatio crucis Chriſti Oratio.

Fuit figurata in Iſaac portãte ligna.

Gen. 22.3.

Deinde conſideranda eſt afflictio, & ingens *dolor*, quem debilitatum Chriſti Domini corpus, tam graui onere impoſito, ſenſerit: Quoties in progreſſu impegerit; & ob nimium pondus, etiam genu flexerit, corpore, & ex præcedentibus cruciatibus, valdè exhauſto; ac præ nimia defatigatione, grauiſsimi illius ligni pondere oppreſſus, & ſudauerit, & plateas ſanguine, ex vulneribus compreſsis expreſſo rigauerit! O ſanguinem Dei viui! ô ſanguinem infinitum, luto platearum commixtum, & abiectiſsimorum hominum pedibus conculcatum! O Angeli cœleſtes, cur non

II. Crucis põdus quã Chriſtum afflixerit.

acceditis, exanguem hunc Dominum adiuuatis, vt tantum pondus ferre poſsit! cur pretioſum hunc ſanguinem non colligitis? ô dulciſsime Iesv, ſi mihi licuiſſet, ſuper humeros meos, onus illud ſuſcipere, vt tui aliquantulum leuarentur. ſed animaduerto Domine humeros Dei, ad illud portandum eſſe neceſſarios. nam c *factus eſt principatus* qui à cruce incipit, *ſuper humerum eius*, & d *clauis domus Dauid erit ſuper humerum eius*, vt cœli portas nobis aperiat, quæ hactenus erant clauſæ.

c Iſaia 9. 6.
d Iſai. 22. 22

III. Peccatorũ noſtrorum põdus ſenſit in crucis latione Christus.

Deniqve perpendam, quantò grauius ſenſerit Chriſtus, *pondus* noſtrorum *peccatorum*, quàm ipſius *crucis*. Si enim Dauid iure dicere potuit; e *quoniam iniquitates meæ, ſicut onus graue, grauatæ ſunt ſuper me*; quantò grauius fuerit pondus omnium peccatorum hominum, qui fuerunt, ſunt, & erunt; quod hic Dominus ſibi ipſi impoſuit? de quo Iſaias ait, f *omnes nos quaſi oues errauimus: vnuſquiſque in viam ſuam declinauit; & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum*. Peccata mea ô dulcis Iesv, humeros tuos ita grauiter premunt: ego ſum ouis, quæ erraui: tu verò g *ſicut ouis ad occiſionem duceris* ad montem Caluarium, in quo pro meis erratis ſacrificeris. vtinam illa nũquam admiſiſſem; ne tantum tibi adferrem laborem. cùm igitur culpa ſit mea, conſonum eſt, me pœnæ quoque partem aliquam luere, & vt imponatur mihi crux, quam ſum promeritus; en Domine, ad eam tollendam me offero, ſicut te video tuliſſe tuam.

e Pſal. 37. 5.
f Iſai. 53. 6.
g Iſaia. 53. 7.

Pvnctvm III.

a Luc. 23. 26
Matt. 27. 32
Marc 15. 21.

Cvm Christvs cum ſua cruce pergeret; a *apprehenderunt Simonem quendam Cyrenenſem, venientem de villa; & impoſuerunt illi crucem portare poſt* Iesvm.

I. Chriſt. ſub onere crucis laſſitudo.

Consideranda hîc inprimis, quãta fuerit Chriſti Domini noſtri, in eo itinere *laſſitudo*; ex qua eius hoſtes, occaſionem eum irridendi acceperint, propter imbecillitatem, quam præ ſe ferebat, obijciẽtes ei ex alia parte, quod eſſet filius Dei, & in triduo poſſet ingentem illam templi machinam excitare; vtrumque autem ipſe Dominus, admiranda ipſa patientia ferebat, donec Sacerdotum principes, timentes ne fortè in via deficeret, crucem illi abſtulerunt, non ex compaſsione, vt alleuiarent; ſed ex deſiderio, quo tenebantur eum in ea affigendi. Hinc accipiam conſolationem in meis calamitatibus; & in cruce, quæ mihi in ſortem obtigerit, quantumuis grauis illa ſit, ſperans in miſericordia Iesv Chriſti Domini noſtri, quod prouiſurus ſit, qui me ad eam portandam iuuet; reuocans mihi in memoriam illud Apoſtoli: b *grauati ſumus ſupra modum, & ſupra virtutem; ita vt taderet nos etiam viuere. Sed ipſi, in nobismetipſis reſponſum mortis habuimus, vt non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo qui etiam ſuſcitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit, in quem ſperamus, quoniam & adhuc eripiet.*

b 2. Cor. 1. 8

Digitized by Google

II. Deinde perpendam, Chriſtum Dominum noſtrum; quamuis potuiſſet ſolus crucem ſuam in montem vſque portare, carnem ſuam etiam miraculo corroborando; ea tamen poteſtate vti noluiſſe; ſed vt crux alteri imponeretur, qui eam poſt ipſum portaret, vt nobis ſignificaret, crucem ſuam eſſe fidelibus ſuis communicandam, qui ad eius imitationẽ illam portent, vt impleretur, quod ipſe iam antea dixerat, *ſi c quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* O bone Iesv, ſi tu præcedis, tollens primus crucem adeò grauem, vt te ad genua vſque deprimat; quid magnum eſt, ſi meā ego portem, viribus à te mihi, ad eam portandam collatis: Crux, Domine, quam porto, tua eſt & mea: tua, quia tu primus eam portaſti, & diſpoſitione mihi communicatur, tuiq; intuitu & cauſa à me portatur; eſt tamen mea, quia meis viribus accommodata ceditque in meum commodum: neque crucem tuam, mihi vnquam impoſuiſſes, niſi benedictos fructus, qui ab ea proueniunt, communicare mihi ſtatuiſſes.

Crucē ſuā quare permiſerit Chriſtus imponi alteri.
c *Luc.* 9.23. *Matt* 16.24 *Marc.* 8 34.
Crux quā ferimus & noſtra eſt, & Domini.

III. Considerandvm tertiò, *neminem* ibi fuiſſe repertum, qui vellet Chriſti crucem portare, nec ipſum in ea portanda, iuuare. Iudæi enim, tanquam maledictum & irregularitatem æſtimabant, vel tangere ipſam crucem, propter legem, quæ dicit: d *quia maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno:* Milites etiam Gentiles, id ſibi dedecori ducebant; ex diſcipulis verò & amicis Chriſti, nemo auſus eſt accedere, adeò erãt omnes metu conterriti: quare neceſſe fuit pertranſeuntem aliquem aduenam apprehendere, & cogere, vt crucem portaret. In quo varia genera perſonarum, nobis proponuntur, quę fugiunt crucē Chriſti, *alij*, quod non credant, quantam in ea poſuerit Deus virtutem, quales erant infideles: *alij*, quod ignominiæ & dedecoris loco & contra ſuum honorem illam ducant, quales ſunt ſuperbi & ambitioſi: *alij*, ob timorem laboris, qui contra ſenſuum propenſionem in ea ferenda ſubeundus eſt, quales ſunt delicati, & qui ſuæ carni nimium indulgent.

d *Deut.* 21. 23. *Galat.* 3.13.
Fugientiū crucem Chriſti tria hominum genera. Infideles Superbi Delicijs dediti.

Quis meis oculis largiretur fontem lacrymarum, vt cum Apoſtolo e *flente* dicere poſſem, *multos eſſe in hoc mũdo inimicos crucis Chriſti, quorũ Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum!* O Rex gloriæ, ne permittas, me inimicum eſſe crucis tuæ, ne & tuus ſiam inimicus, nolo ventrem habere Deum, nec ipſam gloriam mundi, ſed Chriſtum crucifixum; cuius crux mihi deliciæ & gloria. nam ſi crucis eius amicus fuero; eius quoque ero, qui in ea, pro me voluit mori.

e *Phil.* 3.18.
Amicus crucis, amicus Chriſti.

IV. Deniqve perpendam, omnes nos naturâ *à cruce abhorrere*; nec vllũ eſſe, qui eam portet, niſi aliquo modo, ſicut Cyrenenſis hic Simon, coactus; ſed aliter tamẽ atq; aliter; nam quidã, nõ ſolùm coacti, ſed etiã impatiẽter, & abſq; vllo merito, faciẽtes ex neceſsitate virtutẽ, ſicut hic Simõ.

S. Bern. ſer. 34. *in Cant. & infra Medit.* 33.

Sed

crucem portemus, non tamen eſſe cupio ſicut hic Simon Cyrenenſis: qui etſi crucem tuam portauit, non eſt tamen mortuus in illa; ſed potiùs vt Simon Petrus, qui fuit tecum crucifixus, cùm eſſes tu crucifixus in illo.

DENIQVE perpendam, etſi labor Simonis huius breui tempore durauerit, in hanc tamen diem, eius memoriam ac filiorum ipſius in Eccleſia perdurare, tanquam hominum virtute inſignium, quos propterea omnes Sanctus Marcus expreſsit, dicens, ipſum appellatum eſſe b *Simonem*, *&* *Patrem* fuiſſe *Alexandri & Rufi.* Sic igitur qui portant crucem Chriſti Domini noſtri quamuis incipiant coacti, progredientes veruntamen ſpontè & patienter, eorũ labor erit valde breuis; ſed gloria multa. Nam qui crucem ſuam cum Chriſto portat, cum eodem regnabit in æterna gloria. III. Ferentium crucem labor breuis; ſed gloria magna. b *Marc.* 15. 21.

PVNCTVM IV.

SEQVEBATVR *autem illum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. Conuerſus autem ad illas IESVS, dixit: Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: beatæ ſteriles & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: cadite ſuper nos; & collibus, operite nos. Quia, ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*

PERPENDAM hic primùm varios fines, & intentiones eorum, qui Chriſtum ſequebantur: *alij.* n. eũ ſequebantur, vt crucifigerent, vt erant milites, & carnifices; *alij*, vt eum irriderent, & exultarent, cùm viderent morientem ſicut Sacerdotes & Scribæ; *alij* curioſitate ducti, ſpectaculum hoc adeò inſolens, videre cupiebant; *alij* ob notitiam aliquam & familiaritatem, quam habebant cum Chriſto, commiſeratione quadam naturali calamitates eius deflentes, eum comitabantur: ſed nullus tamen horum illum ſequebatur, vt iuuaret portare crucẽ, nec deſiderans cum illo mori, ſicut ipſe antea dixerat: b *ſi quis vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* O bone IESV, da mihi gratiam, qua te, non vt hæc turba ſequar; ſed ſicut tu vis, amplectendo crucem tuam, vt tecum in eâ moriar. I. Variæ intentiones ſequentiũ Chriſtum ad ſupplicium crucis. b *Luc.* 9. 23.

DEINDE conſiderandum, Chriſtum Dominum noſtrum, in medio illo tantæ turbæ agmine, & in tanta ſua ignominia, diuinam tamen ſuam conſeruaſſe authoritatem; & ad mulieres, quæ flentes ipſum ſequebantur, conuerſum, docuiſſe illas perfectiorem flendi rationem, ac dixiſſe: *nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete:* quibus verbis, non prohibet illas flere eius paſsionem: quia iuſtiſsimum eſt, omnes illam flere; ſed modum, ne ſcilicet illam, tanquam aliquam humanam miſeriam ſolùm, II. Paſsio Chriſti quomodo deflenda.

ſpexit:ipſaque mater, oculis pariter eleuatis, conſpexit filium: occurrentes autem ſibi mutuò vtriusque oculi, corda quoque mutuò penetrarunt; manſitque vterque altero conſpecto, dolore grandi transfixus. O quàm acuto bipenni gladio, Virginis ſanctiſsimæ anima, fuit transfixa, cùm dilectiſsimum Filium, corona illa ſpinea vidit coronatum, quam nouerca Synagoga, illius capiti impoſuerat! ac diuinā eius faciem adeò immutatā! corpus verò à graui pondere ligni crucis incuruatum, inter duos latrones incedentem, plurimisque tortoribus & carnificibus circumdatum, qui ex omni parte illum cruciabant. Si filię Ieruſalem adeò plangebant, & lamentabantur, ob Chriſti Domini dolores, quem virum tantùm ſanctum exiſtimabant; quomodò planxerit, & in corde ſenſerit eoſdem dolores illa, quæ & filium eum, & Deum ſuum agnoſcebat. Eleuauit mox illa oculos animæ ad æternum Patrem, quem ſpiritu vidit, tenentem a *manibus ignem, & gladium*, quo filium ſuum ſacrificaret; magisque cordis gemitibus dixit: b *O ignis* Diuini amoris, *qui nunquam dicis, ſufficit.* Nunc ſaltem dicas, ſufficit; quandoquidem ad mundi reparationem, verè ſufficit, quod hactenus meus filius eſt perpeſſus! O Diuinæ iuſtitiæ gladius, redi ad tuam vaginam: ſiquidem ſufficit ſanguis, quem hactenus effudiſti, ad ſoluendas iniurias tibi illatas! O Pater æterne, ceſſet iam iuſtitiæ tuæ rigor in filium tuum & meum; abundè ſiquidem, ei ſatisfactum eſt ijs, quæ hactenus ille pertulit; aut conuerte gladium tuum in meipſam, vt ſimul ego cum eo, pro peccatoribus moriar: nā ſine eo viuere, eſt mihi mors; illi verò commori eſſet vita mea: veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat.

[Margin: Vt vidit, vt doluit. — II. Oratio — a *Gen.* 22. 6 — b *Prou.* 30. 16. — Et ſe reſignat.]

O Pater miſericordiarū, cuius decreto, Abraham profectus eſt, ad filium ſuum Iſaac tibi in ſacrificium offerendum, inſcia eius matre; cur quæſo nunc vis filiū tuum, non ſolùm matre eius conſcia ſacrificari, verum etiam ſacrificio ipſi aſsiſtere? nouus hic cruciatus eſt Filij & Matris; cur ergo vis vnius cruciatus creſcere, ex alterius præſentiâ! ſed noui iam Domine mores tuos, qui quos plurimùm diligis, etiam affligis plurimùm, quò in tuo amore creſcant; aut, quem in te habent, manifeſtent; voluntatem tuam, pluris quàm propriam æſtimantes, ſeque ad moriendum offerentes; vt ijs vitam conferant, quos diligunt. O Virgo ſacratiſsima, ſiquidem peccatores adeò diligis, vt ad filio tuo commoriendum, pro illis te offeras; oſtende mihi amorem, quo me proſequeris, in hoc, vt ſentiam ego dolores illos, quos tu ſenſiſti, cùm filium tuum adeò afflictum videres; vt meipſum offeram, ad commoriendum rebus omnibus terrenis: c *carnē meā* pro ipſius amore, *cū vitijs & cōcupiſcētijs meis crucifigendo.* Amē.

[Margin: Oratio ad B. Virg. — c *Gal.* 5. 24.]

III.

Denique progrediens Christvs, modo prædicto, peruenit ad montē Caluariæ. Circa quod eſt perpēdendū, quid Chriſtus Dominus ſenſerit, cū exiret ex illa ciuitate Hieruſalem, cum inſignib. illis peccatoris;

Exeundū nobis cum Chriſto extra caſtra. *Hebr. 13.*

cogitans, quòd infelix illa, propterea quòd ipſum extra ſe eiiceret, eſſet deſtruenda ac deſolanda; ſuam verò paſsionem, cæteris proficuam futuram; qui eius ſcelerū & proditionū participes pertinaciter non fuiſſent. O bone IESV, qui exis extra ciuitatem, vt caro tua, per legis antiquæ hircos adumbrata, in holocauſtum pro meis peccatis offeratur, adiuua me vt extra peruerſam huius mundi ciuitatem, ac deprauatam hominum eius ſocietatem, exiens, opprobria tua ſuper meos humeros portem, de eis glorians, tuoſque cruciatus lubens & magno affectu complectens.

MEDITATIO XL.

DE IIS QVAE IN MONTE CALVARIO, ante crucifixionem ſunt geſta.

PVNCTVM I.

S. Thom. 3 p. q. 46. a. 10.

PRIMVM conſiderandæ ſunt *cauſæ*, cur voluerit Chriſtus Dominus crucifigi in monte Caluario, in meridie, & tempore tantæ ſolennitatis? quia omnia hæc, ſua continent myſteria: neque enim caſu, ſed propriâ electione ac voluntate, & crucifixionē, & modum, tempus, ac locum eius, cum cæteris ſacrificij circumſtantijs, ipſe elegit.

Cur voluerit Chriſtus crucifigi in aperto campo.

PRAECIPVA cauſa huius fuit, vt *crucifixio & mors* eius, ex omni parte illi eſſet *acerbior*, nobis verò *vtilior*, ob rara virtutis exempla, quæ occaſione hac, in ea reſplenduerunt. Voluit in *aperto campo* mori, vt eius ignominiæ & cruciatus, magis eſſent publici, & poſſent ab omnibus videri; ſiquidem in omnium commodum illos ſuſtinebat: Voluit eundem campum, eſſe montem *Caluarium*, in quo ſcelerati afficiebantur ſupplicio, vt ſic mors eius magis eſſet ignominioſa: ſiquidem in eo loco illa inferebatur, in quo alij, propter enormia ſcelera, morte afficiebantur; & vt ita appareret, ipſum, non tam ſententiâ humanæ iuſtitiæ, quàm Diuinæ, mortis ſupplicio affici, in pœnam, quam, qui verè erant peccatores, propter ſua ſcelera erāt promeriti; ipſe verò ita illorum pœnas lueret, vt liberaret à culpis. Voluit præterea locum appellari *Caluarium*, eò quòd plenus eſſet caluariis eorū, qui erant ſupplicio affecti; ac propterea fœtidus, & qui ſtomachū cōmoueret; vt hæc omnia horrorem illi maiorem adferrent, & intelligeretur, eius ſanguinē, viuis ac mortuis adferre ſalutem; ac viuificare animas, & ſuo tempore etiam corpora viuificaturum:

In monte caluario.

Ratio nominis huius mōtis.

Digitized by Google

Voluit etiam in *meridie* ſacrificari; vt omnes clarè poſſent videre, ipſius nuditatem, & ignominiam, & quòd pro omnibus patiebatur, eo feruoris exceſſu, quem ſol in meridie ſignificat. Et ob eandem cauſam, elegit mori, in die ſolemni *Paſchatis*, cùm innumerus populus confluebat in Hieruſalem; vt, quo ad plures perueniret paſsionum eius notitia, eò eſſent illæ magis ignominioſæ; & omnes diſcerent ab eo heroicam humilitatẽ, patientiam, & charitatem, quibus talia patiebatur, à talibus perſecutoribus, & tot concurrentibus circumſtantiis, quales nunquam in mundo viſæ fuerunt. Gratias tibi dulciſsime Redemptor, quod ad tuam mortem, deterrima & abiectiſsima, quæ in terra erant, elegeris. Vt in mundum ingredereris, vile ſtabulum elegiſti; vt verò exires, infamem quoq; Caluariæ locum.

In meridie

S. Tho. 3. p. q. 46. a. 9.

In die ſolemni Paſchæ.

Ad naſcendum elegiſti locum immundum, & brutorum animalium; ad moriendum verò alium caluariis ſceleſtorum hominum repletum. Cùm naſcebaris, confluxit in Bethlehem innumera populi multitudo, vt impedimento tibi eſſet, ne hoſpitium inuenires; & quando moreris, confluit etiam plurimus populus in Hieruſalem; quo eſſet tibi occaſio maioris infamiæ.

Natiuitatis Chriſti locus vilis, ſed mortis abiectior.

Natus fuiſti media nocte, & in parua ciuitate, vt glorioſa natuitas tua occultaretur: Pateris verò in meridie, & in ciuitate maxima, vt ignominioſa tua mors, ſit omnibus manifeſta. Et quoniam tua electio ſemper eſt recta, concede mihi, Saluator mi, ad tuam imitationem, eligere mihi, quod in mundo eſt deterius; fugere verò, quod in eo eſt honorificum, & amplecti quod apud eum eſt infame: ac in huiuſmodi humiliatione, ad finem vſque vitæ meæ perſeuerare. Amen

PVNCTVM II.

CVm ad montem Caluarium eſſet peruentum, a *dederunt ei vinum bibere, cum felle mixtum. Et cùm guſtaſſet, noluit bibere.*

PERPENDENDA hic *primùm* eſt, horum tortorum crudelitas. More enim receptum erat, *bonum vinum*, ſupplicio afficiendis propinare, vt eorum debilitati conſuleretur; ſed Chriſto Dominó noſtro, aliàs afflictiſsimo, ac ſiti valdè vexato, ob multam ſanguinis effuſam copiam, & tot confecta itinera, cùm eſſent illi vinum oblaturi, fel & amariſsimam myrrham illi commiſcuerũt; vt os, linguam, & ipſum ſtomachum cruciarent; ad quas partes verbera & ſpinæ non peruenerant. Sed ipſe Chriſtus, etſi non ignoraret, quale illi vinum offerrent, *guſtauit*, ſed *noluit bibere*, vt illa amaritudine percepta, exſiccata eius lingua, & os afflictũ paterentur; & hac ratione lueret ipſe, gulæ & ebrietatis noſtræ voluptates; & ſimul nobis patientiæ exemplum præberet, ſi quando noſtrarum affli-

a Matt. 27. 34. Marc. 15. 23.

Prou. 31. 6. Date vinũ his qui amaro ſunt animo.

Vinum felle mixtum offertur Chriſto.

Sic ipſe luit noſtram intemperantiam,

Et docet in penuria patientiam. e Pſal. 60. 22. Oratio d Iere. 31. 29 Ezech. 18. 2 e Thren. 3. 19.

ctionum, nullum ab hominibus leuamen, ſed potiùs earum augmentum percipiamus; & etiam exemplũ tolerantiæ, quando eſurientibus aut ſitientibus nobis deerũt neceſſaria; aut inſulſus & inſipidus cibus offeretur: ſiquidem noſtro Domino tanta ſiti defatigato, fel cum vino obtulerunt, & vt ipſe conqueritur c *dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.*

O dulcis IESV, quàm caro tibi ſtat noſtræ gulæ ſolutio! non dicetur de te, d *patres comederunt vuam acerbam, & filiorum dentes obſtupuerunt*: contrà potius, filij acerbas vuas comedimus, & peccatorum auſteritatem; tu verò ſtuporem ſentis, perferens quos nos promeriti ſumus cruciatus! ignoſce Redemptor mi, meos in hoc vitio exceſſus, ſitque cibi mei condimentum, e *recordatio abſynthij & fellis* tui: ne aut cibi defectus me affligat, aut eius me voluptas abripiat.

II. Vinum felle mixtũ myſticè qui Chriſto offerant. f Deut. 32. 32.

DEINDE perpendam, plurimos nunc eſſe, qui vinum felle mixtum, Chriſto Domino propinent, dum operibus alioqui bonis, peruerſas intẽtiones & abominandas circumſtantias admiſcent. Vinum cum felle mixtum, eſt doctrina commixta erroribus; fides, iniquis operibus; zelus, vindictæ; eleemoſyna, inani gloriæ; oratio, voluntariis diſtractionibus, & omnia denique opera ex hypocriſi. Hæc illa vua eſt, quam Moyſes f *vuam fellis*, & eius *vinum fel draconum appellat*: quod nos Chriſto offerimus: ſed ipſe etſi guſtu percipiat, non tamen bibit, ſed exſpuit ſtatim: diſplicet enim illi grauiſsimeque eum offendit huiuſmodi hauſtus. O Rex supreme, quantum intereſt inter cibũ & potum, quem tu mihi das, & quem ego tibi offero! nam tu mihi ſanctiſsimi tui corporis panẽ, & ſalutare pretioſi tui ſanguinis vinum offers, & quidem iucundiſsimarum conſolationum melle admixto; ego contrà, panem & vinum tibi reddo, felle amariſsimo infectum. Ignoſce Domine huic meæ ingratitudini, & gratia tua diuina ita me adiuua; vt ex nunc g *vinum* tibi offeram bonorum operum, *optimum*, purum, & odoriferum, *dignum* (vt ait Sponſa) *dilecto meo, ad potãdum, labijsq; & dentibus illius ad ruminandum*, & ad cor vſque tranſmittendum, cui & ego perfecti amoris vnitione coniungar.

g Cant. 9. 7

III. Euthymius duos dicit fuiſſe potus. Chriſtus myrrhatũ vinum cur guſtarit. h Mar. 15. 23. Mar. 27. 4.

ALIQVI etiam contemplantur, quod bis CHRISTO Domino noſtro, cùm ad montem *Caluariæ* peruenit, hauſtum obtulerint. PRIMVM electi & præſtantis vini, quod Sanctus Marcus myrrhatum vinum appellat, & confectum, quale iis, qui cruci eſſent affigendi, offerri conſueuerit, vt illos à ſenſibus alienaret, & minus ſentiret tormenta; & de hoc hauſtu dicit S. Marcus h *non accepit*. QVAM ob cauſam, crudeles illi milites, rabie quadam in illum commoti, *dederunt ei vinum felle mixtum*: de quo Sanctus Matthæus ait, i *cum guſtaſſet, noluit bibere*. Quomodocunque autem id acciderit, reſplenduit hic Chriſti Domini noſtri charitas, non acceptan-

tis primum illud præſtans vinum, ne leuamen ex eo acciperet; ſed integris ſenſibus pateretur, & grauiſsimè ſentiret dolorum crucis atrocitatem: alterum verò guſtantis quidem, vt eius amaritudine lingua & os afficeretur; non tamen bibentis, propter ſignificationem prædictam.

PVNCTVM III.

PERPENDAM hic, ſatellites illos & carnifices, vt Chriſtum Dominum crucifigerent, veſtibus ſuis, vſque ad interiorem tunicam, magno eius dolore & pudore exuiſſe. QVATER Chriſtum Dominū in ſua paſsione *exuerunt*, in pœnam, quòd ego ſæpius gratiæ veſtem exuerim, Deum meis peccatis offendendo. PRIMVM, quando eum *verberarunt*: SECVNDÒ, quando ſpinis eum *coronarunt*, vt *purpuram* ei induerēt: TERTIÒ, quando *exuerunt* illum *purpura*, & proprias ei veſtes iterum induerunt: QVARTÒ, denique, vt *crucifigeretur*: in quo, maximo dolore, & ignominia fuit affectus, facilè enim eſt credere, interiorem tunicam, vulneratis carnibus adhæſiſſe, quam crudeliſsimè extrahentes, etiam pellem abſtraxerunt; ſicut qui oſcitanter ouem tondent, partes ſæpè pellis forficibus abſcindentes, ſimul cum lana auferunt. Ignominia fuit etiam grauiſsima, quòd nudus omninò, in campo, innumera plebis multitudine pleno, compareret; omnibus, qui illum aſpicebant, irridentibus, & illudentibus. Quod tamen totum, patientiſsimus hic Agnus, incomprehenſibili patientiâ & humilitate tolerabat, Patrique æterno offerebat, pro cōfuſione & ignominia, quam noſtra peccata merebantur: nobis verò exemplum dedit tolerantiæ, ſi quando nobis aut veſtis, aut quid aliud, corpori neceſſarium defuerit; noſque exhortatus eſt ad nuditatem, & paupertatem Euangelicam, quam tum verbo prædicauerat, tum ſemper, à die ſuę Natiuitatis huc vſque, opere ipſo ſeruauit. Saluator mi, quàm iuxta litteram imples, quod ſcriptum eſt, a *nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*? Natum enim in mundo, ſtatim tua mater, vilibus & pauperibus crepundiis te cooperuit: exeuntem verò ex mundo, etiam veſtibus, quas ab illa acceperas, te exſpoliarunt; nec permiſſa eſt accedere, vt aliis te cooperiret. O ſecunde Adam cæleſtis, quàm caro tibi ſtat b *nuditas* primi *Adami* terreni, quæ illi prouenerat ex inobedientia: ſiquidē vt tu illam gratiæ tuæ veſte cooperires, neceſſe tibi fuit, omninò nudum, & adeò ignominioſè, propè crucem conſiſtere! O vinum diuini amoris, quo diuinus hic c *Noë*, mundi reparator adeò *inebriatus* eſt, vt *nudatus* remanens, à populo quē, vt propriū filiū habebat, irriſus fuerit & illuſus: Me quoq; inebria, vt exuēs omnia terrena, nudus nudū Ieſum ſequar, ipſius opprobria lubēs amplectēdo. Nud⁹ exiui, *Saluator* mi, ex vtero ma-

Chriſti Domini nuditas.
Quater Chriſtus in Paſsione exutus veſtibus.
Vltima exuitio fuit cum ſummo dolore & grauiſſima ignominia.
Cauſæ nuditatis Chriſti.
1.
2
3.
a *Iob.* 1. 21.
4
b *Gen.* 3. 1[illegible]
Primus Adam nudus in Paradiſo, ſecundus in cruce.
c *Gen.* 9. 2[illegible]

tibi relinquunt,quæ regni tui perpetuitatem ſignificat. Tempus iam eſt, vt latronis & malefici, cum talis non ſis, perſonam agas, inſignia ferens verorum latronum & maleficorum.Loco itaque inanis arundinis,quam auferunt illi ex manibus, amplecteris ſolidum lignum crucis,& comitatus duobus latronibus,exibis, vt cum eis in illa moriaris.

Licet etiam æſtimare iniurioſa verba, quæ illi carnifices Chriſto Domino obiecerint, tanquam homini, ob maleficia damnato; & crudelitatem,qua illum ad locum reduxerint, in quo fuerat verberatus; vt ibi eum exuentes, propria veſtimenta ſanguine infecta traderent, vt indueret. Quod totum habuit aliquod myſterium. Nam,vt Christvs Dominus noſter,ad tollendam crucem ſuam,exuit aliena veſtimenta;(ſiue quæ apud Herodem,ſiue quæ apud Pilatum acceperat)ſua verò propria induit: ita ego, vt tollam Crucem meam,& illum imiter, omnes mores malos huius mundi,& carnis,exuere debeo,& proprios Chriſti induere; vt ſic agnoſcar,habearque diſcipulus eius, præcipuè verò induam manſuetudinem,patientiam,miſericordiam,& charitatis viſcera.

Chriſtus ad tollendam Crucē cur proprijs induatur veſtimētis.

II. Crucis lignum imponitur humeris Chriſti. Chriſtus vt animo exultauerit conſpecta cruce.

Secvndvm, quod milites fecerunt, fuit,adferre lignum crucis magnum,valdeque graue,vt ipſum Chriſtus portaret. Circa quod perpendā, quid in corde ſuo Chriſtus Dominus ſenſerit,aut dixerit,conſpecta cruce,tanquam enim cum re ſibi gratiſsima,interius exultauit,multoque alacrius,quàm S. Andreas,dixerit:*ſalue crux pretioſa, diu deſiderata, ſolicitè amata,ſine intermiſsione quæſita,& aliquando cupienti animo præparata*. veni,& expanſis vlnis te complectar, quia tu me in tuis excipies; veni, daboque tibi oſculum pacis ore meo quia in te caput meum reclinabo,dormiamq; in pace, vltimum mortis ſomnum. O quam tenerè amplexatus fuerit Chriſtus Saluator noſter ſuam crucem primoque illo amplexu eandem ſanctificauerit;quam lubens acceptam ſuis manibus, afflictis ſuis humeris impoſuerit! O dulcis Iesv ,largire mihi gratiam,talibus oculis,tuam crucem aſpiciendi,& amore iſto complectendi,eodemque deſiderio eandem quærendi,& in ea ita gloriandi, vt non requieſcam,donec in ea moriar.

III. b *Luc.23.33*

Latrones è contra id perterriti.

Tertivm fuit,quod duos latrones ex carcere eduxerit, qui illum in itinere comitarentur;ſic enim Sanctus Lucas ait,b *ducebantur alij duo nequam cum eo,vt interficerentur*.Hoc autem in magnum ipſius Chriſti Domini dedecus,& ignominiam cedebat: quia vt latro & nequā habebatur. O quam diuerſis oculis,latrones illi crucem aſpexerunt: quos ne eam viderent,clauſerunt,eius conſpectu perterriti;illi culpam amantes,pænam horruerunt:ſed dilectiſsimus noſter Iesvs,pœnam amplexus eſt,culpam deteſtatus: illi pœnam, quam propria culpa erant meriti,refugiebant: Chriſtus verò pœnam acceptauit,quam aliena culpa fuit promerita.

Gratias

GRATIAS tibi dulciſsime Saluator, quod ita iucundè amplexus fu-
·is crucis pœnam, abſq; tua culpa, vt me à mea liberares. Muta cor me-
ım ad ſimilitudinem tui: vt, ſiquidem culpas, vt latrones illi, commiſi; lu-
ıens acceptem, ſicut tu pœnas, quas illis ſum promeritus: meque ipſum
x charitate offeram, ad ſuſtinendas etiam alienas; vt ſicut tu plurima pro
ıominibus es perpeſſus: aliqua ſaltem & ego, pro meis proximis patiar.

PVNCTVM II.

IESVS *ergo baiulans ſibi Crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum.* a Ioa. 19.17
IN hoc commiſeratione digniſsimo loco cõſiderabo PRIMVM, in- I.
ſignem Christi Domini noſtri *ignominiam*: cùm in primo illo, ex do- Baiulatio
mo Pilati exitu, *crucem baiulans*, inter duos latrones exiret, proclamante crucis
elata voce præcone illius delicta: magnoque populi clamore, & innume- Chriſti
ra turba, ad hoc ſpectaculum concurrente. O Angeli, qui exitũ hunc Do- Oratio.
mini veſtri, adeò ignominioſum ſpectatis; cur nõ ex veſtro iſto cœlo de-
ſcendentes, huius ignominiæ cauſam, contra vocem præconis promul-
gatis, vt veſtri Domini honorem tueamini? O Pater æterne, quid facis, a- Fuit figu-
ſpiciens tuum filium, ligno crucis oneratum, in quo eſt ſacrificãdus? num, rata in
ſicut alter Abraham cum Iſaac filio ſuo exis, portans in manu tua ignem Iſaac por-
& gladium, quibus eſt ſacrificium peragendum? O vehemẽs amoris ignis, tãte ligna.
qui in huius Patris corde adeò exardeſcis, vt illum vrgeas, eximere iuſti-
tiæ ſuæ gladium vt proprium filium occidat, ac ſacrificet; quò peccatori
vita tribuatur! exure, Domine, iſto igne cor meum, vt eum diligam à quo
adeò me diligi video: vulnera me gladio iſto, ita, vt moriatur in me, quid-
quid tibi diſplicet. Sed cur quæſo Deus meus, cum filio iſto tuo, non *de*
nocte, & duobus tantùm *iuuenibus*, ſicut Abraham, comitatus exis? ſed me- Gen. 22.3.
dio ipſo die cum magno turbæ concurſu & ſtrepitu, ad ipſum ſacrificium
cõfluentis? O ignis amoris qui & ardes, & luces! viſque vt opera tua ſplen-
deant, & adurãt ſicut ſol, in meridie! aperi mihi paternæ huius charitatis
magnitudinem; humilitatis verò, & obedientiæ filij profunditatem; vt
eius opprobrijs glorier, eaque in totius mundi conſpectu, magno amore
complectar.

DEINDE conſideranda eſt afflictio, & ingens *dolor*, quem debilitatum II.
Chriſti Domini corpus, tam graui onere impoſito, ſenſerit: Quoties in Crucis
progreſſu impegerit; & ob nimium pondus, etiam genu flexerit, corpo- põdus quã
re, & ex præcedentibus cruciatibus, valdè exhauſto; ac præ nimia defati- Chriſtum
gatione, grauiſsimi illius ligni pondere oppreſſus, & ſudauerit, & plateas afflixerit.
ſanguine, ex vulneribus compreſsis expreſſo rigauerit! O ſanguinem Dei
viui! ô ſanguinem infinitum, luto platearum commixtum, & abiectiſsi-
morum hominum pedibus conculcatum! O Angeli cœleſtes, cur non

tibi relinquunt, quæ regni tui perpetuitatem ſignificat. Tempus iam eſt, vt latronis & malefici, cum talis non ſis, perſonam agas, inſignia ferens verorum latronum & maleficorum. Loco itaque inanis arundinis, quam auferunt illi ex manibus, amplecteris ſolidum lignum crucis, & comitatus duobus latronibus, exibis, vt cum eis in illa moriaris.

Chriſtus ad tollendam Crucẽ cur proprijs induatur veſtimẽtis.

LICET etiam æſtimare iniurioſa verba, quæ illi carnifices Chriſto Domino obiecerint, tanquam homini, ob maleficia damnato; & crudelitatem, qua illum ad locum reduxerint, in quo fuerat verberatus; vt ibi eum exuentes, propria veſtimenta ſanguine infecta traderent, vt indueret. Quod totum habuit aliquod myſterium. Nam, vt CHRISTVS Dominus noſter, ad tollendam crucem ſuam, exuit aliena veſtimenta; (ſiue quæ apud Herodem, ſiue quæ apud Pilatum acceperat) ſua verò propria induit: ita ego, vt tollam Crucem meam, & illum imiter, omnes mores malos huius mundi, & carnis, exuere debeo, & proprios Chriſti induere; vt ſic agnoſcar, habearque diſcipulus eius, præcipuè verò induam manſuetudinem, patientiam, miſericordiam, & charitatis viſcera.

II. Crucis lignum imponitur humeris Chriſti. Chriſtus vt animo exultauerit conſpecta cruce.

SECVNDVM, quod milites fecerunt, fuit, adferre lignum crucis magnum, valdeque graue, vt ipſum Chriſtus portaret. Circa quod perpendã, quid in corde ſuo Chriſtus Dominus ſenſerit, aut dixerit, conſpecta cruce, tanquam enim cum re ſibi gratiſsima, interius exultauit, multoque alacrius, quàm S. Andreas, dixerit: *ſalue crux pretioſa, diu deſiderata, ſolicitè amata, ſine intermiſsione quæſita, & aliquando cupienti animo præparata.* veni, & expanſis vlnis te complectar, quia tu me in tuis excipies; veni, daboque tibi oſculum pacis ore meo, quia in te caput meum reclinabo, dormiamq; in pace, vltimum mortis ſomnum. O quam tenerè amplexatus fuerit Chriſtus Saluator noſter ſuam crucem primoque illo amplexu eandem ſanctificauerit; quam lubens acceptam ſuis manibus, afflictis ſuis humeris impoſuerit! O dulcis IESV, largire mihi gratiam, talibus oculis, tuam crucem aſpiciendi, & amore iſto complectendi, eodemque deſiderio eandem quærendi, & in ea ita gloriandi, vt non requieſcam, donec in ea moriar.

III. b Luc. 23. 33. Latrones è contra id perterriti.

TERTIVM fuit, quod duos latrones ex carcere eduxerit, qui illum in itinere comitarentur; ſic enim Sanctus Lucas ait, b *ducebantur alij duo nequam cum eo, vt interficerentur.* Hoc autem in magnum ipſius Chriſti Domini dedecus, & ignominiam cedebat: quia vt latro & nequã habebatur. O quam diuerſis oculis, latrones illi crucem aſpexerunt: quos ne eam viderent, clauſerunt, eius conſpectu perterriti; illi culpam amantes, pœnam horruerunt: ſed dilectiſsimus noſter IESVS, pœnam amplexus eſt, culpam deteſtatus: illi pœnam, quam propria culpa erant meriti, refugiebant: Chriſtus verò pœnam acceptauit, quam aliena culpa fuit promerita.

GRATIAS

Gratias tibi dulciſsime Saluator, quod ita iucundè amplexus fueris crucis pœnam, abſq; tua culpa, vt me à mea liberares. Muta cor meum ad ſimilitudinem tui: vt, ſiquidem culpas, vt latrones illi, commiſi; lubens acceptem, ſicut tu pœnas, quas illis ſum promeritus: meque ipſum ex charitate offeram, ad ſuſtinendas etiam alienas; vt ſicut tu plurima pro hominibus es perpeſſus: aliqua ſaltem & ego, pro meis proximis patiar.

Pvnctvm II.

Iesvs *ergo baiulans ſibi Crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum.* a Ioa. 19.17

In hoc commiſeratione digniſsimo loco cõſiderabo Primvm, inſignem Christi Domini noſtri *ignominiam*: cùm in primo illo, ex domo Pilati exitu, *crucem baiulans*, inter duos latrones exiret, proclamante elata voce præcone illius delicta: magnoque populi clamore, & innumera turba, ad hoc ſpectaculum concurrente. O Angeli, qui exitũ hunc Domini veſtri, adeò ignominioſum ſpectatis; cur nõ ex veſtro iſto cœlo deſcendentes, huius ignominiæ cauſam, contra vocem præconis promulgatis, vt veſtri Domini honorem tueamini? O Pater æterne, quid facis, aſpiciens tuum filium, ligno crucis oneratum, in quo eſt ſacrificãdus? num, ſicut alter Abraham cum Iſaac filio ſuo exis, portans in manu tua ignem & gladium, quibus eſt ſacrificium peragendum? O vehemẽs amoris ignis, qui in huius Patris corde adeò exardeſcis, vt illum vrgeas, eximere iuſtitiæ ſuæ gladium vt proprium filium occidat, ac ſacrificet; quò peccatori vita tribuatur! exure, Domine, iſto igne cor meum, vt eum diligam, à quo adeò me diligi video: vulnera me gladio iſto, ita, vt moriatur in me, quidquid tibi diſplicet. Sed cur quæſo Deus meus, cum filio iſto tuo, non *de nocte, & duobus* tantùm *iuuenibus*, ſicut Abraham, comitatus exis? ſed medio ipſo die cum magno turbæ concurſu & ſtrepitu, ad ipſum ſacrificium cõfluentis? O ignis amoris qui & ardes, & luces! viſque vt opera tua ſplendeant, & adurãt ſicut ſol, in meridie! aperi mihi paternæ huius charitatis magnitudinem; humilitatis verò, & obedientiæ filij profunditatem; vt eius opprobrijs glorier, eaque in totius mundi conſpectu, magno amore complectar.

I. Baiulatio crucis Christi Oratio.

Fuit figurata in Iſaac portãte ligna.

Gen. 22.3.

Deinde conſideranda eſt afflictio, & ingens *dolor*, quem debilitatum Christi Domini corpus, tam graui onere impoſito, ſenſerit: Quoties in progreſſu impegerit; & ob nimium pondus, etiam genu flexerit, corpore, & ex præcedentibus cruciatibus, valdè exhauſto; ac præ nimia defatigatione, grauiſsimi illius ligni pondere oppreſſus, & ſudauerit, & plateas ſanguine, ex vulneribus compreſsis expreſſo rigauerit! O ſanguinem Dei viui! ò ſanguinem infinitum, luto platearum commixtum, & abiectiſsimorum hominum pedibus conculcatum! O Angeli cœleſtes, cur non

II. Crucis põdus quã Christum afflixerit.

acceditis, exanguem hunc Dominum adiuuatis, vt tantum pondus ferre poſsit! cur pretioſum hunc ſanguinem non colligitis? ô dulciſsime IESV, ſi mihi licuiſſet, ſuper humeros meos, onus illud ſuſcipere, vt tui aliquantulum leuarentur. ſed animaduerto Domine humeros Dei, ad illud portandum eſſe neceſſarios. nam c *factus eſt principatus* qui à cruce incipit, *ſuper humerum eius*, & d *clauis domus Dauid erit ſuper humerum eius*, vt cœli portas nobis aperiat, quæ hactenus erant clauſæ.

c Iſaia 9. 6.
d Iſai. 22. 22

III. Peccatorũ noſtrorum pōdus ſenſit in crucis latione Chriſtus.

DENIQVE perpendam, quantò grauius ſenſerit Chriſtus, *pondus* noſtrorum *peccatorum*, quàm ipſius *crucis*. Si enim Dauid iure dicere potuit; e *quoniam iniquitates meæ, ſicut onus graue, grauatæ ſunt ſuper me*; quantò grauius fuerit pondus omnium peccatorum hominum, qui fuerunt, ſunt, & erunt; quod hic Dominus ſibi ipſi impoſuit? de quo Iſaias ait, f *omnes nos quaſi oues errauimus: vnuſquiſque in viam ſuam declinauit; & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum*. Peccata mea ô dulcis IESV, humeros tuos ita grauiter premunt: ego ſum ouis, quæ erraui: tu verò g *ſicut ouis ad occiſionem duceris* ad montem Caluarium, in quo pro meis erratis ſacrificeris. vtinam illa nũquam admiſiſſem; ne tantum tibi adferrem laborem. cùm igitur culpa ſit mea, conſonum eſt, me pœnæ quoque partem aliquam luere, & vt imponatur mihi crux, quam ſum promeritus: en Domine, ad eam tollendam me offero, ſicut te video tuliſſe tuam.

e Pſal. 37. 5.
f Iſai. 53. 6.
g Iſaia. 53. 7

PVNCTVM III.

a Luc. 23. 26
Matt. 27 32
Marc 5. 21.

CVM CHRISTVS cum ſua cruce pergeret; a *apprehenderunt Simonem quendam Cyrenenſem, venientem de villa; & impoſuerunt illi crucem portare poſt* IESVM.

I. Chriſt. ſub onere crucis laſſitudo.

CONSIDERANDA hîc inprimis, quãta fuerit Chriſti Domini noſtri, in eo itinere *laſſitudo*; ex qua eius hoſtes, occaſionem eum irridendi acceperint, propter imbecillitatem, quam præ ſe ferebat, obijciẽtes ei ex alia parte, quod eſſet filius Dei, & in triduo poſſet ingentem illam templi machinam excitare; vtrumque autem ipſe Dominus, admiranda ipſa patientia ferebat, donec Sacerdotum principes, timentes ne fortè in via deficeret, crucem illi abſtulerunt, non ex compaſsione, vt alleuiarent; ſed ex deſiderio, quo tenebantur eum in ea affigendi. Hinc accipiam conſolationem in meis calamitatibus; & in cruce, quæ mihi in ſortem obtigerit, quantumuis grauis illa ſit, ſperans in miſericordia IESV Chriſti Domini noſtri, quod prouiſurus ſit, qui me ad eam portandam iuuet; reuocans mihi in memoriam illud Apoſtoli: b *grauati ſumus ſupra modum, & ſupra virtutem; ita vt tæderet nos etiam viuere. Sed ipſi, in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, vt non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo qui* etiam *ſuſcitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit, in quem ſperamus, quoniam & adhuc eripiet.*

b 2. Cor. 1. 8

DEIN-

DEINDE perpendam, Chriſtum Dominum noſtrum; quamuis potuiſſet ſolus crucem ſuam in montem vſque portare, carnem ſuam etiam miraculo corroborando; ea tamen poteſtate vti noluiſſe; ſed vt crux alteri imponeretur, qui eam poſt ipſum portaret, vt nobis ſignificaret, crucem ſuam eſſe fidelibus ſuis communicandam, qui ad eius imitationē illam portent, vt impleretur, quod ipſe iam antea dixerat, *ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* O bone IESV, ſi tu præcedis, tollens primus crucem adeò grauem, vt te ad genua vſque deprimat; quid magnum eſt, ſi meā ego portem, viribus à te mihi, ad eam portandam collatis: Crux, Domine, quam porto, tua eſt & mea: tua, quia tu primus eam portaſti, & diſpoſitione mihi communicatur, tuiq; intuitu & cauſa à me portatur; eſt tamen mea, quia meis viribus accommodata ceditque in meum commodum: neque crucem tuam, mihi vnquam impoſuiſſes, niſi benedictos fructus, qui ab ea proueniunt, communicare mihi ſtatuiſſes.

II. Crucē ſuā quare permiſerit Chriſtus imponi alteri. c *Luc. 9.23. Matt 16.24 Marc. 8 34.* Crux quā ferimus & noſtra eſt, & Domini.

CONSIDERANDVM tertiò, *neminem* ibi fuiſſe repertum, qui vellet Chriſti crucem portare, nec ipſum in ea portanda, iuuare. Iudæi enim, tanquam maledictum & irregularitatem æſtimabant, vel tangere ipſam crucem, propter legem, quæ dicit: d *quia maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno:* Milites etiam Gentiles, id ſibi dedecori ducebant; ex diſcipulis verò & amicis Chriſti, nemo auſus eſt accedere, adeò erāt omnes metu conterriti: quare neceſſe fuit pertranſeuntem aliquem aduenam apprehendere, & cogere, vt crucem portaret. In quo varia genera perſonarum, nobis proponuntur, quę fugiunt crucē Chriſti, *alij*, quod non credant, quantam in ea poſuerit Deus virtutem, quales erant infideles: *alij*, quod ignominiæ & dedecoris loco & contra ſuum honorem illam ducant, quales ſunt ſuperbi & ambitioſi: *alij*, ob timorem laboris, qui contra ſenſuum propenſionem in ea ferenda ſubeundus eſt, quales ſunt delicati, & qui ſuæ carni nimium indulgent.

III. d *Deut. 21. 23. Galat. 3.13.* Fugiunt crucem Chriſti tria hominum genera. Infideles Superbi Delicijs dediti.

Quis meis oculis largiretur fontem lacrymarum, vt cum Apoſtolo e *flente* dicere poſſem, *multos eſſe in hoc mūdo inimicos crucis Chriſti, quorū Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum!* O Rex gloriæ, ne permittas, me inimicum eſſe crucis tuæ, ne & tuus fiam inimicus, nolo ventrem habere Deum, nec ipſam gloriam mundi; ſed Chriſtum crucifixum; cuius crux mihi deliciæ & gloria. nam ſi crucis eius amicus fuero; eius quoque ero, qui in ea, pro me voluit mori.

e *Phil. 3.18.* Amicus crucis, amicus Chriſti.

DENIQVE perpendam, omnes nos naturâ *à cruce abhorrere*; nec vllū eſſe, qui eam portet, niſi aliquo modo, ſicut Cyrenenſis hic Simon, coactus; ſed aliter tamē atq; aliter; nam quidā, nō ſolùm coacti, ſed etiā impatiēter, & abſq; vllo merito, faciētes ex neceſſitate virtutē, ſicut hic Simō.

IV. *S. Bern. ſer. 34. in Cant. & infra Medit. 33.*

crucem portemus, non tamen eſſe cupio ſicut hic Simon Cyrenenſis: qui etſi crucem tuam portauit, non eſt tamen mortuus in illa; ſed potiùs vt Simon Petrus, qui fuit tecum crucifixus, cùm eſſes tu crucifixus in illo.

III. Ferentium crucem labor breuis; ſed gloria magna.

DENIQVE perpendam, etſi labor Simonis huius breui tempore durauerit, in hanc tamen diem, eius memoriam ac filiorum ipſius in Eccleſia perdurare, tanquam hominum virtute inſignium, quos propterea omnes Sanctus Marcus expreſsit, dicens, ipſum appellatum eſſe b *Simonem*, & *Patrem* fuiſſe *Alexandri & Rufi*. Sic igitur qui portant crucem Chriſti Domini noſtri quamuis incipiant coacti, progredientes veruntamen ſpontè & patienter, eorũ labor erit valde breuis; ſed gloria multa. Nam qui crucem ſuam cum Chriſto portat, cum eodem regnabit in æterna gloria.

b *Marc.* 15. 21.

PVNCTVM IV.

SEQVEBATVR *autem illum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. Conuerſus autem ad illas IESVS, dixit: Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: beatæ ſteriles & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: cadite ſuper nos; & collibus, operite nos. Quia, ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*

I. Variæ intentiones ſequentiũ Chriſtum ad ſupplicium crucis.

PERPENDAM hic primùm varios fines, & intentiones eorum, qui Chriſtum ſequebantur: *alij* n. eũ ſequebantur, vt crucifigerent, vt erant milites, & carnifices; *alij*, vt eum irriderent, & exultarent, cùm viderent morientem ſicut Sacerdotes & Scribæ; *alij* curioſitate ducti, ſpectaculum hoc adeò inſolens, videre cupiebant; *alij* ob notitiam aliquam & familiaritatem, quam habebant cum Chriſto, commiſeratione quadam naturali calamitates eius deflentes, eum comitabantur: ſed nullus tamen horum illum ſequebatur, vt iuuaret portare crucẽ, nec deſiderans cum illo mori, ſicut ipſe antea dixerat: b *ſi quis vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* O bone IESV, da mihi gratiam, qua te, non vt hæc turba ſequar; ſed ſicut tu vis, amplectendo crucem tuam, vt tecum in eâ moriar.

b *Luc.* 9. 23.

II.

DEINDE conſiderandum, Chriſtum Dominum noſtrum, in medio illo tantæ turbæ agmine, & in tanta ſua ignominia, diuinam tamen ſuam conſeruaſſe authoritatem; & ad mulieres, quæ flentes ipſum ſequebantur, conuerſum, docuiſſe illas perfectiorem flendi rationem, ac dixiſſe: *nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete*: quibus verbis, non prohibet illas flere eius paſsionem: quia iuſtiſsimum eſt, omnes illam flere; ſed modum, ne ſcilicet illam, tanquam aliquam humanam miſeriam ſolùm,

Paſsio Chriſti quomodo deflenda.

ſpexit: ipſaque mater, oculis pariter eleuatis, conſpexit filium: occurrentes autem ſibi mutuò vtriuſque oculi, corda quoque mutuò penetrarunt; manſitque vterque altero conſpecto, dolore grandi transfixus. O quàm acuto bipenni gladio, Virginis ſanctiſsimæ anima, fuit transfixa, cùm dilectiſsimum Filium, corona illa ſpinea vidit coronatum, quam nouerca Synagoga, illius capiti impoſuerat! ac diuinā eius faciem adeò immutatā! corpus verò à graui pondere ligni crucis incuruatum, inter duos latrones incedentem, plurimiſque tortoribus & carnificibus circumdatum, qui ex omni parte illum cruciabant. Si filię Ieruſalem adeò plangebant, & lamentabantur, ob Chriſti Domini dolores, quem virum tantùm ſanctum exiſtimabant; quomodò planxerit, & in corde ſenſerit eoſdem dolores illa, quæ & filium eum, & Deum ſuum agnoſcebat. Eleuauit mox illa oculos animæ ad æternum Patrem, quem ſpiritu vidit, tenentem a *manibus ignem, & gladium*, quo filium ſuum ſacrificaret; magiſque cordis gemitibus dixit: b *O ignis* Diuini amoris, *qui nunquam dicis, ſufficit.* Nunc ſaltem dicas, ſufficit; quandoquidem ad mundi reparationem, verè ſufficit, quod hactenus meus filius eſt perpeſſus! O Diuinæ iuſtitiæ gladius, redi ad tuam vaginam: ſiquidem ſufficit ſanguis, quem hactenus effudiſti, ad ſoluendas iniurias tibi illatas! O Pater æterne, ceſſet iam iuſtitiæ tuæ rigor in filium tuum & meum; abundè ſiquidem, ei ſatisfactum eſt ijs, quæ hactenus ille pertulit; aut conuerte gladium tuum in meipſam, vt ſimul egò cum eo, pro peccatoribus moriar: nā ſine eo viuere, eſt mihi mors; illi verò commori eſſet vita mea: veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat.

Vt vidit, vt doluit.

II. Oratio

a *Gen.* 22. 6

b *Prou.* 30. 16.

Et ſe reſignat.

O Pater miſericordiarū, cuius decreto, Abraham profectus eſt, ad filium ſuum Iſaac tibi in ſacrificium offerendum, inſcia eius matre; cur quæſo nunc vis filiū tuum, non ſolùm matre eius conſcia ſacrificari, verum etiam ſacrificio ipſi aſsiſtere? nouus hic cruciatus eſt Filij & Matris; cur ergo vis vnius cruciatus creſcere, ex alterius præſentiâ! ſed noui iam Domine mores tuos, qui quos plurimùm diligis, etiam affligis plurimùm, quò in tuo amore creſcant; aut, quem in te habent, manifeſtent; voluntatem tuam, pluris quàm propriam æſtimantes, ſeque ad moriendum offerentes; vt ijs vitam conferant, quos diligunt. O Virgo ſacratiſsima, ſiquidem peccatores adeò diligis, vt ad filio tuo commoriendum, pro illis te offeras; oſtende mihi amorem, quo me proſequeris, in hoc, vt ſentiam ego dolores illos, quos tu ſenſiſti, cùm filium tuum adeò afflictum videres; vt meipſum offeram, ad commoriendum rebus omnibus terrenis: c *carnē meā* pro ipſius amore, *cū vitijs & cōcupiſcētijs meis crucifigendo.* Amē.

Oratio ad B. Virg.

c *Gal.* 5. 24.

DENIQVE progrediens CHRISTVS, modo prædicto, peruenit ad montē Caluariæ. Circa quod eſt perpēdendū, quid Chriſtus Dominus ſenſerit, cū exiret ex illa ciuitate Hieruſalem, cum inſignib. illis peccatoris;

III.

cogitans

cogitans, quòd infelix illa, propterea quòd ipſum extra ſe eiiceret, eſſet deſtruenda ac deſolanda; ſuam verò paſſionem, cæteris proficuam futuram; qui eius ſcelerũ & proditionũ participes pertinaciter non fuiſſent. O bone IESV, qui exis extra ciuitatem, vt caro tua, per legis antiquæ hircos adumbrata, in holocauſtum pro meis peccatis offeratur, adiuua me vt extra peruerſam huius mundi ciuitatem, ac deprauatam hominum eius ſocietatem, exiens, opprobria tua ſuper meos humeros portem, de eis glorians, tuoſque cruciatus lubens & magno affectu complectens.

Exeundũ nobis cum Christo extra castra. *Hebr.13.*

MEDITATIO XL.

DE IIS QVAE IN MONTE CALVARIO, ante crucifixionem ſunt geſta.

PVNCTVM I.

PRIMVM conſiderandæ ſunt *cauſa*, cur voluerit Chriſtus Dominus crucifigi in monte Caluario, in meridie, & tempore tantæ ſolennitatis? quia omnia hæc, ſua continent myſteria: neque enim caſu, ſed propriâ electione ac voluntate, & crucifixionẽ, & modum, tempus, ac locum eius, cum cæteris ſacrificij circumſtantijs, ipſe elegit.

S.Thom.3 p. q.46.a.10.

PRAECIPVA cauſa huius fuit, vt *crucifixio & mors* eius, ex omni parte illi eſſet *acerbior*, nobis verò *vtilior*, ob rara virtutis exempla, quæ occaſione hac, in ea reſplenduerunt. Voluit in *aperto campo* mori, vt eius ignominiæ & cruciatus, magis eſſent publici, & poſſent ab omnibus videri; ſiquidem in omnium commodum illos ſuſtinebat: Voluit eundem campum, eſſe montem *Caluarium*, in quo ſcelerati afficiebantur ſupplicio, vt ſic mors eius magis eſſet ignominioſa: ſiquidem in eo loco illa inferebatur, in quo alij, propter enormia ſcelera, morte afficiebantur; & vt ita appareret, ipſum, non tam ſententiâ humanæ iuſtitiæ, quàm Diuinæ, mortis ſupplicio affici, in pœnam, quam, qui verè erant peccatores, propter ſua ſcelera erãt promeriti; ipſe verò ita illorum pœnas lueret, vt liberaret à culpis. Voluit præterea locum appellari *Caluarium*, eò quòd plenus eſſet caluariis eorũ, qui erant ſupplicio affecti; ac propterea fœtidus, & qui ſtomachũ cõmoueret; vt hæc omnia horrorem illi maiorem adferrent, & intelligeretur, eius ſanguinẽ, viuis ac mortuis adferre ſalutem; ac viuificare animas, & ſuo tempore etiam corpora viuificaturum:

Cur voluerit Christus crucifigi in aperto campo.

In monte caluario.

Ratio nominis huius mõtis.

Voluit etiam in *meridie* ſacrificari; vt omnes clarè poſſent videre, ipſius nuditatem, & ignominiam, & quòd pro omnibus patiebatur, eo feruoris exceſſu, quem ſol in meridie ſignificat. Et ob eandem cauſam, elegit mori, in die ſolemni *Paſchatis*, cùm innumerus populus confluebat in Hieruſalem; vt, quo ad plures perueniret paſsionum eius notitia, eò eſſent illæ magis ignominioſæ; & omnes diſcerent ab eo heroicam humilitatẽ, patientiam, & charitatem, quibus talia patiebatur, à talibus perſecutoribus, & tot concurrentibus circumſtantiis, quales nunquam in mundo viſæ fuerunt. Gratias tibi dulciſsime Redemptor, quod ad tuam mortem, deterrima & abiectiſsima, quæ in terra erant, elegeris. Vt in mundum ingredereris, vile ſtabulum elegiſti; vt verò exires, infamem quoq; Caluariæ locum.

In meridie

S. Tho. 3. p. q 46. a. 9. In die ſolemni Paſchæ.

Ad naſcendum elegiſti locum immundum, & brutorum animalium; ad moriendum verò alium caluariis ſceleſtorum hominum repletum. Cùm naſcebaris, confluxit in Bethlehem innumera populi multitudo, vt impedimento tibi eſſet, ne hoſpitium inuenires; & quando moreris, confluit etiam plurimus populus in Hieruſalem; quo eſſet tibi occaſio maioris infamiæ.

Natiuitatis Chriſti locus vilis ſed mortis abiectior.

Natus fuiſti media nocte, & in parua ciuitate, vt glorioſa natuitas tua occultaretur: Pateris verò in meridie, & in ciuitate maxima, vt ignominioſa tua mors, ſit omnibus manifeſta. Et quoniam tua electio ſemper eſt recta, concede mihi, Saluator mi, ad tuam imitationem, eligere mihi, quod in mundo eſt deterius; fugere verò, quod in eo eſt honorificum, & amplecti quod apud eum eſt infame: ac in huiuſmodi humiliatione, ad finem vſque vitæ meæ perſeuerare. Amen

PVNCTVM II.

CVM ad montem Caluarium eſſet peruentum, a *dederunt ei vinum bibere, cum felle mixtum. Et cùm guſtaſſet, noluit bibere.*

a Matt. 27. 34. Marc. 15. 21.

PERPENDENDA hic *primùm* eſt, horum tortorum crudelitas. More enim receptum erat, *bonum vinum*, ſupplicio afficiendis propinare, vt eorum debilitati conſuleretur; ſed Chriſto Dominó noſtro, aliàs afflictiſsimo, ac ſiti valdè vexato, ob multam ſanguinis effuſam copiam, & tot confecta itinera, cùm eſſent illi vinum oblaturi, fel & amariſsimam myrrham illi commiſcuerũt; vt os, linguam, & ipſum ſtomachum cruciarent; ad quas partes verbera & ſpinæ non peruenerant. Sed ipſe Chriſtus, etſi non ignoraret, quale illi vinum offerrent, *guſtauit*, ſed *noluit bibere*, vt illa amaritudine percepta, exſiccata eius lingua, & os afflictũ paterentur; & hac ratione lueret ipſe, gulæ & ebrietatis noſtræ voluptates; & ſimul nobis patientiæ exemplum præberet, ſi quando noſtrarum affli-

Prou. 31. 6 Date vinum his qui amaro ſunt animo. Vinum felle mixtum offertur Chriſto. Sic ipſe luit noſtram intemperantiam.

tis primum illud præſtans vinum, ne leuamen ex eo acciperet; ſed integris ſenſibus pateretur, & grauiſsimè ſentiret dolorum crucis atrocitatem: alterum verò guſtantis quidem, vt eius amaritudine lingua & os afficeretur; non tamen bibentis, propter ſignificationem prædictam.

PVNCTVM III.

Christi Domini nuditas.

PERPENDAM hic, ſatellites illos & carnifices, vt Chriſtum Dominum crucifigerent, veſtibus ſuis, vſque ad interiorem tunicam, magno eius dolore & pudore exuiſſe. QVATER Chriſtum Dominũ in ſua paſsione *exuerunt*, in pœnam, quòd ego ſæpius gratiæ veſtem exuerim, Deum meis peccatis offendendo. PRIMVM, quando eum *verberarunt*: SECVNDÒ, quando ſpinis eum *coronarunt*, vt *purpuram* ei induerẽt: TERTIÒ, quando *exuerunt* illum *purpura*, & proprias ei veſtes iterum induerunt: QVARTÒ, denique, vt *crucifigeretur*: in quo, maximo dolore, & ignominia fuit affectus, facilè enim eſt credere, interiorem tunicam, vulneratis carnibus adhæſiſſe, quam crudeliſsimè extrahentes, etiam pellem abſtraxerunt; ſicut qui oſcitanter ouem tondent, partes ſæpè pellis forficibus abſcindentes, ſimul cum lana auferunt Ignominia fuit etiam grauiſsima, quòd nudus omninò, in campo, innumera plebis multitudine pleno, compareret; omnibus, qui illum aſpicebant, irridentibus, & illudentibus. Quod tamen totum, patientiſsimus hic Agnus, incomprehenſibili patientiâ & humilitate tolerabat, Patrique æterno offerebat, pro cõfuſione & ignominia, quam noſtra peccata merebantur: nobis verò exemplum dedit tolerantiæ, ſi quando nobis aut veſtis, aut quid aliud, corpori neceſſarium defuerit; noſque exhortatus eſt ad nuditatem, & paupertatem Euangelicam, quam tum verbo prædicauerat, tum ſemper, à die ſuę Natiuitatis huc vſque, opere ipſo ſeruauit. Saluator mi, quàm iuxta litteram imples, quod ſcriptum eſt, a *nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*? Natum enim in mundo, ſtatim tua mater, vilibus & pauperibus crepundiis te cooperuit: exeuntem verò ex mundo, etiam veſtibus, quas ab illa acceperas, te exſpoliarunt; nec permiſſa eſt accedere, vt aliis te cooperiret. O ſecunde Adam cæleſtis, quàm caro tibi ſtat b *nuditas* primi *Adami* terreni, quæ illi prouenerat ex inobedientia: ſiquidẽ vt tu illam gratiæ tuæ veſte cooperires, neceſſe tibi fuit, omninò nudum, & adeò ignominiosè, propè crucem conſiſtere! O vinum diuini amoris, quo diuinus hic c *Noë*, mundi reparator adeò *inebriatus* eſt, vt *nudatus* remanens, à populo quẽ, vt propriũ filiũ habebat, irriſus fuerit & illuſus: Me quoq; inebria, vt exuẽs omnia terrena, nudus nudũ Ieſum ſequar, ipſius opprobria lubẽs amplectẽdo. Nud⁹ exiui, *Saluator* mi, ex vtero ma-

Quater Chriſtus in Paſsione exutus veſtibus. 1. 2. 3.

Vltima exuitio fuit cum ſummo dolore & grauiſſima ignominia.

Cauſæ nuditatis Chriſti. 1. 2. 3. 4

a *Iob.* 1. 21

b *Gen.* 3. Primus Adam nudus in Paradiſo, ſecundus in cruce.

c *Gen.* 9.

ro ma-

ro matris meæ; & nudus, ſicut tu, eò redire aueo: nuditas tua erit veſtis mea; & tua ignominia, inſignia mea: paupertas tua, diuitiæ meæ; confuſio tua, gloria mea: mors denique tua, vita mea erit, nam ſi tibi commoriar, tecum etiam ad vitam nouam reſurgam, tibi ſit honor & gloria in ſæcula. Amen.

MEDITATIO XLI.

DE CHRISTI DOMINI NOSTRI Crucifixione.

PVNCTVM I.

a *Matt.* 27. 35. *Mar.* 15. 35 *Luc.* 23. 33. *Ioan.* 19. 18. Chriſtus extendit ſe ſuper lectũ crucis ad nutum carnificum. a 1. *Pet.* 2. 13. 18.

NVDATO ſuis veſtibus Chriſto Domino, cruceque ipſa ſuper terram iacente, iuſſerunt ſatellites, vt ſupra illam ipſe ſupinus iaceret; quod ipſe in momento fecit; *brachia* ſua, & *pedes*, vt clauis affigerentur, extendens. In hoc Chriſti facto, perpendenda eſt excellentiſsima eius obedientia; quæ maximè in eo eluxit, quòd ad nutum crudelium illorum carnificum, in re adeò difficili & tremenda obedierit; ſeipſum videlicet extendendo ſupra duriſsimum illum crucis lectum, vt duriſsimis ei clauis affigeretur. Nobis interim exemplum præbens, vt a *Prælatis noſtris, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis; imò omni humanæ creaturæ propter Deum, ſubiecti ſimus.* in omnibus, quæ diuinæ ordinationi non aduerſantur. O cæleſtis Adame, qui manus tuas extendiſti, non vt terrenus ille, ad fructus prohibitæ arboris contra obedientiam accipiendum; ſed vt alteri arbori, ex obedientia affigerentur: da mihi gratiam, vt b *leuem* ego *manus meas, ad cuſtodienda mandata tua*; meipſum, ſi opus erit, in crucis lecto extendens, vt amore tui in ea moriar. Mox perpendam, quid Chriſtus fecerit cum ſupinus iacuit, ſupra durum illum lectum. Nam dubio procul, oculos ad cælum leuans, gratias æterno Patri egit quod in eam horam, & locum, eum perduxerit; magnaque voluntatis promptitudine ſeſe obtulerit, vt cruento ſacrificio, ſuper illud Altare, pro noſtris peccatis ſacrificaretur. Et vt obediens c *Iſaac*, à proprio ſuo *parente, ſe ligari* permiſit, *& in altari ſuper ſtruem lignorum poni, expectans ictum gladij de manu parentis*: ſic dulcis noſter IESVS, iacebat ſuper lignum crucis, amoris funibus ligatus, ictum expectans clauorum, & mallei. O Pater æterne, cui adeò placuit ſubmiſsio & obedientia Iſaac, vt Angelum è cælo miſeris, qui Abrahami manum cohibe-

b *Pſal.* 118. 48.

Gratias agit Deo Patri.

c *Gen.* 22. 9 Iſaac immolandus figura Chriſti.

ret,

ret, ne filium gladio feriret, ſis quoque nunc contentus, ſi ita eſt poſſibile, ſacratiſsimi huius Iſaac ſubmiſsione, qui ſuper crucis aram ſupinus iacet, & alium Angelum mitte, qui crudelium horum ſatellitum manus prohibeat, ne filij tui manus cruci affigant: ſufficientia indicia iam dedit perfectiſsimæ ſuæ obedientiæ; ea ergo adeò generoſa & promptiſsima voluntate, ſit tibi ſatisfactum; nec exigas, eam in opus ipſum produci. Sed aduerto Domine; & tua, & filij tui opera, eſſe perfecta; ideoque vtrumque velle, ſacrificium ipſum eſſe perfectum, quò noſtra ſit copioſa redemptio. Sit benedicta infinita hæc tua charitas, propter quam, ſupplex gratiam tuam peto; qua & ego integrum ac perfectum meiipſius offeram ſacrificium, quòd tuæ placeat maieſtati.

PVNCTVM II.

EXTENSO Chriſti Domino ſuper crucem, accipientes illi tortores alteram eius manum, magno craſſoque clauo ingentibus ictibus vni parti Crucis, moxque alteram manum, ſimili alio clauo, parti alteri; eademque ratione, vtrumque pedem ſiue vno, ſiue duobus clauis affixerunt ingenti ſanguinis ex his quatuor vulneribus effuſione. Transfixio manuum & pedum Ieſu Chriſti.

CONSIDERANDVM hic primùm eſt, quantum CHRISTVS Dominus dolorem pertulerit, horrendis adeò vulneribus, in locis vbi tot nerui concurrunt; cùm totum aliàs corpus, adeò eſſet ſenſibile ac delicatum, ſi tam grauiter ego fero vel vnius acus puncturam; quantum ſenſerit delicatiſsimus hic Dominus, cùm adeò acutis craſsiſque clauis, eius venæ & nerui, ac delicatiſsimæ carnes transfigerentur! ô quàm tibi, Deus meus, benè competit nomen illud, quo te Iſaias a *virum dolorum* appellauit, neq; enim tantus vnquam in hac vita fuit dolor, qui huic tuo par eſſet: ô b *manus* ſacratiſsimæ, *in quibus abſcondita eſt fortitudo Dei*, quis vos crucis iſtius brachiis affixit, & clauorum capitibus encauſtica pinxit arte? ô *pedes* ſacratiſsimi, *ante quos diabolus egreditur*, & fugit, vt ſolet qui victus eſt: quis vos duro iſti ligno confixit? ô dulcis IESV, c *quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum*, & pedum? quis tantam audaciam malleo clauiſque iſtis dedit, vt manus & pedes tuos transfigerent, qui eorũ es Creator? mea procul dubio peccata, huius totius mali cauſa exiſtunt: peccata inquam, quæ manibus ſcelerum meorum, & pedibus inordinatorum affectuum, ego admiſi; quibus animam meam vulnerans, plus tibi doloris attuli, quàm vlla vulnera quæ in tuo ſuſtines corpore. O Pater æterne, reſpice vulnera iſta, & dolores filij tui, qui d *vulneratus propter iniquitates meas* illos tibi offert, in earum remedium. Accepta, Domine, eius oblationem, & medere iniquitatibus meis; ſiquidẽ innocentis filij tui vulnera, eò direxiſti; vt omnibus illis ſanctitatẽ adferrent, qui propriis ſuis culpis eſſent vulnerati.

I. Quantos ea dolores pepererit Domino.

a *Iſaiæ. 53.3.*
b *Hab. 3.4.*
c *Zach. 13.6*

Peccata noſtra ſunt claui.

d *Iſai. 53.5.*

Digitized by Google

II.
Extenſio violenta membrorum Chriſti, intenſiſsimi fuit doloris.
e Pſal. 21. 17

ALIVM deinde horrendum Chriſtus ſenſit dolorem in hac crucifixione: nam cum altera manus eſſet confixa, nerui ſeſe ita contraxerunt, vt cùm alteram configere vellent, non pertingeret ad deſignatum foramen: quò verò eò vſq; pertingeret, adeò crudeliter funibus ligatam traxerũt, vt eius oſſa fermè luxarentur, quod inſinuatur ipſius Domini verbis, in Pſalmo, e *foderũt manus meas, & pedes meos, & dinumerauerũt omnia oſſa mea*, dinumerauerunt, inquit, oſſa mea, mẽbra videlicet mea adeò in cruce traxerunt, vt carne mea præ debilitate fermè cõſumpta, numerare potuerint omnia oſſa, quæ in illa erant. Dolor hic fuit omnium atrociſsimus, quos Chriſtus in tota ſua paſsione pertulerit. Etſi enim os nullum confregerint, iuxta illud ſcripturæ *os non comminuetis ex eo*: f illa tamen extenſio, & oſsium conuulſio, intenſiſsimum attulit dolorem, quem ipſe Dominus Patri obtulit in ſatisfactionem eorum peccatorum, quæ ipſius Eccleſiæ membra, ſchiſmate ſiue concordiæ & charitatis defectu admiſerunt. O Animæ meæ Saluator; nunc tibi dicam, quod aliquando Dauid g *omnia oſſa mea dicent Domine quis eſt ſimilis tibi!* Vtinam omnia oſſa mea, conuerterentur in linguas, ad te laudandum, ob dolorem, quem in tuis ſuſtinuiſti: quis enim tui vnquam fuit ſimilis, in doloribus, tormentis, ignominiis & opprobrijs, quæ in cruce es perpeſſus? ſicut nullus par tibi, in magnitudine diuinitatis eſſe poteſt, ſic nec tibi æquiparari, in abiectionibus, (quibus tot admirandæ virtutes ſunt inſertæ) ſacratiſsimæ tuæ humanitatis! O ſi liceret dinumerare omnia oſſa tua, virtutes ſcilicet internas, flebili iſta figura, quam habes in cruce, velatas, vt imitari poſſem! Concede nobis ô bone IESV, per tuum iſtum dolorem, vt oſſa Eccleſiæ tuæ, Prælati ſcilicet virique perfecti, coniuncti viuant inter ſe, & cum reliqua imbecilli plebe, quæ caro eſt myſtici tui corporis, vt omnes charitatis vinculo ligati; te vna glorificemus, prædicantes operibus noſtris magnificentias tuas, ac dicentes, *Domine quis erit tibi ſimilis in poteſtate*, qui diſtantes adeò à ſe inuicem voluntates, tali amoris glutine compingis.

f Exod. 12. 46. Ioan. 19. 36.
g Pſal. 34. 10.

Oratio pro vnitate charitatis.

III.
Ictus clauorum animam B. Virginis tranſuerberabant.
h Thren. 1. 12.

LICET præterea perpendere ingentem dolorem, quo beatiſsima virgo fuerit afflicta, dum ictus audiret mallei, quo filius eius configebatur: vnus enim idemque ictus, & clauo manum, aut pedem filij tui transfigebat; & Matris cor acutiſsimo dolore pertranſibat. O Virgo ſuprema, ſi filio tuo competit *nomen viri dolorum*; cur non tibi competat, æquè aliud ſimile, vt te *dolorum Virginem* appellemus, vt quæ veriſsimè dicere potueris, h *omnibus*, qui in monte illo aderant, & *qui tranſibant per viam: Attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus!*

O ſi & *ictus* iſti cor meum ſicut tuum penetrarent! ô ſi animæ meæ aures, ad ictus mallei Dei, ſanctæ ſcilicet eius inſpirationis, percipiendos paterent

terent

terent ſemper; vt cordis mei durities, dolore frangeretur; eò quod eum offenderim, qui adeò crudeli malleo eſt mei cauſa ictus.

PVNCTVM III.

Chriſtus cum cruce eleuatur.

AFFIXO iam cruci Chriſto Domino erexerunt ſatellites crucem in altum: eſt verò fas credere, eos præcipitanter ac temerè in foueam demiſiſſe, quæ ad id parata erat, toto ſanctiſsimo corpore concuſſo & intolerabili dolore affecto.

I. Conſidera Chriſti dolorem, pudorem, afflictionẽ.

ELEVARE, anima mea, in altum cum Domino tuo, ſenſuſque & affectus cordis tui confige cum ipſo cruci, attende imprimis dolorem illum pudorem & afflictionem tui dulcis IESV; cùm ſe in editiori loco, in magnum ſuum pudorem, in conſpectu tantæ multitudinis, vidit eleuatum, nudatum, illuſum, & factum opprobrij ſignum & ſcopum, immenſis doloribus in omnibus corporis ſui partibus oneratum! aſpice caput illud, nõ habens, vbi ſe reclinet: nam ſi ad crucem, profundius infiguntur ſpinæ: manus clauis lacerantur, propter corporis pondus, quod trahit ad terram, pedum etiam vulnera magis aperiuntur & dilatantur, innitente illis toto corpore: videnſque Dominum tuum, adeò pro tuis peccatis laceratum tormentis; lacera & cor tuum, præ dolore, quod illa admiſeris.

II. Vide vulnera, quaſi 4. Paradiſ flumina.

CONIICE mox oculos, in *quatuor* illos ſanguinis riuos qui ex quatuor vulneribus, inſtar quatuor i *fluminum ex paradiſo* fluunt, ad irrogandam, fertilemque reddendam cordis humani terram, accede ſpiritu ad hos riuos ſanguinemque vehementi amore & dolore defluentem, deliba; eodẽque ita teipſum ablue; vt à tuis culpis munderis. ſicut illi, qui k *lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni.* O ſanguis pretioſiſsime, laua me, purifica, accende, & inebria me exceſſu illo amoris, quo effuſus fuiſti: & penetra ac transfige me exceſſu illo doloris, quo ex venis Domini mei extractus fuiſti.

i *Gen.* 2. 10.
k *Apoc.* 7. 14.

Audi hoſtium clamores, & irriſiones.

APERI etiam aures, vt clamores illos, & *irriſiones* audias, quas Chriſti hoſtes extulerunt, cùm eleuatum eum in cruce viderunt, exultantes, cum adeò deformatum, & afflictum viderent, vt nulla viuendi ſpes ſupereſſet. Audi etiam clamores & fletus dolore pleniſsimos, quos filiæ HIERVSALEM eleuauerint, cum lacrymandum illud ſpectaculum aſpexerunt; præcipuè verò vehementia ſuſpiria, & gemitus piarum mulierum, quæ illic aderant. O quos cruciatus aures tuæ, dulciſſime IESV, ſentiebant; tam ex hoſtium vociferationibus, quam ex amicorũ gemitibus! *Si amici Iob cum oculos ſuos* ad illũm aſpiciendũ *eleuaſſent*, vix eũ in ſterquilinio iacẽtẽ, & vulnerib. plenũ l *agnoſcentes; exclamães, plorauerũt, ſciſsiſq; veſtib. ſparſerũt puluerẽ ſuper caput ſuũ, & ſederũt cũ eo in*

Piorum gemitus, & fletus.

l *Iob.* 2. 13.
Iob figura Chriſti.

terra, ſeptem diebus, & ſeptem noctibus; & nemo loquebatur ei verbum, videntes dolorem eſſe vehementem: quid fecerint amici tui, cum leuantes oculos ſuos, viderunt te, in horrendo iſto crucis lecto, vulneribus à planta pedis vſq; ad verticem capitis plenum, multò atrocioribus, & vehementiores dolores inferentibus, quàm illa Iob! vix enim te adeò deformatum agnoſcentes, eleuarunt clamorem; fletu amarò, viſcera ſua, tanta doloris vi ſciderunt; puluere ſeipſos cooperuerunt, præ pudore nuditatis tuæ, & attoniti obmutuerunt, neſcientes quid tibi dicerent; videntes dolorem tuum eſſe vehementem! Vtinam tantus mihi ſenſus daretur, qui fortiori iure teneor, dolores tuos ſentire, quàm amici Iob habuerint, vt eius ſentirét afflictionem. Ille enim nihil pro amicorum peccatis patiebatur; cum tu, Saluator mi, tanta pro noſtris patiaris: & ſi Iob dolor erat vehemens, tuus eſt vehementiſsimus: nam ille etiam cum vehementi dolore, mortem euaſit, tu autem vi doloris tui, vitam amiſiſti. Defleas igitur anima mea, Domini tui dolores, ſcinde cor tuum præ dolore, operi caput tuum puluere, & cinere, pænitentiam agens ob tua peccata: & quamuis lingua non ſciat, aut non poſsit loqui, cor ſaltem meditetur, ac ruminet vehementiſſimos eius dolores, & contemptus, non tantum 7. diebus, ſed per totam vitam tuam, manſionem tibi eligens ad pedem crucis.

Plorandū nobis tota vita ad pedem crucis

IV. B. Virginis dolor ex Filij aſpectu. Et viciſsim Christi ex intuitu matris.

CONSIDERANDVS deniq; eſt S. Virginis dolor, quem ex primo illo filij ſui aſpectu ſenſit. Nam occurrentibus ſibi filij & matris oculis, vterque præ ſumma triſtitia fuit eclypſatus: Mater enim ex filij ſui aſpectu, manſit ſpiritualiter cruci affixa: Filius verò ex matris aſpectu, nouam afflictionem ſenſit: tacente verò vtroque, ob doloris vehementiam; vtriuſque cor occupabatur, in perſentiendis, quos alter patiebatur, doloribus, plus ex eis dolens, quàm ex propriis. Colloca igitur te anima mea, inter duos hoſce cruci affixos; & dum eleuatis oculis videris filium ferreis clauis cruci affixum, mox eos demitte ad matrem, doloris & compaſsionis clauis ſimiliter cruci affixam; & ſupplex pete, ita communicari tibi aliquid illorum dolorum, vt & tu ſimul cum eis crucifigaris, vera ipſorum imitatione.

QVOD ſupereſt ad hunc locum, perpendi amplius poteſt ex ijs, quæ puncto octauo meditationis primæ, ſiue fundamenti ſunt dicta.

MEDITATIO XLII.

DE MYSTERIIS IN CHRISTO crucifixo latentibus.

PVNCTVM I.

AD pedes crucis conſtitutus, oculiſq; ad eum, qui in ea pendet, eleuatis; vt cognoſcere ac penetrare poſsim quidquid in ea agitur, nobiſque proponitur; conſiderandũ eſt, quis ille ſit, qui in ea confixus pendet; cauſaque inquirenda, ob quam, id ita ſit factum, fuit enim ex parte ipſius, ſola bonitas & miſericordia; ex noſtra verò, miſeriæ noſtræ remedium.

S. Thom. 3. p. q. 46. a. 6.

Quis in cruce pendeat conſideta, & Quare.

LEVA igitur ô anima mea, oculos tuos ab iſta cruce in cœlum, & ab iſto ignominioſo throno, qui eſt in monte Caluariæ, ad Thronũ illũ gloriæ, qui eſt in cœlo empyreo; & perpende infinitam maieſtatem illius, qui in cruce pendet. Eſt enim Deus æternus & immenſus, a *cuius ſedes eſt cœlum, terra autem ſcabellum pedum eius,* qui b *aſcendit ſuper Cherubim, & volat ſuper pennas ventorum:* Eſt ſummè ſapiens, eſt omnipotens; per quem creata ſunt omnia; cœli & terra, Angeli, & homines. Qui vt ait Iſai. c *appendit tribus digitis molem terræ*; quia bonitate, ſapientia, & omni potentia ſua eam conſeruat.

Deus eſt qui pendet. Cõfer thronum maieſtatis eius diuinæ,

a *Iſaia* 66. 1.
b *Pſ.* 17. 11.
c *Iſaiæ* 40. 12.

POSTQVAM hæc expenderis, demitte oculos tuos ad extremam abiectionẽ & miſeriã, qua diuina hæc perſona eſt in cruce veſtita; & perpende afflictiſsimũ eius corpus, ternario altero triũ, clauorũ qui ligno illi affixum tenent, ſuſtentari; vt ab vna ad alteram partem ſe mouere nõ poſſit; & ita corporis eius molem ſuſtinent, vt ingenti illud dolore afficiant; & vſque ad terminum vitæ afficiant. Et conferens, quæ hæc diuina perſona, in vtroque iſto throno habet, admiraberis & obſtupeſces, quod tanta maieſtas ad tantam vilitatem deuenerit; & d *volans* ſicut *Seraphim faciem & pedes*, ſupremum videlicet & infimum tui Redemptoris, eò quòd neutrum aſſequi poſsis, *clamabis* magno affectu: *Sanctus Sanctus, Sanctus, es Domine Deus exercituum.* Ter ſanctus es, propter tres digitos, quibus terræ molem ſuſtentas; ter quoque ſanctus es, propter clauos tres qui tuũ corpus in cruce ſuſtentant; & multò adhuc magis propter alios tres, quibus teipſum illi confixiſti; vno amoris hominum; altero, obedientiæ erga Patrem æternum, tertio, zeli gloriæ ipſius, & boni noſtri, qui fortius te configunt, quàm illi ferrei. Gratias tibi, ſupreme Redemptor, pro-

II. Cum throno crucis. Et obſtupeſce.

d *Iſaiæ* 6. 2.

Claui tres ſunt myſticè: Amor, obediẽtia, zelus.

pter illum amorem, obedientiam, & zelum; quibus tuæ cruci es confixus; oro ſupplex, Domine, vt eiſdem clauis, tuæ me cruci ita configas; vt te ſemper plus diligã, quàm me, tuæq; voluntati pareſam, nihil curando meam; zelemque tuum honorem, & æternam meam ſalutem, non ſollicitus de ijs, quæ citò pertranſeunt. Quod ſi hi claui, non me ſatis fixum tenebunt, c *confige timore tuo carnes meas*; vt tua occulta iudicia, & ſeueram iuſtitiam, meamque damnationem æternam ita timeam, vt ab ea me velis liberare. Amen.

c *Pſal. 118. 120.*

PVNCTVM II.

DEINDE conſiderandum, eundem hunc Dominum, in cruce pendentem, eſſe magnum illum a *ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech*, ſupremum Eccleſiæ Pontificem, electum, & vocatum, maiori multò excellentia, quàm fuerit Aaron, b *Principem Paſtorum, & c Epiſcopum* vigilantiſsimum *animarum noſtrarum*; qui crucem conſcendit, vt cruentum ſacrificium offerret, omnium excellentiſsimum, quæ vnquam fuerunt in terra oblata.

Chriſtus eſt Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. a *Heb. 6. 20* b *Pet. 5. 4.* c *Ibid. 2. 25.*

INSIGNIA ſummi huius ſacerdotis ſunt *dolores* & *ignominia*, ſed myſterij tamen plena. INFVLA enim eius eſt ſpinea corona, eius capiti infixa. BACVLVS paſtoralis, eſt ipſa crux. ANNVLI, ſunt claui manibus infixi, & VESTIS ſacerdotalis, varij coloris, caro ipſius eſt, multis vulneribus & liuoribus ex verberibus exornata. Hac ratione d *introiuit* benignus noſter IESVS, *ſemel* tantùm *in ſancta* ſanctorum, *non* offerendo *ſanguinem, hircorum aut vitulorum, ſed proprium ſanguinem*, non pro ſe ipſo, ſed pro nobis; nec ſacrificium commune, quod eſſet diuidendum; ſed holocauſtum, quod totum conſumeretur igne doloris & amoris, effuſo toto ſuo ſanguine, in remiſsionem peccatorum, donec omninò mortuus, conſumeretur in cruce. O ſumme ſacerdos, quàm tibi ſtat caro, Dei iram in nos placare; ſiquidem non es contentus offerre animalium carnem ſanguinem, ſed tuam propriam diuinitati coniunctam; quamuis ſanguis à carne, horrẽda crudelitate fuerit ſuperatus, neceſſaria fuit talis oblatio, atque eſt tua, vt ex iuſtitia ſatisfaceret pro tali offenſione, atque eſt noſtra: neceſſe erat, vt Deus eſſet Sacerdos, & ſacrificium; ad hoc vt eſſet Deus, ea ſatisfactione contentus & placatus. Quid tibi reddam, ô ſupreme Pontifex, & Paſtor animæ meæ, pro qua tale ſacrificium, Deo in cruce offers? opto cruento huic ſacrificio adeſſe, & offerre in ſacrificium, cor meum, e *contritum & humiliatum*, contritum, ob admiſſa mea peccata; humiliatum, quod videam tot dolores & ignominias te pati propter me. Alterum quoq; ſacrificium offeram laudis, propter tanta, quæ meæ ſalutis cauſa præſtas: firmũm addens propoſitũ faciendi, quidquid mihi erit poſsibile tui obſequii cauſa. Accepta Domine, hæc ſacrificia: indue me

Chriſti Põtificalia inſignia.

d *Heb. 9. 12.*

Eius ſacrificium in ara crucis. Oratio

e *Pſal. 50. 19*

inſignib. ſacerdotij tui, & fac me tibi ſimilẽ in tãtis, quæ mei cauſa ſuſtines.

PVNCTVM III.

ASPICERE etiam debeo IESVM Chriſtum crucifixum, tanquam doctorem & magiſtrum, ab æterno Patre, in mundum miſſum, vt viam nos virtutis & veritatis, & ſemitas ſanctitatis & perfectionis doceret: qui cùm hæc omnia, opere & verbo, triginta tres annos vitæ ſuæ docuiſſet; conſcendit ad finem cathedram crucis; in qua omnium, quod ante docuiſſet, Epilogum quendam excellentiſsimum perfectiſsimumque conficeret. Nam, vt initio ſuæ prædicationis, a *aſcendit in montem, ſedens cum ſuis diſcipulis, aperiens os ſuum*, prædicauit illis octo beatitudines, quæ ſunt octo heroici actus virtutum, quibus innitur Euangelica perfectio; ita nunc aſcendit in montem Caluarium, & pendens in cruce, opere ipſo exercet eaſdem virtutes, maiori excellentia, quàm antea exercuiſſet, vt ſexto puncto primæ meditationis eſt dictum. Et poſtquam eius paupertatem, humilitatem, & cæteras virtutes perpendero; fingam, Deum Dominum noſtrum verba illa mihi dicere, quæ aliquando Moyſi: b *inſpice & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt*: inſpice videlicet exemplar virtutum, quod filius meus tibi præbuit in monte Caluario; & fac illud, percipiens ac diſcens benè perlectam tibi ab eo lectionem.

Christus crucifixus eſt Doctor & Magiſter mundi. Crux eſt, vltima cathedra eius. a *Matt.* 5. 1.

Quàm attendendũ ad lectionẽ eius. b *Exod.* 25. 40.

CONSTITVE itaque te, Anima mea, ad pedẽ crucis, audiq; attẽtè, quàm tibi præleget Chriſtus crucifixus lectionem: & quandoquidem tam carè illi ſtat, eã tibi prælegere; par eſt te non negligenter eam audire & repetere; ſed cordi tuo altè imprimere, & opere ipſo ſtatim illam exequi, adeò ſerio, tantoque feruore, vt dicere poſsis cum Apoſtolo, c *non iudico me ſcire aliquid inter homines, niſi IESVM Chriſtum, & hunc crucifixum.* O ſupreme Magiſter, qui dixiſti, d *ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*; trahe meam memoriam, vt ſemper cogitet, quod hic me doces; & intellectum meum, vt benè idem intelligat; & voluntatem, vt diligat; & totum ſpiritum meum, vt valeam imitari. O Virgo ſacratiſsima, & dilecte Domini diſcipule, qui ad eiuſdem crucis pedem, præſtantiſsimam hanc lectionem audiuiſtis; ex qua profeciſtis plurimum, orate eundem ſupremum magiſtrum, vt eam quoque cordi meo imprimat, ſicut impreſsit veſtro.

Quam obſeruanda, & opere ſit ea Lectio complẽda. c 1. *Cor.* 2. 2. d *Ioan.* 12. 32.

PVNCTVM IV.

CONSIDERANDVM præterea, eundem, qui in cruce pendet, eſſe Deum exercituum, & a *Deum vltionum*, ducem & b *bellatorem fortiſsimum*; qui in campo illo montis Caluarij pugnam offert poteſtatibus inferni, & Principibus huius mundi; contra quos omnes fortiter dimicans ibi illos vincit, regnumque peccati deſtruit. Arma, quibus pugnat, ſunt ipſa crux, claui, ſpinæ, & reliqua dolorum & ignominiarum

Chriſtus in cruce debellat Diabolum. a *Pſ.* 93. 1. b *Ierem.* 20. 11.

ipſius

MEDITATIO XLIII.

DE TITVLO CRVCI CHRISTI AFFIXO, & Myſterijs Paſsionis, quæ in eo latent.

PVNCTVM I.

SCripſit *autem* a *& titulum Pilatus, & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum, IESVS Nazarenus Rex Iudæorum, & erat ſcriptum Hebraicè, Græcè & Latinè.* a Ioan. 19.19 Matt. 27.37 Marc. 15.26 Luc. 23.38.

CIRCA hunc titulum conſideranda ſunt quatuor, quæ in illo continentur, verba, in eis enim, vt S. Marcus ait, continebatur *cauſa eius* ſcilicet Chriſti, cur ſcilicet cruci fuiſſet affixus; nec ſolùm quam habuit Pilatus, ſed præcipuè quam habuit æternus Pater, ad tale decretum ferendum, ac permittendum.

Titulus crucis, continuit cauſam crucifixionis.

IESVS.

PRIMVM tituli verbum eſt, IESVS, quod *Saluatorem* ſignificat, venit enim ad ſaluandum & liberandum mundum à peccatis eius, & pœnis, quas propterea fuit commeritus. Et hæc prima fuit cauſa, cur fuerit crucifixus, vt morte nimirum ſua & pretioſi ſanguinis effuſione, redemptionis noſtræ opus perficeret. Nomen hoc fuit illi, dũ circũcideretur, impoſitũ; vt exigua illa ſanguinis portione, quẽ tunc effudit, officii Saluatoris poſſeſsionẽ acciperet: ſed nũc ponitur illi ſuper crucẽ, in titulũ ſuæ paſsionis, qua finẽ imponit, ac perficit, quicquid pertinet ad idẽ officium, totius ſui ſanguinis effuſione. b *Neque* enim (vt ait Apoſtolus) *ſine ſanguinis effuſione fit remiſsio* peccatorum, aut ſaluatio. O dulciſsime IESV, quàm tibi ſtat caro hoc munus Saluatoris; ſiquidem, vt nos ſalues proprium ſanguinem effundis, adeò liberaliter; non eius partem, ſed totum; nec paulatim, ſed copioſè effundendo per grandia illa manuum pedumque vulnera! O nomen IESV ſuauiſsimum! quàm tibi nunc aptè conuenit, eſſe c *ſicut oleum effuſum*: ſiquidem ex ipſo effuſo ſanguine, oleum conficis, quo vulnera noſtra curentur, & culparũ morbi deleantur! O liberaliſsime IESV, eſto mihi IESVS, & Saluatoris erga me officiũ exerce; eſto mihi oleum, quo curer; medicina, qua ſaner; & vnguentum fragrantiſsimum, quo conforter, tuæ mihi redemptionis fructibus applicatis.

I. Ieſus quid ſignificet.

b *Heb.* 9.22

c *Cant.* 1.3.

N A Z A R E N V S.

II. Nazarenus quid denotet.

1.

Hoc verbum ſignificat *floridum*; quo notatur ſecunda cauſa, propter quam IESVS conſcendit arborem crucis; vt nimirum excellentiſsimos virtutum flores produceret; quos in ea, ad noſtrum exemplum & inſtructionem exercuit. Flores enim fuerunt fragrantiſsimi, extrema illa paupertas, exactiſsima obedientia, perfectiſsima manſuetudo, profundiſsima humilitas, inuicta patientia, & charitas inflammata. O IESV Nazarene, quam es in iſta cruce floridus! tota quidem vita, valde fuiſti floridus, ſed multò tamen magis in eius fine; licetq; e tibi dicere ſponſæ tuæ Eccleſiæ d *lectulus noſter floridus.* nam tuus iſte crucis lectulus, plenus eſt floribus fragrantiſsimis, quos in ea profers. Admitte, Domine, me in iſto tuo e *ſtrato* quamuis *coanguſtato, nec enim periculum eſt vt alter decidat*, ſiquidem tu dixiſti: f *vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* Vtinam Domine tecum eſſem in cruce, ſuauiſsimum percipiens odorem florum, qui inde erumpunt; &, meipſum excitans ad ſimiles producendos.

d Cant.1.16 Crucis lectus floridus virtutibus.
e Iſai.28.20
f Io.12.26.

2

NAZARENVS quoque ſignificat *Sanctum*, vt intelligatur, qui in hac cruce pendet, IESVM, eſſe g *Sanctum ſanctorum*; eumque mori, non ob culpas proprias, ſed ob alienas, iuxta illud, h *iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit*, pœnaſque exſoluet, quas ipſi erant promeriti. Et hi ſunt fructus, ex floribus illis prouenientes, quos bonus noſter IESVS, in ſua morte produxit. nam i *granum frumenti cadens in terram, ſi moriatur, multum fructum affert.* O Arbor florida & fructuoſa, vtinam k *ſub vmbra tua ſedere liceret, fructusq; tuos dulces gutturi meo* vſque ad ſatietatem comedere! O dulcis IESV, qui dixiſti l *aſcendam in palmam & apprehendam fructus eius!* Hanc mihi gratiam concede, vt crucis palmam conſcendam tecum, fruarque fructibus per eam à te productis, vt tuas virtutes imitans, palmam obtineam gloriæ, quam illis licet promereri. Amen.

g Dan 9.24
h Iſai.53.11.
i Ioan.12.
k Cant.2.3.
l Cant.7.8.

R E X.

III. Chriſti regnum.

TERTIVM verbum tituli, eſt REX, quo ſignificatur cauſa, cur Pilatus Chriſtum, ad crucem damnauerit; quia videlicet Iudæi eum accuſaſſent quod eſſet ipſorum *Rex*, ſicut reipſa erat, non temporalis, ſed cœleſtis & æternus: cuius regnum & incipit, & ſtabilitur ab ipſa cruce, iuxta illud quod canit Eccleſia: m *Regnauit à ligno Deus.* Nam vt regnum peccati incepit ab vna arbore, propter primi Adami inobedientiam; ita Dei regnũ *cœpit ab* altera, propter obedientiam Chriſti in ea morientis. Ex quo diſcam, ſi regnare cupiam cum Chriſto, incipiendum mihi eſſe, ab eodem crucis regno, n *affigendo illi veterem meum hominem, vt deſtruatur corpus peccati.* regna enim terrena obtinentur & poſsidentur, dum quis viuit; ſed Chriſti regno non fruetur, niſi qui moriatur. O Rex æterne, cuius corona

m ex Pſal. 95.10.
n Rom.6.6

&

&thronus ſunt æterna; & ideò corona ſpinea, caput tuũ penetrat; vt in illo tuo throno duris clauis confixus, effundens per tua vulnera ſanguinem, eo regnum illud expugnes, quod ſeruis tuis promiſiſti: ſiquidem adeò es potens, vt o *ſedens in ſolio* iſto *iudicij diſſipes omne malum ſimplici intuitu tuo*, diſſipa in me quidquid te offendit, vt tecum ingrediar, & gaudio fruar regni tui. Amen. o Prou. 20. 8

IVDAEORVM.

VLTIMVM verbum tituli fuit, Rex IVDAEORVM; qui quamuis eum vt Regem recipere noluerint. (nam propterea petiuerunt, vt crucifigeretur) non propterea excidit ipſe illorũ regno, qui ab æterno Patre p *conſtitutus eſt Rex, vt regnaret ſuper Sion montẽ ſanctum eius*, & ſuper omnes eos, qui ſignificationem haberent eius nominis, hoc eſt, qui vera confeſſione confiterentur, quod Deus reuelauit, gloriam illi propterea tribuentes. Quæ etiam eſt cauſa cur titulus ſcriberetur literis Hebraicis, Græcis, & Latinis; vt vniuerſæ mundi nationes tribus hiſce linguis iudicatæ, Regẽ hunc agnoſcerent & adorarent; & q *omnis lingua* (vt ait Apoſtolus) *confiteretur, quia Dominus noſter IESVS Chriſtus, in gloria eſt Dei Patris.* O fili Dei viui, ego confiteor, optimè adaptari tibi glorioſum iſtum titulum: tu n. ſolus, & non alius, IESVS es NAZARENVS REX IVDAEORVM. Vtinam orbis vniuerſus titulum iſtum, & legeret, & admitteret; & omnes te confiterentur Regem ſuum & Saluatorem! O titulum altiſsimum, in quo cõpendio continentur omnes tituli, quos ad ſalutem meam negotiandã habere poſſum. nam hoc titulo orationes meę exaudientur, vota mea explebuntur, & meis neceſsitatibus, eodem titulo ſubuenietur. O Pater æterne, agnoſce hunc titulum, ſuper crucem filij tui ſcriptum; & ſiquidem titulus eſt eius regni, quod ipſe mihi comparauit; admitte me ad illud, vt regnem tecum per ſecula. Amen.

IV.

p Pſal. 2. 6.

Titulus crucis cur ſcriptus tribus linguis.

q Phil. 2. 11.

Tituli crucis laudatio

PVNCTVM II.

HVNC a *titulum multi Iudæorum legerunt: dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorũ: noli ſcribere Rex Iudæorũ; ſed: quia ipſe dixit, Rex ſum Iudæorũ.*

a Io. 19. 20. 9

Titulum crucis legerunt aliquivt reprehenderẽt.

CIRCA hoc punctum conſiderare licet *tria* genera hominum, qui titulum crucis Chriſti in monte Caluario legerunt.

PRIMI fuerunt *Pontifices* & *Phariſæi*, & ſimiles alij homines, malè affecti & hoſtes Chriſti, qui titulum falſum eſſe iudicantes illum voluerunt emendare. Et hi denotant Hæreticos, & reliquos infideles, qui audiunt & legunt libros ſacros, & aduertunt titulos & opera diuinitatis & humanitatis Chriſti, ſed multa ex illis negant, & deprauato ſuo iudicio, & leui apprehenſione, illa volunt emendare.

I.

Denotant Hæreticos & infideles.

ALII eundem titulum *curioſitate* (vt in eiuſmodi occaſionibus euenire ſolet) ducti legerunt; ſed nec curarunt, nec intellexerunt, nec latens in eo myſteriũ ſunt aſſecuti. tales ſunt multi, qui audientes, & legentes geſta

II.

Aliqui ex curioſitate.

Digitized by Google

Denotant eos qui lectione paſcunt.

Chriſti Domini noſtri, credunt in confuſo, & in cumulo, vt dicitur, non tamen profundè latentia in eis myſteria curant intelligere: ideoque nullum fructum aut commodum ex eis hauriunt.

III. Aliqui deuotè & attentè.

Fvervnt verò alij in monte illo Caluario, Beatiſsima ſcilicet Virgo, & Sanctus Euangeliſta Ioannes, & ſimiles alij, qui & titulum *deuotè* legerunt, myſteria latentia penetrantes, magno cordis affectu, ea ſunt venerati: & tales ſunt, qui legentes ſacros libros, fideique noſtræ veritates agnoſcentes, eas meditantur, deuoteque ruminant & ſpiritu, vt commodum inde hauriant; quos meritò imitari contendam, Beatiſsimæ Virgini & Sancto Ioanni ſupplicans, lumen illud & ſpiritum mihi obtineant, quo ipſi hunc titulum legerunt, profunda eius penetrarunt; vt eodem & legam ego, penetrem veritates, quas me fides docet de Chriſto Saluatore meo: ſiquidem b *hac eſt* mea *vita æterna, vt cognoſcam eum*, amem, eique fideliter perpetuum ſeruiam.

Denotant eos qui ea quæ legũt & credunt piè meditantur.

b *Ioan.* 17. 3

Pvnctvm III.

Tituli veritas & Firmitas.

Respondit *illis Pilatus: quod ſcripſi, ſcripſi.* Hoc verbum reſpondit ille Præſes ex diuina inſpiratione; vt intelligeretur, verum eſſe, quòd eo titulo continebatur: quodq; nulla humana ratione, aut perſuaſione eſſet mutandũ. ita enim fiet, vt quod ſemel in hoc titulo, & ſcriptura diuina ſcriptum eſt, æternùm ſcriptum ſit; nec mutetur aut deficiat, quantumuis fidei hoſtes, in contrarium nitantur. Ex quo etiam diſcam conſtantiam in bono tenere, quod propoſuerim ac decreuerim; vt Chriſtum ſequar, quod ſi Dæmon, aut mundus, aut caro retrahere me ab eo tentationibus ſuis contendent; reſpondebo, *quod ſcripſi, ſcripſi*: quod ſemel decreui; nec vel in puncto retrocedam; aut quod ſemel ſcripſi, delebo; aut quod ſemel ſtatui, mutabo. O Saluator mundi, qui adeò in tuis decretis conſtantiam amas, & firmitatem, vt nec minimum huius tituli characterem mutari permiſeris, ſupplex rogo, adeò me conſtantem in diuino tuo facias obſequio vt nulla hoſtium perſuaſio, ab eo me retrahat.

Conſtantia tenenda in bono.

MEDITATIO XLIV.

DE VESTIVM CHRISTI DIVISIONE ET irriſionibus, quas in Cruce ſuſtinuit.

PVNCTVM I.

MILITES a *ergo cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes, & vnicuiq; militi partem dederunt.* a Ioan.19.23 Matt.27.35 Luc.23.34.

CIRCA hanc partitionem *veſtium conſiderandæ* ſunt eius cauſæ & myſteria, quæ in ea latent. Nam ex parte ſatellitum, qui carnifices fuerunt, & crucifixerunt Dominum, cauſa fuit ipſorum cupiditas: cùm enim eſſet vile genus hominum, vnuſquiſque partem illam veſtium accipere voluit, quæ forte illi contingeret; quas propterea diſſuerunt, idq; in ipſius Chriſti conſpectu, vt ampliùs adhuc ipſum irriderent, quaſi dicentes, iam tibi veſtes neceſſariæ non ſunt. Et dum eas diſſuerent, aut diſcinderēt, dixerit fortè eorum quiſpiam, ad magis eum cruciandum: laceremus huius blaſphemi veſtes, quas ipſe ob dictas in Deum blaſphemias, lacerare noluit. His & aliis ſimilibus, oculos & aures Domini IESV torquebant illi. O ſacratas veſtes: ex quibus b *virtus exibat, vt ſanaret omnes* eorum languores, *qui illas tangebant*: quomodo ad Gentis adeò prophanæ manus perueniſti? Sed eius humilitas, qui vos hactenus induit, hanc vobis humiliationem attulit, vt ſic meæ in veſtibus ſuperbiæ mederetur. Hanc mihi Domine humilitatem tribue, qua lubens portem, quaſcunque rebus meis illatas iniurias.

I. Diuiſionis veſtium Chriſti cauſæ & myſteria.

I. militum cupiditas.

b Luc. 6,19.

SECVNDA cauſa myſterium continens, fuit ex parte IESV Chriſti Domini noſtri: qui vt perfectiſsimæ Euangelicæ paupertatis exemplum nobis relinqueret; non fuit contentus, nudus in cruce pendere, ſed etiam adiecit, vt veſtibus ſpoliatus, quæ tota erat eius facultas, illas etiam alienaret; ita vt neque earum vſum haberet, nec dominium, aut proprietatē, quā in pauperes illos ſatellites, licèt hoſtes crudeles, tranſtulit. Ex quo vehemens concipiam deſiderium, implēdi quam optimè mihi licebit, quod hic Dominus dixit: c *ſi vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me*; & illud: d *qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.*

II. Altiſsimæ paupertatis exemplum.

c Matt.19.21.
d Luc.14.33

TERTIA cauſa fuit, vt immenſam charitatem, & liberalitatem ſuam oſtenderet, cùm dedit hominibus, quicquid habebat, corpus, ſanguinem, & omnes facultates; & nominatim, vt ſignificaret, omnes homines ex quacunque quatuor mundi partium ad ipſum venientes, poſſe partē habere veſtium gratiæ ſuæ, charitatis & virtutum; vt eas induentes, ſeſe ex-

III. Immenſæ liberalitatis indicium.

fidei & charitatis, & ideo in canticis canticorum de ea dicit: *Vna eſt columba mea, perfecta mea*, quia vnus eſt SPIRITVS SANCTVS quem Columba ſignificat; & vnus ſpiritus Chriſti & perfectionis, qua in ea reſidet. Et qui eam diuidere tentat, etiam tentat diuidere Chriſtum, & pretioſam eius tunicam, quæ vna & integra eſt; eſſetque ille crudelior, qui hoc tentaret, quàm qui illum crucifixerunt: quia deſcindere audet ac lacerare, quod illi auſi non ſunt; nec ipſemet Dominus, ad id facultatem eis fecit. O DEVS pacis & amoris, ne in tua Eccleſia permittas eſſe ſchiſma, aut in religione diſcordiam, aut in Chriſtiano tuo populo vllam diuiſionem. Sed omnes in charitatis vnitione conſerua, vt omnes ſint vnum in te, poſsiſque eis te, ſicut pretioſa tunica induere, vt in regno gloriæ tuæ collocentur.

Cant. 6.

Eccleſiam qui diuidere tentat, diuidit Chriſtum.

Oratio pro amicorum vnitate.

DENIQVE conſiderare licet, quòd vt Chriſtus Dominus noſter, veſtes duas habebat externam illam, quæ in quatuor illos milites fuit diuiſa; & internam alteram, quæ vni ſoli obtigit; ita etiam externæ Chriſtianiſmi cærimoniæ, Chriſtianis omnibus conueniunt; quia omnes, earum participes eſſe poſſunt; virtus tamen interior, gratia videlicet, charitas, deuotio & ſpiritus vni ſoli, hoc eſt, paucis, iiſque inter ſe bene coniunctis vnitione ſcilicet carnis cum ſpiritu; & ſenſus cum ratione, in omnibus, quæ Deus iubet: ideoque contendendum mihi eſt, ex numero eſſe horum paucorum, vt *Vnus* hic ſim, cui felix adeò ſors contingat, vt hanc diuinam tunicam accipiam, & illa me induam.

IV. Externa Chriſti veſtis deſignat externas cæremonias; Interna autem earum Spiritum & virtutem. Externa multis obtingit. Interna vni, h. e. bene vnito.

PVNCTVM III.

VESTIBVS iam diuiſis, a *ſedentes milites, ſeruabant eum.*

FAS eſt credere milites hoc feciſſe, ex præſcripto Pilati, à quo id petiuerant Iudæi, quos mala conſcientia timere faciebat, ne quis eum antequam moreretur, & viuentem adhuc, ex cruce deponeret: aut etiam quò prohiberetur, ne quis ad eum accederet, & refrigerium aut leuamen aliquod eorum, quæ aliis crucifixis dari conſueuerant, ei adferret: quod fortè crucifixis cum ipſo latronibus, ab aliquo fuit oblatum: nam cuſtodia illa militum, non pro illis, ſed contra Chriſtum fuit adhibita. O Rex Cœleſtis, cuius milites ſunt innumeræ Angelorum legiones, qui Cœleſtem tuum thronum circumſtant, milleque laudum cantica tibi concinunt, quomodo te demiſiſti adeò, vt in vili iſto crucis throno eſſes, & cuſtodes haberes viliſsimos, & crudeles milites, qui te vituperare non ceſſant! exulto Domine, ob eam gloriam, quam habes in throno Cœleſti; affligor verò triſtorque, ob ignominiam & tormenta, quæ ſuſtines in terra, & vtroque nomine te laudo & glorifico, cupiens particeps eſſe tuæ ignominiæ, bona ſpe, quòd ſim poſtea æternæ tuæ gloriæ conſors futurus. Amen.

a *Matt. 27. 36.*

I. Cauſæ cur milites crucifixum Ieſum cuſtodierint.

mutuò colloquentes, ita vt Christus audire poſſet, *dicebant: alios ſaluos fecit ſeipſum non poteſt ſaluum facere: ſi Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de Cruce; & credimus ei: confidit in Deo liberet nunc ſi vult eum: dixit enim quia filius Dei, ſum.*

Principes Sacerdotũ illud in Christo

QVIBVS verbis irridentes, exprobrabant Christo quatuor præcipua in quibus Christus maximè gloriabatur. PRIMVM exprobrabant eius poteſtatem, dicentes, quòd qui alios ſaluos feciſſet, ſeipſum non poſſet liberare. DEINDE, regnũ etiam illi exprobrabãt, dicentes: *ſi Rex Iſrael eſt, deſcendat de Cruce, & credimus ei*: atque ſi dicerent, tam eſt falſum ipſum eſſe Regem, quàm eſt impoſſibile ipſum de cruce deſcendere. TERTIÒ, cõfidentiam in Deum inſimulabant, dicentes; confidit in Deo, quia illum amat: petat igitur ab eo, vt à cruce liberet; atque ſi dicerent, non liberabit illum: quia eum non amat. QVARTÒ denique exprobrabant illi dignitatẽ filij Dei, iudicantes eam fictam & falſam eſſe. Et in omnibus his quatuor, falſa multa inſerebant; quia Dæmon, qui Pater eſt mendacij, per eos loquebatur, tentans ita Christum, vt intelligeret, an eſſet filius Dei; qui quò Gens illa in ipſum crederet, deſcenderet ipſe de Cruce; ſed bonus noſter IESVS huiuſmodi ſannas patienter tolerabat, nullum verbum reſpondebat, nec illorum exprobrationes curabat, ſciens ex malo animo illas procedere. O Agne manſuetiſsime, quid tibi reddam pro tanta patientia in huiuſmodi ſannis & blaſphemijs, contra excelſas & diuinas tuas virtutes toleratis? Quod ad gloriam tuam mihi eſt maximè in votis, illud eſt vt confiteor, quod iſti blaſphemi non ſunt aſſecuti; & glorier in eo, quod ipſi contempſerunt. Confiteor te multos alios feciſſe ſaluos, ac poſſe etiam teipſum à cruce & à morte liberare; ſed id tamen facere non vis, vt ſic poſſis me ſaluare, quia vita mea pendet à morte tua. Confiteor etiam te verũ eſſe Regem Iſrael; ac propterea, nolle te de cruce deſcendere, in qua regnum tuum auſpicaris, vt omnes ad te trahas, credituros in te. Denique cõfiteor, te in Deo, qui te vt proprium filium amat, firmam fiduciam habere; ſed qui nolit te liberare, quia non eſt certum filiorum Dei indicium, quod ab huiuſmodi laboribus liberentur. Sed certum potius huius ſignum eſt, conſtanter in illis ad mortem vſque perſeuerare. Concede mihi Domine, fiduciam hanc, tuæ ſanctæ voluntati ſubiectam, qua poſsim in cruce perſeuerare, donec in ea ex ſpirem.

Et quatuor illi exprobrant. Poteſtatem Regnum. Fiduciam in Deum.

Dignitatẽ Filij Dei

Diabolus per eos tẽtat Christũ

Fruſtra Gloriãdum in cruce.

Christus enim non deſcendit de Cruce: quia Potẽs, Quia Rex Quia confidit in Deo vt Filius Dei.

Signum Filiorum Dei, Labores.

III.

f Luc. 23. 37

TERTIÒ f *illudebant etiam ei & milites*, qui ibi erant, & legentes titulũ crucis, *dicebant ſi tu es Rex Iudæorum, ſaluum te fac*: Atque ſi dicerent, ſi tu es adeò potens Rex, vt poſsis ſaluare & in libertatem vendicare Iudæos, libera te ipſum de cruce hac, in qua pendes. Eodem etiam modo

Milites ſubſannant Christum Et Latrones.

latrones, qui cum ipſo crucifixi erant (teſtibus Matthæo & Marco) *eidem* g *improperabant*, *&* h *conuitiabantur*, vt mox videbimus.

g *Matt.* 27. 44.
h *Marc.* 15. 32.
B. Virginis dolor in his conuitijs & blaſphemijs.

In his omnibus punctis, licet conſiderare, quantam pœnam ſacratiſsima Virgo ſuſtinuerit, blaſphemias illas audiens, quæ in filium eius dicebantur; capitum geſtus, ſibilos & ſannas, quæ à blaſphemis illis fiebant. Nam cum vidiſſet, quæ apud Caipham, & in Prætorio Pilati CHRISTVS perpeſſus fuerat, diſpoſuit diuina prouidentia, vt hæc opprobria & contumelias audiret, vt ſimul ipſius aures, hiſce iniurijs & blaſphemijs torquerentur; quas grauius multò ferebat, quàm ſi in ipſam dicerentur. Imò credibile eſt, feros illos perſecutores, dum blaſphemias in filium dicerẽt etiam in Matrem, quæ talem filium peperiſſet, eaſdem tanquam ex repercuſsione conieciſſe; illam verò admiranda patientia & ſilentio, exemplũ inſpicientem, quod filius illi dabat, toleraſſe. O Virgo ſacratiſsima quot gladij cor tuum afflictiſsimum transfixerunt! i *Linguæ* enim *eorum* blaſphemorum *gladij ſunt acuti* & bicipites, qui vno ictu filium tuum, teque eius Matrem pertranſeunt. Cur ô Mater pijſsima, non aliquod verbum adfers in defenſionem filij tui, cuius innocentiam & ſanctitatem habes perſpectiſsimam! ſed aduerto, non eſſe hoc tempus loquendi, ſed tacendi; & quod doloris magnitudo, te mutam apud homines reddiderit, quamuis cum Deo nunquam ceſſes loqui.

i *Pſal.* 56. 5.

IV.
k *Luc.* 23. 35
Populus ſpectat Chriſtum irridens.
l *Pſal.* 21. 8.
m *Num.* 21. 8. 9.
Inſpectio pia Ieſu crucifixi, quàm vtilis.

DENIQVE & illud eſt perpẽdendũ, quod Sãctus Lucas addit: & k *ſtabat populus ſpectans*, ſcilicet Chriſtum, qui aſpectus non erat cum deuotione, ſed cum irriſione: nam cum Chriſtus inter ſibi illatas iniurias ponit, cum dicit in Pſalmo, l *ipſi verò conſiderauerunt, & inſpexerunt me.* O ſi iſti infelices, Chriſtum, vt oportuit, inſpexiſſent, quanta ex ea inſpectione bona retuliſſent? ſi, m *aſpicere ſerpentem æneum*, ſatis erat, *vt, percuſsi à venenatis ſerpentibus, ſanarentur*, quantò magis ſufficiet aſpicere Saluatorem, ſerpente illo æneo adumbratum, in crucis ligno pendentem, peccatoris figuram ideo præferentem, vt eos à venenatis peccatorum ſuorum morſibus liberet? Concede mihi, Saluator mi, vt viua te fide & amoris ac deuotionis ſpiritu aſpiciã & contempler; vt hoc aſpectu reddar ſanitati, fortiſque euadam ad te laudandum, & tibi in ſecula ſeruiendum. Amen.

MEDITA-

MEDITATIO XLV.

DE PRIMO VERBO CHRISTI DOMINI IN Cruce, quo æternum ſuum Patrem pro ſuis hoſtibus orauit.

PVNCTVM I.

PENDENS Chriſtus in cruce, opprobria ſannaſque ſuſtinens, quas retulimus; poſt longum tandem ſilentium, aperiens ſuum os ſacratiſsimum, ſeptem verba ſiue ſententias protulit: quarum prima fuit: a *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt*. Aperi ô anima mea, aures tuas, vt audias; ſiquidem cœleſtis Magiſter aperit os ſuum in cathedra crucis, vt loquatur. b *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus*: & ſiquidem tu es, c *verbum* æterni Patris, Incarnatione, & Paſsione tua abbreuiatum, prælege mihi breuem aliquam lectionem, quam liceat memoriâ retinere, & intellectu ruminare, totoque meo corde & voluntate amplecti.

a *Luc.* 23. 34.
b 1. *Reg.* 3. 10.
c *Iſaia.* 9. 8.

PRIMA itaque lectio, quam Magiſter hic cœleſtis prælegit, primumque verbum quod in cruce loquitur, totum eſt amoris, quo orat pro ijs, qui ipſum crucifigunt, illos quomodo poterat excuſans, oſtendens in hoc infinitam ſuam charitatem.

Primum Chriſti in Cruce Verbum totũ eſt amoris.

PERPENDAM igitur primùm occaſionem, qua loquitur, & mox ſingula ipſius verba, & effectus denique quos hac oratione efficit.

PRIMVM, igitur, Chriſtum Dominum noſtrum conſiderabo, doloribus & tormentis, in omnibus ſacratiſsimi ſui corporis membris plenum nulla in duriſsimo illo crucis lecto inuenta requie; circumdatum præterea tot ſuis inimicis, qui eum crucifixerant; qui etiam tunc ſeipſos oblectabant, videntes illum adeò afflictum, & recentes afflictiones illi adferentes; horrendis iniurijs & blaſphemijs aperientes ora ſua; labia, & capita mouentes in eius contemptum & opprobrium. Hoc itaque tempore, & hac occaſione, eleuat Chriſtus Dominus noſter oculos ſuos ad cælum, & lachrymas pro eis fundens, ſuum aperit os; non ſicut d *Elias* vt peteret *deſcendere ignem de cælo*, qui eos *deuoraret*; nec vt e *Noë*, & f *Eliſæus*, qui *male dixerunt* ijs, qui ipſos irridebant; ſed vt oraret æternum Patrem, vt ignoſceret illis peccatum, quod in eo crucifigendo & ſubſannando, committebant; plus ipſe dolens de incommodis, quæ illis propter hanc culpam erant euentura, quàm de tormentis & iniurijs, quibus afficiebatur ab ipſis; ita reipſa explens, quod prius faciendum docuerat: g *diligite inimicos veſtros, & orate pro ijs, qui vos perſequuntur*; & quod de ipſo erat prædictum quod h *pro tranſgreſſoribus rogauit*; pro ijs videlicet, qui omnes

In ſummis cruciatibus Orat pro cruciantib.

d 4. *Reg.* 1. 10.
e *Gen.* 9. 24.
f 4. *Reg.* 2. 24.
g *Matt.* 5. 44.
g *Luc.* 6. 27.
h *Iſai.* 53. 12.

charitatis

Oſtendit ſe eſſe Deum Amoris, imo charitatem ip ã i *Cant. 8. 7.*

charitatis, pietatis, iuſtitiæ, & gratitudinis leges, maxima omnium quæ vnquam fuit in mundo crudelitate & ingratitudine, contra ipſum ſunt tranſgreſſi. O amantiſsime IESV, quam apertè oſtendiſti, te eſſe Deum amoris, & ipſammet charitatem, ſiquidem i *aquæ multæ* talium perſecutionum, *non potuerunt extinguere charitatem* tuã: nã potius adeò illa eis eſt accenſa, vt flammam ſuam ad cœlum vſque leuaret, rogans cœleſtem Patrem, ne eos caſtigaret, qui in tantis te laboribus conſtituerunt: talem mihi, quæſo Domine, charitatem concede, qua & ego meos diligam inimicos, & pro ijs orem, qui me perſequuntur, ſiquidem hoſtes tuos, etiam meos reputo; ignoſce omnibus, ô Pater miſericordiarum, vt omnes illis frui poſsint. Amen.

PVNCTVM II.

I Ad Patrem cur dirigat Christus orationem 1. a *Heb. 9. 4. 14.* 2. b *Mat. 5. 45.*

DEINDE ſingula breuis huius orationis verba perpendam, quorum primum eſt PATER, ad quem ſuam dirigit petitionem: etſi enim ad ſe ipſum, quà Deus erat, ſpectaret, illis agnoſcere; maluit tamen, qua homo, hoc à Patre petere. nam petens ab illo illis ignoſci, ſatis apertè ſignificabat, ſe ex parte ſua ignouiſſe: hac ratione officium explens ſummi ſacerdotis a *ſeipſum offerens ſacrificium pro peccatis & ignorantijs populi*, magno feruore Deum pro illis orans. Non dixit autem: Deus dimitte illis; ſed: PATER, vt intelligeretur, non amiſiſſe ipſum fiduciam, quam in illo habebat, & vt beneuola hac compellatione magis ipſum obſtringeret ad exaudiendum & dimittendum ipſius inimicis, *qui* tanquam Pater, b *ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos*: O ſupreme & miſericors Pater, cuius tãta fuit charitas, vt iuſtitiæ Solem, filium tuum vnigenam volueris venire in mundum, vt lucem, calorem, & vitam gratiæ mortalibus adferret, ſuæque doctrinæ pluuiã etiam peccatorum terram irrigaret; reſpice eundem diuinum Solem in cruce iã propè Occidentem; vt occumbat, & nobis occultetur; qui etiamnum diuini ſui amoris radios inflammatos emittit, pro ſuis perſecutorib. rogãs: exaudi eius accenſam orationem, & propter eam mitte de cœlo, gratiæ tuæ pluuiam ſuper omnes; vt omnes te & illum agnoſcant; & rarum excellentiſsimæ charitatis ipſius exemplum imitentur.

II. Chriſtus non vnam offenſam dimitti rogat, ſed omnes.

SECVNDVM verbum eſt, DIMITTE ILLIS: nec exprimit; hanc iniuriam dimitte, qua me afficiunt; ſed vniuerſim illis dimitti petit. id enim ipſe in votis habebat, vt omnia illis peccata, nullo excepto, dimitterentur. Quo etiam oſtendit, ſe non tam ob iniuriam propriam moueri, quàm ob illatas Patri ſuo; à quo propterea petit, omnes dimitti. Nec addidit: dimitte illis, *qui me crucifigunt aut ſubſannant*, ſed dimitte illis:

nolu-

noluit enim tale verbum ſuæ orationi inſerere, quo illi viderentur accuſari;aut Patris ira irritaretur:ac denique quia dimitti petebat,non ſolùm illis,qui tunc reipſa illum crucifigebant;ſed illis etiam, qui ſuis peccatis, crucifixionis ipſius cauſa extiterunt: quos in ſua etiam memoria præſentes habebat,pro vtriſque igitur dixit: DIMITTE ILLIS: O charitatem liberaliſsimam & latiſsimam IESV, quæ ad omnes peccatores te extendis,nullo excluſo eorum,qui ſibi dimitti & veniam obtinere volunt. Excita Domine,& transfige illorum corda,vt omnes ſeſe diſponant ad percipiendam veniam,quam illis offers,& participes fiant fructûs orationis, quam pro illis fundis. Idque omnibus.

III. Chriſtus excuſat ſce... ſ. occidentiũ & offendentium.

VLTIMVM verbum fuit: QVIA NESCIVNT QVID FACIVNT. Quo verbo excuſat prout poteſt ſuos inimicos. etſi enim multorum illorum ignorantia, nimis erat craſſa, affectata, ac propterea non ſine graui culpa:huius tamen pijſsimi Redemptoris charitas,quicquid inuenire potuit adhibuit,vt operiret, & excuſaret multitudinem & grauitatem peccatorum illorum: quæ etiam cauſa, ad omnes alios peccatores, ſuo modo ſe extendit.omnes enim aliquo ignorantiæ gradu laborãt,non agnoſcentes vt oporteret,quis Deus ille ſit, quem offendũt; & quàm ſit horrendũ, eundem offendere,quanta bona illũ offendendo amittant; & quàm horrenda mala ſibi accerſant.Si enim hæc omnia noſcerent, eum non offenderent. Ideoque etiam illis adaptari poteſt illud Apoſt. c *ſi cognouiſſent*, perfectè & vt ratio ipſa exigit, *nunquam Dominum gloriæ* in ſeipſis *crucifixiſſent*. Omnis qui peccat eſt aliquo modo ignorãs. c 1. Cor. 2. 8

HANC excuſationem Chriſtus Dominus noſter adiecit,non ſolùm vt infinitam ſuam charitatem oſtenderet, ac deſiderium, quo tenebatur, vt Pater omnibus peccatoribus dimitteret: ſed ob duplicem etiam alium finẽ. *Altera* eſt,vt nos ad magnã in ipſius miſericordia fiduciã permoueret: ſi enim ipſe nos excuſat,quis accuſabit? d *Quis* (ait Apoſt.) *accuſabit aduerſus electos Dei? Deus, qui iuſtificat; quis eſt qui condemnet? Chriſtus* IESVS, *qui mortuus eſt,imò qui & reſurrexit,qui eſt ad dexteram Dei,qui etiam interpellat pro nobis.* *Altera* cauſa & finis fuit; vt nobis exemplum daret proximorum noſtrorum defectus excuſandi,etiamſi noſtri ſint inimici; ignorantiæ potius,aut inaduertentiæ, aut zelo, aut intentioni alteri minus malæ tribuentes,ſi quid aduerſus eos fecerint; ita vt non ſolùm eos non accuſemus,nec illatam nobis iniuriam extollamus; nec propter eam optemus, eos à Deo caſtigari;ſed quo licebit meliori modo eam extenuemus & excuſemus, ea excuſatione potiùs vtentes apud Deum tanquam titulo & ratione vt illis dimittat. O Saluator dulciſsime, quàm aptè hodie e *conſcendiſti, montem myrrhæ,& collem thuris*; cõiungens in Caluario iſto monte myrrham amariſsimæ mortificationis, & thus orationis accenſiſsimæ.

Chriſti hęc excuſatio, magnam nobis Fiduciã parit d Rom. 8. 33

Dat & exemplum, excuſandi defectus proximorũ etſi inimicorum.

e Can. 4. 6

Conforta cor meum, Domine, hac myrrha, vt eam amplectatur; & hoc thure, vt illud tibi offeram, tuam ſemper quærens gloriam, per omnia ſæcula.

PVNCTVM. III.

Effectus orationis Christi pro inimicis.

VLTIMÒ conſiderandi ſunt effectus huius orationis Chriſti Domini: nam primùm Pater æternus eam exaudiuit; ſi enim (Scriptura teſte) f *humilium & manſuetorum ſemper illi placuit deprecatio*; quantò magis eidem placuerit humillimi & manſuetiſsimi filij eius oratio, qui (vt Apoſt. ait) g *in diebus carnis ſuæ, cum clamore valido & lacrymis, preces* in cruce funderet, *exauditus eſt pro ſua reuerentia*, ob reſpectum videlicet infinitæ dignitatis qui perſonæ eius debebatur, & ob eam reuerentiam, qua ſeipſum Patri humilians, eidem detulit honorem. Et ita propter hanc orationem Chriſti Domini, multi Iudęorum, qui illic adfuerũt, obtinuerunt remiſsionem peccatorum, quos S. Petrus in ipſo die Pentecoſtes conuertit, non tam pædicatione ſua, quàm virtute huius orationis Chriſti: propter quam etiam datur venia omnibus peccatoribus, qui illã petunt & recipiunt. O Pater æterne, audi orationem filij tui, & dimitte mihi peccata omnia, quæ contra te admiſi. Dimitte mihi, Pater miſericordiarum, quia neſciui quid facerem, cùm te offendi; & quamuis non is ego ſim, qui merear exaudiri, id meretur filius tuus & quia talis eſt, & quia tãtam ſemper tibi reuerentiam exhibuit.

f Iudic. 9. 16
g Hebr. 5. 7.

Conuerſio multorum Iudæorum. Et aliorum peccatorũ vt boni latronis, & Centurionis.

LICET etiam hic perpendere effectum, quem hæc oratio in SS. Virg. S. Ioan. & pijs alijs, qui aderant, effecerit, qui omnes tantam videtes charitatem obſtupuerint; ſimul verò planxerunt, videntes tanto dolore, cruci affixum eum, qui tanto amore pro ſuis perſecutoribus rogauit. Præcipuè verò ſacratiſsima ipſa Virgo, filij ſui exemplo permota, eãdem mox charitatem, in ſuos inimicos exercuerit; & auditam à filio orationem repetens dixerit *Pater æterne, dimitte illis, quia neſciunt, quid faciunt.* O quantoperè hæc humillimæ Virginis, & præ omnibus puris creaturis manſuetiſsimæ placuerit oratio! quàm benè fuerit in cœlo accepta, quæ orationi filij coniuncta, iuuerit ad deſideratam remiſsionem obtinendam. O peccatorum aduocata, age quæſo meam cauſam coram Deo, petẽs demitti mihi, vt qui neſciuerim, quid agerem. Eidem huic Chriſti Domini orationi attribuere licet cõuerſionem boni latronis, & Centurionis, alioſq; effectus, in ſubſequentibus meditationibus adnotandos.

B. Virginis & S. Ioan. admiratio & pius planctus.
B. Virginis oratio pro inimicis.

MEDI-

MEDITATIO XLVI.

DE DVOBVS LATRONIBVS CVM CHRISTO Domino crucifixis; de ſecundo VERBO, quo alteri illorum Paradiſum promiſit.

PVNCTVM I.

ET *cum a eo crucifixerunt duos latrones vnum à dextris, & alterum à ſiniſtris, medium autem IESVM.* a *Luc. 23.33. Ioan. 19.18.*

CONSIDERANDVM hîc eſt rara illa Chriſti Domini noſtri humilitas, qua voluit in medio duorũ latronum, adeò ignominioſè crucifigi. Fas eſt enim credere, eius hoſtes, inſigniores & famoſiores elegiſſe latrones, qui in carcere detinerentur; & fortè tales, qualis erat Barabbas, vt ſic impleretur quod ſcriptum de illo erat: b *& cum ſceleratis reputatus eſt.* b *Iſai. 53.12*

Humilitas Chriſti in medio Latronum elucet.

Quantus ille qui in medio Latronum.

QVò verò hanc humilitatem altiùs adhuc intelligam eleuandi mihi
ſunt oculi, ad infinitam eius dignitatem; & perpendendum, quod ipſe ſit
verbum æternum, medium inter alias duas diuinas perſonas, idemq; qui
inter Moyſen & Eliam medius, in monte Thabor fuit transfiguratus: & 1.
qui eſt lapis angularis, cui duo populi, Hebræus ſcilicet & Gentilis con- 2.
nectũtur; & in die iudicij ſedebit in throno ſuæ maieſtatis, in medio bo- 3.
norum à dextris, & malorum à ſiniſtris. Hic igitur Dominus eſt, qui in 4.
monte Caluario, & in throno iſto crucis, medius eſt inter duos iſtos latro-
nes, contemptus ita & abiectus, atque ſi ipſe eſſet latro: ſed nihil tamen il-
li, ex tali comitatu malitiæ aut infamiæ adhæreſcit, ibi potiùs repræſen-
tat, & nobis ob oculos ponit iudicium, quod facturus eſt de iuſtis & pec-
catoribus.

Repræſentat ita pendens, Iudicium extremum.

præbet nobis conſolationẽ in abiectione.

IN toto autem hoc facto, inſigne nobis præbet exemplum, quo nos ipſos conſolemur, ſi contingat nos in abiecto aliquo loco collocari, & in numero malefactorum reputari; certò nobis perſuadentes, ſi reipſa nihil nobis malitiæ adhæſerit, nec infamiam nocituram. O Rex gloriæ, quàm abundè oſtendiſti, veniſſe te in mundum, vt humilitatis nobis præberes exemplum! In eius enim ingreſſu, poſitus fuiſti in præſepio, in medio duorum animalium; in exitu verò ab eodem affixus es cruci, & poſitus in medio duorum latronum, vt finis initio aptè reſponderet, creſcẽte humiliatione gradibus ſuis, vſque ad ſupremum, quò poterat peruenire. Concede mihi, Domine, ſic ad tui imitationem, vitam meam inſtituere, vt principium, medium, & finis eius, ſit vera humilitas, qua tui amore, omne genus humiliationis amplectar.

Finis vitæ Chriſti reſpondet principio.

PVNCTVM II.

VNVS *autem de his qui pendebant latronibus, blaſphemabat eum, dicens: ſi tu es Chriſtus ſaluum fac temetipſum & nos: reſpondens autem alter, increpabat eum, dicens: neq; tu times Deum, quòd in eadem damnatione es? Et nos quidem iuſtè: nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit.*

Luc. 23. 39.

Diſcrimen bonorum, & maloru.

CONSIDERANDVM hîc eſt diſcrimen inter bonos & malos; & ignominia, quæ ab his accedit Chriſto; & gloria, quæ prouenit eidem ab illis.

I. Latro qui à ſiniſtris blaſphemat Chriſtum.

PRIMVM alter illorum (qui creditur fuiſſe à ſiniſtris, quia reprobos ſignificabat) blaſphemabat CHRISTVM, ſicut Phariſæi, exprobrás illi peccatum, ob quod dicebatur crucifixus; quia nimirum CHRISTVM ſe & Meſsiam finxiſſet. fuit autem hæc inſignis CHRISTO Domino ignominia, cuius deſpectus eò vſque peruenit, vt viliſsimus homo, & ad mortem crucis, ob ſua latrocinia & ſcelera damnatus, illum ſubſannaret; exiſtimans ſcilicet, ea ſubſannatione indulgentiam obtinere, vt benè moreretur. Ex quo apparet, quàm ſit impijs familiare, propriorum delictorum oblitos aliena exaggerare, murmurare de illis, & ſententia ſua eos damnare; qui talia admiſerint; ſeipſos interim tanquam innocentes, illorum comparatione, illis præferre: ſicut ſceleſto huic latroni euenit, qui nouiſsimo hoc peccato, ſuæ damnationis menſuram impleuerit; occaſionem interim præbens ipſi Saluatori, miram ſuam patientiam oſtendendi & exercendi; vt qui nullum verbum, tam acerbo ſuo, iniurioſo, & tam propè ſe exiſtenti reddiderit.

Sic impij bonos exagitant.

II. Latro qui à dextris tuetur Chriſtum. Idque heroicis actibus charitatis & humilitatis.

CONTRA verò alter, qui à dextris Chriſti erat, inſpiratione tactus Spiritûs ſancti, adiutuſque gratia eius Domini, quem propè ſe habebat, oppoſuit ſe blaſphemanti, vt IESV Chriſti honorem tueretur; diuina ita prouidentia diſponente; vt quoniam CHRISTVS Dominus noſter illatam ſibi iniuriam ſilentio tolerabat, non deeſſet, qui pro ipſo reſpondens, eum defenderet. In ipſo autem ſuo reſponſo, aliquos heroicos virtutis actus exercuit, charitatis præcipuè & humilitatis.

1. Publica increpatione impij Latronis.

PRIMVS fuit actus, quo publicum blaſphemum corripuit grauibus & conuincentibus verbis, dicens: *nec tu times Deum, quia in eadem es* mortis *damnatione?* Atque ſi diceret, quòd Deum non timeant, qui, ſani ſunt, nec in mortis periculo conſtituti, non adeò mirum eſt; ſed quòd tu non timeas in periculo proximæ mortis conſtitutus, hoc verò eſt intolerandum.

2. Publica cõfeſſione tum culpæ ſuæ & ſocij ſui.

SECVNDVS fuit actus, fateri publicè ſuam culpam, & approbare pœnam crucis, quam patiebatur tanquam iuſtam, & quam ipſe eſſet promeritus: cuius etiam confeſsionis & iudicij ſocium ſuum admonebat.

TERTIVS fuit, confiteri ipſius Chriſti Domini innocentiam, cùm

dixit:

Digitized by Google

dixit; *hic verò nihil mali geſsit.* tantum itaque animi habuit, vt coram tanta plebis multitudine confiteretur, Principes Sacerdotum & Scribas, deceptos eſſe, dum Chriſtum accuſarũt; & Pilatum grauiter erraſſe, dum eundem ad crucis mortem condemnauit; omneſq; eos perperam facere, qui illum blaſphemarent: eò quòd reuera nihil ille mali geſsiſſet. O Virum admirandum, qui non erubuit, Chriſti Domini confiteri innocentiã, quo tempore totus mundus eum damnabat. Apoſtoli fugiũt, diſcipuli latent, omnes eius noti conticeſcunt, Iudæorum pertimeſcentes iram: ſolus hic latro, in cruce eleuatus magnis vocibus prędicat, Chriſtum eſſe innocentem. AEquum eſt, Saluator iuſtiſsime, verbum illud implere, quo dixiſti: b *omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt, &* c *coram Angelis Dei.*

Tum Chriſti innocentiæ.

Latronis boni præconia.

b *Matt.* 10. 32.

c *Luc.* 12. 8.

III.

Ex hoc exemplo diſcam ſicut in monte Caluario tres fuerunt in cruce; aliter tamen atque aliter: nam vnus culpæ reus erat, ſed pænam impatienter tolerabat: ſecundus etſi culpæ reus, pænam tamen patienter ſuſtinebat: tertius, nullius culpæ reus, pænam tamen grauiſsimam admirabili patientia ferebat: Ita hominibus ſolere euenire in hac vita; quorum quidam etſi ob ſua ſcelera, à Deo caſtigentur; iniquo tamen animo pænã illam ferunt: qui cum malo latrone, pœnas æternas dabunt; de cruce, hoc eſt, de pœna temporali, ad Infernum, & æternam deſcendentes. Alij ob ſua quidem ſcelera caſtigantur; ſed pœnam tamen illam humiliter & patienter ferunt, illud Prophetæ demiſſo animo dicẽtes: d *Iram Domini portabo, quia peccaui ei*: & hi cum bono latrone, ſuorum peccatorum veniam obtinentes, ex cruce illa, & temporali pœna, ibunt ad Paradiſum. Alij denique abſque ſua culpa affliguntur, ad ſuæ virtutis exercitium, & coronã ampliorem; dum talem afflictionem, magnâ patientiâ; ad Chriſti Domini noſtri imitationem ferunt. Et hi ſunt feliciores: nam pretioſiſsimum crucis eſt, illam ſine culpa ferre. Verùm ego miſer, ſi non potero tantam felicitatem obtinere, vt inter hos poſtremos numerer, quia peccatis oneratus, qualcũq; promereor pœnas, poſſumq; ac meritò debeo, id quod in libro Iob ſcriptum eſt dicere: *peccaui, & verè deliqui; & vt eram dignus, non recepi*; contendam ſaltem vnus eſſe ex ſecundis; vt boni latronis exemplum ſecutus, Dei miſericordiam obtineam.

Infra pu. V.

Latro malus in cruce, eſt figura eorum qui ob ſcelera ſua hic caſtigantur, & poſt damnantur.

d *Mich.* 7. 9.

Latro bonus eorum qui ob peccata caſtigantur, ſed ſaluantur.

Chriſtus Dominus eorum qui etſi iuſti, affliguntur tamen vt exerceãtur.

PVNCTVM III.

CONVERSVS autem idem bonus latro, a *ad* IESVM, *dicebat: Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.*

Boni latronis oratio valdè heroica.

a *Luc.* 23. 42.

I.

IN hac heroica latronis huius oratione & petitione, conſiderandum eſt primùm, ſanctum hunc pœnitentem, poſtquam prædicta charitatis & humilitatis opera exercuerat, & propriã culpam, Chriſti verò ſanctitatem

Plena eſt pietate, fide & fiducia.

confeſſus fuerat, ſtatim animum concepiſſe, & orandi fiduciam; vt & peccatorum veniam, & in Cœlum ingreſſum peteret, verbis quidem breuibus, ſed pijs, fideque ac fiducia plenis.

1. Nam primùm, Dominum vocat, idque magna reuerentia, cultum illum & honorem ei deferens, qui ab hominibus, vt b *vermis & non homo, vt opprobrium hominum & abiectio plebis* contemnebatur. b Pſal. 21.7

2. Deinde fatetur eum eſſe Regem; verumque habere regnum; eo modo, quo ipſemet apud Pilatum faſſus fuerat, cùm dixit: c *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* & vrgenti, *ergo Rex es tu?* annuit, dicens *quia Rex ſum ego*: ad quod regnum, æternum vtique & cœleſte poſſidendum, per crucem tranſibat & mortem. c Ioa. 18. 36

3. Tertiò petit *memento mei, cùm veneris in regnum tuum*: atque ſi diceret, non peto hic ſaluari, aut liberari de cruce, ſicut meus cupiebat ſocius; ſed vt poſt mortem huius crucis, ſalues me ſaluatione æterna. Nec peto, vt me tecum in regnum tuum deducas, ſedemque & thronum in eo aſsignes: nam latro, qualis ego ſum, non auſit rem tam grandem petere, ſolùm itaque peto, *memento mei*, & hoc mihi eſt ſatis: nam ſi mei memineris, bonam mihi mortem concedes, collocabis in loco tuæ gloriæ, ſicut volueris. O latronem prudentiſsimum, & ſimul humillimum; quàm aptè nouiſti, & petere, & negotiari tibi d *regnum Cœlorum* quod *violenti rapiunt*; non tibi nunc accidet, quod Ioſepho, cum Pincerna Pharaonis, cum quo ſimul detinebatur in carcere, cui dixit: e *tantum memento mei, cum benè tibi fuerit, vt facias mecum miſericordiam.* verùm Pincerna *oblitus eſt interpretis ſui.* Non talis eſt hic Dominus, qui tecum eſt crucifixus: nam crucis tẽpeſtate tranſacta, ad magnam perueniet proſperitatem, & memor tui, eius te faciet participem.

Et humilitate. d Mat. 11. 12 e Gen. 40. 14. 23.

II. Deinde cauſas exquiram, ex quibus latronis huius cõuerſio & confeſsio, adeoque admiranda fides proceſsit. etſi enim præcipua horum cauſa fuerit f *mutatio dextra excelſi*, quæ cor eius verè mutauit; ſed eadem tamen Dei dextera aliqua media adhibuit ad eum illuſtrandum: quæ non fuerunt præcipuè miracula, quia fortè nunquam viderat aliquod miraculum Chriſti; nec adhuc illa inceperant, quæ in ipſa paſsione acciderunt: nec fuerunt ſermones, quia nullum Chriſti ſermonem audiuerat: Sed loco miraculorum, illum permouit heroica patientia & manſuetudo, quam obſeruauit in Chriſto, inter tot iniurias conſtituto; loco etiam ſermonis eius, cor emolliuit raræ illius charitatis exemplum, quod dedit, cum pro ſuis inimicis orauit; ex quo illuſtratione cœleſti didicit, illum Dominũ eſſe ſanctiſsimum; & ſi quidem ipſe dixiſſet, ſe Regem & Meſsiam eſſe, ac Dei filium, id proculdubio verum eſſe. Ex quo diſcam & ego, quantum referat eſſe patientem, manſuetum, & charitatem bonumque exemplum exhibere: ſiquidem hæc omnia vim habent miraculorum, & ſermonum

f Pſa. 76.11 Latronem conuerterunt, non Chriſti miracula, nec ſermones, Sed heroica Patiẽtia manſuetudo, charitas. *Caſſ. collat.* 12.c.13. Exhortatio ad eas virtutes.

Digitized by Google

ſiue concionum, ad peccatores, etiam rupibus duriores conuertendos. O dulcis IESV, qui in cathedra crucis exiſtens, ſſuper dā tā patientiā, & admirando tuæ charitatis exemplo, latronem ita ad te traxiſti, adiuua me, vt ad imitationem tui, ſimilia ego miracula faciam, proximos meos exemplis huiuſmodi ædificans, vt mali ea videntes, compeſcantur, bonos verò ad maiorem perfectionem accendam. Amen.

Oratio pro ijſdem.

DENIQVE ad imitationem boni latronis, ad pedes Chriſti crucifixi proſtratus, repetam ſemel & ſępius, quo maximo potero affectu eandem eius orationem, *memento mei, cum veneris in regnum tuum.* O Rex æterne, agnoſco me, ob ſcelera mea, iuſtè multorum laborum & tentationũ cruce premi, ne quæſo mei oblitus, permittas me perire, ſed qui iam regnum tuum poſsides pacificè memento miſeri huius, oculis eum miſericordiæ tuæ reſpiciens.

III. Oratio boni latronis ſæpè nobis repetẽda & vſurpanda.

PVNCTVM IV.

ET *a dixit illi* IESVS: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.*

a *Luc. 23. 43*

CIRCA ſecundum hoc verbum, quod Chriſtus in cruce dixit, conſiderandæ ſunt inæſtimabiles diuitiæ atque theſauri liberalitatis eius, miſericordiæ, bonitatis & charitatis.

Secundum Chriſti in Cruce verbum eſt liberalitatis.

PRIMVM hic apparet orationis eius efficacitas, qua pro peccatoribus orauit, hunc primum eius fructum, in magno hoc peccatore percipiens, de quo dicũt aliqui, quod initio ſimul cum ſocio ſuo Chriſtum blaſphemauerit, quod inſinuant Matthæus & Marcus dum in plurali dicunt: *b latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* quod ſi ita eſt, multò adhuc magis eminet virtus Chriſti, in hoc blaſphemo, repentè conuertendo, ſicut etiam eandem virtutem oſtendit, dum Saulum ob S. Stephani orationem conuertit.

I. In qua apparet efficacitas orationis Chriſti in Cruce.

b *Matt. 27. 44. Marc. 15. 32*

ETIAM reſplendet hic efficacia ſanguinis IESV Chriſti, in cruce effuſi, cuius primitię fuerunt in hoc bono latrone, quem miro modo tranſmutauit, remittendo illi omnem culpam & pænam, & promittendo ingreſſum ſine mora in Paradiſum, eumque certum & ſecurum, de ea felicitate reddendo. O bone IESV, quàm libenter in omni loco munus tuum exerces, iuſtificandi peccatores: nam adhuc in materno vtero exiſtens, tuum præcurſorem iuſtificas; iacens in præſepio, Magos ad te vocas, gratia tua illos illuſtrans; & in cruce pendens, hunc etiam latronẽ vocas, vitamque æternam, ſtatim poſt hanc tẽporalem illi promittis. Gratias tibi pro immenſa hac liberalitate, & oro ſupplex, vt idem munus Saluatoris, erga me exerceas; vt regnem tecum in ſecula. Amen.

II. Efficax ſanguinis Chriſti effuſio.

III. Chriſti in ſaluãdo & benefaciendo celeritas.

Perpendenda præterea eſt promiſsionis huius liberalitas: Latro enim ſolùm petijt, *memento mei, dum veneris in regnum tuum*: Chriſtus verò, cum atteſtatione ſecurum eum facit, quòd eodem ipſo die, ſit futurus ſecum in Paradiſo, & regno ſuo. O Rex ſupreme, ſuffeciſſet promittere, quòd poſt aliquod annos, eſſet certò in tuum regnum peruenturus; ſed charitas tua accelerat terminos, qui aliàs fuiſſent cõſtituendi, & loco purgatorij, pro ſolutione acceptat tormenta, quæ iam patitur: & ne animo deficiat in ijs, quæ adhuc illi ſuperſunt; cum nimirũ eius crura eſſent frangenda, dicit illi: *hodie mecum eris in Paradiſo*; hodie ſors tua permutabitur, & ex cruce hac tormentorum, tranſibis ad Paradiſum deliciarum, in quo ſis mecum futurus: ſic enim promiſi, c *ſi quis mihi miniſtrauerit, & ſecutus fuerit, vbi ſum ego illic & miniſter meus erit*: Et ſiquidem tu es me ſecutus in cruce, etiam ſequeris ad gloriam, *hodie mecum eris in Paradiſo*. O Rex gloriæ, ſi adeò liberali eum afficis præmio, qui tres quatuorve diei horas te eſt ſecutus, quantò liberiori eum afficies, qui te omnibus horis, & vitæ ſuæ ætatibus perfectè ſequetur? Si adeò te gratum oſtendis erga peccatorem, qui poſt innumeras tibi illatas iniurias, ſemel tibi reuerentiã defert & honorem; quantam oſtendes gratitudinem ei, qui vitam ſuam totam cõſumit, te colẽdo & honorãdo! O felicem latronem; qui cum d *tota die otioſus* fuiſſes, *circa horam* tandem *vndecimam*, hora ſcilicet vna ante noctem adeò tuum laborem acceleraſti, vt qui *vltimò* veneras, *primus eſſe* promerueris, primus inquam omnium mortalium, qui ſtatim atq; ex hac vita exceſsiſti, æternæ gloriæ denariũ perceperis. Accelera, ô anima mea, laborem tuum; ſiquidem feruenti labore, amplius præmium promereberis, quàm temporis ſola diuturnitate: quòd ſi vtrumque, & diuturnitatem & feruorem coniunxeris, præmium erit copioſiſsimum.

c *Ioan. 12. 26*

d *Mat. 20. 8* Latro qui nouiſſimus factus eſt primus.

Pvnctvm V.

I. Duo latrones repræſentant Electos & Reprobos.

Vltimò conſideranda ſunt duo genera hominum, malorum ſcilicet & bonorum; quos duo hi latrones, quorum alter fuit reprobatus, alter electus, repræſentant; memoriâ tenens, quod Chriſtus Dominus dixit, loquens de nouiſsimo die iudicij: a *tunc duo erunt in agro; vnus aſſumetur, & vnus relinquetur; duo in lecto, & duo in molendino, & vnus aſſumetur, & alter relinquetur*; quaſi diceret, ex omnibus ſtatibus, & vitæ ducendæ rationibus, quoſdam aſſumendos in cœlum, propter bona opera, quæ præuiâ & adiuuante diuinâ gratiâ fecerunt; alios verò relinquendos, qui propter peccata, quæ arbitrij ſui libertate patrarunt, deſcendunt in infernum. Quare qui in molẽdino eſt, & ſtatu matrimonij; multis curis & laborib' occupat', nõ debet propterea ſalutis ſuæ fiduciã abijcere; nec qui in lecto eſt, & ſtatu cõtinẽtiæ, magna ſua quiete, debet ſuæ condẽnationis

a *Matt. 24. 40.*
a *Luc 17. 34*
Ex omnibus vitæ ſtatibus vnus aſſumitur, alter relinquiter

metum

metum deponere:ac denique qui laborat in agro vitæ actiuæ,& qui in lecto requieſcit vitæ contemplatiuæ,debent cum ſpe,etiam timorem coniungere iudiciorum Dei.cui humillimè ſupplicabo,ne ſim aliquis ex relictis,ſed ex aſſumptis;ita vitam meam inſtituens,vt dignus ſim,quem Deus ad ſe accipiat,& collocet in Paradiſo. Lectus, vita Continētiū contemplatiua.

Perpendam etiam,quòd quamuis Iesv Chriſti ſanguis potens erat vtrumque latronem iuſtificare; non tamen niſi in altero vim ſuam exercuit; vt timoris,contra præſumptionem;fiduciæ verò,contra puſillanimitatem haberemus occaſionem.Quare magni peccatores,cum ſe morti vicinos aduertunt,ne deſperent; memores vnum latronem, qui vel in illa hora pœnitentiam habuit, miſericordiam eſſe conſecutum.Sed nemo tamen laxiorem vitam ſuam inſtituat, pœnitentiam vſque ad horam mortis differendo; cum videat alterum latronem etiam prope ipſum Chriſtum morientem,abſque pænitentia deceſsiſſe, diuinæ iuſtitiæ ſeueritate caſtigatum. Eſt etiam magnum ſatis timoris incitamentum, quod inter tot malos,qui in montem Caluarium conuenerant, vni ſoli latroni dictum ſit:*hodie mecum eris in Paradiſo.* II. Latronis boni ſaluatio præbet fiduciā cōtra puſillanimitatem Damnatio mali,timorem excitat contra Præſumptionē.

Denique etiam perpendi poteſt,quid apud Beatiſsimam Virginem totus hic euentus effecerit; tam ſcilicet latronis confeſsio; quàm Chriſti eius filij ad illum reſponſio,quod videlicet aliquantulum reſpirauerit,videns non defuiſſe aliquem, qui pro filij ſui honore reſponderet;& quod fuerit in fide confirmata, excellenti adeò audito reſponſo, quo ſignificabatur, Chriſti ipſius Paſsione cæli portas reſerari, quæ à tot annorum millibus fuiſſent obſeratæ. O Anima mea, reſpira,inter tot lachrymas pauliſper, adeo iucundis nouis auditis: attende hodie Paradiſi portas aperiri;& quamuis tantis impenſis,ſanguinis videlicet tui Saluatoris; ipſe tamen eius effuſione recreatur, vt ſic earundem portarum ſeræ confringantur.O ſancte Patriarcha Abrahā; nihil iam miror, quod b *ſis gauiſus, cum diem hunc* in ſpiritu *vidiſti*, in quo erat Paradiſus reſerandus tibi tuiſque filijs,fidelis tuæ obedientiæ imitatoribus. O mundi Saluator, in cuius manibus,clauis cruci confixis,c *Clauis eſt Dauid,qua ita aperis, vt nemo claudat;ita claudis,vt nemo aperiat:* aperi mihi portas cœli,quas mea peccata occluſerunt;occlude verò portas inferni, quas eadem aperuerunt: in die mortis,ſicut bonus iſte latro, tecum veniam ad Paradiſum. Amen. III. B. Virginis reſpiratio ad confeſſionem Boni Latroni.

b Ioan.8.58 Vide Introduct huius part.1.ad initium.
c Iſai.22.22
c Apoc.3.7.

martyres omnes, in martyrij fructu excelſuiti; martyr es, ob feruens deſiderium, patiendi omnia mortis tormenta, quæ tuus filius patiebatur: Martyr etiam es, ob dolores horrendos, quos eum aſpiciens, toleraſti; qui ſuffeciſſent omninò ad vitam tibi auferendam, niſi Filius tuus, te in illa conſeruaſſet. O ſi liceuiſſet te in hoc martyrij genere imitari! obtineas mihi ó Regina Martyrum, vt aliquo ſaltem modo illius particeps fiam; carnem meam pœnitentijs, ſpiritum verò abnegationibus, martyrio afficiendo; & omni cordis fortitudine, cruci filij tui appropinquando meque in ea ſicut tu feciſti, affligendo.

PVNCTVM II.

CVM a *vidiſſet ergo IESVS Matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat dicit matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus.* a Ioan. 19. 26.

Tertium Christi in Cruce verbum eſt ſollicitudinis ſuorum I.

PERPENDENDA hic primū eſt Chriſti Domini noſtri charitas, ſimulq; integritas, & authoritas, quā inter tot dolores & cōtemptus oſtēdebat; attendens ad opera pietatis & miſericordiæ, & ad officij onera, atq; ſi nihil tunc pateretur. Nunc enim tanquam ſummus Sacerdos, pro ſuis orat inimicis; nunc Paradiſum tanquam Redemptor promittit; nunc matris ſuæ tanquam filius, & diſcipuli tanquam magiſter curam gerit. Quo exemplo nos docet, non debere nos obligationum noſtrarum curam deponere, etiamſi laboribus circumdati ſimus. O ſupreme Sacerdos IESV, quantum intereſt inter te & alterum ſummum Sacerdotem Aaron! qui negauit, ſe poſſe b *Domino* in officio ſuo, *& cæremonijs placere, mente lugubri.* Sed tu, mi Saluator, etſi laboribus circumdatus, & triſtitijs afflictus, perfectiſſimè tamen officia tua præſtas, orando pro tuis inimicis, Patrem tuum placando, & ſolatij matris tuæ curam gerendo; da mihi quæſo Domine, hanc cordis integritatem; vt licet tribulationibus oppreſſus, nunquam deſim ijs, quæ mihi agenda præſcripſeris.

Officio ſui cura & ratio habēda etiam in laboribus & doloribus. b Leuit. 10. 19.

IPSA deinde verba, quæ Chriſtus matri ſuæ dixit, perpendam, MVLIER ECCE FILIVS TVVS; atque ſi ei diceret, non ſum tui oblitus, & obligationis, quā tibi vt filius obſtringor; ſed quia ex hoc mundo diſcedo, tibi loco mei Ioannem, tanquam filium relinquo; vt filij erga te partes obſeat, tibi ſeruiendo; &, quæ ego erga talem matrem feciſſem, præſtando. Sed non tamen illam *matris* nomine compellauit, ſed mulieris; tum ne tenerò illo nomine illam affligeret; tum præcipuè, vt hac ratione oſtenderet quàm parum carni & ſanguini tribueret, vt Cœleſtis Patris voluntati totus intenderet: quamobrem nunquam legitur eam matris nomine cōpellaſſe, vt aliàs etiam notauimus.

Ioannes datur B. Virgini in filium. Chriſtus cur B. Virginem, Matris nomine non appellet. 1. *part.* Medit. 9.

Hoc

doquidem verbum hoc,non Sancto Ioanni tantum, ſed in eo omnibus ei ſimilibus dictum eſt,exiſtimabo dici mihi à Chriſto,ecce mater tua; illã dilige,illam tanquam matrem venerare,eidem ob tempera, & quantum poteris ſerui;eandem in tuis neceſsitatibus accede: nam vt patrem meum tibi tradidi,tanquã tuum; ita matrem meã tibi trado, vt tuam: vitã ergo tuam ita inſtitue,vt talis matris filium decet. O dulciſsime IESV, vnde mihi tantum bonum, vt matrem tuam, facias etiam matrem meam? da mihi ſpiritum veri eius filij,vt ita ei ſeruiam,ſicut talis mater digna eſt. O mater ſanctiſsima,cum ſim certus, adeò te filio tuo eſſe obedientem, vt ſtatim officium meæ matris acceptes:

Monſtra te eſſe matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit eſſe tuus.

DEINDE cauſas exquirã, ob quas Chriſtus Dominus noſter, ſit tanto fauore Sanctum Ioannem proſecutus: quæ præcipuè fuerunt duæ, & vtraque ſimul eum ad hunc fauorem diſpoſuerunt. PRIMA fuit quod ipſe eſſet Virgo; decebat autem filium Virginem, matrẽ ſuam virginem, non niſi virgini diſcipulo commendare; vt ſic nobis oſtenderet, quanti ipſe faceret corporis & animæ Virginitatem. SECVNDA cauſa fuit:quia inſignis ipſe fuit in amore & charitate erga Chriſtum; quem ad crucem vſque ſecutus,iuxta illam ſtetit, ſuperans difficultates omnes, quæ inde illum retrahebant,ſicut reliquos diſcipulos retraxerunt. quia igitur præ alijs ipſe,hunc erga Chriſtum amorem oſtẽdit,dignum fuit, vt alijs omnibus præferretur. Ex hoc deſiderium magnum concipiam, beatiſsimam Virginem,& Sanctum Ioannem in caſtitate & amore Chriſti, & crucis eius imitandi;quò dignus habear, quem ipſa Virgo in filium acceptet, egoque illam in matrem habeam,& illi,vt par eſt,ſeruiam.

II. S. Ioannis Prærogatiuæ. 1. 2.

DENIQVE & illa verba Euangeliſtæ ſunt expendenda; *ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua*; quod de Beatiſsima Virgine non fuit additum, quod ex illa hora diſcipulum accepiſſet in filium;quia id ſatis expreſſum videbatur,cùm filius id illi commiſiſſet; quæ vt erat ad nutum filio obediens,quodcunque diuinæ eius voluntatis ſignum illa haberet, ſatis ei erat,vt illam expleret:quod verò dicitur,Sanctus Ioannes eam accepiſſe in ſua,intelligitur ita curæ ſuæ illam accepiſſe,vt omnia boni filij officia, erga talem matrem diligenter exhiberet;quæ ipſe exactiſsimè re ipſa præſtitit,non ſolùm quod eius Magiſter,id ipſi commiſiſſet, ſed etiam quod ſe feliciſsimum iudicaret,& gloriaretur,tali matri ſeruire. O Euangeliſta goloriose, gratulor de felice ſorte, quæ tibi hoc die contigit; ſupplica quæſo dulci Magiſtro tuo,vt mihi eum det filij ſpiritum;quem tibi dedit

III. B. Ioannes accepit B. Virginem in matrem

Digitized by Google

erga matrem ſuam, vt eidē ego etiam ſeruia n, ſicut tu ſeruiuiſti. O mundi Saluator: quandoquidem adeò te liberalem oſtendis in cruce, vt latroni conuerſo dones Paradiſum, Matremque tuam diſcipulo te diligenti; exerce eandem mecum liberalitatem, dando mihi in hac vita intimam cordis deuotionem erga tuam Matrem; cuius interuentu obtenturum me ſpero ingreſſum in Paradiſum. vbi tecum & cum illa regnē in æternum.

MEDITATIO XLVIII.

DE TENEBRIS, QVAE FACTAE SVNT SVper vniuerſam terram, & de verbo quarto quod Chriſtus dixit in Cruce.

PVNCTVM I.

CVm fuiſſet CHRISTVS crucifixus, *a ſexta hora* (quę eſt in meridie) *tenebra facta ſunt ſuper vniuerſam terram, vſq, ad horam nonam*, quæ eſt tertia poſt meridiem.

a Matt 27. 45. Marc 15. 33 Luc. 23. 44. S. Thom. 3. p. q. 44. a 2.

Cauſę tenebrarum in Paſſione Domini.

CONSIDERANDAE hic ſunt cauſæ, ob quas Deus Dominus noſter, prodigioſas has tenebras euenire voluerit, eclypſato ſole in tali occaſione, & tanto tempore.

I. Oſtenſio iræ Dei.

PRIMA cauſa fuit, vt oſtenderet iuſtam iram in populum illum ingratiſsimum, ob adeò atrox delictum, in ipſum Chriſtum admiſſum: indigni ſiquidem erant ſolis materialis luce, qui iuſtitiæ Soli vitam adimebant. Deinde externæ illæ tenebræ, internas miſeræ illius plebis, in quibus tunc erant; & æternas, in quas ob ſuam obſtinationem erant deuenturi ſignificabant.

II. Internarū & Aeternarum Tenebrarum ſignificatio

III. Chriſti Innocentiæ & maieſtatis declaratio.

DEINDE vt Chriſti Domini innocentiam & maieſtatem hoc miraculo patefaceret, iubendo Solem obſcurari, terramque eo luctu contegere, ob ſui Creatoris mortem; vt quo modo poterat, dolorū eius & ignominiæ compaſsionem oſtenderet, & ſua luce occultata, occaſionem ſubtraheret perſequentibus, eum ſubſannandi, & blaſphemijs blaſphemias addendi; eoſdemque obſcuritate illa cogeret ſe inde retrahere. O vere Sol iuſtitiæ, iuſtum omninò eſt, materialem hunc ſolem obſcurari, te præ triſtitia obſcurato, & iam occaſui proximo, vt tranſeas ad alterius vitæ hemiſpherium. Sed æquius adhuc fuiſſet, ſi ego de morte tua fuiſſem contriſtatus, cuius etiam fui cauſa. Ne quæſo permittas adeò me excæcari, vt non aſſequar, quàm ſit rationi conſentaneum, me contriſtari, nec adeò indureſcere, vt tot patienti tormenta non compatiar.

IV.

ORDINAVIT præterea CHRISTVS Dominus noſter haſce tenebras, vt repentina illa nocte ſuperueniēte, motus & ſtrepitus ceſſaret tur-

bæ; &

bæ;& ſic ipſi liceret in maiore quiete tres illas horas, in præparatione ſua ad mortem,& feruentiori oratione & lacrymis,pro nobis fundendis expendere;ſicut tempore ſuæ prædicationis,conſueuit totos dies in officio ſuo & conuerſatione,cum hominibus ponere;nocte autem ſuperueniente,ſe recipere ad montes,vt oraret; quod totum faciebat, non quaſi ipſe indigeret,ſed vt nos inſtrueret,& exemplum daret. Ita in monte Caluario,extenſis & affixis in cruce manibus,poſtquam officia pietatis,quæ retulimus,expleuit; voluit tribus illis tenebrarum horis, totum ſe dedere orationi,quam pro omnibus,quos in memoria ſua præſentes habebat offerret, quorum quia ego ſum vnus, etiam pro me illam applicabat. Vt, iuxta Apoſtolum b *conſummatus, factus ſit omnibus obtem; erantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ*. O dulcis IESV, doce me ea quiete & ſpiritu orare,quo tu his tribus horis oraſti: & excita torporem meum, vt vtilitatem capere diſcam ex tempore,quod in hac vita mihi conceditur; vt feruore magno ad mortem me præparem. Chriſti feruentius in oratione ſedit. b Heb.5.9.

LICET etiam exiſtimare,beatiſsimam quoque Virginem expendiſſe totum idem tempus,in feruenti valdè oratione,eleuando ſpiritum ſuum ad altiſsimam contemplationem,non affectuum gaudij aut exultationis, ſed inſignis doloris,ad imitationem filij ſui. Et idem fas eſt credere feciſſe Sanctum Ioannem,bonumq; latronem, ipſius Chriſti Domini inſtinctu permotos,qui illis ex cruce internè loquens, dixerit: vigilate & orate mecum,vt non ſuccumbatis tentationi. V. Nec non & B. Virginis B. Ioannis, & boni Latronis.

PVNCTVM II.

CIRCA *horam nonam* (quę eſt tertia poſt meridiem) *clamauit* IESVS *voce magna*: ELI ELI LAMMA SABACTHANI, *hoc eſt, Deus meus,Deus meus,vt quid dereliquiſti me*. Mat.27.46 Marc.15.34

Hoc fuit QVARTVM VERBVM,quod Chriſtus in cruce paulò antequam exſpiraret,eſt locutus;& quidem *voce magna*,vt omnes intelligerent eum adhuc viuere,& vt affectum oſtenderet, quo illud proferebat, afflictiſsimum videlicet,ob internam deſertionē,quę grauiter ipſum afficiebat.Hæc deſertio,in duabus rebus apparuit; PRIMA, quod Pater æternus ſineret illum tamdiu pati, nec liberaret ab atrocibus adeò doloribus,quos perferebat. quo modo deſertionis Deus vtitur erga iuſtos, in illorū commodū, qui tamē in Chriſto ipſo fuit acerbiſsimus: quia nulla in re quietem inueniebat. Caput enim quieſcere non poterat in cruce, abſque nouo dolore;manus nō poterant corpus ſuſtinere, niſi dolore ingenti lacerarétur;nec pedes eiuſdē corporis pōdus ſuſtinere poterāt, quin vulnera magis aperirentur:quare ex omni parte ſe cernēs afflictū magno clamore vocē extulit in cœlū,dicēs: *Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* IV. verbu Chriſti in Cruce eſt doloris,ex deſertione. Quę fuit triplex. I. Nulla quies. II.

SECVNDÒ apparuit illa deſertio quod diuinitas humanitatem,quoad

ſenſibiles conſolationes & ſolatia, ita permiſerit pati triſtitias, & agonias, vt à tempore orationis in horto, vſque ad ipſam exſpirationem durarēt: ne verò fortè quis exiſtimaret, eius patientiam, ab inſenſibilitate procedere; & quod aliorum curā ſe gerere oſtendiſſet, id ex eo procedere, quòd ſuas ipſe pœnas non ſentiret; voluit hoc verbo oſtendere, quàm grauiter illas ſentiret, dicens: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti:* & ne contrà intelligeremus, eam querimoniam, ex deſperatione aliqua proficiſci, ſed potiùs ex amore, ob rationem prædictam, non dixit *Deus, Deus*, quare me dereliquiſti! ſed dixit *Deus meus, Deus meus*, atque ſi diceret, omnium quidem es Deus, quia omnibus das eſſe, quod habēt; at multò magis es Deus meus, quia diuinum tuum eſſe mihi communicas, & ſpeciali me amore diligis, & ego te: quare ergo in hac me tribulatione derelinquis? O bone IESV, non opus eſt, vt iterum Angelus veniat de cœlo, ſicut cùm eſſes in horto, vt in hac te afflictione confortet, & cauſas reddat, huius deſertionis; ſiquidem in proximo eſt eius finis; ſed eas tamen Domine, ego tibi adferam: vt ſcilicet in me patefiat immenſa charitas tua: ego enim te deſerui, recedens à voluntate tua, vt meam explerem: ideo, tu vis deſeri à Patre tuo, vt ea deſertione id promerearis, ne vnquam eius miſericordia me deſerat. Sic etiam patientiæ mihi exemplum præbens, ſi quādo ſimilem experiar deſertionem; neque enim magnum quid eſt; ſi quando experiatur diſcipulus, quod eius Magiſter fuit perpeſſus. O Magiſter dulciſsime: b *ne me derelinquas vſquequaque*; & c *cùm defecerit virtus mea, ne me derelinquat* gratia tua.

> Nulla ſenſibilis conſolatio.
> Citra tamē deſperationem; ſed ex immenſa charitate in Deum.
> In nos.
> Noſtrū ad exemplum.
> b *Pſa.* 118. 8.
> c *Pſal.* 70. 9.

DENIQVE licet perpendere, Chriſtum Dominum noſtrum, de alia deſertione conqueri, quæ multò magis eum premebat, quàm prædicta: videbat enim ſe à diſcipulis deſertum, & à populo illo Hebræo, & multa millia hominum, ipſum eſſe deſertura, fidem in ipſum abijciendo, ſacramenta ipſius conculcando, & fructus paſsionis eius, quos capere poterant contemnendo. O dulcis IESV, non miror de hac te deſertione conqueri; ſiquidem tua redemptio adeò eſt copioſa, paſsio verò tot pœnis & doloribus plena, & vix tamen ſit, qui fructum ex ea capiat. O protector noſter, quàm te video in hoc mundo deſertum; nam aliquæ nationes non volunt fidem tuam recipere; aliæ receptam abijciunt; aliæ etſi fidem retinent, legemque tuam recipiunt; eam tamē non ſeruant; & alij alios ita deſerunt, vt te in ſingulis deſerant, qui dixiſti: d *quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. O Pater æterne, ne filium tuum ita deſeras, ſed quoniam tam ſtrenuè in paſsione ſua ſe geſsit, effice, vt ab omnibus propter illam agnoſcatur & adoretur.

> III. Apoſtolorū fuga, Iudæorum incredulitas, multorum mala fides & vita.
> d *Matt.* 25. 40.

PVNCTVM III.

QVAMVIS Chriſtus Dominus ſolùm prædicta verba, voce magna dixerit quæ principium ſunt Pſal. 21. qui totus eſt de eius paſsione, piè credi poteſt ipſum ſubmiſſa voce reliquum pſalmi proſecutum fuiſſe, referentem Patri ſuo labores omnes, in illo expreſſos, ſed præcipuè & maiori animi anguſtia, illa verba, a *erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam; ſalua me ex ore Leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam.* Frameam appellat mortem; ad quam eſt à diuina iuſtitia damnatus: canem verò Caipham eum reliquis ſuis perſecutoribus, qui famam eius mordebant; leonem, Pilatum cum reliquis eius miniſtris & ſatellitibus, qui tot illum tormentis lacerabant; vnicornes denique poteſtates infernalium tenebrarum, qui ſuos hoſtes, contra ipſum permouebant. Hæc, inquam, verba ſingulari & vehementi ſenſu dixerit Chriſtus: quod inſinuat Apoſtolus dicens, de eo; b *qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſaluum facere à morte: cum clamore valido & lachrymis obtulit.*

I. Chriſtus totum pſal. 21. in Cruce dixit, ſed ſubmiſſe a Pſal. 21. 21 Framea eſt mors Canis, Cayphas. Leo, Pilatus Vnicornes, Dæmones

b *Hebr.* 5. 7.

DEINDE perpendendum eſt, quàm grauiter ſenſerit Virgo ſacratiſsima, lamentabilem hanc filij ſui vocem, quæ per aures ingreſſa, ad ipſum vſque cor penetrauit; quod mox ad æternum Patrem eleuans, ſupplicauerit, ne filium ſuum afflictum deſereret; &, cum ipſa verſatiſsima eſſet in Pſalmis Dauidicis, fas eſt credere, quando diuinus ille muſicus, filius eius flebili ſua voce pſalmum illum incepit, ipſam in corde ſuo ſimul cum ipſo reliquum eſſe proſecutam, dolentem, ob illos cruciatus, qui in eo Pſalmo de filio ſuo referuntur, quos reipſa in ipſo impleri experiebatur; decet itaque eodem me ſpiritu eundem pſalmum dicere, ruminantem & hærentem in ſingulis eius verbis.

II. B. Virginis dolor ex quarto Chriſti Verbo. Eiuſdem oratio & dicti pſalmi recitatio

VLTIMÒ perpendam, quod c *quidam illic ſtantes & audientes* illud verbum ELI ELI, *dicebant, Eliã vocat iſte:* & alij *dicebant, ſine videamus an veniat Elias liberans eum.* Hoc dixerint peruerſi illi Chriſti hoſtes, vt Chriſtum ſubſannarent ludentes in illo verbo, *Eli*; atque ſi dicerent, adeò iſte eſt miſer, vt ſe ipſum ſaluare non poſsit, ideoque lamentatur, & Eliæ fauorem expetit. Hac ratione torquebant illi verba noſtri Redemptoris, vt ei illis illuderent, id permittente eius bonitate, vt omnibus modis in cruce torqueretur. Ne permittas Domine, vt ego tua verba diſtorqueam; nec illis vtar in alium finem, quam in diuinam tuam gloriam, & obſequium; & quoniam ſunt d *verba vitæ æternæ*, concede mihi vt eam illis obtineam. Amen.

III. c *Matt.* 27. 47. Chriſti aut S. ſcripturæ verba mali non capiunt. Et ideo diſtorquentur

d *Ioan.* 6. 69

MEDITATIO XLIX
DE SITI CHRISTI IN CRVCE, ET *quinto eiuſdem verbo.*

PVNCTVM I.

V. Chriſti verbum, eſt Deſiderij. a *Ioan.* 19. 28. Non tam ſedandi corpoream Sitim, quã paſſus grauiſsimã

SCIENS IESVS, *quia omnia conſummata ſunt, vt conſummaretur ſcriptura, dixit: ſitio.*

CIRCA hoc myſterium, conſiderandum primò eſt, quàm grauem ſitim Chriſtus Dominus tunc ſuſtineret vt qui à nocte præcedente, nihil prorſus bibiſſet; cùm tamen graues labores pertuliſſet, in multis itineribus feſtinanter peractis; & plurimum ſanguinis effudiſſet, tum verberibus & ſpinis expreſſum, tum clauis in ipſa cruce, in qua tres iam horas pependerat; ideoque ipſe dixit in Pſal. b *Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxiſti me.* quam tamen ſitim, etſi grauiſsimam ſuſtinuit ac diſsimulauit, donec iamiam eſſet expiraturus; ſed tunc manifeſtauit, vt nos intelligeremus quãtã ipſe pœnã ſuſtineret, pro noſtra voracitate & ebrietate; & grati illi propterea eſſemus; excitando nos ipſos ad ſimilem ſitim eius amore æquanimiter tolerandam, ſi quando contingeret nos ea vexari. O Samſon fortiſsime, qui poſtquam c *mandibula aſini interfeciſti mille Philiſtæos. ſiti moreris*, ora Patrem tuum, vt ex iſta cruce, qua vincis tuos inimicos, fons egrediatur aquæ, ad ſitim tuam extinguendam. O petra viua, ſilexque beneuoli amoris, quandoquidem percuſſus es virga crucis, produc, ſicut d *petra* illa, quam *percuſsit Moyſes* fontem aliquèm aquæ, qua refrigeres afflictiſsimam tuam linguam. Sed video, Domine, charitatem tuam non aquæ fontem ad te refrigerandum, ſed riuulos ſanguinis produce re velle, ad culpas noſtras lauandas; eius enim refrigerium eſt, plurima pati; quo nos ab eis liberemur. Propter hãc tuã ſitim ſupplico, Domine, vt patiẽtiam mihi ac temperantiam concedas, vt nec potu deficiente, perturber; nec eius copia inordinatè vtar.

b *Pſa.* 21. 16

c *Iudic.* 15. 15. 19.

d *Exo.* 17. 6

PVNCTVM II.

Quam tres Virtutes exe llentiſſimas adimplẽdi a *Pſal.* 68. 22

PRAETER hanc ſitim corporis grauiſsimam aliam habuit, & inſatiabilem trium rerum: quas poſſumus colligere ex cauſa, ab Euangeliſta adducta: ob quam hoc verbum *ſitio* dixerit, quod videlicet omnes eius labores, quos ipſum paſſurum, Prophetæ prædixerant, iam eſſent conſummati; hoc excepto, quod in eius a *ſiti*, adhuc *aceto* eum non *potauiſſent* quod tamen in Pſalmo prædictum fuerat, vt igitur hæc ſcriptura impleretur, dixit: *ſitio*, hoc verbo hoſtes ſuos monens, vt acetum quod præ manibus habebant, illi offerrent.

Qvo facto tres inſignes virtutes excellentiſsimi huius Domini manifeſtantur, fundatæ in triplici genere ſitis, qua ipſe affligebatur.

Prima fuit ſitis inſatiabilis obediendi æterno ſuo Patri, qua vehemēter deſiderabat, eius voluntatem, in rebus omnibus exſequi, nec iota, nec apice, aut re aliqua, quantumuis pœnalis eſſet prætermiſſa. Sciens itaque Patris æterni eam eſſe voluntatem, vt acetum ipſi propinaretur, nec hoc voluit prætermittere, ac propterea dicit: Sitio, non tam aquam, quā illud acetum; obediendi deſiderio. O Ieſu amantiſsime, b *cuius cibus*, & potus *eſt, facere voluntatem eius, qui te miſit*; mihi etiam hanc feruentis obedientiæ ſitim concede, vt in nulla alia re, niſi in ea exſequenda requiem inueniam.

I. Obedientiam & voluntatem Dei.

b *Ioan.* 4. 34

Secvnda eius fuit ſitis, intimum deſiderium, plurima amoris noſtri intuitu patiendi: etſi enim plurima fuiſſet perpeſſus; plura tamen adhuc pati deſiderabat, & reipſa proculdubio fuiſſet paſſus; ſi ea æterni Patris voluntas fuiſſet. Ex quo deſiderio proceſsit; vt quod illi de aceto bibendo deerat, cupiens explere, dixerit: Sitio; quod non dixit, vt refrigeriū aliquod quæreret, ſed vt cruciatum illum nouum toleraret. O Redemptor benigniſsime pudet me, quòd experiar, ſitim meam non eſſe, dolores tolerandi, ſed delitijs affluendi, hanc quæſo pernicioſam ſitim à me remoue, & in aliam tuæ ſimilem commuta; vt ſemper ſitiam pluraque pati amore tui.

II. Paſsionis ſiue Patiēdi ardorem ac cupiditatem.

Ex duabus his virtutibus illud ortum eſt, vt Chriſtus ſuam neceſsitatem, ſtupenda quadam ſanctitate aperuerit, ſimpliciſsimè videlicet illam manifeſtando; nulla ratione aut cauſa allata, qua perſuaderet aſtantibus, potum ſibi dari; nec, vt daretur, petijt expreſſè, ſed dixit ſimpliciter: Sitio; quaſi diceret: ego quidem hac neceſsitate premor, vos videte num, & quo modo, & qua ratione velitis ſubuenire. Quo docuit nos, religioſos præcipuè, modum, quo neceſsitates noſtras temporales, Deo Domino noſtro in oratione, noſtriſque Prælatis proponere oporteat; magna videlicet voluntatis noſtræ reſignatione vt contenti omnino ſimus, neceſſitatem ipſam exponere, remedium eius quoad tempus & modum, & reliquas circumſtantias; ipſorum prouidentiæ relinquentes; parati etiam vſque ad mortem in ea neceſsitate permanere, ſi ita Deus diſponere voluerit. Et quid magnum eſt, ſi id ego cum Deo agam, qui eſt Pater meus, & cum Prælatis, qui eius ſunt miniſtri; cum videam Chriſtum Dominum noſtrum, eam rationem proponendi ſuam neceſsitatem, etiam cum ſatellitibus & carnificibus obſeruaſſe à quibus non expectabat remedium ſuę neceſsitatis? c *Num, ſi petiuero à Deo panem, lapidem mihi porriget? & ſi piſcem, nunquid dabit ſerpentem? aut ſi ouum, nunquid porriget ſcorpionem?* aut ſi dixero illi ſitio, num fel offeret aut acetum?

Quæ duæ virtutes ſimplici propoſitione Neceſsitatis ſuæ contentæ ſunt.

c *Luc.* 11. 11
c *Mat.* 7. 9

non

non eſt Deus tam crudelis erga me Pater, qui deneget, quod mihi expedit aut concedat quod nocere poteſt, quod cum reuera ita ſit, ſatis eſt, ſimpliciter illi meam neceſsitatem proponere, & curam totam eius remedij, perfecta reſignatione illi committere.

III. zelum ſalutis animarum. d Pſ. 68. 10.

Tertia ſitis fuit ſalutis animarum, quas paſsione ſua redimebat; ſitiebat inquam, ſanguinem ſuum omnibus prodeſſe, & omnes Patri æterno ſeruire, gloriamque & cultum debitum ei, tanquam vero Deo exhibere: quia ſemper ardens d *zelus domus Dei comedebat* eius viſcera; ex quo zelo tanta hæc ſitis procedebat, quam tanta animi anxietate, in cruce ſui ſtiti. Nominatim verò ſitim illam expendam, quam habuit meæ ſalutis, & vt perfectè illi ſeruirem, & gratias pro illa agam, me ipſum excitans, ad potum ei offerendum, quo ſitis illa refrigeretur. Aſpice anima mea, Dominum tuum dicentem *ſitio*, vt ſis obediens, patiens, humilis, & charitatē exerceas; da ei potum, vt eius ſubleues laborem. Accipe, Saluator mi, cordis mei poculum, in quo tibi offero, quod tu ſitis, feruentia ſcilicet tibi ſeruiendi deſideria: bibe quantum deſideras; me totum in viſcera tua intima intromitte, ne vnquam inde exeam. Amen.

Sitis quadruplex, quæ procuranda. e Pſal. 41. 3. f Matt. 5. 6.

Hinc deducam, ſi cupio Chriſtum Dominum noſtrum perfectè imitari, procurandam mihi eſſe ſitim trium rerum prædictarum, obediendi ſcilicet Deo, patiendi pro Deo, & vt plurimi ei ſeruiant. Nam poſt hæc ſequetur altera ſitis, de qua Dauid: e *ſitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Et ita mihi competet quod ipſe Chriſtus Dominus dixit, f *beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.*

Pvnctvm III.

a Ioa. 19. 29. Mat. 27. 48. Marc. 15. 36. Hominis in Chriſtū parcitas & crudelitas

VAS *ergo* a *erat poſitum aceto plenum; illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori eius.*

Considerãda hîc eſt primùm, execranda hominis aduerſus Deum parcitas & crudelitas; & immenſa Dei aduerſus hominem liberalitas & bonitas. Neque enim maior eſſe potuit liberalitas, quàm profundere Deum totum ſanguinem ex ſuis venis, in gratiam hominis; nec contra maior parcitas & ruſticitas, quàm quòd eodem ipſo tempore, non offerat homo aliquod leuamen ſiti, qua Deus ipſe premitur. Sed magis ad particularia in hoc deſcendendo, perpendam Primvm hanc Chriſti deſertionem, in tanta ſua ſiti; vt nullus inuentus fuerit, qui vicem eius dolens, aquæ hauſtum, qua refrigeraretur, offerret: ſed quod non defuerit tamen, qui acetum, & quidem cum hyſſopo herba inſipida & mortali propinaret: quam afflictionem tolerabat ipſe ſtupendâ patientiâ & ſilētio

I. Magna Chriſti in ſua ſiti deſertio.

Digitized by Google

non conqueſtus,nec verbo,aut indicio vllo indignationem oſtendens in eum,qui offerebat;vt nobis hoc etiam tolerantiæ daret exemplum, & ab æterna ſiti liberaret,quam peccatis noſtris,æternam in inferno promeriti eramus;vbi damnati petunt cum Auaro illo diuite vel aquæ guttam, nec obtinent.O dulcis Iesv,gratias tibi,quod hanc deſertionem,illi ferè ſimilem,quam experiuntur damnati, & tu expertus fueris; nullum inueniens,qui aquæ guttam daret ad ſitim mitigandam. Propter eam te ſupplex oro,vt ab æterna me ſerues,& patientiam concedas, quando ſubſidium defuerit,ad mitigandam temporalem.

Deinde perpendam eiuſdem Chriſti Domini noſtri afflictionem, in ſpirituali ſiti, qua maximè premebatur,dum in ſpongia illa aceto plena, calamoque impoſita,præſentem habuit potum,quem à multis peccatoribus erat accepturus,offerentibus ſibi corda omni bono vacua, aceto autē peccati plena; calamoque mutabili vanitatis & inconſtantiæ ſuæ carnis impoſita. Aſpice anima mea,quem hauſtum Domino tuo propines,tanta peccatorum multitudine mixtum;attende quale illi acetum offeras,cum proximos tuos verbis aſperis,& amaris operib. affligis; in quibus ipſe exiſtens, vt propriam accipit iniuriam, qua illos afficis. O Saluator mi, quantum intereſt inter potum,quem tu mihi das ad extinguendam ſitim meā,& quē ego tibi ad tuam extinguendam,offero. Nam pro ſpongia aceto plena,calamoque hyſſopi impoſita, quam ego tibi offero, tu mihi das ſanctiſsimam tuam carnem,admixto vino pretioſiſsimi tui ſanguinis,in iſtius crucis calamo expreſsi: eodemque tanquam b *hyſſopo me aſpergis,* vt *munder*; & quaſi vino inebrias vt tuo replear amore.Gratias tibi pro hoc tam pretioſo potu, propter quem ſupplico, vt iniurias à me admiſſas, in acerbo potu,quem tibi obtuli,remittas. II. Ingens eiuſdem in Spirituali ſiti afflictio b *Pſal. 50. 9.*

Deniqve ſacratiſsimæ Virginis dolorem perpendam , cùm audiens filium dicentem,*ſitio*, vidit ei offerri acetum:agnoſcens etiam ſpiritualem filij ſitim; ipſius quoque ſitis vehementer creſcebat, qua cupiebat, plurimas eſſe animas,quæ Deo ſeruirent.O virgo ſuprema,quàm libenter acceſsiſſes ad dilectiſsimum filium tuum, vt corporali eius ſiti, aliquod leuamen adferres, ſi tibi ad id poteſtas data fuiſſet! multoque lubentius nunc accurris,ad eius ſpiritualem ſitim ſatiandam;quo ſint multi, qui illum amantes,fructu eius paſsionis fruantur. Age ergo Mater pijſsima,vt vitam meam ita ego inſtituam,vt ſitienti filio tuo,leuamini eſſe poſsim; ita ſerio illi ſeruiens,ſicut ipſe ſibi ſeruiri cupit, ad maiórem eiuſdē ſanctiſsimi nominis gloriam. III. Dolor B. Virginis in ſiti Filij B. Virginis ſitis ſalutis animarum.

Amen.

MEDITATIO L.

DE SEXTO CHRISTI VERBO IN CRVCE.

Ioan. 19. 30. Sextum Chriſti in Cruce Verbum eſt triplicis conſummationis!

C*Vm ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit :* CONSVMMATVM EST.

HOC ſextum eſt verbum quod Chriſtus in cruce, poſtquam aliquid aceti delibaſſet, locutus eſt: vt intelligeretur. finem & cauſam cur dixiſſet, ſitio, & guſtaſſet illum potum, fuiſſe vt ſuis laboribus finem imponeret: ideoq; dixit: CONSVMMATVM EST. *O verbum breue & perfectum compendioſum & pleniſſimum! quis plenè aſſequeretur myſteria, quæ in te claudis! integrèque declararet, quod inſinuas! Ad tria Chriſtus Dominus noſter reſpexit, quando verbum hoc protulit, eaque magna attentione digna. de quibus propterea tria ſubijciemus puncta.*

PVNCTVM I.

Primò, laborum Chriſti:

PRIMVM coniecit oculos in labores omnes, & tormenta, quæ Pater eius æternus voluit ipſum pati, ab inſtanti Incarnationis, vſque ad vltimum hoc momentum; quod & paſſionis, & vitæ eius erat terminus. reuocauit itaque in memoriam labores omnes ſuos, in Natiuitate, & Circumciſione ; in exilio & fuga ſua in Aegyptum; & quos in ſua prædicatione per Iudæam & Galilæam perpeſſus erat; ac denique omnes illos, quos in ipſa Paſſione pertulit; videnſque ſe omnes integrè pertuliſſe, nullo excepto, magna conſolatione fuit affectus; quod tandem ad finem omnium laborum, iuxta beneplacitum omnino æterni Patris, eſſet peruentum. Quare affectu quodam recognitionis & gratitudinis, dixit: CONSVMMATVM EST: pertuli quidquid Pater meus ferendum iuſſerat, & fas eſt credere, repetiuiſſe ipſum mente illam orationem quam habuit ántea in Cænaculo, cum gratias Patri agens, dixit: a *ego te clarificaui ſuper terram, opus conſummaui quod dediſti mihi vt faciam.* Gratias tibi ago, dulciſſime Pater quod me ad hanc horam à me adeo concupitam perduxeris: ego te in terra clarificaui, opuſque perfeci, quod mihi commiſiſti ? illud tibi offero, in redemptionem mundi, etiam vt omnes per me clarificentur. O Redemptor mi, qui dixiſti, b *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vſque dum perficiatur?* Ceſſet iam tua afflictio, ſiquidem Baptiſmus eſt iã perfectus. c *Quod ſi ſpes quæ differebatur, affligebat animam tuam,* eſt tamen *lignum vitæ deſiderium veniens:* vt ingenti nunc gaudio exultes, tanti deſiderij completione. Sit quoque mihi DEVS meus, tuum hoc deſiderium *lignum vitæ*; vt fructum, quem in crucis ligno produxiſti, percipiam.

a Ioan. 17. 4

b Luc. 12. 50

c Prou. 13. 12

Hinc

Digitized by Google

Hinc conijciam, quàm ero lætus in hora mortis meæ, ſi quidquid DEVS mihi iuſsit, impleuero; totâ vitâ meâ in eius obſequio expenſâ.

PVNCTVM II.

ASPEXIT deinde Chriſtus Dominus noſter, omnes fines aduentus ſui in mundum, & officia ſua omnia, quæ pater ipſi commiſerat vt faceret, memoria repetens, quod veniſſet in mundum, vt pro Adami peccato ſatisfaceret; vt ſerpentis infernalis caput contereret; mortem deſtrueret, & infernum; Cœli portas reſeraret; doceret tanquam Magiſter doctrinam perfectionis, heroicum virtutum omnium præberet exemplum; conſilia Euangelica proponeret, ac dirigeret; inſtitueret Sacramēta, & Sacrificia nouæ legis propria: cum ergo videret quòd in ſe erat, omnia ſe neceſſaria, ad hos fines conſequendos, præſtitiſſe, omneſque officiorum ſuorum numeros integrè expleuiſſe, corde ſuo vehementer exultans, dixit: CONSVMMATVM EST, & expletum, quidquid meo in mundum aduentu quæſiui: a *nam conſummationem & abbreuiationem*, quam *Dominus Deus exercituum facturus erat in medio omnis terræ*, ego perfeci; *vt conſummatio abbreuiata, inundet iuſtitiam* & ſanctitatem in mundo; *& ſic conſummabitur indignatio & furor meus*, quem *ſuper eius ſcelus* habebam. Expletæ ſunt etiam hebdomades Danielis, in quibus b *conſummanda erat præuaricatio, & finem accepturum peccatum, & delenda iniquitas; & adducenda iuſtitia ſempiterna, & omnis viſio & prophetia adimplenda.* Et denique præſtiti quod in me fuit, quidquid erat neceſſarium, vt omnes mei electi ſint, c *conſummati in vnum*, perfecti ſcilicet in vnitione charitatis, ſicut ego & Pater ſumus. Gratias tibi, Saluator mundi perfectiſsime, quòd adeò exactè partes tuas expleueris, in abſoluendo opere noſtræ Redemptionis. Oro ſupplex, Domine: vt & in me perficias, opus quod incœpiſti, cōſumens in me omne peccatum; tribuens mihi plenam & conſummatam iuſtitiam; vt cum ad vitæ meæ finem peruenero, inueniar in oculis tuis, in omni virtute perfectus & conſummatus.

Secundò Officij ſui: Quod multiplex.

a *Iſai. 10. 22. 23.*

b *Dan. 9. 24*

c *Ioan. 17. 21.*

PVNCTVM III.

CONIECIT tertiò Chriſtus Dominus noſter oculos ſuos, in omnes illas vmbras & figuras aduentus ſui, quæ à mundi exordio, vſque ad hoc tempus præceſſerant; præcipuè verò in ſacrificia & cæremonias veteris legis, & in ea, quæ Prophetæ prædixerant, & quæ referebāt & adumbrabant quidquid ipſe facturus & perpeſſurus erat in mundo, videnſque hæc omnia expleta eſſe, dixit: CONSVMMATVM EST quid-

Tertiò Figurarum & Vmbræ veteris Teſtamenti.

a Matt. 5. 8.

quid vmbra erat & figura; finita ſunt ſacrificia & cæremoniæ antiquæ; iã ceſſauit lex circumciſionis, cum grauiſsimis & intolerandis oneribus quę illa hominibus imponebat: completa eſt iam lex, a *quam ego non veni ſoluere, ſed adimplere*; ſicut & quidquid Prophetæ prædixerunt: & *donec tranſeat cælum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant*, quæ in illa ſunt ſcripta. Ita verè, Domine, feciſti, ſicut dixiſti futurum; quia verbum tuum magis eſt perpetuum, quàm ſit cœlum; magiſque firmum, quàm terra. Quamobrem cupio omnes cæli & terræ habitatores, laudare te & glorificare, ob tantum opus in iſta cruce perfectum, Amen.

In extremo Iudicio & hora mortis dicetur nobis: conſummatum eſt

VLTIMÒ perpendam, eundem hunc Dominum, qui nunc in throno iſto crucis, opprobrijs ſaturatus, & plenus doloribus, iamiam exſpiraturus pendet, venturum in die Iudicij in throno gloriæ, ad iudicandum qui ſeparatis bonis à malis, & ſententiâ in vtroſque, iuxta illorum opera latâ hoc ipſum verbum: *conſummatũ eſt*. repetet; quaſi dicens: iam mundus eſt finitus, & vana eius gloria; iam merendi ac demerendi tempus exſpirauit; iam iniquorum voluptates, & piorum labores finem acceperunt; diſſolutum eſt iam Dæmonis regnum, nec amplius poterit tentare aut decipere homines; completus eſt iam numerus Electorum ad Cœlum, eorumq́; menſura peruenit ad culmen & perfectionem. Hoc ipſum, proportione ſeruata, mihi dicet; in hora mortis, cum me iudicabit; mihi ſiquidem omnia hæc in illa hora finiuntur.

b 2. Timot. 4. 7.

HAC conſideratione meipſum excitabo, ad vitam meam ita inſtituendam, vt cum Apoſtolo dicere poſsim: b *curſum conſummaui, fidem ſeruaui*, & fidelitatem, quam Deo debui. O Iudex hominum ſupreme, cuius iuſtitia ita erit exacta & conſummata, ſicut fuit miſericordia; adimple nũc in me tuam miſericordiam; vt gratia & meritis nunc replens, poſtea etiã impleas iuſtitiam, reddendo mihi eorum coronam in gloria, Amen.

VII. Chriſti in Cruce Verbum eſt ſummæ & vltimæ pietatis.

MEDITATIO LI.

DE SEPTIMO CHRISTI VERBO & eius morte.

a Luc. 23. 46.

PVNCTVM I.

I.

I. Cauſa cur magna voce hoc Verbum prolatum. Poteſtas vitæ & mortis.

CLAMANS a *voce magna* IESVS, ait: *Pater in manus tuas commẽdo ſpiritum meum.* a

CIRCA vltimum hoc verbum exquirendæ ſunt cauſæ, cur clamore magno illud protulerit: fuit autem prima cauſa, vt õnes intelligerẽt, ipſũ & fortitudinem, & vires habere ad vitã producẽdã, & mortẽ auertẽdã, ſi voluiſſet; ideoq́; quod moreretur, id fieri, quia ipſe volebat mori, iuxta illud, quod aliàs ipſe dixerat:

Nemo tollit animã meã à me: ſed ego pono eam à me ipſo, & poteſtatẽ habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumẽdi eam. Gratias tibi, dulcis IESV, propter hanc voluntatem, qua mori voluiſti, & vitam tuam dare pro me; meam ego tibi ex nunc offero, paratus eam perdere, quandocunque pro gloria tua opus fuerit. b Ioan. 10. 18

SECVNDA cauſa fuit, vt oſtenderet naturalem ſenſum, quo anima afficitur, dum à corpore ſeparatur: aſpiciebat enim, quàm bonum ſocium ſe ipſi præbuiſſet, triginta trium annorum ſpacio; & quàm ſe benè geſsiſſet, adiuuans & ſeruiens ipſi animæ in omnibus noſtræ redemptionis operibus: & quoniam ipſum quoque corpus, Diuinitati erat coniunctum ſicut & anima; hinc dolor & naturalis pœna animæ oriebatur, cùm ſe à corpore ſepararet; quam pœnam clamore illo manifeſtauit, loco agoniæ & anxietatum, quas aliæ animæ ſentiunt, dum à ſuis corporibus ſeparantur. O ſanctiſsima IESV Anima, propter illum dolorem, quem in tua ſeparatione à corpore tuo ſenſiſti, ſupplex oro, vt meam ita confortes, ne vltra modum ſentiat, à ſuo diſcedere. II. Naturalis pęna & dolor animæ ex ſeparatione à corpore.

CLAMAVIT deniq; Chriſtus Dominus voce illa magna, & ſonora, in ſignum victoriæ, quam de Dæmone & Inferno reportabat. Nam vt c *Gedeon, confringens hydrias ſuas excitato clamore, Madianitas ſuperauit*, ita glorioſiſsimus iſte Dux noſter, confringens corpus ſuum tormentis in cruce, & magna hac voce clamans, morte ſua vicit Dæmones; terrorem & ſtuporem afferẽs poteſtatibus Inferni. Fuitque vox hæc miraculoſa: nam qui ſunt cruci affixi, quòd exangues moriantur, cùm ſunt morti vicini, valde ſunt debiles: at bonus noſter IESVS, vſus tũc eſt ſua potẽtia, quò oſtenderet mortem ſuam eſſe ad victoriã, & in ea latere ſuã fortitudinem & victoriam. Gratias tibi, Saluator potentiſsime, ob inſignem partam victoriam, non tam tibi, quàm nobis; vt qui mortuus tu ſis, vt nobis vitam adferres. Supplex oro Domine, *ne, cùm defecerit virtus mea, derelinquas me*. Sed tua me confortes, vt moriens, per te obtineam victoriam, quam tu pro me obtinuiſti. III. Victoriæ ſignum. c Iudic. 7. 19 Vox magna Chriſti morientis miraculoſa.

PVNCTVM II.

DEINDE perpendenda ſunt verba illa, quæ Chriſtus Dominus voce magna dixit, accepta ex Pſalmo trigeſimo: eſt enim fas credere, ſtatim poſt illud verbum, *conſummatum eſt*, incepiſſe interiùs mente dicere pium illum Pſalmum; in quo cùm perueniſſet ad illum verſum, vocem extuliſſe ac dixiſſe: a *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*, cuius ſingula verba, ſingulare continent myſterium. Patrem enim compellat, in ſignum amoris & fiduciæ, quæ in hora mortis valde eſt neceſſaria, vt faciat Deus, Patris officium erga nos, protegens ac defendens, & ad- Myſteria ſeptimi verbi. a Pſal. 30. 6 I. In dictione *Pater*.

Digitized by Google

mittens ad promiſſam filijs ſuis hæreditatem. Eſt verò neceſſarium præſtare nos in vita, officium bonorum filiorum, eundem diligendo, colendo, eidemque, vt talis Pater meretur, inſeruiendo. O Pater amantiſsime, cócede mihi tota vita mea ſpiritum veri filij, vt in hora mortis, confidenter poſsim te Patrem appellare.

II. *In manus tuas.* COMMENDAT deinde ſpiritum ſuum in manus Patris, vt ſignificet, in huiuſmodi Patris & non alterius manibus, fore ſecurum. Illæ b *manus fecerunt nos & plaſmauerunt nos*, & c *in eis deſcripſit nos*, ne obliuiſcatur noſtri; d *in eiſdem manibus ſunt ſortes noſtræ*, ex eis enim dependet felix noſtræ ſalutis ſors. O anima mea, proijce te in Patris tui manus, qui cùm te ſcriptum in eis habeat: e *non delebit nomen tuum de libro vitæ*: & ſi quidem ſortes tuæ in eius ſunt manibus; efficiet, vt contingat tibi felix ſors gloriæ. O dulcis IESV, ſicut tu *ſpiritum* tuũ, in manus Patris *commendas*; ita ego meum commendo in tuas, quas in cruce habes extenſas, vt peccatores ad eas confugientes amplectaris. Iſtic electos tuos, ſanguine tuo ſcriptos habes, tua fortitudine ita affixos, vt f *nemo illos rapiat de manu tua*; in meis nõ eſt ſecurus ſpiritus meus, quia valde ſunt debiles: tuis ergo, quæ fortiſſimæ ſunt, illum trado; quem quia eiſdem redemiſti, fac etiam eiſdem glorificari.

b *Pſ.* 118.73. c *Iſaia.* 49.16. d *Pſa.* 30.16 e *Apoc.* 3.5. f *Ioa.* 10.28.

III. *Spiritum meum.* TERTIÒ dixit ſe commendare *ſpiritum*; non facultates, quas nullas habebat, non ſuum honorem, qui non illi erat curæ; non corpus, quia nõ illud eſt, quod maximi facit, ſed commẽdat *ſpiritum*, qui eſt hominis pars præcipua; à cuius bona ſorte & felicitate reliquum dependet. Hoc exemplo nos docens, quam curam & ſolicitudinem deceat nos habere in hora mortis, vt animam noſtram Deo cõmendemus, ipſius prouidentiæ committentes, quæ circa corpus euenient: ſi enim ſpiritus meus, in Dei manus deuenerit, hoc ſatis eſt mihi, vt ſim beatus.

IV. Chriſtus etiam Spiritum electorum ſuorum commendauit Patri. SED vlterius progreditur Chriſti charitas: his enim verbis non ſolum ſpiritum proprium Patri commendauit; eiuſque manibus tradidit tanquam in depoſito, vt poſt triduum eundem reciperet, & coniungeret corpori; ſed in ſuo ſpiritu, etiam commendauit ſpiritum ſuorum electorum, quem tanquam proprium habebat: nam, vt ait Apoſtolus: g *qui adhæret Domino vnus ſpiritus eſt* cum illo: quare etiam meum ſpiritum, & ſpiritualem vitam, quam meritò ducere debeo, Patri ſuo commendauit; orans, vt ſub præſidio ſuo & protectione, me totum ſuſciperet; quo eodem ſenſu poſſum & ego hæc verba, non ſolùm in hora mortis, ſed etiam in vita vſurpare.

g 1. *Cor.* 6.17.

PVNCTVM III.

a *Luc.* 23.46 *Ioan.* 19.30.

ET a *hæc dicens, inclinato capite tradidit ſpiritum.*

I. CIRCA hanc capitis inclinationem (quæ, vt ſpontanea fuit, ita

non

non fuit ſine myſterio) eius cauſæ ſunt conſiderandæ. PRIMA, fuit, vt ſignificaret ſe mori ex obedientia, capite diuinæ ordinationi inclinato. SECVNDA, vt cordis ſui humilitatem & ſuam paupertatem oſtenderet; cùm non haberet in cruce, vbi caput ſuum reclinaret. TERTIA, vt nobis aperiret magis grauitatem noſtrorum peccatorum, quæ ſuo pondere, ad mortem vſque ipſum demiſerunt. QVARTA, vt lymbi locum, ea declinatione deſignaret, ad quem eius ſpiritus iter dirigebat, vt illum ſpoliaret.

Cauſæ inclinationis capitis Chriſti in morte. 1. 2. 3. 4.

Ex his cauſis, affectus eliciam gratitudinis & imitationis, collum meum & caput iugo obedientiæ pro Chriſto inclinans; ſemper aſpiciens terram, ex qua ſui conditus; & Infernum, quem ſum promeritus, & ad quem pondus meorum peccatorum deprimit. Supplicabo igitur Chriſto Domino noſtro, vt propter ſui capitis in cruce inclinationem, veram obedientiam, humilitatem & paupertatem, quo caput meum nunc demiſsè inclinans, idem poſtea liceat confidenter eleuare.

II. Chriſtus quomodo tradidit. Spiritum.

DEINDE perpendendum, ita Chriſtum Dominum noſtrum, ſuum ſpiritum tradidiſſe, vt tamen reuera moreretur, vi & atrocitate dolorum, quos in ipſa cruce ſuſtinebat, & propter ſanguinis defectionem, qui ex eius vulneribus continuè diffluebat; ideoque ſicut venæ ſanguine euacuari incipiebant: ſic & facies cœpit immutari, ac reliqua membra corporis ita debilitari, vt viribus deficientibus, tandem expirauerit. O ſumme Sacerdos, quàm aptum ſacrificium teipſum in iſta ara crucis obtuliſti! ô Magiſter ſapientiſsime, quàm profundã iuſtitiæ & ſanctitatis lectionem, in iſta crucis cathedra prælegiſti! O Redemptor liberaliſsime, quàm copioſum pretium, pro tuorum captiuorum redemptione dediſti! O Sol iuſtitiæ, qui, vt b *Gigas proceſsiſti ab Oriente*, quàm benè *viam tuam cucurriſti*, illuminans & calefaciens terram, *vſq; ad Occidentem* tuæ mortis! Gratias tibi, pro tot laboribus, mei amore & cauſa ſuſceptis; tempus iam erat, vt fine tuis pœnis impoſito, requieſceres, dicens cum Dauide, c *in pace in idipſum dormiam & requieſcam.* Sed quamuis corpus huius Domini, verè manſerit à pœnis expeditum; erat tamen omnibus aſpicientibus effigies & exemplar dolorum, præcipuè ſacratiſsimæ Virgini, cuius dolor non ceſſauit per mortem Filij ſui, potiùs quodammodò fuit renouatus, cum ſe priuatam cerneret eo, quem tantoperè diligebat.

b Pſal. 18.6. c Pſal. 4.9.

B. Virginis dolor de morte Filij

O quales lacrymas ab oculis ſuis emiſerit! qualia ſuſpiria, quos gemitus, è corde ſuo eduxerit! quos ſpiritus clamores in cælum extulerit! quàm viua habuerit deſideria, ſanctiſsima eius anima, Filij ſui animam comitanti! quas querelas amore pleniſsimas, æterno PATRI obtulerit; quod ſolam relinqueret, in hac miſeriarum valle; quamuis

Digitized by Google

ipſa omnes illas,perfecta volu[n]tatis ſuæ conformitate cum Diuina præferre: quæ tamen quòd viuam fidem certamq́; ſpem reſurrectionis haberet,aliquod accepit ſolatium, videns iam ſine pœna eum, qui tot perpeſſus erat,nec ignorans,omnes eius labores,morte illa ſinem accepiſſe.

Sed non ſine aliquo ſolatio.

III. Diabolus adſtat morienti Chriſto. d Ioa. 14.30

DENIQVE licet conſiderare, quòd multi ſancti in hoc loco perpendunt,adfuiſſe videlicet dæmonem præſentem ad vnum latus crucis, ſolicitè expectãtem,ſi quid fortè in Chriſto inueniret, quod ad ſe ſpectaret, vt illud arriperet;ſed nihil inuenit: ipſe enim Chriſtus iam antea dixerat: d *venit ad me Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Credendũ quoque eſt, quandoquidem Angeli adſtant iuſtis morituris, miſiſſe Patrem æternum aliquos ex ſuis Hierarchijs, qui ſupremi huius iuſti inter omnes iuſtos,morti adſiſterent,non vt illum iuuarent, ſed vt venerarẽntur & comitarentur. O e *Ieſu ſacerdos magne*, qui ſicut alter ille ſacerdos eiuſdem nominis,*indutus es veſtibus ſordidis*,non à proprijs culpis, ſed alienis;habeſque *ad latus ſatanam, vt aduerſetur tibi* quamuis non ad dextrum, ſicut alter ille habebat,ſed ad ſiniſtrũ; quia nulla in re te potuit ſuperare; ad alterum verò latus habes,non vnum Angelum,ſed plurimos,ad te honorandum aſſiſtentes: ſupplex te oro, vt memineris mei in hora mortis meæ,purgans animam meam ab omni ſorde peccati; vt non poſsit Satanas contra illam præualere:mitte etiam ſanctum tuum Angelum, qui me ita defendat, vt ſtatim atque anima mea fuerit à corpore expedita, mereatur in tua gloria collocari.

Adſunt & Angeli vt venerentur & comitentur. e *Zach.* 3. 3

Medit. 9 *p* 1.

SVMMARIVM PRAECEDENTIVM Meditationum.

IN QVO INSINVATVR RATIO QVADAM benè viuendi, & præparatio ad bonam mortem, ad imitationem Chriſti Domini Crucifixi.

Bonæ vitæ & præparationis ad mortem, Documẽta atque Exercitia ſex.

I. Nudum Chriſtum nudi debemus ſequi. Nudi ab inordinatis affectibus. A ſuperfluitate & vanitate vſus rerum.

PRIMVM, ſicut Chriſtus Dominus noſter, fuit in cruce nudus,& veſtes ſuas reliquit militibus, vt illas inter ſe diuiderent;ita ſtudendum mihi eſt, cor meum exuere amore rerũ omniũ huius vitæ, ita vt omninò ſim nudus ab inordinatis affectionib⁹,quas habebã. Et quod attinet ad vſũ rerũ, quas poſſedero,ita meipsũ debeo moderari, vt non accipiã, niſi eas tantùm, quæ mihi erunt neceſſariæ;exuẽdo me à ſuperfluis,& ijs,quæ vanitatis aut deliciarũ cauſa accipiũtur: & quoad proprietatẽ illarum, oportet me ab aliquibus

exuere,

exuere, vt pauperes induantur: immò ſi poſſim, præſtabit, ab omnibus me exuere, renunciando illis, vt nudus nudum IESVM ſequar; & omninò nudus moriar; ſicut ipſe, depoſita omninò rerum temporalium cura, quò poſſim attendere æternis.

A proprietate.

DEINDE ſicut Chriſtus Dominus noſter fuit in cruce, manibus & pedibus ita confixus, vt non eſſet ei liberum, ab vna in alteram partem ſe monere, effluente ſenſim ſanguine per eius vulnera, donec totus ex venis efflueret: Ita ego, non ſatis mihi eſſe exiſtimabo, ſi externis me rebus, quas poſſideo, expoliem; ſed curandum mihi eſt, quod Sanctus Apoſtolus monet, a *carnem meam crucifigere cum vitijs & concupiſcentijs*, in cruce Chriſti, ita, vt nec manus, nec pedes liberos habeat: vt optet aut faciat aliquid, quo ab ipſa cruce declinet; ſed omninò ſit ſpiritui ſubiecta, & clauis timoris & amoris Dei, & obedientiâ eius ſanctæ voluntati confixa, vt ſupra diximus. Et hoc modo pergere debet, donec euacuet, quidquid in ipſa eſt mali ſanguinis ſuorum peccatorum, & imperfectionum: nam vt is, qui eſt cruci affixus, non vno ictu moritur, ſed paulatim, ſic non potero vno tractu, paſsiones omnes & affectiones inordinatas mortificare, ſed b *paulatim atque per partes*; longâ patientiâ & ſpe, pergendo continuè in exercitatione mortificationis, donec ad perfectam mortem perueniam. Et ſicut crucifixus, non ſeipſum affigit, ſed alius eum clauis configit; ſic caro ab aliis eſt crucifigenda; ab ſpiritu, pœnitentiis, negando illi appetitiones & deſideria ſua, ſed & carnem & ſpiritum crucifigit Deus laboribus, & Dæmon tentationibus; & homines perſecutionibus quas patienter tolerare debemus, donec tam felici morte moriamur.

II. Chriſto confixi eſſe debemus cruci.
a *Gal. 5. 24. Caſtil. lib. 4. 34. & 35. Medit. 44.*
Clauis timoris, amoris & obedientiæ voluntatis Dei.
b *Deut. 7. 22.*
In longa patientia continuæ mortificationis vſq; ad finem.

TERTIÒ, ſicut Chriſtus D. N. in cruce, ſingularem habuit curam ſatisfaciendi ſuis obligationibus & officiis erga tres perſonas, Matrem videlicet ſuam, Diſcipulum, & bonum latronem, quibus, vt ſupra diximus, eſt locutus: ſic ego hanc curam ſuſcipere debeo, vt obligationes meas, pietatis & iuſtitiæ ſtatus & officij mei, erga tres præcipuè perſonas expleam; erga ſuperiores videlicet, qui per matrem ſignificantur; erga domeſticos, qui per diſcipulum; & erga reliquos homines, qui per bonum latronem inſinuantur, dans vnicuique quod debeo, & omnes iuuans optimo, quo potero, modo. Debeo præterea perfectæ charitatis obligationes explere, orans Deum pro meis & ipſius inimicis, vt eos cõuertat; & meorum proximorum defectus excuſans, ſicut ipſemet Dominus fecit, ab hoc incipiens officia ſua explere.

III. Satisfaciẽdum obligationibus pietatis, Iuſtitiæ officij ſui.

QVARTÒ ſicut Chriſtus Dominus noſter, poſtquam his obligationibus ſatisfecit, in tribus horis, quibus tenebræ perdurarunt, incubuit orationi, tanquam qui ad ſe mortem præpararet: ſic ego, poſtquam mei ſtatus & officij obligationibus ſatisfecero, tempus aliquod ſeparatum &

IV. Dein vacãdum orationi longius, & quietius.

quietum mihi accipiam, vt vacem ſoli Deo; meámq; ſalutē & bonā mortem negotier; & nominatim magnam in me ſitim excitem illi ſimilem, quam Chriſtus habuit, obediendi Deo, eiuſque miniſtris, multumque patiendi, eius ſeruitij cauſâ, & multas animas lucrandi, quæ illi ſeruiant. Et quò magis morti propinquus fuero; eò hæc orationis exercitia & effectus, quæ ab ea procedunt creſcere debent amplius; meipſum ad eam ſuſcipiendam diſponens, iuxta illud ſancti Gregorij: *quantò morti vicinior, tantò ſolicitior.*

Libr. 7. ep. 1

V. Ita agendū vt ſemper dicere poſſimus: *conſummatum eſt.*

QVINTÒ curandum mihi eſt, ad eam diſpoſitionem, vt omnia mea opera ita rectè fiant, vt ad ſingulorum finem, dicere mihi liceat verbum illud Chriſti: *Conſummatum eſt*, quod Deus in hoc opere mihi faciendum iuſsit. Et eodem modo totum diem ità expendam, vt nocte accedente, idem verbum iure dicere poſsim: & pari paſſu vitam meam ordinare, & ad eius finem præparare me oportet ſacramentis Confeſsionis, & Viatici; teſtamento ac diſpoſitione omnium rerum, iuxta obligationem meam; & tunc in vniuerſum verè dicere liceat *conſummatum eſt* quidquid DEVS mihi iuſsit.

VI. Commendandum cum fiducia Spiritū Deo Omni ætate, omni tempore.

VLTIMÒ, toto vitæ meæ decurſu, & in ipſo mortis tranſitu, amanter & confidenter meum ſpiritum Deo commendabo, eiuſque manibus cuſtodiendum, ac defendendum, gubernandum & ad æternæ beatitudinis finem dirigendum tradam, vt proxima meditatione eſt dictum. Sed vt Chriſtus Dominus noſter, in ætate ſua florida, trigeſimo tertio videlicet ætatis ſuæ anno, mori voluit; (quo tempore homines egerrimè ferunt mortem) ita ego magna reſignatione, in ipſius manus me offeram, vt me accipiat, cùm illi maximè libuerit, quamuis in optima aliàs vitæ & ætatis meæ conſtitutione, & in mediis rerum, quas expeterem, tractationibus; confidens illi, quod in ea ætate, tempore, & loco, quæ magis mihi & ſaluti meæ expedient, ſit me vocaturus.

MEDITATIO LII.

DE PRODIGIIS, QVAE CHRISTI POST mortem euenerunt.

Vide Introduct. huius partis. Cauſæ prodigiorum finales. 1. 2. 3.

POST *Chriſti Domini noſtri mortem, præter tenebras, quæ illam præceſſerant, ſecuta ſunt alia miracula ob tres fines: ad declarandam videlicet morientis gloriam; crucifigentis verò populi ſcelus: & ad prænuntiandos admirandos effectus, qui erant mortem illam ſecuturi.*

Pvn-

PVNCTVM I.

ET a *ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo vſque deorſum.* Hvivs diuiſionis duæ fuerunt præcipuæ cauſæ. Prima, quod ſicut ſummus ſacerdos Caiphas, cùm audiuit à Chriſto ipſum eſſe filium Dei, iudicans illam eſſe blaſphemiam, ſcidit veſtimenta ſua, in ſignum doloris, quo propterea afficiebatur, ita ipſemet Deus, velum templi lacerauit, in ſignum blaſphemiæ & ſacrilegij horrendi, quod populus ille commiſit, tantâ eius filiũ iniuria afficiẽdo, vt crucifigeret. O anima mea, ſi templum es Dei viui, contere cor tuum præ dolore, ob ea, quæ tuus Dominus perpeſſus eſt in cruce, quorum tu cauſa fuiſti. O Deus cordis mei, tu illud manu tua ſcinde, hunc mihi tribuens ſenſum, ego enim adeò ſum imbecillis, vt non poſsim per meipſum illud ſcindere, vt vellem. Secvnda cauſa fuit, vt ſignificaretur Chriſti Domini noſtri morte aperiri viam ad ſecreta & myſteria Dei cognoſcẽda, quæ antea latebant, tùm b *quia* (vt Apoſtolus ait) *nondum propalata erat ſanctorum via, adhuc priore tabernaculo* in ſuis vmbris & figuris *habente ſtatum*: tùm c *ob noſtrorum peccatorum* velum, quod *inter nos & Deum diuiſionem faciebat.* O Saluator mi, ſcinde in me hoc velum, quo te cognoſcere impedior: da mihi diuinum lumen; quo tua penetrem myſteria: aperi mihi cœleſtium tuorum ſecretorum theſauros, in eo gradu, qui ad perfectè tibi ſeruiendum mihi expedit.

Veli ſciſsio a *Mat.* 27. 51 *Marc.* 15. 38 *Luc.* 23. 45.

I. Fuit deteſtatio ſceleris populi Iudaici.

II. Et ſignum apertionis viæ ad myſteria Dei.

b *Heb.* 9. 8.

c *Iſai.* 59. 2.

PVNCTVM II.

ET *terra* a *mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt.* Horvm prodigiorum duæ quoque fuerunt cauſæ. Prima, vt creaturæ inſenſibiles ſuo modo, doloris & ſenſus ſignum oſtenderent, ob mortem Saluatoris; in deteſtationem duritiei & obſtinationis, rebellis illius populi, qui illum crucifixit; & ſimul ad pudorem incutiendum illis, qui patienti Chriſto non compatiuntur. O anima mea, quomodo non tremis, & ſicut terra contremiſcis, videns Ieſum in cruce contremiſcentem! quomodo non ſcinderis media, ſicut petræ, videns petram ipſam viuam Chriſtum diuidi medium, dum anima ab afflicto ſe corpore ſeparat! quomodo non præ dolore aperiris, ſicut ſepulchra mortuorum, videns tuum Saluatorem, per tot vulnera apertum. O mundi Saluator, ne permittas me inſenſibiliorem eſſe terra, petris, & ſepulchris mortuorum duriorem, ſiquidem cùm ego ſim qui peccaui, potiori iure teneor ſentire, quod tu pateris ob mea peccata.

a *Mat.* 27. 51

Terræ motus, Petrarum ſciſsio & monumentorũ apertio.

Sunt deteſtatio obſtinationis Iudaicæ: & pudefactio non compatientium, Chriſto.

Secvnda cauſa fuit, vt ſignificaretur, quòd virtute paſsionis Chriſti, tremerẽt corda terrena, ex ſancto Dei timore; quod eſt principiũ Iu-

II Sunt oſtenſio virtutis Paſsionis Chriſti.

nequitia, qui prætextu ſictæ religionis, crudelitatem & inuidiam ſuam occultarunt: cupiebant enim nouum Chriſto Domino tormentum afferre, ſi adhuc viueret, fractis videl. eius cruribus; aut certè, ſi mortuus eſſet, etiam hanc nouam iniuriam, eius corpori inferre. Deſiderabant etiam, corpus eius de cruce deponi, quod viderent plebem, ex viſis miraculis compungi; & iuſtum eum ac Dei filium confiteri. volebant itaque corpus ipſum, ab eorum oculis ſubtrahi, vt eius gloria obſcuraretur. Ex quo magnum concipiam timorem iudiciorum Dei, circa obſtinatos & induratos peccatores: qui cum tot ſignis & miraculis viſis compungi debuiſſent, ſicut plebs illa, ſimplex; magis tamen indurruerunt, ſicut Pharao, addentes peccata peccatis, vt in peruerſa mente proficerent. O Deus benigniſſime, ne quæſo patiaris me incidere in eam duritiem cordis, vt in meum trahamdamnum, quod tu ſtatuis in meum commodum. Intentio Iudæorum in petitione crurifragii, & Depoſitionis corporis de cru. c

II. PERPENDENDVM deinde eſt, antiquam legem ſtatuiſſe, b *non permanere, cadauer eius*, qui ſuſpenſus eſſet, *in ligno; ſed in eadem die ſepeliri; quia maledictus à Deo eſſet, qui penderet in ligno, & ne* ſuo fœtore *contaminaret terram.* b *Deu.21.23*

Hanc legem voluit Chriſtus ſeruare c *factus* (vt ait Apoſtol.) *pro nobis maledictum*; vt nos à peccati maledicto liberaret; eodem die, quo pro illo mortuus eſt. Gratias tibi, dulciſsime Saluator, quod te adeò humiliaueris, vt corpus tuum haberetur pro maledicto, & pro infectione terræ, qui tamen es benedictio omnium gentium, & ſuauiſsimus odor, quo illæ ſanctificantur. Da nobis Domine hanc humilitatem, vt eius odore Eccleſiã ædificemus; ſed libera nos à ſuperbia, cuius fœtore contaminatur terra. Chriſtus factus pro nobis Maledictum. c *Gal.3.13.*

III. ANNVENTE d Pilato petitioni Iudæorum, *venerunt milites; & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo: ad Ieſum autem cùm veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura.* d *Ioan.19.32*

CIRCA quod eſt conſiderandum, *hominum cogitationes* nunquam præualere contra cogitationes DEI, qui non voluit crura Chriſti Domini frangi, vt Scriptura impleretur, quæ de Agno Paſchali, qui Chriſtum Dominum adumbrabat, dixit: *Os non comminuetis ex eo*: vt ſignificaret, paſsionis tormenta etſi atrociſsima, non fractura tamẽ eius fortitudinem & patientiam; nec eius charitatem, & reliquas virtutes ſolidas, quas oſſa ſignificant, imminutura; ſed hæc omnia firma & perfecta fore conſeruanda; quantumuis dæmones, & eius hoſtes ea confringere conarentur, ſicut nũc eadem in electis confringere conantur. ſed ipſe Deus eos defendit, & exemplo ſuo animat, quib. poſtea dixit Sanctus Iacobus: e *omne gaudium exiſtimate fratres mei cùm in varias tentationes incideritis, ſcientes quod probatio fidei veſtræ, patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, vt ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes.* O Deus æterne, qui, f *iuſtos clamantes ad te exaudis, & ex omnibus tribulationibus eorum, liberas eos, & ita cuſtodis* Chriſti crura cur non fracta, Myſtica ratio. e *Iacob.1.2.* Oratio f *Pſ.33.18.21*

tacere nobis infinitam charitatem & amorem, quem erga nos habebat, & quicquid eo vſque feciſſet, & pro nobis perpeſſus fuiſſet; id totum fuiſſe ex mero amore & cum amore, atque ſi illud Cant. diceret: e *vulneraſti cor meum Soror mea, Sponſa, vulneraſti cor meum*. Bis, inquit, vulneraſti; ſemel vulnere amoris, cum ſola mea bonitate & miſericordia, mea dona tibi contuli, vt me ad te diligendum inclinarent; deinde vulneraſti illud ferro lanceæ: quod tua cauſa fuit vulneratum, vt ſecundo hoc vulnere, primum agnoſceres, & re ipſa aduerteres, quantum te dilexerim. O amariſsime Ieſu, & Redemptor mi, frater & ſponſe caſtarum animarum, quid tibi rependã pro vulneribus, mei cauſa acceptis? vulnera tu Domine cor meum, amoris & doloris vulneribus; vt te diligam, eò quòd me plurimũ dilexeris; & compatiar tibi ob plurima, quæ pro me fuiſti perpeſſus. Fiat mihi Domine poteſtas ingrediendi per Vulnus iſtud lateris tui, vt in iſta ignea fornace quę ardet in corde tuo, ego totus tuo amore inflammer. Amen.

III. Charitatis Chriſti manifeſtatio. e*Cant.4.9.*

Oratio IV. Ingreſsio ſpiritualis & Habitatio fideliũ in lateris vulnere & locis clauorum.

VOLVIT etiam dulciſsimus hic amator, *clauis* transfigi ſibi *pedes* & *manus, latus* verò *lancea*: vt illa foramina, & petræ viuæ cauerna, habitatio eſſet ſpiritualis omnibus fidelibus, ad quemcunque illi virtutis gradũ perueniſſent, ita vt peccatores & Tyrones, Proficientes & Perfecti ingredientes, per meditationem, in hæc vulnera, optatum ſuum finem conſequerentur.

Vulnera Chriſti ſũt incipientibus Petra. f*Pſ.103.18.* g*Pro.30.26* *S. Aug. in Manual. c. 22.23.* *S. Bernar. ſerm. 61. in cant.*

ILLA ſunt f*petra* refugij *herinacijs* qui ſunt peccatores, ſpinis ſuorum peccatorum contecti; & antrum, in quo iram Dei euadant, qui in ipſum fuerunt iniurij: ſunt ſicut g *petra*, in qua *plebs inualida* Tyronum, per *lepuſculos* ſignificata, *collocat ſuum cubile*: in quod ſe recipientes, defendant ſe à viſibilibus & inuiſibilib. hoſtibus, qui illos perſequuntur. Qui quamuis ex ſeipſis timidi ſint, & puſillanimes, in his tamẽ vulneribus incluſi, inuicti ſunt & rupium inſtar fortes. Sunt etiam inſtar ſolitudinis ſpiritualis, ad quam confugiunt, qui ab ſtrepitu mundi defatigati, dicunt cum Propheta: h *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam! & elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine*. Et denique inſtar nidi ſunt, in quo pacificè & ſecurè habitant, qui ex corde optant vniti eſſe Chriſto: quos ipſe vocat inuitatque dicens: i *ſurge propera amica mea, formoſa mea, & veni*, habita in *foraminibus Petræ, & in cauerna maceriæ*. O dilecte animæ meæ, qui vulnera tua aperis, in quibus ego habitem, ad quod etiam me inuitas: ego ſtatuo ex gratia tua, tria mihi tabernacula & habitationes conſtruere, non quidẽ in monte Thabor, ſed in Caluario. *Tabernaculum* vnum erit mihi in ſacratiſsimorum pedũ tuorũ vulneribus, vt me occupans in meditatione greſſuũ tuorũ, ſciam, qua via ſit mihi incedendum, vt ad æternam vitã perueniam; & ſimul dolores ipſos quos in eis ſuſtinuiſti. *Alterum* erit taberna-

Proficientibus, ſolitudo. h*Pſal.54.7* Perfectis, nidus. i*Cant.2.10 14.* Tria Tabernacula facienda: vnum, in pedũ Chriſti vulneribus. *S Bonauen. in ſtimulo diuini amoris c.1.*

bernaculum in manuũ tuarum vulneribus, vbi opera tua &cruciatus conſiderem, quos mei cauſa, vt benè mihi faceres, in eis ſuſtinuiſti. Sed *Tertium*, illudque cæteris amplius, erit in vulnere lateris tui, in quo contempler continuè inſatiabilem illam charitatem, qua me diligens, & naſci voluiſti; & ad tolerandum quidquid pro meo remedio neceſſarium eſſet, te promptè obtuliſti.

II. In manuũ foraminibus.

III. In lateris apertura.

In his tabernaculis, habitare volo die, noctuque hic dormire, hic corpus reficere, legere, negotia tractare, & orare, omnibus quæcunque fecero, conſiderationem admiſcens vulnerum tuorum, amore & dolore inſignium. Sed quoniam mihi non ſunt alæ, quibus ad ea volare poſsim: da tu mihi alias ſicut columbæ, cogitationes ſcilicet & affectiones puras, quibus inſtar columbæ, mediter ac gemam, ob tuos dolores, & ob mea peccata, gemam quoq; & hoc ſuſpirem, vt tibi perfecti amoris vnitione cōiungar. O Virgo puriſsima, quæ prima fuiſti, quæ columbæ inſtar, ad vulnerũ iſtorum foramina volares, impetra mihi à benigniſsimo filio tuo, vt me intra illa admittere dignetur. O diuine k *Noë qui in arca* ſacratiſsimi tui corporis *oſtium ex latere poſuiſti*, per quod illa viuentia ingrederentur, quæ imminens diluuium erant euaſura; fac mihi poteſtatem, per iſtam portam ingrediendi, vt peccatorũ huius mundi diluuium, non me demergat. O l *Paſtor* ſupreme, ſiquidem *tu es oſtium per quod oues tuæ ingrediuntur, & paſcua* vitæ æternæ *inueniunt*: fac me quæſo per oſtium intrare lateris tui, vt paſcua inueniã lucis & amoris, quibus animam paſcam. O m *Dauid* fortiſsime qui tuis quinq; vulneribus, tanquam *quinque limpidiſsimis lapidibus, Philiſtæum* illum *gigantem Goliath*, hoc eſt, ipſum Dæmonem, proſtrauiſti; quamuis vel vnicus ad id ſuffeciſſet; eiſdem quæſo, cordis mei ſuperbiam deiice, & remitte peccata, quæ meis quinq; ſenſibus ego admiſi; eosq; ita contine, vt in tuo ſemper obſequio occupentur.

Oratio.

k *Gen*. 6. 51. Oſtium Arcæ Noe, fuit figura vulneris lateris.

l *Ioan*. 10. 9.

m 1. *Reg*. 17. 40. 50.

Quinque vulnera Chriſti, sũt quaſi quinque lapides Dauidis.

Hi affectus, animiq; decreta, & alia ſimilia, quæ S. Bonauent. inſinuat, deducenda ſunt ex meditatione horum vulnerũ, aſpiciendo per ea infinitas Dei perfectiones, & immenſas Chriſti Domini virtutes; ineffabilem præcipuè eius charitatem: ſiquidem (vt S. Bernardus ait) *patet arcanum cordis per foramina corporis: quid ni viſcera, per vulnera pateant?*

In ſtimulo diuini amoris c. 1.

Serm. 61. in Cant.

PVNCTVM III.

ET a *continuò exiuit ſanguis & aqua*: *& qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius.*

a *Io*. 19. 34.

MYSTERIVM hoc *aquæ & ſanguinis*, qui ex Chriſti latere fluxit, fuit potiſsimus finis, cur ipſe voluerit lancea illud aperiri. Myſterij autem huius. PRIMA cauſa fuit, vt nobis immenſam ſuæ charitatis largitatem declararet,

Quinta cauſa vulneris lateris, eſt Exitio ſanguinis & Aquæ. Exitionis ſanguinis & Aquæ quatuor cauſæ.

raret, qui totum omnino, nec gutta vna eius retenta, ſanguinem ſuum nobis ſit largitus: modicum enim illud, quod in corde remanſerat, quò nec ſpinæ, nec claui peruenerant, voluit, lancea pungente, ex eo effluere. O Saluator mi, quid tibi reddam pro iſta adeò prodiga liberalitate, ſi tamen prodiga dici poteſt, quæ tam matura deliberatione & prouidentia effunditur? Accipe, Domine, cor meum, & quidquid in eo latet: accipe totum ſanguinem, & ſpiritus eius vitales, vt omnes in te diligendo occupentur, ſanguiſque meus ferueat deſiderio tibi ſeruiendi.

I. Largitas charitatis Chriſti.

SECVNDA cauſa fuit, vt paſsionis mortiſque ſuæ nobis declararet efficacitatem ad abluenda noſtra peccata, & nos purificandos virtute ſui ſanguinis, & aqua gratiæ ſuæ & ſimul ad extinguendum ardorem noſtrarum cupiditatum, & ſatiandam ſitim noſtrorum deſideriorum. O dulciſsime Saluator, nunc fateor, te b *fontem* eſſe *patentem domui Dauid*, ex cuius aperto & patente latere, continuò aqua manat & ſanguis, *ad abluendas* cruentas maculas noſtrarum culparum: tu es c *Petra* viua, *ſilexq́;* igneus ex quo lancea icta, in latere tuo, *egreſſæ ſunt aquæ largiſsimæ* ad eos refrigerãdos, qui in huius mundi deſerto, ſiti pereunt. O d *fontes Saluatoris*, aperti in eius pedibus, manibus, & latere: valde exultans ad veſtras accedo fiſtulas, vt ſalutis aqua per illas fluens, me lauet, purget, ſanet, ac ſaluet.

II. Efficacitas Paſſionis eius ad abluenda peccata.
b *Zach*. 13. 1.
c *Nu*. 20. 11.
d *Iſai*. 12. 3.

HINC tertia cauſa prouenit, vt ſignificetur, ex Chriſti latere tanto amore in cruce extincti profluxura nouæ legis ſacramenta, cùm virtute lauandi & ſanctificandi animas, & nominatim ſacramentũ Baptiſmi & pœnitentiæ, quæ eſt e *potus lachrymarum*, aqua ipſius lateris adumbratus; & ſanctiſsimum altaris ſacramentum, quod per aquam & ſanguinem ſignificatur; in cuius memoriam aqua miſcetur vino, in ipſo calice. Quare cùm accedo ad hæc Sacramenta recipienda, hoc præcipuè diuiniſsimum, cogitare debeo, me accedere ad ipſum Chriſti latus, vt effluentem ex eo ſanguinem & aquam hauriam; & vt ſiã particeps gratiarum ac donorum: ex his Saluatoris fontibus manantium. O Saluator amantiſsime, qui doloribus tuis, promeruiſti aquas, quas ego cum gaudio, de tuis fontibus hauriam, ne quæſo ipſos canales mihi occludas, vt mea ingratitudo meretur: nam ex nunc auxilio tuo adiutus ſtatuo, ad illos accedere, non tædio aut faſtidio, ſed magna alacritate; non tepore, ſed magno feruore; non cunctanter & tardè ſed valde frequenter, conando haurire ex eis non aquam, ſed aquas, quibus animam meam copia multarum gratiarum & virtutum, ad magnam gloriam tuam repleam. Amen.

III. Sacramentorũ Nouæ legis virtus, & cum primis Baptiſmi, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ.
e *Pſal*. 79. 6.
S. Thom. 3. p. q. 74. a. 6.

Ex omnibus his cauſis alia deducitur, ob quam Saluator noſter, voluit ſibi latus aperiri, vt ſcilicet ſignificaret, ſicut ex coſta Adami dormientis,

IV. Pulchritudo Eccle-

ſiæ, cuius formatio ex latere ſecundi Adami, eſt Sexta cauſa vulneris lateris.
f *Gen.* 3. 21.
g *Epheſ.* 5. 27.

formata fuit Eua; ita ex latere ſuo, dormientis ſomnum mortis in cruce, prodituram Eccleſiam, ſicut alteram Euam, quæ f *mater eſſet* verè *viuentium:* quæ g *glorioſa eſſet non habens maculam neque rugam, aut aliquid huiuſmodi.* aquâ enim & ſanguine eiuſdem lateris abluta, hanc eſſet conſecutura pulchritudinem. Gratias tibi ô Cœleſtis Adame, ob amorem, quem erga tuam Eccleſiam habuiſti, te ipſum tot laboribus pro ea exponendo. Sed quid mirum, ſi tantoperè eam dilexeris, quam ipſe ex tuo latere, & ex tui cordis ſinu deduxiſti! ſupplex te oro Domine, vt ſerues eam in pace & ſanctitate, & mundam ab omni macula & ruga, vt cum multis filijs glorioſa euadens, & inter Angelos, diuinam tuam eſſentiam, cum Patre & Spiritu ſancto, videat in ſecula, Amen.

V. Septima cauſa vulneris lateris eſt adimpletio ſcripturæ.
h *Zach.* 17. 10.
Ioan. 19. 37.

PERPENDAM denique, quòd, vt S. Euangeliſta notauit, *facta ſunt hæc, vt Scriptura impleretur quæ dicit:* h *videbunt in quem transfixerunt;* vt ſignificaret, oportere peccatores, qui noſtris peccatis Chriſtum pungimus, eum contemplari, & videre fide viua: vt eius vulneribus, à noſtris liberati ſani efficiamur, & eius lancea transfixo corde noſtro, fluat ex eo fons lachrymarum cum magno gemitu, tum ob ipſius mortem, tum ob cauſam eius quam nos dedimus. Quod ſi facere in hac vita negligamus, ſimul nos monet, futurũ tempus, quo illum videbimus, non in cruce cum his deformatis vulneribus, ſed in throno gloriæ, ſicut Iudicem, cum vulneribus ſplendoris, ex quib. radij prodibunt iræ iuſtæ, & vltionis in ſuos perſecutores, plangentes ſine remedio ob illatas illi iniurias. O anima mea, attende diligenter, quantum inter hoſce aſpectus & inter hoſce planctus interſit: & cùm liceat nunc deuotè aſpicere vulnera Chriſti crucifixi, & ea fructuoſe plangere: ne tempus illud exſpectes, in quo tremens aſpicias, & plangas in tormentis.

MEDITATIO LIV.

DE DEPOSITIONE CHRISTI de Cruce.

PVNCTVM I.

a *Matt.* 27. 57.
b *Ioan.* 19. 38.
c *Marc.* 15. 43.
Luc. 23. 50.

CVM a *ſerò factum eſſet, venit quidam homo diues ab Arimathæa nomine Ioſeph, qui & ipſe diſcipulus erat* IESV, b *occultus tamen, propter metum Iudæorum;* & c *audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus* IESV; *qui, cùm cognouiſſet, quòd iam mortuus eſſet,* a *iuſſit reddi corpus.*

PVN-

I. Prouidẽtia & cura Dei erga ſuos.

Consideranda hic *primùm* eſt prouidentia & cura, quam Deus habet ſuorum, ſiue dum viuunt, ſiue cùm ſunt vitâ functi. Pendebat corpus Chriſti Domini noſtri in cruce in magnum dedecus & infamiam notorũ & amicorum eius; & piæ aliquæ mulieres, à longè ſtabant, & à cruce remotæ, propter metum Iudæorum. Sanctiſsima eius Mater, & Diſcipulus S. Ioannes, cum Maria Magdalena, iuxta crucem ſtabant, ſed lachrymoſi valde & afflicti ob ipſius mortem, anxij verò, quòd non ſcirent, qua ratione poſſent illum de cruce deponere, ea decentia, qua pretioſum adeò corpus dignũ erat; ſimul verò timebant, ſi milites illum deponerent, magna id irreuerentia & ignominia facturos: ſed in hac anxietate & ſolicitudine conſtitutis, non defuit diuina prouidentia, nam & Filij defuncti honori, & afflictæ Matri conſulens, aliquem prouidit, qui ſumma reuerentia & honore, corpus illud deponeret. Proprium eſt enim valdeque familiare Cœleſti noſtro Patri, conſolari afflictos, & humiliatos honorare: & ita ſtatuit, ſicut ignominiæ filij eius perdurarunt vſque ad ipſam mortem in cruce; ſic ab eadem cruce incipere eius honores. vt hinc animum ſumamus, ad amplectendas humiliationes, ſiquidem tam cito Deus humiliatis ſubueniens illos exaltat.

II. Ioſeph fuit diues, nobilis, iuſtus. *Luc.* 23. 50.

Deinde perpendam, inſpiraſſe Deum viro cuidam nomine Ioseph, vt hanc ſibi curam & pium officium ſuſciperet; de quo dicitur: quòd eſſet *diues & nobilis*; talem enim oportebat eſſe, qui illud exequi poſſet: ſed ſimul erat *vir bonus & iuſtus, & exſpectans regnum Dei*: quia noluit Deus tale obſequium ſibi exhibere impium aliquem hominem, improbum aut paruæ charitatis: nec nobilitatis aut diuitiarum eius rationem aliquam habuiſſet, niſi illis qualitatibus bonitatem etiam & iuſtitiam coniunxiſſet. Hic etſi eſſet diſcipulus Chriſti Domini occultus, & propter metũ Iudæorũ timidus, nunc tamen magno animo ſe manifeſtauit, & auſus eſt ad Pilatum ingredi *audacter*, & ſui Magiſtri corpus petere ad ſepeliendum. In quo facto reſplendet virtus Paſsionis Chriſti; & inſpirationis Diuinæ efficacitas, quæ timiditatem & puſillanimitatẽ omnem repellens, aggredi facit ardua ac difficilia, quæ prius timebat; & magnum animum concipere ad ea, quæ prius horrebat. O Iesv manſuetiſsime, tange cor meum vi tuæ inſpirationis, vt humano omni timore reiecto, inuicto pectore aggrediar, quidquid Diuini tui obſequii fuerit.

III. Chriſtus etiam poſt obedit legi.

Tertiò perpendam humilitatem & obedientiam; quam etiam poſt mortem, voluit Chriſtus Dominus nobis oſtendere, dum voluit etiam ſecum ſeruari leges malefactorum, qui eſſent crucifixi: nam tales, non licebat ex cruce deponere, abſque Iudicis licentia; mortem quam voluit etiam ab eo peti, vt ipſe à cruce deponeretur. Nam vt crucem conſcendit ex

obedientia Patris Cœleſtis, ita poſt mortem, ex eadem voluit deſcendere, ex obedientia legis, quæ id præſcribebat, & Præſidis qui rogatus, id conceſsit: vt ex hoc ego diſcam, non deſcendere de cruce, in qua Deus me conſtituit, abſque eiuſdem licentia.

PVNCTVM II.

a Marc. 15. 46. Mat. 27. 59. b Io. 19. 39.

OBTENTA à Pilato licentia, *Ioſeph mercatus ſindonem & deponens eum innoluit ſindone*: b *venit autem & Nicodemus ferens mixturam myrrhæ aloës quaſi libras centum*, vt vngerent eum.

c Ioan. 3. 1. Societatis vtilitas. d Pro. 18. 19

PERPENDENDA hic eſt diuina *cura & prouidentia*, quæ ſocium Ioſepho adiunxit, qui illum in pio hoc opere adiuuaret, qui par etiam illi eſſet: nam & c *nobilis & iuſtus, & diſcipulus erat IESV, licet occultus*: ſcit enim Deus quantùm referat, duos pios ſimul conuenire, ad præſtanda opera charitatis; nam alter alterum exemplo bono animat & corroborat. *Ioſephus*, accedente ſocio *Nicodemo* omnem à ſe humanum timorem abiecit: idemque Nicodemus fecit propter Ioſephum ſocium: ambo itaque magna animi fortitudine pium illud opus ſunt aggreſsi: nam vt Sapiens ait d *Frater, qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma*. Et ſicut Chriſtus Dominus noſter, dum viueret, diſcipulos ſuos mittebat binos; ita nunc in morte, duos diſcipulos eligit, qui ipſum de cruce deponant, volens, omnia ſua opera fieri cum charitate. Sed vt vterque horum duorum aliquid attulit ad ſepulturam Chriſti, (nam Ioſeph mercatus eſt ſindonem omninò nouam, iudicans, non decere, tali ſindone corpus illud Magiſtri ſui inuolui, qua fuiſſet alius quiſpiam vſus: Et Nicodemus attulit magnã pretioſi vnguenti quantitatem, quo corpus totum vngeretur:) ſic etiam, qui cor ſuum offert obſequio Chriſti, ſemper cum voluntate adhibet opera, quæ iuxta vires ſuas poteſt; conando, vt munda illa ſint ac pura, pretioſa, ac multa, adhibens magnam mortificationem ac deuotionem: ita vt nec quia pretioſa ſunt, pauca ſint; nec quia ſunt multa, parui ſint pretij: ſed vt omnia coniungamus optimo, quo poterimus, modo. O Saluator dulciſsime, quid mirum ſi talia ego tibi offeram opera, cùm tua mihi obtuleris, quæ infinitè mea ſuperant? Concede mihi, ne parcus ſim, in dando tibi quidquid potero, ſiquidem quidquid poſſum dare, ſatis eſt parum.

Voluntati bonæ adiungenda ſunt opera.

PVNCTVM III.

DVo hi viri valdè reuerenter ac piè, magnaque ſimul compaſsione & lachrymis, corpus Chriſti de cruce depoſuerunt. Refixerūt ſacros pedes ac manus, tenerrimè eas oſculantes; abſtulerunt ſpineam coronam ex capite, eam reuerenter adorantes; & cùm clauos refigerent, ſacrum corpus complectebantur: vt, quem priùs claui ſuſtentabāt; ſuis ipſi humeris ſuſtinerent, cuius diuina perſona ſolo verbo Cœlum & terram, & quidquid in eis continetur, ſuſtentat.

I. Pia depoſitio corporis Chriſti.

O Fili DEI viui, vnite mortuo corpori, in ea neceſsitate conſtituto, vt opus habeat ab ipſis tuis creaturis ſuſtentari: Gratias tibi pro hac humilitate, quam hic oſtendis plenam tanta charitate. O a *fortis ſicut mors dilectio, & dura ſicut infernus*, ſiue ſepulchrum, *æmulatio* & zelus! Quomodo inuincibilem ſuperaſti, morti eum ſubieciſti, & vt ſe in ſepulchro ſinat poni compuliſti? vince & me, vt meo Domino commoriar. Illi enim cōmori lucrum meum eſt, & per te vinci, eſt victoriam obtinere.

Oratio

a *Can.6* 8.

II. B. Virgo illud amplectitur, vt faſciculum myrrhæ.

b *Can.1.13.*

DEPOSITVM ex cruce corpus accepit Virgo ſanctiſsima in ſuis vlnis, quibus & illud complexa eſt; ſed multò magis animæ vlnis, quæ tota erat dolore transfixa: vbi illud impletum eſt, quod in Canticis dicitur: b *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* O ſuprema Virgo, quantum intereſt inter hos amplexus, & illos quibus in ſpecu Bethlehemitica, & cùm fugeres cum eo in AEgyptum, illum complectebaris. Tūc enim faſciculus erat myrrhæ, inſtar monilis cuiuſdā, ex tuis ſacris vberibus pendens; ſed nunc faſcis eſt magnus myrrhæ amariſsimæ, vt poſsis dicere lamentationem illam Ieremiæ: c *repleuit me amaritudinibus, inebriauit me abſinthio*; nam verè fuiſti repleta amaritudine, cum tui Filij corpus, ex cruce depoſitum, in tuas vlnas ſuſcepiſti. Aſpiciebat mœſtiſsima hæc Virgo totum filij ſui corpus, in ſingulis membris cruciatum, & inde myrrham colligebat, ex qua faſcem hunc amariſſimum componeret. Contemplabatur oſſa luxata, oſculabatur manuum vulnera, contractos digitos extendebat; mox ad lateris & pedum vulnera deſcendens, manebat eius ſpiritus, viſis tot vulnerib. vulneratus, & tot amaritudinibus inebriatus. Acceſſerit quoque Magdalena, pedes illos complectens apud quos ſuorum peccatorum veniam impetrauerat: quos vbi vidit vulneratos adeò, & crudeliter habitos, manſit eius cor dolore transfixum, & oculi cōuerſi ſunt in fontes lachrymarum, quibus eos cœpit rigare, optans, ſi licuiſſet, capillis ſuis eos tergere, ſicut aliàs fecerat; dilectus verò Diſcipulus, rectà acceſsit ſtatim ad pectus, in quo proxima nocte recubuerat; quod, vbi à latere vidit lanceā apertum, ſacrum illud vulnus oſculaba-

c *Thre.3.15*

B. Magdalena pedes oſculatur.

B. Ioannis pectori & vulneri lateris adhæret.

bere, ſicut & ipſum ſepulchrum voluit ſibi tantum eſſe accommodatum, hoc nos exemplo doceś, eam virtutem amare, quam ipſe tantopere amauit; & reipſa illam exercere & experiri in vita & morte, ſicut ipſum videmus exercuiſſe.

Paupertatis aluſſimæ exempla præbuit Chriſtus etiam poſt mortẽ

PVNCTVM II.

I.
Diuini funeris deportatio, & comitatus tum humanus.

INVOLVTVM & ligatum corpus, piè creditur, feretro fuiſſe impoſitũ, ſicut moris erat mortuos deferre. Totus verò ille comitatus piarum mulierum ſequebatur plorans, cum Matre Defuncti; quæ flebat, ſicut vidua illa Naim, filium ſuum vnicum in ætatis flore defunctum. O Deus benigniſsime, cur non venis obuiam deſolatæ huic Viduæ, diciſque ei: a *noli flere?* cur non *loculum ipſum tangis*, in quo benedictus hic Iuuenis, *filius vnicus* eius, & tuus defertur, ac dicis illi: *Adoleſcens tibi dico, ſurge*; vt illum poſtea *des Matri ſua*, quæ ſine eo adeò ſola ac deſolata manet? Sed video Domine non adhuc eſſe tempus: nam priùs oportet b *Ionam eſſe in ven. re* Ceti, & c *filium hominis in corde terra tribus diebus, & tribus noctibus*, vt inde poſtea exeat rediuiuus.

a *Luca* 7. 13
b *Iona* 2. 1.
c *Mat.* 12. 40.

II.
Tum Angelicus.
d *Iſai.* 11. 10

PIE quoque credendum eſt, Angelorum Choros in duas partes fuiſſe diuiſos, quorum altera animam Chriſti comitaretur, vt poſtea dicetur; altera verò diuinum hoc corpus: quod etiam erat diuinitati coniunctum, vt illud pro dignitate honorarent: & impleretur quod ſcriptum eſt: d *& erit ſepulchrum eius glorioſum*, ob plurima quæ conuenerunt ad illud honorandum, quorum vnum fuit hic ſanctorum Angelorum comitatus. De quibus dicere poſſumus quod dixit Iſaias: e *Angeli pacis amarè flebunt*, non quòd verè flerent, ſed quòd, ſi lachrymarum capaces eſſent, ipſorum charitas vrgeret eos flere cum flentibus, vbi adeò aderat iuſta cauſa flendi. O Angeli pacis, impetrate mihi amarè flere mortem mei Domini; & lachrymis cordis mei eos comitari, qui eandem flent; ſiquidem ego fui cauſa, cur ita ipſe tractaretur, vt omnes meritò ad flendum permoueret.

e *Iſai.* 33. 7.

PVNCTVM III.

ERAT a *autem in loco, vbi crucifixus eſt, hortus; & in horto monumentũ nouum* a *ipſius Ioſephi* a. d. *quod* ipſe *exciderat in Petra*, b. c. *in quo nondum quiſquam poſitus erat*, a *& aduoluit ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abijt*.

a *Matt.* 27. 60.
b *Ioan.* 19. 41.
c *Luc.* 13.
d *Mar.* 13. 46.

PRIMVM qualitates iſtius ſepulchri ſunt conſiderandæ, quod CHRISTVS Dominus ſibi elegit, acceptum à Ioſeph, qui illud exciderat. PRIMA proprietas eſt, quod eſſet in quodam *Horto*: nam ſicut primus Adam peccauit in horto, vbi mortis pœnam incurrit, ita voluit ſecundus Adam, hoc peccatum in alio horto flere: & in alio ſepeliri: vt primum & à peccato, & à morte liberaret.

Sepulchri qualitates ſiue proprietates tres.
I
Locus, in horto.
II.

SECVNDA proprietas eſt, quod eſſet *Nouum*, cum enim hic Dominus

per oportet occupari cogitationibus afflictionum Chriſti crucifixi, & imitari eximias ipſius virtutes.

HAC præparatione efficietur ſepulchrum glorioſum CHRISTI, qui libenter ad illud ingredietur, & gratiæ ſuæ donis ditabit. Poſt ipſam verò communionem lapis magnus ſupra portam ſepulchri adhibendus eſt, vt ſecurè & fortiter ſeruetur theſaurus reconditus, occluſâ portâ cordis & ſenſuum ad omnia, quæ tantum theſaurum poſſunt mihi deprædari: ideoque meipſum cum ipſo Domino, quem habeo intra meipſum ſepeliam, vt cum illo colloquar, & gratias agam pro tanto in me collato beneficio. Siquidem (teſte S. Gregorio) ipſa contemplatio, eſt inſtar ſepulchri ſpiritus, in qua ſpiritus occluditur k *& abſconditur cum Chriſto in Deo.* Conare, anima mea, cum Ioſepho ab Arimathæa, vngere ipſum Dominum myrrhâ perfectiſsimarum mortificationum, & inuoluere ſindone noua & mūda cum magna vitæ puritate. Da eidem proprium tuum ſepulchrū, quod eſt cor tuum magna firmitate cœlatum: ſic enim eris ſicut Ioſeph, quæ vox ſignificat creſcentem, quia, quoties communicaueris, creſces in virtutibus, donec peruenias ad habitandum in ciuitate cæleſti, quæ per Arimathæam ſignificata, interpretatur excelſa, & in excelſo collocata, clarè videt l *Deum Deorum in* altiſsima arce ſanctæ *Sion.*

VI. Sepulchri clauſura, denotat cordis & ſenſuum cuſtodiam poſt ſacram Communionem. Contemplatio eſt ſepulchrū ſpiritus. k *Coloſſ. 3. 3.* Ioſeph ſignificat creſcens. *Ianſen cap. 244. concordia.* Arimathæa, excelſa. l *Pſal. 83. 8.*

MEDITATIO LVI.
DE SOLITVDINE VIRGINIS, poſt filij ſepulturam.

PVNCTVM I.

SEPVLTVRAE officio omninò perfecto, Virgo ſacratiſsima, nouo dolore plena, quòd ſe omninò ſolam videret, & non ſolùm viuente filio priuatam, ſed etiam eius corpore demortuo, ſtatuit ad ſuam habitationem redire, comitantibus illam nobilibus illis viris, Magdalenâ & aliis deuotis mulieribus. Cū autem peruenerunt ad montem Caluarium, & Virgo ſanctiſsima filij ſui crucem videret, illam adorauit, ipſa omnium prima, hoc nobis huius adorationis exemplum præbēte. O quàm tenera verba & pia tunc dixerit, ſeſe cum cruce oblectando! flexerit in terra genua, & eleuatis in altum manibus, inceperit dicere: Salue crux pretioſa, in cuius brachiis obiit ille, quem ego infantem in meis

B. Virgo prima crucem adorat. Eius oratio ad crucem

tui! felicior tu in hoc fuiſti, quàm ego ſiquidem in meis incepit ille mundi redemptionem, quam perfecit in tuis: benedicta tu es inter omnes creaturas, quia in te commutata eſt maledictio culpæ, in benedictionem gratiæ. ille enim mortuus eſt in te, vt vitam adferret mundo. Salue ô arbor vitæ, cuius fructu mortales omnes, vitam æternam conſequi poſſunt: ego te adoro, tanquam imaginem eius, qui eſt imago Dei inuiſibilis, & extendit brachia ſua & pedes in te, vt renouaret imaginem, quã Adamus peccato ſuo deleuit. His & ſimilibus aliis verbis adorauerit Beatiſsima Virgo ſanctiſsimam crucem; & reliqui ad eius imitationem idem fecerint. In ipſa verò via, cautior quoq; & ſolicita fuit, ne ſanguinem, quem filij ſui eſſe credebat, calcaret, quod eſſet eius diuinitati coniunctus; fueritq; illi magnus dolor, ſi quis illum calcaret: ac fleuerit eorum peccata, a *qui* (vt ait Apoſt.) *filium Dei conculcant, & ſanguinem teſtamenti noui pollutum ducunt.*

B. Virginis ſollicitudo circa ſanguinẽ Chriſti.

a *Heb.* 10. 29

CVM ad ſuam habitationem rediiſſet B. Virgo, demiſsè valdè gratias egit duobus illis nobilibus & piis viris, Ioſepho & Nicodemo, ob charitatis & pietatis officium filio ſuo præſtitum, & ita illis valedixit, & fortè dixit, quod aliquando Dauid habitatorib. Galaad, cùm ſepeliuerũt Saul à Philiſtæis occiſum: b *benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul; & ſepeliſtis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus miſericordiam; ſed & ego reddam gratiam, eò quòd feciſtis verbum iſtud ei.*

B. Virgo gratias egit Ioſepho & Nicodemo.

b 2. *Reg.* 2. 5.

PVNCTVM II.

INGRESSA Virgo ſanctiſsima ſuam habitationem, & in conclaui aliquo ſe colligens, incepit flere ſolitudinem & deſertionem ſuam. Habebat animam ſuam in plura loca diuiſam, in quibus theſaurus erat cordis ſui.

B. Virgo verſata eſt animo.

Pars VNA erat in ſepulchro, cũ corpore filij ſui, meditans & ruminans dolores, quibus ille in ſua paſsione fuit affectus. ALTERA pars erat in Lymbo cum anima eiuſdem filij, contemplans quid illa cum patribus, qui ibi erant, ageret: ſed multò magis hoc tempore cor eius occupabatur doloribus, memoria ſua illos recogitans, & eorum cauſas deflens, æterno Patri ſupplicans, vt eorum fructum plurimis applicaret, ad gloriam eius, qui fuit illos perpeſſus.

I. In ſepulchro. In lymbo.

ALTERAM noctis partem expendit in conferendo cum ſuis comitibus de CHRISTI laboribus. Præcipuè Sanctus Euangeliſta Ioannes referebat illi, quæ eius Magiſter in cœnaculo egiſſet, quo pacto Agnum Paſchalem cum illis comediſſet, lauiſſet eorum pedes, inſtituiſſet ſanctiſsimum corporis & ſanguinis ſui Sacramentum, ac diuinum ſermonẽ ad illos habuiſſet, illis prædicens, quæ eſſent euentura; & poſtea ad hortum Gethſemani ſe contuliſſent, ac verba triſtitiâ plena, quæ illis ibi di-

II. In Chriſti laboribus & doloribus: cum à Ioanne relatis;

xerat, & quòd ſe ab illis ter ad orandum ſeparaſſet, ac denique quod Iudas, veniſſet cum exercitu militum & miniſtrorum ad Ieſum cõprehendendum, & miracula quæ ibi fecit, & qua ratione diſcipuli omnes fugientes, illum deſeruiſſent. Hæc omnia magna pietate & ſpiritu SS. Virgo audiens, conſeruabat & conferebat in corde ſuo, ſed cùm ad eas pœnas ſe conuerteret contemplandas; quas ipſamet viderat, tota reſoluebatur in lacrymas, & in hoc reliquam noctis partem conſumebat. O Virgo ſuprema, vellem tecum flere, ſicut Propheta Ieremias, ac dicere: *quomodo ſedes ſola*, quæ eras ſicut *ciuitas plena populo! facta es quaſi vidua* deſerta, quæ iure es *Domina gentium: plorans ploras in nocte, & lachrymæ* tuæ defluunt per *maxillas tuas. Non eſt qui te conſoletur ex omnibus charis tuis*: nam alij fugerunt, *alij facti ſunt tui* crudeles *inimici*. Tum à ſe viſis. B. Virginis lacrymæ. *Thren 1.1.*

CONSOLARE ô Princeps ſuprema, ceſſent gemitus & ſuſpiria tua, ſiſtatur fluxus tuarum lachrymarum; quia frumenti illud granum quod eſt conditum & ſeminatum in ſepulchro, prodibit tertia die viuens cum cum fructu copioſiſsimo, vt centuplum reddat lætitiæ, pro tua iſta ſolitudine & triſtitia. Oratio

III.

PERPENDAM præterea: eodem tempore, quo bonus hic Paſtor, animam ſuam pro ſuis ouibus poſuerat, quamuis ad Lymbum deſcenderit, vt ouibus quæ in caulis illis erant, conſolationem afferret, & eas in libertatem vendicaret; non tamen earum fuiſſe oblitum, quæ manſerant ſuper terram, & ſicut oues ſine Paſtore errabant. Nam virtute ſuæ omnipotentiæ, ex Lymbo ipſo illis inſpirauit, vt ſe ad locum reciperent, vbi eius Mater erat, vt illa ipſius loco, eas conſolaretur, & corroboraret. PRIMVS qui venit, fuit S. *Petrus*, totus flens ac dolens, ob trinam ſui Magiſtri negationem; & proſtratus coram ipſa Virgine, & condiſcipulo ſuo Ioanne, repetiuerit fortè amaras ſuas lacrymas, tum ob negationes ſuas, & laborem ſui Magiſtri, tum ob ipſius Matris deſolationem, & reliquorum qui ibi flebant. Quem Virgo ſanctiſsima blandè eſt conſolata, vt quæ optimè noſſet conditionem Dei, qua flentes conſolatur. SECVTI ſunt mox reliqui *Apoſtoli* quos omnes ipſa Virgo ſacratiſsima, magna charitate excipiebat, ſicut gallina ſolet pullos ſuos ſub alas colligere, cum fugiunt tranſuolantem miluum. Exhortata eſt illos, vt fidem haberent, & ſpem Reſurrectionis Filij ſui; nam vt fuit impletum, quod ipſe prædixerat, de ſua crucifixione & morte; ita implendum fore, quod prædixerat de ſua Reſurrectione. O Virgo ſuprema, quàm aptè exordiris officium veræ Matris, quod filius tuus, in cruce tibi commiſit! recipe me ſub tuis alis; ne inferni milui mihi nocere audeant. B. Virgo conſolatur B. Petrum: & corroborat. Et reliquos Apoſtolos.

IV. B. Virginis & Apoſtolorum dolor de Iudæ impœnitētia.

LICET etiam perpendere ſenſum ipſius Virginis & Apoſtolorum, cũ aduerterunt duodenario ſuo numero deeſſe Iudam; & miſerandi huius infelicitatem, cui, ſi pœnitens veniſſet ad Beatiſsimam virginem, ſicut venit S. Petrus, abſque dubio illum recepiſſet, & conſolata fuiſſet: verum eius culpa, iam eum eò deduxerat, vbi nec pax vlla, nec conſolatio vnquã eſſe poteſt.

PVNCTVM III.

I. a Mat. 27. 61. b Mar. 15. 47. c Luc. 23. 55.

ERAT *autem* a *ibi Maria Magdalene &* b *Maria Ioſeph* c *& piæ aliæ mulieres, quæ cum illo venerant de Galilæa,* a *ſedentes contra ſepulcrum,* b *quæ viderunt monumentum, & quemadmodum poſitum erat corpus eius, & reuertentes parauerunt aromata & vnguenta, vt poſt diem ſabbati* c *venientes vngerent Ieſum.*

Magdalenæ & ſociarum eius deuotio & vigilantia.

CONSIDERANDA eſt hoc loco deuotio, ac vigilantia piarum harum mulierum, tũ in attenta inſpectione eorum, quæ fiebant circa ſepulcrum Chriſti, & ipſius loci, & ſitus quo ipſum corpus iacebat; vt cum poſtea redirent, omnia ſibi eſſent perſpectatum in præparandis citiſsime aromaticis ſpeciebus, quibus illud vngerent, quamuis enim centum libræ myrrhæ, in prima vnctione fuerint expoſitæ, hæc tamen pauca illis videbantur pro deſiderio, quo tenebantur ipſæ, honorandi & ſeruiendi Magiſtro ſuo, à quo tot bona acceperant. Et quamuis opus hoc piarum mulierum admixtam habuerit aliquam imperfectionem fidei: Ex eo tamen duo diſcere poſſum, per totam vitam mihi facienda præcipuè poſt ſacram communionem.

Poſt ſacrã Communionem quid agendum.

1\. PRIMVM eſt, in quiete, & cum mora, non ex curioſitate, ſed ex caritate contemplari quidquid ad Chriſtum crucifixum, mortuum, & pro me ſepultum pertinet; & modum, quo idem ingreditur ad viua animarum ſepulcra, quæ illum in ſacramento recipiunt; & quid in illis poſtea ipſe operetur.

2\. ALTERVM eſt, vt non ſim contentus ſola meditatione & contemplatione; ſed pergam poſtea colligere ſpecies aromaticas, exercitia videlicet virtutum odorifera ad glóriam ipſius Dei, ad vtilitatem proximorum, & ædificationem Eccleſiæ, quæ eſt eius corpus myſticum, quod his operibus vngitur.

Digitized by Google

MEDITATIO LVII.

DE CVSTODIBVS AD SEPVLCHRVM Chriſti adhibitis, & de eius corporis incorruptione.

PVNCTVM I.

ALTERA *autem* a *die, quæ eſt poſt Paraſceuen, conuenerunt Principes ſacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum, dicentes: Domine recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc viuens: Poſt tres dies reſurgam. Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum vſque in diem tertium: ne forte veniant diſcipuli eius, & furentur eum, vt dicant plebi: ſurrexit à mortuis, & erit nouiſsimus error peior priore.* a Mat. 27. 62.

IN hoc facto manifeſtatur feritas inimicorum Chriſti, & quam meritò dixerit Dauid, b *ſuperbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.* Nam, etſi dies ille ſabbati adeò eſſet ſolemnis, ſummo tamē mane venerunt, vt obſtinatam ſuam perſecutionem perficerent. b Pſ. 73. 23. Inimicorum Chriſti feritas.

I. PRIMVM enim, *ſuperbi* iſti, dedignati ſunt Chriſtum Dominum proprio nomine appellare, ſed vt blaſphemi compellarunt illum proprio dæmonis nomine, quod eſt *ſeductor*, cum reipſa potiùs eſſet liberator ab omni ſeductione mundi, & omnium fraudium retector: vt hinc meipſum ſoler, cum ſimilibus iniurioſis epithetis excipiar.

II. DEINDE, *oſores* iſti Chriſti, facti etiam ſunt temerarij & ſuſpicioſi, timentes vbi non erat timendum, ſuſpicantes diſcipulos furaturos corpus ſui magiſtri, & promulgaturos, quod ſurrexiſſet, & plebem id credituram: quod tamen totum nec vllum habebat fundamentum, nec connexionem; ſed odium ipſos excæcabat, & inuidia turbabat iudicium, & qui ipſum Chriſtum ſeductorem vocabant, non aduertebant, quam ipſi eſſent ſeducti: nam dæmon, qui eſt verè ſeductor, & ſpiritus ſuperbiæ ipſos ſeduxerat.

III. PRAETEREA, qui ſuam felicitatem in tollendo Chriſto è medio ponebant, non ſunt hoc ſatiati, ſed *turbati*, & feruentis maris inſtar ipſi inquieti, obſcurare conantur gloriā Reſurrectionis eius. Sed nihil illis hæc nequitia profuit: quia diuina prouidentia conuertit illorū inuentiones contra ipſos, accepta ex eis occaſione, vt Chriſti Reſurrectio manifeſtior fieret, & facilius reciperetur ac crederetur. O dulciſsime IESV, qui perſecutionem in vita & in morte à tuis inimicis es perpeſſus, ne patiaris in ta-

lem me cœcitatem peruenire, vt ſeductionem reputem ipſam fraudis retectionẽ; & conſilia iuſtorum, qui tua ſequuntur, reputem impoſturam. Si ſeducendus ſum, fac vt per te ipſum decipiar deceptione ſancta, *c lactando* (vt ſoles) carnem, & eam eò *ducendo*, vt lubens ſe dedat ſpiritui.

c *Oſee 2. 14 Vide Riberam hic.*

Pvnctvm II.

AIT illis a Pilatus: *Habetis cuſtodiam, ite, cuſtodite ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes, munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem, cum cuſtodibus.* Hic apparet anxietas exſecrandæ ſuſpicionis horum Phariſæorum, qui nec militibus crediderunt, ſuſpicantes & veriti ne diſcipuli Chriſti eos prenſarent, vt conniuerent, & permitterent auferri corpus: & ideo ſigillo proprio lapidẽ ſupulchri obſignarunt: ſed melius multò Pater æternus illud obſignauerat ſigillo ſuæ omnipotentiæ, adhibẽs millia Angelorũ, qui corpus filij ſui cuſtodirẽt. O Saluator mi ſicut alter b Daniel, per inuidiã, fuiſti à tuis inimicis *in lacũ leonũ miſſus, quẽ Rex Darius obſignauit annulo ſuo, ne quid fieret contra eũ*, ſecurus es in iſto lacu ſepulchri, quia nec leones qui ſunt vermes, tangere audebunt corpus tuum; nec hoſtes externi ei nocere. Libera me Domine, tam ab hoſtibus domeſticis quæ ſunt paſsiones meæ, ne dentibus ſuis me dilanient; quàm ab externis, qui ſunt dœmones & eorum miniſtri, ne mihi tentationibus & calumniis ſuis noceant.

a *Matth. 27 65.*

Mali ſemper ſunt ſuſpicioſi. Angeli cuſtodierũt ſepulchrũ. b *Daniel. 6. 17.*

Ex hoc filiorum huius mundi exemplo, documentum accipiam, vt æquè ego ſim diligens, atque ſunt illi in rebus ſuis: in cuſtodienda anima mea, poſtquam habitatio fuerit & ſepulchrum Chriſti in ſacra communione ſtudendo obſignare, & ſeruare illam ne Chriſtum & ſpiritum deuotionis mihi aliquis auferat. ſed quod nam ſigillum ſecurius, quam efficaciorem cuſtodiam adhibere poſſum, quàm ipſum Chriſtum? O dilecte mi, qui dixiſti: *pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt vt mors dilectio, & dura ſicut infernus*, & ſepulchrum, *æmulatio* & zelus, oro ſupplex, vt obſignes cor meum, & ſenſus ac facultates meas, ſigillo tuæ charitatis, & imitationis eximiarum tuarum virtutum: vt hoc ſigillo obſignatus & cuſtoditus, te frui liceat in æternum. Amen.

Poſt Sacrã cõmunionẽ quanta adhibenda cuſtodia. *Cant. 8. 6.*

Pvnctvm III.

MANSIT corpus Chriſti Domini noſtri in ſepulchro *tribus diebus*, & tribus *noctibus*, accepta parte prò toto: vt ſint noctes duæ & dies vnus; quo ſignificetur quod per mortem & ſepulturam Chriſti Domini noſtri, à duplici morte, animæ ſcilicet & corporis, culpæ, & æternæ pœnæ liberati ſimus: quæ ſignificantur duab. noctibus; & reparantur vna vita, per diem vnum ſignificata, qui eſt vita gratiæ & charitatis. Toto

D. Thom. 3. p. q. 51. a. 1. Chriſti corpus quare manſerit in Sepulchro duab. noctibus, & die vno.

hoc

hoc tempore, conſeruatum eſt Chriſti corpus integrum & incorruptum, nulla eius parte reſoluta in puluerem, aut in aliquid aliud, vt prædictum erat per Dauid, cum dixit: *non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Nam etſi ſponte ſubiecerit ſe miſeriis hominis, & pœnæ mortis, quam ille incurrit ob culpam; noluit tamen ſubiicere ſe pœnæ corruptionis, & conuerſionis in puluerem, ne, vel ad breuiſsimum tempus, naturam relinqueret, quã ſibi ſemel in vnitate perſonæ vniuerat. Si enim corpus diſſolueretur, etiam hæc vnio fuiſſet ſoluta: quod non permiſit eius bonitas & charitas: quia nunquã voluit dimittere, quod ſemel aſſumpſerat. O amantiſsime Redemptor, gratias tibi, quod nos à duplici morte liberaueris, à culpa & pœna æterna: obtinueris verò vitam gratiæ, quæ initium eſt vitæ æternæ. Applica mihi, Domine, paſsionis tuæ fructum, eripiens me ab vtraque hac morte, & concedens mihi vtramque vitam, quæ in te vna tantum ſunt. Gaudeo, Saluator mi, quod tuum corpus ſemper fuerit incorruptum, nec defecerit vnquam vnio diuinæ tuæ perſonæ cum illo, quapropter ſupplex oro, vt me à corruptione peccati conſerues, & tecum vnias vnitione perfectæ charitatis, in qua perſeuerem vſque ad vitam æternam, Amen.

Pſal. 15. 10. *Act. 2. 31.* Corpus Christi mãſit integrũ & incorruptum. Ratio Oratio

Descensvm animæ Chriſti ad Lymbum ponemus in quinta parte, quæ ſequitur: quia pertinet ad glorioſos Chriſti Domini noſtri triumphos, quos Paſsionis ſuæ meritis eſt conſecutus, propter quam fuit glorificatus, & honoratus ab hominibus & Angelis, cum Patre & Spiritu ſancto per infinita ſecula, Amen.

FINIS QVARTAE PARTIS.

Digitized by Google

R. P.

LVDOVICI DE PONTE,

SOCIETATIS IESV

MEDITATIONVM, DE PRAECIPVIS FIDEI noſtræ Myſteriis, Vitæ ac Paſſionis D. N. Ieſu Chriſti; B. V. Mariæ, & aliquorum Sanctorum, Euangeliorumque occurrentium.

PARS QVINTA,

QVAE MYSTERIA RESVRRECTIONIS, Apparitionis, & Aſcenſionis, vſque ad Spiritus Sancti Aduentum, & Euangelij promulgationem, complectitur.

INTRODVCTIO

DE VNITIONE CVM DEO, QVAE Finis eſt Viæ vnitiuæ.

MEDITATIONES *ſpectantes ad eos, qui viam ambulant, quam vocamus* VNITIVAM, *finem & ſcopum habent vnitionem cum* Deo Domino *noſtro: de qua Apoſtolus: a* qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt *cum eo. Et quamuis adhæſio hæc & Vnitio, propriè ſit virorum perfectorum; omnes tamen debent meritò ad eam aſpirare; & in eadem non modicam partem habent, etiam ipſi Tyrones. Ad cuius faciliorem intelligentiam, præmittimus tres eius eſſe actus;* Primus *eſt Vnitionis ipſius* intellectus, *cuius munus eſt*, Deum *intra ſeipſum portare, & in ſua memoria illum hoſpitio excipere, cogitando de eo, & eum vera, propria, plena, & perfecta cogitatione ita intelligendo, vt ipſemet intellectus imago ſit quædam, & exemplar viuum ipſius Dei, in quem transformetur; iuxta illud Apoſtoli: b* nos omnes reuelata

a 1. Cor. 6. 17.

I.
Vnitio intellectus.
S. *Thom.* 1. 2. qu. 28. a. 1 & 2.

Digitized by Google

facie (*non velata ſicut Moyſis*) gloriam Domini ſpeculãtes (*ſicut in ſpeculo*) in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu. *Quibus verbis docet nos Apoſtolus, Meditationem & contemplationem rerum Dei glorioſarum, non eſſe aliud, quam formare intra nos ipſos talem cognitionem, quæ ſit viua earum imago, ita vt quidquid Deus glorioſum in ſe habet, habeam ego intra meipſum per cognitionem, conando vt quotidie ea ſit diſtinctior & clarior.*

b 2.Cor.3.18.

II. Vnitio voluntatis.

Ex hac cognitione procedit ſecundus *actus Vnitionis, qua ipſa* voluntas *vnitur quæ impetu magno à ſeipſa egrediens, bonitatem illam amplectitur, quam cognouit eam amando, in ea ſibi complacendo, & optimum, quem poterit, modum optando, ea fruendi. Hæc Vnitio explicatur ſupremo illo & primo mandato*, c diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & d ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua. *Quibus verbis præſcribitur nobis quidam amor adeò perfectus & excellens, qui noſtras omnes affectiones & deſideria ſecum trahens, transferat in Deum, cum maxima, qua poterimus, intentione & continuatione. Affectus autem, qui ex hac* Vnitione *oriuntur, & in quibus exercere ſe oportet eos, qui eam his Meditationibus aſſequi conantur hi ſunt*: Admiratio maieſtatis Dei, *eius perfectionum, & operum admirabilium*; gaudium *ex hoc, quod ipſe ſit is, qui eſt, & qui tot in ſe habeat excellentias, faciatq́; res adeò glorioſas*, laudes & gratiarum actiones, *ob dona, quæ ab eo promanant; intima deſideria eum videndi, poſſidendi, & vnitum ipſi ſemper manendi; deſideria etiam inflammatiſſima illum honorandi, illi obediendi, & in rebus omnibus placendi; & vt vniuerſi homines eum cognoſcant, ament, & illi ſeruiant; Zelus feruens eius gloriæ, & ſalutis animarum, adiuncto etiam dolore de offenſionibus contra ipſum; fiducia de eius bonitate & prouidentia, & eius iuſtitiæ timor, non abiectus ille & ſeruilis*, e quem perfecta charitas foras mittit, *ſed filialis & reuerentiæ, qui timet à* Deo *ſeparari, & aliquid facere, quod ipſum offendat, etiamſi minimum; & huic affectus adiungendus eſt dolor de peccatis, qui ab amore procedit: nam vt alibi diximus, ſuperior ſanctitatis gradus ſemper exercet actus inferioris gradus, quamuis perfectiori modo, quàm ipſe gradus inferior.*

c Deut.6.5.
d Luc.10.27
e 1.Ioan.4.8.
Introduct. otius operis §.4.

III. Similitudo in vita & moribus.

Ex hac Vnitione, oritur tertia, *quæ eſt ſimilitudinis in vita & moribus, fundata in perfecta conformitate cum voluntate diuina, dum habetur idem velle & nolle cum ipſo Deo, in omnibus rebus ſiue proſperis ſiue aduerſis: ex quo oritur continuata exercitatio virtutum omnium, quæ pertinent ad perfectionem vitæ Chriſtianæ, quibus ſupremus ille gradus obtinetur, ad quem exhortatus eſt nos Chriſtus Dominus noſter, cùm dixit*: f eſtote vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt: *Ac ſi diſtinctiùs dixiſſet: eſtote puri, miſericordes prudentes, iuſti, temperantes, & ſancti ſicut Pater veſter, qui eſt in cælis. Et hac ratione perfectè*

f Matt.5.48

impletur,

impletur, quod Apoſtolus dixit, quod g reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur, *accipientes intra noſtrum ſpiritum, ipſius Dei virtutes, quibus efficimur ſimiles glorioſa ipſius diuinitati*, tranſeuntes à claritate in claritatē, *hoc eſt, à claritate cognitionis ad claritatem affectus; & ab hac claritate ad claritatem virtutum*: h euntes de virtute in virtutem, donec videatur *clarè* Deus Deorum in Sion. g 2. Cor. 3. 18. h Pſal. 83. 8.

Ex dictis efficitur: vitam CONTEMPLATIVAM, *cùm eſt perfecta, complecti hos tres modos Vnitionis, qui germanitatis quodam vinculo ita connectuntur, vt alter alterum plurimùm iuuet. Cognitio enim Dei, amorem eius adiuuat & hic, imitationem eius virtutum: amor autem & imitatio plurimum perficiunt ipſam cognitionem. Duo enim (dicunt communiter Magiſtri ſpiritus) ſunt modi Deum cognoſcendi.* ALTER eſt ſpeculatiuus, *qui oritur ex naturali lumine noſtri intellectus, lumine fidei illuſtrati; qui poſtea ratiocinatione & Meditatione, aſcendit ad contemplandam Dei gloriam & excellentias, ex ijs, quæ videt in creaturis, aut quæ ſcripturis diuinis ſunt reuelata, quæ ſunt tanquam duo ſpecula, ſiue ſpecula, ad cognoſcendum in hac vita Deum.* ALTER *modus cognoſcendi Deum eſt* practicus & experientia, *procedens à ſummo dono Spiritus Sancti, qui dicitur ſapientia ſiue ſapida Dei ſcientia qui (vt* §. 1. Introd. part. 4. *inſinuare cœpimus) fundatur in admirandis experientijs, quas in animabus noſtris ſentimus, ex illuſtrationibus cœleſtibus, & affectibus, ac ſuauitate charitatis & amoris Dei: de qua cognitione dixit Dauid:* i guſtate & videte, quàm ſuauis eſt Dominus: *quaſi diceret: experientia delibate Dei ſuauitatem, & eius admirandos effectus; hac enim ratione, ad eius viſionem peruenietis, ſicut hic videri poteſt. Et Apoſtolus ſuadet eſſe* k radicatos & fundatos in charitate, *& iucundiſſimis eius exercitijs*, vt poſſimus comprehendere, *hoc eſt, palpare, & ipſa experientia ſentire* cum omnibus ſanctis, *magnalia Dei; &* quæ ſit latitudo *charitatis eius*, & longitudo *æternitatis*, & ſublimitas *diuinæ ipſius eſſe*, & profundum *ſapientiæ eius*; ſcire etiam ſupereminentem charitatem Chriſti, *quæ exſuperat omnem cognitionem, quæ humana ſcientia poteſt obtineri. Cuius altiſſima cognitionis virtute, replebimur plenitudine Dei, transformati in ipſum per Vnitionem perfectam: nam vt ſapiens cum Deo colloquens dixit:* l noſſe te conſummata iuſtitia eſt; & ſcire iuſtitiam & virtutem tuam, radix eſt immortalitatis. *vita enim immortalis & æterna procedit, vt dictum eſt, ex æterni Dei cognitione, amore, & imitatione virtutum: adeò vt,* m qui Deum non diligit (*teſte Sancto Ioanne*) nec noſcat eum, quoniam DEVS Charitas eſt: *charitas autem increata non cognoſcitur perfectè niſi experientia actuum & affectuum charitatis creatæ: ſicut nunquam mellis viniq; dulcedo, & efficacitas benè cognoſcitur niſi prius delibetur & guſtetur.*

S. Thom. 2. 2. q. 186. a. 1. S. Dionyſ. de diuin. nomin. c. 2. S. Bonauen. de 7. itiner. æternit. 1. tin. 6. Gerſon. 3. part. tract. de Myſtica Theolog. S. Bernard. Serm. 23. & 24. in Can. S. Thom. 2. 2. q. 45 ar. 3 &c. i Pſal. 33. 9. k Ephe 3. 17 l Sap. 15. 3. m 1 Ioa. 4. 8 Caſſ. collat. 11. c. 13.

S.Thom. 2. 2. q. 9. a. ad 2. n Rom. 11. 2.

Et ob hanc cauſam dixit S. Thomas: licitum eſſe deſiderare, Deum hac ratione cognoſcere, & experiri eius bonitatem & n voluntatem bonam, beneplacentem & perfectam, ne vel in puncto ab ea deflectamus.

Scopus cõtemplat. & Vnitionis. S.Thom. 2. 2. q. 180. a. 4. o Ioan 17. 3. p Ioan. 10. 9.

Ex dictis ſatis cognoſcitur finis principalis Meditationum 5. huius & 6. partis quæ ad primam Dei cognitionem diriguntur, vt ſecundam aſſequamur, & fruamur Vnitione infinitæ eius bonitatis & voluntatis, ſicut eſt iam declaratum. Et quamuis ita res habeat, quod contemplatio & vnitio prædicta pro ſcopo principali habeãt ipſam diuinitatem, & perfectiones Dei, cum quo ſit vnus ſpiritus; reſpicit nihilominus etiam ipſius Dei incarnati humanitatem, & clariſſima eius opera ac virtutes, in quibus elucent ipſius diuinitatis excellentiæ: nam (vt S. Ioan. dicit) o vita æterna non eſt ſolum Deum verum & viuum cognoſcere, ſed etiam quem ille miſit Ieſum Chriſtum, mundi Saluatorem. Et qui ſacratiſſima humanitatis myſteria, ab ipſa contemplatione voluerit ſemper excludere; excludetur & ipſe, à percipiendis fructibus & delicijs æternæ vitæ: ita enim ipſe Chriſtus Dominus dixit: p ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet; quod eſt dicere, ego qua homo, ſum oſtium, per quod quis ingreditur ad Deum: qui itaque per me ingredietur, viua fide credens in me, & in Patrem meum ſalutem, & vitam æternam conſequetur: ingredietur, & egredietur, progrediens à conſideratione myſteriorum humanitatis meæ: vſque ad altiſsima diuinitatis meæ ſecreta; & ab his reuertetur ad illa: & in omnibus inueniet ſpiritualia deuotionis paſcua, pro anima ſua. Et quoniam vita Chriſti Domini noſtri, duas partes complectitur: alteram mortalem & patibilem, De qua hactenus egimus; alteram immortalem & impatibilem, poſtquam reſurrexit, quam nunc viuit, & in qua excellenter reſplendent glorioſiſsimæ eius diuinitatis excellentiæ: q nam (vt ait Apoſtol.) etſi crucifixus eſt ex infirmitate hominis, ſed viuit ex virtute Dei. Hinc eſt quod Meditationes glorificatæ huius vitæ Chriſti Domini noſtri (de quibus in quinta hac parte agitur) pertineant præcipuè ad perfectos, qui iam reliquas pertranſierunt, quorum nomine dixit idem Apoſt. r etſi cognouimus ſecundùm carnem Chriſtum: ſed nunc iam non ſic nouimus: ac ſi diceret (vt explicat S. Thomas) etſi hactenus cognouimus Chriſtum in carne mortali, & ſubiectum carnis noſtræ miſerijs, illumq́; amabamus amore quodam, cui aliqua affectio carnis admiſcebatur: ſed nunc iam non ſic nouimus, nec hoc modo amamus ſed contemplamur illum in carne immortali & glorificata, & amamus amore puro, & ab omni carnis & ſanguinis ſapore purgato. Quod apparebit in praxi ſequentium Meditationum.

q 2. Cor. 15. 4. r 2. Cor. 5. 16. Lectione. 4.

MEDITATIO I.

DE GLORIOSO CHRISTI DOMINI NOSTRI ad Lymbum deſcenſu, vt iuſtos inde educeret; & de gloria quam illis communicauit.

PVNCTVM I.

PRo fundamento huius Meditationis conſiderandum eſt quis ille ſit locus Lymbi, quæ perſonæ in illo detinerentur, & quæ earum eſſet occupatio vſque ad Chriſti ipſius mortem.

LYMBVS eſt locus quidam ſubterraneus, qui propterea infernus dicitur, cum dicimus Chriſtum Dominũ noſtrum ad inferos deſcendiſſe; qui etiam appellatur *lacus ſine aqua* & *vinctorum Carcer* obſcurus, æreis portis, ferreiſq́; ſeris adeò fortibus clauſus, vt nulla aut humana aut Angelica poteſtas, ad eas confringendas, nec ad educendum inde aliquẽ, qui eò eſſet ſemel ingreſſus, eſſet ſufficiẽs. In hoc Lymbo, quaſi in depoſito & carcere tenebãtur *animæ* omniũ *iuſtorum*, etiamſi fuiſſent ſanctiſsimi, eò quòd nullus poſſet ingredi cœlum, propter peccatum Adami, donec Chriſtus Dominus pro omnibus moreretur. Erat itaq; ibi ipſemet Adamus & Eua, Abel filius eius Noe, & Abrahã, cũ SS. Patriarchis Moyſes & Dauid, cum Prophetis, & magnus Baptiſta, ac Sanctus Ioſeph, cum cæteris iuſtis, qui ante Chriſti Paſsionem obierant.

Lymbus quid?
Zach. 9. 11.

Qui nam in eo?

CONTINVA eorum omnium occupatio erat, *ſuſpirare* aduentum Meſsiæ, vt illos inde liberaret; claramque Dei viſionem ipſis communicaret; quiſque autem affectuoſam illam orationem ſæpius ibi repetiuerit, quàm viuens dicere conſueuiſſet. Dauid dixerit: a *Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam; & ſalutare tuam da nobis.* b *Excita potentiam tuam, & veni vt ſaluos facias nos.* c *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus: ſitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Iſaias dixerit: d *vtinam dirumperes cœlos, & deſcenderes: à facie tua montes*, qui ſupra nos ſunt, *defluerent:* e *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum; aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Similiter cæteri Sancti, feruentibus deſiderijs & ſuſpirijs, inceſſanter orationes ſuas repetiuerint, fœlicem illum diem ſuæ redemptionis expectãtes, quamuis non ſine illo dolore, de quo ſapiens ait: f *Spes quæ differtur, affligit animam:* quæ tamen, cum prope eſt, vt deſiderium impleatur, exultat. Et ita deſcendens ad illos S. Ioannes Baptiſta, & exercens etiam ibi Præcurſoris munus, quod habuerat in mundo, plurimum illos exhilarauit, dicens: gaudete & g *leuate capita veſtra: quoniam appropinquat redemptio veſtra.*

Quæ corũ actio?
Continua ſuſpiria
a *Pſal. 84. 8*
b *Pſal. 79. 3*
c *Pſal. 41. 1*
d *Iſai. 64. 1.*
e *Iſai. 45. 8*
f. *Prou. 13. 12*
g *Luc. 21. 25*

Documētū

Ex hac conſideratione, ſimiles deducam affectus, cogitans animam meam, vinctā & captiuā in hoc corpore detineri, tanquā in Lymbo & carcere tenebroſo, gemens ac deſiderans venire CHRISTVM Dominum noſtrū ad illam liberandam & ſecum deducendam, g *deſiderium habens* cum Apoſtolo *diſſolui & eſſe cum Chriſto*, & gemens cum eodem: *infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* & cum Dauide: h *Educ de cuſtodia hac animam meam ad confitendum nomini tuo.*

g Phil. 1. 23.
h Pſal. 141. 8

Hi & ſimiles alij affectus, familiares & veluti proprij ſunt hominum perfectorum, qui cœperunt guſtare Diuinæ vnitionis ſuauitatem; cuius abſentiam grauiter ſentientes dicunt cum Dauide: i *fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: vbi eſt Deus tuus?*

i Pſal. 41. 4.

PVNCTVM II.

S. Thom. 3. p. q. 52. in Symb. Deſcendit ad Inferos.

Deſcenſus ad inferos quid doceat?

STATIM atque Chriſtus Dñs noſter in cruce exſpirauit, remanēte in ea eius corpore, Diuinitati coniuncto; ſanctiſsima eius anima, eidem etiam diuinitati coniuncta ad Lymbum deſcendit, vt iuſtorum animas ibi detentas, inde eriperet. Hoc facto patefecit diuinum verbum incarnatum eaſdem virtutes, quas in ſuo aduentu in mundum manifeſtauerat; vt nos intelligeremus, etiam poſt mortem ſuam non eſſe illarum oblitum. Quas merito expendere debemus, vt eiuſdem Domini amore accendamur: Præcipuè verò duas.

I.
Duæ eius virtutes Charitas

PRIMA virtus fuit immenſa ipſius BONITAS ET CHARITAS quę ipſum permouit, vt per ſeipſum veniret ad ſaluandum mundum, quāuis id potuiſſet etiam alijs præſtare medijs: ſic etiam, quamuis potuiſſet has iuſtorum animas, è Lymbo liberare, non deſcendens eò per ſe ipſum, ſiquidem vel verbo illas potuiſſet inde educere, ſicut Lazarum eduxit ex ſepulchro, ſolo illo verbo: *Lazare veni foras*; vel Angelos mittere, qui illas ad ſeum conſpectum deducerent: nihil tamen horum voluit, ſed vt ipſamet anima ſua realiter & verè ad Lymbum deſcendens, illis oſtenderet amorem, quem erga illas habebat, & quanti illas faceret, & quam ſibi placuiſſent illorum obſequia; & ipſamet per ſe ipſum, paſsionis ac mortis ſuæ fructum illis applicaret, iuxta id, quod prædictum erat: a *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.* O æternæ animarum amator, quàm es ebrius amore earum, qui nec ad punctū potes eſſe ſine illis! nam ſtatim atque deſiiſti viuere inter homines, voluiſti animam tuam viuere cum animabus; & eſſe, vbi illæ ſunt, ea illis bona præſtans, quæ ante mortem tuam hominibus præſtabas. Veni Domine, & viſita animam meam, coniungere illi, eamque amore iſto tuo ita inebria vt à te nunquam ſeparetur, neque aliud vnquam velit, quàm ſemper tibi coniunctam eſſe. Amen.

a Zach. 9. 11
Oratio

SECVNDA

Digitized by Google

SECVNDA virtus fuit profundiſsima HVMILITAS, quam exercuit, non ſolùm ad miſeram hanc terram deſcendens, ſed etiam ad infima m eius partem, quæ carcer erat, pœnaque peccatorum, per aliquot horas ibi ſubſiſtens, non vt vinctus: ſed vt vinctorum liberator: vt hac ad infimum vſque terræ humiliatione, conſequeretur exaltationem, vſque ad ſupremum cœli, iuxta illud Apoſtoli, b *quod autem aſcendit; quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ.* O humillime Domine, qui poſt victoriam obtentam, eà vis gaudere, tot indicijs humilitatis, concede mihi, vt me humilem, & ad vltimum locum deſcendam, in quo diutius immorer, ſciens c *quia* eadem menſura, qua *quis* in terra *ſe humiliat, exaltabitur* in cœlo. II. Humilitas. b Ephe. 4. 9. c Luc. 17. 11.

PVNCTVM III.

QVAMVIS ingreſſus Chriſti Domini noſtri in Lymbum, fuit in *momento*, & abſque vlla reſiſtentia; licet tamen eius modum, & inſignem pompam perpendere, qua ingreſſus eſt: cogitando, ſanctiſſimam illam animam, multis Angelis tanquam famulis & miniſtris ſuis ſtipatam deſcendiſſe, qui verba illa præmiſerint: (quamuis ad litteram, præcipuè de eiuſdem Chriſti Domini in cœlum ingreſſu intelligantur, vt poſtea videbimus) a *Attollite portas principes veſtras,* & *eleuamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ,* quibus principibus interrogantibus: *quis eſt iſte Rex gloriæ?* Reſponderunt: *Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio.* O Rex glorioſiſsime, gaudeo, quòd gloria & fortitudo tua ab Angelis promulgetur, & quidem ipſis Dæmonibus; vt te agnoſcant, & tuis pedibus proſtratos, tibi ſe dedant. O Rex fortiſsime, & potentiſsime, quàm eſt recens *tua* fortitudo, & quàm fortis tua potentia; ſiquidem in pugna occumbens, victor tamen ex ea euadis ipſam mortem mactando, & eius vincendo auctorem! I. Ingreſſus Chriſti in Lymbum qualis. a Pſal. 23. 7. 10.

FINXERVNT principes tenebrarum, ſe *ſurdos* ad hoc primum mandatum; quod cum Angeli ſecundò repeterent, eandem illi quæſtionem propoſuerunt; quibus reſponderunt Angeli: *Dominus virtutum, ipſe eſt Rex gloriæ.* O Rex gloriæ, quàm aptè conuenit tibi nomen *Domini virtutum*; quia vere es Dominus charitatis, humilitatis, obedientiæ, patientiæ, & cæterarum virtutum cœleſtium, quas in Paſsionis tuæ pugna nobis comparaſti; quas inſtar prædæ & ſpoliorum, tuis electis diſtribuis. Es quoque Dominus virtutum, quia omnia opera ſancta, fortia, & glorioſa à te procedunt, quibus tui regni gloriam pateſacis, tuoſque ſubditos glorioſos facis: tu Dominus es virtutum cœleſtium; & tuo dominio ſubijciuntur Poteſtates, & Dominationes, & omnis militia curiæ cœleſtis, in cuius præſentia, omnes illæ tremunt, & ſe ipſas proſternunt, adorantes te tanquam II. Dæmonũ aſtutia Chriſtus quomodo & quam merito dominus virtutum

Deum ſuum, Regem ſuum, & ſupremum Dominum. O Domine virtutum, fac me earum participem; ſi quidem pro me illas comparaſti. O Domine charitatis, infunde illam cordi meo, vt amore tuo totum liqueſcat. O Domine humilitatis, fac illam altas in anima mea radices iacere, vt in conſpectu tuo gratiam inueniam.

III. Chriſti omnipotentia. b *Pſal.* 106. 15.

DENIQVE perpendam glorioſi huius Regis *omnipotentiam*, qui virtute ſui ſanguinis, confregit & contriuit feras & portas infernales, penetrans nullo reſiſtente, ad profundum chaos & inferiorem partem terræ vt extraheret inde vinctos, diſſolutis eorum catenis. Quapropter gaudere debeo, & cum Dauide cantare: b *Confiteãtur Domino, miſericordia eius, & mirabilia eius filijs hominum: quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit:* Portæ æreæ ſunt peccata mea, quæ ingreſſum Deo in animam meam prohibent; vectes ferrei, obices ſunt, à Dæmone & carne appoſiti, ne DEVS illos diſſoluat; catenæ fortiſsimæ ſunt Paſsiones, quibus vinctus teneor, ne bonum faciam, quod vellem. Confiteantur ergo tibi, Saluator mi, tuæ miſericordiæ, & vniuerſus mundus te glorificet, propter mirabilia, quæ facis erga filios hominum: quia tuâ omnipotentiâ confringis hæc omnia impedimenta, portas, vectes & catenas ferreas, vt pateat tibi aditus in animas noſtras, eaſque vindices in libertatem: contere Domine, meas, & ingredere animam meam, vt te glorificet & miſericordias tuas cantet in æternum. Amen.

PVNCTVM IV.

Lymbus Chriſti præſentia illuſtratus. a *Ecc.* 24. 45

INGRESSA itaque ſanctiſsima Chriſti Domini noſtri anima in Lymbum, illuſtrauit cæleſti quodam lumine omnes illas tenebras, vt ſapientia diuina incarnata, impleret quod promiſit, cùm dixit: a *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Statim autẽ omnibus illis animabus, quæ ipſum exſpectabant, impertiuit lumen quoddam gloriæ, quo diuinam eſſentiam & maieſtatem ſui Liberatoris aſpicientes, omnes fuerunt glorificatæ; Lymbo illo in cœlum, & carcere vinctorum, in beatorũ Paradiſum commutatis.

I. Animatũ in lymbo lætitia.

CIRCA hoc conſideranda inprimis eſt ingens illarum *animarum lætitia*, ex repentina & admiranda ſui ſtatus mutatione, & ſubita Dei viſione, quæ ſuprema eſt beatitas, qua nunc fruuntur. O quàm ſaturæ fuerint, quàm plenè ſibi ſatisfactum, præmiumque præteritorum omnium laborum ſibi redditum iudicauerint, quàm gratas ei ſe exhibuerint, qui tantum bonum, tantis proprijs expenſis illis comparauerit! omnes illum adorauerint, omnes laudauerint, & de tanta victoria fuerint congratulati.

Licebit

Digitized by Google

Licebit imaginari per *choros* illos acceſsiſſe, vt illa præſtarent, eumque recognoſcerent, vt euenire ſolet, quando Rex nouus in ſuum regnum primùm ingreditur. Chori.

PRIMVS chorus fuerit *Patriarcharum*, cum omnibus filijs, qui illorũ fidei & Sanctitatis hæredes fuerunt; qui omnes illum adorantes, ſupremum ſuum Patriarcham, & Patrem futuri ſæculi agnouerunt, ſe eius filios confitentes & laudantes, ob cœleſtem hæreditatem, quam ipſis acquiſiuerat. Mox ſequebatur *ſecundus* Chorus *Prophetarum*, qui vt ſupremum Prophetam illum agnouerunt, gratias agentes quòd omnia à ſe prædicta, plenè ipſe impleuiſſet: ſicut etiam quæ per ipſos ille promiſerat. Hunc ſecutus eſt tertius Chorus ſummorum *Sacerdotum & Leuitarum*, qui ipſum tanquam ſummum & ſupremum Sacerdotem, adorantes, gratias egerint, ob ſacrificium ab ipſo in cruce oblatum, pro omnium peccatis. Secutus eſt quartus Chorus Sanctorum *Ducum, Iudicum, & Regum*, cum reliqua electa multitudine populi Dei, qui illum vt ſupremum Regem cœli & terræ adorantes, congratulati fuerint de obtenta victoria contra Principes tenebrarum, & confracta ſuperbia illius, qui vocatur Rex filiorum ſuperbiæ. Acceſsit deinde quintus Chorus illuſtriſsimorum *Martyrum*, ab Abel vſque ad innocentes infantes, qui ab Herode fuerunt occiſi, qui omnes ipſum adorantes, glorioſum Martyrum Regem fuerint confeſsi, gratias agentes, ob illuſtre Martyrium, quod in cruce ſuſtinuit. 1. Chorus Patriarcharum. 2. Prophetarum. 3. Pontificum 4. Sanctorum. 5. Martyrũ.

OMNES hi quinque chori, ducem & ſigniferum ſuum habebant, glorioſiſsimum Prophetam, Martyrem, & Præcurſorem Chriſti, *S. Ioannem Baptiſtam*: qui omnes vna voce, & Diuino quodam concentu, cecinerint diuinum illud Canticum Apocalypſis: b *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*. Et illud alterũ: c *dignus es Domine, aperire* has portas æternales, *quoniam occiſus es pro nobis & redemiſti nos Deo, in ſanguine tuo, ex omni tribu & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes, & regnabimus tecum ſuper terram*. Et mox coronas gloriæ, quas habebant accipientes, & confitentes, eas non ſuas, ſed diuini huius Agni eſſe, proiecerint ad eius pedes dicentes: d *Dignus es, Domine* DEVS *noſter, accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt*. Tu nos redemiſti, & has nobis coronas comparaſti, ideoque tuæ ſunt, tibique omnis debetur gloria, in ſæcula Amen. Cùm ſingulis hiſce Choris, decet, eaſdem me laudes Chriſto Domino decantare, cumque vt Patriarcham, Prophetam, Sacerdotem, Regem, & Martyrem eminentiſsimum & omnium præſtantiſsimum laudare. Ioannes Baptiſta dux animarum in Lymbo. b *Apoc.* 12. c *Apoc.* 5. 9. d *Apoc.* 4. 11

HINC pergam, conſiderare immenſum *gaudium*, quo fuerit affecta ipſius Chriſti Domini anima, cùm tantam animarum multitudinem vi- II. Lætitia animę Chriſti ex fructu paſſionis.

dit ſanguine ſuo redemptam! O quantùm fuerit gauiſa, quòd venerit in mundum ad illas redimendas! O quàm benè collocatos iudicauerit omnes ſuæ Paſsionis labores, dum vidit primos hoſce fructus adeò copioſos. Hic vidit impletum, quod æternus Pater promiſerat, dicens: e *pro eo quod laborauit anima eius, videbit & ſaturabitur: ideò diſpertiam ei plurimos* filios & ſubditos, *& fortium diuidet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animā ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt.* O dulciſsime Redemptor, congratulor tibi de iſto gaudio, quo afficeris in præmiū triſtitiæ ac doloris, quem ſuſtinuiſti: aptè quidem conueniunt quinque hi Sanctorum chori, quinque vulneribus, quibus illos à Dæmonis ſeruitute redemiſti: decet omnino gaudere de tanta filiorum multitudine, quam tibi Pater æternus dedit; agoque tibi gratias, ob diuiſa cum eis ſpolia; tanto cuiuis præmio collato, quantus eius fuit labor: Largire & mihi aliquid horum ſpoliorum, vt ſeruiam tibi, ſicut iſti ſancti fecerunt; & eò perueniam, vt præmio illo fruar, quod illi ſunt conſecuti. Amen.

e *Eſa. 53. 11.* Oratio.

Ex his omnibus denique, longam in Deo fiduciam concipiam; vt non defatiger ſperando, nec ſim anxius propter ipſius dilationes & moras: ſiquidem nullus eſt terminus, qui tandem non perueniat; & in vno momento ac repentè tantum ipſe infundat gaudium, vt pro multorum annorum laboribus, abundè rependat.

PVNCTVM V.

In lymbo quamdiu Chriſtus manſerit. *S. Thom. 3. p. q. 52. a. 4.*

1.

Quid in eo egerit?

MANSIT Chriſtus Dominus noſter in Lymbo, toto tempore, quo fuit corpus eius in ſepulchro, triginta ſex videlicet aut quadraginta horis, exercens in eo carcere humilitatem & charitatem, & iuſtis præmium tribuens in eo loco, qui fuerat illis inſtrumentum laboris. Verùm non deſtitit, admiranda tibi opera facere, quibus, illorum iuſtorum gaudium augeret.

a *Luc. 23. 43.* Latronis dextri fœlicitas.

IN PRIMIS, paucis horis, poſtquam ipſe eò deſcenderat, peruenit anima fœlicis illius latronis, cui impleuit ipſe Redemptor verbum, quod in cruce dixerat: a *hodie mecum eris in Paradiſo*: nam, cum primùm peruenit, illam collocauit in cœleſti Paradiſo, in clara ſcilicet Dei viſione, ex qua omnes deliciæ profluunt, quæ ſunt in Paradiſo. Et quoniam CHRISTVS Dominus conſueuit eos valde honorare, qui ipſum honorarunt: ibi in omnium illorum conſpectu, animam illam honorauit, referens tot illi cœtui, qua ratione, inter tot, qui ipſum in cruce pendentem, irridebāt, & blaſphemabant, bonus ipſe latro, ipſum verum Regem & Deum confeſſus fuiſſet. & tunc omnes illi iuſti gratias bono latroni egerunt ob talem con-

:m confeſsionem, adeò opportunè factam in honorem Dei & Domini ii; & gauiſi cum eo fuerunt: ipſe verò laudauerit proculdubio eum vehe-nenter, qui tantum præmium redderet, pro obſequio tam exili. Gau-e anima mea, & exulta in Deo ſalutari tuo, amplectere lubens crucem; x qua latro vnus deſcendit ad paradiſum, & glorificatur cum Chriſto, uem fuit in ipſa confeſſus.

Deinde credendum eſt, in eodem horarum decurſu, quibus fuit ibi Chriſtus, etiam *ſpoliaſſe Purgatorium*, & eduxiſſe inde animas, quæ purga-antur, accelerando ſolutionem debiti earũ, applicata illis aliqua indul-entia, ex virtute pretioſi ſanguinis ſui, in paſsione recens effuſi. Expedi-erit ergò fortè aliquos Angelos ad Purgatorium, qui nunc has, nunc il-is animas ad ſe adducerent, magno earum gaudio; tùm quòd ſe à tantis ænis expeditas; tum quòd ſui liberatoris gloriam, & iucundiſsimam a-arum animarum, quæ ibi erant, ſocietatem viderent: quæ viciſsim recẽs enientibus congaudebant; illarum gaudium, ſuum proprium reputan-es, iuxta leges charitatis. O liberaliſsime Redemptor; recordare in hoc lie noſtri, qui in mortali hac vita degimus, peccata noſtra afflictionibus tribulationibus, quas in ea patimur, purgantes: commuta planctum no-rum in gaudium; purifica nos à culpis, & remitte pœnas omnes, quas oſtris culpis promeriti ſumus. II. Spoliatio Purgatorij

Vltimò, licet perpendere *rabiem damnatorum*, qui perſentientes Chriſti deſcenſum in Lymbum; viderunt ſe relinqui, nec vllam ſui rati-nem haberi: quia digni non erant, quos Chriſtus viſitaret, & ſua præſen-ia conſolaretur; quin potius ipſos confudit, & pudore affecit, eò quod oluerint in tempore, medijs illis vti, quæ ipſe ſtatuerat, ad veniam pec-atorum impetrandam. Nominatim autem licet æſtimare pænam & ra-iem *infelicis Iudæ, & mali latronis*, qui Diabolico furore in ſeipſos procul ubio fremuerint, quòd non eſſent vſi opportuna occaſione, quam habu-t alter in ipſa ſchola Chriſti, alter in cruce. Ex quo cautior reddar, vt at-endam diligentiùs, quomodo viuam; quia ſanguis Chriſti, vt neminem x Inferno educit, qui ſimul ſit eò ingreſſus: ita nec prohibet obſtinatum ò deſcendere, qui deprauato ſuo libero arbitrio ſanguinem ipſum con-emnit. III. Damnatorũ rabies. Præſertim Iudæ proditoris & ſiniſtri latronis.

Perpendam quoque confuſionem & pudorem *Luciferi*, & reliquo-um principum tenebrarum, cùm ſe viderunt à Chriſto ſuperatos, & ab ius omnipotentia ligatos; vinctos verò, quos ſpatio quinque millium nnorum amplius collegerant, liberatos iam & ſolutos. O quanta fuerit pſorum rabies, cum ſe viderunt ad pedes Christi proſtratos, quan-a quoque fuerit ipſius Chriſti gloria, cùm eos vidit pedibus ſuis ſu-ectos. Tunc enim; vt ait Apoſtolus: b *expolians principatus potentia* Luciferi & aliorum Dæmonũ confuſio. b *Coloſ.* 2.15

 ſua,

Digitized by Google

ſua, Poteſtates magna ſua authoritate *traduxit confidenter*, prædam magna fortitudine ab illis extrahens, *palam triumphans illos in ſemetipſo* propria ſua virtute, & iuſtitiæ ſuæ manifeſtatione, coram multitudine Angelorũ; qui iudicio huic adſtiterunt. Gaudeo, Saluator mi, de hoc tuo triumpho; contra poteſtates illas infernales, & quòd tanta tua magnanimitate, c *omnia illis ſpolia detraxeris, & vniuerſa arma eorum abſtuleris, in quibus confidebãt.* Triumpha etiam, Domine, de eiſdem in me, virtutem & gratiam tuam mihi tribuens, ad illos vincendos; mea ſiquidem victoria, erit tua: omnes enim, qui illos vincimus, per te vincimus, cui ſit honor & gloria in ſæcula. Amen.

c *Luc.* 11, 22

MEDITATIO II.

DE CHRISTI DOMINI NOSTRI Reſurrectione.

PVNCTVM I.

Chriſti Reſurrectio. *S. Thom.* 3. *p. q.* 53. & 54

ACCEDENTE die tertio poſt eius Paſsionem, qui erat dies Dominicus mane, exiuit anima Chriſti Domini ex Lymbo, cum illis choris animarum iuſtarum, quas ſecum habebat, & rectà tendit ad ſepulchrum, in quo eius corpus iacebat.

I. Accelerata

PERPENDENDA hîc primùm eſt cauſa, cur Chriſtus Dominus Reſurrectionẽ ſuam *accelerauerit:* cùm enim dixiſſet: a *ſicut fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit Filius hominis in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus.* Hoc tempus, quantum verbi ſui veritas patiebatur, abbreuiauit, accipiens ex ipſis tribus diebus partem aliquam, eamque valde breuem, partem videlicet feriæ ſextæ, quæ fuit veſper; & diei Dominicæ quæ fuit mane. Ad quod faciendum, impulit eum immenſa eius charitas; vt diſcipulis, in tenebris infidelitatis hærentibus, & conſolationi afflictiſsimæ matris, omniumq; ſibi charorũ quã poſſet citiſsimè ſubueniret; & vt ipſum mundũ gloria ſui corporis illuſtrans eum exhilararet, ſicut Lymbũ, animæ ſuæ gloria illuſtrauit & exhilarauit. Gratias tibi, dulciſsime Saluator, ob ſolicitudinẽ, quam de tuis geris, & celeritatem, qua eorum conſolationi & remedio occurris. b *Perfeciſti curſum tuum, ſicut ſol: exultans vt gigas, ad currendam viam* tuam, prolixiorem multò diem tuum faciens, quàm noctem; ſiquidem dies vitæ, durauit triginta tres annos, illuminans ſemper mundum, qui aliàs manebat in tenebris; nox verò tuæ mortis, triginta ſex horis durauit: & iterum ortus es cum noua luce, vt eos conſolareris, qui ob tuam abſentiam triſtes remanſerant. Accelera, quæſo Domine, lumen Diuinæ tuæ viſionis, vt anima mea reſpiret præſentia gratiæ tuæ.

a *Matt.* 12. 40. *Iona.* 2. 1.

Ob nimiã eius charitatem.

b *Pſal.* 18. 6

Digitized by Google

Volvit etiam Christvs Dominus noſter, *mortem* ſuam eſſe veſperi, ad ſolis occaſum: *Reſurrectionem* verò mane, ad ſolis ortum; vt nobis ſignificaret; c *mori ſe propter delicta noſtra*, quibus nos cœleſti luce priuauimus, & ſplendore Diuinæ gratiæ; *Reſurgere verò* (vt ait Apoſtolus) *propter iuſtificationem noſtram*; & vt ſuam gratiam nobis reſtitueret, ſimulq; gaudium, reiectis præteritis lachrymis & triſtitiâ, iuxta illud Dauidis, d *ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.*

II. Mortuus veſperi, mane reſurgit & cur? c Rom. 4. 2 d Pſal. 29. 6.

Deniqve perpendam ingens illud *gaudium*, quo ſanctiſsima anima Chriſti Domini noſtri, è Lymbo exiuerit, inſigni adeò & ſplendido ſtipata comitatu, de inferno triumphans, quem tantâ prædâ ſpoliauerat: quę verba illa Iacob vſurpare ſibi poterat: e *in baculo meo tranſiui Iordanem iſtū, & nunc cum duabus turmis regredior*; ac dicere, In baculo crucis meæ, tranſiui hunc mundum, vt non eſſet vir mecum, qui me adiuuaret; nunc redeo cum duabus turmis iuſtorum vtriuſque legis, naturalis & ſcriptæ. O quā hilares aſcendebant illuſtres illæ duæ turmæ, quæ alternantibus choris, ducis ſui triumphum ſine dubio cecinerunt, dicentes: f *Cantemus Domino: glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem deiecit in mare, fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem; iſte DEVS meus & glorificabo eum, DEVS Patris mei, & exaltabo eum; Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen eius, currus Pharaonis, & exercitū eius proiecit in mare.* Ingredere & tu, anima mea, in ſplendidas illas animarum ſanctarum turmas; & lauda cum illis ſupremum hunc ducem tuum, confidens, te quoquè fore illarum gloriæ participem.

III. Gaudium animæ Chriſti ex comitatu e Gen. 32. 10

f Exod. 15. 1.

Pvnctvm II.

Pervenienѕ Christvs Dominus ad ſepulchrum; Primum omnium oſtendit toti illi comitatui horrendam corporis ſui figuram; vt viderent, quanti ipſi ſteterit illorum remedium: & quando omnes illæ animæ benedictæ, corpus in ſepulchro iacens viderunt, liuidum totum ac luxatum, proprioque ſanguine tinctum, ac tot partibus quinque præcipuè vulneribus, pedum, manuum, & lateris perforatum; laudauerint proculdubio iterum ſuum liberatorem, gratiaſque immenſas egerint, pro impertita ſibi libertate, tantis ipſius impenſis.

I. Opera Chriſti iuxta ſepulchrum. Corporis Chriſti deformitas ex paſsione.

Mox Chriſtus Dominus noſter, ſua omnipotentia (& forte etiam Angelorum miniſterio) collegit *totum Sanguinem*, quem in ſua Paſsione effuderat, ſuoque loco reſtituit. Iuerint itaq; aliqui Angeli ad hortum Gethſemani, alij ad prætorium Pilati, alij ad ipſum Caluariæ montem, & collegerint ſui Domini ſanguinem, qui in illis locis fuerat ſparſus, idque ſumma reuerentia, eò quòd eſſet ipſi diuinitati coniunctus; quo collecto

II. Sanguis Chriſti recollectus.

repletæ ſunt venæ ſacratiſsimi corporis. Tulerunt quoque pilos & capillos, ex capite & barba ipſius Domini viuentis extractos: vt hic quoque impleretur, quod ſuis ipſe Chriſtus promiſerat, g *capillus de capite veſtro nō peribit.* O ſanguis pretioſiſsime, gaudeo te proprio loco eſſe reſtitutum! talis enim ſanguis non debuit eſſe niſi in tali corpore; & ſanguis Dei, non alias venas implere debuit, quàm Dei in quibus iam æternùm manebis; vt ſis pretium noſtræ redemptionis, lauacrum noſtrarum culparum, noſtrum nutrimentum, & potus, in ſanctiſsimo Sacramento, & altaris ſacrificio.

g *Luc.* 21.18

III. Transfiguratio Chriſti poſt reſurrectionē Eius dotes.

Mox ingreſſa illa ſanctiſsima anima in corpus, illud transmutauit & multo excellentius *transfigurauit* quàm in monte Thabor: exuit illud ferali illo amictu, quo erat inuolutum; abſterſit myrrham, qua fuerat inunctum; & omnes fœditates & maculas abſtulit: tribuit verò illi in æternum quatuor gloriæ dotes, *Claritatem, Immortalitatem, & impatibilitatem; Agilitatem, & Subtilitatem*, quibus corpus illud pulchrius, & millies ſplendidius euaſit, quàm ipſe ſol; imò quælibet eius pars, inſtar erat Solis, immēſæ claritatis & pulchritudinis; præcipuè verò quinque illa vulnera (quæ voluit in ipſo corpore remanere, propter cauſas poſtea afferendas) radios emittebant ſtupendi ſplendoris, qui pedes ipſos, manus, & latus, admirandum in modum exornabant, vulnera quoq; à coronę ſpinis facta, glorioſiſsimum quoddam diadema conficiebant, quod ſacrum ipſum caput mirificè decorabat. Eodem verò momento, propter dotem *ſubtilitatis*, egreſſus eſt è ſepulchro, penetrans grandem illum lapidem, quo claudebatur, nullo ab eius duritie obice obiecto. O quātum gaudium ſenſerit ſacratiſsima illa anima, videns corpus ſuum iam glorificatum! quam libenter illud amplexa eſt, tanquam perpetuam ſuā manſionem! Quàm item corpus ipſum ſanctiſsimum fuit lætum, cùm ſe vidit dotibus illis gloriæ exornatum, pro doloribus & ignominijs, quas viuens perpeſſum fuerat. O Rex gloriæ, qui tanquam nouus homo iterū venis in mundum, innouato habitu, ad nouam vitam plenam maieſtate ducendam, ſit tibi fælix recens iſta natiuitas, de qua, Apoſtolo teſte, pater tuus dixit: h *ego hodie genui te*, quæ non fuit minus ſtupenda, quàm illa prima, qua ex ventre tuæ matris prodijſti, porta integra & occluſa remanente, vt virginitas eius ſeruaretur: in hac autem prodis ex ventre terræ, ſepulchro etiam occluſo, vt tuam ſubtilitatem & maieſtatem manifeſtes: in illa prodijſti, nouus quidem homo, & ab omni culpa liber, ſed pœnis tamen obnoxius; in hac omnino prodis renouatus, liber etiam ab omni pœna, & ingenti corona coronatus: ideoque ore nunc pleno, licebit dicere: i *vidimus gloriam tuam, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis.*

Subtilitatis in eo effectus.

h *Act.* 13. 33.

i *Ioan.* 1. 14.

DENIQVE credendum eſt, Chriſtum Dominum noſtrum, pro more ſuo, oculis & manibus eleuatis in cœlum, *gratias æterno Patri egiſſe*; ob ſuã Reſurrectionem, & ſui corporis gloriam, dicens illud Pſalmi: k *conuertiſti planctum meum in gaudium mihi: conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia, vt cantet tibi gloria mea, & non compungar* amplius vlla triſtitia. Ad imitationem glorificati huius DOMINI, dicam & ego æterno Patri: infinitas tibi gratias, cœleſtis Pater, quod planctum Filij tui, in ſummum gaudium conuerteris, conſcidens quidem ſaccum eius mortalitatis & triſtitiæ; ſed eundem nunc circumdans immortalitate & lætitia; laudet te, Domine, illa ipſa gloria, quam illi tribuiſti; laudet ſacratiſsima eius anima quæ & ipſius & tua eſt gloria; laudet quoque te anima mea, nec à te laudando deſiſtat in æternum. Amen.

IV. Agit gratias Patri ſuo cœleſti

k *Pſal.* 29. 12.

PVNCTVM III.

CVM primum Chriſtus Dominus noſter reſurrexit, deſcenderunt ex decreto æterni eius Patris *Hierarchia & chori Angelorum* vt illi congratularentur, feſtumque celebrarent glorioſi huius triumphi: nam ſi ad natalem eiuſdem celebrandum, cum venit in mundum, vitam mortalem ducturus, deſcendit militia cœleſtis exercitus; quantò magis credendum eſt, veniſſe ad ſanctiſsimam eius reſurrectionem celebrandam, cum eiuſdem vita immortalis incipiebat; nec veniret ad pugnã, ſed ad triumphum agendum pro victoria? Et ita inſinuat Apoſtolus dicens: a *cum iterum introduxit* Pater æternus *primogenitum in orbem terræ, dicit; & adorent eum omnes Angeli eius*. Nam hic dies eſt, cum ſecundo introduxit eum Pater in mundum, & Angeli eum, tanquam Deum ſuum, & ſupremum Dominum adorarunt, repetentes primum illud Canticum, natalitiũ: b *gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, idque merito: quia totum hoc Deo fuit opus inſignis gloriæ, & hominibus opus inſignis pacis; ſiquidem per illud, ſunt homines Deo pacificati, & eorum hoſtes proſtrati; quare dicere nobis licet illud Pſalmi; c *hæc dies quã fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea*. Gratias tibi æterne Pater, pro cura, quam habes filij tui, implens quod illi promiſiſti, cum d *veniens vox de cœlo, dixit illi; & clarificaui, & iterum clarificabo*

Angeli Chriſto procedunt obuiam & congratulantur ei.

a *Hebr.* 1. 6.

b *Luc.* 2. 14.

c *Pſa.* 117. 24.

d *Ioan.* 12. 28.

GAVDEO, Saluator mi, quod te Angeli tui adorẽt; & ego cum illis adoro te & glorifico in hac die, quæ tota eſt tua, & nihil meum; quia quidquid in ea feciſti, ad tuam pertinet celſitatem & diuinitatem, non vero ad meæ humanitatis vilitatem. O ſi totus mundus te agnoſceret, & exultaret de iſta tua victoria, vt eius etiam gauderet ſpolijs.

PVN-

Digitized by Google

PVNCTVM IV.

Sanctorum quorundã anticipata reſurrectio a *Matt. 17. 53.*
Ex S. Amb. & alijs quos citat Suarez 3. p. q. 43. a. 3. & Caiet. ibid.

CVM Chriſtus reſurrexiſſet, noluit tantam gloriam ſoli ſibi retinere ſed deriuari quoque ad alios, qui etiam cum ipſo reſurgerent: & ita conſtituit, aliquas ex illis *ſanctis animabus*, quarum corpora iacebant in ſepulchris Ieruſalem, quæ in die paſsionis ipſius a *aperta fuerant* ſuis ipſis corporibus cõiungi, quæ ita glorificata ac ſplendẽtia euaderent, ſicut erat ipſius. Quanta lætitia exultauerunt iuſti illi, cum ſe viderent in corporibus glorificatis, & ſolis inſtar ſplendentibus! Acceſſerint proculdubio, ad ipſius Ieſu Chriſti corpus, incomparabiliter ſplendidius, quã eſſet corpora ipſorum; & oſculati fuerint pedes, & manus adorantes, & laudãtes illum, ob ſingularem illum fauorem, quo illos erat proſecutus.

Eius rei cauſæ.

PERPENDENDAE autem ſunt cauſæ, ob quas Chriſtus Dominus noſter hoc fecerit.

1. *Prima* cauſa fuit, vt ſuam omnipotentiam, charitatem & liberalitatèm oſtenderet; quia eius bonitas, non ſe poterat continere, quin alijs etiam communicaret bonum illud, quo ipſe gaudebat.

2. *Secunda* cauſa fuit, vt hi pauci, eſſent teſtes eius reſurrectionis: & hinc ſpem conciperemus, omnes nos ſuo tempore reſurrecturos, ſicut ipſe; reſumentes noſtra corpora glorificata, ſicut ipſius.

3. *Tertia* cauſa fuit, vt nobis aperiret voluntatem ſuam eſſe, vt omnes ſtatim in ſpiritu reſurgeremus, nouam inchoantes vitam illi ſimilem, quã
b *Rom. 6. 4* ipſe habet glorificatam, iuxta illud Apoſtoli, vt b *quomodo Chriſtus reſurrexit à mortuis, per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus:* ita vt ſicut Chriſtus ipſe vt reſurgeret, feralem amictum reliquit, & viuus ac glorioſus in ſuo corpore integro, immortali, impatibili, ſplendenti, agili, ſubtili, & pulcherrimo, è ſepulchro exiuit; ita ego veſtes exuam veteris Adami, & feralem amictum, quo eram inuolutus, hoc eſt, perturbationes animi, & diſtortos mores; & inchoem vitam quamdam gratia perfectam quæ has habeat proprietates, vt ſit plena, in omnibus virtutibus; immortalis cum firmitate, ne amplius ad lethalia peccata redeat, ſicut Chriſtus ſemel reſurrexit, non amplius moriturus; impatibilis, nullis animi perturbationibus aditum præbens, quæ morbum aliquem animæ adferant; ſplendens ob lumen internæ cognitionis rerum cœleſtium; agilis ad exſequendum abſque vlla repugnantia, quidquid erit voluntatis Dei; & ſubtilis vel ſpiritualis, ita omnibus terrenis renuncians, vt nihil ex eis niſi quod ſit neceſſarium accipiat, vt conuerſationem meam cum Angelis in cœlis habere poſsim, quamuis corpore verſer cum hominib. in terra.

In prologo in Cant.

Hæc ſigna ſunt, quòd cum Chriſto reſurrexerim, quæ meritò obtinere contendam; quia (vt S. Greg. ait) iuſtus quotidie imitari debet ipſius Re-

ſurrectio-

ſurrectionem; & contendere tales virtutes, ad animæ ſuæ renouationem acquirere, quales illæ ſunt dotes, quas habebit eius corpus in gloria.

Documenta ex hoc facto conſideranda.

1

Circa hoc tamen duo magni momēti ſunt animaaduertenda. 1. ſicut non omnes mortui, qui erāt in Ieruſalem reſurrexerunt cum Chriſto, ſed illi ſoli, quorum ſepulchra, in eius paſsione fuerunt aperta; ſic neque omnes peccatores, cum Chriſto reſurgunt ad vitam gratiæ; ſed illi ſoli, qui virtute paſsionis eius, ſepulchra ſua aperiunt, conſcientias videlicet ſuas confeſſario manifeſtant, & corda ſua contritione ſcindunt. Eadem quoq; ratione, non omnes iuſti eouſque perueniunt, vt lætitiæ Reſurrectionis Chriſti participes fiant; ſed illi ſoli, qui ſua corda ſciderunt affectu compaſsionis, dolorum, & pœnarum Chriſti, iuxta illud Apoſtoli, c *ſi tamen*, inquit, *compatimur, vt & conglorificemur*. c Rom. 8. 17

2 Reſurrectio ſpiritualis duplex eiusq; diſcrimen.

Secundum eſt obſeruandum diſcrimen inter *perfectam* ſpiritualem Reſurrectionem *& imperfectam*: imperfecti enim reſurgunt inuoluti ferali ſuo amictu, ſicut Lazarus, qui d *prodijt ex monumento ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario ligata*. Prodeunt enim cum reliquijs vitæ ſuperioris, habitibus ſcilicet, & moribus prauis, & diſtortis animi perturbationibus; ac propterea imminet illis recidiuæ & alterius mortis periculum, niſi ab his omnibus ſe expediant, & mortificatione exuant veſtes ſuæ mortalitatis & vetuſtatis ſpiritualis. At valdè perfecti, imitantes ducem ſuum IESVM, qui & ſindonem & ſudarium in ſepulchro reliquit, reſurgunt nouo feruore, abiicientes omnia hæc mortuorum indumenta, & induentes alia noua, quæ ſunt vitæ æternæ, *expoliantes* (vt ait Apoſtolus) *veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum* perfecta ſanctitate renouatum. O Triumphator glorioſiſsime, fac me tuæ paſsionis participem; vt etiam fiam Reſurrectionis: reſurgam etiam tecum, non vt Lazarus & alii, qui reſurrexerunt iterum morituri, ſed, vt tu f *reſurgens ex mortuis, iam non moriturus*, reſurgam ad vitam nouam, non ampliùs morte culpæ moriturus. Patiatur multa corpus meum, vt anima mea impatibilis reddatur, operiar exteriori ignominia, vt ſpiritus meus luce interiori reſplendat; fiatque agilis & promptus ad obediendum; vt poſt hanc vitam, ad te fruendum perueniat. Amen.

d Io. 11. 44.

e Coloſſ. 3. 9.

f Rom. 6. 11.

MEDITATIO III.

QVOD CHRISTVS DOMINVS SANCTISSIMæ ſuæ Matri apparuerit, & Angeli eius Reſurrectionem mulieribus manifeſtauerint.

PVNCTVM I.

S. *Thom.* 3. *p. q.* 55 Reſurrectio Chriſti tribus modis manifeſtata.

POSTQVAM Chriſtus Dominus noſter reſurrexit, voluit mundo ſuam Reſurrectionem manifeſtare, vt eius fructibus multi fruerentur.

TRIBVS autem vijs, & modis fuit facta hæc manifeſtatio: *primus* fuit per ſanctos, qui cum illo reſurrexerunt, de quib. ait Sanctus Matthæus, quod a *exeuntes de monumentis poſt Reſurrectionem eius venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis*, ſignificantes illis, eum qui fuerat crucifixus, verè eſſe Meſsiam Regem Iſrael, & Saluatorem mundi, & iam reſurrexiſſe: & fas eſt credere, inter alios apparuiſſe Ioſepho ab Aromathæa & Nicodemo, eos conſolantes, & confirmantes in fide ſui Magiſtri.

I. Per ſanctos. a *Matt.* 27. 53.

Secundus modus fuit per ſuos Angelos, qui Reſurrectionem eius manifeſtarunt, pijs mulieribus, quæ vt illum vngerent, venerant ad ſepulchrū: quibus Reſurrectionem referentes, vacuum ipſum ſepulchrum oſtenderunt.

II. Per Angelos.

SED his duobus modis non fuit contentus ipſe Chriſtus Dominus, ſed *tertium* adiecit, quo ſeipſum amicis ſuis videndum præbuit, vt ſuæ charitatis magnitudinem magis oſtenderet. Quamobrem etſi ſtatim poſt Reſurrectionem, debuiſſet ad Empyreum cœlum aſcendere, tanquam ad locum glorificatis corporibus deſignatum; voluit tamen per dies aliquot adhuc in mundo hærere; & boni paſtoris inſtar, diſperſum ſuum gregem colligere, nemini alteri hoc munus concredens, ſed per ſeipſum diſcipulos ſuos conſolans, b *apparens eis & loquens de regno Dei, præbens ſeipſum viuum*, & glorificatum, *in multis argumentis*; vt tanquam oculati teſtes poſſent eius Reſurrectionem promulgare. O Rex gloriæ, laudent te omnes Angeli & homines, ob excellentem hunc erga nos amorem. Non erat mundus dignus, in quo vel momentum poſt tuam Reſurrectionem hærere; ſed charitas, quæ te quadraginta ferè horas tenuit in Lymbo, tenet quadraginta dies in terra, vt illam purificares, & præſentia tua exornares, & nobis oſtenderes, te, etſi vitæ rationem mutaueris, non tamen pri-

III. Per ſeipſū.

b *Act.* 1. 3.

ſtinos

Digitized by Google

ſtinos mores commutaſſe; nec in proſperitate tua, oblitum eſſe eorum, qui te in aduerſitate comitati.

Qvae hactenus diximus, hiſtoriam recenſentes, licet ad latentem in eis ſpiritum transferre; & aduertere, eundem Chriſtum Dominum noſtrum, triplicem habere viam & rationem, ſua nobis myſteria patefaciendi ad nos conſolandos & inſtruendos. Chriſtus tribus viis ſua myſteria reuelat.

Prima ratio eſt, per ſanctos viros, qui cum ipſo reſurrexerunt, & ipſa experientia nouerunt ſuauitatem & excellentiam ipſius Dei, ſanctoque zelo alijs manifeſtant, quod ipſi didicerunt; quò ipſe Deus agnoſcatur, & glorificetur. 1 Per ſanctos

Secunda ratio eſt, per ſanctos Angelos, qui priuatis & ſecretis illuſtrationibus, illuſtrant nos, docent, conſolantur, & iuuant amouere difficultates, quæ nos impediunt frui Chriſto glorificato. 2 Per Angelos.

Tertia via eſt, per ſeipſum, cùm ad cor noſtrum loquitur, interna nobis ſuæ præſentiæ præbens teſtimonia: quo modo vtitur erga ſibi magis dilectos diſcipulos, præſtans illis in hac vita, quod ipſe in ſermone poſt cœnam promiſerat, qui c *diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum & manifeſtabo ei meipſum.* 3 Per ſeipſũ. c Ioa. 14. 21.

O dilecte mi, diligam te ego toto corde; ſiquidem tanta eſt felicitas te diligere, vt te diligentem, tu diligas, & teipſum illi manifeſtes, quò magis illum tui amore inflammes.

Pvnctvm II.

I. Primam viſitationem & apparitionem voluit Chriſtus Dominus facere Sanctiſsimæ *Matri ſuæ*, vehementer afflictæ propter ipſius paſſionem; quamuis firmiſsimè credenti, & ſperanti eiuſdem Reſurrectioné: quæ cùm iam tertium diem ab eius morte inchoari aduerteret, in altiſsima contemplatione poſita, ingentib. deſiderijs & ſuſpiriis petijt ſine dubio à ſuo filio, ſuam vt Reſurrectionem, & ad ſe aduentum acceleraret, volens inſtar a *leænæ* rugitib. ſuis *leonem Iuda*, requieſcentem in ſepulchro ſuſcitare: dixerit fortè & illa verba Pſalmi: b *exſurge gloria mea*, *exſurge pſalterium, & cithara*, exi glorificatus de ſepulchro, vt nos omnes glorifices: exſurge pſalterium & cythara mea, & exi ex iſto loculo in quo manes incluſus; tuaque muſica letifica eos, qui tua cauſa manemus in triſtitia. Tu enim dixiſti, *exſurgam diluculo*; quod cùm iam adſit; te expectamus. Veni ô ſol iuſtitiæ, antequam ſol iſte materialis terræ huius oriatur, & luce tua expelle omnes ab ea tenebras. Chriſtus poſt reſurrectionem primo matri apparuit. a Gen. 49. b Pſal. 56.

II. Existente B. Virgine in altiſsima hac contemplatione, ingreſſus eſt Chriſtus Dominus noſter, triplici exercitu ſtipatus, vno Angelorũ, altero animarũ ſanctarũ, tertio corporũ glorificatorũ, ſeſeq; illi præbuit vi- Inſigni comitatu.

dendum, cum omni gloria & claritate, quam habebat, confortans eius aſpectum, tam corporis quàm animæ, vt & videre eum poſſet, & eo frui. O quàm contenta, ſatiata, & glorificata fuit Virgo ſanctiſsima tam glorioſa viſitatione; in qua ex parte fuit expletum, quod Propheta dixit: c *ſatiabor, cùm apparuerit gloria tua.* O quàm dulcibus mutuis amplexibus ſeſe complexi fuerunt Mater & filius! quàm iucunda miſcuerunt colloquia! oſculata fuerit Virgo ſanctiſsima, ſplendidiſsima illa & pretioſiſsima filij vulnera, hauriens ex illis fontibus vberrimos torrentes conſolationis, ſicut antea hauſerat deſolationes; d *ſecundum multitudinem* enim *dolorum meorum in corde meo*, ait Propheta, *conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Secutus ſtatim eſt illuſtriſsimus ille comitatus, eidem ſanctiſsimæ Virgini applaudens & congratulans; Matrem Dei ſui & liberatoris ſui illam agnoſcens, ingenteſque ei gratias agens, pro labore & cooperatione eius, in hoc opere Redemptionis ipſorum.

c *Pſa.* 16. 15. Et maxima beneuolentia.

d *Pſal.* 93. 19

Quanta B. Virginis lætitia.

HIC verò inſignem nouam *lætitiam* Virgo ſanctiſsima perceperit tantum fructum videns ex paſsione filij ſui, & tot animas eadem paſsione redemptas; & hoc nomine, Filio fuerit congratulata ob huiuſmodi emolumentum & lucrum; Angeli denique ipſi viſitationem illam & communem lætitiam, cœleſti aliqua muſica celebrantes exornauerint, pro gloria Filij & Matris.

III. Chriſtus matri valedicit.

DEMVM, poſtquam bono temporis ſpatio, Chriſtus Dominus manſiſſet apud Matrem, reuelans illi magna ſacreta cœleſtia; & ſignificans ſe aliquot dies adhuc in mundo permanſurum, ipſamque ſæpiùs viſitaturum, *valedixit*, remanente ipſa Virgine conſolatione pleniſsima ex tali viſitatione; quam tamen magno ſilentio apud ſe retinuit, ſicut olim fecerat in myſterio Incarnationis: quando nec ſuo ſponſo Ioſepho, illud voluit aperire, donec Angelus illi reuelauit: ita nunc tacuit viſitationem Chriſti reſuſcitati, vt nec Apoſtolis, nec pijs mulieribus, quæ apud ipſam erant, quidquam dixerit, donec Angeli, aut ipſemet Chriſtus ſe illis manifeſtaret. O Virgo ſuprema, ſit tibi fælix & fauſtum, quod reſuſcitatum iam Filium videris!

Regina cœli lætare alleluia;
Quia quem meruiſti portare alleluia;
Reſurrexit ſicut dixit alleluia;
Ora pro nobis Deum alleluia:

e *Tob.* 13. 22

Et fac nos participes æterni illius e *Alleluia, quod per vicos & plateas æternæ gloriæ decantabitur.*
Amen.

PVNCTVM III.

EODEM ipſo tempore, voluit Chriſtus Dominus per ſuos Angelos, manifeſtare ſuam reſurrectionem iis mulieribus, a *quæ ſecutæ eum fuerant*, quarum pietatem & deuotionem deſcripſerunt Euangeliſtæ dicentes: b *Maria Magdalena, & Maria* c *Iacobi, &* c *Saloma*, & piæ aliæ mulieres. a *Quæ Sabbatho quidem ſiluerunt ſecundum mandatum*, ob reuerentiam ſcilicet diei feſti. Et c *valde mane vna ſabbathorum*, hoc eſt, Dominica, *veniunt ad monumentum*, d *cum adhuc tenebræ eſſent*, c *portantes aromata, vt venientes vngerent* IESVM: c *& peruenerunt ad monumentum orto iam ſole, & dicebant ad inuicem: quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti?*

Mulieribus Chriſti reſurrectio reuelatur.
a Luc. 23.55
b Mat. 28. 1
c Mar. 16. 1.
d Ioa. 20. 1.

IN his mulieribus proponitur nobis deuotio, qua ſit nobis quærendus Chriſtus coniuncta virtutibus, quas illæ exercuerunt. *Prima* fuit *obedientia* legis: nam, etſi maximo tenerentur deſiderio vngendi corpus Chriſti Domini, id tamen in feſto facere abſtinuerunt, ne tranſgrederentur mandatum, vt diſcamus hinc titulo & nomine pietatis, non debere nos deeſſe officiis obedientiæ.

I. Deuotio mulierum quibus virtutibus iuncta obedientia

SECVNDA fuit magna *diligentia*, qua nec diem expectarunt; ſed cum tenebræ adhuc eſſent, itineri ſe dederunt; cùm aliàs ſint mulieres naturâ timidæ; hæ tamen non timuerunt exire ex ciuitate, & in tenebris noctis iter illud conficere, vt ſuo deſiderio ſatisfacerent, quo tenebantur hoc obſequium Magiſtro ſuo deferre. Hac diligentia quæri vult diuina ſapientia incarnata, quæ dixit: e *qui mane vigilant ad me, inuenient me*: Et ſi cupio inuenire *manna* cœleſtium conſolationum, f *oportere* me *præuenire ſolem* vt illud cum *tua benedictione* colligam: Non enim pigri, ſed diligentes inueniunt illud eoque fruuntur.

II. Diligentia

e Prou. 8.17
f Sap. 16. 28

TERTIA virtus fuit *perſeuerantia* in benè cœptis, ſimul cum inſigni fiducia in Deum: non enim deterritæ ſunt hæ mulieres propter difficultates occurrentes; ſed quamuis non ignorarent, ſibi non ſuppetere vires, vt ingentem illum lapidẽ, ab oſtio monumenti remouerent; proſecutæ ſunt tamen iter ſuum, confidentes in Deum, quod prouiſurus eſſet modum & mediũm ad lapidem remouendum; factumque eſt ita: nam *cùm peruenerunt ad monumentum, inuenerunt reuolutum lapidem*, etiamſi eſſet *magnus valdè* idque in præmium illius fiduciæ, quam poſuerant in diuina prouidentia, quæ hoc modo Deum quærentes, & in rebus obſequij ſui non deſerit.

III. Perſeuerantia.

PVNCTVM IV.

MODVM, quo hæc ſunt geſta, declarant Euangeliſtæ, dicentes: a *Ecce terræ motus factus eſt magnus: Angelus enim Domini deſcendit de cælo:*

a Mat. 28. 2
Modus apparitionis Angeli.

Digitized by Google

& accedens reuoluit lapidem; & ſedebat ſuper eum: erat autem aſpectus eius ſicut fulgur, & veſtimentum eius ſicut nix. præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui: b *& accedentes mulieres viderunt reuolutum lapidem, & introeuntes in monumentum, obſtupuerunt: reſpondens autem Angelus dixit illis: Nolite timere vos: ſcio enim, quod IESVM, qui crucifixus eſt, quæritis; non eſt hic: ſurrexit enim ſicut dixit; venite, videte locum, vbi poſitus erat Dominus.*

b *Marc.* 16. 4.

I. Angeli maieſtas.

PERPENDENDA hic eſt apparentis huius *Angeli* maieſtas, pulchritudo, & potentia; tum in magno illo terræ motu, quem effecit; tum in facilitate, qua magnum adeò lapidem reuoluit, cũ ingenti timore, tã piorum, quàm impiorum: quamuis cum diſcrimine: nam milites, vtpotè improbos, proſtrauit in terram, vt quaſi mortui, & à ſenſibus alienati eſſent, ne præſenti illo bono & fælicitate gauderent; pias verò mulieres conſolatus eſt dicens: *Nolite timere vos:* atque ſi clariùs diceret: milites iſti timeant, qui nequam ſunt, vos autem nolite timere; grata enim vobis adfero noua de Reſurrectione eius, quem quæritis.

II Chriſti cognomen.

DEINDE perpendam nouum illúd *cognomen*, quod Angelus Chriſto Domino tribuit, dum ait IESVM NAZARENVM CRVCIFIXVM quæritis; vt qui optimè noſſet, boni noſtri IESV conditionem, qua de ſuis opprobrijs gloriatur, & honori ſibi ducit, quòd ſit pro nobis crucifixus.

Oratio.

O dulcis IESV Nazarene, & crucifixe, nec vnquam tam Nazarenus, atq; cùm es crucifixus: in cruce enim produxiſti flores tuarum virtutum, fructuſque noſtræ ſanctificationis, quibus in glorioſa tua Reſurrectione gaudes. O ſi tanto feruore te quærerem, vt nihil aliud ſcire me gloriarer quã cum Apoſtolo IESVM *Chriſtum*, & hunc crucifixum. O Angele ſanctiſsime, veni in auxiliũ mihi & hiſce floribus corrobora, & fructibus cõforta: d *quia amore langueo*, deſiderãs videre Ieſũ Nazarenũ, qui fuit pro me crucifixus.

c 1. *Cor.* 2. 2
d *Cant.* 2. 5.

III. Mulierum perfectio in fide.

PERPENNENDVM præthereà, has mulieres, ob ſuam *paruam fidem* non fuiſſe dignas, quibus ipſe Chriſtus ſe illis oſtenderet; ideoq; Angelus ád id eas diſponebat, fidem illarum excitans, & inuitans, e *venite & videte locum, vbi poſitus erat Dominus*, vt ex hoc credatis eum reſurrexiſſe. Sed & charitatem promouebat dicens, *citò euntes dicite diſcipulis eius*, f *& Petro* (quẽ nominatim expreſsit) vt id ille audiens, animum reſumeret, & non exiſtimaret, ſe propter trinam negationem eſſe deſertũ; quia cùm amarè ſuum peccatum fleuiſſet, dignus factus fuerat, qui hanc conſolationem acciperet.

e *Mat.* 28. 6
f *Marc.* 16. 7

Dilatio viſionis Dei vnde proueniat.

Ex quo intelligam, *dilationem videndi Chriſtum* Dominum noſtrum, dulcique eius præſentia fruendi, prouenire ſæpe ex defectu noſtræ fidei, & paruæ ad id diſpoſitionis. Quamobrem par eſt, me contendere, vt augeantur in me virtutes, quæ ad Deum videndum, me diſponant, non abiiciendo animum, proptereà quòd ſciam me fuiſſe peccatorem; cùm

videam

videam hic Petro factam eſſe ſpem eum videndi. VLTIMÒ conſiderandum eſt cum hæ piæ mulieres ingreſſæ eſſent ad interiorem monumenti partē: g *Et conſternatæ, quòd nō inueniſſent corpus Domini IESV, ecce duo viri ſteterunt ſecus illas in veſte fulgenti, cùm timerent autem & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: quid quæritis viuentem cum mortuis? non eſt hic, ſed ſurrexit: recordamini qualiter locutus eſt vobis, cùm adhuc in Galilæa eſſet dicens: quia oportet Filium hominis tradi in manus hominū peccatorum, & crucifigi, & die tertia reſurgere: & recordatæ ſunt verborum eius, & regreſſæ à monumento* h *cum timore & gaudio magno currentes nunciauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus.*

IV. g Luc.24 4. h Marc.28.8

HIC apparet, quòd *perſeuerantia* in deuotione ad Chriſtum, digna ſit nouis conſolationibus. Primùm hæ mulieres viderunt vnum Angelum; ſed perſeuerantes in ſuo pio propoſito, viderunt alios duos, qui dixerunt illis idem quod alter dixerat, confirmantes eas in fide, cum quadam beneuola reprehenſione: atque ſi dicerent; cur ita eſtis pertinaces, in quærendo inter mortuos illum, qui iam ab eis reſurrexit, & viuit? Deinde etiam perpendendum, quàm ſit Angelis familiare, reuocare nobis in memoriā verba CHRISTI Domini, quibus nos inſtruant & conſolentur, confirment in fide, excitent ſpem, & promoueant charitatem; vt ſic diſpoſiti, reddamur digni, qui glorificatum ipſum Chriſtum videamus. O Angeli beati, quibus DEVS animarum curam commiſit; ſi aduertetis, meam quærere viuentem inter mortuos, Chriſtum, videlicet in rebus huius mundi mortuis, corripite illam, & inſtruite, ac dirigite vt ſciat illum quærere vbi eſt, hoc eſt, in terra viuentium, vbi cum ſuis regnat in ſæcula, Amen.

Perſeuerantiæ virtus quid mereatur.

MEDITATIO IV.

QVOD CHRISTVS APPARVERIT Mariæ Magdalenæ.

PVNCTVM I.

CVM piæ mulieres, è monumento redeuntes, retuliſſent Apoſtolis, quæ ab Angelis audierant etiamſi illi non crederent; illæ tamen ſecundò, ad monumentum redierunt; & tunc, ait Sanctus Marcus, a *Surgens IESVS mane prima Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat ſeptem Dæmonia.* a Marc.16. 9.

PERPENDENDA hic eſt infinita Charitas noſtri Redemptoris, qua I.

peccato-

Chriſtus quaſi faciat peccatores conuerſos.

peccatores conuerſos tanti facit, & honorat: ſicut hic elegit in primum teſtem oculatum ſuæ Reſurrectionis eam mulierem, quæ fuerat habitatio ſeptem Dæmoniorum, ſeptem videlicet lethalium criminum, quæ ab illis procedunt, vt primùm intelligeretur, nemini nocere multitudinem & grauitatem præteritorum criminum, cùm eò maiori feruore præſenti cōpenſantur.

II. Qui feruentius Deo ſeruit, copioſius remuneratur.

b Luc. 7. 38.
c & c. 10. 39
d Ioan. 20. 1

DEINDE, eum, qui in diuino ſeruitio alijs *præiret*, fore etiam primum in accipiendis fauoribus à Chriſto, & ſi ego ſingularis fuero in obſequijs illi præſtandis, futurum & ipſum ſingularem in beneficijs mihi conferendis, ſicut euenit Magdalenæ, quæ ſingularem ſe præbuit in amore & ſeruitio Chriſti, faciens eius amore multa, quæ alij non fecerunt; quale fuit, b *Lachrymis ſuis rigare pedes eius, capillis capitis ſui eos tergere, oſculari, & vnguento vngere*, c *ſedere ſecus pedes eius, & audire verbum illius* magna animi ſui voluptate, comitari ipſum in montem Caluarium, ac denique d *ſummo mane* ſurgere &, *cum adhuc tenebræ eſſent, venire ad monumentum*, vt illum *vngeret*, idque maiori feruore, quàm reliquæ ipſius ſociæ: & ideò digna fuit, quæ omnium *prima* Chriſtum videret, vt dicitur in hymno: *prima meretur gaudia, quæ plus ardebat cæteris*, quia verè tunc cæteras amore præcedebat, vt in punctis ſequentibus apparebit.

PVNCTVM II.

a Ioan. 20. 11

MARIA a *ſtabat ad monumentum plorans: dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum: & vidit duos Angelos in albis, ſedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum erat corpus* IESV: *dicunt illi: mulier quid ploras? dicit eis: quia tulerunt Dominum meum, & neſcio, vbi poſuerunt eum.*

I. Magdalenæ feruores.

CONSIDERANDVS hic primò eſt Sanctæ *Magdalenæ feruor*, qui deprehenditur primùm in magna illa anxietate, quam præferebat, videndi corpus Magiſtri ſui: quæ anxietas, licèt in aliquo defectu fidei Reſurrectionis Chriſti fundaretur (quia tamen ex feruenti eius amore, & pia intentione procedebat, grata erat ipſi dilecto. Ex illa anxietate oriebatur inquietudo, & ſolicitudo in eo quærendo, propterea enim non ſedebat apud monumentum, ſed ſtabat, quaſi in procinctu, vt illum huc illuc quæreret, inclinans ſe ipſam ſemel & iterū, ad aſpiciēdum ipſum ſepulchrū; vt videret, num ſecundò aſpiciens, inueniret fortè, quem primò non inuenerat. Qui. n. vehementer Deum amat, non deſiſtit ab eiſdem orationib. repetendis, & eiſdem medijs & diligentijs frequentandis, vt poſſit inuenire. Hinc prouenit, vt ſociab. eius redeuntibus ex ſepulchro, (quòd auditis, quæ Angeli dixerant, cogitationem deponerent de Chriſto ampliùs quærendo) Sanctiſque Petro & Ioanne, ad ſuam habitationem redeuntibus, (quòd viſis linteamine & ſudario in ſepulchro, ampliùs non eſſent ſo-

1.
2.
3

liciti) ipſa tamen Magdalena, nullo horum contenta, remanſerit adhuc ad monumentum magnâ conſtantiâ, atque ſi ipſa diceret; hic amiſi quem tantoperè diligo; hic ergo illum inueniam; aut moriar, niſi inueniam. Ac deniquè feruorem illum manifeſtauit, tantam vim lacrymarum fundens ob eam cauſam, quas lacrymas nec aſpectus Angelorum, qui adeo pulchri & ſplendentes, earum cauſam ab ea quærebant, ſiſtere potuerit; quia nullam in conſpectu creaturarum conſolationem inueniebat, quæ totum ſuum deſiderium repoſuerat, in ſuo Magiſtro videndo, qui creator erat. 4.

In his quatuor, contendere debeo, feruentem hanc *mulierem imitari*, quærendo Dominum noſtrum deſiderio vehementi, ſolicito, conſtanti, ac deuoto; ſtatuens, non admittere ſuperfluam vllam conſolationem in re vlla creata, donec Creatorem ipſum meum inueniam, vſurpans illud, quod Dauid alio fine dixit: b *ſi introiero in tabernaculum domus meæ; ſi aſcẽdero in lectum ſtrati mei; ſi dedero ſomnum oculis meis & palpebris dormitationem & requiem temporibus, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob*; vt ingrediar in illud, & maneam in eius contubernio. In quo etiam imitabor feruorem ſponſæ dicentis: c *ſurgam & circumibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea:* non hærens, aut quietem vllam etiam apud *vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem*, accipiens; donec eos *pertranſiens inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.* Et qui hoc modo quærit CHRISTVM, inueniet illum; ſic enim intelligitur, quod ipſe dixit, d *qui quærit inueniet.*

A nobis imitandi.

b *Pſal.131.3*

c Can..3.2.

d *Matt.7.8*

II. Cauſæ lachrymarũ.

DEINDE, conſideranda eſt cauſa feruentium harum *lachrymarum:* quã ipſamet Magdalena reddidit Angelis, eam exquirentibus; *quia tulerunt*, inquit, *Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum:* atque ſi diceret; nunquid non videtur vobis ſufficiens cauſa mearum lacrymarum, quod tulerint Dominum meum, & omne bonum meum; & quod ego neſciam, quis illum abſtulerit, aut vbi poſuerit? antè quidem eius mortem flebam; ſed qualiſcunque tamen conſolatio erat, quod eius corpus haberem; nunc autem hanc quoque conſolationem mihi ſublatam ploro, nec vllum meis lachrymis remedium inuenio.

Lachrymæ quando bene collocatæ.

HIC verò perpendam lacrymas cenſeri bene collocatas, ob duas præcipuè cauſas. *Prima*, cùm noſtra peccata Deum ex anima noſtra repulerunt, & eius nos gratiâ & amicitiâ priuarunt; & tales fuerunt lacrymæ, quas hæc eadem Sancta, ad Chriſti pedes fudit, quando ipſe ſeptem ab ea Dæmonia expulit, & omnia ei peccata dimiſit. *Secunda* cauſa eſt, cum nobis inſciis, DEVS ſe ſubtrahit, & nos in tenebris & ſpiritus ariditate relinquit, vt in ea obſcuritate relicti, vix ſciamus, vbi aut quomodò eum quæramus. Et tales ſunt lacrymæ, quas eadem ſancta hoc tempore fundit, quærens ſuum MAGISTRVM & Redemptorem;

1. *3. part. Meditat. 35.*

2

& vtræque lacrymæ magnum pignus ſunt nobis, quod ſimus ipſum inuēturi; ſi illum quæramus, deſiderantes, & dicentes cum Propheta Regio, e *fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus?* O DEVS meus, qui in anima mea, tanquam in tuo ſepulchro requieſcere, & præſentiâ tuâ illam exhilarare conſueuiſti, vbi nunc es? quis te mihi abſtulit, & extraxit ex corde? cur me ſolum aridum, triſtem, ac deſolatum reliquiſti? ſi peccata mea, & magnæ culpæ, te ex loco vbi eras, abſtulerunt: aufer tu illa ex me, ob infinitam tuam miſericordiam: vt ad eūdem tuum locum redire poſsis; quem ego mundum in poſterum conſeruare ſtudebo, adiutus gratiâ tuâ, ne iterum vnquam præſentiam tuam mihi ſubtrahas.

e Pſal. 41. 4.

Oratio

PVNCTVM III.

COMPATIENS Chriſtus Dominus noſter profuſis B. Magdalenæ lacrymis, voluit eam conſolari; vt impleret, quod aliquando promiſit, cùm dixit: a *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur:* ſed progreſſus in hoc eſt Chriſtus ſenſim, ad maius ipſius Magdalenæ bonum.

a Matt. 5. 5. Conſolatio Chriſti pedetentim progreditur.

I.

PRIMVM enim non ſe conſtituit ante oculos eius, ſed *poſt tergum* aliquo ſtrepitu excitato, vt illa ſeſe conuerteret, quæ b *conuerſa retrorſum, vidit IESVM ſtantem.* In quo docemur, rationem quam Deus ſeruat, cùm animas quærit, quæ dorſum illi vertentes eum deſerunt, & non nouerunt, neque vt par eſt reuerentur, quia non nouerunt eum, quibus per Iſaiam dixit: *&* c *aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis: hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis, neque ad dexteram neque ad ſiniſtram.* Hæ voces, ſunt aliquæ inſpirationes & pulſus interni, quibus DEVS tales animas inuitat, vt faciem conuertant ad eum, quem poſt tergum habent, quo & ipſe poſſit eas cernere, & earum commiſeratione tangi, dicens illis illud Canticorum: d *reuertere Sulamitis: reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Quater hortatur, vt faciem ſuam ad DEVM conuertat; ad notandum, deſiderare ſe conuerſionem feruentem & perfectam, e *ex toto* videlicet *corde, anima, ſpiritu, & viribus omnibus* vt impleat mandatum dilectionis, adhibitis quatuor in ea conditionibus requiſitis. O anima mea, Sulamitis, & à tuis affectionibus captiuata, attende, quòd tres diuinæ perſonæ, te hortentur, vt faciem tuam ad eas conuertas, optantes ſua facie te reſpicere. Et quandoquidem tantum tibi eſt bonum, in eo repoſitum, vt te Deus aſpiciat, ne moreris conuerti ad Deum, qui te inuitat, vt ipſum reſpicias, quia ipſe te cupit aſpicere, ac tui miſeratione permoueri.

b Ioan. 20. 14.

c Iſai. 30. 21.

d Can. 6. 12

e Mar 12. 30 Matt. 22. 37 Luc. 10. 27.

DEINDE, quamuis ipſa Magdalena IESVM, quem quærebat, reſpiceret; non tamen eum agnouit; quia *diſſimulato habitu* ei ſe oſtendit, quaſi hortulani; ipſaque ob paruam ſuam fidem non digna erat, quæ eum in proprio habitu & apertè videret. In quo monemur, morticiniam ac tepi-

II Magdalena Chriſtū non agnouit & cur?

Digitized by Google

dam noſtram fidem in cauſa eſſe, cur Deum, qui vbique præſens eſt,& CHRISTVM Dominum,qui in ſanctiſsimo eſt Sacramento,non agnoſcamus,non reuereamur,nec tractemus tanquam præſentem, ideoque apparet nobis in ſpecie hortulani,vt nobis oſtendat neceſsitatem, qua laborãt Imperfecti, vt opus ſit, CHRISTVM adhibere ſarritionem & culturam horti talium animarum,& à noxiis herbis culparum & imperfectionum expurgare,& virtutes in eis promouere.

O dulciſsime IESV, qui noſti, quòd f *neque qui plantat eſt aliquid*, *neque qui rigat*, *ſed tu*, *qui incrementum das*, DEVS: auge fidem meam & virtutes; ſeparando ab eis admixtas imperfectiones, vt habear dignus, qui te ita agnoſcam, vt amem,& perfectè ſeruiam. Oratio. f 1.Cor.3.7.

TERTIÒ, conuertente Sancta Magdalena faciem verſus ipſum Chriſtum, *immutata voce*, à more vſitato, illã interrogauit, g *mulier quid ploras? quem quæris?* Vbi perpendendum eſt, quando DEVS in huiuſmodi occaſionibus tale quid interrogat; diſsimulans ſe ſcire, ſignum eſſe, quod velit inſinuare, aliquid in eo eſſe, quem interrogat, quod ipſe non probet, nec ſciat ſcientiã, quæ dicitur approbationis. Ideoq; cùm eadem Magdalena, h *ſtans retro ſecus pedes eius fleret*, & *lacrymis rigaret pedes eius*, non interrogauit eam, cur ploras, aut quem quæris? quia illæ lacrymæ originem trahebant, à profunda ſuorũ peccatorũ cognitione, viuaq; fide, & amore ipſius Domini, quẽ præſentẽ habebat, qui benè illas nouerat, & approbabat: nũc verò quoniam lacrymæ procedebant ex ignorantia, ac defectu fidei; flebat enim vt mortuũ eum, qui viuebat; & viuentem quærebat inter mortuos, ideoque dicit illi: *quid ploras; quem quæris?* atque ſi diceret: ſciſne cur plores,& quem quæras? procul dubio non bene noſti, ſi enim ſcires, non ita fleres me mortuum; aut quæreres tanquam abſentem, quem habes præſentem. Quo nos docet CHRISTVS Dominus noſter, ſuæ voluntatis eſſe, *vt cauſas lacrymarum* ac ſuſpiriorũ noſtrorum diligenter examinemus,& quid ſit quod quærimus ac deſideramus, in rebus ad ipſius obſequium pertinentibus: ne quid forte illis admiſceatur, quod Deo aduerſetur; aut ab eo degeneret, quod ipſius excellentiam noſtramque perfectionem decet. Et quoniam ſæpè exiſtimabo me flere ob mea peccata; cũ tamen potiùs ob temporale aliquod nocumentum fleam, quod ex peccato mihi accidit; & cogitabo me flere, quo poſsim ad videndum Deum peruenire, cùm reuerà potiùs fleam, ob laborem & miſeriam, quâ premor; itemque contingit me exiſtimare, quòd quæram Deum & eius gloriam: cùm reuerà quæram meipſum & honorem meum, aut vtilitatẽ: Et, ſi forte quæro DEVM, id facio multis admixtis imperfectionibus. Ideoque meritò dicet mihi DEVS; *quid ploras? & quid quæris?* O DEVS animæ meæ, concede mihi, vt ob mea peccata, & tuam abſentiam ita

III. g Ioã. 20.15. Interrogatio Chriſti quo tendat.

h Luc.7.38

Cauſæ lachrymarum diligẽter expendendæ.

plorem, vt tu approbes lacrymas meas; & ita quæram quod cupio, vt ſtudium conatumque meum tu approbes.

PVNCTVM IV.

Ioan 20. 15.

MAGDALENA *exiſtimans, quia hortulanus eſſet, dicit ei*: **Domine ſi tu** *ſuſtuliſti eum, dicito mihi, vbi poſuiſti eum: & ego eum tollam.*

Vehementia amoris Magdalenæ.

His verbis patefacit Magdalena exceſſum ſui *feruentis amoris*, qui magnâ violentiâ, illam à ſe ipſa veluti alienatam tenebat, extorſitque ex eius debilitate vires & robur, vt ſe ad plura offerret, quàm præſtare poſſet. Quare ad viuum omninò expreſſæ hic videntur *proprietates* inflammatæ charitatis, quæ appellatur *vnitiua*, & *violenta*.

Proprietates amoris ſeu charitatis.

I. Proprietas charitatis Vnitiuæ. cor & linguam occupare.

Prima proprietas eſt, quod cor & linguam amantis ita rapiat extra ſe, vt ſemper cogitet de ſuo dilecto; & perſuadeat ſibi, reliquos omnes de eodem cogitare; vt propterea de eodem ſemper ipſe loquatur, exiſtimans ſe ab omnibus intelligi; ideoque Magdalena, non dixit Chriſto, ſi tu abſtuliſti corpus Magiſtri mei, ſed tantum dixit; *ſi tu ſuſtuliſti* EVM, Exiſtimans ſe ab illo hortulano intelligi; & ipſum ſcire, de quo ipſa loqueretur: ita abſorpta illa, & occupata erat cogitationibus ſolius ſui dilecti. Ex hoc ſigno intelligam, num magno tenear amore erga Deum: nam, vt ipſe dixit, b *vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*: ac porrò & lingua tua, & oculi tui, & pedes & manus tuæ erunt ibi, occupato toto ſpiritu tuo, in aſpectu & amore theſauri tui, in ſolicita eius cuſtodia, & attenta eius augendi diligentia. O DEVS infinite, eſto mihi theſaurus meus, & rapias cor meum, & quidquid eſt in me, vt vbi es tu, ſim & ego, videns te ac fruens ſine fine. Amen.

b Mat. 6. 21 *Luc.* 12. 34.

II. Adferre omnium rerum obliuionem.

c 2. Reg. 6. 16. 22.

Secunda proprietas flagrantis huius charitatis eſt, *adferre* amanti, ſui & rerum ſuarum *obliuionem*; & efficere, vt ſubijciat ſe omni humanæ creaturæ, quò poſsit voti ſui compos fieri; & interdum dicit ac facit quædam, quæ humano iudicio videntur deliria, ſed reuera ſunt exceſſus amoris ad eum modum, quo Dauid oblitus Regiæ excellentiæ, c *ſubſiliebat atque ſaltabat coram Domino*, cùm eius arcam in ſuam domum introduceret; cui cũ Michol eius vxor, filia Saulis, obieciſſet rei indignitatem, nihil ipſe eam curans, ampliùs ſe humiliabat in oculis ſuis, & ſubſiliebat coram Domino dicens: *ſic ſe glorioſiorem apparitùrum*. Et eadem ipſa Magdalena, ſimili amore vulnerata venit ad locum, quò CHRISTVS fuerat inuitatus; & ſtãs ad pedes eius, lacrymis eos rigabat, & capillis tergebat, nihil curans, quid conuiuæ illi de ea iudicarẽt: ita omniũ oblita, atq; ſi eſſet ſola: & in hac ipſa occaſione, de quanũc agimus, ex ſimili alienatione à ſeipſa, magna humilitate ac reuerentia, quẽ hortulanũ putabat Dñm vocat; vt ſic illi blandiens,

Digitized by Google

perſuaderet, oſtendi ſibi locum, in quo ſui Magiſtri corpus eſſet. Addiditque: *Si tu ſuſtuliſti eum*, non attendens, nullam adeſſe rationem, cur hortulanus, defuncti corpus ex humaſſet, & ex ſepulchro extraxiſſet, in quo ipſius Dominus illud poſuiſſet. Et exhoc ſecundo ſigno, licebit mihi deprehendere magnitudinem, aut paruitatem meæ charitatis. Si enim fortunarum amor in auaris; & honoris in ambitioſis; & voluptatis in ijs, qui ſenſuum voluptatibus ſunt dediti, tantam vim habet, vt eos à ſeipſis alienet, & ſui ipſorum ac rerum ſuarum ita faciat obliuiſci, vt ſeſe alijs ſubiiciant ac dedant, taliaque faciant, quæ videantur eſſe deliria ei, qui non ita, ſicut ipſi, amant: qnantò magis hoc totum & maiori vi, efficiet incenſus Dei amor in ijs, quos ipſe d *introduxit in cellam* ſuam *vinariam*? niſi enim ipſe DEVS *ordinaret* in eis *charitatem*, tales exceſſus facerent, vt amantes planè viderentur: ſed ipſo ordinante in eis charitatem, illi ſeſe continent; quòd ſi aliquid faciant, quod, non amanti, ſtultitia videatur; ei tamen, qui nouit, quid ſit amare non ſtultitia, ſed magna prudentia eſſe videbitur. O Rex æterne, introduc me in cellam tuorum viuorum, & inebria me forti amoris tui vino; extrahe me à me ipſo, & transfer in te, affer animæ meæ rerum mearum obliuionem, vt ſolis tuis attendam; ita me ipſum humilians, vt ſtultus à mundo iudicer, quò ſim ſapiens in oculis tuis. d *Cant. 1. 4*

TERTIA charitatis feruentis proprietas eſt, ex debilitate robur ita deducere vt qui vehementer amat, ad plura præſtanda ſe offerat, ſuo dilecto magis placendi cauſa, quàm reipſa præſtare poſſit; non innixus viribus, quas ex ſe habet, ſed quas addet illi DEVS. Et ita ipſa Magdalena, vehementi hoc amore accenſa offert ſe viriliter, tollere corpus ſui Magiſtri, vbicunque tandem illud eſſet, nullo excepto loco, aut ratione habita ſolennitatis diei, & quòd ortus eſſet iam ſol, ipſa verò debilis mulier, ad tollendum corpus mortui, qui fuerat crucifixus, quem Iudæi oderant, & Pilatus ſua ſententia ad mortem damnauerat, ſine cuius licentia, non eſt auſus Ioſephus illud ſepelire; ipſa tamen Magdalena murum hunc difficultatum perrumpens, *ego*, inquit, *eum tollam*. O mulier, magna eſt fiducia tua, magnus animus, magna fortitudo, quia amor tuus magnus eſt! O amor inuicte, qui vincis quidquid difficile & aſperum eſt in hac vita, & à nullo ſuperaris! tu eum portas, qui te in ſe portat: tu leue reddis onus, quod ſuſcipis ferendum; tu Chriſtum noſtris humeris imponis, & efficis, vt ipſe nos CHRISTVS tollat, adiuuans nos per te, totum onus portare! O amator fortiſsime, verè es e *fortis*, non minus quàm *ipſa mors*, vt qui audeas pugnam cum ipſis mortuis inire, & ipſius mortis labores perrumpere, vt tuo placeas dilecto. O Deus æterne, & amator infinite, inebria me dulcedine amoris tui, vt f *mutata fortitudine*, *curram* in tuo obſequio,

III. Amantem confortare.

Oratio

e *Cant. 8. 6*

ſa.40.31 ſemper *ambulans nec deficiens*: tollens ſuper me, quodcunque mihi onus impoſueris; & confidens, daturum te mihi vires ad illud portandum.

Hoc ſpiritu me offeram, ad tollendum ſuper me ipſum Chriſtum mortuum, mortificationem videlicet eius in corpore meo, ſicut ipſe ſuũ mortificauit, iuxta illud Apoſtoli: g *ſemper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris, & tradamur in mortem propter Ieſum, vt vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali*, h *empti enim eſtis* (ait idem Apoſtol.) *pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro*.

g 2.Cor. 4. 10.

h 1.Cor. 6. 20.

PVNCTVM V.

Chriſtus Magdalenæ ſe tandem reuelat.

VIDENS Chriſtus Dominus noſter feruorem, & lacrymas, & promptitudinem Magdalenæ, quæ ſe offerebat ad ipſius corpus tollendum, illi ſe tandem aperuit, proprio illam nomine compellans, & conſueto vocis tono, dicens illi: *Maria* quæ eodem momento ipſum agnoſcens, reſpondit, *Rabboni*, hoc eſt, *Magiſter*.

I.

IN quo eſt perpendenda Chriſti Domini omnipotentia, dulcedine & ſuauitate pleniſsima, qui verbo vnico ita commutat huius ancillæ ſuæ cor, vt, omni triſtitia expulſa, incomparabili repleat lætitia, intellectum eius noua luce illuſtrans, omnes infidelitatis tenebras expellens, & nouo amoris igne eius voluntatem inflammans, vt tanquam Deum viuum diligeret, quem ſe diligere oſtendebat, tanquam hominem mortuum. O Deus immenſe, quàm immenſus eſt amor tuus erga eos, quos a *nouiſti ex nomine*? his oſtendis faciem tuam, & præſentia tua lætificas, quia *inuenerunt gratiam coram te*. O felix Magdalena, quam Chriſtus Dominus nouit ex proprio nomine, quò illam compellauit; & dum compellat, ei ſe aperit vt agnoſceret eum, qui illam agnoſcebat; & videret, quem deſiderabat; ac inueniret, quem tanto amore quærebat. Inueniam, Domine, gratiam in oculis tuis: & hoc modo tu me agnoſce, vt eouſque perueniam, vt b *cognoſcam ſicut & cognitus ſum, & amem te*, ſicut amatus ſum à te.

Oratio

a Exo.33.12

c 1. Cor. 13. 12.

II.

Reſponſum Magdalenæ quale.

PERPENDENDVM quoque eſt ipſius Magdalenæ reſponſum, cùm dixit, *Rabboni*: nam tota amore rapta, eo nunc nomine dilectum ſuum appellat, quo conſueuerat appellare. Cùm reſpondit Angelis, vſa nomine reuerentiæ, Dominum eum appellauit: nunc autem cum ipſo loquens, nomine vtitur reuerentiæ & amoris, dicens: *Magiſter* mi. Nam audito illo verbo, *Maria*, experta eſt in anima ſua affectus diuini eius Magiſterii, ob lucis plenitudinem, quam ſibi ſenſit infundi; ideoque ad eius pedes ſe proiecit, vbi conſueuerat eius doctrinam audire. O Magiſter ſupreme, qui tanta breuitate, tot heroicas virtutes, hanc tuam feruentem diſcipu-

Digitized by Google

lam docuiſti, illuſtra & intelligentiam meam, vt & ego illas cognoſcam; &, eis cognitis, te diligam, ſicut illa dilexit.

III.

Deniqve videns Chriſtus Dominus noſter Mariam, proſtratam ad ſuos pedes, velle illos oſculari, c *noli*, inquit, *me tangere: nondum enim aſcendi ad Patrem meum; vade autem ad fratres meos, & dic eis, aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum & veſtrum.* Vbi perpendendæ ſunt cauſæ, cur non permiſerit Iesvs, Magdalenam ipſum tangere, ſicut aliàs conſueuerat. c Ioan. 20. 17.

Prima enim fuit, quod illa *nimio feruore ſeſe proiecißet*, vt nimis familiariter illum tangeret; voluit autem ipſe Dominus illam inſtruere, vt maiori in poſterum reuerentia cum ipſo ageret, vtpote qui iam ageret vitam glorificatam, & prope eſſet, vt ad ſuum æternum Patrem aſcenderet. Et vniuerſim gaudet diuina eius maieſtas, vt amori erga ipſum, reuerentiam coniungamus. Cauſæ cur Chriſtus ab ea luit.

Secvnda cauſa fuit, quod *imperfectam* adhuc haberet fidem: nam vt hoc nomine, non ſe illi ſtatim totum oſtendit; ſed ſenſim, primùm in habitu & voce hortulani, poſtea in propria figura & voce; ſic noluit, ſimul omnem fauorem & gratias oſtendere; ſed primùm ſeſe illi aperuit, vt ipſum agnoſceret, & aſpectu ipſo gauderet; poſtmodum autem, cùm eius fides fuit facta perfectior, paſſus eſt ſe ab illa tangi, & propter hanc cauſam illi dixit, *noli me tangere*: quia videlicet in corde tuo, adhuc non aſcendi ad Patrem meum: ſiquidem necdum ſatis credis, me in vita glorificata, ad Patrem meum cœleſtem aſcendere. O ſupreme Magiſter, aſcende intra cor meum, quò altius ſit poſsibile, tribuens mihi altiſsimam fidem & æſtimationem, quàm de tua maieſtate habere poſsim, quò dignus efficiar te videre, & intima charitate complecti. Imperfecta eius fides.

IV.

Deniqve perpendenda eſt illa *teneritas*, adeò amicæ & beneuolæ *ſalutationis*, quam per Magdalenam Chriſtus miſit ſuis diſcipulis, non dedignatus illos appellare d *fratres meos*: quò intelligerent, Reſurrectionis gloriam, non immutaſſe familiarem ſuam conditionem, maiora potius nunc amoris indicia ipſis oſtendere, cùm eos *fratrum* nomine vult ſalutari. Quod autem ſignificari voluit, illud erat, *aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum*: ad Patrem meum, propter generationem æternam, ad Patrem veſtrum propter gratuitam adoptionem; ad Deum meum, propter naturæ vnitatẽ, Deum veſtrũ, propter charitatis vnitionẽ. O amantiſsime Ieſu, gratias tibi, quas poſsũ maximas, ob tantum fauorem, quo nos proſequeris, dans nobis Patrẽ tuũ, in Patrem noſtrũ; Deumq; tuũ in Deũ noſtrũ. O anima mea, ſi talẽ habes Patrẽ, quid vis amplius? & ſi talẽ Deũ, quid amplius quæris? O Pater mi, oſtende te mihi Patrem faciẽs me dignũ qui tuus ſim filius. O Deus meus, Tenera Chriſti ſalutatio ad Apoſtolos d Heb. 2. 11.

oſten-

oſtende te eſſe Deum meum, faciens me vnum ſpiritum tecum per vnitionem perfectæ charitatis, Amen.

MEDITATIO V.

DE APPARITIONE ALIIS MVLIERIbus, & ipſi Magdalenæ facta.

PVNCTVM I.

Magdalena aliis mulieribus Christi resurrectionem annunciat. a Mat. 28. 9 Christus quam ſollicitus retributor.

DISCEDENS Sancta Magdalena, magno animi gaudio, ex loco monumenti; aſſecuta eſt reliquas ſocias in itinere; ac referens illis, quod ſibi eueniſſet, omnes ſunt inflammatæ magno deſiderio Magiſtrum ſuum videndi, qui aduertens illarum deſiderium & feruorem, quo adeò diluculo venerant ad monumentum, obuiam illis factus & ſalutans dixit: a *Auete*.

PERPENDENDVM hic eſt, quantam curam Chriſtus Dominus adhibeat, in reddendo ſuis laborum, & vigiliarum præmio, quamuis differat interdum viſitationem, donec aptiores illi ac digniores ſe reddant, ad copioſiorem fructum ex ea referendum. Ex quo diſcam, nunquã deſiſtere à piis exercitiis, etiam ſi huiuſmodi viſitatio diutius differatur. Eſtq; magnæ conſolationis motiuũ, ſi attendamus Chriſti Domini noſtri bonitatẽ, qui, modò rectã ac feruentem intentionẽ ipſi placendi, in nobis videat, facilè diſsimulat imperfectiones aliquas piis noſtris deſideriis admixtas; vt euenit piis hiſce mulieribus, quæ, etſi cũ aliqua fidei imperfectione venerũt, vt illum vngerent; quia tamen intimè deſiderabãt illi placere, intuitu pij huius deſiderij & intentionis, voluit illas conſolari. O quã hilares illæ permanſerũt ex aſpectu ſui Magiſtri! & quã benè collocatos exiſtimarũt præteritos ſuos omnes labores: ſolo. n. illo verbo *Auete*, quaſi diceret gaudete & eſte hilares, ingẽti fuerũt ſalute & gaudio repletæ: quia verbũ Chriſti eſt efficax, & operatur quidquid ſignificat. Nec abſq; myſterio, verbo hoc vſus eſt Saluator, quo Angelus Gabriel, cũ eius Incarnationẽ B. Virgini annunciauit, fuit vſus; vt ſic cõfirmãs quod Angelus dixerat, ipſe his mulierib. annunciaret, per ſanctiſsimã ſuam Reſurrectionẽ, abolendã maledictionem culparũ, quam per mulierem vnam omnes incurrimus. O Saluator mi, veni in animam meam, & in omnes eius fa-

culta-

Digitized by Google

cultates; ac dic illis, *Auete*: tuo enim verbo replebuntur omnes benedictione & gaudio, quod glorioſa tua Reſurrectione nobis comparaſti.

PVNCTVM II.

STATIM atque hæ piæ mulieres, Magiſtrum ſuum Chriſtum Dominum noſtrum viderunt; a *accedentes tenuerunt pedes eius, & adorauerũt eum.* Non ſe præcipitanter ad hoc proiecerunt, ſicut Magdalena primùm apud monumentum fecerat; ſed maxima, qua potuerunt reuerentia, ad illum acceſſerunt, & adorarunt, & facta ab ipſo poteſtate, tenentes eius ſacratiſsimos pedes, amantiſsimè ſunt oſculatæ. Et hic aſſecuta eſt Magdalena, quod tantopere deſiderabat, vt tangere liceret, & oſculari pedes Chriſti Magiſtri ſui. O quantam iucunditatem ſenſerit in huiuſmodi tactu; & oſculo ſacratiſsimorum illorum vulnerum, quæ tanto deſiderio vngere concupiuerat; illæ venerant ad monumentum, vt Chriſtum vngerent; ſed Chriſtus illas vnxit vnctione, qua ipſe vnctus erat b *oleo* videlicet *lætitiæ*, ac diuini ſpiritus deuotione, quem ſuper illas effuderat. Mulierum reuerentia a *Mat.* 28.9 b *Pſal.* 44.8

AD imitationem harum ſanctarum mulierum, (quas S. Marcus tres tanquam præcipuas fuiſſe refert) curandum mihi eſt, vt tres animæ meæ facultates, in ipſo Chriſto Domino vngendo occupentur. Memoria pijs cogitationibus; intellectus ſanctis meditationibus; voluntas feruentibus affectibus: ementes huiuſmodi vnctiones ab eo, qui dixit: c *omnes ſitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentum properate, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione*, quia ipſemet gratis nobis dat pretium, quo hanc vnctionem emamus: eius autem auxilio & fauore multa exercitia offeram mortificationis, tanquam pretium ipſi gratum; petamque, vt mihi aromaticas huiuſmodi ſpecies largiatur, quibus illum vngam: ſiquidẽ de manu eius, omne bonum mihi obueniet. O Chriſte IESV, quem Pater æternus, d *vnxit oleo lætitiæ, præ conſortibus tuis*, non indiges adeò vilibus vnctionibus, quales ſunt meæ, ſed charitas tamẽ tua tanta eſt, vt pro oleo & vnctione lætitiæ tuæ accipias, quod me videas tui amore inflammatum. En offero tibi aromaticas ſpecies, quas comparaui, affectus videlicet laudum, & animi grati, amoris ab fiduciæ, viuaque deſideria, omnes virtutes conſequendi, vt illis te vngam. Sed tu Domine, qui te quærentes præuenis e *cito anticipent me miſericordia tua*; fac mihi poteſtatem ſacratiſsima tua vulnera ſpiritu contingendi; eorumq; pretioſiſsimo liquore vnge cor meum, vt diuini tui ſpiritus gratia adiutum, in tuo ſemper amore & ſeruitio occupetur, Amen. *Marc.* 16. 1. Documentum vtile ex ea c *Iſai.* 55. 1. Oratio d *Pſal* 44.8 e *Pſal.* 78.8

PVNCTVM III.

a Matt. 28. 10.

Tunc ait illis Ieſus: nolite timere. Ite, nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam: ibi me videbunt.

Chriſtus & Apoſtoli eius ſpiritui conformes

In lætiſsimo hoc nuncio, quod iuſsit Chriſtus ſuis fratribus referri, apparet, quam ſit proprium & familiare ipſi ſpiritui Dei, conformem ſe oſtendere ſpiritui Angelorum, & miniſtrorum ſuorum, cum idem ipſe dicit, quod illi, illudque confirmat maioribus amoris indicijs, & ſignis. Angeli dixerant mulieribus, dicite *diſcipulis* eius, quia ſurrexit; & ecce præcedit vos in Galilæam; ibi eum videbitis: ipſe autem Chriſtus Dominus dixit, dicite *fratribus meis*: & qui Angelos non vocauit fratres, Homines fratres vocat, in ſignum teneriorisac iucundioris amoris, ob conſanguinitatem & ſimilitudinem aſſumptæ humanæ naturæ. O Ieſu amãtiſsime, quam dulce eſt auribus meis hoc verbum, quod procedit ex ore tuo: *dicite fratribus meis*; nunquam defatigabor illud audiendo, quamuis ſæpiſsime repetas. Loquere illud Domine cordi meo, & fac me ſentire ſpiritum, quem in eo repoſitum habes, vt impetrem vitæ ſimilitudinem, quam à tali fraternitate procedere par eſt.

Apoſtoli cur in Galilæam ire iuſsi.

Perpendenda quoque eſt cauſa, cur præceperit Chriſtus Dominus Apoſtolis, (ſicut prius etiam Angeli dixerant) vt ſe conferrent *in Galilæam*, vbi eſſent illum viſuri; ſiquidem eodem ipſo die cogitabat, & ſtatuerat, illos in Iudæa, imo in Ieruſalem, vbi tunc erant, viſitare. Cauſa huius fuit, quod locus ille Iudęæ, eſſet valde inquietus & turbatus, ipſique turbatione & timore pleni: quare, vt maiori quiete ac voluptate, ipſius præſentia fruerentur, iuſsit illos ire in Galilæam, locum, à ſtrepitu magis remotum, ac quietum: nobis ſignificans, quod licet obiter viſitet ſuos, in ſtrepitu & turbationibus huius mundi exiſtentes, placet tamen illi, vt quietiorem locum quæramus, in quo diutius illum videre, & cum eo cõuerſari poſsimus, in oratione & contemplatione. Ipſumque nomen Galilęæ aliquid tale ſignificat, tranſmigrationem videlicet: nam qui videre & frui Chriſto reſuſcitato volunt, tranſmigrare debent, & mutari à vitijs ad virtutem; à laxiori vita, ad ſtrictiorem; à ſtrepitu, ad quietem, à torpore, ad feruorem; & ab imperfectione ad perfectionem. O Dulciſsime Ieſu, cui tantopere placet Galilæa, transfer me hac tranſmigratione adeo tibi grata, vt efficiar dignus te videre, contemplatione quidem in hac vita, vt poſtea ad alterã translatus, te facie ad faciem videam in æternum. Amen.

S. Gregor homil. 21. in Euang.

MEDITATIO VI.

DE APPARITIONE CHRISTI SANCTO PEtro facta, & de illis, quæ eam præceſſerunt.

PVNCTVM I.

REGRESSAE *à monumēto* piæ illæ mulieres, *nunciauerũt* a *omnia* quæ audierant ab Angelis *illis vndecim, & cæteris omnibus,* b *qui cum eo fuerant lugentibus & flentibus: & illi audientes, quia Ieſus viueret, non crediderunt illis:* b *Et viſa ſunt ante illos ſicut deliramentum verba iſta*; imo etiam b *Magdalenæ affirmanti ſe vidiſſe Ieſum, non crediderunt.*

a Luc. 24. 9. b Marci. 16.

IN hoc facto deſcribitur nobis; quàm difficilis & heroicus ſit *actus fidei*, quæ nos attollit ad credendum aliquid, contra id quod ſenſibus percipimus; & quàm male, parceque homines reſpondeant Deo, tam multa & præclara pro nobis facienti, dum ſunt increduli, & pro deliramento habent id, quod audiunt à Deo factum; cum reipſa ſit maius deliramentum non credere, ſicut Deus reuelauit: nam cum ſuis diſcipulis Chriſtus prædixiſſet, ſe cruci affigendum & occidendum, ſed die tertia reſurrecturum; & nunc piæ iſtæ mulieres, gratum nuncium ab Angelis adferrent, ſignaque certa darent, vt irent in Galilæam, vbi ipſum eſſent viſuri, ſicut ipſe in nocte cœnæ prædixerat: illi nihilominus *non crediderunt*, ſed tanquam deliramentum putauerunt, quod mortuus homo in cruce, eſt ſanguis totus, ac tot partibus vulneratus, viuus; reſurrexiſſet; obliti non ſolum ipſius Chriſti reuelationis, ſed Reſurrectionis etiam Lazari, & aliorum miraculorum, quæ à ſuo Magiſtro facta viderant. O Supreme Magiſter, magna animi mei voluptate, captiuo meum intellectũ in obſequium fidei; negoque ac reiicio omnes meos ſenſus, vt credam quod tu reuelas; c *ſcio enim me de terra reſurrecturũ; & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea*, poſtquam in puluerē & cinerem fuerit conuerſa, *videbo te Deum meum*, & Saluatorem meum, *quæ ſpes repoſita eſt in ſinu meo*, quia nec de tua omnipotentia dubito, nec de tua voluntate; ſiquidem ita futurum reuelaſti ac promiſiſti.

Fides vera quam difficilis.

Apoſtolorũ & diſcipulorum incredulitas.

c Iob. 19. 25.

Ex his diſcam, duo mihi extrema eſſe vitanda; *alterum* eorum qui leuiſsimè adhibent fidem quibuſuis muliercularum reuelationibus & viſionibus, non ſine periculo credendi multa, quæ ſunt plane deliria, ſomnia, aut imaginationis meræ apprehenſiones; *Alterum* eſt *duriorũ*, & valde ad credēdũ difficilũ, qui omnia æſtimāt deliramēta, qui

Duo extrema vitanda Nimia credulitas.

Nimia incredulitas. maximus eſt etiam error: nam licet ſint fæminæ, & homines planè ignari ſolent interdum ob ſuam deuotionem & feruorem fieri digni, quibus veræ fiant apparitiones Angelorum, & ipſorum Domini, ſicut in præſenti caſu cernere licet: ac propterea meritò eſt illis fides adhibenda; præcipuè cum eædem viſiones, cedunt in confirmationem veritatum ſanctæ noſtræ fidei. Nec minor eſt error, delirium imaginationis, reuelationem Dei appellare; quam contra, reuelationem Dei, appellare delirium imaginationis.

PVNCTVM II.

EX diſcipulis duo feruentiores, qui in amore erga Chriſtum Dominum noſtrum ſe præ alijs excellere oſtenderunt, fuerunt Petrus & Ioãnes: *exijt ergo Petrus, & ille alius Diſcipulus, quem amabat Ieſus & venerunt ad monumentũ: currebãt autẽ duo ſimul, & ille alius diſcipulus præcucurrit citius Petro, & venit prius ad monumentum, non tamen introiuit, venit ergo Simon Petrus, ſequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina poſita, & ſudarium, quod fuerat ſuper caput eius, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in vnum locum.* (a Ioan. 20 3.) (quod ſignum erat corpus non fuiſſe furto ſublatum, & ſed reſurrexiſſe) *videntes crediderunt*, id quod mulieres retulerant.

I. Duorum diſcipulorũ prudentia. PERPENDENDVM hic eſt, hos duos diſcipulos, non fuiſſe in illo extremo reliquorum, qui deliramentum putabant reuelationem, quam illæ mulieres referebant: ſed experiri tamen voluerunt, num fundamentũ & ſigna reuelationis ſatis ſibi conſtarent: proprium eſt enim prudenter feruentium, diligentiam adhibere, vt ſufficienter certi reddantur in huiuſmodi rebus Dei: & quoniam amor, difficilia quæque vincit, etiamſi ſcirent iſti diſcipuli, quantam perſecutionem Iudæi contra Chriſti diſcipulos excitaturi eſſent; & quod ſepulchro cuſtodiam adhibuiſſent, ſtatuerunt nihilominus ad monumentum ire, ac videre, quod à mulieribus factum eſſe dicebatur.

II. Cur ijs angeli non apparuerint. SED non eſt tamen abſque myſterio, quod his diſcipulis, *non* apparuerint *Angeli*, ſicut mulieribus cuius fortè fuit cauſa, quod ea apparitione, opus non eſſet: ſiquidem ex relatione mulierum, & ſignis deprehenſis, in linteaminibus, & ſudario, quæ in ſepulchro collecta remanſerant, crediderunt Chriſtum verè reſurrexiſſe, reuocantes ſibi hac occaſione in memoriam verba, quæ ipſorum Magiſter in cœna illis dixerat. Ex quo deducere licet, quod etſi viſiones Angelorum alicui oſtendantur, non eſſe tamen certum indicium maioris eius ſanctitatis, eò quòd interdum concedantur ijs, qui teneriorem ac debiliorem virtutem habent.

III. DEMVM perpẽdam, in his duobus Apoſtolis Petro & Ioanne, indicari

nobis

nobis præcipuas virtutes, quibus Chriſtus Dominus ſit quærendus, *fidem* videlicet & *charitatem*, fides enim patefacit veritates, & cum ſancto Petro, prima ingreditur ſepulchrum; quam ſequitur Charitas, ſicut S. Ioannes ſecutus eſt Petrum; cuius ingreſſu augetur fides, & magis corroboratur eius cognitio, ac perficitur. In eiſdem quoq; Apoſtolis adumbrantur duæ vitæ, Actiua ſcilicet & Cõtemplatiua; quæ nos ducunt ad ipſum Chriſtũ: Actiua præcedit diſponendo & præparando; Contemplatiua accedit poſsidendo & fruendo. O amantiſsime Ieſu, clarifica fidem meam, & inflamma charitatem; vt, omni humano timore reiecto, te quæram; & quocunque ingrediar, vbi te poſsim inuenire; perfice me exercitijs vitæ Actiuæ, in omni virtutum genere, vt ad Contemplatiuæ exercitia aſcendam, per quæ *ingrediar in abſconditum faciei tuæ, vt protegar in tabernaculo tuo*, videamque & fruar pulchritudine, quam habes in tua gloria.

Fides & Charitas ab ijs nobis indicatæ.

Pſal. 30. 21.

Myſterium in eo latens, quod Chriſtus Dominus linteamina, & feralem amictum in ſepulchro reliquerit, expoſitum eſt ad finem *Meditationis ſecundæ*.

PVNCTVM III.

REDEVNTIBVS Sanctis Petro & Ioanne in ciuitatem, ſeceſsit Sanctus Petrus ad partem vnam, a *ſecum mirans, quod factum fuerat*, apud ſe ipſum videlicet & ſeorſim cogitans ea, quæ audierat; & quæ viderat in ſepulchro cui talia cogitanti Chriſtus Dominus noſter apparuit, vt colligere licet ex illis verbis Sancti Lucæ, quæ cæteri Apoſtoli dicebant: b *quod ſurrexit Dominus verè & apparuit Simoni.*

a Luc. 24. 12.

b Luc. 24. 34.

PERPENDENDVM hic *primò*, Sanctum Petrum *dignum* ſe reddidiſſe, cui Chriſtus Dominus appareret, ad id ſe diligentiá illá diſponendo, qua ſe contulit ad ſepulchrum, & priuata conſideratione & Meditatione eorum, quæ viderat. Et quamuis ſanctus Ioannes fuerit cum illo ad ſepulchrum: non tamen legitur, quod illi Chriſtus apparuerit. Ex quo licet cognoſcere, quòd ſæpe Deus magis indulget ijs, qui fuerunt peccatores, ſed ſunt poſtea perfectè conuerſi, quàm ijs qui non lapſi, iuſti permanſerunt; vt eos qui ex animo ſunt conuerſi, conſoletur, & animum addat. Et ſimile quid apparet in parabola c *filij prodigi*. Ideoque non ſine cauſa primus vir, & prima mulier, quibus referunt Euangeliſtæ Chriſtum Dominum apparuiſſe, fuerunt prius peccatores, nam d *vbi abundauit delictum, ſuperabundauit gratia.*

I. S. Petri feruens diligentia.

c Luc. 15. 20

d Rom. 5. 20

HIS & ego animum & fiduciam in Deum concipiam, quamuis fuerim magnus peccator, diſponens me tamen oratione & feruore vitæ, ad recipienda eius dona, qui, quòd in ſe eſt, propenſus eſt & liberalis, ad ea conferenda.

Digitized by Google

S. Petri pudor.

DEINDE perpendam, quanto *pudore* fuerit affectus Sanctus Petrus, cum ſe vidit coram ſuo Magiſtro, reuocans in memoriam, quod ipſum tam turpiter negaſſet; ideoque eſt veriſimile, procidiſſe illum ad Chriſti pedes, & ſuum peccatum amarè flentem, petiuiſſe veniã eius. Quem procul dubio Chriſtus Dominus noſter conſolatus, ſecurum eſſe iuſsit, eò quod remiſſum ipſi eſſet peccatum; magnaque lętitia eius animam repleuit. O quàm tenera Chriſtus illi dixerit verba, quàm ſalutaria illi dederit monita? licet animo concipere dixiſſe illi: pax tecum, noli timere, ego ſum, dimiſſa ſunt tibi peccata, confirma fratres tuos. O quomodo exultauerit animo ſanctus Apoſtolus, hac viſitatione, & verbis Magiſtri ſui, quam in fide confirmatus, quanto amore accenſus? O dulcis Ieſu, quam magna eſt multitudo dulcedinis & miſericordiæ tuæ, erga omnes peccatores, qui ex toto corde ſua peccata deflent. Sine dubio recepiſſes Iudam, eique reſuſcitatus, ſicut Petro apparuiſſes, ſi pœnitentiam ille, ſicut Petrus egiſſet. Benedicta ſit, Domine, miſericordia tua, ob quam ſupplico, vt me facias dignum ſuprema tua apparitione, in regno gloriæ tuæ.

III. Exultatio & lætitia.

Gratitudo.

VLTIMÒ perpendam, S. Petrum magna ſui animi *exultatione* ad locũ redijſſe, vbi cæteri erant ſocij, vt illos in fide confirmaret, ſicut Chriſtus ipſi commiſerat; adeoque potens fuit eius teſtimonium, vt multi propter illud crederent: vt licet colligere ex illis verbis, quæ dixerunt: *quia ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*. atque ſi dicerent, non fictè aut apparenter, ſed *verè* ſurrexit, idque nobis conſtat, non quia apparuerit Magdalenæ, aut alijs mulieribus, ſed quia apparuit *Simoni*, cuius teſtimonium magnæ eſt authoritatis, & omni acceptione maius. HINC ad huius Apoſtoli imitationem, ſtatuam, gratum me ſemper oſtendere Deo, ob accepta ab ipſo beneficia, illiſque vti, ad fratres meos in virtute confirmandos: quod eo efficacius præſtare conabor, quo plura in me fuerint dona & talẽta ad alijs perſuadendum, & vt mihi fides adhibeatur. O Apoſtole glorioſe, iure optimo vocaris SIMON; quod interpretatur obediens: ſiquidem adeò es obediens voci Magiſtri tui, explens quod tibi iniungit munus, Petræ, ſicut Petrus; & Capitis ſicut Cephas, in cõfirmandis & corroborandis condiſcipulis tuis in fide, quorum eris caput: confirmà & fidẽ meam debilem; perfice curtam meam obedientiam, vt firmiter omninò, quod tu credidiſti, credam, magnoque feruore obediam Domino meo, ſicut tu eidem obediuiſti.

Digitized by Google

MEDITATIO VII.

DE APPARITIONE DVOBVS DISCIpulis euntibus in Emmaus facta.

PVNCTVM I.

DVo ex diſcipulis, qui à mulieribus audierant, quid illis Angeli ſignificaſſent: a *ibant ipſa die in Caſtellum, nomine Emmaus: & ipſi loquebãtur ad inuicem de ijs omnibus, quæ acciderant: & factum eſt, dum fabularentur, & ſecum quærerent, & ipſe Ieſus appropinquans, ibat cum illis; oculi autem illorum tenebantur ne illum agnoſcerent.*

a Luc. 24. 13. Marc. 16. 12. D. Thom. 3. p. q. 55. a. 4.

I. Duo iſti diſcipuli quid nos doceant?

PERPENDAM primò cauſam, cur iſti *diſcipuli*, hac occaſione, voluerint exire ex Ieruſalem. ea autem fuit, vt *remotiores* eſſent à loco, quem periculoſum exiſtimabant; & vt aliquod refrigerium in illa villa Emmaus acciperent: quia alter illorum inde erat oriundus. ſed myſtica cauſa fuit, vt intelligamus, paſsionem timoris & triſtitiæ in cauſa eſſe cur animus exeat ex Ieruſalem, quod interpretatur viſio pacis; & ex ſocietate diſcipulorum Chriſti, qui ſignificant pios & bonos: vt aliquod leuamen corporis, & aliqua carnis iucunditas quæratur inter cognatos & mundanos homines, qui ſignificantur per Emmaus, quod interpretatur deſpectus populus, aut conſilium timidum; quia reuerà erroneum conſilium ſuſcipit, qui id quærit, ſiquidem ob terrenam conſolationem, periculo exponit Diuinam. Contendam itaque, nunquam huic perturbationi me dedere: nam niſi Dei miſericordia præueniendo impediat conſilia, quæ illa ſuggerit, cò me deducet, vt peream.

II. Cur ijs Chriſtus apparuerit? 1. Commiſeratio.

DEINDE cauſas exquiram, cur Chriſtus Dominus noſter, dignatus fuerit his diſcipulis, in hoc itinere apparere? *Prima* fuit quod eorum *commiſeratione* tangeretur, & cuperet, ſicut bonus paſtor, has duas oues errantes colligere, & ad reliquum gregem reducere; vt intelligamus, quam ipſe officio ſuo inuigilet, ſuaque miſericordia, vbi maior eſt noſtra neceſsitas, ſubueniat, ſequens poſt tergum, greſſus illius, qui ſenſim ab ipſo procul recedit, donec tandem aſſequatur. Benedictus ſit tam bonus paſtor, qui gregi ſuo, adeò diligenter inuigilat. Apparet bene, Domine, quod pro illo vitam tuam expoſueris; & ſanguine tuo effuſo redemeris: quandoquidem tantam curam adhibes, vt illum ad Eccleſiæ tuæ caulam reducas, & inde etiam ad æternam tuam gloriam. *Secunda* cauſa fuit, eò quòd *afflicti* valde ac *deſolati* diſcipuli illi eſſent: eſt enim Chriſto valde familiare, talibus aſsiſtere, eorum triſtitiam moderari, & refrigerio aliquo

2. Cõpaſſio

confor-

confortare, iuxta illud, quod ipſe per Regium Prophetam dixit: b *cum ipſo ſum in tribulatione.* O ſi videres, anima mea, eum, qui tecum eſt in tuis tribulationibus, quamuis aliquo velo tectus, eſſes proculdubio in illis læta; & felicem te iudicans, quòd affligaris, modò talem habeas hoſpitem.

b Pſa. 90. 15

3. Pia collocutio.

Tertia cauſa fuit, quia de rebus pijs colloquebantur: complacet enim ſibi Chriſtus talibus colloquijs intereſſe, & præſentiâ ſuâ fouere illa ac promouere, iuxta illud quod ipſe dixerat: c *vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Hinc intelligam, quàm rectè faciant, qui ſemper, & in omni loco de Deo loquuntur, ac de ſimilibus colloquiis cum ſocijs ſuis conferunt, præcipuè tempore tribulationis & aduerſitatis: ad ea ſiquidem Chriſtus Dominus libẽter accedit, vt tribulatos conſoletur; contrà verò, quàm ſint pernicioſa colloquia de rebus ineptis & prophanis, ad quæ Chriſtus Dominus non accedet, ſed potius fugiet ab eis.

c Matt. 18. 20.

III. Oculi corũ cur impediti? d Iſaiæ 7. iuxta lxx.

Vltimò perpendam, *oculos* horum diſcipulorum *impeditos* fuiſſe, ob exiguam ſuam fidem, ne Chriſtum agnoſcerent: propter quem defectum permiſit Chriſtus tale impedimentũ, donec eorũ fides ſenſim proficeret. Vt enim dixit Propheta: d *niſi credideritis, non intelligetis. Altera* etiam cauſa, quæ Chriſtum agnoſcere impediebat, fuit triſtitia & afflictio interna, quæ valde illos occupabat: inſtruit autem nos Chriſtus, ſæpe ſe nobiſcum eſſe in tentationibus & laboribus noſtris, noſque ad pugnandum & patienter illos tolerandos adiuuare; ſed nos nec ipſum videre, nec quòd nobis adſit, attendere; ac potiùs exiſtimare, ipſum eſſe abſentem, eò quod ſenſibilis conſolationis fauorem tunc non experiamur. O bone Ieſu, ne permittas culpas meas, tantas tenebras oculis animæ meæ offundere, vt habens te præſentem, non videam; & intus loquẽtem in corde meo, non agnoſcam; quòd ſi ob occultam tuam prouidentiam, te mihi occultaueris, non tamen deſit mihi præſentia gratiæ tuæ, ne ego ob imbecillitatem meam ijs deſim, quæ aliàs præſtare teneor.

Pvnctvm II.

a Luc. 24. 15

a Et *ait ad illos Ieſus, qui ſunt hi ſermones quos confertis ad inuicem ambulantes, & eſtis triſtes? & reſpondens vnus cui nomen Cleophas, dixit ei: tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem, & non cognouiſti quæ facta ſunt in illa his diebus? quibus ille dixit: quæ? & dixerunt: de Ieſu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & ſermone coram Deo, & omni populo: & quomodo eum tradiderunt ſummi Sacerdotes, & Principes noſtri, in damnationem mortis, & crucifixerunt eum: nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſrael.*

I.

Perpendenda hîc primùm eſt *ſuauitas* Domini noſtri, in agendo

Digitized by Google

cum his diſcipulis, vt illos induceret, ad aperiendum vulnus ſuæ infidelitatis quam ipſe à radice ſanare cupiebat, ideò enim interrogat, *qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad inuicem?* fingens ſe illos ignorare, quia complacet ſibi in hoc, vt ex illorum ore illos audiat, præcipuè verò recreatur, cùm audit nos de ijs colloquentes, quę ipſe pro nobis pertulerit, nihil propterea dedignatus, quod adeò illa fuerint ignominioſa. Ex quo cognoſcam, proprium eſſe, valdeque familiare ſpiritui Chriſti, ſuis hos inſpirationibus ad loquendum permouere, ob duas cauſas; ad promulgandum videlicet ipſius Dei magnalia, ad ipſius gloriam, & ad manifeſtandas noſtras miſerias, vt ab illis eruamur. Suauitas Chriſti in agendo.

Ex parte ipſorum *diſcipulorum*, perpendam etiam quàm magnificam de ſuo *Magiſtro* haberent *opinionem*, licet ſatis exilem, reſpectu diuinitatis eius. dixerunt enim ipſum, *primò* fuiſſe potentem in OPERE, *ſecundò* in SERMONE, *tertiò* CORAM DEO *quartò*, CORAM OMNI POPVLO. Gaudeo O Rex gloriæ, te potentem eſſe in OPERIBVS, tam heroicæ ſanctitatis, quam inſignium miraculorum; in quibus manifeſtatur infinita tua bonitas & omnipotentia. *Gaudeo* etiam te eſſe potentem in SERMONE, docentem doctrinam cœleſtem, quæ & intellectum illuſtrat, & rapit voluntatem, alliciendo illam ad veritatem & virtutem, in quo tuam infinitam ſapientiam oſtendis. *Gaudeo* te potentem eſſe CORAM DEO, vt places eius iram, & copioſam obtineas miſericordiam erga omnes homines: in quo manifeſtas æqualitatem, quam cum illo habes. Denique *Gaudeo* te potentem eſſe CORAM toto POPVLO, quia hominum corda permutas, & ad tuum pertrahis obſequium: in quo apparet tuæ gratiæ efficacitas. Oſtende Domine Omnipotens, hanc tuam poteſtatem in me, vt & ego pro tenuitate mearum virium, potens ſim etiam in opere & ſermone, coram Deo & hominibus, talia faciens & loquens, quæ Deo placeant, & proximos ad gloriam tuam ædificent. Amen.

II. Bona diſcipulorum de ſuo Magiſtro opinio.
1. Oratio.
2.
3.
4.

IN his quatuor rebus; ſtudebo eminere, eodem ordine, quo illæ ſunt poſitæ. Non enim potero eſſe potens in ſermone, niſi fuero potens in opere, nec talis ero coram hominibus, niſi prius talis fuero apud Deum, & ſi corā *Deo* fuero b *potens* media oratione, & fiducia in eius omnipotentia, multò magis apud *homines ero potens*, ſicut Angel' dixit Patriarchæ Iacob.

b *Gen.* 32. 28.

VLTIMÒ perpendam, hos diſcipulos, tandem ſuam *imbecillitatem*, fideiq; defectum aperuiſſe, dicentes: c *nos autem ſperabamus, quia ipſe redempturus eſſet Iſrael*: atq; ſi dicerent, ſed morte illius ſuperueniente, hāc ſpem depoſuimus; *& nunc tertia dies eſt hodie, quòd hæc facta ſunt: ſed & mulieres quædam ex noſtris, terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius venerunt dicentes, ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe, qui dicunt, eum viuere.*

III. Eorum imbecillitas in fide.
c *Luc.* 24. 21

Digitized by Google

Imperfectorũ imbecillitas.

Hic nobis deſcribitur *imbecillitas imperfectorum*, qui citò ſolent amittere etiam magnam exiſtimationem, quam de Deo habebant, & eius rebus propter aliquem aduerſum euentum, imperfectæ ſuæ apprehenſioni & iudicio contrarium: eò quòd nõ nouerint Dei inuentiones & diſpoſitiones, quas adhibet, vt eueniant quæ ipſe vult: ſicut hi duo diſcipuli nõ aſſequebantur, quòd mors Chriſti medium eſſet aptum, ad redemptionem Iſrael, quam ipſi ſperabant.

PVNCTVM III.

a Lucæ 24. 25.

a *DIxit Ieſus ad eos, ô ſtulti & tardi corde, ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ! nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? & incipiens à Moyſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant.*

I. Aſperitas Chriſti in reprehendendo.

Perpendenda primùm eſt huius, Chriſti Domini noſtri, *reprehenſionis* aſperitas; quæ tamẽ nõ ex indignatione, ſed ex cõmiſeratione & zelo procedebat, vt fidem illorũ viuificaret, eosq; ab ignorantia, qua detinebantur, educeret. Vocauit illos *ſtultos* ſiue ignorãtes, quod qui toties ipſũ de hoc myſterio loquentem audiuiſſent, necdum illud intelligerent: *tardos* etiam *corde* appellauit, quòd cum ſufficientia haberent, ad Reſurrectionem eius credendam, indicia & motiua, adhuc tamen de ea dubitarent. O ſupreme Magiſter, quàm potiore iure, me poſſes reprehendere, ac dicere: ô ſtulte & tarde corde, ad credendum, quod Prophetæ & Euangeliſtæ dixerunt; ſiquidem plurima illorum non intelligo, vt deberem; nec fide viua, ita credo, vt opere ipſo illa exequar. Aufer, quæſo Domine, hanc à me ſtultitiam, & duritiem cordis, vt te agnoſcam, ſeruiamque, vt par eſt.

Oratio.

II. Eius admiranda & profunda ratio.

Perpendam deinde *profundam* illam, admirandamq; *rationem*, quã Chriſtus Dominus, ſuæ reprehenſioni ſubijcit: *nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* illos docens, ignorantiam & cordis illorum duritiam, ex eo prouenire, quod non ſatis huic veritati credendæ attendiſſent. Aperi ergo, anima mea, oculos tuos, & conſidera: ſi neceſſe fuit, Chriſtum tot ac tantas afflictiones perpeti, vt intraret in gloriam, quæ aliàs titulo hæreditatis, tanquam naturalis filij Patris æterni, ipſius erat; multò magis, neceſſarium fore, te pati aliqua, vt ad gloriam peruenias, quæ non tua eſt, ſed ipſius Dei; ad quam is, ſola ſuâ miſericordiâ te deſtinauit. quod ſi tibi non eſſe neceſſarium perſuadeas, ſtulta es, tarda, ac dura corde, ac porro digna graui reprehenſione: quod ſi viua id fide credis, viue & operare ſicut credis, tolerans omnes labores, & occurrentes difficultates; ſiquidem ſcriptum eſt: b *omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur*, propter eius ſcilicet amorem.

b 2. Timot. 3. 12.

Digitized by Google

Deniqve *efficacitatem* illam perpendam qua Chriſtus Dominus noſter, cœpit ſcripturas Diuinas illis interpretari, aperiens illis internum animæ ſenſum, quò poſſent intelligere; & cor inflãmans ingenti amoris igne, vt ad illas, & ad eum, qui eas interpretabatur, afficerentur; ita enim poſtea dixerunt; c *nonne cor noſtrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas!* Hãc declarationem vocant, aperiri ſcripturas; quia illis erant occluſæ; apertæ autem fuerunt, cùm myſteria, quæ in illis latebant, in lucem ſunt deducta. O cæleſtis Magiſter, qui d *habes* in manu tua *clauem Dauid*, vt ſcripturas diuinas pro libitu *aperias* & *claudas*; ſuperbis quidem claudens, humilibus autem aperiens: Aperi quæſo illas Domine indigno huic ſeruo tuo; vt mens mea, myſteriorum, quæ in illis latent, veritate, illuſtrata maneat, & voluntas inflammata charitate, quam in illis aperuiſti. Loquere mihi Domine, in huius vitæ via, vt cor meum ardeat in ſeipſo, & anima mea liqueſiat e *dulcedine vocis tuæ.* O felices diſcipuli, qui talem Magiſtrum audire promeruiſtis: cuius verba ſunt faces, quæ lucent & ardent; illuminant, & accendunt, ea audientes: eum quæſo orate, vt mihi ſicut vobis, loquatur, tactus commiſeratione neceſsitatis meæ, ſicut fuit miſertus veſtræ.

III. Efficacitas in interpretatione ſcripturarum

c *Luc.* 24. 32.

d *Apoc* 3. 7.

e *Cant.* 5. 4

Pvnctvm IV.

a Approp inqvavervnt *Caſtello, quo ibant, & ipſe finxit ſe longius ire. Et coegerunt illum dicentes: mane nobiſcum, quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies.*

a *Luc.* 24. 28

Perpendendvm hic primò, Chriſtum Dominum noſtrum, quamuis reuera cum illis manere cuperet, dediſſe tamen aliquod indicium *illos deſerendi*, & progrediendi vlterius, talem ſe illis exterius præbens, qualem illi in ſua opinione eſſe iudicabant: vt ea ratione permoti ipſum inuitarent, ac detinerent, erumpente igne, qui iam intus ardebat, in externum illud opus pium recipiendi peregrinum, quo ſe dignos redderent, ad quos Dominus ingrederetur, in eorum animabus manſurus, & manifeſtarus, quis eſſet: O Dulcis Ieſu, quantumuis diſsimules, certum eſt tamen, b *delicias tuas eſſe cum filijs hominum*, multoque magis te deſiderare cũ illis eſſe; quàm illos tecum; imò ſi illi deſiderant te habere ſecum, id ſit, quia tu illis tale deſiderium ſuggeris, vt tu euadas deſiderij & voti tui compos. Gratias tibi pro immenſa hac charitate erga tuos electos; per eandem ſupplex oro, ne me ab eius participatione excludas.

I. Diſſimilatio Chriſti conueniẽs moribus diſcipulorum.

b *Prou.* 8 31.

Deinde perpendam, diſcipulos non ſolùm inuitaſſe Chriſtum, ſed coegiſſe eum, vt apud ipſos maneret, *gaudet* enim ipſe Dominus, *cogi ſe à nobis*, orationibus, gemitib. lachrymis, pœnitẽtijs, & precibus importunis

II. Chriſtus gaudet cogi.

Digitized by Google

allegantibus titulos & rationes, quæ vim quodammodo illi inferant, vt noſtris petitionibus annuat, etiam vſque ad importunum illud verbum, quod illi dixit Iacob: c *non dimittam te; niſi benedixeris mihi*, nec deſiſtam tecum luctari donec te dedas, & quod peto, mihi tribuas; quamuis reuerà in huiuſmodi occaſionibus non nos illum cogamus, ſed bonitas, charitas, & miſericordia ipſius illum cogit, nobis fauere: quia ipſe ſpiritum illũ nobis inſculpit, quo illum cogimus. Et in tanti momenti negotio, atque mea eſt ſalus, non eſt mihi leuiter, oſcitanter, ac tepidè procedendum, ſed omnis diligentia imò violentia, quantum ipſe Dominus permiſerit, adhibenda eſt.

c Gen. 32. 26

Diſcipulorũ oratio expẽdenda.

AD HOC iuuerit multum, *orationem* illam *expendere*, quam hi diſcipuli habuerunt dicentes: *Mane nobiſcum, Domine, quoniam aduesperaſcit, & inclinata eſt iam dies*, Dominum iam appellantes, quem paulò antè peregrinum nominauerant; ſed quia reuerentiam & magnum amorem erga eum conceperant, *Dominum* iam appellant: & rationem, vt manere velit, adferunt: quia aduesperaſcit, & inclinata eſt iam dies. O bone Ieſu, mane mecum, quia in anima mea, iam aduesperaſcit lux fidei, ſplendor virtutis, & feruor charitatis refrigeſcit, ac declinat: te autem diſcedente, conuertar in noctem obſcuram & frigidam: mane mecum, Domine, quia dies vitæ meæ aduesperaſcit, & nũc magis mihi eſt neceſſaria præſentia tua, cùm iam nox meæ mortis appropinquat.

Oratio.

d Ioa. 14, 23

Tu dixiſti, Domine: d *ſi quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Cupio Domine, te diligere, tibique ex toto cordis affectu obedire; mane, quæſo mecum Domine, vt meum deſiderium poſſim implere, & ad æternam vitam peruenire, in qua maneam tecum in æternum. Amen.

Hac iaculatoria oratione vtitur hoc tempore Eccleſia, licetq; nobis frequenter illa vti, eo ſpiritu, quem in proximo colloquio inſinuauimus.

PVNCTVM V.

a Luca 24. 30.

Cauſæ ob quas Chriſtus ſe ijs reuelat.

a ET *factum eſt cum recumberet cum eis, accepit panem & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum & ipſe euanuit ex oculis eorum.*

PERPENDENDAE hìc ſunt *cauſæ*, cur Chriſtus Dominus noſter, voluerit ſe his diſcipulis *manifeſtare*, cùm recumberet cum eis. *Prima* enim cauſa fuit, vt oſtenderet, ſe magnifacere *hoſpitalitatem*, & charitatem illam; & ſimul doceret huiuſmodi opera miſericordiæ, aptè nos diſponere, ad ipſum Chriſtum, in ſuis pauperibus excipiendum, magnaſque gratias & fauores ab eo obtinendos: ſiquidem teſte Sancto Gregorio, hi diſcipuli non ſunt illuminati, cùm audirent præcepta Chriſti; ſed cum

I. Hoſpitalitas.

Homil. 23. in Euang.

illa facerent. *Secunda* cauſa fuit, vt intelligeremus, efficacius multò eſſe *exemplum*, & plus valere, quàm verbum, vt quis alijs innoteſcat: & quoniã Chriſtus Dominus noſter, in vtroque, hoc eſt, verbo & opere, potens erat, oſtendit illis in via dulcedinem, & ſapientiam in verbis; ex quibus eum non ſatis cognouerunt: ſed in menſa, oſtendit illis grauitatem & modeſtiam, qua panem conſueuerat in manibus ſuis accipere, & pietatem ac deuotionem, qua illum benedicens, gratias æterno PATRI propterea agebat, & charitatem, qua illis diſtribuebat: & harum virtutum, quæ eminenter in eo ſplendebant, aſpectu, aperti ſunt oculi eorum interni vt illum agnoſcerent. II. Exemplum

Tertia cauſa fuit, ad ſignificandum efficacitatem ſanctiſsimi EVCHARISTIAE Sacramenti, quod panis ille ſignificabat, (quamuis aliqui dicant verè fuiſſe ipſum Sacramentum) quod vim habet mentem illuminandi, & internos oculos multò meliùs clarificandi, quam illud b *mel, quod* guſtatum, *illuminauit oculos Ionatæ* Filij Saulis: guſtata enim ſuauitas, quæ ex hoc cibo percipitur, aperit nobis ipſa experientia celſitatem & ſublimitatem Chriſti Domini noſtri, qui in illo eſt, & ſtupendos adeò effectus per illud operatur. III. Euchariſtia b 1. Regum 14, 27.

Ex tribus hiſce cauſis, magna deſideria concipiam, tria illa prædicta exercendi, opera, ſcilicet miſericordiæ, bonum exemplum erga alios, & frequentem ſanctiſsimi huius Sacramenti perceptionem, ſupplex orans, cœleſtem hunc Magiſtrum, præſto vt ſit mihi, & iuuet ita ea exſequi, vt oculi mei aperiantur ad ipſum cognoſcendum, & eidem, ſicut par eſt, ſeruiendum.

VLTIMÒ cauſas perpendam, cur Chriſtus Dominus ſtatim *euanuerit*, tunc illos deſerens, cum illi maximè fuiſſent eius præſentia recreandi: hoc autem fecit, vt ſententiæ illius, quæ eſt apud Iob, veritas intelligeretur: c *viſitas eum diluculo, & ſubito probas illum.* nam viſitationes Dei in hac vita mortali, non ſunt aut prolixæ, aut ex propoſito; ſed obiter & mox atque apparuerit, ſe ſubtrahit: tum ad nos exercendos, tum vt operibus charitatis erga proximos attendamus. Et ita contigit in præſenti caſu: nam ſtatim atque ab oculis illorum euanuit, magna illi lætitia pleni, quod eũ vidiſſent, ſuam verò tarditatem damnantes, in eo agnoſcendo, cum in via eius verba audiret, & cor eorum arderet; reuerſi ſunt in Ieruſalem: vt grata hæc noua Apoſtolis referrent, promulgantes ſe verè eum vidiſſe & d *cognouiſſe in fractione panis.* Et qui, dum irent in Emmaus, tardo greſſu, & plumbeis, vt dicitur, pedibus, ob grauem triſtitiam ambulant, in reditu properabant, & lætitia perfuſi, ceruorum inſtar currebant. O mutatio dexteræ excelſi! O potentia infinita noſtri dulcis Ieſu! quàm cito Deus meus, mutas corda tuorum diſcipulorum, & quam varias habes IV. Cur euanuerit ſtatim. c Iob. 7. 18. d Luc. 24. 35.

ad eos permutandos: viſita me, Domine, frequenter, quamuis ſtatim me probes: nam aſpectus tuus, vel ad monumentum durãs, ſufficit me deducere ex omni miſeria, & animam meã cæleſti lætitia replere, e *dilatans cor meum, vt viam mandatorum tuorum curram*, donec perueniam ad te videndũ in ſede & throno tuæ gloriæ, in æternum. Amen.

a Pſal. 118. 23.

MEDITATIO VIII.

DE APPARITIONE, QVA IPSO DIE RESVRrectionis Chriſtus Apoſtolis apparuit.

PVNCTVM I.

a Ioan. 20. 19.
b Luca. 24. 36.

CVM a *ſero eſſet die illo* reſurrectionis, *& fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum*, b *venit Ieſus, & ſtetit in medio illorum.*

I. Cauſæ ob quas tam ſero Chriſtus apparuit.

PERPENDENDÆ hic ſunt cauſæ, cur diſtulerit Chriſtus Dominus hanc Apoſtolorum viſitationem, vſque ad veſperum, inter quos multi erant, qui vehementer illum amantes, videre deſiderarent, vt S. Ioannes, S. Andreas & alij. *Prima* cauſa fuit, quod inter illos eſſent aliqui *tardiores* ad credendum, ideoque oporteret illos ſenſim diſponere, vt hæc viſitatio magis illis eſſet vtilis. *Secunda* cauſa, vt probaret *patientiam* magis dilectorum, & hac dilatione eorum deſiderium ipſum videndi, magis acueret, & melius eſſent diſpoſiti ad fauorem & gratiam, quã illis facere ſtatuerat. *Tertia* cauſa fuit, quia familiare eſt Domino noſtro *conſolationem ſuis adferre*, quando ipſi maximè diffidunt, ſe illam accepturos: Ideoque, cùm Apoſtoli, iam ſe in cænaculo clauſiſſent, omnino diffidentes ſe illa die Magiſtrum ſuum viſuros, tunc ingreditur repente, & illos viſitat. HINC documentum accipiam, patienter exſpectandi Dei viſitationem & conſolationem; certo mihi perſuadens, ad futurum ipſum mihi tempore maximè opportuno, memor ſententiæ Habacuc: c *ſi moram fecerit, exſpecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit*; Et Iob dicentis d *cum te conſumptum putaueris, orieris vt Lucifer.*

c Habac. 2. 3
d Iob. 11. 17.

II. Cur clauſis ianuis apparuit.

DEINDE, perpendam cauſas, ob quas voluerit *clauſis ianuis*, ad illos intrare. quarum vna fuit, vt ſuis diſcipulis manifeſtum faceret, quod ipſius corpus eſſet verè *glorificatum*, & ob dotem ſubtilitatis poſſet penetrare quocunque vellet, abſque vllo obſtaculo. *Deinde* vt eadem opera oſtenderet, *omnipotentiæ ſuæ efficacitatem*; & ſe tanquam Dominum abſolutum, poſſe animam ingredi, viſitare, & ſuis inſpiratio-

ſpirationibus conſolari, ac pro ſuo libitu mutare; nullo exiſtente qui vel impedire, vel e *reſiſtere* valeat *eius* efficaci *voluntati*. Item vt inſinuaret gratum ſibi eſſe, quod ipſius ſerui, cordis ſui portas & feneſtras claudant, quę ſunt ſenſus externi, f *quia aſcendit mors per feneſtras, & ingreditur domos noſtras*: Illis enim clauſis, ingreditur ipſe, tanquam author vitæ, vt repleat nos lætitia. O Rex gloriæ, tua eſt anima mea, & omnes eius facultates: nam domus eſt à tua omnipotentia fabricata, vt tua ſit habitatio : ingredere illam, Domine, & in me fac quòd tibi lubet: cupio enim nihil reſiſtere ijs quæ tu ſtatueris: deſidero omnes eius portas ita claudere vt nihil ingrediatur, quod oculis tuis diſpliceat: ſed ſi tu intus manes, hac præſentia tua erunt omnes melius occluſæ.

e Rom. 9. 19.

f Ierem. 9. 21.

Oratio

Tertiò cauſas exquiram, cur ſteterit *in medio* eorum? forte autem voluit ipſos intelligere, verum id eſſe, quod aliquando eis dixerat : g *vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio illorum*. Inſtar Solis illos illuſtrans; & inſtar Magiſtri docens; inſtar Paſtoris, gubernans tanquam Mediator inter Deum & homines eos pacificans. Denique inſtar protectoris, eos ſuis alis protegens ac defendens; omnia enim hæc officia præſtat hic Dominus erga ſuos, quando ſe collocat in medio illorum. O Anima mea, ſiquidem vbi duo vel tres coniunguntur in nomine Chriſti, ſtatim ipſe adeſt in medio illorum, ſtude & contende, vt tres tuæ facultates, memoria, intellectus, & voluntas, congregentur & coniungantur in oratione, clauſis portis ſenſuum; mox enim aderit ipſe tuus Dominus, & in medio earum ſe conſtituet, illas ſicut ſol illuminans, ſicut Magiſter docens, ſicut Paſtor gubernans, ac demum ſecum illas perfectâ amoris vnitione coniungens.

III. Cur in medio ſteterit.

g Matt. 18. 20.

Pvnctvm II.

a Dixit illis *Ieſus: pax vobis, ego ſum, nolite timere: Conturbati verò & conterriti, exiſtimabant ſe Spiritum videre. Et dixit eis: quid turbati eſtis? videte manus meas & pedes; quia ego ipſe ſum: palpate & videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere: Et cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & pedes*, b *& latus, gauiſi ſunt ergo diſcipuli, viſo Domino.*

a Luca. 24. 36.

Consideranda ſunt primò tria verba, quæ Chriſtus Dominus noſter, ſuis Apoſtolis dixit, cum eſſet in medio eorum, quæ ſunt effectus & ſigna boni ſpiritus. *Primum* verbum fuit, *pax vobis*: atque ſi illis diceret, mementote, me aliquando vobis dixiſſe, c *pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*: Hanc pacem iam paſſione & morte mea obtinui; ideoque de nouo eam vobis communico, eaque ſaluto. *Secundum* verbum fuit, *ego ſum*, quaſi diceret ille ego ſum, qui aliàs eram, eadem nunc eſt natura mea, eadem perſona, eadem conditio; ego ſum veſter Magiſter, veſter Saluator,

b Ioan. 20. 20.

I. Tria verba conſideranda

1.

c Ioan. 14. 27.

2.

protector, frater, ac veſter Deus. Protulit autem hoc verbum modo quodam, adeo iucundo, vt quietos & tranquillos reddiderit, & vt eam agnoſcerent, effecerit. Et tunç adiecit *tertium* verbum, dicens: *nolite timere*; atque ſi diceret, etſi inuadat vos timor, ne tamen illum admiſeritis; nec Iudæorum furorem timete, nec iram gentilium, nec rabiem Regum & Principum, qui inſurrexerunt contra me: nam, exiſtente me in medio veſtrum, ab omnibus his periculis eſtis tuti. O Rex gloriæ, veni etiam ad animam meam; & ſta in medio facultatum eius, ac dic illis; pax vobis. Da mihi Domine pacem, quam mundus non poteſt dare; pone pacem inter carnem & ſpiritum meum; inter animæ meæ, facultates, internas, & ſenſus externos; pacifica me cum tuo patre, & cum fratribus meis. Dic Domine, animæ meæ; ego ſum, noli timere, ſi enim hoc pignus habeam, quòd tu mecum ſis, non eſt cur timeam, talem habens protectorem.

II. Chriſti benignitas.

DEINDE, perpendam eiuſdem Chriſti Domini noſtri *benignitatem* qui non contentus quod ſuos diſcipulos certos reddidiſſet de ſua Reſurrectione, ſpectabile eis præbens proprium corpus & propria voce, quam audire poterant eis loquens; vult etiam tactum eorum certum reddere, poteſtatem eis faciens, corpus ipſum tangendi & palpandi; præcipuè verò pedes, manus & latus, vbi ſigna clauorum & lanceæ erant ſeruata; ad ſananda vulnera infidelitatis & puſillanimitatis, quibus eorum corda erant ſauciata: nam in hunc finem, inter alios, ea ſigna etiam poſt Reſurrectionem voluit retinere: & ita reipſa euenit, quòd accedentes magna reuerētia & amore, eo tactu fuerunt Apoſtoli illuſtrati, & in fide confirmati, & amore, gaudioque repleti, ob gloriam ſui Magiſtri. Gratias tibi, Magiſter Supreme, ob eum fauorem & gratiam, tuis diſcipulis collatam & in eis, omnibus etiam nobis. Satis apparet, commutaſſe te legem timoris, in legem amoris: ſiquidem olim d *percutiebas eos qui* curioſitate permoti, *vidiſſent arcam Domini*, & qui e *temerè ad eandem tenendam manum extenderant*; ſed nunc te ipſum, veram noui teſtamenti arcam, videndum & tangendū præbes, vitam & gaudium tribuens diſcipulis te videntibus, & tangentibus. O ſi quis felici illi diſcipulorum ſocietati interfuiſſet, vt videre licuiſſet pulchritudinem, & elegantiam Ieſu, dulcemque eius vocem audire, ac pretioſiſsima vulnera tangere. O dulciſsime Ieſu, en me ſpiritu, in veneranda tua præſentia conſtituo, tuamque celſiſsimam maieſtatem adoro, & in intimo cordis mei proſtratus, accedo, vt pretioſiſsima tua vulnera oſculer magna fiducia, quod per illa ſim à meis vulneribus liberandus.

d 1. Reg. 6. 19.
e 2. Re. 6. 6.

Digitized by Google

PVNCTVM III.

ALIQVIBVS autem ex diſcipulis, a *adhuc non credentibus*, ipſum eſſe eundem, qui fuiſſet crucifixus, *& admirantibus præ gaudio, dixit: habetis hic aliquid, quod manducetur? at illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & fauum mellis. Et cum manducaſſet coram eis ſumens reliquias, dedit eis.* a Luca. 24. 41.

PERPENDENDA hic eſt magnitudo *amoris Chriſti* Domini noſtri, qui non contentus ijs, quæ prius ad diſcipulos reddendos certos de ſua Reſurrectione dixerat & fecerat; hoc etiam aliud ſignum magnæ familiaritatis & fraternæ affabilitatis adiecerit, vt peteret aliquid ad comedendũ, & coram illis comederet; etiamſi comedere, valde eſſet alienum ab ſtatu corporis glorificati. Ex quo magnum motiuum accipiam ad eum amandum, qui ita ſe humiliat & humanum præbet, ob noſtrum commodum: accipiam etiam exemplum me ipſum humiliandi, vt benefaciam proximis meis, etiam cum opus fuerit aliquid præſtare, quod non omnino cum celſitudine mei ſtatus conueniat. Neque enim exiſtimandum eſt, huic celſitudini repugnare, quod fit in bonum proximorum.

I. Magnitudo amoris Chriſti.

SECVNDO expendendum eſt myſterium huius *comeſtionis*. Nam *piſcis aſſus*, figura eſt ſacratiſsimæ eius humanitatis, quæ igne tribulationum fuit in cruce aſſata; fauus autem *mellis* refert eius diuinitatẽ, quæ fons eſt omnis dulcedinis; & vtraque res ſimul eſt in ſanctiſsimo Altaris Sacramẽto; Vtramque comedit ipſe Chriſtus, in nocte ſuæ Paſsionis; vtramque illi offerimus in ſacrificium, & ipſe nobis præbet in alimentum animarum, vt nos inflammet igne amoris ſui, repleatque lætitia ſpirituali. O Dilecte cordis mei, ſi petis à me aliquid ad comedẽdum, quid tibi offerre potero, tuo palato gratum, niſi piſcem hunc & fauum mellis? Quod tu mihi dediſti, id ego tibi reddo; & à manu tua expecto illud recipere, vt comedam, & meæ neceſsitati remedium afferam: & ſi aliquid aliud deſideras, ecce hic me, qui inſtar piſcis in perturbatiſsimo huius mundi mari vagor, per libertatem carnis, ſubditus malis ſenſualitatis meæ humorib. Deduc me Domine ex iſto mari; aſſa me igne tui amoris, exſiccans horrendas humiditates meas & condiens dulcedine gratiæ tuæ, vt inſtar faui mellis, gratus ſiam cibus palato tuo. Amen.

II. Myſterium comeſtionis. Piſcis aſſus quid notet. Fauus. Oratio

DENIQVE perpendam, quòd Chriſtus Dominus noſter, cum ſatis diſcipulis ſuis oſtendiſſet, ſe reipſa eſſe, qui erat, ex prædictis ſignis: reuocauit illis in memoriam: quicquid eo vſque actum fuiſſet, id non caſu aliquo factũ eſſe ſed, b *quoniã neceſſe eſſet impleri omnia, quæ ſcripta erant in lege Moyſis, & Prophetis, & Pſalmis* de ipſo; *& tunc aperuit illis ſenſum vt intelligerent ſcripturas*, ſicut fecerat cum iis, qui ibant in Emmaus. Eſtque fas cre-

III. Nihil ſine cauſa. b Luca. 24. 44.

dere, eorum corda etiam fuiſſe ardentia intra ipſos, cum ille ſcripturas declararet.

Reſurrectio Chriſti ſcripturis confirmata.

Hoc fauore & comitate, finem impoſuit Chriſtus Dominus teſtimonijs *ſuæ Reſurrectionis*, dum eam confirmauit ſacris ſcripturis, quas nemo intelliget, niſi ipſe Chriſtus, ſenſum ei, ad eas intelligendas, aperiat; cuius luce ſi eas intellexerit, non prætermittet credere & admittere, quod illæ dicunt. O Magiſter cœleſtis, qui tuis Apoſtolis dixiſti, c *quia vobis datum eſt, noſſe myſteria regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant*: Fateor, ſublimia tua myſteria mihi eſſe occulta, meumque ſenſum ad illa clauſum: quia meis peccatis valdè eſt obſcuratus: ſed memento Domine, te, paſſionis tuæ meritis, d *librum qui erat in dextera ſedentis ſupra thronum, ſignatum ſigillis ſeptem* ita apparuiſſe, vt legi poſſet. aperi, Domine, & mihi librum tuorum ſacrorum myſteriorum ita, vt illa intelligens, igne tui amoris totus accendar.

c Luca. 8. 11. Matt. 13. 11.

Oratio.

d Apocal. 5. 1. 8.

Praxis Chriſti cõſolatoria.

Ex dictis in hac meditatione, deprehenditur praxis, & modus ſpecialis, quo Deus vtitur, in conſolandis ſuis familiaribus, per ſenſus internos, de quibus actum eſt. §. 11. Introductionis huius operis. Nam in hac apparitione conſolatus eſt Chriſtus ſuos Apoſtolos, non ſolùm quoad ſenſus externos, ſed etiam proportionaliter quoad internos: Nam quoad viſum, oſtendit ſe illis reſuſcitatum & pulcherrimum; quoad auditum, locutus eſt eis comiter & affabiliter; quoad tactum, præbens ſeipſum illis, vt tangerent eius vulnera; quoad guſtatum, diſtribuens illis reliquias piſcis & faui, ac denique aperiens illis ac perficiens internum ſenſum, vt ſacras ſcripturas intelligerent, & latentia in eis myſteria cognoſcerẽt. Quod totum operatur Chriſtus Dominus noſter ſpiritualiter, in illis animabus quæ ſe dedunt contemplationi, ſicut in prædicto. §. eſt explicatum, & adhuc dicetur in ſubſequentibus Meditationibus.

MEDITATIO IX.

QVOD EODEM TEMPORE CHRISTVS DEderit Apoſtolis Spiritum ſanctum, & poteſtatem remittendi peccata.

PVNCTVM I.

a Ioan. 20. 21.

1. a DIXIT *Ieſus illis iterum: pax vobis, ſicut miſit me pater, ita ego mitto vos.* PERPENDENDVM eſt primò, Chriſtum Dominum noſtrum, in vna hac viſitatione, bis illud verbum dixiſſe *pax vobis.*

PRIMVM, ſtatim in ipſo ingreſſu, vt illos diſponeret, & capaces redderet, ad cognoſcendum myſterium ſuæ Reſurrectionis: quia cor turbatum remorſibus peccatorum, aut inordinatione paſsionum, aut curarum multitudine, aut imaginationum agmine, non ſatis eſt diſpoſitum, ad Chriſtū cognoſcendum, & eius myſteria contemplanda. Quare neceſſe eſt, vt prius illud Chriſtus ſedet, ac tranquillet; nobis tamen etiam cooperantibus ad quatuor illa prædicta contemplationis impedimenta remouenda, quæ (Sancto Bernardo teſte) ſunt, culpa mordens, ſenſus egens, cura pungens, & irruentia corporearum imaginum phantaſmata: his enim impedimentis remotis per interiorem pacem, quam Deus nobis tribuit, animâ ad id cooperante, capax efficitur conſolationum proximæ Meditationis ad finem.

Pax à Chriſto bis imperata. 1. Ser. 23. in Cant.

Secundò repetiuit eadem verba, PAX VOBIS, vt melius adhuc eos diſponeret ad munus quod illis iniungere ſtatuerat, eundi ſcilicet per mundum, ad conuerſandum cum hominibus, eoſque conuertendos: quod, niſi qui pacem ſecum habeat, &, quod in ſe erit, ita diſpoſitus ſit, vt eandem ipſe cum omnibus, & ipſos inter ſe, & cum Deo pacem habere ſtudeat, præſtare non poterit. O Rex pacis, Dic animæ meæ: bis *pax tecum*, vt vtraque pace fruens, perueniam ad cognitionem tuorum myſteriorum, & alios iuuem, eadem cognoſcere: quò omnes te diligamus, & vera pace & charitate tibi ſeruiamus. Amen. 2.

II. Munus Apoſtolatus.

DEINDE conſideranda ſunt verba illa quæ ſubiecit Chriſtus: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, quibus verbis commiſit illis munus, ad quod illos elegerat, Apoſtolatûs videlicet, quod ſignificat miſsionem aut legationem: quaſi illis diceret, ſicut miſit me Pater in mundum, vt illum docerem viam veritatis & virtutis; ſic ego vos mitto in mundum, vt in eo, quod ego cæpi, vos pergatis, illudque promoueatis. Ex quo apparet, quanta ſit dignitas à Chriſto Domino, ſuis Apoſtolis collata, quos fecit, ſuos legatos, & ſucceſſores, in munere conuerſionis mundi, iuxta illud Apoſtoli, b *pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, in quibus poſuit verbum reconciliationis, obſecramus igitur* iam *pro Chriſto, reconciliamini Deo.* In eandem porrò dignitatem ſuccedunt, alij ac ſuccedent, vſque ad finem ipſius mundi, ne deſit vnquam, qui eius conuerſioni & perfectioni attendat. Habet verò magnam vim & emphaſim vox illa, SICVT; quæ etſi non æqualitatem, magnam certè ſimilitudinem denotat: atque ſi diceret: ego, qui Patri meo ſum æqualis, vos mitto, ſicut ille me miſit; plurimas gratias ac dona, quæ ego habeo, vobis tribuens, vt munus idem præſtetis, quod ego præſtiti. Ne tamen exiſtimemus munus hoc eſſe ad quietem eius, cui illud committitur; eiſdem verbis inſinuat eius onus, dicens: ſicut Pater, quāuis me amet, non tamen miſit ad honores &

b 2. Corint. 5. 20.

delicias, ſed ad ſuſtinendas ignominias & labores, quia id meum munus requirebat; ita ego, licet vos amem, mitto tamen ad graues tolerandas perſecutiones, vt commiſſo vobis muneri fideliter reſpondeatis, ſicut ego tales perpeſſus, meo muneri ſatis feci: non enim c *Apoſtolus eſt maior* aut maiori priuilegio vti debet, *quam qui miſit eum*, cuius eſt ipſe legatus. O Apoſtole, & Pontifex ſupreme, cui d APOSTOLI nomen eminenter cōpetit, eò quòd ab æterno Patre ſis miſſus, ad ſaluandum mundum, iuſtū omninò eſt, nos omnes tuæ vitæ conformari, tuæque miſsionis greſſus ſequi ſuſtinentes labores & afflictiones, quas tu ſuſtinuiſti, vt eius, qui te miſit, voluntati plenè ſatis fiat. En me totum obſequio tuo offero; mitte me quo libuerit, paratum ad ſuſtinendum, quod tu decreueris: cum enim tu me mittas, gratia quoque tua me iuuerit vt exſequar, quod iubes.

c Ioan. 13. 16
d Hebr. 3. 1

PVNCTVM II.

HAEC *cum dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum.* Huius doni excellentiam perpendemus Meditatione. 22. modus nunc tantùm eſt perpendendus, quo illud dedit, expendendo huius inſufflationis myſterium.

a Ioā. 20. 22

I. Cur inſufflauerit.

PRIMVM inſufflauit, ad ſignificandum Spiritum illum ſanctum, quem illis dabat, ita ab ipſo procedere, ſicut halitus procedit ab eo, qui afflat. Itaque non ſolùm dona ſua, ſed ipſum quoque Spiritum Sanctum, ſimul cum illis nobis tradit: qui etſi in perſona ſit diſtinctus, non tamen in ſubſtantia. Benedictus ſit talis dator, qui adeò liberaliter, adeoque facilè, dat nobis grande adeò donum, & æquè pretioſum, atque eſt ipſe dator.

II. b Gene. 2. 7

DEINDE *afflauit* vt ſignificaret, ſe eundem eſſe, qui b *inſpirauit in faciem Adamo, ex limo terræ formato, Spiraculum vitæ, quo factus ille eſt homo in animam viuentem*; & hunc Spiritum, eoſdem in anima effectus habere, quos alter ille habuit in corpore, ipſam videlicet animam viuificare, & pulcherrimam reddere; motus ſenſuſque tribuendo, & opera ſupernaturali vitæ, quam illi communicat, proportionatā: ac porrò quale corpus abſque anima remanet; ita animam ſine Spiritus huius ſancti gratia, quæ illam viuificat, remanere. Ex quo intimum concipiam Spiritus huius Sancti deſiderium, magnoque feruore cum ab ipſo Chriſto Domino petam. O dulcis Ieſu, inſpira in animam meam hunc Spiritus Sancti afflatum, vt noua gratiæ vita viuens, opera efficiat æternæ vitæ digna, ad tuam gloriam.

III.

PRAETEREA afflatus hic eſt ventus, ſeu Spiritus quidam, quem vi ex ore eijcimus, quo afflare conſueuimus, & puluiſculum ſiue ſtipulam ex veſte, aut ex loco alio mūdo abijcimus, qua ratione etiā Spiritus Sanctus datur ijs, qui ſunt iuſti, quales erāt Apoſtoli, vt interna vi moueātur ad id,

Digitized by Google

quod bonum eſt, & purgentur à culpis, & imperfectionibus etiam leuiſſimis; ita vt nihil in eis remaneat, quod ipſius Spiritus puritatē dedeceat.

Denique hoc donum, fuit tanquam pignus illius Spiritus, qui in die Pentecoſtes, tanquam vētus vehemens dandus erat, eò copioſius, quò vehemens ventus, ſimplicem noſtrum halitum excedit: nam qui hoc die datus eſt, dirigebatur ſolùm ad vnum effectum, hoc eſt, ad remittenda peccata; qui autem in die Pentecoſtes dandus erat, ad multos etiam alios effectus erat dirigendus, vt ſuo loco videbimus. IV.

PVNCTVM III.

STATIM adiecit Chriſtus: a *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* His verbis dedit Chriſtus Dominus noſter ſuis Apoſtolis poteſtatem remittendi peccata, quę propria eſt Dei: nam ad eum ſolum ſpectat; iniuriam donare, cui illa eſt illata. Cùm itaque peccatum grauiſsima ſit iniuria aduerſus Deum; ad ipſum ſolum pertinebit, illam remittere, iuxta illud Prophetæ: b *ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me*; vel ad eos, quibus vices ſuas ipſe committit, quas non commiſit Angelis, ſed hominibus, pro quibus, factus eſt homo: Nec eas dedit hominibus, qui ipſius in mundum aduentum pręceſſerant, ſacerdotibus ſcilicet veteris legis, qui, vt nō poterāt corporis lepram ſanare, ſed declarare ſolùm eum, qui ſanus iam eſſet; ſic nec poterant quemquam, ab animæ lepra mundare: at ſacerdotibus nouæ legis, dedit Chriſtus Dominus poteſtatem, vt medijs ſacramentis, reipſa & verè à lepra peccatorum, animas, ipſius nomine, & tanquam vicarij, & locum eius tenentes, mundent. Et ita participes illos facit, infinitæ dignitatis Saluatoris, quæ nomine ipſo Ieſu ſignificatur; ipſius enim virtute ſaluant, & liberant à peccatis: quam ob rem innumeras ei gratias debemus. O liberaliſsime Ieſu, quid tibi reddemus, pro adeò inſigni beneficio? Et quandoquidem alicui hanc poteſtatem tradere volebas; an nō fuiſſet melius, eam Angelis dare, qui ab omni peccato mundi ſunt & puri, & tui honoris Zelantes, quem nouiſſent benè propugnare, & pro illo reſpondere? O immēſa Dei liberalitas! O liberaliſsima miſericordia, hominibus peccatoribus vices tuas tribuis, & loco tuo illos collocas, vt remittant peccata! Vt eò profuſius illi remittant, quò magis propriam neceſsitatem agnoſcunt. Et quamuis iuſtum omninò ſit, vt honori tuo conſulant; placet tamen tibi, vt propriæ quoque vtilitatis & commodi rationem habeant.

a *Ioa.* 20.23

b *Iſa.* 43.25 *Marci* 2.8.

Poteſtas remittendi peccata.

Oratio.

EMINET tamen maximè miſericordia hæc & liberalitas, cùm abſque numero aut termino, in multis rebus, poteſtas hæc eſt conceſſa. Nam

Digitized by Google

primum, ea ſe extendit ad omnes homines huius mundi, cuiuſcunque illa ſtatûs & conditionis ſint, nemine prorſus excluſo, quamdiu viuit in hac vita mortali, ita vt, niſi peccator ipſe negligat, veniam peccatorum ſuorum quærere, medio hoc ſacramento; nihil illi deeſſe poſsit, ob defectum huius poteſtatis, ad veniam impetrandam. *Deinde* eadē poteſtas extendit ſe ad omne genus peccatorum, etiam enormium & grauiſsimorum; adeò vt etiam peccatum in Spiritum Sanctum de quo ipſemet Chriſtus dixit, c *qui dixerit verbum, contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſeculo neque in futuro*, eò quòd ex parte ipſius peccantis, difficile ſit quod remittatur nihilominus ſi pęniteat poteſtas eſt in terra, ad illud remittendum. *Tertio* extendit ſe eadem poteſtas ad quemcunque numerum peccatorum poſsibilem, quam diu hominis vita durat, adeo d *ipſe Ieſus dixerit ſancto Petro; non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuageſies ſepties*: imo ſeptingenties millies, & ſine numero remitti poteſt ei, qui toties peccauit, idque ſuauitate quadam ſtupenda. Nam, vt Chriſtus Dominus noſter, afflatu, quem ore ſuo in Apoſtolos inſufflauit, dedit eis Spiritum Sanctum ita Confeſſarij verbo abſolutionis, quod exit ab ore eorum, nomine & virtute Chriſti, dant illum pænitentibus, & ab eorum peccatis ipſos liberant. Et quo hæc poteſtas, perpetua eſſet in Eccleſia, voluit idem Chriſtus Dominus, vt Epiſcopi, qui ſunt Apoſtolorum ſucceſſores, eodem afflatu, dicentes verba, quæ ipſe Chriſtus dixit, darent Spiritum Sanctum, & poteſtatem remittendi peccata ijs, quos ordinant Sacerdotes. O amantiſsime & liberaliſsime Ieſu; ſi paruo tibi conſtitiſſet, leuique pretio comparaſſes remiſsionem peccatorum, non adeo admirarer, tam liberalem te eſſe, in adeò ampla poteſtate communicanda, ad illa remittenda; ſed cum video, pretio tui pretioſi ſanguinis, horrendis adeo doloribus, & ignominijs effuſi, tibi hanc remiſsionem ſtare; quis non obſtupeſcat, & extra ſe fiat, ad immenſam tuam miſericordiam prædicandam! Sit ſeptingenties millies benedicta infinita tua Charitas, per quam humillimè peto, vt omnes adiuues peccatores, ad fructum ex ea capiendum, & veniam obtinendam, quam adeò liberaliter illis offers. Ex dictis intelligam, quo ſpiritu & feruore, accedendum mihi ſit ad ſanctiſsimum Sacramentum confeſsionis tanquam qui accedat ad accipiendum Spiritum Sanctum, mediante verbo abſolutionis, quod tanquam Chriſti halitus, prodit ex ore Sacerdotis. *Hac de re aliquid eſt dictum Meditatione* 30. I. *partis*.

1. Quanta Chriſti poteſtas.

2. Ex Quo vſque ſe extendat

c *Matt.* 12.

3

d *Matt.* 18. 12.

Oratio.

Digitized by Google

MEDITATIO X.

DE ALTERA APPARITIONE APOSTOLIS facta, præſente Sancto Thoma, octaua die poſt Reſurrectionem.

PVNCTVM I.

a THOMAS *vnus ex duodecim, qui dicitur* **Didymus**, *non erat cum eis, quando venit Ieſus: Dixerunt ergo ei alij diſcipuli: vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locũ clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* a Ioan. 20 24.

CONSIDERANDI ſunt hic huius Apoſtoli defectus non vt illum propterea ſugillemus, ſed vt cautiores ex eo euadam', & vt facilius appareat, quanta fuerit Chriſti Domini noſtri, in eo curãdo miſericordia, & quã ipſe Apoſtolus profecerit ex ea curatione. Apoſtoli Thomæ defectus

I. Segregatio

PRIMVS defectus fuit, quod *diſceſſerit* ex reliquorum Apoſtolorum contubernio, ſiue, quòd tædio affectus eſſet; ſiue vt rei alicui alteri palato ſuo gratæ, attenderet: ob quam cauſam tanto bono priuatus fuit, videndi ſcilicet Chriſtum Dominum, & fruendi gratiis, quas cæteri Apoſtoli ab eo acceperunt. Ex quo diſcam, quàm grande ſit malum, deſerere contubernium bonorum: & ſi ſum religioſus, quantum noceat ab ipſa communitate recedere; & in vitium ſingularitatis incidere. Chriſtus enim Dominus, aſſiſtit in medio illorum, qui ſunt charitate coniuncti; ſubtrahit ſe autem ijs, qui cum læſione fraternæ charitatis fiunt ſingulares.

II. Incredulitas.

SECVNDVS defectus & peccatum eius fuit *incredulitatis* ſimul cum *duritie cordis*, & pertinacia proprij iudicij, cùm noluit credere: quod condiſcipuli omnes, tanquam oculati teſtes, ipſi referebant: præferens ex occultâ ſuperbiâ, iudicium proprium, reliquorum iudicio.

III. Præſumptio & curioſitas.

TERTIVS defectus, fuit quidam modus *præſumptionis & curioſitatis*, quo eò vſque peruenit, vt præſcriberet Deo modum quo ipſe ad credendum induci vellet; dicens, ſe non contentum fore, ſi oculis ſuis viuentem Chriſtum cerneret, ſed etiam velle digitos ſuos, & manus, in vulnera ipſius mittere; quod quidem pernicioſum eſt valde ijs, qui tractant cum Deo, neq; enim fas eſt, ſibi ipſi tantum tribuere, vt ſpeciales quærant fauores, nec Deo præſcribere media, quibus ipſi ad credendum inducantur, aut ſe Diuino obſequio ita mancipare, vt media ordinaria reijciant, quæ Deus præſcripſit.

IV. Pertinacia

QVARTVS defectus fuit, modus ille *pertinaciæ*, quo per octo dies', ita malèdiſpoſitus permãſerit, vt noluerit emolleſcere, propter dicta cõdiſcipulorũ, nec Petri, nec illorũ, qui in via ad Emmaus Chriſtũ viderãt, & forte

allegantibus titulos & rationes, quæ vim quodammodo illi inferant, vt noſtris petitionibus annuat, etiam vſque ad importunum illud verbum, quod illi dixit Iacob: c *non dimittam te; niſi benedixeris mihi*, nec deſiſtam tecum luctari donec te dedas, & quod peto, mihi tribuas; quamuis reuerà in huiuſmodi occaſionibus non nos illum cogamus, ſed bonitas, charitas, & miſericordia ipſius illum cogit, nobis fauere: quia ipſe ſpiritum illũ nobis inſculpit, quo illum cogimus. Et in tanti momenti negotio, atque mea eſt ſalus, non eſt mihi leuiter, oſcitanter, ac tepidè procedendum, ſed omnis diligentia imò violentia, quantum ipſe Dominus permiſerit, adhibenda eſt.

c Gen. 32. 26

Diſcipulorũ oratio expẽdenda.

AD HOC iuuerit multum, *orationem* illam *expendere*, quam hi diſcipuli habuerunt dicentes: *Mane nobiſcum, Domine, quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies*, Dominum iam appellantes, quem paulò antè peregrinum nominauerant; ſed quia reuerentiam & magnum amorem erga eum conceperant, *Dominum* iam appellant: & rationem, vt manere velit, adferunt; quia adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies. O bone Ieſu, mane mecum, quia in anima mea, iam adueſperaſcit lux fidei, ſplendor virtutis, & feruor charitatis refrigeſcit, ac declinat: te autem diſcedente, conuertar in noctem obſcuram & frigidam: mane mecum, Domine, quia dies vitæ meæ adueſperaſcit, & nũc magis mihi eſt neceſſaria præſentia tua, cùm iam nox meæ mortis appropinquat.

Oratio.

d Ioa. 14. 23

Tu dixiſti, Domine: d *ſi quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Cupio Domine, te diligere, tibique ex toto cordis affectu obedire; mane, quæſo mecum Domine, vt meum deſiderium poſſim implere, & ad æternam vitam peruenire, in qua maneam tecum in æternum. Amen.

Hac iaculatoria oratione vtitur hoc tempore Eccleſia, licetq; nobis frequenter illa vti, eo ſpiritu, quem in proximo colloquio inſinuauimus.

PVNCTVM V.

a Luca 24. 30.

Cauſæ ob quas Chriſtus ſe ijs reuelat.

a ET *factum eſt cum recumberet cum eis, accepit panem & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum & ipſe euanuit ex oculis eorum.*

I. Hoſpitalitas.

Homil. 23. in Euang.

PERPENDENDAE hîc ſunt *cauſæ*, cur Chriſtus Dominus noſter, voluerit ſe his diſcipulis *manifeſtare*, cùm recumberet cum eis. *Prima* enim cauſa fuit, vt oſtenderet, ſe magnifacere *hoſpitalitatem*, & charitatem illam; & ſimul doceret huiuſmodi opera miſericordiæ, aptè nos diſponere, ad ipſum Chriſtum, in ſuis pauperibus excipiendum, magnaſque gratias & fauores ab eo obtinendos: ſiquidem teſte Sancto Gregorio, hi diſcipuli non ſunt illuminati, cùm audirent præcepta Chriſti; ſed cum

Digitized by Google

illa facerent. *Secunda* cauſa fuit, vt intelligeremus, efficacius multò eſſe *exemplum*, & plus valere, quàm verbum, vt quis alijs innoteſcat: & quoniã Chriſtus Dominus noſter, in vtroque, hoc eſt, verbo & opere, potens erat, oſtendit illis in via dulcedinem, & ſapientiam in verbis; ex quibus eum non ſatis cognouerunt: ſed in menſa, oſtendit illis grauitatem & modeſtiam, qua panem conſueuerat in manibus ſuis accipere, & pietatem ac deuotionem, qua illum benedicens, gratias æterno PATRI propterea agebat, & charitatem, qua illis diſtribuebat: & harum virtutum, quæ eminenter in eo ſplendebant, aſpectu, aperti ſunt oculi eorum interni vt illum agnoſcerent. II. Exemplum

Tertia cauſa fuit, ad ſignificandum efficacitatem ſanctiſsimi EVCHARISTIAE Sacramenti, quod panis ille ſignificabat, (quamuis aliqui dicant verè fuiſſe ipſum Sacramentum) quod vim habet mentem illuminandi, & internos oculos multò meliùs clarificandi, quam illud b *mel, quod* guſtatum, *illuminauit oculos Ionatæ* Filij Saulis: guſtata enim ſuauitas, quæ ex hoc cibo percipitur, aperit nobis ipſa experientia celſitatem & ſublimitatem Chriſti Domini noſtri, qui in illo eſt, & ſtupendos adeò effectus per illud operatur. III. Euchariſtia — b 1. Regum 14, 27.

Ex tribus hiſce cauſis, magna deſideria concipiam, tria illa prædicta exercendi, opera, ſcilicet miſericordiæ, bonum exemplum erga alios, & frequentem ſanctiſsimi huius Sacramenti perceptionem, ſupplex orans, cœleſtem hunc Magiſtrum, præſto vt ſit mihi, & iuuet ita ea exſequi, vt oculi mei aperiantur ad ipſum cognoſcendum, & eidem, ſicut par eſt, ſeruiendum.

VLTIMÒ cauſas perpendam, cur Chriſtus Dominus ſtatim *euanuerit*, tunc illos deſerens, cum illi maximè fuiſſent eius præſentia recreandi: hoc autem fecit, vt ſententiæ illius, quæ eſt apud Iob, veritas intelligeretur: c *viſitas eum diluculo, & ſubito probas illum*. nam viſitationes Dei in hac vita mortali, non ſunt aut prolixæ, aut ex propoſito; ſed obiter & mox atque apparuerit, ſe ſubtrahit: tum ad nos, exercendos, tum vt operibus charitatis erga proximos attendamus. Et ita contigit in præſenti caſu: nam ſtatim atque ab oculis illorum euanuit, magna illi lætitia pleni, quod eũ vidiſſent, ſuam verò tarditatem damnantes, in eo agnoſcendo, cum in via eius verba audiret, & cor eorum arderet; reuerſi ſunt in Ieruſalem: vt grata hæc noua Apoſtolis referrent, promulgantes ſeuerè eum vidiſſe & d *cognouiſſe in fractione panis*. Et qui, dum irent in Emmaus, tardo greſſu, & plumbeis, vt dicitur, pedibus, ob grauem triſtitiam ambulant, in reditu properabant, & lætitia perfuſi, ceruorum inſtar currebant. O mutatio dexteræ excelſi! O potentia infinita noſtri dulcis Ieſu! quàm citò Deus meus, mutas corda tuorum diſcipulorum, & quam varias habes IV. Cur euanuerit ſtatim. — c Iob, 7, 18. — d Luc. 24, 35.

ad eos permutandos! viſita me, Domine, frequenter, quamuis ſtatim me probes: nam aſpectus tuus, vel ad monumentum durâs, ſufficit me deducere ex omni miſeria, & animam meã cæleſti lætitia replere, e *dilatans cor meum, vt viam mandatorum tuorum curram*, donec perueniam ad te videndũ in ſede & throno tuæ gloriæ, in æternum. Amen.

a *Pſal.* 118. 23.

MEDITATIO VIII.

DE APPARITIONE, QVA IPSO DIE RESVRrectionis Chriſtus Apoſtolis apparuit.

PVNCTVM I.

a *Ioan.* 29. 19.
b *Luca.* 24. 36.

CVM a *ſerò eſſet die illo* reſurrectionis, *& fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati propter metum Iudaeorum*, b *venit Ieſus, & ſtetit in medio illorum.*

I. Cauſæ ob quas tam ſero Chriſtus apparuit.

PERPENDENDAE hic ſunt cauſæ, cur diſtulerit Chriſtus Dominus hanc Apoſtolorum viſitationem, vſque ad veſperum, inter quos multi erant, qui vehementer illum amantes, videre deſiderarent, vt S. Ioannes, S. Andreas & alij. *Prima* cauſa fuit, quod inter illos eſſent aliqui *tardiores* ad credendum, ideoque oporteret illos ſenſim diſponere, vt hæc viſitatio magis illis eſſet vtilis. *Secunda* cauſa, vt probaret *patientiam* magis dilectorum, & hac dilatione eorum deſiderium ipſum videndi, magis acueret, & melius eſſent diſpoſiti ad fauorem & gratiam, quã illis facere ſtatuerat. *Tertia* cauſa fuit, quia familiare eſt Domino noſtro *conſolationem ſuis adferre*, quando ipſi maximè diffidunt, ſe illam accepturos: Ideoque, cùm Apoſtoli, iam ſe in cænaculo clauſiſſent, omnino diffidentes ſe illa die Magiſtrum ſuum viſuros, tunc ingreditur repente, & illos viſitat. HINC documentum accipiam, patienter exſpectandi Dei viſitationem & conſolationem; certo mihi perſuadens, ad futurum ipſum mihi tempore maximè opportuno, memor ſententiæ Habacuc: c *ſi moram fecerit, exſpecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit*; Et Iob dicentis d *cum te conſumptum putaueris, orieris vt Lucifer.*

c *Habac.* 2. 3.
d *Iob.* 11. 17.

II. Cur clauſis ianuis apparuit.

DEINDE, perpendam cauſas, ob quas voluerit *clauſis ianuis*, ad illos intrare. quarum vna fuit, vt ſuis diſcipulis manifeſtum faceret, quod ipſius corpus eſſet verè *glorificatum*, & ob dotem ſubtilitatis poſſet penetrare quocunque vellet, abſque vllo obſtaculo. *Deinde* vt eadem opera oſtenderet, *omnipotentia ſua efficacitatem*; & ſe tanquam Dominum abſolutum, poſſe animam ingredi, viſitare, & ſuis in-

ſpiratio-

ſpirationibus conſolari, ac pro ſuo libitu mutare; nullo exiſtente qui vel impedire, vel e *reſiſtere* valeat *eius* efficaci *voluntati*. Item vt inſinuaret gratum ſibi eſſe, quod ipſius ſerui, cordis ſui portas & feneſtras claudant, quę ſunt ſenſus externi, f *quia aſcendit mors per feneſtras, & ingreditur domos noſtras*: Illis enim clauſis, ingreditur ipſe, tanquam author vitæ, vt repleat nos lætitia. O Rex gloriæ, tua eſt anima mea, & omnes eius facultates: nam domus eſt à tua omnipotentia fabricata, vt tua ſit habitatio: ingredere illam, Domine, & in me fac quòd tibi lubet: cupio enim nihil reſiſtere ijs quæ tu ſtatueris: deſidero omnes eius portas ita claudere vt nihil ingrediatur, quod oculis tuis diſpliceat: ſed ſi tu intus manes, hac præſentia tua erunt omnes melius occluſæ.

e Rom. 9. 19.

f Ierem. 9. 21.

Oratio

III. Cur in medio ſteterit.

Tertiò cauſas exquiram, cur ſteterit *in medio* eorum? forte autem voluit ipſos intelligere, verum id eſſe, quod aliquando eis dixerat: g *vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio illorum*. Inſtar Solis illos illuſtrans; & inſtar Magiſtri docens; inſtar Paſtoris, gubernans tanquam Mediator inter Deum & homines eos pacificans. Denique inſtar protectoris, eos ſuis alis protegens ac defendens; omnia enim hæc officia præſtat hic Dominus erga ſuos, quando ſe collocat in medio illorum. O Anima mea, ſiquidem vbi duo vel tres coniunguntur in nomine Chriſti, ſtatim ipſe adeſt in medio illorum, ſtude & contende, vt tres tuæ facultates, memoria, intellectus, & voluntas, congregentur & coniungantur in oratione, clauſis portis ſenſuum; mox enim aderit ipſe tuus Dominus, & in medio earum ſe conſtituet, illas ſicut ſol illuminans, ſicut Magiſter docens, ſicut Paſtor gubernans, ac demum ſecum illas perfectâ amoris vnitione coniungens.

g Matt. 18, 20.

Pvnctvm II.

a Dixit *illis Ieſus: pax vobis, ego ſum, nolite timere: Conturbati verò & conterriti, exiſtimabant ſe Spiritum videre. Et dixit eis: quid turbati eſtis? videte manus meas & pedes; quia ego ipſe ſum: palpate & videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere: Et cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & pedes*, b *& latus, gauiſi ſunt ergo diſcipuli, viſo Domino.*

a Luca: 24. 36.

b Ioan. 20. 20.

Consideranda ſunt primò tria verba, quæ Chriſtus Dominus noſter, ſuis Apoſtolis dixit, cum eſſet in medio eorum, quæ ſunt effectus & ſigna boni ſpiritus. *Primum* verbum fuit, *pax vobis*: atque ſi illis diceret, mementote, me aliquando vobis dixiſſe, c *pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*: Hanc pacem iam paſſione & morte mea obtinui; ideoque de nouo eam vobis communico, eaque ſaluto. *Secundum* verbum fuit, *ego ſum*, quaſi diceret ille ego ſum, qui aliàs eram, eadem nunc eſt natura mea, eadem perſona, eadem conditio; ego ſum veſter Magiſter, veſter Saluator,

I. Tria verba conſideranda

1.

Ioan. 14. 27.

2.

prote-

protector, frater, ac veſter Deus. Protulit autem hoc verbum modo quodam, adeo iucundo, vt quietos & tranquillos reddiderit, & vt eam agnoſcerent, effecerit. Et tunc adiecit *tertium* verbum, dicens: *nolite timere*, atque ſi diceret, etſi inuadat vos timor, ne tamen illum admiſeritis; nec Iudæorum furorem timete, nec iram gentilium, nec rabiem Regum & Principum, qui inſurrexerunt contra me: nam, exiſtente me in medio veſtrum, ab omnibus his periculis eſtis tuti. O Rex gloriæ, veni etiam ad animam meam; & ſta in medio facultatum eius, ac dic illis; pax vobis. Da mihi Domine pacem, quam mundus non poteſt dare; pone pacem inter carnem & ſpiritum meum; inter animæ meæ, facultates, internas, & ſenſus externos; pacifica me cum tuo patre, & cum fratribus meis. Dic Domine, animæ meæ; ego ſum, noli timere, ſi enim hoc pignus habeam, quòd tu mecum ſis, non eſt cur timeam, talem habens protectorem.

II. Chriſti benignitas.

Deinde, perpendam eiuſdem Chriſti Domini noſtri *benignitatem* qui non contentus quod ſuos diſcipulos certos reddidiſſet de ſua Reſurrectione, ſpectabile eis præbens proprium corpus & propria voce, quam audire poterant eis loquens; vult etiam tactum eorum certum reddere, poteſtatem eis faciens, corpus ipſum tangendi & palpandi; præcipuè verò pedes, manus & latus, vbi ſigna clauorum & lanceæ erant ſeruata; ad ſananda vulnera infidelitatis & puſillanimitatis, quibus eorum corda erant ſauciata: nam in hunc finem, inter alios, ea ſigna etiam poſt Reſurrectionem voluit retinere: & ita reipſa euenit, quòd accedentes magna reuerētia & amore, eo tactu fuerunt Apoſtoli illuſtrati, & in fide confirmati, & amore, gaudioque repleti, ob gloriam ſui Magiſtri. Gratias tibi, Magiſter Supreme, ob eum fauorem & gratiam, tuis diſcipulis collatam & in eis, omnibus etiam nobis. Satis apparet, commutaſſe te legem timoris, in legem amoris: ſiquidem olim d *percutiebas eos qui* curioſitate permoti, *vidiſſent arcam Domini*, & qui e *temerè ad eandem tenendam manum extenderant*; ſed nunc te ipſum, veram noui teſtamenti arcam, videndum & tangendū præbes, vitam & gaudium tribuens diſcipulis te videntibus, & tangentibus. O ſi quis felici illi diſcipulorum ſocietati interfuiſſet, vt videre licuiſſet pulchritudinem, & elegantiam Ieſu, dulcemque eius vocem audire, ac pretioſiſsima vulnera tangere. O dulciſsime Ieſu, en me ſpiritu, in veneranda tua præſentia conſtituo, tuamque celſiſsimam maieſtatem adoro, & in intimo cordis mei proſtratus, accedo, vt pretioſiſsima tua vulnera oſculer magna fiducia, quod per illa ſim à meis vulneribus liberandus.

d 1. Reg. 6. 19.
e 2. Re. 6. 6.

PVNCTVM III.

ALIQVIBVS autem ex diſcipulis, a *adhuc non credentibus*, ipſum eſſe eundem, qui fuiſſet crucifixus, *& admirantibus pra gaudio, dixit: habetis hic aliquid, quod manducetur? at illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & fauum mellis. Et cum manducaſſet coram eis ſumens reliquias, dedit eis.* a Luca. 24. 41.

PERPENDENDA hic eſt magnitudo *amoris Chriſti* Domini noſtri, qui non contentus ijs, quæ prius ad diſcipulos reddendos certos de ſua Reſurrectione dixerat & fecerat; hoc etiam aliud ſignum magnæ familiaritatis & fraternæ affabilitatis adiecerit, vt peteret aliquid ad comedendũ, & coram illis comederet; etiamſi comedere, valde eſſet alienum ab ſtatu corporis glorificati. Ex quo magnum motiuum accipiam ad eum amandum, qui ita ſe humiliat & humanum præbet, ob noſtrum commodum: accipiam etiam exemplum me ipſum humiliandi, vt benefaciam proximis meis, etiam cum opus fuerit aliquid præſtare, quod non omnino cum celſitudine mei ſtatus conueniat. Neque enim exiſtimandum eſt, huic celſitudini repugnare, quod fit in bonum proximorum. I. Magnitudo amoris Chriſti.

SECVNDO expendendum eſt myſterium huius *comeſtionis*. Nam *piſcis aſſus*, figura eſt ſacratiſsimæ eius humanitatis, quæ igne tribulationum fuit in cruce aſſata; fauus autem *mellis* refert eius diuinitatẽ, quæ fons eſt omnis dulcedinis; & vtraque res ſimul eſt in ſanctiſsimo Altaris Sacramẽto; Vtramque comedit ipſe Chriſtus, in nocte ſuæ Paſsionis; vtramque illi offerimus in ſacrificium, & ipſe nobis præbet in alimentum animarum, vt nos inflammet igne amoris ſui, repleatque lætitia ſpirituali. O Dilecte cordis mei, ſi petis à me aliquid ad comedẽdum, quid tibi offerre potero, tuo palato gratum, niſi piſcem hunc & fauum mellis? Quod tu mihi dediſti, id ego tibi reddo; & à manu tua expecto illud recipere, vt comedam, & meæ neceſsitati remedium afferam: & ſi aliquid aliud deſideras, ecce hic me, qui inſtar piſcis in perturbatiſsimo huius mundi mari vagor, per libertatem carnis, ſubditus malis ſenſualitatis meæ humorib. Deduc me Domine ex iſto mari; aſſa me igne tui amoris, exſiccans horrendas humiditates meas & condiens dulcedine gratiæ tuæ, vt inſtar faui mellis, gratus ſim cibus palato tuo. Amen. II. Myſterium comeſtionis. Piſcis aſſus quid notet. Fauus. Oratio

DENIQVE perpendam, quòd Chriſtus Dominus noſter, cum ſatis diſcipulis ſuis oſtendiſſet, ſe reipſa eſſe, qui erat, ex prædictis ſignis: reuocauit illis in memoriam: quicquid eo vſque actum fuiſſet, id non caſu aliquo factũ eſſe ſed, b *quoniã neceſſe eſſet impleri omnia, quæ ſcripta erant in lege Moyſis, & Prophetis, & Pſalmis* de ipſo; *& tunc aperuit illis ſenſum: vt intelligerent ſcripturas*, ſicut fecerat cum iis, qui ibant in Emmaus. Eſtque fas cre- III. Nihil ſine cauſa. b Luca. 24. 44.

dere, eorum corda etiam fuiſſe ardentia intra ipſos, cum ille ſcripturas declararet.

Reſurrectio Chriſti ſcripturis confirmata. c Luca.8.11 Matt.13.11.

Hoc fauore & comitate, finem impoſuit Chriſtus Dominus teſtimonijs *ſuæ Reſurrectionis*, dum eam confirmauit ſacris ſcripturis, quas nemo intelliget, niſi ipſe Chriſtus, ſenſum ei, ad eas intelligendas, aperiat; cuius luce ſi eas intellexerit, non prætermittet credere & admittere, quod illæ dicunt.

Oratio. d Apocal.5.1.

O Magiſter cæleſtis, qui tuis Apoſtolis dixiſti, c *quia vobis datum eſt, noſſe myſteria regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant:* Fateor, ſublimia tua myſteria mihi eſſe occulta, meumque ſenſum ad illa clauſum: quia meis peccatis valdè eſt obſcuratus: ſed memento Domine, te, paſsionis tuæ meritis, d *librum qui erat in dextera ſedentis ſupra thronum, ſignatum ſigillis ſeptem* ita apparuiſſe, vt legi poſſet. aperi, Domine, & mihi librum tuorum ſacrorum myſteriorum ita, vt illa intelligens, igne tui amoris totus accendar.

Praxis Chriſti cõſolatoria.

Ex dictis in hac meditatione, deprehenditur praxis, & modus ſpecialis, quo Deus vtitur, in conſolandis ſuis familiaribus, per ſenſus internos, de quibus actum eſt. §. 11. Introductionis huius operis. Nam in hac apparitione conſolatus eſt Chriſtus ſuos Apoſtolos, non ſolùm quoad ſenſus externos, ſed etiam proportionaliter quoad internos: Nam quoad viſum, oſtendit ſe illis reſuſcitatum & pulcherrimum; quoad auditum, locutus eſt eis comiter & affabiliter; quoad tactum, præbens ſeipſum illis, vt tangerent eius vulnera; quoad guſtatum, diſtribuens illis reliquias piſcis & faui, ac denique aperiens illis ac perficiens internum ſenſum, vt ſacras ſcripturas intelligerent, & latentia in eis myſteria cognoſcerẽt. Quod totum operatur Chriſtus Dominus noſter ſpiritualiter, in illis animabus quæ ſe dedunt contemplationi, ſicut in prædicto. §. eſt explicatum, & adhuc dicetur in ſubſequentibus Meditationibus.

MEDITATIO IX.

QVOD EODEM TEMPORE CHRISTVS DEDERIT Apoſtolis Spiritum ſanctum, & poteſtatem remittendi peccata.

PVNCTVM I.

a Ioan.20.21.

I. a DIXIT *Ieſus illis iterum: pax vobis, ſicut miſit me pater, ita ego mitto vos.* PERPENDENDVM eſt primò, Chriſtum Dominum noſtrum, in vna hac viſitatione, bis illud verbum dixiſſe *pax vobis.*

Digitized by Google

PRIMVM, ſtatim in ipſo ingreſſu, vt illos diſponeret, & capaces redderet, ad cognoſcendum myſterium ſuæ Reſurrectionis: quia cor turbatum remorſibus peccatorum, aut inordinatione paſsionum, aut curarum multitudine, aut imaginationum agmine, non ſatis eſt diſpoſitum, ad Chriſtũ cognoſcendum, & eius myſteria contemplanda. Quare neceſſe eſt, vt prius illud Chriſtus ſedet, ac tranquillet; nobis tamen etiam cooperantibus ad quatuor illa prædicta contemplationis impedimenta remouenda, quæ (Sancto Bernardo teſte) ſunt, culpa mordens, ſenſus egens, cura pungens, & irruentia corporearum imaginum phantaſmata: his enim impedimentis remotis per interiorem pacem, quam Deus nobis tribuit, animâ ad id cooperante, capax efficitur conſolationum proximæ Meditationis ad finem. Pax à Chriſto bis imperata. 1. Ser. 21. in Cant.

Secundò repetiuit eadem verba, PAX VOBIS, vt melius adhuc eos diſponeret ad munus quod illis iniungere ſtatuerat, eundi ſcilicet per mundum, ad conuerſandum cum hominibus, eoſque conuertendos: quod, niſi qui pacem ſecum habeat, &, quod in ſe erit, ita diſpoſitus ſit, vt eandem ipſe cum omnibus, & ipſos inter ſe, & cum Deo pacem habere ſtudeat, præſtare non poterit. O Rex pacis, Dic animæ meæ: bis *pax tecum*, vt vtraque pace fruens, perueniam ad cognitionem tuorum myſteriorum, & alios iuuem, eadem cognoſcere: quò omnes te diligamus, & vera pace & charitate tibi ſeruiamus. Amen. 2.

DEINDE conſideranda ſunt verba illa quæ ſubiecit Chriſtus: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, quibus verbis commiſit illis munus, ad quod illos elegerat, Apoſtolatûs videlicet, quod ſignificat miſsionem aut legationem: quaſi illis diceret, ſicut miſit me Pater in mundum, vt illum docerem viam veritatis & virtutis; ſic ego vos mitto in mundum, vt in eo, quod ego cæpi, vos pergatis, illudque promoueatis. Ex quo apparet, quanta ſit dignitas à Chriſto Domino, ſuis Apoſtolis collata, quos fecit, ſuos legatos, & ſucceſſores, in munere conuerſionis mundi, iuxta illud Apoſtoli, b *pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, in quibus poſuit verbum reconciliationis, obſecramus igitur* iam *pro Chriſto, reconciliamini Deo.* In eandem porrò dignitatem ſuccedunt, alij ac ſuccedent, vſque ad finem ipſius mundi, ne deſit vnquam, qui eius conuerſioni & perfectioni attendat. Habet verò magnam vim & emphaſim vox illa, SICVT; quæ etſi non æqualitatem, magnam certè ſimilitudinem denotat: atque ſi diceret: ego, qui Patri meo ſum æqualis, vos mitto, ſicut ille me miſit; plurimas gratias ac dona, quæ ego habeo, vobis tribuens, vt munus idem præſtetis, quod ego præſtiti. Ne tamen exiſtimemus munus hoc eſſe ad quietem eius, cui illud committitur; eiſdem verbis inſinuat eius onus, dicens: ſicut Pater, quãuis me amet, non tamen miſit ad honores & II. Munus Apoſtolatus. b 2. Corint. 5. 20.

Digitized by Google

delicias,ſed ad ſuſtinendas ignominias & labores,quia id meum munus requirebat; ita ego, licet vos amem, mitto tamen ad graues tolerandas perſecutiones, vt commiſſo vobis muneri fideliter reſpondeatis, ſicut ego tales perpeſſus, meo muneri ſatis feci:non enim c *Apoſtolus eſt maior* aut maiori priuilegio vti debet, *quam qui miſit eum*, cuius eſt ipſe legatus. O Apoſtole,& Pontifex ſupreme,cui d APOSTOLI nomen eminenter cōpetit,eò quòd ab æterno Patre ſis miſſus, ad ſaluandum mundum, iuſtū omninò eſt, nos omnes tuæ vitæ conformari, tuæque miſsionis greſſus ſequi ſuſtinentes labores & afflictiones, quas tu ſuſtinuiſti, vt eius,qui te miſit, voluntati plenè ſatis fiat. En me totum obſequio tuo offero; mitte me quo libuerit, paratum ad ſuſtinendum,quod tu decreueris:cum enim tu me mittas,gratia quoque tua me iuuerit vt exſequar,quod iubes.

c Ioan.13.16
d Hebr.3.1

PVNCTVM II.

a Ioā.20.22

HAEC *cum dixiſſet,inſufflauit, & dixit eis: accipite ſpiritum Sanctum.* Huius doni excellentiam perpendemus Meditatione. 22. modus nunc tantùm eſt perpendendus, quo illud dedit, expendendo huius inſufflationis myſterium.

I. Cur inſufflauerit.

PRIMVM inſufflauit,ad ſignificandum Spiritum illum ſanctum,quem illis dabat,ita ab ipſo procedere, ſicut halitus procedit ab eo,qui afflat. Itaque non ſolùm dona ſua, ſed ipſum quoque Spiritum Sanctum, ſimul cum illis nobis tradit:qui etſi in perſona ſit diſtinctus, non tamen in ſubſtantia. Benedictus ſit talis dator,qui adeò liberaliter, adeoque facilè,dat nobis grande adeò donum,& æquè pretioſum,atque eſt ipſe dator.

II.
b Gene. 2.7

DEINDE *afflauit* vt ſignificaret,ſe eundem eſſe,qui b *inſpirauit in faciem Adamo,ex limo terræ formato,Spiraculum vitæ, quo factus ille eſt homo in animam viuentem*;& hunc Spiritum, eoſdem in anima effectus habere,quos alter ille habuit in corpore, ipſam videlicet animam viuificare, & pulcherrimam reddere;motus ſenſuſque tribuendo, & opera ſupernaturali vitæ,quam illi communicat,proportionatā:ac porrò quale corpus abſque anima remanet; ita animam ſine Spiritus huius ſancti gratia, quæ illam viuificat,remanere.Ex quo intimum concipiam Spiritus huius Sancti deſiderium,magnoque feruore eum ab ipſo Chriſto Domino petam.O dulcis Ieſu,inſpira in animam meam hunc Spiritus Sancti afflatum, vt noua gratiæ vita viuens,opera efficiat æternæ vitæ digna,ad tuam gloriam.

III.

PRAETEREA afflatus hic eſt ventus,ſeu Spiritus quidam,quem vi ex ore eijcimus, quo afflare conſueuimus, & puluiſculum ſiue ſtipulam ex veſte,aut ex loco alio mūdo abijcimus,qua ratione etiā Spiritus Sanctus datur ijs,qui ſunt iuſti,quales erāt Apoſtoli,vt interna vi moueātur ad id,

quod

quod bonum eſt,& purgentur à culpis, & imperfectionibus etiam leuiſſimis;ita vt nihil in eis remaneat, quod ipſius Spiritus puritatē dedeceat.

Deniqve hoc donum, fuit tanquam pignus illius Spiritus, qui in die Pentecoſtes,tanquam vētus vehemens dandus erat,eò copioſius,quò vehemens ventus,ſimplicem noſtrum halitum excedit: nam qui hoc die datus eſt, dirigebatur ſolùm ad vnum effectum,hoc eſt, ad remittenda peccata; qui autem in die Pentecoſtes dandus erat, ad multos etiam alios effectus erat dirigendus, vt ſuo loco videbimus. IV.

Pvnctvm III.

Statim adiecit Chriſtus: a *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis;& quorum retinueritis,retenta ſunt*. His verbis dedit Chriſtus Dominus noſter ſuis Apoſtolis poteſtatem remittendi peccata,quę propria eſt Dei:nam ad eum ſolum ſpectat;iniuriam donare, cui illa eſt illata. Cùm itaque peccatum grauiſsima ſit iniuria aduerſus Deum;ad ipſum ſolum pertinebit,illam remittere,iuxta illud Prophetæ:b *ego ſum,ego ſum ipſe,qui deleo iniquitates tuas propter me*; vel ad eos, quibus vices ſuas ipſe commmittit,quas non commiſit Angelis, ſed hominibus, pro quibus, factus eſt homo:Nec eas dedit hominibus, qui ipſius in mundum aduentum pręceſſerant,ſacerdotibus ſcilicet veteris legis,qui,vt nō poterāt corporis lepram ſanare,ſed declarare ſolùm eum,qui ſanus iam eſſet; ſic nec poterant quemquam,ab animæ lepra mundare: at ſacerdotibus nouæ legis,dedit Chriſtus Dominus poteſtatem,vt medijs ſacramentis, reipſa & verè à lepra peccatorum,animas,ipſius nomine,& tanquam vicarij,& locum eius tenentes,mundent.Et ita participes illos facit, infinitæ dignitatis Saluatoris,quæ nomine ipſo Ieſu ſignificatur; ipſius enim virtute ſaluant,& liberant à peccatis:quam ob rem innumeras ei gratias debemus. O liberaliſsime Ieſu,quid tibi reddemus, pro adeò inſigni beneficio? Et quandoquidem alicui hanc poteſtatem tradere volebas;an nō fuiſſet melius,eam Angelis dare,qui ab omni peccato mundi ſunt & puri,& tui honoris Zelantes,quem nouiſſent benè propugnare,& pro illo reſpondere? O immēſa Dei liberalitas! O liberaliſsima miſericordia, hominibus peccatoribus vices tuas tribuis, & loco tuo illos collocas, vt remittant peccata! Vt eò profuſius illi remittant, quò magis propriam neceſsitatem agnoſcunt. Et quamuis iuſtum omninò ſit, vt honori tuo conſulant; placet tamen tibi, vt propriæ quoque vtilitatis & commodi rationem habeant.

a *Ioa. 20.23*

b *Iſa. 43.25* *Marci 2.8.*

Poteſtas remittendi peccata.

Oratio.

Eminet tamen maximè miſericordia hæc & liberalitas,cùm abſque numero aut termino, in multis rebus, poteſtas hæc eſt conceſſa. Nam

MEDITATIO X.

DE ALTERA APPARITIONE APOSTOLIS *facta, præſente Sancto Thoma, octaua die poſt Reſurrectionem.*

PVNCTVM I.

THOMAS *vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Ieſus: Dixerunt ergo ei alij diſcipuli: vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locũ clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* a Ioan. 20 24.

CONSIDERANDI ſunt hic huius Apoſtoli defectus non vt illum propterea ſugillemus, ſed vt cautiores ex eo euadam⁹, & vt facilius appareat, quanta fuerit Chriſti Domini noſtri, in eo curãdo miſericordia, & quã ipſe Apoſtolus profecerit ex ea curatione. Apoſtoli Thomæ defectus

PRIMVS defectus fuit, quod *diſceſſerit* ex reliquorum Apoſtolorum contubernio, ſiue, quòd tædio affectus eſſet; ſiue vt rei alicui alteri palato ſuo gratæ, attenderet: ob quam cauſam tanto bono priuatus fuit, videndi ſcilicet Chriſtum Dominum, & fruendi gratiis, quas cæteri Apoſtoli ab eo acceperunt. Ex quo diſcam, quàm grande ſit malum, deſerere contubernium bonorum: & ſi ſum religioſus, quantum noceat ab ipſa communitate recedere; & in vitium ſingularitatis incidere. Chriſtus enim Dominus, aſſiſtit in medio illorum, qui ſunt charitate coniuncti; ſubtrahit ſe autem ijs, qui cum læſione fraternæ charitatis fiunt ſingulares. I. Segregatio

SECVNDVS defectus & peccatum eius fuit *incredulitatis* ſimul cum *duritie cordis*, & pertinacia proprij iudicij, cùm noluit credere: quod condiſcipuli omnes, tanquam oculati teſtes, ipſi referebant: præferens ex occultâ ſuperbiâ, iudicium proprium, reliquorum iudicio. II. Incredulitas.

TERTIVS defectus, fuit quidam modus *præſumptionis & curioſitatis*, quo eò vſque peruenit, vt præſcriberet Deo modum quo ipſe ad credendum induci vellet; dicens, ſe non contentum fore, ſi oculis ſuis viuentem Chriſtum cerneret, ſed etiam velle digitos ſuos, & manus, in vulnera ipſius mittere: quod quidem pernicioſum eſt valde ijs, qui tractant cum Deo, neq; enim fas eſt, ſibi ipſi tantum tribuere, vt ſpeciales quærant fauores, nec Deo præſcribere media, quibus ipſi ad credendum inducantur, aut ſe Diuino obſequio ita mancipare, vt media ordiuaria reijciant, quæ Deus præſcripſit. III. Præſumptio & curioſitas.

QVARTVS defectus fuit, modus ille *pertinaciæ*, quo per octo dies, ita malè diſpoſitus permãſerit, vt noluerit emolleſcere, propter dicta cõdiſcipulorũ, nec Petri, nec illorũ, qui in via ad Emmaus Chriſtũ viderãt, & forte IV. Pertinacia

idem ei dixerit ipſa Virgo ſanctiſsima, & reliquæ mulieres, quæ eundem Dominum viderant: his enim omnibus aures ſurdas præbens, in ſua permanſit duritie; & verè perduraſſet per multos adhuc dies, & vſque ad finem vitæ, niſi Chriſtus Dominus ad ipſum veniſſet, vt curaret. Hoc totũ, ſpeciali Dei prouidentia ita permittente, euenit, tum vt eiuſdem Thomę durities, in non credendo, conuerteretur in maiorem firmitatem & ſoliditatem teſtimonij, quod poſtquam crederet, alijs erat redditurus; tum vt hinc deprehendamus noſtram imbecillitatem, ſi Deus manum ſuam à nobis ſubtrahat, quod b *nullus fide poſsit ad Chriſtum peruenire niſi Pater eum traxerit.* O fili Dei viui, qui maſſam noſti, ex qua me condidiſti, ne me excutias à manu tua, ne peream, libera me ab his quatuor vitijs, quæ quatuor ventorum inſtar, domum Thomæ oppugnarunt, ne & meam expugnent, & ad terram deijciant.

b *Ioa.* 5. 44.

PVNCTVM II.

i *Ioa.* 20. 26

POST *dies octo iterum erant diſcipuli eius intus, & Thomas cum eis: Venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.*

I. Charitas Chriſti.

CONSIDERANDA Primùm eſt infinita Chriſti Domini *Charitas*, qua proſpicit ſuis ouibus: nam poſtquam octo dies expectaſſet, num Thomas conuerteretur; videret autem eius duritiem, noluit diutius remedium differre, ſed ipſemet venit, vt illum ſanaret, manifeſtans ſe illi ſicut cæteris, ingreſſus ianuis clauſis, & ſalutans verbo illo: *Pax vobis*, ſicut priùs fecerat, quo ſic eum moueret ad credendum. O Paſtor amantiſsime qui ita vnã diligis ouem, atq; multas; libẽterq́; b *dimittis nonaginta nouem in deſerto, & vadis ad* quærendum *illam, quæ* à reliquo grege errans *perierat, donec eam inuenias*: nunc video, te ſemper eundem eſſe, ſiquidem deſiderium ſaluandi ouem illam, Apoſtolum tuum, qui tendebat in ruinam, facit, vt venias ad illum quærendum, & apprehenſa eius manu velis illum in cor tuum introducere. DEINDE perpendendum, etſi potuiſſet Chriſtus Dominus noſter, ſeorſim Thomæ apparere, ſicut fecerat Sancto Petro; voluiſſe tamen potiùs coram *alijs Apoſtolis*: tum, vt ipſe Thomas intelligeret, hanc gratiam non fieri ſibi, propter merita propria; ſed quòd eſſet in *ſocietate bonorum* & dilectorum diſcipulorum: tum, vt cæteri animaduerterent ſui Magiſtri charitatem, qui vt benè faceret vni, & quidem incredulo, ad omnes veniret; & ſua præſentia omnes conſolaretur: ac denique, vt, ſicut omnes fuerant teſtes incredulitatis Thomæ, ita nunc eſſent teſtes eius fidei, & hæc ipſa etiam ipſos confirmaret in ſua. Ex quo apparet ſuauis huius Domini prouidentia, qui vnius defectum conuertit non ſolùm in eiuſdem commodum, ſed etiam in aliorum; ita diſponens

b *Luc.* 15. 4.

II. Societas bonorum quàm vtilis.

curatio-

curationem illius, vt omnes ex ea fructum capiant. DENIQVE *comitatem & affabilitatem* perpendam; qua Chriſtus Dominus Thomã eſt allocutus, dum eius imbecillitati ſeſe accommodauit. Nam vt intelligeret Thomas, ipſum Chriſtum eius cogitationes cognoſcere, ſcireque quid ipſe dixiſſet, voluit hac ratione illum conuincere, ac dixit: ſiquidem tu dixiſti, niſi videris in manibus meis fixuram clauorum, & miſeris digitum tuum in locum clauorum & manum tuam in latus meum te non crediturum; accede huc, & c *infer digitum tuum in manus meas, & manum tuam in latus meum, & noli eſſe incredulus*, quia non ſum hoc à te promeritus, *ſed fidelis*, ad quod hæc vulnera te meritò permouebunt. O infinita ſermonis Ieſu affabilitas! nunc, Saluator mi, video, quàm meritò tuus Apoſtolus dixerit, d *apparuiſſe benignitatem & humanitatem Saluatoris noſtri Dei, qui non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* nam verè tua benignitas & humanitas apparuit hodie Thomæ, ſaluum eum faciens, non ex operibus ſuis, quibus id nõ erat promeritus, ſed ſecundùm magnam miſericordiam tuam, cuius pignus nobis dediſti, quod non ſe occultabit quærentibus eam, quæ etiam non quærentibus palam ſe offert, dicens, e *ecce ego, ecce ego:* & affirmat; f *inuentus ſum à non quærentibus me; palam apparui ijs, qui me non interrogabant.*

III. Comitas & affabilitas.

c Ioan. 20. 18.

d Tit. 3. 4.

e Iſaia 65.

f Rom. 10. 20.

PVNCTVM III.

a RESPONDIT *Thomas & dixit ei: Dominus meus & Deus meus! Dixit ei Ieſus: quia vidiſti me, Thoma credidiſti: Beati qui non viderunt, & crediderunt.*

a Ioã. 20. 25.

I. PERPENDENDA inprimis eſt illuſtris hæc S. Thomæ *confeſſio.* Non conſtat ex Euangelio, num vulnera Chriſti tetigerit, aut ſatis habuerit eum vidiſſe, eiuſque verba audiuiſſe quibus ad ea tangenda inuitabatur: Fas tamen eſt credere, eum ob reuerentiam abſtinuiſſe à tactu, & ſe ad Chriſti pedes proieciſſe; ſed Chriſtum tamen arripuiſſe eius manum, & effeciſſe, vt primũ ſuũ deſideriũ expleret; vt ſic magnitudinem ſuæ charitatis magis patefaceret; tactis verò ipſis vulneribus, adeò eſt illuſtratus, vt maximo cordis ſui affectu, confeſſus fuerit, Chriſtũ eſſe ſuum Dñm & ſuũ Deum, diſtinctè exprimendo eius humanitatem, & eius Diuinitatem, & ſeſe totum feruentiſsimo amore, eius obſequio obtulerit; quod indicant illa verba, *Dominus meus & Deus meus*, quæ ſunt teneri amoris verba; & ideò non dixit Dominus noſter & Deus noſter. Iure merito, O Thoma, Magiſtrum tuum vocas Dominum meum & Deum meum, vt qui adeò te dilexerit, vt tui ſolius boni intuitu, cæteris tuis condiſcipulis apparuerit, & quaſi illorum oblitus ad te ſolũ ſermonẽ ſuũ conuerterit; vt te magis in ſui amorem alliceret & inflammaret. O Dulciſsime Ieſu, & ego liberaliter ſicut Thomas fateor te eſſe Dominum meum, & Deum meum

Thomæ Apoſtoli confeſsio S. Thom. 3. p. q. 54. a. 4. ad 2. & citat. S. Leon.

eò enim amor tuus peruenit, vt ſis paratus propter me totum facere, quod pro illo feciſti: b *quia* vt ait Apoſtolus, *dilexiſti me, & tradidiſti teipſum pro me* applicans mihi fructum mortis tuæ, atque ſi pro me ſolo paſſus fuiſſe[illegible].

b *Gal.* 2. 20

II. Non laudata à Chriſto ſed potius reprehenſa & cur.

DEINDE perpendendum, Chriſtum Dominum noſtrum etſi confeſſionem quidem Thomæ approbauerit, non tamen propterea illũ *laudaſſe*, vt beatum illum diceret, ſicut dixerat Sancto Petro, c *beatus es Simon Bariona*, quando ille dixerat, *tu es filius Dei vini*, eò quòd tardior Thomas hic fuiſſet in credendo; & ne alij, ſi ipſe illum laudaſſet, occaſionem hinc acciperent, ſimile aliquid petendi, & ſenſuum experientiam requirendi, ad credenda myſteria Dei, ac propterea tacitè potius illum reprehendit, cum dixit, *quia vidiſti me Thoma, credidiſti*; atque ſi diceret, vt crederes me eſſe tuum Dominum, & tuum Deum, opus tibi fuit me videre & palpare, & mox ſubiunxit: *beati qui non viderũt & crediderunt*; ad conſolationem eorum fidelium, quibus cum, eum in mortali hac vita videre, datum non fuerit, crediderunt tamen id, quod Thomas videns & palpãs credidit. Dixerat aliquando idem Dominus, d *beati oculi, qui vident quæ vos videtis dico enim vobis, quòd multi Prophetæ, & Reges, & iuſti cupierunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt; & audire, quæ auditis, & non audierunt*; nunc autem dicit, *beati qui non viderunt, & crediderunt*, nam ex vna parte gaudemus fructibus & bonis, quæ ipſe nobis ſua morte impetrauit; Sacramentis, quæ inſtituit; & exemplis, quæ toto vitæ ſuæ decurſu nobis præbuit; ſermonibus, quos prædicauit; & lege denique perfecta, quam nos docuit: ex altera verò parte, *fides* noſtra maius *meritum habet*, eò quòd nõ videntes, nec ſenſibus externis percipientes, quæ illi viderunt, & perceperunt, eadem credimus. Hæc fides principium eſt noſtræ beatitudinis; &, ſi charitate perficitur, etiam in eandem introducet. Gratias tibi, mi Saluator, quòd curæ tibi fuerit, conſolari eos, qui dulci tua præſentia frui non potuerunt: & ſiquidem aſſequi mihi non licuit beatitudinem illorum, qui corporis oculis te viderunt; cupio perfectè illam aſſequi, quam illi habent, qui te ſpiritualibus oculis vident: clarifica meos, Domine, cœleſti tuo lumine, vt fide viuificata, & charitate accenſa, te ſemper credam, & ita amem, vt beatus ſim tecum in regno cœlorum. Amen.

c *Matt.* 16. 17.

d *Mat* 13. 16. *Luc.* 10. 23.

Fidei meritum.

MEDITATIO XI.

QVAS OB CAVSAS CHRISTVS DOMINVS in glorificato ſuo corpore vulnera ſacra in pedibus, manibus & latere ſeruauerit.

PRAEMISSIS *quæ præcedentibus Meditationibus diximus, colligemus in hac aliquas cauſas propter quas Chriſtus Dominus noſter prædicta vulnera in corpore ſuo glorificato ſeruare voluerit; perpendentes latentem in ſingulis ſpiritum, & fructum ex ſingulis colligentes.* S.Thom. 3. p.q.54.a.3. Cicatrices cur Chriſtus retinuerit.

PVNCTVM I.

PRIMA cauſa fuit, vt oſtendens non ſolum corpus, quod palpare poſſent, ſed loca etiam clauorũ & lanceæ, in fide Reſurrectionis magis confirmarentur, ac diſtinctiùs crederent, idem eſſe omnino *corpus glorificatum*, quod fuit cruci affixum; non verò aliud recens factum. Quo eodem facto, etiam nos confirmat in fide noſtræ Reſurrectionis, quæ futura ſit in eiſdem corporibus, quæ in mortali hac vita habuimus, iuxta illud Iob, a *ſcio quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea & in carne mea videbo Deum meum quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Ad cuius ſancti imitationem, reponam & ego ſpem hanc in ſinu cordis mei, vt in medijs calamitatibus & morbis meis, me ipſum conſoler; & credens firmiter, carnem meam, quamuis vulneratam, & vermibus à pedib. ad caput plenam, & in ſterquilinio iacentem, ſicut fuit, Iob, & quamuis excoriatam, & in mille locis transfixam, & in cruce pedentẽ ad inſtar Chriſti Domini noſtri; eandem tamen ad nouam vitam reſurrecturam: & ſi qua ſigna, aut vulnera, in ea reſuſcitata remanſerint, id non prouenturũ ex imbecillitate eã reſuſcitantis, ſed id permittentis ad maiorem gloriam & pulchritudinem ipſius carnis reſuſcitatæ: & hac ipſa ſpe excitare meam carnem debeo, vt libenter & patienter toleret labores, quos patitur.

Idem corpus reſurrexit quod mortuum fuerat.

a Iob.1.19. 25.

II

SECVNDA cauſa fuit, vt eadem vulnera, quæ in glorificato corpore remanebant, *ſigna* eſſent ſuæ *victoriæ*, atq; triumphi; & ſimul indicia, quòd magni ipſe faceret, labores & ignominias pati, ſiquidem eũ honorẽ ipſis

Vulnerum cicatrices ſigna victrix.

vulneribus exhibuit, vt etiam in glorificato corpore ea retinuerit; ſingulari tamen ſplendore, ac pulchritudine. Qua eadem ratione excitare nos voluit, ad patiendũ; vt in hoc ipſo gloriantes, magno honori tribueremus aliqua in corpore noſtro vulnera habere impreſſa, hoc eſt, labores aliquos & dolores illi ſimiles, quos Chriſtus Dominus noſter eſt paſſus cuius amore eos perpeſſi ſimus, dicentes cum Apoſtolo: b *ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto*. O Dulciſsime Ieſu, tu Dominus meus, & Redemptor meus es, & ego mancipium tuum; & quandoquidem ſolent Domini mancipia ſua cauterio notare, aliquibus ſignis impreſsis, vt agnoſcantur, taliũ eſſe Dominorum; & non poſsint fugere ex illorum ſeruitio: imprime & mihi ſigna vulnerum tuorum, vt ſemper tuus maneam, nec à diuino tuo obſequio vnquam recedam.

b *Gal.* 6. 17.

PVNCTVM II.

III. Memoriale paſſionis Chriſti.

TERTIA cauſa, cur vulnera in glorificato corpore reſeruauerit, fuit vt illi eſſent tanquam *memoriale*, & *excitatorium* eorum, quæ pro nobis fuit perpeſſus; vt ſic ad nos amandos, nobis parcendum, ac ſemper benefaciendum permoueretur. Et qui, quà Deus eſt, (vt ait Iſaias Propheta) a *non obliuiſcitur noſtri*, quia *in manibus ſuis deſcripſit nos*; ita etiam quà homo eſt, non obliuiſcetur noſtri quia in manibus ſuis ſcriptum habet, quanti ipſi ſtemus: quas manus ſicut apertas habet foraminibus clauorũ; ita apertas, & extenſas habet, ad nos replendos benedictione ſua, & illo amore, quem apertum eius latus nobis manifeſtat. O Dulciſsime Redemptor, hoc ipſum obſtringit me, vt nunquam tui obliuiſcar, b *ſed ponam te, vt ſignaculum ſuper cor meum, vt ſignaculum ſuper brachium meum*, vt omnia opera mea ac deſideria, obſignata ſint ſigillo tuæ infinitæ charitatis, vt in omnibus impleam tuam ſanctam legem. Et ſiquidem populo Hebræo iuſsiſti vt *verba legis*, quam per Angelos illi dederas, c *ligarent quaſi ſignum, in manu ſua, & mouerentur inter oculos illius*, vt eorum recordarentur, multo magis rationi conſonum eſt, vt idem ego præſtem circa eam legem, quæ data fuit manibus Domini Angelorum, quæ mei cauſa clauis fuerunt transfixæ.

a *Iſaiæ*. 49. 16.

Oratio

b *Cant*. 8. 6.

c *Deut*. 6. 8.

IV. Noſtra reconciliatio cum patre.

QVARTA cauſa fuit, vt eadem vulnera æterno ſuo Patri continuè oſtendens, eius *iram* & contra mundum, ob noſtra peccata, indignationem *placaret*, officium, agens perpetui noſtri d *Aduocati apud Patrem*; ſi enim aſpiciens Deus e *Arcum cœleſtem*, pulchritudine trium colorum exornatum, *recordatus fœderis ſui nobiſcum, iram ſuam placat*, vt propter illud *ſignum*, ſit memor, *vt non deleat aquis diluuij omnem carne*: quantò magis placabitur, videns Arcum hunc ipſius cœli Empyrei Chriſtum Ieſum, triplici illo genere vulnerum; manuum, pedum, & lateris ſplendentem, qui

d 1. *Ioan*. 2. 1
e *Gen*. 9. 14.

Digitized by Google

erit illi, vt ſignum & motiuum, ne mundum, pro eius meritis, caſtiget? Hoc ſpiritu debeo æterno Patri oſtendere vulnera filij ipſius; ac ſupplicare, vt, propter illa, placet iram ſuam, quam habet aduerſum me, & omnes homines, dicens illi: f *Protector noſter aſpice, Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui.* Reſpice etiam benedictas ipſius manus, pedes, ac latus, & per ſacratiſsima manuum vulnera, concede nobis, vt noſtræ ſemper opera bona faciant; & propter vulnera pedum, vt noſtri bonis ſemper greſsibus incedant, & propter vulnus lateris, vt noſtrum latus ſit amore tuo vulneratum. Sequere, anima mea, ſcripturæ Diuinæ conſilium, & eleuatus in cœlum Empyreum oculis, g *vide arcum*, qui illic eſt, *& benedic eum qui fecit illum; valde ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo; girauit cœlum in circuitu gloria ſua, manus excelſi aperuerunt illum, &* qualem vides, exornarunt. Benedicantur manus illæ, quæ talem arcum fabricarunt; & ad quarum nutum, ſuas ipſe manus extendit in cruce, varijs cœleſtibus virtutibus exornatas, quò, in ſignum pacis, omnes ſuos electos complecteretur, & circulo ſuæ protectionis illos circumdaret, ac demum in throno gloriæ ſuæ collocaret.

f Pſ. 83. 10.

g Eccl. 43 1.

V.
Incitamentum amoris noſtri.

Qvinta cauſa fuit, vt nos vulnera illa aſpicientes, ad ſuum *amorem* & obedientiam, prouocaret, agnoſcentes per ea, quantum ipſe nos dilexerit, quantumque pro nobis fuerit perpeſſus; ita vt, Spiritualis horum vulnerum, quæ in glorificato Chriſti corpore remanent, aſpectus, eſſet efficacisſimum facultatum animæ noſtrę excitatorium, vt omnes in huius Domini obſequio occuparentur; & vt alibi eſt dictum, per eadem vulnera, aditus nobis ad ipſius Domini interiora pateret, vt ibi habitantes, cum eodem vniremur: actuali memoria, cognitione, & amore; cogitantes, ex ipſo cælo nobis illud dici: h *ſurge amica mea, ſpecioſa mea*, & veni *columba mea* celeri volatu ad *foramina petræ &, cauernam maceriæ*; ingredere vulnera corporis mei, non iam ſanguine fœdata, ſed ſplendentia & glorificata. Si milui inferni te inſequentes vexent, ad hæc vulnera confuge, quę te protegent ab eorum tentationibus; Si mundi vanitates te perſequentur, & tuæ carnis prauæ propenſiones, confuge ad hæc vulnera, in quibus refugij domum inuenies, aduerſus omnes timores tuos; Si te videris turbari à curis & negotijs, ſubtrahe te illis, & hæc vulnera ingredere, in quibus quietem inuenies, & tuo ſpiritui requiem; Si cupis me cognoſcere, & toto corde diligere, ad hæc vulnera accede, ingredere illa, & ibi deprehendes, quanti te fecerim, quantum te dilexerim, & ex corde meo tales amoris flammas prodeuntes experieris, vt totum cor tuum inflamment, coniungant, & transforment in meum. Reſpice vulnera manuum mearũ; & corrobora tuas, vt pugnare valeas pro gloria mea, ſicut ego pugnaui pro ſalute tua; Aſpice cauernam lateris mei, & aperi mihi tuum; totum

P. 4. Medit. 53. punct. 4.

h Cant. 2. 14

Digitized by Google

amorem mihi donans, ſicut ego me totum pro te tradidi; Aſpice vulnera pedum meorum, greſſusque tuos ad meum obſequium dirige, imitatus meos cum perſeuerantia, donec obtineas coronam.

Per huiuſmodi conſiderationes, meritò debeo affectus meos exercere, memor vulnerum ipſius Chriſti Domini noſtri; quæ vt cominus aſpiciam fidem meam excitabo, qua attendam, illa eſſe in glorificato eius corpore, non ſolùm in cœlo, ſed etiam in ſacratiſsimo altaris ſacramento;
i *Iſaia*, 12. 3. vbi illa ſunt inſtar quinque i *fontium Saluatoris*, ex quibus manantes *aquas* gratiarum, & ſpiritualium conſolationum *hauriunt* omnes, qui ad illa ſpiritu accedunt.

PVNCTVM III.

VI. Damnatorum confuſio.

Accedit vltima cauſa, vt in nouiſsimo die iudicij, confunderet *damnatos*, oſtendens illis vulnera, quæ pro ipſis accepit, teſtes deſiderij ſui, quo illos cupiebat ſaluare, niſi ipſi culpâ ſuâ, impedimentum poſuiſſent; quib. (vt ait Sanctus Auguſtinus) talia dicet: Ecce hominem, quem crucifixiſtis; aſpicite vulnera, quæ illi inflixiſtis; agnoſcite latus quod lancea aperuiſtis: quod quidem propterea fuit apertum, vt vos intrare poſſetis; quod tamen facere noluiſtis. Tunc erit terribilis ille planctus, mors, & luctus, & fames, quæ aduerſus hos miſeros ſunt prædicta, cum videbunt ſe neglexiſſe opportunam ſuæ ſalutis occaſionem; & iuſtiſsimam cauſam, quam Chriſtus Dominus, ad eos condemnandos habebit.

Oratio

Contra verò aſpectu eorundem vulnerum, ſuos electos lætificabit, non ſolùm illo die, ſed per totam æternitatem, cernentes in eis perſpicuè tot motiua amoris erga eum, qui talia pro ipſis perpeſſus fuit. O Saluator amantiſsime, per eadem te vulnera, ſupplex oro, vt affectus illos ſine me perficias, ob quos ea, in glorioſo tuo corpore ſeruaſti admittens me ad ea, volantem alis columbæ, vt in eis, tanquam in nido & requiei loco permaneam, neque enim aliam in hac vita requiem deſidero, quàm ſemper cogitare ea plurima, quæ pro me feciſti, & es perpeſſus; & propter ea te amare, tibique perſeueranter obedire, donec ad te fruendum in æterna gloria perueniam. Amen.

Digitized by Google

MEDITATIO XII.

QVOD CHRISTVS APPARVERIT SEptem diſcipulis, dum Piſcarentur ad mare Tiberiadis.

PVNCTVM I.

ERANT ſimul a Simon Petrus, & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex diſcipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: vado piſcari. Dicunt ei: venimus & nos tecum: & exierunt, & aſcenderunt in nauim, & illa nocte nihil prendiderunt. a Ioan. 21. 2

I. Paupertas coegit diſcipulos piſcari.

PERPENDENDVM hic primùm eſt, hos diſcipulos iuiſſe piſcatum, partim ob *paupertatem*, vt aliquid haberent ad comedendum; partim vt otium fugerent, quia necdum tempus aduenerat, quo ſe occuparent in piſcandis hominibus. Statim verò ac Petrus dixit; vado piſcari, cæteri ſe in ſocios obtulerunt; hac ratione oſtendentes concordiam & conformitatem voluntatum, quam habebant ad opera virtutis. Concipiam ergo hinc deſideriũ imitandi ſanctos hos diſcipulos, in exercendis tribus his virtutibus, paupertate, charitate, & propenſione ad laborem contra otioſitatem.

II. Fruſtranea Apoſtolorum piſcatio quid denotet.

DEINDE perpendendum, quod tota nocte *piſcem* nullum ceperint, ſicut aliàs quoque Sancto Petro euenit, cùm dixit Chriſto: b *per totã noctem laborantes, nihil cepimus*: vt hinc appareat, quàm parũ poſsit humana induſtria, ſi illa ſola ad animas piſcandas, & ex peccatis ſuis educendas, adhibeatur. Itaque Petrus & Paulus, & quicunque alius etiam eruditiſsimus & ſanctiſsimus, & egregius concionator, fruſtra ſit laboraturus, ſi proprijs tantùm viribus innitatur; & niſi Deus ad piſcaturam accedat. Ideò enim Apoſtolus dixit, c *neque qui plantat, eſſe aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Quare neceſſe eſt, operarios animarum, in humilitate omninò fundari, ſi cupiant ſuos labores fructum proferre, memores verbi Chriſti Domini, d *ſine me nihil poteſtis facere.* c 1. Cor. 3. 7. d Ioan. 15. 5.

NEQVE myſterio vacat, quod in vtroque hoc piſcationis loco, dicatur quod fuerit *Nocte*: inſinuatur enim miſerrimus huius mundi ſtatus ante aduentum Chriſti Domini, qui eſt verè Sol iuſtitiæ, cuius lumine piſcatio accedit, cũ ſine illo nihil efficiat. Inſinuatur nobis præterea, eum, qui laborat in nocte ignorantiæ, & tenebrarum peccati lethalis, nihil proficere, nec

re, nec eius opera meritum habere vitæ æternæ, propterea enim Regius
c Pſ. 126. 2. Propheta dixit, c *vanum eſt vobis ante lucem ſurgere*, antè ſcilicet, quàm lux diuinæ gratiæ accedat omnis veſter labor erit inanis: nam ſine illa, non valebitis opera facere digna luce. Ex quo intelligam, quanta ſit peccatoris miſeria, qui etſi laboret, non proficiet tamen; defatigatur, vt aliquid piſcetur, tota nocte infelicis ſui ſtatus, nec fructum tamen aliquem colligit alicuius meriti ad vitam æternam, etſi enim fortunas acquirat, honores, & voluptates, cum hæc ſint nihil, labor in eis acquirendis cenſebitur inanis: ſiquidem acquiſitus fructus, opportuno tempore, ipſum deficiet.

III. Apoſtolorum patientia.

VLTIMO perpendendum, quid fecerint ſeptem iſti diſcipuli, videntes nullum ſe piſcem capere. nam *patienter* laborem ſuum tolerantes, meminerint procul dubio ſui Magiſtri, quantumque eius abſentia ipſis noceret; & fas eſt credere, collocutos ipſos tunc fuiſſe de eo, quod aliàs ipſis eueniſſet in eodem mari præſente ipſo Chriſto; & ſuſpiraſſe, dicentes: O Magiſter ſupreme, vbi nunc es? cur nos in hoc labore deſeris? Cur non accedis, vt noſtræ paupertati ſubuenias? Quid mirum, ſi piſces retia fugiant, ſi tu fugis piſcatores? Veni, Domine, nobiſque appropinqua; tecũ enim veniet piſcatio, quam optamus. Hæc verba aut ſimilia ſunt mihi ſpiritu dicenda; ſi quando videbo me ſine fructu laborare, & confidam,
f Pſal. 9. 37. me exaudiendum, f *quia deſiderium pauperum exaudiuit Dominus.*

PVNCTVM II.

a Io. 21. 20. *MAne autem a facto, ſtetit Ieſus in littore: non tamen agnouerunt diſcipuli, quia Ieſus eſt. Dixit ergo eis Ieſus: pueri nunquid pulmentarium habetis? Reſponderunt ei: non. Dicit eis: mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Miſerunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium.*

I. Charitas Christi.

PERPENDE primùm *Charitatem* Domini noſtri, qui adfuit, vt dilectos ſuos Apoſtolos conſolaretur, licet non ſtatim agnoſci voluerit; ſed ſenſim, vt aſpectus ille & viſitatio vtilior eis eſſet; ac propterea manſit in littore, nec voluit ſuper aquas ambulare, aut nauem aſcendere: vt ſignificaret, ſtatum vitæ, quem poſt Reſurrectionem habebat, ſtabilem omnino eſſe, ac remotum ab omni inſtabilitate, & alteratione; eò quòd eſſet deſtinatus, ad perpetuò viuendum in terra viuentium. Et quamuis non ignoraret nihil illos piſcium tota nocte cepiſſe diſsimulans, ſe id ſcire, interrogat eos; num aliquos piſces habeant, hac ratione volẽs eos inducere, ad propriam neceſsitatem agnoſcendam, & quam parum ipſi per ſe valerent ad capiendos piſces, ſine ipſius auxilio, quod tamen cupiebat ſtatim illis

Digitized by Google

adferre. O liberaliſsime Ieſu, quoties ad ianuas noſtras accedis; aliquid petens, non tam vt illud recipias, quam vt nobis dones, quod deſideras? Petis enim b à *Samaritana*, vt tibi *det bibere*, cui tu deſideras *aquam viuam* gratiæ tuæ *dare*. Petis vt eleemoſynam pauperi faciamus, quia deſideras copioſam eleemoſynam illis dare, qui pauperi aliquid dederit. Vtinam darem tibi, quod tua inſpiratione à me petis, vt tu mihi dares, quod ea inſpiratione mihi dare deſideras. b Ioan. 4. 7.

II. Piſcatio proſpera ob figuram ſeu myſticam ſignificationem

DEINDE perpendam, quod iuſſerit, illos *mittere ad dexteram nauigij rete*, vt ſignificaret eam piſcationem, proſperum exitũ habituram, eò quòd *figura* eſſet *piſcationis animarum*, quæ ex huius mundi pelago, exituræ ſunt ad æternam beatitatem, in virtute ipſius Chriſti, qui eſt dextera ipſius Dei Patris. Obedientes autem diſcipuli huic Chriſti mandato, miſerunt rete, & *iam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium*, vt hinc appareat, quanta ſit efficacitas obedientiæ; & quàm verè dixerit ſapiens, c *vir obediens loquitur victoriam*, tum plurimas animas Deo lucratur. Conſideratione autem dignum eſt, quod in altera piſcatione, ſciuerit Petrus Chriſtum eſſe, qui iubebat laxare retia; ipſe verò obediens dixit, d *in verbo tuo laxabo rete*; nunc autem non nouit, Chriſtum eſſe, qui moneret ad dexteram nauigij mittere retia; & nihilominus iudicium ſuum ſubijciens, & dicto obediens, plurimam traxit piſcationem: delectatur enim Chriſtus plurimum, vt e *obediamus omni humanæ creaturæ, propter ipſum*, & exuamus proprium iudicium, & voluntatẽ, vt aliorum voluntati pareamus in omnibus rebus, vbi peccatum non apparet: & ita eueniet interdum, vt reuerà ſit Chriſtus vbi eum eſſe non cogitamus; ideoque obedientes homini, re ipſa obediamus Chriſto, per os eius loquenti, qui ſecuros nos facit, ſi miſerimus rete ad deſignatum locum, fore, vt piſces *inueniamus*. Quare virtus hæc obedientiæ, debet mihi eſſe familiaris, ſi volo proſperos habere exitus; ſicut Sanctus Petrus, qui propterea Simon eſt appellatus, quod interpretatur obediens.

Diſcipulorũ obedientia. c *Prouer.* 21. 28. d *Lucæ* 5. 5. e 1. *Pet.* 2. 13.

PVNCTVM II.

a DIxit diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus, Petro: Dominus eſt. Simon Petrus cùm audiſſet, quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare. Alij autem diſcipuli nauigio venerunt, trahentes rete piſcium. Dixit eis Ieſus: afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc. Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus, & cum tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete.* a Ioan. 21. 7

I. Feruens diſcipulorũ amor.

PERPENDENDVS hic eſt: Primùm in his duobus diſcipulis Petro & Ioanne, *effectus feruentis amoris*, tam in vita contemplatiua, quàm in actiua: amor contemplantium exacuit internum animæ viſum; vt, ſicut hic Ioannes, Chriſtum agnoſcant, quem alij non agnoſcunt quibus tamen

ipſi illum manifeſtent; amor verò in ſeruentibus circa res vitæ actiuæ, ſtatim atque Chriſtum nouerunt, ſe in medium inferunt, vt ſequantur. Et, ſicut Sanctus Petrus hic, ſtatim atque audiuit à Ioanne, *quia Dominus eſt*, relicto reti, piſcibus, & nauigio, veſte verò induta, ob decentiam, ſtatim ſe proiecit in mare, vt eò citiùs ad magiſtrum ſuum perueniret, tardum nimis exiſtimans nauigij motum, vt illum expectaret: ſic inquam, ego contendam, ſeruenter Chriſtum ſequi, & optare citiùs peruenire ad terram æternitatis, in qua ipſe eſt; abiiciens, in hunc finem, quidquid habeo; & proijciés me ipſum ad quoſuis labores, & pericula turbati maris huius mundi; tardum nimis iudicans eorum greſſum, qui vitam ſequuntur communem: vt propterea ſtudere debeam, multò magis greſſum meum accelerare.

II. Myſtica piſcationis excellentia & alterius cum altera collatio. b Luc. 5. 7.

PERPENDENDA deinde eſt *myſtica excellentia huius piſcationis* collatæ cum altera, quam idem b *Petrus fecit in prima ſua ad Chriſtum ſequendum vocatione*. Nam illa referebat piſcationem animarum, quæ ingrediebantur Eccleſiam, vt credentes in Chriſtum, legem eius amplecterentur: ideoque non fuit iuſſus Petrus laxare retia ad dexteram nauigij, ſed ad omnes partes, ad dexteram & ad ſiniſtram; vt colligentes bonos & malos piſces, magnos & paruos, quibus duæ naues implerentur, quæ duos populos, Hebræum & Gentilem ſub vno capite Chriſto, & eius vicario Petro ſignificabant. Rete quoque ipſum, quo piſces capti fuerant, rumpebatur, quia Eccleſia & Euangelij Chriſti prædicatio, facturam aliquam & ſchiſma aliquando patitur in hac vita: piſcatio verò hodierna fuit tantùm electorum ad vitam æternam; & ideò iubetur fieri ad dexteram tantùm nauigij manum. Electi enim futuri ſunt ad manum dexteram Iudicis. Omnes autem hi piſces ſunt magni, Sanctitate ſcilicet & puritate vitæ: quia in cœlo nullus eſt paruus. Rete ipſum trahitur in terram, vbi Chriſtus eſt, quæ eſt terra viuorũ; & non rumpitur, quia tunc diſſenſio nulla, aut nullũ ſchiſma erit, nec aliquid, quod perturbare illos poſsit, quia iam c *Angeli ſeparauerint malos, de medio iuſtorum*, vt Chriſtus dixit in parabola *ſagenæ miſſæ in mare*. O fęlices piſces, qui hoc reti capiuntur, vt in æterna vita collocentur! Fœlices aquæ vitæ, in quib. tales piſces nutriti ſunt & ſuſtentati, qui perfecta ſalute & vita fruentur, quam Chriſtus illis comparauit! O Propheta Sancte Ezechiel, optimè eſt impleta Prophetia tua, vbi piſcatores Ieſu, tantam grandium piſcium multitudinem ceperunt in iſtis d *aquis, quæ deſcendunt in latus templi cœleſtis dextrum*. Concede mihi, O Dulciſsime Redemptor, ita viuere in viuis gratiæ tuæ aquis, vt ex eis ad æternam vitam deducar. Amen.

c Matt. 13. 49.

Oratio.

d Ezech. 47. 1.

e Io. 21. 10.

III.

e DISCIPVLI, *vt in terram deſcenderunt, viderunt prunas poſitas, & piſcem*

ſuper poſitum, & panem: dicit eis Ieſus venite, prandete, & accipiens panem dabat eis, & piſcem ſimiliter.

Reſplendet hic quàm maximè ſtudiũ & *liberalitas Redemptoris in ſuos diſcipulos,* quibus prandium præparauit, & ad comedendum inuitauit, panem manu ſua miraculoſè confectum, & piſces alios, quàm quos ipſi cepiſſent; ad ſignificandum primùm, quàm ſit illi curæ, ſpiritualem refectionem illis præbere, qui ob amorem & obedientiam ipſius laborant: præbet enim illis cibum Angelorum, & panem cæleſtem, quo confortentur, prunas hac ratione conijciens in corda illorum, quibus toti accendantur amore illius. Ad ſignificandum item, quòd, dum nos in terra laboramus, ipſe nobis præparet dulciſsimum in cælo conuiuiũ ad quod ipſemet inuitabit, & miniſtrabit ad menſam, porrigens nobis in cibum ſacratiſsimam ſuam diuinitatem & humanitatem. O f *Beati* illi, *qui manducabunt,* hunc *panem in regno Dei!* g *& felices illi, qui edent & bibent ſuper menſam ipſius Chriſti in regno eius!* O ſi ego vnus eſſem ex iſtis ſeptẽ diſcipulis, plenus ſeptem Spiritus Sancti donis, quibus exornatus, dignè poſſem huic conuiuio intereſſe. Accipe, O bone Ieſu, hæc mea vota, & gratia tua illa corrobora, vt eorum compos euadam, ad gloriam tuam. Amen.

Liberalitas Saluatoris in diſcipulos.

f Luc.14,15.
g c.22.30.

MEDITATIO XIII.

QVOD CHRISTVS DOMINVS NOSTER IN hac apparitione conſtituerit Sanctum Petrum vniuerſalem ſuæ Eccleſiæ Paſtorem, ac eidem dederit admiranda perfectionis documenta.

PVNCTVM I.

C*VM ergo prandiſſent,* a *dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos. Dicit ei tertiò Simon Ioannis, amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò, Amas me? & dixit ei: Domine, tu omnia noſti, tu ſcis, quia amo te. Dixit ei: Paſce oues meas.*

a Io.21.15.

PERPENDENDVM hic primùm, quòd cum Chriſtus Dominus noſter Sancto Petro promiſiſſet b *claues regni cælorum,* in præmium illuſtris illius confeſsionis, quam fecit de ipſius Diuinitate; nunc volẽs ei ipſas claues

I. Petrus examinatur de charitate.

b Mat.16.19

tradere,ſimul cum primatu ſuper totam Eccleſiam, prius illum examinauit de *charitate*,interrogans illum num plus ipſum diligeret, quàm reliqui; vt hinc intelligamus, debere prælatos eſſe excellentes in fide; & omnibus eminere in caritate. Appellauit autem illum nomine Simonis,quod ſignificat obedientem, & filij Ioannis,quod ſignificat gratiam; aut Ionæ, quod ſignificat columbam ;nobis inſinuans FIDEI & CHARITATI,OBEDIENTIAM quoque eſſe iungendam,& gratiæ ac Spiritûs Sancti plenitudinem.

II. Trina interrogatio quid deſignet.

DEINDE ter de AMORE & CHARITATE illum examinauit; vt hoc triplici reſponſo,recompenſaret triplicem negationē,quam in nocte eius paſsionis fecerat; & vt illæ negationes, ortæ fuerunt ex SVPERBIA & PRAESVMPTIONE,quibus ſe condiſcipulis præferebat; ſic tres iſtæ reſponſiones de amore, coniunctam habuerunt HVMILITATEM. Etſi.n. à Chriſto interrogaretur, num,ipſum plus amaret,quàm cæteri, non eſt auſus tamen dicere ſe,plus amare quàm cæteri;ſed ſolū dixit; tu ſcis,quia amo te:& adhuc timens, hoc ipſum dicebat, non fidens ſcientiæ ſuæ, ſed ad ipſius Chriſti ſcientiam ſe referens, dicebat; tu ſcis,quia amo te: imo in tertia reſpōſione contriſtatus eſt ex HVMILITATE, timens ne Chriſtus Dominus aliquid in ipſo videret,cōtra id,quod ipſe de ſeipſo ſentiebat: ideoque dixit illi:Domine tu omnia noſti,& ſcis,num verū ſit, quòd dico. Ex quo intelligam quàm ſit grata Domino noſtro HVMILITAS, & vt non de nobis præſumamus:& quàm etiam ſit ſecurum,ſibi ipſi timere, reuocando in memoriam, quod Apoſtolus dixit, c *nihil mihi conſcius ſum,ſed non in hoc iuſtificatus ſum: quia qui iudicat me, Dominus eſt*,& fieri poteſt,vt aliquid ille culpæ in me inueniat, quam ego non deprehendo.

c *Cor.* 4. 4.

III. S.*Tho.* 2.2. q.24.*art*.9.

EXAMINAVIT etiam ter circa AMOREM, vt ſignificaret,futurum, ouium ipſius Paſtorem, debere eſſe valde in CHARITATE radicatum, & in tribus eius gradibus: debet enim Perfectus eſſe,in via purgatiua Tyronum,& in Illuminatiua Proficientium;& in via Vnitiua eorum, qui ad perfectionem peruenerunt.Debet eſſe excellens in puritate, & mundicie cordis,exutus omnibus culpis & imperfectionib. & in exercitio virtutū, & in vnitione amoris cum tribus Diuinis perſonis; perfectus deniq; eſſe debet in CHARITATE erga Deum,erga proximos, & erga ſe ipſum. O Dilecte animæ meæ,concede mihi,vt profundas in HVMILITATE & CHARITATE iaciam radices, ita vt finem conſequar præceptorum tuorum,d *qui eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta*, cum perſeuerantia fidelitatis in vero amore, vſque ad mortem.

d 1 *Tim*.1.5

IV. Petrus vniuerſalis paſtor conſtituitur.

QVARTÒ perpendam, quod cùm Chriſtus Dominus noſter, ad duo Petri reſponſa dixiſſet: *Paſce agnos meos. ad tertium dixerit, paſces oues meas*: vt ſignificaret,ſe illum facere vniuerſalem ſui gregis paſtorem, non ſo-

Digitized by Google

lum communium fidelium,qui per agnos ſignificantur,ſed eorum etiam, qui velut Matres ſunt Spirituales aliorũ,qui per oues ſignificãtur,quales ſunt confeſſarij, Concionatores, Magiſtri, & cæteri inferiores Eccleſiæ Prælati, vt tota Eccleſia ſit vnum ouile,& vnus paſtor. Sed non dixit illi: paſce agnos tuos, aut oues tuas; ſed agnos meos,& oues meas; vt intelligeret; ſe non eſſe Dominum gregis,ſed vicarium ipſius Chriſti; ac propterea debere ſe tantam curam fidelium habere,atque gregis ipſius Chriſti, qui eſt e *princeps paſtorum* cui eſſet rationem redditurus, atque ita ipſe Sanctus Petrus Chriſti mentem intellexit, & poſtea ſcriptam reliquit. e 1.*Pet.5.* 4.

Resplendet in hoc valde Charitas ipſius Saluatoris erga nos; ſiquidem in ſignum amoris noſtri erga ipſum, & vt innumeris eius in nos collatis beneficiis reſpondeamus,petit à ſancto Petro, vt in teſtimonium amoris, quem erga ipſum habet, diligat & ipſe eius oues, curam illarum gerat,& eas paſcat. O Paſtor ſupreme,quàm magnũ erga tuas oues amorem habes,& quàm vehementer deſideras, vt earum paſtores, ſerui tui eaſdem ament,& paſcant amore tui. Cupio ego, Domine, amorem meum erga te in hoc oſtendere, vt paſcam oues quas mihi dediſti & habeo intra me ipſum,quæ ſunt animæ meæ facultates & ſenſus,eas gubernans, iuxta præſcriptum diuinæ tuæ voluntatis; & eodem modo illas, quæ extra me ſunt,quas meæ curæ commiſeris,eo nomine,paſcam, quòd ſint tuæ; hoc ipſum enim quòd tuæ ſint,plus apud me valere debet,quàm ſi eſſent meæ.

Charitas Chriſti in nos.

Oratio

Vltimo perpendam,ter Petro dixiſſe Chriſtum, *paſce agnos meos, & oues meas* vt *triplex paſtus genus* ſignificaret,qui illis eſt dandus, paſce videlicet eas ſpiritu,pro eis orando; lingua,eas docendo; & opere, bonum illis exemplum præbendo. Paſce illas doctrinâ, ſacramentis,& exemplis bonæ vitæ adiuuans eas omnibus operibus miſericordiæ Spiritualibus, & corporalibus,paſcendo non ſolum Spiritum, ſed ſuis etiam temporibus corpus. Hoc totum imponit Chriſtus Dominus noſter paſtoribus, horrendè minando per Ezechielem illis, qui non oues,ſed f *ſemetipſos paſcunt*,quærentes in eo munere potius honorem proprium & emolumentum,quàm bonum animarum.

Triplex paſtus genus ouibus dandum.
3.*Ber.ſerm.* 3.*de Reſurrect.*
f *Ezech.*24.
a *Ioan.*21.18

Pvnctvm II.

Statim ſubiunxit Chriſtus: a *Amen amen dico tibi, cum eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas, vbi volebas: Cùm autem ſenueris, extendes manus tuas & alius te cinget, & ducet; quò tu non vis. Hoc autem dixit ſignificans, qua morte clarificaturus eſſet Deum.*

Perpendendvm hic primò,Chriſtum Dominum noſtrum,ſub hac parabolâ, aperuiſſe Sancto Petro, *certum ſignum veri* ipſius erga ſe *amoris*,& recti vſus paſtoralis officij, quod illi committebat, eſſe mortem

I. Signũ veri amoris Petri in Chriſtum.

Digitized by Google

Crucis ſubire, ſicut ipſe Dominus ſubiuerat, ad confirmandum, quod dixerat: b *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis* &; c *maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam quis ponat pro amicis ſuis.* Quare vt Petrus intelligeret, ad quid ſe obtulerit, cum reſpondit Chriſto; tu ſcis; quia amo te; & quid ipſe Chriſtus ei impoſuerit, quando dixit, paſce oues meas, adiunxit hanc parabolam, qua ſignificaret ipſum, mortem crucis eſſe ſubiturum.

b *Ioan.* 10. 11.
c *cap.* 15. 13.

II. Duo modi laborũ

PERPENDENDVS deinde eſt Spiritus huius Parabolæ, in qua inſinuat Chriſtus Dominus *duos modos laborum*, & mortificationum: quaſdam .n. accipit homo *propriâ ſua electione*, & voluntate, abnegando proprias ſuas appetitiones, & carnem ſuam, pœnitentiis, & aſperitate caſtigando, & ſeipſum ad graues labores offerendo, in quibus homo ſeipſum cingit, ac ſtringit: & quamuis hac ratione repugnet naturalibus ſuis propenſionibus, *ambulat* nihilominus *vbi vult*. quia enim nemo illum cogit, accipit huiuſmodi labores quando, & quomodo vult, rationali ſua voluntate ductus: imò interdum admiſcet ſe aliquid de voluntate propria, quia ſolet etiam amor proprius alicuius Spiritûs. Qui modus mortificationis, eſt proprius tyronum in virtute, ſed feruentium, & conſtitutionis robuſtæ; ac propterea debent meritò tyrones ab eo incipere.

1. Labor vluntarius.
S. *Aug. in illud Pſal.* 49. *Inuoca me in die tribulationis.*
Meditat. 51. *ad finem. in* 4 *p.*

ALII ſunt labores, qui ab aliis nobis eueniunt ſiue hominib. *perſequentibus*, ſiue Dæmonibus *tentantibus & cruciantibus*, ſiue ab ipſo Deo, qui illos ita diſponit, ad noſtram mortificationẽ, quales ſunt morbi, dolores, paupertas, infamia, falſa teſtimonia, & aliæ perſecutiones, quas patimur propter iuſtitiam, & ſicut perpeſſi ſunt Martyres. In his laborib. extendit homo manus ſuas, amplectendo illos, quia Deus ita vult, ſed alius tamen eſt, qui eum cingit, configit cruci, ac ducit quò ille homo nõ vellet, ſecundùm ſuam voluntatem naturalem. Hoc tribulationum genus pertinet potiùs ad magis verſatos & perfectos in virtute, & illas concedit Deus iis, quos vult habere valde perfectos, quia talis modus eſt purgatus à voluntate propria, & in eo non inuenitur niſi voluntas Dei, qui præcipuè nos tribulationibus ſtringit.

2. Labor coactus.

Oratio

O DVLCISSIME IESV, ſi tu es, qui hac ratione me cingis, ſiue ſtatuens, ſiue permittens horum laborum, quos patior, anguſtias; cinge me pro tuo libitu manu tua, quæ etſi aſpera mihi videatur, non erit niſi leniſſima: & quandoquidẽ cinxiſti te, amplectens, quæ erant aſpera; & manus tuas extendiſti in cruce, ad quam te duris clauis cinxerunt, ducentes te, quò naturalis tua voluntas ire refugiebat; non magnum erit, quòd ego ſeruus tuus me cingam, & cingar, ac deducar, quò caro mea, & voluntas propria ire non vellent. Hos duos mortificationis modos amplecti me par eſt, in omni genere rerum. *Primùm*, vt ipſemet mortificationem

Aug. vbi ſupra.

Digitized by Google

quæram iuxta illud Dauidis: d *tribulationem & dolorem inueni, Dei.de*, vt aliunde venientem amplectar, iuxta illud eiuſdem: e *tribulatio, & anguſtia inuenerunt me*

d *Pſal.* 114.3
e *Pſal.* 118. 143.

III. Pati pro Deo eſt illum glorificare.

Tertiò perpendam illa Euangeliſtæ verba, *qua morte* Sanctus Petrus *clarificaturus eſſet Deum.* nam valdè *glorificatur* Deus à nobis, cùm eius cauſa libenter *patimur.* O me felicem, ſi dignus eſſem, qui manus meas ſicut Petrus extenderem, &, vt alius me cingeret, quo Deum tali mortificationis genere glorificarem. O Felix etiam mortificatio propria, qua diuina gloria augetur, & dilatatur, f *moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſſima mea horum ſimilia*; nec mori me contingat alio mortis genere, quã quo ſit Deus magis clarificandus.

f *Numer.* 23. 10.

Pvnctvm III.

g *Ioa.* 21. 19

Cvm hoc Petro dixiſſet Ieſus, dixit eidem: ſequere me. Conuerſus Petrus vidit illum diſcipulum quem diligebat Ieſus ſequentem, & dixit Ieſu: Domine hic autem quid? Dicit ei Ieſus: ſic eum volo manere donec veniam quid ad te, tu me ſequere.

I. Verba factis confirmanda.

Perpendendvm primò, Chriſtum Dominum noſtrum, cum ſurrexiſſet à loco cæpiſſe ambulare, & Petro dixiſſe: *ſequere me*, vt hoc facto confirmaret, quod verbo illi dixerat; monens ſcilicet illum, alio modo debere ipſum ſequi, quàm reliqui diſcipuli; non ſolùm in vita Euangelica & perfecta, quam omnes complexi ſunt; ſed in munere quoque ſupremi paſtoris, & in genere mortis, crucis videlicet, ſicut ipſe in cruce fuerat mortuus. O dulciſsime Magiſter, dic etiam animæ meę: *ſequere me* in genere mortis crucis, vt moriens ſicut tu in terra perueniam poſtea ad regnandum tecum in cælo.

II Amor vltro appetit pati.

Deinde perpendendum, etſi Chriſtus Dominus nihil Ioanni dixerit, ipſum tamen cæpiſſe quoque Chriſtum ſequi: vis enim *amoris*, quem erga Chriſtum habebat, ad idipſum *impellebat*, nec patiebatur ab eius ſocietate ſeparari: ſancta quoque inuidia, quod videret Petrum ſequentem, ipſum, vt etiam ſequeretur vrgebat. In quo proponitur nobis modus quidam Vocationis ad Chriſtum ſequendum, nullis externis verbis ad id productis: qui modus, oritur partim ex amore, ac deſiderio ſemper cũ ipſo Chriſto manendi; partim ex bono exemplo eorum, qui Chriſtum ſequuntur, præcipuè cum noti illi nobis ſunt, & familiares, quorum conuerſio & vitæ mutatio plurimum iuuat ad noſtram. Qui modus etiam placet ipſi Chriſto, ſicut placuit quòd Ioannes hac occaſione ipſum ſequeretur. imò etiam ipſemet Dominus internè fortè illum vocauerit, traxeritq; poſt ſe, dicẽs illi ad cor, ſequere me, quamuis ore eũ nõ vocauerit.

Modus vocationis ad ſequendum Chriſtum.

III.

Tertiò eſt perpendendum, quod quamuis Petrus zelo amicitiæ,

quia

Curioſitas repreheṅſa.

quia diligebat Ioannem, cupiuerit ſcire, quid de eo eſſet futurum; & num morte crucis moriturus eſſet, nec ne, Chriſtus nihilominus eum reprehendit; quia tale deſiderium, nimiam curioſitatem admixtam habebat: quod enim volebat ſcire, tum ad ipſum non ſpectabat, tum ſoli Deo notum erat; nec vllus alius, niſi ipſo reuelante, aſſequi poterat; ideoque dixit, ***ſi ſic eum volo manere donec veniam***, (ad finem videlicet mundi, quando veniam ad iudicandum) ***quid ad te: tu me ſequere.*** Atque ſi illi diſtinctiùs diceret: nihil ad te pertinet iſta cura, ſed ad me, qui illum diligo, & prouidentiam habeo omnium, quæ ad illũ ſpectant: tuum eſt me ſequi eo modo, quo tibi dixi. In quo tria nobis monita proponit: ***Primùm***, ne curioſè ijs rebus nos immiſceamus, quæ ad nos non ſpectant, ne quidem humanæ familiaritatis, aut amicitiæ causâ. ***Secundum***, vt in huiuſmodi caſib. Diuinæ prouidentiæ committamus, quæ cognatos, aut amicos noſtros concernunt; confidentes, quòd Deus ſit illorum rationem habiturus. Vt alienis curis reiectis, ijs, quæ ad nos ſpectant, attendamus, hoc eſt, vt Chriſtũ ſequamur in eo vitæ genere, ad quod nos elegit, & vocauit: ſiquidem hæc ſola cura ſufficit pro toto homine, & ad eam rediguntur reliquæ: ſi enim curæ mihi ſit Chriſtum ſequi: & ego illi ero curæ, donec me ad æternam in gloria ſua requiem deducat. Amen.

Monſtra tria. 1. 2. 3.

MEDITATIO XIV.

QVOD CHRISTVS APPARVERIT OMNIBVS Diſcipulis in monte Galilææ, & quid eis mandauerit, ac promiſerit.

PVNCTVM I.

a Matt. 28. 16.

VNDECIM a *Diſcipuli abierunt in Galilæam, in* ***montem***, *vbi conſtituerat illis Ieſus: & videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt.*

1. Charitas ac zelus Apoſtolorum

PERPENDENDVM primò, quod *vndecim* Apoſtoli, diſcedentes ex Ieruſalem in Galilæã, ipſius Chriſti iuſſu, magno animi gaudio, iter illud conficiebãt, ſpe diutius ipſum Chriſtũ Dominũ vidẽdi: cuius inſtinctu, referebãt eius reſurrectionẽ diſcipulis per Galilæã diſperſis, qui, (vt inſinuat Apoſtolus) cõuenerũt b ***plus quã quingenti***, & aſcenderũt cõſtitutũ ſibi montẽ, qui creditur fuiſſe mõs Thabor, vbi exſpectarũt Magiſtri ſui viſitationem

b 1. Corint. 15. 6.

In

In hoc proponitur nobis charitas & zelus Apoſtolorum, in conuocandis ſuis condiſcipulis ad conſpiciendum communem Magiſtrum; & feruor illius multitudinis quæ magna charitate montem illum conſcendit, nos inſtruens, quòd ſi velimus videre Chriſtum contemplatione, & eius myſteria cæleſti lumine cognoſcere, conſcendendus nobis ſit mons vitæ perfectæ, & anhelandum ad culmen charitatis, & vnionem fraternam; quia hæc maximè diſponunt ad eam conſequendam.

Deinde perpendam, quàm liberaliter Chriſtus Dominus noſter impleuerit, quod ſuis Apoſtolis promiſerat, quod ſcilicet eſſent ipſum in monte Galilææ conſpecturi: & fas eſt credere, eum aperuiſſe illis aliquid ſuæ gloriæ, & ſplendoris, ſicut in eodem monte tribus diſcipulis, cùm c *transfiguratus eſt*, oſtendit. O quàm contenti, quàm ſatiati omnes illi viri ſancti remanſerunt! & quàm libenter verba illa vſurpaſſent, quæ Sanctus Petrus dixerat in transfiguratione: *Domine bonum eſt nos hic eſſe*, niſi tu aliud de nobis ſtatueris. Omnes Apoſtoli illum adorantes, Deum ſuum, & Dominum agnouerunt, & ſi qui dubitarunt, fuerunt ex reliquis diſcipulis imperfectioribus; qui tamen, etſi initio dubitarunt, ſuâ tamen præſentia Chriſtus, & abſtulit dubitationem, & lætitia repleuit.

II. Promiſſū Chriſtus ſeruat

c Matt. 17. 2

Pvnctvm II.

a Et accedens Ieſus, locutus eſt eis dicens: data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Euntes ergo b in mundum vniuerſum docete omnes gentes, prædicate Euangelium omni Creaturæ.

a Matt. 28. 18.
b Mar. 16. 15.

Perpendendvm hic eſt, quòd Chriſtus Dominus noſter, *paſſionis, & mortis ſuæ meritis* obtinuerit, quà homo eſt, omnē poteſtatē in cælo, & in terra. Nam, etſi ea poteſtas ipſius eſſet, quà Deus eſt, multiſque alijs nominibus ei deberetur, ob vnionem hypoſtaticam, & quòd caput eſſet hominum & Angelorum; voluit nihilominus haſta, vt dicitur, ſua, arcu & gladio illam obtinere; ideoq; diſcipulis nunc dicit: *data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*. Potestas in cælo, ei data eſt, ad portas cæli reſerandas, & introducendos in cælum homines, ad diſtribuendas illis cæleſtes ſedes, & imperandum Angelis pro libitu ſuo, in bonum hominum Electorum. Potestas in terra eſt ad remittenda peccata, ad mutanda hominum corda, & diſtribuenda nobis omnia dona ſpiritualia; & vtrumq; horum impleuit, quàm primùm peruenit in cœlum, iuxta illud Dauidis; c *aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*. Gaudeo, Saluator mi, de ſuprema hac tua poteſtate; gratiaſque ago æterno Patri, quòd eam dederit tibi, qui tanta iuſtitia eam es promeritus. Exulta anima mea, quod adeò potentem habeas Redemptorem, nec dubites, obſequium tuum ei præſtare, qui facere poteſt, quidquid libet in cælo, & in

I. S. Hierony. in hunc locum. Chriſtus morte ſua quid meruerit.

c Pſal. 67. 19 Epheſ. 4. 5.

d Pſal. 72. 25.

in terra O Saluator mi, d *quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram?* Tu mihi ſatis es pro rebus omnibus: in te enim qui omnia potes, omnia etiam habeo.

III. Miſſio Apoſtolorū qua poteſtate facta.

Deinde conſiderandum, Chriſtum Dominum noſtrum, eadem poteſtate vtentem, Apoſtolos ſuos per mundum vniuerſum miſiſſe, ad docendum omnes gentes, non ſolùm Iudæos, ſed etiam gentiles, nec ſolùm nobiles & potentes, ſed quoſcunque etiam viliſsimos, *prædicantes Euangelium omni creaturæ,* manifeſtantes illis omnes ſanctæ fidei articulos, tum qui ſunt, de Diuinitate, & Trinitate Dei, tum qui ſunt de humanitate ipſius Chriſti. In quo apparet, e *Chriſtum Seruatorem noſtrum* (vt ait Apoſtolus) *velle omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

e 1. Timot. 2. 4.

f Matth 5. 45.

Nam vt bonitas f *cæleſtis Patris* in hoc apparet, *quòd ſolem ſuum,* hunc ſcilicet corporalem, *oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos;* ita *charitas* filij eius, in hoc cernitur, quod ſole Euangelij ſui velit illuminare vniuerſos mundi homines; & pluuia ſuæ doctrinæ, rigare corda hominum vniuerſæ terræ, ſine vllo diſcrimine horum, aut illorum; & ſine acceptione perſonarum; eò quòd omnes ſint ipſius creaturæ. O Pater amantiſsime: ſiquidem tua ſum creatura, illumina hunc mundum abbreuiatum, quem condidiſti, illuminans omnes meas potentias, & rigans eas rore ſupremæ doctrinæ tuæ, vt g *cognoſcam te ſolum Deum verum, & quem miſiſti* in mundum, *Filium tuum,* ita vt vitam meam, reipſa conformans tali tuæ cognitioni, perueniam ad æternam.

g Ioan. 17. 3.

PVNCTVM III.

a Matt. 28 19.

a BAPTIZANTES *eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti: docentes eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis.*

CONSIDERANDVM hic eſt, quòd poſtquā Chriſtus Dn̄s noſter, Apoſtolis ſuis iuſſiſſet, docere omnes homines ea, quæ ad fidem pertinēt, quaſi eos Catechizantes, & ſic ad Baptiſmum ſuſcipiendum diſponentes, alia duo etiam facienda mandauit. PRIMVM fuit, Baptizare eos in nomine Patris, & Filij & Spiritûs Sancti: ſic enim Circumciſionis rigorem in baptiſmi lenitatem commutauit, ſicut & ipſas leges, ad quas illa erant primus aditus. Per Circumciſionē enim ingreſſus fiebat ad legem antiquā, quæ lex erat timoris & ſeruorum; ideoque eos, qui ad eam veniebant, cauterizabat ſigno quodam externo, dolorem, & ignominiam inferente, & partem carnis cum ſanguinis effuſione abſcindente. Baptiſmus autem ianua eſt & aditus ad legem nouam, quæ eſt lex gratiæ, & amoris, ex filiorum, ſcriptæ præcipuè in cordibus illorum, ideoque aquæ tantum leni ablutione ſignat, in ſignum internæ ablutionis animæ, cui imprimit cha-

I. Comparatio circumciſionis & Baptiſmi.

Digitized by Google

racterem, qui eſt ſignum Chriſtianiſmi; & communicat illis gratiam & charitatem filiorum propriam. Hinc eſt, quòd Baptiſmus conferatur expreſsis tribus perſonis ſanctiſsimæ Trinitatis, quia omnes efficiunt admirandos effectus in ijs qui Baptizātur. Nam PATER, Baptizatum accipit in filiū ad optiuū, & cæli hæredē; ideoq; ſub ſua etiā protectione eū ſuſcipit. Perſonæ SS. Trinitatis quid operētur in Baptiſmo.

FILIVS Dei, accipit in illū fratrem, & ſuæ hæreditatis ſocium, meritorum ac fructuum ſuæ paſsionis participem, in diſcipulum denique, & valde dilectum amicum; SPIRITVS SANCTVS animam illam, accipit in SPONSAM SVAM, exornans illam dotibus, & virtutibus ſupernaturalibus; iuxta illud Prophetæ: b *ſponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in fide, & iuſtitia, & miſericordia, & miſerationibus.* Tota verò ſanctiſsima Trinitas, accipit illam in templum & habitationem ſuam, & eo deſiderio illam ingreditur, vt in æternum in illa maneat, ſibique amoris vnitione coniungat, illi vnitioni ſimili, qua tres ipſæ Diuinæ perſonæ, in ſua Diuina eſſentia ſunt coniunctæ. Et hæc ſunt c *nomina* glorioſa, quæ Iſaias *noua* appellat, *quæ os Domini nominat*, & imponit Baptizato Chriſtiano, qui eſt Chriſto vnitus, filius, amicus, ſocius, & diſcipulus eius; & cuius anima, ſponſa eſt Dei huius infiniti. Laudent te Domine, omnes Angelorum Hierarchiæ, ob innumera beneficia hominibus collata per ſanctiſsimum hoc Sacramentum; Quid tibi reddemus, pro ea ſuauitate, qua nobiſcum agis, quam tu pretioſo tuo ſanguine comparaſti? Corpus tuum horrendis vulneribus fuit verè cauterizatum, quo meam animam in Baptiſmo, excellentibus donis vngeres, & gratiæ tuæ veſte indueres. Quid gratia dico? tu ipſe eius veſtis efficeris, cum tuus Apoſtolus dicat, d *quicunque in Chriſto Baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*: Et e *quicunq; Baptizati ſumus in Chriſto Ieſu in morte eius Baptizati ſumus, & conſepulti cum illo per Baptiſmum in mortem vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis ita & nos* renouati, glorioſæ eius *Reſurrectionis* ſimus participes. Confirma in me Domine quod cœpiſti, dignitatem illam renouans, quam dediſti mihi in Baptiſmo, vt ad plenam eiuſdem in gloria fruitionem perueniam. Amen.

b *Oſeæ* 2. 19

c *Iſaiæ* 2. 26 [sic]

d *Gal.* 3. 4. 27.

e *Rom.* 6.

II. Fides ſola non iuſtificat, ſed etiam bona opera requirūtur.

DEINDE iuſsit, vt Baptizatos *docerent ſeruare omnia, quæcunque ipſe illis mandauerat*: atque ſi illis diceret: non debent contenti eſſe, ſi tantùm Baptizentur, ſed oportet illos viuere vitam dignam fide, & gratiâ, quam illis in Baptiſmo communico, *ſeruantes* nō præcepta, & cæremonias, quas Moyſes in lege ſua ſcripta ſeruandas mandauit: quia illa omnia ſunt iam abrogata, ſed *omnia, quæcunque ego vobis mandaui*, cum legem Euangelicam promulgarem.

Legis iugū ablatum.

HOc itaque mandato Chriſtus Dominus noſter, *abſtulit à noſtris ceruicibus graue iugum legis antiquæ*; de quo Sanctus Petrus nomine omnium

Apoſtolorũ, dixit: f *neq; Patres noſtri, neque nos portare potuimus*; & eius loco, impoſuit nobis ſuaue iugum, & onus leue legis Euangelicæ, quę complectitur omnia eius præcepta, quorum nec vnicum quidem tranſgredi oporteat. Gratias tibi, O Dulciſsime Magiſter, quod grauiſsimum Moyſis pondus in g *ſuauiſſimum* Euangelij *Iugum* commutaueris ad magnam animarum noſtrarum requiem. Aequum eſt Domine, vt ego impleam omnia præcepta tua, quæ & pauca ſunt, & iucunda, & à te propoſita; cui ego ob multa, quæ pro me feciſti, & perpeſſus es, plurimum debeo. Cupio ea ſeruare, & alios vt ſeruent docere; ſiquidem tu dixiſti, h *qui ea fecerit, & docuerit ſic homines, eum magnum futurum in regno cœlorum*; adiuua Domine duplici ſpiritu tuo, vt vtrumque hoc, quod hic docuiſti, exactè adimpleam.

f *Actuũ* 15. 10.

Oratio

g *Matt.* 11. 30.

h *Matt.* 5. 19.

PVNCTVM IV.

a QVI *crediderit & Baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur.*

a *Marci.* 16. 16.

HANC promiſsionem adiecit Chriſtus Dominus noſter, vt nos ad obſeruationem eorum, quæ ipſe mandat, impellat; nec tamen promittit, aut minatur bona, aut mala corporalia, aut tẽporalia, ſicut in lege veteri; ſed bona, aut mala *ſperitualia*, & æterna: frui videlicet ſalute, quam ipſe ſua paſsione, & morte nobis comparauit; aut ea æternùm priuari: quaſi diceret: qui crediderit & Baptizatus fuerit, & ea impleuerit, quæ vobis mandaui, veniam ſuorum peccatorum obtinebit, & ſpiritualem animæ ſuæ ſalutem, per gratiam meam; & tandem æternam vitam conſequetur: qui autem non crediderit, hoc totũ amittet: idemq; eueniet ei, b *qui confitetur ſe noſſe Deũ*, & fidẽ habet; *factis autem id negat*; quia nõ ducit vitã iuxta ea, quæ credit: nec re ipſa præſtat, quod in Baptiſmo promittit. O Deus animę meę, aperi mihi theſauros innumerabiles, qui verbo illo *ſaluus erit* cõtinetur, vt eorum amor, inſtiget me ad omnia, quæ neceſſaria ſunt vt re ipſa ſaluer. Aperi mihi etiam abyſſum miſeriarum, quæ verbo illo *condemnabitur* continetur, vt horrendorum malorum timor me vrgeat cùm cœleſtium bonorum amor me non excitauerit.

Promiſſio rerum ſpiritualium.

I.

b *Tit.* 1. 16.

Oratio.

PERPENDAM deinde infinitam Chriſti Domini noſtri charitatem, & *liberalitatem*, cum non dixit qui non crediderit, nec Baptizatus fuerit, condemnabitur; ſed tantum: qui non crediderit; vt nos doceret, quamuis qui Baptiſmum contemnit, aut notabiliter in eo ſuſcipiendo negligens eſt, ſit condemnandus (quia c *qui non renaſcitur ex aqua, & ſpiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei*) qui tamen *deſiderium* habet illum ſuſcipiendi ſed abſque ſua culpa tamen ſuſcipere non poteſt, is non condem-

II. Chriſti liberalitas.

c *Ioan.* 3. 5. Baptiſmus in voto.

[d]emnabitur;modo viuam habeat fidem,ac de ſuis peccatis dolorem,nam [i]s iam ſpiritualiter eſt regeneratus, & incorporatus Chriſto,ob contritionem ſuam, & Baptiſmi ſuſcipiendi votum. neque enim tam copioſam [ſ]uam Redemptionem voluit Chriſtus ita contrahere,& ingreſſum in cœlum in eas anguſtias redigere; vt homo rationis capax ab eo excluderetur,quod reipſa non receperit id,quod abſque vlla ſua culpa recipere nō potuit. *S.Tho.3. p. q.68.a 2.*

PVNCTVM V.

a SIGNA *autem eos,qui crediderint,hæc ſequentur:in nomine meo Dæmonia ejicient,linguis loquentur nouis,ſerpentes tollent,& ſi mortiferum quid biberint,non eis nocebit;manus ſuper ægros imponent,& benè habebunt.* a *Marci.* 16 17.

HAEC promiſsio in triplici ſenſu expendi poteſt. PRIMVS eſt iuxta ipſum textum, vt Chriſtus eam poteſtatem fidelibus tribuerit, ad hæc prodigia patranda, quando ad fidei propagationem, & animarum conuerſionem,ea patrare expediret: quæ poteſtas, reipſa reſplenduit plurimum in primitiua Eccleſia,& eandem concedet nunc ipſe,quando ad ipſius gloriam opus erit.eſtque valde neceſſarium,vt hæc fides,& fiducia vigeat in nobis:ſiquidem infallibile eſt illud ipſius verbum:b *Amen quippe dico vobis ſi habueritis fidem,ſicut granum ſinapis,dicetis monti huic,tranſi hinc illuc;& tranſibit,& nihil impoſsibile erit vobis.*

I. Promiſsio in triplici ſenſu. Poteſtas miraculorum. b *Matt.* 17.3 19. *Luca.* 17. 6 *Medit.*49.3. *part.*

SECVNDÒ ſenſus eiuſdem Chriſti promiſsionis eſt,de POTESTATE quam etiam nunc habent in Eccleſia Concionatores,Sacerdotes,& Confeſſarij, ad hæc mirabilia,in animabus fidelium ſpiritualiter perficienda. Nam(vt ait Sanctus Gregorius,)*Dæmonia* ejiciunt,quando pœnitentes abſoluunt, & liberant à peccatis; *linguis* loquuntur *nouis*, quando ſpiritu Chriſti,& idiomate cæleſti,veritatis doctrinam prædicant;*ſerpentes tollũt* quando inimicitias, & rancores mutuos componunt, & Satanæ aſtutias diſſoluũt;*mortiferum quid bibunt,ſed non eis nocet*,cum verſantes inter malos,eorum nequitias audientes,nihil tamen mali illis adhæret; *manus ſuper ægros imponunt,& bene habent*,cum ſuis exhortationibus & exemplis, debiles,& languidos in virtute, ad meliora prouocant.O animarum Saluator;mitte multos operarios in hunc mundum, qui hæc admiranda faciant,quo fides dilatetur, charitas viuificetur. & gloria cæleſtis Patris tui in omnibus augeatur.

II. Poteſtas Concionatorum & confeſſariorum. *Homil.* 29. *in Euangelia.*

TERTIVS ſenſus eſt de poteſtate,quā quilibet Chriſtianus habet,ad hęc ſigna, in virtute Chriſti in ſeipſo edenda. Nam(teſte Sancto Bernardo) *Dæmonia ejicimus* à nobis,cum habemus cordis contritionem,& perfectum peccatorum noſtrorum dolorem: *linguis nouis* loquimur, cum recedunt

III. Poteſtas fidelium *Serm. de Aſcens.*

vetera, & ſermones terreni Adami de ore noſtro, quibus declinamus in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis; loquimur verò cæleſtis & noui Adami lingua, dum in gratiarum actione & laudibus Diuinis occupamur, eaque ſemper loquimur, quæ Deo placent; *ſerpentes tollimus* à nobis, cum reſecamus occaſiones relabendi in antiqua peccata, & remouemus quidquid cordi noſtro, venenum peccati adferre poteſt; *mortiferum* autem quid *bibimus* nec tamen nocet, cum ſuggeſtiones quidem & carnis ſtimulos ſentimus, etiam inuiti, non tamen conſenſum illis præbemus; *ſuper ægrotos manus imponimus & bene habemus*; cũ animæ noſtrę morbos curamus, eiuſque paſsiones, exercitatione bonorum operum, pænitentijs, & mortificationibus vincimus. Hæc ſigna ſunt eorum, qui credunt vt oportet: quæ tamen nõ proprio nomine, & virtute præſtare poſſunt, ſed nomine & virtute Dei. O Chriſte potentiſsime & fideliſsime, in te credo & ſpero, quare tuo nomine hæc mirabilia incipere ſtatuo, confidens tuæ miſericordiæ, quod iuxta tua promiſſa, ſis me adiuturus ad exſecutionem.

MEDITATIO XV.

DE SECVNDA CHRISTI PROMISSIONE MANENDI cum diſcipulis vſque ad conſummationem ſæculi.

POSTEA, *quæ retulimus, adiecit Chriſtus Dominus noſter, ſuis diſcipulis*, a ecce ego vobiſcũ ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi, *quæ promiſsio omnium eſt placidiſsima, & affabiliſsima, quas fecit ſuis Apoſtolis: in cuius ſingulis verbis, aliquid eſt valde conſiderandum; ſi perpẽdatur quis ille ſit, qui eam facit promiſsionem: quæ illum cauſa ad eam faciendam, permoueant; qua ratione impleat quod promiſit; quibus perſonis, qua continuatione, & quanta temporis diuturnitate, hæc enim omnia verbis illis exprimuntur, quorum primum illud* ECCE, *inuitat nos, vt attentius omnia conſideremus.*

a *Matt.* 28 20.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDAE ergo ſunt primùm cauſæ, quæ Chriſtum permouerunt, ad dicendum ſuis diſcipulis, ſe cum illis manſurum.

I. Conſolatio diſcipulorũ

PRIMA cauſa fuit, vt illos *conſolaretur*, triſtes propter abſentiam, quam in cælum aſcendens facere ſtatuerat; imò etiam ob eam, quam faciebat, dum raró, & non niſi aliquot diebus interiectis ſe illis oſtendebat, intra quadraginta illos dies, quibus in hoc mundo, poſt ſuam Reſurrectionem permanſit: atque ſi diceret: quamuis ego in cœlum aſcendam, &

quamuis

quamuis etiam nunc rarò vos viſité; ſcitote tamē, certumq; habetote, me vobis inuiſibiliter adeſſe, non vos derelinquā orphanos abſque Patre, & conſolatore: nam, eſto corporis oculis me non videatis, adeò tamen vobis ſum præſens, atque ſi me cerneretis.

SECVNDA cauſa fuit, vt illos *animaret*, ad expeditionem, quam illis committebat, mittens illos in mundum vniuerſum prædicare, Baptizare, & prodigia admirabilia edere; certos, ac ſecuros eos faciens, ſemper ſe cum illis futurum, & adiuturum: atque ſi illis diceret: nolite animum abijcere, eò quòd ad tantam expeditionem, impares vos, debileſque putetis; nam ego ipſe ſemper ſum vobiſcum, veſtram imbecillitatem corroborans; & ego ſum, qui ea opera ſum facturus in vobis, & vos comitaturus, quocunque iueritis; nec vnquam à veſtro latere diſceſſurus. II. Animatio

TERTIA cauſa fuit, vt eos in executione omnium, quæ illis imponebat, redderet *attentiores* & exactiores: nam ſcientes, ipſum ſibi eſſe præſentem, & aſpicientem, quomodo in ſuo munere ſe gererent, hæc inquam cogitatio, & memoria, magis ſollicitos, ac diligentes eos redderet, vt ea non ſolùm abſque defectibus, & imperfectionibus, ſed etiam cum omni perfectione, quam poſſent adhibere, præſtarent; tanquam qui in conſpectu eos aſpicientis Magiſtri, ad Domini ſui, cui placere contenderent, verſarentur. III. Excitatio

HAS tres cauſas & rationes, mihi ipſi applicabo, cogitans, (ſicut re ipſa ita eſt) Chriſtum Dominum propter illas mihi dicere: *Ecce ego tecum ſum*, tibi præſens, tanquam conſolator & auxiliator, tanquam teſtis eorum, quæ facis: quapropter nunquam mei obliuiſcitor, ſed recordator, me tecum ſemper eſſe in tuis ærumnis, vt te conſoler; in tuis officijs & miniſterijs, vt te adiuuem; & in omnibus tuis operibus, vt te iudicem, & præmium reddam. O Dulciſsime Domine, ſi tu mecum es quid mihi deeſſe poteſt! O Deus inuiſibilis, concede mihi ita viuere, atque ſi te ſemper præſentem cernerem. Ne me derelinquas orphanum, qui Pater meus es; nec deſolatum, qui meus es Paracletus; aſsiſte ſemper mihi, ſiquidem noſti me ſine te nihil, tecum autem omnia poſſe; & aduertente me, quod me aſpicias, excitabitur torpor meus, hac tua præſentia.

PVNCTVM II.

DEINDE conſideranda præſtantia huius promiſsionis, quæ tribus illis verbis EGO VOBISCVM SVM continetur. Præſtantia promiſsionis.

PERPENDAM igitur Primò, quis ille eſt, qui dicit EGO. non enim dicit, ſicut Moyſi, a *ego mittā Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via: & introducet te ad Amorrhæum & Hethæum &c.* ſed EGO ipſe (ait) vobiſcum ſum; & comitabor in veſtra hac expeditione, & cuſtodiam I. a Exod. 23. 20. & 32. 34.

& intro-

& introducam in terram Gentium. Ego, Deus omnipotens, infinitus, & æternus, b *cuius voluntati non eſt qui poßit reſiſtere.* Ego veſter Saluator, qui

b Eſter. 13. 9

Dæmonem vici, infernum ſpoliaui, & regnum peccati mortiſque Tyrãnidem deſtruxi. Ego, *cui data eſt omnis poteſtas in cælo, & in terra.* vos mitto in mundum, ſicut miſit me Pater aſsiſtens vobis, ſicut Pater ipſe mihi aſtitit, Ego Magiſter veſter, & protector veſter, cuius poteſtatem, liberalitatem, & amorem experti eſtis, ſumque ille idem, qui antea: ego ſum vobiſcum, veſter ſocius indiuiduus, inuiſibilis, qui antea fuit corporalis, & viſibilis.

II. Cvm autem dicit, Vobiscvm Svm, omnes modos complectitur, quibus eſſe poteſt cum illis:

Quatuor modis adeſt Christus

1. Primvs quidem communis eſt creaturis omnibus, quibus eſt præſẽtiſsimus, dans illis eſſe, vitam, & motum, quem habent.

2. Secvndvs eſt communis omnibus iuſtis; in quibus eſt per ſuam gratiam, dans illis vitam ſupernaturalem, & virtutes. 3. Tertivs eſt Specialis valde electorum, cum quibus particulari prouidentia manens, curam illorum gerit, res magnas, & admirandas per eos faciens. 4. Qvartvs eſt per ſanctiſsimum altaris Sacramentum, in quo verè & realiter eſt, & quà Deus, & quà homo vt ſit noſter cibus, & nutrimentum ſpirituale. Omnibus his modis eſt Chriſtus Dominus noſter in ſua Eccleſia: eius curam gerens, & gubernans, ſicut Rex in ſuo regno, gubernator in naui, Paterfamilias in domo ſua, & Magiſter in ſua ſchola: & hoc totum promittit Chriſtus, cum dicit: *ego vobiſcum ſum*, vobiſcum ſcilicet, qui vniuerſalẽ meam Eccleſiam repræſentatis; vobiſcum, qui mei eſtis dilecti diſcipuli, & cum omnibus illis, qui vos imitabuntur, & ſequentur. Gratias tibi, dulciſsime Ieſu, pro liberali adeò, & magnificâ promiſsione, quam tuæ facis Eccleſiæ, tuæque ſcholæ diſcipulis. Fælices illi, quibus iucũdis adeò modis tuæ præſentiæ ades. Vtinam ſemper hoc modo eſſes mecum, quo & ego eſſem tecum, tibi ſeruiens, teque amans in æternum. Amen.

Pvnctvm III.

Præſentia Chriſti continua

Perpendenda Tertiò eſt continuatio & duratio huius præſentiæ, quæ verbis illis, *omnib. diebus, vſq. ad conſummationem ſaculi declaratur*, Chriſtus itaque Dñs noſter, eſt nobiſcum, non ita interpolatis dieb. vno ſcilicet die veniens, altero non veniens; ſed *omnibus diebus*, omnibus horis, & momentis diei, nec limitato tempore mille, aut duorum milliũ annorum, ſed vſque ad finem ſæculi: quo verbo etiam nos reddit ſecuros, quòd eius Eccleſia, ſit ad finem vſque mundi duratura, & porrò etiam eius Leges, Sacramenta, & Sacrificia: ideoque & hodie nobiſcum eſſe, & craſtino etiam futurum, vſque ad diem nouiſsimum; & hoc ſæculo finito,

etiam

etiam erit cum ſuis excellentiori modo, qui per totam durabit æternitatem. Pro his omnibus gratias huic Domino agam, ſupplexque orabo, vt me participem faciat huius gratiæ, manendi mecum omni tempore, & omni loco, nec vel ad momentum, ſe à me ſeparandi, vſque ad finem vitæ, ſtatuam verò nec recedere ab ipſo, nec eius obliuiſci, quantum mihi poſsibile fuerit, memor illius, quod Sanctus Auguſtinus dixit: *ſicut nullũ eſt momentum, quo homo fruatur, vel vtatur pietate Diuina ſic nullum debet eſſe momentum, quo eum præſentem non habeat in memoria.* Aequum eſt, Deus meus, vt ſiquidem tu ſemper es mecum, habeſque me præſentem coram te; ego etiam ſim tecum, habeamque præſentem, & coram me: ſed quoniam hoc excedit meam imbecillitatem, concede mihi gratia tua quod deſidero, qua etiam facile mihi reddetur, quod ſine illa facere nequeo. *S. Aug. in Manu. c. 29* *S. Bern de interio domo c. 9*

MEDITATIO XVI.

DE VARIIS APPARITIONIBVS A CHRISTO Domino ſuis diſcipulis intra quadraginta illos dies ante Aſcenſionem factis, ac de modo & ratione, qua Spiritualiter animas viſitat, quæ ratio his Apparitionibus deſignatur.

PRAETER APPARITIONES *prædictas. certum eſt plures alias* fuiſſe, vt colligitur *ex iis, quæ Sanctus Lucas refert, cum dicit: quod ſuis diſcipulis* præbuit ſe ipſũ viuũ poſt paſsionem ſuam, in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. *In quibus verbis ſunt aliqua notanda, quæ ad has apparitiones pertinent, & ſimul perpendendus Spiritus, qui in eius cõtinetur, quatenus appariſiones iſtæ referunt* Spirituales *viſitationes, quibus Chriſtus Dominus noſter animas* [illegible] *inuiſibiliter.* *a Actuum 1. 2.* *S. Thom 3. par q. 5 a. 5 & 6.*

PVNCTVM [illegible]

PRIMVM conſiderandum, quòd quamuis Chriſtus Dominus noſter, toto illo ſpatio quadraginta dierum, erat inuiſibiliter continuè cum ſuis diſcipulis, vt prædictum eſt; interdum tamen ad eorum conſolationem maiorem; præbebat ſe illis *ſpectabilem*, reſuſcitatum, & glorificatum; varijs, & efficacibus rationibus, ac medijs, oſtendens illis, ſe eundem ipſum eſſe, qui fuerat mortuus: nunc vulnera ſua tangenda præbens, nunc cum eis manducans, nunc aliqua prodigia faciens, quale erat, clauſis ianuis ad eos intrare, plurimos magnoſque piſces ex tempore ad verbũ ipſius, retibus capi, & alias denique adferens illis rationes, & teſtimonia Diuinarum ſcripturarum, quæ ea de re loquuntur; & hac ratione fouebat illos, & conſolabatur, quoties ſe videndum præbebat. Chriſtus ſẽper præſens ſed non ſẽper viſibilis

Hoc ipſum facit Chriſtus Dominus noſter, erga animas ſuorum electorum, cùm quibus modo prædicto, manet inuiſibiliter toto tempore vitæ illorum, quod (ſancto Auguſtino teſte) his quadraginta diebus deſig-
Libro de cōſenſu Euang. cap. 4. S. Tho. 3. p. q. 55. a. 3. natur: interdum tamen eiſdem apparet, hoc eſt, internè illas viſitans, blandè conſolatur, dans aliqua ſigna, & teſtimonia præſentiæ ſuæ, ſingularib. & iucundioribus inſpirationibus, & affectibus amoris, etiam cum ſenſibilis deuotionis ſuauitate, quæ refectio eſt, ſpiritus: admirandis etiam mutationibus, quas efficit in ipſo corde, illuſtratione, & intelligentia veritatum ſcripturæ ſacræ, quas illis communicat: his argumentis præbens ſeipſum illis viuum, quæ tunc aduertunt, eum, quem intra ſe habent, verè eſſe Devm viuum, & tanquam viuentem talia in ipſis operari. Quando etiam ad ſacram communionem accedunt, eodem modo ſe illis præbet viuum: dans illis certa indicia, quod acceperint *panem viuum, qui de cælo deſcendit*, cõmunicat enim illis lumẽ aliquod, amorẽ, aut deſideria, & propoſita nouæ vitæ, dolorem de peccatis, inflammatos deuotionis affectus, quibus agnoſcunt id, quod acceperunt non eſſe panem ſolum, aut rem aliquam mortuam, ſed viuentem.

Oratio. O Deus inuiſibilis, præſentiſſime, & abſentiſſime, qui te interdum ita abſcondis, vt remotiſſimus eſſe videaris, interdum verò ita te prodis, vt te proximum, & præſentiſſimum eſſe animaduertamus. Veni, Domine, ad animam meam, tuaque dulci præſentia viſita; oſtende te mihi tanquã Deum viuum, & verum, talia in me opera faciens; vt teſtimonium mihi ſint, quis tu ſis. O Dilecte cordis mei; concede mihi ita ſumere te in Sanctiſſimo Sacramento, vt mox aduertam, me panem viuum, & panem vitæ accepiſſe, a *ſitiuit anima mea ad te Deum fontem viuum*, ne quæſo eſurien-
a *Pſal* 41. 3. tem & ſitientem derelinquas, ne ſiccam, & aridam, atque ſi rem mortuam accepiſſet. *Hinc aliqua Documenta accipiam.*

1\. Documẽta quædam de præſentia Dei. Primvm, quod, quamuis Deus, vbique ſit præſens, etiam in meipſo; culpâ tamen meâ fiat, vt non ſe mihi præbeat viuum, nec eius præſentiæ effectus ſentiam, nec magis eius meminerim, quàm ſi verè à me abeſſet, aut res aliqua eſſet mortua: quare meritò conabor, culpas, & importunas curas, quæ tantum bonum mihi impediunt deponere.

2\. Secvndvm eſt, quod ſæpius communicans, non ſentiam me Deum viuum accepiſſe; potius ita maneo, atque ſi rem mortuam accepiſſem, quia exigua mea diſpoſitio ad tantum Dominum ſuſcipiendum, indignũ me reddit, quem ipſe Chriſtus vt viuus conſoletur, & ſigna edat viuæ ſuæ præſentiæ.

3\. Tertivm documentum eſt, quod argumenta & ſigna, quæ profert Deus, ad ſuam præſentiam oſtendendam, ſint verè argumenta Dei veri, & viui; vt diſcernantur ab alijs, quæ ſolet ementiri ſpiritus malus, trãsfi-

gurans

gurans ſe in Angelum lucis, & larua quadam Dei viui ſerpium velans cum verè ſit Deus falſus, & fictus. Supplex ergo Deum ipſum orabo, vt cum tantum beneficium in me conferre dignabitur, me viſitandi; id faciat ſignis, & effectibus proprijs ipſius, liberans me à fraudibus Sathanæ & ijs quas errans, & inſanum proprium iudicium meum ordiri conſueuit.

PVNCTVM II.

DEINDE CONSIDERANDVM, Chriſtum Dominum noſtrum, in hiſce apparitionibus, *locutum fuiſſe* cum ſuis diſcipulis *de Regno Dei* nunc reuocando illis in memoriam aliqua, quæ ante ſuam mortem dixerat; nunc noua myſteria & ſecreta aperiendo, ad Sacramenta & ſacrificia, rationemque Diuini cultus ſpectantia; quorum ſunt multa in ijs quæ nunc per traditionem in Eccleſia habentur; alias tanquam Magiſter, Diuinas illis ſcripturas declarabat; lumen infundens, quo illas intelligerent. Denique *nũquam de rebus vanis*, curioſis, aut ad rem non pertinentibus, loquebatur, ſed tantum de ijs, quæ ad regnum Dei ſpectabãt, quod eſt a *iuſtitia, & pax & gaudium in Spiritu Sancto*, in bonum Eccleſiæ. In his ſermonibus, aliquando illos de incredulitate reprehẽdebat, aliquando cor corũ amore ſuo fouebat, confortabat, & inflammabat; ſemper tamen in pace, & cõſolatione poſt ſermonem illos relinquebat; ita vt nunquam defatigarentur illum audientes.

De regno Dei Chriſtus quomodo locutus?

Et ſemper de rebus ſerijs.

a *Rom.* 14. 15.

HOC IPSVM præſtat Dominus noſter, cum ſpiritualiter animas viſitat; quibus, in his viſitationibus, ſemper aliquid loquitur ad cor, iuxta illud Dauidis: b *audiam quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam*: Et illud Oſeæ; c *ducam illam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Iſta colloquia fiunt per inſpirationes, & illuſtrationes occultas; in quibus, nulla vana, aut curioſa, aut quæ ad rem non faciunt, ſuggerit, ſed ſolùm, quæ ad regnum Dei, ad iuſtitiam, ad ſanctitatem, ad virtutum exercitationem, ad pacem conſcientiæ cum Deo, ad purum gaudium in Spiritu ſancto pertinent; repellendo interim omne gaudium ſenſuum, & mundi huius. Interdum reuocat illis in memoriam, quæ aliquando legerunt, vel audiuerunt; dans illis viuum, & perſpicuum eorum ſenſum; interdum nouas illis aperiens veritates, nouos infundit affectus, quos nũquam habuerant: Interdum illorum defectus & torporem reprehendit: interdum verò exhortatur, & ad perfectionem excitat. Ex his porrò ſermonibus etiam deprehenditur Chriſtum eſſe, qui loquatur; nam colloquia ſpiritus Dæmonis, mundi, & carnis, planè ijs ſunt contraria. O amantiſsime Saluator, veni ad animam ſerui tui; eamque viſitans, loquere ad cor eius pro tuo more, de regno Dei, vt nouam quotidie æſtimationem, & amorem huius regni concipiat, nec ab eo procu-

Idem adhuc facit nobiſcum.

b *Pſal.* 84. 9

c *Oſeæ.* 2. 14.

Idque diuerſis modis.

Chriſtus quomodo agnoſcẽdus.

Digitized by Google

rando deſiſtat, donec in hac vita, cum perfectione, quæ hic eſſe poteſt, illud obtineat; & in futura clarè videat, ac fruatur.

PVNCTVM III.

CONSIDERANDAE tertiò ſunt aliquæ harum Chriſti Domini viſitationum proprietates, quæ in his, ad ſuos Apoſtolos apparitionibus, reſplendent.

Proprietates viſitationum Chriſti.

I. Interruptæ

PRIMA proprietas eſt, quod hæ apparitiones, non eſſent continuatæ, ſed *interruptæ*, & tantum fierent interdum: quamuis aliquibus eſſent frequentiores, ob illorum maiorem diſpoſitionem, quam alijs, qui non ita benè ſe diſponebant; aut propter vehementiora illorum deſideria Chriſtū videndi. Eſt verò fas credere eum Beatiſsimæ virgini Matri ſuæ quotidie apparuiſſe, aut certè frequentiſsimè; Sancto etiam Petro frequentius, quam alijs, ob maiorem ipſius feruorem, & amorem. Ita ergo viſitationes, quas facit Chriſtus ſpiritualiter pijs animabus, interruptæ ſunt, & plus minuſuè frequentes, pro libitu ipſius viſitantis, ac, pro dignitate, & feruore animæ viſitandæ. Quare mearum partium eſt, habere ſemper, ſicut Apoſtoli, deſiderium ardens videndi Chriſtum, eiuſque præſentia & interna viſitatione fruendi, non ob meam conſolationem; ſed quòd præ amore eius, cupiam ſemper cum illo eſſe, ob ingentia bona, quæ ex eo mihi proueniunt: poſſumque ſicut ſponſa, Angelis, & Beatorum animabus dicere, a *adiuro vos Filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo*, deſiderans dulcem ipſius præſentiam qua meam debilitatem confortem.

a Cant 5.8.

II. Ex improuiſo.

SECVNDA proprietas eſt, quòd hæ viſitationes, fiebant *ex improuiſo*, & cum ipſi Apoſtoli minimè cogitarent, durabant etiam breui tempore; & interdum etiam ſubitò euaneſcebant, ſicut contigit duobus illis diſcipulis in Emmaus, quos, vix deguſtato (vt dicitur) melle, reliquit. Ita quoque internæ viſitationes repentè ſolent euenire, & cum nos de eis minimè cogitamus; ſolentque breui tempore perdurare; & repentè etiam euaneſcere: vult enim Chriſtus Dominus noſter, nos eſſe in continua huiuſmodi mutatione, & ab eius miſericordia dependere: & vt ipſe dixit, b *modicum ipſum videamus, & iterum modicum, & non videamus*; modicum lętiſſimus eius præſentia; & iterum modicùm triſtes ex eius abſentia, reditus eius cupidi. Et ita ait Sanctus Bernardus: *In corpore poteſt eſſe de præſentia ſponſi frequens lætitia, ſed non copia, quia etſi viſitatio lætificat, ſed moleſtat viciſsitudo*: eſt enim c *rara hora*, cum venit, *& breuis* eius *mora*. Hoc enim d *ſilentium quod fit in cælo* animæ iuſtæ, vix durat, *quaſi media hora*; in quo tamen decet, nos Diuinæ voluntati conformare, certoque credere, quidquid ipſe faciat, ad noſtrum maius commodum dirigi.

b Ioa.16.17

Serm. 32. in Cantic.

d Apoc.8.1.

S.Greg l.30 Moral.c.12.

TERTIA proprietas eſt, quod ſicut illæ apparitiones, non ſemper fuerunt

erunt eodem tempore, aut loco, aut eadem diſcipulorum occupatione, ſed omninò *diuerſis*: nam Magdalenæ apparuit in horto iuxta ſepulchrum; duobus diſcipulis, euntibus in Emmaus, apparuit in via; vndecim Apoſtolis in cœnaculo; ſeptem Apoſtolis ad littus maris, & pluribus aliis in monte Galileæ; ſic inquam, viſitationes Spirituales, nec tempus certum habent, nec locum, aut occupationem: nam interdum fiunt in ipſa oratione, in ſpirituali lectione, tempore refectionis, aut in boni alicuius operis exercitatione: interdum in aliqua animi recollectione, & die feſto, interdum in campis, & in die profeſto: Vult enim ipſe Dominus, vt in omni tempore, & loco, & occupatione, ita parati ſimus, vt viſitationi eius & conſolationi obicem non ponamus, ſed ab eius Diuina prouidentia, ſemper dependeamus, nam, vt ipſe dixit, e *ſpiritus vbi vult ſpirat*, viſitans nos ſuis inſpirationibus, vbi, & quando videtur illi magis opportunum.

III. Diuerſæ.

e Ioan. 3. 8.

Qvarta proprietas eſt, quòd illas apparitiones præcedebāt interdū viſitationes Angelorū, interdū verò Chriſtus ipſe *in aliena figura* apparebat, & ſe ipſum ſenſim manifeſtabat; aliàs verò repentè ſe totū oſtēdebat; iam ingenti ſplendore, ſicuti Virgini Sanctiſsimæ; iam minori, iuxta illorum diſpoſitionem, quibus ſe oſtendebat. Simili autem ratione, in ſpiritualibus viſitationibus animarum, communicat Chriſtus Dominus noſter lumen, & notitiam Diuinæ ſuæ præſentiæ, cæteroſque internos fauores, variis modis iuxta æternæ ſuæ ſapientiæ præſcriptum, & animarum diſpoſitionem, quas viſitat. Quod autem ex parte noſtra procurare debemus, eſt animus quidam generoſus, & confidentiæ plenus, quo & deſideremus, & ſperemus ab ipſo Chriſto Domino noſtro, non aliquid minus, quàm ipſummet; petentes ſemper, quod melius eſt, quodq; magis illi placet; hæc enim granditas fiduciæ, cordiſque ingenuitas, teſte Sancto Bernardo, magna meretur, ad imitationem magni illius Moyſis, qui Deo dixit: f *oſtende te mihi ipſum*; & audiuit Dei reſponſum: *ego oſtendam tibi omne bonum*, & ſicut Dauid, qui dicebat Deo: g *Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram*. Qua animi reſolutione, ad illud perfectionis culmen peruenit, vt diceret: h *quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram!*

IV. Ab angelis præuentę aut ſimulata perſona.

Serm. 32. in Cant.

f Exod. 33. 18.

g Pſal. 26. 8.

h Pſa. 87. 25

Hos, & ſimiles affectus, excitare me decet in corde meo, ac dicere Chriſto Domino, nunc cum ſancto Philippo: i *Domine oſtende nobis Patrem & ſufficit nobis*: Nunc cum ſponſa: k *indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie*; indica mihi cęleſti tuo lumine locum; quo in meridie, feruenti ſcilicet amore, ſomnum mortis dormiuiſti; & vbi clara luce, inſtar meridiei, beatis manifeſtas tuam ſupremam gloriam; indica etiam mihi vias ipſius feruoris, l vt *procedam & creſcam* in tuo ſeruitio, ſine vlla mora, donec perueniam ad lucem *perfectæ diei*. Amen.

i Ioan. 48.

k Cant. 7.

l Prou. 4. 18.

Digitized by Google

Apoſtolorũ, dixit: f *neq; Patres noſtri, neque nos portare potuimus*; & eius loco, impoſuit nobis ſuaue iugum, & onus leue legis Euangelicæ, quę complectitur omnia eius præcepta, quorum nec vnicum quidem tranſgredi oporteat. Gratias tibi, O Dulciſsime Magiſter, quod grauiſsimum Moyſis pondus in g *ſuauiſſimum* Euangelij *Iugum* commutaueris ad magnam animarum noſtrarum requiem. Aequum eſt Domine, vt ego impleam omnia præcepta tua, quæ & pauca ſunt, & iucunda, & à te propoſita; cui ego ob multa, quæ pro me feciſti, & perpeſſus es, plurimum debeo. Cupio ea ſeruare, & alios vt ſeruent docere; ſiquidem tu dixiſti, h *qui ea fecerit, & docuerit ſic homines, eum magnum futurum in regno cœlorum*; adiuua Domine duplici ſpiritu tuo, vt vtrumque hoc, quod hic docuiſti, exactè adimpleam.

f *Actuũ* 15. 10.

Oratio

g *Matt.* 11. 30.

h *Matt.* 5. 19.

PVNCTVM IV.

a QVI *crediderit & Baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur.*

a *Marci.* 16 16.

Promiſſio rerum ſpiritualium.

HANC promiſsionem adiecit Chriſtus Dominus noſter, vt nos ad obſeruationem eorum, quæ ipſe mandat, impellat; nec tamen promittit, aut minatur bona, aut mala corporalia, aut tẽporalia, ſicut in lege veteri; ſed bona, aut mala *ſpiritualia*, & æterna: frui videlicet ſalute, quam ipſe ſua paſsione, & morte nobis comparauit; aut ea æternùm priuari: quaſi diceret: qui crediderit & Baptizatus fuerit, & ea impleuerit, quæ vobis mandaui, veniam ſuorum peccatorum obtinebit, & ſpiritualem animæ ſuæ ſalutem, per gratiam meam; & tandem æternam vitam conſequetur: qui autem non crediderit, hoc totũ amittet: idemq; eueniet ei, b *qui confitetur ſe noſſe Deũ*, & fidẽ habet; *factis autem id negat*; quia nõ ducit vitã iuxta ea, quæ credit; nec re ipſa præſtat, quod in Baptiſmo promittit. O Deus animę meę, aperi mihi theſauros innumerabiles, qui verbo illo *ſaluus erit* cõtinetur, vt eorum amor, inſtiget me ad omnia, quæ neceſſaria ſunt vt re ipſa ſaluer. Aperi mihi etiam abyſſum miſeriarum, quæ verbo illo *condemnabitur* continetur, vt horrendorum malorum timor me vrgeat cùm cœleſtium bonorum amor me non excitauerit.

I.

b *Tit.* 1. 16.

Oratio.

PERPENDAM deinde infinitam Chriſti Domini noſtri charitatem, & *liberalitatem*, cum non dixit qui non crediderit, nec Baptizatus fuerit, condemnabitur; ſed tantum: qui non crediderit; vt nos doceret, quamuis qui Baptiſmum contemnit, aut notabiliter in eo ſuſcipiendo negligens eſt, ſit condemnandus (quia c *qui non renaſcitur ex aqua, & ſpiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei*) qui tamen *deſiderium* habet illum ſuſcipiendi ſed abſque ſua culpa tamen ſuſcipere non poteſt, is non con-

II. Chriſti liberalitas.

c *Ioan.* 3. 5. Baptiſmus in voto.

Digitized by Google

damnabitur; modo viuam habeat fidem, ac de ſuis peccatis dolorem, nam is iam ſpiritualiter eſt regeneratus, & incorporatus Chriſto, ob contritionem ſuam, & Baptiſmi ſuſcipiendi votum. neque enim tam copioſam ſuam Redemptionem voluit Chriſtus ita contrahere, & ingreſſum in cœlum in eas anguſtias redigere; vt homo rationis capax ab eo excluderetur, quod reipſa non receperit id, quod abſque vlla ſua culpa recipere nō potuit. S. Tho. 3. p. q. 68. a. 2.

PVNCTVM V.

a SIGNA *autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit; manus ſuper ægros imponent, & benè habebunt.* a Marci. 16 17.

HAEC promiſsio in triplici ſenſu expendi poteſt. PRIMVS eſt iuxta ipſum textum, vt Chriſtus eam poteſtatem fidelibus tribuerit, ad hæc prodigia patranda, quando ad fidei propagationem, & animarum conuerſionem, ea patrare expediret: quæ poteſtas, reipſa reſplenduit plurimum in primitiua Eccleſia, & eandem concedet nunc ipſe, quando ad ipſius gloriam opus erit. eſtque valde neceſſarium, vt hæc fides, & fiducia vigeat in nobis: ſiquidem infallibile eſt illud ipſius verbum: b *Amen quippe dico vobis ſi habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic; tranſi hinc illuc; & tranſibit, & nihil impoſsibile erit vobis.*

I. Promiſsio in triplici ſenſu. Poteſtas miraculorum. b Matt. 17. 19. Luca. 17. 6 Medit. 49. 3. part.

SECVNDÒ ſenſus eiuſdem Chriſti promiſsionis eſt, de POTESTATE quam etiam nunc habent in Eccleſia Concionatores, Sacerdotes, & Confeſſarij, ad hæc mirabilia, in animabus fidelium ſpiritualiter perficienda. Nam (vt ait Sanctus Gregorius,) *Dæmonia* eijciunt, quando pœnitentes abſoluunt, & liberant à peccatis; *linguis* loquuntur *nouis*, quando ſpiritu Chriſti, & idiomate cæleſti, veritatis doctrinam prædicant; *ſerpentes tollūt* quando inimicitias, & rancores mutuos componunt, & Satanæ aſtutias diſſoluūt, *mortiferum quid bibunt, ſed non eis nocet*. cum verſantes inter malos, eorum nequitias audientes, nihil tamen mali illis adhæret; *manus ſuper ægros imponunt, & bene habent*, cum ſuis exhortationibus & exemplis, debiles, & languidos in virtute, ad meliora prouocant. O animarum Saluator; mitte multos operarios in hunc mundum, qui hæc admiranda faciant, quo fides dilatetur, charitas viuificetur. & gloria cæleſtis Patris tui in omnibus augeatur.

II. Poteſtas Concionatorum & confeſſariorum. Homil. 29. in Euangelia.

TERTIVS ſenſus eſt de poteſtate, quā quilibet Chriſtianus habet, ad hęc ſigna, in virtute Chriſti in ſeipſo edenda. Nam (teſte Sancto Bernardo) *Dæmonia eijcimus* à nobis, cum habemus cordis contritionem, & perfectum peccatorum noſtrorum dolorem: *linguis nouis* loquimur, cum recedunt

III. Poteſtas fidelium Serm. de Aſcens.

vetera, & ſermones terreni Adami de ore noſtro; quibus declinamus in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis; loquimur verò cæleſtis & noui Adami lingua, dum in gratiarum actione & laudibus Diuinis occupamur, eaque ſemper loquimur, quæ Deo placent; *ſerpentes tollimus* à nobis, cum reſecamus occaſiones relabendi in antiqua peccata, & remouemus quidquid cordi noſtro, venenum peccati adferre poteſt; *mortiferum* autem quid *bibimus* nec tamen nocet, cum ſuggeſtiones quidem & carnis ſtimulos ſentimus, etiam inuiti, non tamen conſenſum illis præbemus; *ſuper ægrotos manus imponimus & bene habemus*, cũ animæ noſtræ morbos curamus, eiuſque paſsiones, exercitatione bonorum operum, pænitentijs, & mortificationibus vincimus. Hæc ſigna ſunt eorum, qui credunt vt oportet; quæ tamen nõ proprio nomine, & virtute præſtare poſſunt, ſed nomine & virtute Dei. O Chriſte potentiſsime & fideliſsime, in te credo & ſpero, quare tuo nomine hæc mirabilia incipere ſtatuo, confidens tuæ miſericordiæ, quod iuxta tua promiſſa, ſis me adiuturus ad exſecutionem.

MEDITATIO XV.

DE SECVNDA CHRISTI PROMISSIONE manendi cum diſcipulis vſque ad conſummationem ſæculi.

a Matt. 28 20.

POSTEA, *quæ retulimus, adiecit Chriſtus Dominus noſter, ſuis diſcipulis*, a ecce ego vobiſcũ ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi, *quæ promiſſio omnium eſt placidiſsima, & affabiliſsima, quas fecit ſuis Apoſtolis: in cuius ſingulis verbis, aliquid eſt valde conſiderandum; ſi perpẽdatur quis ille ſit, qui eam facit promiſsionem: quæ illum cauſæ ad eam faciendam, permoueant; qua ratione impleat quod promiſit; quibus perſonis, qua continuatione, & quanta temporis diuturnitate, hæc enim omnia verbis illis exprimuntur; quorum primum illud* ECCE, *inuitat nos, vt attentius omnia conſideremus.*

PVNCTVM I.

CONSIDERANDAE ergo ſunt primùm cauſæ, quæ Chriſtum permouerunt, ad dicendum ſuis diſcipulis, ſe cum illis manſurum.

I. Conſolatio diſcipulorũ

PRIMA cauſa fuit; vt illos *conſolaretur*, triſtes propter abſentiam, quam in cælum aſcendens facere ſtatuerat; imò etiam ob eam, quam faciebat, dum rarò, & non niſi aliquot diebus interiectis ſe illis oſtendebat, intra quadraginta illos dies, quibus in hoc mundo, poſt ſuam Reſurrectionem permanſit: atque ſi diceret: quamuis ego in cœlum aſcendam, &

quamuis

quamuis etiam nunc rarò vos viſitē; ſcitote tamē, certumq; habetote, me vobis inuiſibiliter adeſſe, non vos derelinquā orphanos abſque Patre, & conſolatore: nam, eſto corporis oculis me non videatis, adeò tamen vobis ſum præſens, atque ſi me cerneretis.

SECVNDA cauſa fuit, vt illos *animaret*, ad expeditionem, quam illis committebat, mittens illos in mundum vniuerſum prædicare, Baptizare, & prodigia admirabilia edere; certos, ac ſecuros eos faciens, ſemper ſe cum illis futurum, & adiuturum: atque ſi Illis diceret: nolite animum abijcere, eò quòd ad tantam expeditionem, impares vos, debileſque putetis; nam ego ipſe ſemper ſum vobiſcum, veſtram imbecillitatem corroborans; & ego ſum, qui ea opera ſum facturus in vobis, & vos comitaturus, quocunque iueritis; nec vnquam à veſtro latere diſceſſurus. II. Animatio

TERTIA cauſa fuit, vt eos in executione omnium, quæ illis imponebat, redderet *attentiores* & exactiores: nam ſcientes, ipſum ſibi eſſe præſentem, & aſpicientem, quomodo in ſuo munere ſe gererent, hæc inquam cogitatio, & memoria, magis ſollicitos, ac diligentes eos redderet, vt ea non ſolùm abſque defectibus, & imperfectionibus, ſed etiam cum omni perfectione, quam poſſent adhibere, præſtarent; tanquam qui in conſpectu eos aſpicientis Magiſtri, ad Domini ſui, cui placere contenderent, verſarentur. III. Excitatio.

HAS tres cauſas & rationes, mihi ipſi applicabo, cogitans, (ſicut re ipſa ita eſt) Chriſtum Dominum propter illas mihi dicere: *Ecce ego tecum ſum*, tibi præſens, tanquam conſolator & auxiliator, tanquam teſtis eorum, quæ facis: qua propter nunquam mei obliuiſcitor, ſed recordator, me tecum ſemper eſſe in tuis ærumnis, vt te conſoler; in tuis officijs & miniſterijs, vt te adiuuem; & in omnibus tuis operibus, vt te iudicem, & præmium reddam. O Dulciſsime Domine, ſi tu mecum es quid mihi deeſſe poteſt! O Deus inuiſibilis, concede mihi ita viuere, atque ſi te ſemper præſentem cernerem. Ne me derelinquas orphanum, qui Pater meus es; nec deſolatum, qui meus es Paracletus; aſsiſte ſemper mihi, ſiquidem noſti me ſine te nihil, tecum autem omnia poſſe; & aduertente me, quod me aſpicias, excitabitur torpor meus, hac tua præſentia.

PVNCTVM II.

DEINDE conſideranda præſtantia huius promiſsionis, quæ tribus illis verbis EGO VOBISCVM SVM continetur. Præſtantia promiſsionis.

PERPENDAM igitur Primò, quis ille eſt, qui dicit EGO. non enim dicit, ſicut Moyſi, a *ego mittā Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via: & introducet te ad Amorrhæum & Hethæum &c.* ſed EGO ipſe (ait) vobiſcum ſum; & comitabor in veſtra hac expeditione, & cuſtodiam I. a Exod. 23. 20. & 32. 34.

& intro-

& introducam in terram Gentium. Ego, Deus omnipotens, infinitus, & æternus, b *cuius voluntati non eſt qui poſſit reſiſtere*. Ego veſter Saluator, qui
b Eſter. 13 9 Dæmonem vici, infernum ſpoliaui, & regnum peccati mortiſque Tyrãnidem deſtruxi. Ego, *cui data eſt omnis poteſtas in cælo, & in terra*. vos mitto in mundum, ſicut miſit me Pater aſsiſtens vobis, ſicut Pater ipſe mihi aſtitit, Ego Magiſter veſter, & protector veſter, cuius poteſtatem, liberalitatem, & amorem experti eſtis, ſumque ille idem, qui antea: ego ſum vobiſcum, veſter ſocius indiuiduus, inuiſibilis, qui antea fuit corporalis, & viſibilis.

II. Cvm autem dicit, Vobiscvm Svm, omnes modos complectitur, quibus eſſe poteſt cum illis:

Quatuor modis adeſt Christus

1. Primvs quidem communis eſt creaturis omnibus, quibus eſt præſentiſsimus, dans illis eſſe, vitam, & motum, quem habent.

2. Secvndvs eſt communis omnibus iuſtis; in quibus eſt per ſuam gratiam, dans illis vitam ſupernaturalem, & virtutes. 3. Tertivs eſt Specialis valde electorum, cum quibus particulari prouidentia manens, curam illorum gerit, res magnas, & admirandas per eos faciens. 4. Qvartvs eſt per ſanctiſsimum altaris Sacramentum, in quo verè & realiter eſt, & quà Deus, & quà homo vt ſit noſter cibus, & nutrimentum ſpirituale. Omnibus his modis eſt Chriſtus Dominus noſter in ſua Eccleſia: eius curam gerens, & gubernans, ſicut Rex in ſuo regno, gubernator in naui, Paterfamilias in domo ſua, & Magiſter in ſua ſchola: & hoc totum promittit Chriſtus, cum dicit: *ego vobiſcum ſum*, vobiſcum ſcilicet, qui vniuerſalẽ meam Eccleſiam repræſentatis; vobiſcum, qui mei eſtis dilecti diſcipuli, & cum omnibus illis, qui vos imitabuntur, & ſequentur. Gratias tibi, dulciſsime Ieſu, pro liberali adeò, & magnificà promiſsione, quam tuæ facis Eccleſiæ, tuæque ſcholæ diſcipulis. Fælices illi, quibus iucũdis adeò modis tuæ præſentiæ ades. Vtinam ſemper hoc modo eſſes mecum, quo & ego eſſem tecum, tibi ſeruiens, teque amans in æternum. Amen.

Pvnctvm III.

Præſentia Christi continua

Perpendenda Tertiò eſt continuatio & duratio huius præſentiæ, quæ verbis illis, *omnib. diebus; vſq; ad conſummationem ſæculi declaratur*, Chriſtus itaque Dñs noſter, eſt nobiſcum, non ita interpolatis dieb. vno ſcilicet die veniens, altero non veniens; ſed *omnibus diebus*, omnibus horis, & momentis diei, nec limitato tempore mille, aut duorum milliũ annorum, ſed vſque ad finem ſæculi: quo verbo etiam nos reddit ſecuros, quòd eius Eccleſia, ſit ad finem vſque mundi duratura, & porrò etiam eius Leges, Sacramenta, & Sacrificia; ideoque & hodie nobiſcum eſſe, & craſtino etiam futurum, vſque ad diem nouiſsimum; & hoc ſæculo finito,

etiam erit cum ſuis excellentiori modo, qui per totam durabit æternitatem. Pro his omnibus gratias huic Domino agam, ſupplexque orabo, vt me participem faciat huius gratiæ, manendi mecum omni tempore, & omni loco, nec vel ad momentum, ſe à me ſeparandi, vſque ad finem vitæ, ſtatuam verò nec recedere ab ipſo, nec eius obliuiſci, quantum mihi poſsibile fuerit, memor illius, quod Sanctus Auguſtinus dixit: *ſicut nullũ eſt momentum, quo homo fruatur, vel vtatur pietate Diuina ſic nullum debet eſſe momentum, quo eum præſentem non habeat in memoria.* Aequum eſt, Deus meus, vt ſiquidem tu ſemper es mecum, habeſque me præſentem coram te; ego etiam ſim tecum, habeamque præſentem, & coram me: ſed quoniam hoc excedit meam imbecillitatem, concede mihi gratia tua quod deſidero, qua etiam facile mihi reddetur, quod ſine illa facere nequeo.

S. Aug. in Manu. c. 29
S. Bern. de interio. domo c. 9

MEDITATIO XVI.

DE VARIIS APPARITIONIBVS A CHRISTO Domino ſuis diſcipulis intra quadraginta illos dies ante Aſcenſionem factis; ac de modo & ratione, qua Spiritualiter animas viſitat, quæ ratio his Apparitionibus deſignatur.

PRAETER APPARITIONES *prædictas, certum eſt plures alias* fuiſſe, vt colligitur *ex ijs, quæ Sanctus Lucas refert, cum dicit: quod ſuis diſcipulis* præbuit ſe ipſũ viuũ poſt paſsionem ſuam, in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. *In quibus verbis ſunt aliqua notanda, quæ ad has apparitiones pertinent, & ſimul perpendendus Spiritus, qui in eius cõtinetur, quatenus apparitiones iſtæ referunt* Spirituales *viſitationes, quibus Chriſtus Dominus noſter animas viſitat inuiſibiliter.*

a Actuum 1. 2.
S. Thom. 3. par. q. 5. a. 5 & 6.

PVNCTVM I.

PRIMVM conſiderandum, quòd quamuis Chriſtus Dominus noſter, toto illo ſpatio quadraginta dierum, erat inuiſibiliter continuè cum ſuis diſcipulis, vt prædictum eſt; interdum tamen ad eorum conſolationem maiorem; præbebat ſe illis *ſpectabilem*, reſuſcitatum, & glorificatum; varijs, & efficacibus rationibus, ac medijs, oſtendens illis, ſe eundem ipſum eſſe, qui fuerat mortuus: nunc vulnera ſua tangenda præbens, nunc cum eis manducans, nunc aliqua prodigia faciens, quale erat, clauſis ianuis ad eos intrare, plurimos magnoſque piſces ex tempore ad verbũ ipſius, retibus capi, & alias denique adferens illis rationes, & teſtimonia Diuinarum ſcripturarum, quæ ea de re loquuntur; & hac ratione fouebat illos, & conſolabatur, quoties ſe videndum præbebat.

Chriſtus ſẽper præſens ſed non ſẽper viſibilis

Hoc ipſum facit Chriſtus Dominus noſter, erga animas ſuorum electorum, cùm quibus modo prædicto, manet inuiſibiliter toto tempore vitæ illorum, quod (ſancto Auguſtino teſte) his quadraginta diebus deſignatur: interdum tamen eiſdem apparet, hoc eſt, internè illas viſitans, blandè conſolatur, dans aliqua ſigna, & teſtimonia præſentiæ ſuæ, ſingularib. & iucundioribus inſpirationibus, & affectibus amoris, etiam cum ſenſibilis deuotionis ſuauitate, quæ refectio eſt, ſpiritus: admirandis etiam mutationibus, quas efficit in ipſo corde, illuſtratione, & intelligentia veritatum ſcripturæ ſacræ, quas illis communicat: his argumentis præbens ſeipſum illis viuum, quæ tunc aduertunt, eum, quem intra ſe habent, verè eſſe Devm viuum, & tanquam viuentem talia in ipſis operari. Quando etiam ad ſacram communionem accedunt, eodem modo ſe illis præbet viuum; dans illis certa indicia, quod acceperint *panem viuum, qui de cælo deſcendit*, cõmunicat enim illis lumé aliquod, amoré, aut deſideria, & propoſita nouæ vitæ, dolorem de peccatis, inflammatos deuotionis affectus, quibus agnoſcunt id, quod acceperunt non eſſe panem ſolum, aut rem aliquam mortuam, ſed viuentem.

Libro de cõſenſu Euang. cap. 4. S. Tho. 3. p. q. 55. a. 3.

Oratio.

O Deus inuiſibilis, præſentiſsime, & abſentiſsime, qui te interdum ita abſcondis, vt remotiſsimus eſſe videaris, interdum verò ita te prodis, vt te proximum, & præſentiſsimum eſſe animaduertamus. Veni, Domine, ad animam meam, tuaque dulci præſentia viſita; oſtende te mihi tanquã Deum viuum, & verum, talia in me opera faciens; vt teſtimonium mihi ſint, quis tu ſis. O Dilecte cordis mei; concede mihi ita ſumere te in Sanctiſsimo Sacramento, vt mox aduertam, me panem viuum, & panem vitæ accepiſſe, a *ſitiuit anima mea ad te Deum fontem viuum*, ne quæſo eſurientem & ſitientem derelinquas, ne ſiccam, & aridam, atque ſi rem mortuam accepiſſet. *Hinc aliqua Documenta accipiam.*

a *Pſal 41 3.*

1\. Documẽta quædam de præſentia Dei.

Primvm, quod, quamuis Deus, vbique ſit præſens, etiam in meipſo; culpâ tamen meâ fiat, vt non ſe mihi præbeat viuum, nec eius præſentię effectus ſentiam, nec magis eius meminerim, quàm ſi verè à me abeſſet, aut res aliqua eſſet mortua: quare meritò conabor, culpas, & importunas curas, quæ tantum bonum mihi impediunt deponere.

2\. Secvndvm eſt, quod ſæpius communicans, non ſentiam me Deum viuum accepiſſe; potiùs ita maneo, atque ſi rem mortuam accepiſſem, quia exigua mea diſpoſitio ad tantum Dominum ſuſcipiendum, indignũ me reddit, quem ipſe Chriſtus vt viuus conſoletur, & ſigna edat viuæ ſuę præſentiæ.

3\. Tertivm documentum eſt, quod argumenta & ſigna, quæ profert Deus, ad ſuam præſentiam oſtendendam, ſint verè argumenta Dei veri, & viui; vt diſcernantur ab alijs, quæ ſolet ementiri ſpiritus malus, trãsfi-

gurans

Digitized by Google

gurans ſe in Angelum lucis, & larua quadam Dei viui ſeipſum velans cum verè ſit Deus falſus, & fictus. Supplex ergo Deum ipſum orabo, vt cum tantum beneficium in me conferre dignabitur, me viſitandi; id faciat ſignis, & effectibus proprijs ipſius, liberans me à fraudibus Sathanæ & ijs quas errans, & inſanum proprium iudicium meum ordiri conſueuit.

PVNCTVM II.

DEINDE CONSIDERANDVM, Chriſtum Dominum noſtrum, in hiſce apparitionibus, *locutum fuiſſe* cum ſuis diſcipulis *de Regno Dei* nunc reuocando illis in memoriam aliqua, quæ ante ſuam mortem dixerat; nunc noua myſteria & ſecreta aperiendo, ad Sacramenta & ſacrificia, rationemque Diuini cultus ſpectantia; quorum ſunt multa in ijs quæ nunc per traditionem in Eccleſia habentur; alias tanquam Magiſter, Diuinas illis ſcripturas declarabat; lumen infundens, quo illas intelligerent. Denique *nũquam de rebus vanis*, curioſis, aut ad rem non pertinentibus, loquebatur, ſed tantum de ijs, quæ ad regnum Dei ſpectabāt, quod eſt a *iuſtitia, & pax & gaudium in Spiritu Sancto*, in bonum Eccleſiæ. In his ſermonibus, aliquando illos de incredulitate reprehēdebat, aliquando cor corũ amore ſuo fouebat, confortabat, & inflammabat; ſemper tamen in pace, & cõſolatione poſt ſermonem illos relinquebat; ita vt nunquam defatigarentur illum audientes.

De regno Dei Chriſtus quomodo locutus?

Et ſemper de rebus ſerijs.

a *Rom.* 14. 15.

HOC IPSVM præſtat Dominus noſter, cum ſpiritualiter animas viſitat; quibus, in his viſitationibus, ſemper aliquid loquitur ad cor, iuxta illud Dauidis: b *audiam quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam:* Et illud Oſeæ; c *ducam illam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Iſta colloquia fiunt per inſpirationes, & illuſtrationes occultas; in quibus, nulla vana, aut curioſa, aut quæ ad rem non faciunt, ſuggerit, ſed ſolùm, quæ ad regnum Dei, ad iuſtitiam, ad ſanctitatem, ad virtutum exercitationem, ad pacem conſcientiæ cum Deo, ad purum gaudium in Spiritu ſancto pertinent; repellendo interim omne gaudium ſenſuum, & mundi huius. Interdum reuocat illis in memoriam, quæ aliquando legerunt, vel audiuerunt; dans illis viuum, & perſpicuum eorum ſenſum; interdum nouas illis aperiens veritates, nouos infundit affectus, quos nũquam habuerant: Interdum illorum defectus & torporem reprehendit: interdum verò exhortatur, & ad perfectionem excitat. Ex his porrò ſermonibus etiam deprehenditur Chriſtum eſſe, qui loquatur; nam colloquia ſpiritus Dæmonis, mundi, & carnis, planè ijs ſunt contraria. O amantiſsime Saluator, veni ad animam ſerui tui; eamque viſitans, loquere ad cor eius pro tuo more, de regno Dei, vt nouam quotidie æſtimationem, & amorem huius regni concipiat, nec ab eo procu-

Idem adhuc facit nobiſcum.

b *Pſal.* 84. 9

c *Oſeæ.* 2. 14.

Idque diuerſis modis.

Chriſtus quomodo agnoſcēdus.

rando deſiſtat, donec in hac vita, cum perfectione, quæ hic eſſe poteſt, illud obtineat; & in futura clarè videat, ac fruatur.

PVNCTVM III.

CONSIDERANDAE tertiò ſunt aliquæ harum Chriſti Domini viſitationum proprietates, quæ in his, ad ſuos Apoſtolos apparitionibus, reſplendent.

Proprietates viſitationum Chriſti.

I. Interruptæ

PRIMA proprietas eſt, quod hæ apparitiones, non eſſent continuatæ, ſed *interruptæ*, & tantum fierent interdum: quamuis aliquibus eſſent frequentiores, ob illorum maiorem diſpoſitionem, quam alijs, qui non ita benè ſe diſponebant; aut propter vehementiora illorum deſideria Chriſtũ videndi. Eſt verò fas credere eum Beatiſsimæ virgini Matri ſuæ quotidie apparuiſſe, aut certè frequentiſsimè; Sancto etiam Petro frequentius, quam alijs, ob maiorem ipſius feruorem, & amorem. Ita ergo viſitationes, quas facit Chriſtus ſpiritualiter pijs animabus, interruptæ ſunt, & plus minusuè frequentes, pro libitu ipſius viſitantis, ac, pro dignitate, & feruore animæ viſitandæ. Quare mearum partium eſt, habere ſemper, ſicut Apoſtoli, deſiderium ardens videndi Chriſtum, eiuſque præſentia & interna viſitatione fruendi, non ob meam conſolationem; ſed quòd præ amore eius, cupiam ſemper cum illo eſſe, ob ingentia bona, quæ ex eo mihi proueniunt: poſſumque ſicut ſponſa, Angelis, & Beatorum animabus dicere, a *adiuro vos Filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo*, deſiderans dulcem ipſius præſentiam qua meam debilitatem confortem.

a Cant. 5. 8.

II. Ex improuiſo.

SECVNDA proprietas eſt, quòd hæ viſitationes, fiebant *ex improuiſo*, & cum ipſi Apoſtoli minimè cogitarent, durabant etiam breui tempore; & interdum etiam ſubitò euaneſcebant, ſicut contigit duobus illis diſcipulis in Emmaus, quos, vix deguſtato (vt dicitur) melle, reliquit. Ita quoque internæ viſitationes repentè ſolent euenire, & cum nos de eis minimè cogitamus; ſolentque breui tempore perdurare; & repentè etiam euaneſcere: vult enim Chriſtus Dominus noſter, nos eſſe in continua huiuſmodi mutatione, & ab eius miſericordia dependere: & vt ipſe dixit, b *modicum ipſum videamus, & iterum modicum, & non videamus*; modicum læti ſimus eius præſentia; & iterum modicùm triſtes ex eius abſentia, reditus eius cupidi. Et ita ait Sanctus Bernardus: *In corpore poteſt eſſe de præſentia ſponſi frequens lætitia, ſed non copia, quia etſi viſitatio lætificat, ſed moleſtat viciſsitudo*: eſt enim c *rara hora*, cum venit, *& breuis* eius *mora*. Hoc enim d *ſilentium quod fit in cælo* animæ iuſtæ, vix durat, *quaſi media hora*; in quo tamen decet, nos Diuinæ voluntati conformare, certoque credere, quidquid ipſe faciat, ad noſtrum maius commodum dirigi.

b Ioa. 16. 17

Serm. 32. in Cantic.

d Apoc. 8. 1.

S. Greg l. 30 Moral. c. 12.

TERTIA proprietas eſt, quod ſicut illæ apparitiones, non ſemper fuerunt

erunt eodem tempore, aut loco, aut eadem diſcipulorum occupatione, ſed omninò *diuerſis*: nam Magdalenæ apparuit in horto iuxta ſepulchrum; duobus diſcipulis, euntibus in Emmaus, apparuit in via; vndecim Apoſtolis in cœnaculo; ſeptem Apoſtolis ad littus maris, & pluribus aliis in monte Galileæ; ſic inquam, viſitationes Spirituales, nec tempus certum habent, nec locum, aut occupationem: nam interdum fiunt in ipſa oratione, in ſpirituali lectione, tempore refectionis, aut in boni alicuius operis exercitatione: interdum in aliqua animi recollectione, & die feſto, interdum in campis, & in die profeſto: Vult enim ipſe Dominus, vt in omni tempore, & loco, & occupatione, ita parati ſimus, vt viſitationi eius & conſolationi obicem non ponamus, ſed ab eius Diuina prouidentia, ſemper dependeamus, nam, vt ipſe dixit, e *ſpiritus vbi vult ſpirat*, viſitans nos ſuis inſpirationibus, vbi, & quando videtur illi magis opportunum.

III. Diuerſæ.

e Ioan. 3. 8.

QVARTA proprietas eſt, quòd illas apparitiones præcedebāt interdū viſitationes Angelorū, interdū verò Chriſtus ipſe *in aliena figura* apparebat, & ſe ipſum ſenſim manifeſtabat; aliàs verò repentè ſe totū oſtēdebat; iam ingenti ſplendore, ſicuti Virgini Sanctiſsimæ; iam minori, iuxta illorum diſpoſitionem, quibus ſe oſtendebat. Simili autem ratione, in ſpiritualibus viſitationibus animarum, communicat Chriſtus Dominus noſter lumen, & notitiam Diuinæ ſuæ præſentiæ, cæteroſque internos fauores, variis modis iuxta æternæ ſuæ ſapientiæ præſcriptum, & animarum diſpoſitionem, quas viſitat. Quod autem ex parte noſtra procurare debemus, eſt animus quidam generoſus, & confidentiæ plenus, quo & deſideremus, & ſperemus ab ipſo Chriſto Domino noſtro, non aliquid minus, quàm ipſummet; petentes ſemper, quod melius eſt, quodq; magis illi placet; hæc enim granditas fiduciæ, cordiſque ingenuitas, teſte Sancto Bernardo, magna meretur, ad imitationem magni illius Moyſis, qui Deo dixit: f *oſtende te mihi ipſum*; & audiuit Dei reſponſum: *ego oſtendam tibi omne bonum*, & ſicut Dauid, qui dicebat Deo: g *Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram*. Qua animi reſolutione, ad illud perfectionis culmen peruenit, vt diceret: h *quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram?*

IV. Ab angelis præuentę aut ſimulata perſona.

Serm. 32. in Cant.

f Exodi. 33. 18.

g Pſal. 26. 8

h Pſa. 87. 23

Hos, & ſimiles affectus, excitare me decet in corde meo, ac dicere Chriſto Domino, nunc cum ſancto Philippo: i *Domine oſtende nobis Patrem & ſufficit nobis*: Nunc cum ſponſa: k *indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie*; indica mihi cęleſti tuo lumine locum; quo in meridie, feruenti ſcilicet amore, ſomnum mortis dormiuiſti; & vbi clara luce, inſtar meridiei, beatis manifeſtas tuam ſupremam gloriam; indica etiam mihi vias ipſius feruoris, l vt *procedam & creſcam* in tuo ſeruitio, ſine vlla mora, donec perueniam ad lucem *perfectæ diei*. Amen.

i Ioan. 48.

k Cant. 7.

l Prou. 4. 18.

MEDITATIO XVII.

DE APPARITIONE CHRISTI SVIS Apoſtolis facta in die Aſcenſionis.

PVNCTVM I.

Conſolatio Chriſti ad aſcenſionem.

CVM adeſſet dies, quo ſtatuerat Chriſtus Dominus ad cælos aſcendere, cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, maiora in fine dedit eis amoris indicia; ideoque apparuit illis in cænaculo recumbentibus; & humaniſsimè conueſcens, ſignificauit; ſe illa die ad patrem aſcenſurum. eſtque fas credere, illum, ad eos conſolandos, ob conceptam de hac ipſius abſentia triſtitiã, repetiuiſſe rationes aliquas ex iis, quas attulerat in ſermone poſt cœnam.

I. a Ioan. 14. 2. Variæ rationes

AC PRIMVM illud fortè dixerit: a *vado parare vobis locum, & iterum veniam, & accipiam vos ad me ipſum vt vbi ſum ego, & vos ſitis*: Atque ſi illis dixiſſet; ego aſcendo in cælum, vt eius portas reſeram, Iuſtiſque pro eorum meritis aditum præbeam, vt fruantur manſionibus, ipſis in domo Patris mei deſtinatis; gaudete: nam ego ipſe reuertar ad vos, in hora mortis veſtræ, & accipiam vos mecum, & in eo loco conſtituam; quem Pater vobis deſtinauit. O Dilecte mi, ſit fælix aſcenſus iſte tuus in cælum, ſiquidem tuum eſt, tibique præcipuè fuit conditum, ſed ne quæſo obliuiſcaris redire pro me, vt perueniam ego tandem ad locum, vbi tu es, adiuuante gratia tua, vt efficiar dignus, quem ad tuam admittas gloriam.

II. b Ioan. 14. 28

Mox alterã rationẽ ſubiecerit: b *ſi diligeretis me, gauderetis vtiq; quia vado ad Patrem: quia Pater maior me eſt*: quaſi diceret, ſi mihi benè vultis, gaudere debetis de meo honore, meiq; animi iucũditate, quia aſcẽdo ad Patrẽ meũ, qui eſt in cœlis, eſtq; maior me, quà ego ſum homo; meque honorabit, & glorificabit, faciens me ad ſuam dexterã ſedere, vbi quietiſsimè regno illo fruar, quod mea paſsione expugnaui. Exulto animo, dulcis Ieſu, quòd aſcendas ad tuum Patrem, quia te plus amo; quàm me ipſum, tuumque honorem plus quàm meum ego deſidero: & ſiquidem Pater tuus etiam eſt meus, magnam fiduciam habeo, quòd me tandem ad fruendnm ipſius præſentia deduces.

III. c Ioan. 16. 7.

TERTIO addiderit quoque c *expedit vobis vt ego vadam: ſi enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos*: Atque ſi diceret, non ſolum meã refert, vt propter honorem meum aſcendam in cælum, ſed etiã veſtra plurimùm refert, quo fides veſtra perficiatur, ſpes erigatur, ac purificetur charitas; deſcendatque de cœlo Diuini ſpiritus

pleni-

lenitudo,niſi autem ego aſcendero, non deſcendet Spiritus Sanctus ad os,tum quòd ita ſit decretum,vt ego prius aſcendam,indeque illum ad os mittam;tum quòd vos,necdum ſatis parati ſitis, ad illum accipienum;vt qui modo quodam amoris carnalis,corporali præſentiæ meæ adæreſcatis.eſt autem neceſſe eum amoris modum omninò exuere, vt ſuremi illius doni capaces ſitis.Quamobrem,anima mea,diligenter attene,Deum tuum ſpiritum eſſe,ac velle diligi amore adeò ſpirituali,vt nec dorem habeat amoris alicuius proprij.Quod ſi corporalem Chriſti præntiam,amore minùs puro, & alicuius proprij commodi intuitu amare, npedimento eſt,quo minus Spiritus Sanctus adueniat; quanto magis npediet,ſi te ipſum,aut aliam aliquam creaturam, inordinatè diligas?) Dulcis Saluator,guberna pro tuo libitu animam meam: quod ſi ad eis commodum ſpirituale opus eſt,vt te illi,quò ad ſenſibilem conſolaonem ſubtrahas;fiat voluntas tua:certus ſum enim,tempore te paracleum ſpiritum daturum,in ea plenitudine,quæ ei expedit, vt poſsit in tuo more perdurare.

PVNCTVM II.

POSTQVAM Chriſtus Dominus noſter,diſcipulos ſuos fuiſſet conſolatus adiecit:a *ſedete in ciuitate,donec induamini virtute ex alto*:quibus verbis,promittit illis aduentum Spiritus Sancti, ſed modo tamen uodam,myſterio pleno,vt ſingula verba perpendenti,patebit. a.Luc. 24. 49. Promiſſio Spiritus ſancti valde energicè facta.

I. PRIMVM ergo dicit illis;SEDETE,quieſcite,videlicet; vt eos doceret uietem corporis,& Spiritus ſimul cum corde pacato,magni eſſe momé ad hoc cæleſte donum recipiendum:deinde,vt patientiæ, in eo expe:ando,illos admoneret:ne ſcilicet properarent plus quàm par eſſet, in eſiderio illud recipiendi,ſed hanc curam Deo ipſi relinquerent ac prop:rea noluit certum diem præſcribere, quo Spiritum Sanctum mittere ogitabat.quò quotidie illam exſpectarent,quotidie peterent, ſeque ad lum recipiendum,magis præpararent:ſolum dixit: ipſos baptizandos piritu ſancto,b *non poſt multos hos dies*,vt hæc aliqua eſſet illis conſolatio, uod non eſſet longior futura mora.Hinc diſcam,exſpectare in quiete,& atientia aduentum Diuini Spiritus,in ea plenitudine,quam deſidero Diinæ prouidentiæ relinquens diem aduentus eius,iuxta illud Iſaiæ, c *qui rediderit non feſtinet*. b Actuum 1.5. c Iſaiæ. 28. 16.

II. DIXIT illis præterea,vt ſederent IN CIVITATE,Ieruſalem videlit.Et quamuis magis ad rem videretur,ſi exirent in deſertum, aut in ſeratum aliquem montem, vt maiori quiete, Spiritus ſancti aduentum ſpectarent; prætulit tamen ipſe ciuitatem, & locum frequentum,quia Spiritus Sanctus non ipſis ſolis mittebatur, ſed ad omnium Ciuitas ſolitudinis prælata & cur.

hominum

hominum commodum mittendus erat;ideoque expediebat, potius in publico loco dari; vt mox ad CHRISTI legem promulgandam prodirent,iuxta illud Iſaiæ dicentis:d *de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.*

d *Iſaia.*2.3.

Cordis ſolitudo ſolitudini corporis prælata.

PRAETEREA Chriſtus Dominus noſter,præfert *cordis ſolitudinem, ſolitudini corporu*: poteſt autem in medio populi ſtrepitu, cor eſſe quietum, & pacificum,aptumque ad videndum,& recipiendum Deum: & forte non abſq; myſterio, ciuitas illa, etiamſi alioqui frequentiſsima, vocatur Ieruſalem,quod viſionem pacis ſignificat.O Princeps Pacis, pacifica cor meum,quietumque redde ſpiritum meum,vt e *in omni loco*,& tempore *orare* poſsit,*leuans puras manus* in cœlum;donumque expectans,quod mihi promiſiſti.

e 1.*Tim.* 2. 8

III. Abſque ſpiritu ſancto homo nihil poteſt.

TERTIO dixit eis:ſedete in ciuitate,*donec induamini virtute ex alto*,fortitudine videlicet Spiritûs Sancti;inſinuans,illos ex ſe ipſis nudos omninò eſſe,& inermes,debiles,puſillanimes,vacuoſque ſpiritu, & facultate neceſſaria ad prodeundum in mundum, & Euangelium prædicandum; quare ſedere eos,& quieſcere oportere, donec Spiritus S.ſuperueniat,qui gratiâ ſuâ illos induet,& donis ſuis armabit, & virtutibus cœleſtibus cõfortabit; virtutem,fortitudinẽ & facultatẽ,ad eam expeditionem neceſſariam tribuens.Quæ virtus ex alto veniet,quia ipſa eſt alta, & omnibus humanis viribus ſuperior:& quoniam f *omne datum optimum, & omne donum perfectum,de ſurſum eſt,deſcendens à Patre luminum*, qui in altis habitat.

f *Iacob.*1.17

DVO HINC documenta accipiam:PRIMVM,referre plurimum,ſi benè me in humilitate fundem, agnoſcens nuditatem, & imbecillitatem meam;quia ex me ipſo,nec veſtes habeo,nec arma ſufficientia,nec illa induere poſſum,niſi alius me ſicut infantem aliquem induat:& ideò Chriſtus Dominus noſter non dixit, quieſcite,donec vos ipſos induatis,ſed: DONEC INDVAMINI.

1. Humilitas neceſſaria

SECVNDVM documentũ eſt:*temerariam eſſe præſumptionem*, ad grauiſſimas huiuſmodi expeditiones,priùs aliquem prodire,quàm tantam habeat facultatem;& quàm induatur virtute ex alto.qui enim abſque ſufficientibus armis,ad pugnandum prodit contra fortes aduerſarios, facilè ab eis ſuperabitur.O Pater luminum,à quo dona omnia cæleſtia proueniunt;ecce Pauper ego ſum in tuo conſpectu,& infans adeò paruus, vt nec veſtem habeam,nec induere me poſsim;niſi miſericordia tua vtrumque præſtet erga me.Indue ergo me, DOMINE, virtute ex alto, qua poſsim aggredi expeditiones Diuini tui ſeruitij:nec permittas me abſque tali virtute,temerè me proijcere ad id,quod non poſſum præſtare:ſi enim abſq;

2. Præſumptio temeraria.

Oratio.

alis

alis volare præſumam, loco altioris loci, ad quem aſcendere, tento, ſuperbia me præcipitabit in profundum.

Vltimo perpendam, quod dum Chriſtus Dominus, iuſsit ſuis diſcipulis, *ſedere* & quieſcere, donec induerentur virtute ex alto, ſimul *monuit*, vt quam primum eâ virtute induti eſſent, ſtatim ad ſuam expeditionem prodirent. nam, vt vitium fuiſſet temeritatis; prius prodire, quam illa virtute induerentur; ita puſillanimitatis, & ſocordiæ, non prodire, poſtquam eam accepiſſent: Apoſtolos autem ſtatim prodiiſſe *Meditatione* 25. *apparebit*.

Gratiam Dei in vacuum non eſſe recipiendam.

PVNCTVM III.

His Dictis, *Eduxit eos foras in Bethaniam*, b *in montem*, *qui dicitur Oliueti*.

a Luc 24 50
b Act 1.12.

Considerandvm primum, Chriſtum Domnium noſtrum, omnibus diſcipulis ſuis, qui in illo erāt cænaculo, iuſsiſſe, vt ſtatim ſe conferrent in Bethaniam, ad montem Oliueti: inde enim ſe in cœlum aſcenſurum. Non conſtat quidem, num ita ipſemet eos eduxerit, vt aliquo ſpatio illos comitaretur, ita ipſis conſpicuus, vt reliqui per viam prætereuntes, eum non cernerent: an verò ibi ſtatim euanuerit, diſcipuli autem ſoli in Bethaniam ſe contulerint. Vt vt autem, hoc fuerit, Apoſtoli paruerunt mox Chriſti Domini iuſsioni; eſtq; fas credere, illos, cum ex cænaculo exirent, fuiſſe memores alterius exitus ex eodem cænaculo, in hortum Gethſeman (qui ad vnum latus montis Oliuarum ſitus erat,) magnâ triſtitia, & anxietate trementes, ob timorem ærumnarum, quas præuidebant ex morte Dilecti ſui Magiſtri, ſibi euenturas: nunc autem exiuerunt etiam valde quidem anxij, partim ex triſtitia, partim ex lætitia, ex glorioſa ipſius in cælum Aſcenſione, quæ imminebat; & hoc feruore accelerarint, ſine dubio, ſuos greſſus; quo citiùs ad locum deſtinatum peruenirēt.

I. Longè diſpar exitus ex eodē loco.

Deinde perpendendum, quòd Chriſtus Dominus noſter, eundem montem Oliueti elegerit, ex quo in cælum aſcenderet, in quo maxima agonia, & ſanguinis ſudore, Patrem ſuum orauerat, & in quo à ſuis Apoſtolis deſertus, à Iuda fuit ſuis hoſtibus traditus, captus à Iudæis, funibus ligatus, & eorum pedibus conculcatus; ac denique ex quo exiuerat ad crucis ignominias ſubeundas, ex eodem inquam loco aſcendere vult, ad fruendum amplitudine ſuæ gloriæ: vt ſic intelligeremus, cum per tales labores, cœlum ſibi comparaſſe, quod iam aſcendebat poſſeſſurus; etſi patientiam ego habuero, idem quod mihi erit humilationis principium, & cauſa, futurum etiam cauſam meæ exaltationis, & à temporalibus iſtis ærumnis, me ad æternam quietem aſcenſurum. Designavit quoque,

II. Mons Oliueti electus ad paſſionis & gloriæ initium.

Digitized by Google

ad ſuam Aſcenſionem, Bethaniam, quod interpretatur DOMVS OBEDIENTIAE; & montem Oliuarum, qui ſignificat culmen miſericordiæ, & charitatis; vt ita ſignificaret, quæcunque fecit ab incarnatione ſua, vſque ad Aſcenſionem in cælum, ea ſe feciſſe, vt Patri ſuo obediret perfectiſsimâ obedientiâ; in cuius obedientiæ domo, ita ſemper vixit, vt nunquam ab ea receſſerit. Eadem verò omnia, quæ fecit, direxit ad ſupremum finẽ charitatis & miſericordiæ, in bonum ſcilicet hominum, ob eorum amorem & vt illos ab omnibus miſerijs liberaret. Simul etiam nos decet, viam aſcendendi in cælum, eſſe Bethaniam & montem Oliuarum, domum ſcilicet obedientiæ, & culmen charitatis & miſericordiæ, vt c *animas noſtras* (iuxta ſententiam Sancti Petri) *caſtificemus* & pacificemus *in obedientia charitatis*. O Vnigenite Patris Fili, qui per vias obedientię, & charitatis, aſcendiſti, vt ad eius dexteram ſederes, adiuua me, vt per totam vitam meam in domo habitem obedientiæ; nec in puncto à tua voluntate recedam; ſed contendam ſemper ad altiſsimum charitatis, & miſericordiæ culmen aſcendere, donec ad regnum tuum perueniam, vbi, & videam te, & fruar in æternum Amen.

c 1. *Petri*. 1. 22.

MEDITATIO XVIII.

DE ASCENSIONE DOMINI NOSTRI.

PVNCTVM I.

S.Thom. 3. *p.q.*57. *Marci* 16. 19. *Lucæ*.24. 51. *Actuum*.5. 12.

Amabilis Chriſti à ſuis diſceſſus.

EXISTENTIBVS omnibus diſcipulis, & Sacratiſsima Virgine, in monte Oliuarum; apparuit illis Chriſtus Dominus noſter, vultu ſplendidiore, & beneuolentiore, quàm aliàs; loco autem complexuum, quibus, qui ſe multùm amant, ſe mutuò complectuntur, cùm ab inuicem diſcedunt, permiſit ipſe, vt omnes oſcularentur ſacratiſsimos eius pedes & manus, ex quibus ſuauiſsimus odor fragabat, quo illorum corda confortabantur. Acceſſerit proculdubio omnium prima ſacratiſsima eius Mater, quæ nomine & titulo Matris oſculata vulnus lateris, cupiuerit etiam omninò intrare, vt ſimul cum Filio, ſi id conceſſum fuiſſet, in cælum aſcenderet: ſed quoniam reſignatiſsimam habebat voluntatem in Diuinã, nihil aliud volebat, quàm quod ipſe Deus. Acceſſerit mox Sanctus Petrus, Sanctus Ioannes, & reliqui Apoſtoli, ac diſcipuli, tangentes omnes, & oſculantes Sacratiſsima illa vulnera, maxima qua poterant deuotione, & reuerentia.

Digitized by Google

Et Mox (ait Sanctus Lucas) a *eleuatis manibus, benedixit eis*. Duo hic fecit Chriſtus Dominus noſter. Primvm *manus in* altum *eleuauit*, vt inſinuaret, benedictionem, quam volebat illis impertire, non eſſe de bonis terrenis, ſed cæleſtibus; quam benedictionem, ſua paſsione, & morte illis comparauerat, manibus ſuis in cruce eleuatis. Ambas autem manus eleuauit; tum quòd ambæ fuiſſent cruci affixæ; tum vt ſic benedictionis ſuæ largitatem ſignificaret; qua, plena vtraque manu, bona gratiæ & gloriæ nobis impertiret. Ex quo magnos affectus concipiam, laudum & gratitudinis, dicens cum Apoſtolo: b *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti; qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in rebus cæleſtibus, in Chriſto.* O Chriſte benignisſime per amorem, & extremum dolorē, quo manus tuas in cruce eleuaſti, vt mihi cæleſtes benedictiones comparares, te ſupplex oro, vt nunc eas leuans, copioſam tuam benedictionem mihi impertias: vt meas ego quoque eleuem in cælum, orationibus, & operibus adeò perfectis, vt ſim dignus, cui eleuatis tuis manibus benedicas.

a Luc. 24. 50.

I.

b Ephes. 1. 3.

II.

Deinde ait Sanctus Lucas, *Benedixit illis*, verbis declarans, & exprimens ea bona, quæ illis deſiderabat, & pro illis petebat. Et quamuis nec verba ipſa, nec bona, quæ deſiderauit, & petiuit, nouerimus; fortè illa protulerit, quibus Deus iuſſerat benedici Filijs Iſrael, c *benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te. Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui; conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem.* Aut forte partem illius orationis repetiuit, quam habuit in ſermone poſt Cœnam, quæ fuit ſuprema benedictio, quam illis poterat impertiri, dicēs: d *Pater Sancte ſerua eos in nomine tuo*, & virtute tua protege, *quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos*: & poſtea aſcendant, quò ego aſcendo, vt videant *claritatem, quam dediſti mihi*, & amorem tuum erga me, *antequam mundus eſſet*. Et quoniā benedictio huius Domini, non eſt in ſolis verbis; ſed re ipſa facit, quod dicit, ſimul cum illa benedictione, repleuerit procul dubio eos bonis illis cæleſtibus, quæ pro illis petebat. O Dulcisſime Ieſu, cui præſentes erāt, etiam qui tunc erant abſentes; fac me, quæſo, huius benedictionis tuæ participem; ex qua totum bonum meū pendet; ne ſim ego reprobato Eſau ſimilis, qui paternam Iſaac Patris ſui e *benedictionem* plenam non obtinuit. Benedic mihi, Pater mi, in hac valedictione, non benedictione terrena; ſed cæleſti: quia hæc terrena nec implent me, nec ſatiant. Sed vtrumque præſtant cæleſtia.

Benedictio Chriſti aſcenſuri quæ & qualis.

c Numer. 6. 23.

d Ioan. 17. 11 22.

Oratio

e Gen 27. 39

P V N C T V M II.

Poſtquā Chriſtus Dn̄s ſuis diſcipulis benedixit, cæpit ſēſim à terra eleuari & a *ferebatur in calū*, nō vt b *Elias curru igneo, & equis igneis per turbinē aſcendens*

Aſcenſio Chriſti qualis.

deris; ſed propria virtute, & infinitæ Diuinitatis & Maieſtatis ſubuectu[s] igne, qui propellit in altum tanquam in proprium locum.

Actuum. 1.8 b 4. *Regum.* 2.11. Comitatus eius.

COMITANTVR autem eum omnes animæ quas è lymbo & purgatorio liberarat, multique Angelorum chori, qui de cœlo deſcenderant, vt ipſum comitarentur. Diſcipuli omnes oculos ſuos animæ, & corporis in ſuum Magiſtrum defixos habebant, tribus flagrantiſsimis affectibus, eleuatos. *Primus* erat ADMIRATIONIS, quod rem adeò inſolitam & nouā viderent, aſcendentem videlicet hominem per aera, tanta iucunditate & facilitate, tantiſq; ſuæ excellentiæ, & maieſtatis indicijs. *Secundus* affectus erat, maximæ LAETITIAE. exultabant enim ob gloriam ſui Magiſtri, & Diuinitatem, quæ in eo reſplendebat: neque enim c *sciderunt veſtimenta ſua, ſicut* fecit *Eliſeus*, cum Magiſtrū ſuum Eliam vidit raptum in cœlum; potiùs præ gaudio, fortè exſilierint, videntes eum, in tanta maieſtate aſcendentem. *Tertius* affectus fuit, intimum DESIDERIVM eum ſequendi, & cum eo aſcendendi; quia eorum corda poſt ſuum dilectum rapiebantur: vbi implebatur, quod prædictum erat, d *aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem.* Duo enim genera captiuorum ſecum Chriſtus trahebat quoſdam verè, quia ipſoſmet in perſona ducebat, quales erant iuſti, è lymbo educti, qui ad cælum vſque Empyreum ipſum ſecuti ſunt: ſed præter hos etiam captiua ducebat corda ſuæ Matris, & omnium diſcipulorum, qui omnes deſiderio illum ſequebantur, ligati catenis amoris nec valentes ab eo diuelli. O ſi mihi daretur, eſſe me vnum ex his captiuis Ieſu! O Dulciſsime Ieſu, trahe tecum cor meum captiuum in cœlum, vt ſemper illic maneam in tua ſocietate; gaudeo Domine quòd per aera, aquilæ inſtar volantis aſcendas, e *prouocans ad volandum* tecum *pullos*, & filios *tuos*, da mihi Domine aquilæ alas, quibus te ſequar volans; omnes meas cogitationes ac deſideria, ſolùm in te ſequendo collocans: ſiquidem f *à te nihil volo ſuper terram*, nec aliud quidquam *in cælo* deſidero, quàm te frui in æternum.

1. 2. c 4. *Reg.* 2. 12. 3 d *Pſal.* 67. 19. *Epheſ.* 4. 8. Duo genera captiuorum. e *Deuter.* 32. 11. f *Pſal.* 72. 25.

PVNCTVM III.

CVM diſcipuli aſcendentem Chriſtum Dominum aſpicerent, a *nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.*

a *Actuum.* 1.9.

CONSIDERANDVM hic eſt myſterium huius *nubis*, quæ, cùm Chriſtus Dominus altiùs in aera aſcendendo perueniſſet, eum intra ſe recepit in conſpectu Apoſtolorum. Eſt verò fas credere, eam fuiſſe pulcherrimam & ſplendidiſsimā, qualem par erat eſſe, ad oſtendendam Maieſtatem illius Domini, qui in ea aſcendebat, & pulchritudinem loci cœleſtis, ad quem tendebat, vbi impletū eſt, quod erat prædictū, b *qui ponis nubem aſcenſum tuū, qui ambulas ſuper pennas ventorū*: atq; ſi diceretur; nubib.

I. Myſterium nubis. b *Pſal.* 103. 3.

Digitized by Google

vteris, pro triumphalibus curribus, vt magna pompa & maieſtate, per aera volando conſcendas. O quanta Apoſtoli fuerint affecti lætitia, glorioſum illum currum cernentes, quo Magiſter eorum vehebatur, & quã-uis non exclamauerint ſicut Eliſeus, cum vidit Eliam igneo curru raptum; nam ſuſpenſio ſpiritus, vſum linguæ illis adimebat; quiſque tamen fortè in corde ſuo dixerit: c *Pater mi, Pater mi, currus Iſraël & auriga eius.* O Pater mi amantiſsime, defenſio & fortitudo verorum iſraelitarum, qui conſtantes fuerunt in tuo ſeruitio, & ſoliciti in tua contemplatione! quò diſcedens, me derelinquis? O Pater mi dulciſsime gubernator & protector in te confidentium, admitte me in currum iſtum triumphantem; pateat mihi aditus ad iſtam nubem ſplendentem, vt ſaltem ſpiritu te ſequar, & ingrediar, ad ſupremam tuæ Maieſtatis gloriam contemplandam.

c 4. *Reg.* 2. 12.

II. Nubes illa quid ſignificet.

DEINDE perpendendum, quod Chriſtus Dominus noſter poſtquam aliquo interuallo in nube illa aſcenderat; ita ab eadem fuerit coopertus, vt Apoſtolorum oculis fuerit ſubtractus. quæ *nubes* ſignificat, omne id quòd nobis impedimento eſt, quo minus ipſum Chriſtum videamus; & ſubſtrahit à noſtro conſpectu ipſum Deum. Quod poteſt nobis duobus modis contingere: *aliquando* enim id euenit noſtrâ culpa; & tunc ipſæ culpæ noſtræ ſunt nubes, quas inter nos & Deum ponimus, magnoque ſunt nobis impedimento in oratione, & contemplatione, iuxta illud Ieremię; d *impoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio ad* cælum. Et ſiquidem hãc ego nubem mihi oppoſui, mihi quoque incumbit, eam per diuinam gratiam amouere, adhibita pœnitentia & mortificatione, & examinatione diligẽti, num ea nubes ſit ſuperbia, num cupiditas, aut inordinatus ad creaturã aliquam amor; applicatis efficacibus medijs, ad diſſoluendum id, quod tantum mihi bonum impedit. *Aliquando* idem nobis accidit abſque noſtra culpa, ex Diuina tantùm prouidentia, quæ vt interdum ſe nobis oſtendit ita interdum occultat, & ſubſtrahit; volens ne iucunda ipſius præſentiæ contemplatione, ipſum intueamur; ſed vt alijs quoque rebus, ad ipſius Diuinum obſequium ſpectantibus, attendamus. *Et vniuerſim* debilitas noſtræ carnis, & noſtri intellectus tarditas, & multitudo curarum ac neceſſitatum, quæ nos premunt in hac vita mortali, inſtar nubium ſunt, quæ nos impediunt à contemplatione cum ea claritate & continuitate, quam cuperemus; ſicut nubes, quæ frequenter per aerem tranſeunt, ſolis conſpectum nobis auferunt. O Deus infinite, e *qui lucem habitas inacceſſibilem* mortalibus, aufer ab anima mea peccatorum nubes, quas ego poſui, ac diſſolue nebulas tentationum & turbationum, quas patior: vt poſsim in hac vita mortali, ita contemplari, donec f *facie ad faciem*, ſine alicuius nubis impedimento, *videre te* poſsim in vita æterna. Amen.

d *Thren.* 3. 44.

e 1. *Timoth.* 6. 16.

f 1. *Corint.* 13. 12.

PVNCTVM IV.

Apoſtolorũ ſtupor præ admiratione.

Actuum. 1. 10.

ETIAM Poſtquam diſcipuli Chriſtum Dominum amplius non videbant, ſtupefacti tamen & quaſi à mente alienati, adhuc *intuebantur in cœlum*; & longo tempore in ea extaſi permanſiſſent, niſi Dominus ipſe excitatorem aliquem ad illos miſiſſet: a *ecce* itaque *duo viri*, Angeli videlicet *adſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum? hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum*: quibus verbis duo inſignia documenta Angeli dederunt diſcipulis, & nobis in eis.

I. Documenta ab angelis data Apoſtolis.

PRIMVM eſt, quod ſuſpenſio, & admiratio, & reliqui affectus Diuinæ contemplationis, in hac vita, accipiendi ſint in certo termino & menſura; quia non ipſi ſunt nobis finis vltimus, ſed medium quoddam, ad voluntatem Dei, & officij noſtri obligationes melius exequendas; ideoque Angeli, modo quodam reprehenſionis vſi ſunt, cum Apoſtolis dixerunt; *quid ſtatis aſpicientes in cœlum* quaſi dicerent; deſiſtite; ſatis diu aſpexiſtis; ite, & facite quod vobis commiſſum eſt. SECVNDVM documentum eſt, vt memoriam huius Chriſti Domini Aſcenſionis in cælum, coniungerẽt cum memoria aduentus eius ad iudicandum: vt memoria primi, fidem firmaret ſecundi, & vtrumque ſimul hominibus prædicarent; vt ſi fortè benè ſe gerere negligerent cogitantes, Dominum ſuum abſentẽ eſſe, quia aſcendiſſet in cælum; ſe ipſos tamen reformarent, cogitantes, rediturum ad iudicandum, & rationem exigendam. Nec tamen dixerunt, quando eſſet reuerſurus; ſed tantum reuerſurum: vt quotidie ſint in huius reditus expectatione; timeantque rationem, ab ipſis exigendam. *Quamuis* autem ſit verum eum, ſicut aſcendit, ita reuerſurum, quod ſpectat ad maieſtatẽ, quam oſtendit in aſcenſu; nihilominus, qui aſcendit beneuolus & manſuetus, magniſque oſtenſis amoris indicijs, reuertetur terribilis & tremẽdus, & magnis oſtenſis ſeueritatis indicijs: rationemque exiget omnium, quæ in ſuo diſceſſu nobis commiſit; nemini parcens, qui tunc fuerit reus inuentus. Quare anima mea, b *in die bonorum, non ſis immemor malorum*, & in die, qua aſcendit in cælum tuus aduocatus; memor eſto diei, qua reuertetur conſtitutus iudex attende diligenter; quid tibi commiſerit, & explere contende; vt cum redierit, ſecum te accipiat ad corregnandum in cœlo. Amen.

b *Eccle.* 11. 17.

II. c *Lucæ.* 24. 52. Gaudium Apoſtolorũ

CVM hæc diſcipuli ab Angelis audiuiſſent, c *ipſi adorantes, regreſſi ſunt in Ieruſalem cum gaudio magno.* Audientes enim Magiſtrum ſuum, iam eſſe in throno cæleſti, proſtrati in terram, magna reuerentia illum adorauerunt, ſupplentes aſpectu fidei, quod viſu corporis aſſequi non poterant. Reuerſi ſunt autem gaudio magno; nam, etſi abſque ſuo Magiſtro, re-

uerte-

Digitized by Google

uertebantur tamen vt viri perfectiores, qui magis gaudent de eo, quod Deus vult, quam quod caro deſiderat; & de gloria Chriſti, quàm de re aliàs ſibi grata. Huius gaudij tres fuerunt cauſæ; FIRMITAS videlicet FIDEI, quæ in eis manſit, videntibus, glorioſum exitum rerum magiſtri ſui: ex prę teritis autem certiſsimi omnino reddebantur, de omnibus futuris. Deinde magna FIDVCIA, quam conceperunt, quod eſſet venturus ad illos promiſſus SPIRITVS SANCTVS; & quod aliquando aſcenſuri & ipſi eſſent ad eundem locum, ad quem Magiſter ipſe præceſſerat; quod idem futurum promiſerat. Tertiò denique magnus & feruens AMOR erga illum, de cuius gloria, atque ſi propria ipſorum eſſet exultabant: Et quamuis corpore ambularent in terra, ex monte Oliuarum in Ieruſalem; eorum tamen corda, in cœlo verſabantur, Domini ſui gloriam contemplantia. Ex his ergo cauſis, ingens adeo gaudium in illis oriebatur.

b Chr aſcenſ. quàlę perfectionis. Tres eius cauſæ

III. Fructus cauſarum iſtarum.

EAEDEM tres cauſæ magnum animæ meæ gaudium adferre debent, & excitare FIDEM, SPEM & CHARITATEM erga Chriſtum Dominum meum, vt gaudeam de eius gloria & exultem, ſpe aliquando ad ipſum aſcendendi. Ad quod obtinendum, curare omnino debeo vt abijciam à me, quidquid huncaſcenſum mihi poteſt impedire, qualia ſunt peccata, vitia, & inordinatæ affectiones ad res terrenas; imò ſuperfluas ex eis etiam deponere; vt leuius faciliuſq; volare mihi liceat ad locum, vbi Chriſtus eſt: propterea enim ipſe dixit, d *vbicunque corpus erit, illuc congregandas & aquilas*; vbi videlicet Chriſti Domini noſtri corpus glorificatum eſt, eo cõuenturos illos quorum e *iuuentus renouata eſt ſicut aquila*. Nam f *qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquila*, vt ad cõtemplandum illum aſcendant, & volent velociter, ad omnia, quæ ſunt eius obſequij. O Rex cœli, qui aquilæ inſtar Regiæ, g *eleuaris in aera, & in arduis*, & altiſsimo cælo, *ponis nidum tuũ*, me prouocans, vt te deſiderio ſequar: renoua in me iuuentutem ſicut aquilæ, vt nouam recipiam virtutẽ & fortitudinem, qua poſsim volare poſt te, tua veſtigia ſequens, tuas virtutes æmulans, & cor meum ad locum illum transferens; in quo eſt corpus tuum glorificatum; & ita in terra viuens, vt h *mea conuerſatio ſit in cœlis* vbi tu viuis & regnas in æternum. Amen.

d Matt. 24. 28.
e Pſal. 102. 5
f Iſaia. 40. 31
g Iob. 39. 27
h Philipp. 3. 20.

MEDITATIO XIX.

DE INGRESSV CHRISTI DOMINI IN CAElum Empyreum, & eius ad Patris dexteram conſeſſu.

PVNCTVM I.

Marci 16.19 Triumphus Chriſti aſcendentis.

CONSIDERANDVS *primò* eſt glorioſus Chriſti Domini noſtri triumphus, quum cælum Empyreum ingreſſus eſt: circa quem etiam eſt perpendendus ipſius comitatus, exultatio, & concentus, quo eſt exceptus; colloquia, & ſermones, qui in ipſo ingreſſu fuerunt.

I. Comitatus animarum *Meditat.* 2. *punct.* 4. a *Pſ.* 67. 19. *Epheſ.* 4. 8.

COMITATVS erat omnium animarum, quas è lymbo eduxerat, cum aliquot iuſtis, corporibus etiam glorificatis (ſi tamen verum eſt, quòd, qui cum Chriſto reſurrexerunt, non ſint iterum mortui) iuxta id, quod ſcriptum erat: a *aſcendens Chriſtus in altum, captiuam duxit captiuitatem*, duxit videlicet ſecum animas, quæ fuerunt in lymbo captiuæ; quas etiā captiuas, ſed catenis amoris & charitatis, ſummaque earum animi voluptate & conſolatione, ſecum ducebant. quò enim peius & calamitoſius eſt, captiuum eſſe Dæmonis; eò melius & glorioſius eſt, captiuum eſſe Chriſti. Quam itaque lætabunda, aſcendebat illa ſocietas illuſtrium vinctorum & captiuorum, ducem ſuum ſequens, & cupiens ſe collocari in throno gloriæ, vbi perfectiſsima libertate gauderent! Meminerant omnes illi anguſtiarum & tenebrarum Lymbi, ex quo deducti erant, quas cum amplitudine & claritate Empyrei cœli, in quod ingrediebantur, conferentes, admirabantur, & loci pulchritudinem obſtupeſcentes; dixerit proculdubio quiſque illud Pſalmi: b *Quā dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in* ampliſsima *atria* & palatia *Domini.*

b *Pſal* 83. 2.

II. c *Pſal.* 46. 6. Concentus cæleſtis.

Poſt hunc aſpectum, mox cæpit CONCENTVS CAELESTIS, de quo Dauid: c *aſcendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ.* O quales lætitiæ iubilos ſenſerunt illæ animæ; dum ſuum Ducem comitarentur! quas laudum voces, ſonoras magis, quàm tubarum, ex cordibus ſuis ediderunt, Dominum ſuum glorificantes: aliæ proculdubio alias, ad huiuſmodi laudum cantica prouocauerint, illud eiuſdem Dauidis dicentes: d *Pſallite Deo noſtro, pſallite: Pſallite Regi noſtro, pſallite: quoniam Rex omnis terræ Deus: pſallite ſapienter: regnabit Deus ſuper gentes. Deus ſedet ſuper ſedem ſuam Sanctam* & illud: e *Pſallite Domino. Pſallite Deo qui aſcendit ſuper cælum cæli ad orientem*, & ibi f *lucem in habitans inacceßibilem*, electos ſuos illuminat lumine gloriæ.

d *Pſal.* 46. 7 e *Pſal.* 67. 34 f 1. *Tim.* 6. 16.

III. Chorus Angelorū

CVM choro animarum, ingreſſus eſt ſimul chorus vnus innumerabiliū

ANGELORVM; qui deſcenderant, vt Chriſtum ipſum comitarentur, eſ-
ſentque illi, vt inquit Dauid, ſicut g *currus Dei* triumphales *decem millibus* g *Pſa.67.18*
millia lætantium, omnes ſummo gaudio cantantes triumphos eius victoriæ,
dialogos & colloquia miſcentes, ad eius magnitudinem manifeſtandam,
alij alijs dicebant: h *Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æterna-* h *Pſal.23.7*
les: & introibit Rex gloriæ. alij admirantes reſpondebant: *quis eſt iſte Rex glo-* *Supra. Me-*
riæ: qui vult per has portas penetrare? & eis reſpōdebatur: *Dominus fortis,* *dit.1.*
& potens, Dominus potens in prælio; Dominus virtutum, ipſe eſt Rex gloriæ, alij
per modum collætantium interrogabant: i *quis eſt iſte, qui venit de Edom, tin-*
ctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudi- i *Iſaia.63.1*
nis ſuæ? Atque ſi diceretur, quis hic eſt, qui ex mundo aſcendit, ſanguine
tinctus, & ex loco pugnæ, indutus humanitatem phrygio vulnerum ope-
re laboratam; ſed mirum in modum pulchram, editis magnæ virtutis ac
fortitudinis argumentis: *Ego*, inquit *ſum, qui loquor iuſtitiam, & propugna-*
tor ſum ad ſaluandum. Ego feci in mundo iuſtitiam, exſoluens peccata ho-
minum; pugnans contra Dæmonem, vt ab eius Tyrannide illos erue-
rem: & nunc facio iuſtitiam, aſcendens ipſe, & mecum illos deducens ad
cœlum, quod pro illis ſum promeritus. Et tunc omnes, communi voce,
dixerunt illud Apocalypſis; k *dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtu-*
tem, & Diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam & k *Apoc.5.12*
benedictionem, & laudem in ſecula ſeculorum. O Saluator mundi, gaudeo de
tuo iſto adeò glorioſo triumpho, quem abundè es promeritus; l *ſurge Do-*
mine in requiem tuam, tu, & arca Sanctificationis tuæ: ſiquidem tam fæliciter l *Pſal.131.8.*
pro nobis laboraſti. m *Exaltare ſuper Cælos Deus*, n *Aſcende ſuper Cherubin, &*
vola ſuper pennas ventorum, & ſede ſuper omnes creaturas; quia omnibus
illis ſuperior & melior es: fac mihi quæſo poteſtatem, intrandi ad iſtos m *Pſal.107*
choros Angelicos; illorumque vocibus meas coniungendi; vt te cum illis *6.*
laudem ac benedicam, dicens: o *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus* Sa- n *Pſal.17.11*
baoth, & exercituum, *qui eſt, & fuit & venturus eſt*: pleni ſunt cæli iſta glo- o *Apoc.4.8*
ria tua; & glorioſo iſto tuo in eos ingreſſu!

IV. *Chriſti triumphalis lætitia*

PRAE omnibus autē perpendenda eſt, ipſius Chriſti Domini, in hoc
ſuo triumpho, LAETITIA: Nam etiam de ipſo aptè dicitur: p *aſcendit* p *Pſal.46.6*
Deus in iubilo, exultante Sanctiſsima illa anima ſummo gaudio; quòd vi-
deret fælicem omnium laborum ſuorum exitum: & ſicut q *Paſtor qui in-*
uenit ouem, quam perdiderat impoſitam in humeros ſuos gaudens portabat in cę- q *Luca.15.5*
lum, ex quo deſcenderat, vt illam quæreret: dixerit proculdubio Ange-
lis: *congratulamini mihi quia inueni ouem meam, quæ perierat.* O Paſtor ſupre-
me, qui tot expenſis tuis, quæſiuiſti & inueniſti ouē humani generis; cō-
gratulor tibi de iſto gaudio, quo affectus aſcendis, triūphans ſuper omnes
cælos: gratulor tibi gloriam iſtius triumphi; per quam ſupplico, vt eius

me participem facias, quærens me & inueniens in hac vita, & poſtea deducens ad te fruendum in futura.

PVNCTVM II.

Ingreſſus Chriſti in cælum Empyreum
a *Heb.* 4.14
S. *Thom.* 3. p. q. 57. a. 4 & q. 58.
b *Ioan.* 17.4

INGRESSVS itaque Chriſtus Dominus noſter, & a *penetrans* (vt ait Apoſtolus) *cælos*, perueniensſque ad ipſum ſupremum cælum Empyreũ, obtulit æterno Patri fælicem illam captiuitatem quam ſecum deducebat, & quaſi rationem reddens eorum, quæ in mundo, ipſius obſequij cauſa, feciſſet, repetiuerit forte, quod in ſermone poſt cœnam eidem dixerat; b *Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus, & te clarificaui ſuper terram: opus conſummaui, quod dediſti mihi, vt facerem: & nunc clarifica me tu Pater, apud temet ipſum, claritate, quam habui prius, quam mundus eſſet, apud te.* O quãtum ſolatium acceperit æternus Pater, de munere quod Filius afferebat; & quantis lætitiæ ſignis iuſſerit eum c *ſedere ad dexteram ſuam* vt ſic impleretur, quod prædixerat Dauid: d *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*; iubet illum SEDERE, vt ſignificet, Dominum eius quietum, & pacatum, & infinitam eius perſonæ dignitatem; dicit: à DEXTRIS MEIS; vt intelligatur, ſe illi optima quæque gloriæ ſuæ bona communicare, thronum illi conſtituens, ſuper Angelos & Archangelos omnes, ſuper poteſtates, & Dominationes, ſuper Cherubinos, & Seraphinos, tanquam omniũ capiti & Domino; e *ad quem enim Angelorum* (ait Apoſtolus) *dixit aliquando: ſede à dextris meis*: potius *omnes* voluit eſſe *adminiſtratorios ſpiritus*, ipſius gubernationis.

c *Marc.* 16. 20.
d *Pſa.* 109. 1.
e *Hebr.* 1.13.

I.
Præmium Chriſti poſt aſcenſionẽ

PERPENDAM hîc, quàm cumulatè Pater æternus, *premio affecerit obſequia*, quæ filius, ipſius gratiâ in mundo exhibuerat, cum illum ſupra omnes extulerit; quod ſe præ omnibus humiliauerit. Pro *throno* enim *crucis* dedit ei thronum ſuæ *Maieſtatis*: pro ſpinea corona, dedit coronam gloriæ; pro latronibus ſocijs, Angelicas dedit Hierarchias; pro eius opprobrijs, & blaſphemijs, quas ſuſtinuit à Iudæis, honores dat illi & laudes ſpirituum beatorum: & f *quia deſcendit primum in inferiores partes terræ*, fecit illũ *aſcendere ſuper omnes cælos*, & g *donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu, omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus, in gloria eſt Dei Patris.* Diſce itaque, anima mea, humiliari pro Chriſto; & proculdubio exaltaberis cum Chriſto: nam æternus Pater quam fidelitatem vnigenito filio ſuo ſeruabit, ſeruabit quoque erga filios adoptiuos, propter amorem, quem habet erga naturalem; in cuius præmio, noſtrum etiam continetur: nam vt ait Apoſtolus, h *Deus qui Diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos; & cum eſſemus*

f *Epheſ.* 4.9
g *Phil.* 2.9.
h *Epheſ.* 2. 4

mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto (cuius gratia ſaluati ſumus) *& conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus, in Chriſto Ieſu.*

II. Spes & fiducia noſtra roborata.

Hinc magnos hauriam affectus confidentiæ, ſperans aſcenſurum me cum Chriſto in cælum; confidens in miſericordia & charitate Patris, & magnis Filij meritis; firma quoque propoſita concipiam, rem nullam aliam quærendi, quàm ipſum Chriſtum Dominum noſtrum, & Sanctiſſimam eius voluntatem; ſemper memoria tenens, quod dixit Apoſtolus, *quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt, in dextera Dei ſedens* (Coloſ. 3. 1.) O Dulciſſime Ieſu, ſi vbi theſaurus meus eſt, ibi eſt & cor meũ, vbi es tu, erit & illud ſemper: quia tu theſaurus meus es, & extra te nihil reputo pretioſum. (Oratio) Eia ergo, anima mea, cogita peregrinam te eſſe, & aduenam ſuper terram. Patrem verò tuum, & Redemptorem tuum, eſſe iam & ſedere in cœlo: propera ergo eò peruenire, vbi ille eſt: reſeratæ iam ſunt portæ cæli, quæ tot annorum millibus fuerant occluſæ; gaude hiſce Nouis, curre velocitate cerui, vola aquilæ alis, aſcende corde ad thronum Domini tui, & habita ſemper propè cæleſte eius ſtratum, ſi enim Spiritu nunc ibi habites, poſtea habitabis etiam corpore glorificato in ſæcula. Amen.

PVNCTVM III.

Sedes à Chriſto animabus diſtributæ. I.

Perpendendum Tertiò, Chriſtũ Dñm noſtrũ, ſtatim poſtquã ſediſſet ad dexterã Patris, auſpicatũ eſſe munus ſuũ & diſtribuiſſe animabus, quas ſecũ deduxerat, *cæleſtes ſedes*: aliquas enim collocauit inter Angelos, alias inter Archãgelos, & Principatus, alias inter Cherubinos & Seraphinos, aſſignato cuiq; loco & ſede, pro ipſius meritis. Circa quod ratiocinari licet & perpendere, quas ſedes dederit Patriarchis, quas Prophetis, Sancto Ioſepho, Sanctiſſimæ ſuæ Matris ſponſo, magno Ioanni Baptiſtæ; quem item locum ijs dederit, quos glorificatis etiam corporib. ſecum deduxit. O quantum fuit animarum illarum ſolatium, cum ſe in talibus thronis, & in adeò glorioſa ſocietate collocatas viderent! ô quàm læti fuerunt Angeli, videntes impleri ſedes, quas ſocij ipſorum, ob ſuperbiam vacuas reliquerant reparante, vt ait Dauid, & a *implente* Deo in hominibus, *ruinas* & caſus malorum Angelorum. O quàm abundè, impleuit æternus Pater promiſsionem, quam fecerat Filio, cùm dixit b *pro eo quod tradidit in mortem animã ſuã, diſpertiã ei plurimos*, qui ipſi inſeruiant, & *fortiũ diuidet ſpolia*. Exulto O Dulcis *Ieſu*, quòd munus illud tibi incumbat, diuidendi ſpolia gloriæ tuæ ijs, qui tibi cum fortitudine ſeruiunt; fac ergo me, Domine, in tuo ſeruitio fortem & conſtantem, vt ſpoliorum tuorum particeps eſſe merear.

a Pſa. 109. 6
b Iſai. 53. 12

Digitized by Google

LICET quoque conſiderare, Chriſtum Dominum noſtrum, ad Patris
II. Chriſtus aduocatus. dexteram ſedentem, ſtatim etiam *munus aduocati* hominum, qui manebant in terra, auſpicatum eſſe, Patri oſtendentem vulnera, quæ pro eis redimendis, & ipſius præcepta implendo, acceperat: in quo munere ſemper, hodieque perſeuerat. Hinc magnos amoris & fiduciæ affectus concipiã; memor eius, quod dicit Apoſtolus: c *Habentes Pontificem magnum, qui penetrauit cælos, Ieſum Filium Dei, teneamus confeſſionem* ſpei noſtræ firmam; nec deficientes in confeſſione eorum, quæ credimus, nec in procurando eo quod ſperamus; præcipuè autem cum in aliquod peccatum lapſum me videro, memor ero illius Sancti Ioannis ſententiæ; d *filioli mei, hac ſcribo vobis, vt non peccetis. Sed et ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum Iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, Non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Cum itaque adeò ipſe ſit iuſtus, feceritque Redemptionem adeò copioſam; non prætermittet partes meas agere, mihique applicare veniam, quam mihi comparauit: & qui portas cœli mihi reſerauit, non occludet eaſdem, ſed potiùs me admittet, vt partem cum ipſo habeam in regno ipſius, ad gloriam Patris ſui, cum quo viuit & regnat in ſæcula. Amen.

c *Heb.* 4. 14.

d 1. *Ioan.* 2. 1.

MEDITATIO XX.

DE RECOLLECTIONE ET ORATIONE APOſtolorum poſt Chriſti Aſcenſionem vſque ad Spiritus Sancti aduentum.

PVNCTVM I.

REDEVNTES Diſcipuli Ieroſolymam, a *intrauerunt cænaculum, & manebant ibi Petrus & Ioannes, & reliqui Apoſtoli, qui erant omnes perſeuerantes vnanimiter in oratione cũ mulieribus, & Maria Matre Ieſu, & fratribus eius.*

I. Diſcipulorum inſtantia pro accipiendo Spiritu ſancto. CONSIDERANDVM Primò, Apoſtolos, à Spiritu Chriſti motos, ſe recepiſſe decem illis diebus ad cænaculum; vt à ſtrepitu & tumultu populi ſeparati *feruenti orationi* inſtantes, Spiritus ſancti aduentum impetrarent: nam etſi Chriſtus Dominus illum promiſerat, ideoque venturum nihil dubitabant; ſciẽtes tamẽ diuinas promiſſiones impleri, & nobis euenire, media noſtra oratione, illi inſiſtebãt præcipuè; quod eſſent memores, eundẽ Dominũ, & Magiſtrum ſuum dixiſſe: b *ſi vos, cum ſitis mali, noſtis, bona data dare filijs veſtris quanto magis Pater veſter, de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.*

a *Actuum* 1. 13.

b *Luc.* 11. 3.

HVIC orationi adiungebant ipſi excellentes alias virtutes, quas in-

Digitized by Google

ſinuat Sanctus Lucas; cum dicit, VNANIMITER illos oraſſe, quia omnino coniuncti & conformes erant, vno corde, vna voluntate, omnes vnà orantes; ſcientes orationem plurimum, qui ſint charitate coniuncti, valde eſſe efficacem apud Deum, iuxta illud ſui Magiſtri: c *Amen dico vobis quia ſi duo veſtrum conſenſerint ſuper terram; de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in calis eſt, vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum:* quaſi diceret, illi exaudientur à Patre meo, quia ego ſum cum illis, eos iuuans in oratione, & officium aduocati & oratoris pro ipſis exercens. Et quoniam CHRISTVS Dominus, grauiter & ſeriò mutuam dilectionẽ illis commendauerat; conabãtur in ea conformitate voluntatum, quæ eiuſdem amoris mutui eſt cauſa, excellere.

II. Vnanimitas mutua. Conditiones orationis ad Spiritum Sanctum obtinendum. c Mat. 18. 19

NEC ſolum mutuò inter ſe coniuncti erant & vniti, ſed quiſque *ſecum*: Ex quo prouenit, vt ipſa oratio, maximè ſit collecta, cum animæ facultates ſunt ad eam fundendam coniunctæ. nam etiam in hoc ſenſu, ait S. Ambroſius, intelligi, quod Chriſtus dixit, exaudiendam orationem, quando duo in ea conuenerint, exterior videlicet & interior homo, corpus & anima, concordante, per veram mortificationem & ſubiectionem corpore, cum anima; & vtroque cum illo, tertio, quem Apoſtolus SPIRITVM vocat; ita vt ad orandum conueniat corpus cum ſenſibus; anima cum imaginatione, & inferioribus appetitionibus; Spiritus verò cum ſuperiobus facultatibus, memoria, intellectu, & voluntate: & tunc erit Chriſtus in medio horum duorum aut trium in ipſius nomine coniunctorum, adiuuans eos in oratione.

III. *De Inſtitut. ad virgin. c. 1.* Vnanimitas intrinſeca.

QVARTO erant PERSEVERANTES in ſuæ orationis exercitatione continuè, non illam interrumpentes, aut ex tepiditate relaxantes, memores eius, quod ipſorum Magiſter dixerat: d *oportet ſemper orare, & non deficere.* Et quoniam Chriſtus Dominus noſter, non deſignauerat tempus, quo Spiritum Sanctum eſſet illis miſſurus, quotidie orabant; & petentes, inſtanter multiplicabant orationem, tanto feruore, atque ſi tunc fuiſſent illum accepturi, importunè vrgentes Deum, vt illum mitteret; vt ſi illum eò quòd e *amici* Dei *eſſent* non impetrarent; *propter improbitatem tamen* illorum, illum mitteret. quam rationem orandi ipſemet eorum Magiſter aliquando commendauerat.

IV. Perſeuerãtia in oratione d *Luca. 18. 1.*

e *Luc. 11. 8.*

DENIQVE orabant etiam cum MARIA MATRE IESV; quam proculdubio vt Patronam, quæ pro ipſis intercederet, acceperunt; ſcientes ipſam ſolam, multò plus poſſe cum filio ſuo, & Patre eius æterno, quam ipſi omnes ſimul. quare ipſa Virgo Sanctiſsima, feruenter orans, reliquos exemplo ſuo ad feruenter etiam & perſeueranter orandum permouebat: fuit verò eius oratio adeò efficax, vt dicere de ea liceat; quod

V. Maria aduocata.

ſicut obtinuit ſuis orationibus accelerationem Incarnationis Filij Dei; ita eiſdem impetrauerit Spiritus Sancti aduentum, ad Apoſtolorum & totius mundi vtilitatem.

Imitatio. In his quatuor virtutibus, & orationis circumſtantiis, ſtudere debeo, Sanctos Apoſtolos *imitari*, ad Spiritus Sancti aduentum impetrandum: oratione videlicet SEPARATA & COLLECTA, coniunctis omnibus meis facultatibus & ſenſibus; CONIVNCTIONE CHARITATIS, cum omnibus PERSEVERANTIA cum importunitate in petendo, ac DEVOTIONE AD VIRGINEM Sanctiſsimam Dominã noſtram; ſupplex illã orans, tanquam Matrem noſtram, vt pro me oret, & cauſam meam, apud æternum Patrem & eius Filium, agere velit; vt Spiritus Sancti plenitudinem mihi impertiatur.

Documentum. HINC quoque *diſcam*, ſicut illud cænaculum, in quo manebant Apoſtoli, ſignificabat Eccleſiam, quæ domus eſt orationis & vnitionis; ita curandum mihi eſſe, vt anima mea ſit ſicut hoc cænaculum, his virtutibus ita ornata, vt Spiritus Sanctus in eam deſcendat, ſuiſque diuinis donis ditet. Simul etiam ingentes Domino noſtro gratias agam; quòd me in ſua Eccleſia collocauerit in qua non ſolus oro, quia ſemper ipſa pro omnibus orat, & multi iuſti orant pro inuicem. Quare in virtute Communionis Sanctorum, quæ eſt in Eccleſia, oratio mea aſcendit, coniuncta orationibus multorum iuſtorum, ſi cùm illis volo eſſe coniunctus.

PVNCTVM II.

Cauſſæ recollectionis Apoſtolorum. DEINDE, conſiderandæ ſunt cauſæ & motiua, quæ Apoſtolos, ad hanc recollectionem & exercitationem orationis permouerunt; eas mihi ipſi accommodando, vt idem in me efficiant.

I. Quies. PRIMA CAVSA fuit, quòd Chriſtus, in ſuo, ab eis diſceſſu, iuſsiſſet, quietos *ſedere* in ciuitate, donec induerētur virtute ex alto: ad quod mandatum explendum, receperunt ſe in cænaculum, ex eo facientes Domum Orationis, & locum refugij, reuocantes ſibi in memoriam myſteria, quæ in illo peracta fuerant; & altiſsimos Diuinoſque ſermones, quos à ſuo Magiſtro in eo audiuerant: & ſicut ipſe Chriſtus Dominus, priuſquam ad prædicandum in publicum prodiret, quadraginta diebus manſit in deſerto; ita voluit, Apoſtolos decem ſaltem dies, collectos & incluſos manere, procurantes Spiritum ſanctum impetrare, quem prius acciperent quàm ad prædicandum Euangelium prodirent.

II. Agnitio imbecillitatis. SECVNDA CAVSA, fuit agnitio ſuæ *imbecillitatis* & inſufficientiæ, cuius in præcedentibus occaſionibus, experientiam habuerunt præcipuè tempore paſsionis; & cum viderent, ſe iam præſentiâ ſui Magiſtri deſtitutos, qui ipſos docebat, & cõſolabatur; tam hoc quã illud ipſos vrgebat

fer-

feruenſque inflammabat deſiderium aduentus Spiritus ſancti, qui ſua virtute & doceret ipſos,& confortaret,ideoque non ceſſabant orare, gemere,& ſuſpirare,vt tandem veniret. Nunc illum ab æterno Patre petebant,per merita vnigeniti ipſius FILII IESV CHRISTI,qui ipſius nomine illum promiſerat;nunc eundem petebant ab ipſo Ieſu Chriſto Magiſtro ſuo,ei ſupplicantes,vt impleret verbum,quo promiſerat,ſe illũ miſſurum;nunc denique eundem Spiritum ſanctum orabant, vt venire dignaretur,& ipſos viſitare,docere,& conſolari,adferentes,tanquam cauſam neceſsitatem ſuam,ob quam eius præſentia indigebant,ad munus explendum,quod fuerat ipſis commiſſum:eſtque fas credere, interdum omnes ſimul,manus ſuas ad cælum eleuaſſe,& magno cordis clamore oraſſe, dicentes:*Veni Sancte Spiritus,reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende*:Veni O Spiritus Creator,& conſolator noſter,viſita animas tuorum ſeruorum,eaſque imple gratia tua cæleſti.Conſolare illas amoris tui dulcedine,tuæque potentiæ virtute corrobora.Verùm quæ omnium maximè feruenter orabat, treſq; ipſas Diuinas perſonas maximè ſollicitabat,erat ipſa Beatiſsima Virgo,quia omnium maxima charitate id petebat,non ſibi ſoli,ſed Apoſtolis:ſi enim in nuptiis,quando defecit vinum ſtatim recurrit,vt à Filio ſuo illud peteret,tacta ſolùm compaſsione;quãtò maiori feruore credenda eſt nunc petiuiſſe vinum amoris & feruoris, quod à Spiritu Sancto procederet in illam congregationem, quæ eo tantopere indigebat. B.Virg.inſtantia in oratione.

HORVM Sanctorum exemplo, excitabo & ego in anima mea ſimilia deſideria;ſiquidem adeo nota mihi eſt mea magna Diuini huius Spiritus neceſsitas,frequentia itaque miſcebo colloquia,cum tribus Diuinis perſonis;à ſingulis earum,demiſsè illum petendo,vtens hymnis & Pſalmis, qui eius faciunt mentionem:Loquens cum æterno Patre, aut cum eius Filio Chriſto Domino noſtro,dicere poſſum cum Dauide: O Deus immenſe,a *cor mundum crea in me, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis: redde mihi lætitiam ſalutaris tui,& Spiritu principali confirma me*:b *emitte ſpiritum tuum*,& renouabor ſicut per eum *renouas faciem terræ*. Loquendo cũ ipſo Spiritu Sancto, valde opportunus eſt hymnus,*Veni creator Spiritus* & Sequentia,ſiue Proſa quæ in eius Sacro legitur,ſi magno feruore verba illa repetantur,*Veni Pater Pauperum,veni dator munerum,veni lumen cordium: O lux beatiſſima,reple cordis intima tuorum fidelium*. O lux clariſsima! ô ignis ardentiſsime;veni intima cordis mei penetra,purifica,tempera, illuſtra,& accende Diuini tui amoris flammis. Exemplũ ſequendũ. Oratio a Pſal.50.12 b Pſ.103.30

III. Spiritus ſancti officium.

Vltimò perpẽdã,quod Spiritus S.cuius(teſte Apoſt.)propriũ eſt,c *poſtulare pro nobis gemitib.inenarrabilib.* ſenſim accẽdebat hæc deſideria in cordib. Apoſtolorũ.deſideria enim ſunt veluti præcurſores & meditatores ipſius c Rom.8.26

Dei

Dei, in anima, ad quam ille ſequitur, vt in ea hoſpitetur. Et quamuis omnibus his decem diebus ſemper illa foueret: in vltimis tamen multò magis accēdebat: quare eidem ſupplicabo, vt me huiuſmodi deſiderijs præuenire dignetur, quæ me ad ipſum dignè hoſpitandum diſponant. O Spiritus Diuine, & Deus æterne de quo ſcriptum eſt, d *ignis ante ipſum præcedet:* Accende in anima mea, ignem horum deſideriorum, vt omnia comburat, quæ tuo aduentui impedimento eſſe poſſunt. O Sacri Apoſtoli, quibus Diuinus ille Spiritus, talia deſideria communicauit; orate eundem, vt & mihi talia communicet, vt aptus fiam ad illum recipiendum, ſicut vos illum recepiſtis: nam mea neceſsitas non minor eſt, quam fuerit veſtra. O Virgo ſacratiſsima, attende defectum in me huius vini, quo Spiritus Sanctus Apoſtolos inebriauit, eumque defectum magno feruore ipſi propone, vt interuentu tuo, me, ſicut illos, inebriet. Amen.

Oratio.
d Pſal. 96. 3.

Pvnctvm III.

I. Cauſæ dilationis Spiritus ſancti. Longanimitas a Apocal. 2. 10.

Denique cauſæ expendendæ ſunt, ob quas Chriſtus Dominus noſter, per decem dies diſtulerit promiſsionē ſuām implere, & Spiritum Sanctum mittere. Prima Cavsa fuit, vt nos doceret *longanimitatem* qua tantum donum expectare, & quærere par ſit: nam in ſacra ſcriptura denarius numerus, ſignificat dierum multitudinem, ſicut Angelus dixit in Apocalypſi: a *habebitis tribulationem diebus decem*, hoc eſt, multo tempore. Vult ita Dominus noſter nos intelligere, aduentum Spiritus Sancti in nos, adeò eſſe magnum beneficium; vt & illum quærere, & longo tempore ſperare ſine defatigatione oporteat, quia totum tempus, quo exſpectabitur, erit paruum: & cùm tandem venit, repēdit ſufficienter, & vel vnius diei dono abundè, ſatisfacit: item, quod citò obtinetur, citò etiam conſueuit amitti; vt euenit Salomoni, qui repentè obtinuit Spiritum ſapientiæ, & quoniam paruo illi ſtetit, non diligentem illius curam geſsit. Ex quo certò ſtatuam, cæleſte hoc donum valde conſtanter petere, etiamſi diutius in ea petitione ſit perſeuerandū, opportunè reuocans in memoriam illud Prophetæ: b *Si moram fecerit, exſpecta illum; quia veniens veniet, & non tardabit.* & quamuis iuxta tuum deſiderium fortè moretur, non erit longior mora, quàm deceat eius excellentiam; vt magnæ tibi vtilitati expediat.

Inſinuat S. Baſilius de conſtit. monaſti. c. 2. ad finem.
b Habac. 2. 3.

II. Donum Spiritus ſancti quomodo quærendum. b Baruch. 4. 28.

Secvnda cauſa fuit, vt ſignificaret, quanta perfectione oporteat nos quærere iſtud donum: denarius enim numerus, eam perfectionem ſignificat, iuxta illud alterius Prophetæ, c *decies tantum conuertentes requiretis Deum, quam erraueritis ab ipſo.* Quare qui Spiritus Sancti plenitudinem accipere cupit, neceſſe eſt, magno feruore, ac perfectione

Digitized by Google

ne ad Deum ſe conuertat, magnum reſumens animum, ſeruandi decem Diuinæ legis mandata, in eaque obſeruatione, inſtantiſsimè perſeuerandi: oratio enim & obedientia, obtinent à Deo quicquid petimus. O Dulciſsime Ieſu, qui tuis Apoſtolis dixiſti: d *ſi manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis, petetis & fiet vobis*: Concede mihi, permanere in te per verum amorem, & verba tua in me, per exactam obedientiam; vt petenti mihi quod opto, Diuinum ſcilicet tuum ſpiritum, tribuas in magna plenitudine. d Ioan. 15. 7.

ALIQVI etiam meditantur, quòd in primis nouem diebus, poſt Chriſti Aſcenſionem, nouem Angelorum Chori, ſinguli ſingulis diebus, ſingulare feſtum & adorationem Chriſto Domino noſtro exhibuerint: & ob eam cauſam Spiritum Sanctum deſcendiſſe die decima. Ex quo etiã concipiam deſiderium, hos nouem Angelorum choros imitandi, in his nouem diebus, ſingulis diebus petens à ſingulis choris, vt Spiritus Sancti ad me aduentum mihi procurent. Angeli Chriſtum quomodo coluerint. *Niceph. lib. 1. c. 37.*

MEDITATIO XXI.

DE ELECTIONE SANCTI MATTHIAE in Apoſtolum.

PVNCTVM I.

IN *diebus illis*, a *exſurgens Petrus in medio Fratrum (erat autem turba hominum ſimul ferè centum viginti)* egit de electione vnius in Apoſtolum, loco Iudæ, *qui teſtis eſſet Reſurrectionis Chriſti*, cum cæteris Apoſtolis: *& ſtatuerunt duos Ioſeph, qui vocabatur Barſabas qui cognominatus eſt Iuſtus, & Mathiam. Et orantes dixerunt: tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duob. vnum, accipere locum miniſterij huius & Apoſtolatus, de quo prauaricatus eſt Iudas: & dederunt ſortes eis, cecidit ſors ſuper Matthiam.* a *Actuum* 1. 15. 23.

CONSIDERANDA Primùm eſt *prouidentia* quam habet Chriſtus Dominus noſter, ne deficiat *numerus* ſuorum *electorum*, ad officia; & dignitates Eccleſiæ Militantis; vt enim deficiente Iuda, voluit eligi Matthiam, ad implendum numerum, quem deſignauerat duodecim Apoſtolorum; ita cum deficit aliquis in fide, aut Chriſtianiſmo, aut Religione, aut in loco aliquo, quem tenet in Eccleſia, vocat & eligit alios eius loco: & ideò cuidam Epiſcopo dicitur in Apocalypſi, b *tene quod habes, vt nemo accipiat co-* I. Prouidentia circa numerum electorum. b *Apocal.* 3. 11.

ronam tuam. Duos hinc affectus magni momenti concipiam: Alterum TIMORIS & HVMILITATIS, cùm videam verſari me in periculo perdendi quod habeo; & vt alius locum meum occupet, ſicut infœlici Iudæ euenit, de quo dixit Pſaltes: c *Epiſcopatum eius accipiet alter*, quod ſupra perpendimus 4. P[illegible] *Meditatione* 16. & 31. ALTER affectus eſt magnæ FIDVCIAE, de prouidentia Dei erga ſuam Eccleſiam, & ſtatus religioſos, & omnes Communitates ſeu congregationes, Diuino ipſius obſequio dedicatas; inſpirans multis, vt ſuccedant in locum eorum, qui diem ſuum in eis obeunt, aut etiam eas deſerunt.

c *Pſal.* 108. 8.

II. Quàm ſuauis Eccleſiæ gubernatio.

DEINDE perpendenda eſt eiuſdem Chriſti Domini noſtri *ſuauis Eccleſiæ gubernatio*, per ſuos Paſtores, quos in ea poſuit. Cum enim quadraginta illis diebus, quibus manſit in terra cum ſuis diſcipulis, potuiſſet alium Apoſtolum, loco Iudæ eligere, ſicut reliquos d *elegerat, & nominauerat* ante Paſsionem, quòd hoc, ratione ſuæ dignitatis & excellentiæ; ad ipſum pertineret; id tamen in hac electione non fecit, ſed eam reliquit Sancto Petro, & collegio Apoſtolico; vt illi illum nominarent, & per ipſos fieret electio, aſsiſtēte interim ipſo Chriſto Domino inuiſibiliter electioni: quod ita fieri ſtatuit, vt ipſius vicarij & miniſtri, in honore & veneratione eſſent; noſque doceret, id, quod illi fecerint, ipſius prouidentia fieri: ideoque eſſe illis in eo, quod ſtatuunt, obediendum, atque ſi ipſemet illud ſtatuiſſet; iuxta illud quod aliàs ipſe dixerat: e *qui vos audit, me audit*.

d *Luc.* 6. 13.

e *Luc.* 10. 16

PVNCTVM II.

I. Quid Apoſtoli hi. præſtiterint.

CONSIDERANDVM deinde, quid in ea Electione Apoſtoli ex parte ſua præſtiterint. *Et Primò* perpendenda eſt S. Petri, tanquam capitis illius congregationis ſolicitudo, in præſtādis muneris ſui obligationibus; inſpirante quidem illi Deo, quæ agere deberet; ipſo verò applicante, ad ea præſtanda, lumen cœleſte, ſibi à Deo communicatum, cùm illi aperuit ſenſum, vt ſcripturas intelligeret; ideoque optimè aſſecutus eſt, quid illæ de Iuda prædixiſſent, & a *Epiſcopatum eius accipiet alter*. Eſt etiam fas credere, Sanctum Petrum, & tunc & in ſimilibus caſibus occurrentibus, conſuluiſſe Beatiſsimam Virginem, tanquam omnium Magiſtram, & omnium maximè in myſterijs fidei & Diuinarum ſcripturarum cognitione illuſtratam, quid ſcilicet eſſet faciendum.

a *Pſal.* 108. 8

Ex hoc diſcam; Prælatos & eos, qui ad tempus ſe recipiunt orationis cauſa; non propterea negligere debere officij ſui obligationes: nam oratione ipſa, ſimul cum executione voluntatis Dei, aptiùs diſponuntur ad impetrandum, quod ea recollectione quærunt.

II. Heroicæ Apoſtolorum virtutes.

PERPENDENDAE ſunt deinde Heroicæ aliquæ virtutes, quas illa Sancta Congregatio tunc exercuit, tanquam indicia eius, quod Sanctus

Spiritus

Digitized by Google

Spiritus paulo pôſt erat in illis effecturus. *Prima* fuit, magna OBEDIENTIA & ſubiectio, qua ſe iudicio Sancti Petri ſubiecerunt, nullo prorſus aut replicante, aut contradicente; quamuis dicere quiſpiam potuiſſet: expedire vt Spiritus Sancti aduentus expectaretur, quò eius præſentia rectior eſſet electio: ſed nihil tale à quoquam allatum eſt, quia omnes ſuum iudicium, Paſtoris ſui iudicio ſubiecerunt; facientes quidquid ille propoſuerat. quo facto nos docuerunt, qua ratione oporteat, Prælatis noſtris promptè & cum iudicij reſignatione obedire: quòd propterea magno ſtudio conabor imitari, vt hac obediendi ratione, magis me diſponam, ad recipiendum Spiritum Sanctum, qui datur ſic obedientibus, inobedientibus autem negatur. *Secunda* virtus fuit magna VNIO ET CONCORDIA, in duobus illis nominandis, quos propoſuerunt, ad Apoſtolatus dignitatem, abſque vlla inter ipſos ambitione huius dignitatis, aut diſcordia, & iudiciorum diuerſitate, num duo tantum, aut plures, & qui ex omnibus eſſent nominandi: omnes enim magna animi demiſſione, ſe indignos iudicabant Apoſtolatûs dignitate, & ita magna pace & concordia duos illos nominarunt, quos iudicio ſuo optimos in tota congregatione, & ad id numeris aptiſſimos exiſtimabant: quorum exemplo, ſemper quod in me erit, concordiam & humilitatem in omnibus occaſionibus promouere contendam; per illos ſiquidem occurritur ambitionibus & factionibus congregationũ, & ita diſponuntur ad Spiritum Sanctum recipiendũ.

1. Obedientia.

2. Concordia.

TERTIA virtus fuit, ORATIONIS & acceſſus ad Deum qui nouit corda hominum, vt ille declararet, vtrum illorum duorum, ad eam dignitatem elegiſſet, in quo ſimul fatebantur, facilè homines in his electionib. decipi poſſe: quia non nouerunt corda, in quibus bonum & malum reſidet; ideoque facilè contingere, vt malum exiſtiment probum; aut minus bonum meliorem: fatebantur etiam, Deum in ſua æternitate aliquos elegiſſe ac deſignaſſe, ad ſuæ Eccleſiæ dignitates & officia: ideoque hoc nobis in votis eſſe debet, vt illos ipſos eligamus, quò noſtra electio Dei electioni conformetur. Ad quæ omnia plurimũ confert feruens oratio, quæ fit in concordia & charitate. O Spiritus Sanctiſſime, cuius prouidentia, Sancta illa diſcipulorum Chriſti congregatio regebatur, tribue omnibus, quæ in Eccleſia ſunt Congregationibus, haſce ſupernas virtutes, OBEDIENTIAM, CONCORDIAM, HVMILITATEM, ET ORATIONEM; vt in illis tanquam in quatuor firmiſſimis columnis fundatæ, perſeuerent ſemper in Spiritu ſanctæ vocationis ſuæ. Et quoniam ſine illis, neque ego poſſum in mea perſeuerare; infunde eas mihi cum tua copioſa gratia, ad tuæ gloriæ manifeſtationem.

3. Oratio.

PVNCTVM III.

Cauſæ electionis S. Matthiæ. I. Virtus debet honorari.

Conſiderandae hic ſunt cauſæ, ob quas Chriſtus Dominus, prætermiſſo Ioſepho, qui cognominabatur Iuſtus, Matthiam elegerit ad Apoſtolatum. Prima enim fuit, quia vult Deus, omnia ſibi præſtita obſequia *honorare:* & quoniam Barſabas, in magno iam erat honore & authoritate inter diſcipulos, ob opinionem Sanctitatis, cuius cauſa cognominabatur Iuſtus, & hoc cognomine ab omnibus appellabatur, voluit etiam Matthiam honorare, qui tale cognomen non habebat; ſed aliud valde glorioſum, Apoſtoli ſcilicet illi tribuit, vt omnes illum etiam hoc nomine venerarentur.

Sanctitas & humilitas iungẽda.

Accedit, quod Matthias cum eſſet aliàs vir *Sanctiſſimus*, erat ſimul *humillimus*; qui Sanctitatem ſuam ſtudioſè occultabat, vt altiora humilitatis fundamenta iaceret; ac propterea non erat aſſecutus honorificum illud Iuſti cognomen, cumque ſit Chriſto Domino noſtro familiariſſimum, a *exaltare humiles, & b ſuſcitare à terra inopem, & de ſtercore erigere pauperem, vt collocet eum cum principibus; cum principibus populi ſui,* ita voluit exaltare & honorare Sanctum Mathiam, dignitate principis in Eccleſia ſua, quæ id inſinuat, ſe ſentire de Sancto Mathia, cùm in eius feſto die, Euangelium legit in quo Chriſtus Dominus dixit: c *Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc* fidei myſteria, *à ſapientibus & prudentibus*, reuelaſti ea paruulis & humilibus: & paulò poſt inuitat omnes, vt ab ipſo *diſcant mites eſſe & humiles corde.* O Deus altiſſime, d *qui in altis habitans, humiles reſpicis*, qui verſantur *in terra*, reſpiciens me oculis tuæ miſericordiæ, fac me humilem corde, ſicut fuit Filius tuus dilectiſſimus, vt illum hic in humilitate imitans, dignus fiam obtinere partem eius exaltationis in cœlum.

a Luc. 1. 52. c. 14. 11.
b Pſal. 112. 7
c Matt. 11. 25.
Oratio.
d Pſal. 112. 6

III. Iudicium noſtrũ Deo ſubmittẽdum.

Tertia cauſa fuit, vt diſcamus *iudicium* noſtrũ Diuinis iudicijs ſubiicere; quæ aliam ſæpe viam tenent, quam noſtrum. Nam in hac deſignatione Apoſtoli, vt ex ipſo textu apparet, primo loco poſuerunt Barſabã, ſecundo autem Mathiam: Deus autem e *commutans manus*, ſicut Iacob, vt his duobus Filijs benediceret, primo relicto, ſecundum elegit, non quod Barſabas indignus fuiſſet, ſed vt intelligamus, in his donis gratiæ, facere Deum quod ipſe vult, quia ita vult, & ita illi placet: ideoque ſępe in illis, f *primi ſunt nouiſſimi, & nouiſſimi primi*, iuxta illud, g *ita Pater, quia ſic placitum fuit ante te.* Nec quiſquam propterea conqueri poteſt, quia omnibus dat Deus, quod neceſſarium eſt ad ipſorum ſalutem; in alijs verè fauoribus extraordinarijs, & ſupererogationis, ſine cuiuſque iniuria, agit pro libitu.

e Geneſ. 48. 14.
f Matt. 20. 16.
g Luca. 10. 21.

Humilitas & modeſtia colenda.

Ex quo deducã, ſicut Iuſtus Barſabas, nec indignatus nec queſtus eſt, nec inuidit ſuo ſocio, ſed, quòd iuſtus eſſet, Diuinæ ſe voluntati conformauit; eodẽ etiam modo Sanctus Mathias, dignitate accepta, non euanuit,

nec

Digitized by Google

nec ſocium ſuum contempſit; ſed magis ex animi demiſſione, inferiorem ſe illo in iuſtitia & ſanctitate exiſtimauit: ita ego, ſi me videro relinqui, & minoris fieri quàm alios facere debeo, quod Barſabas; &, ſi videro me alijs præferri, facere debeo, quod Sanctus Mathias; voluntatem ſcilicet meam Diuinæ omnino ſubiiciendo, h *in cuius manib. ſunt ſortes meæ*, & cuius prouidentia euenit, vel præferri, vel reiici; & parui, aut magni fieri; mihique perſuadebo, quando huiuſmodi aliquam gratiam à Deo accipio, non id fieri, quòd ego ſim ſanctior; ſed vt eſſe contendam: & forte, quia ſum debilior; ac propterea extraordinarijs huiuſmodi auxilijs indigeam: debeo autem præ omnibus, gaudere de ijs, quæ Deus facit, etiamſi in meũ cedant contemptũ: nihil ſiquidẽ maiorẽ conſolationem mihi adferre debet, quàm Diuina & æterna Dei ordinatio. Et hæc eſt excellentiſsima animi diſpoſitio, ad recipiendam Sancti Spiritus plenitudinem, ſicut hi duo viri receperunt. Gratias tibi, Pater ſupreme, ob occultã prouidentiam, qua tua dona electis tuis diſtribuis; omnes quidẽ honorando & ditando, licet hos plus quã illos, pro tuo libitu: Ego tua occulta iudicia veneror, certus quòd ſint iuſtiſsima. Gaudeo de gratijs omnibus tuis ſeruis collatis, & quod alij maiores accipiant, quam ego; ſiquidem tibi ita placet. Id verò ſupplex omninò oro, ne mea peccata, manus tuas alioquin liberaliſsimas, ligent, reliqua omnia Diuinæ tuæ prouidentiæ committo, ſiquidem quidquid mihi donaueris, etiamſi paruum, excedit merita mea; ſufficitq; mihi, à manu tua prouenire, quidquid illud ſit; magnam ego gratiam reputem, & meipſum animem, ad te propter illud glorificandũ in æternum. Amen.

h *Pſal. 30. 15.*

Oratio.

MEDITATIO XXII.

DE INGENTI BENEFICIO QVOD DEVS contulit mundo in aduentu Spiritus Sancti, & in quem finem ſit miſſus.

ANTE *Meditationem eorum, quæ refert Sanctus Lucas de ipſo Spiritus Sancti aduentu, ſtatui hanc Meditationem præmittere, vt melius intelligatur excellentiſsimi huius doni magnitudo, & circumſtantia, quibus fuit datum, & quis ſit qui Spiritum Sanctum dat, quibus, propter quæ motiua, & inqu os effectus & fines.*

PVNCTVM I.

PRIMVM ergo conſiderandũ, æternũ Patrẽ, accedẽte ſtatuto die, decreuiſſe mittere in mundũ perſonã Spiritus Sancti, idq; ob triplicẽ cauſã

Spiritus Sanctus ob tres cauſas miſſus.

PRIMA

Charitas. Ioan. 14. 26. *Paracletus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Miſſus à patre. a Ioan. 3. 16. Merita Christi. b Io. 14. 16.

Prima fuit, ob ſuam infinitam bonitatem & *charitatem*, quæ, vt ipſum permouit, dare nobis Filium ſuum Redemptorem, ita eum induxit, vt Spiritum Sanctum mitteret ſanctificatorem, idque merè gratis, & ex mero amore, nullis noſtris meritis; potiùs nobis ob multas cauſas immeritis; ſiquidem cùm mundus adeò indignè perſonam Filij tractaſſet indignus erat, cui Spiritus Sanctus daretur: quare vt Chriſtus ipſe Dominus, dixit Nicodemo: a *ſic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitũ daret*; ita nobis dicere licebit; ſic mundum dilexit, vt ei Diuinum ſuum ſpiritum daret, qui æquè bonus eſt atque Filius, & atque ipſe Pater: ſiquidem ipſe cum vtraque perſona eſt vnus Deus. Secvnda Cavsa fuerunt *merita* Chriſti Domini noſtri, qui morte & paſsione ſua hoc donum nobis eſt promeritus, ſedensque ad dexteram Patris hominum agit aduocatum; & vulnera ſua illi oſtendens, inſtat, vt Verbum quod ipſe dedit adimpleatur. Promiſerat autem, b *ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*: fuitque hæc petitio adeò efficax apud Patrem, vt mox illam exaudiuerit, vt labores eius, qui optimè ipſi placuiſſet, hoc etiam præmio afficeret. Tertia Cavsa ſiue motiuum, fuit propria noſtra neceſsitas & *miſeria*, quæ huius Patris miſericordiarum viſcera ad commiſerationem commouit, vt vltimũ in omnib. malis auxiliatorem mitteret, qui erat Spiritus Sanctus: quare c *miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, & Iuſtitia & Pax oſculatæ ſunt*, conuenerunt, vt hanc miſsionem impetrarent; Ivstitia, ex parte Chriſti Domini noſtri, qui id fuerat promeritus; Misericordia, ex parte bonitatis Dei, ac noſtram miſeriam attendentis. Gratias tibi ſupreme Pater, ob tuam infinitam charitatem, quæ te ad infinitũ hoc donum nobis dandum permouit; & totum bonum quod à te procedit. Dediſti nobis Filium tuum, qui ab intellectu tuo procedit, tanquam verbum tuum; nunc etiam mittis Spiritum ſanctum, qui à tua voluntate ſicut amor tuus procedit. Quid tibi Domine reddam pro adeò pretioſis donis! accipe quæſo intellectum & voluntatem meam, cum omnibus actionibus, quæ ab eis procedunt, vt omnes ad tuam gloriam cedant in æternum, Amen.

Noſtra miſeria. c Pſ. 84. 11.

II. Miſſus à filio. d Io. 15. 26. & ca. 16. 7. e Pſal. 67. 19 e Ephes. 4. 8

d Mittit etiam nobis *Spiritum Sanctum*, eumque largitur Ieſus Chriſtus Dominus noſter Filius Dei viui, à quo ſimul & Patre, Spiritus ipſe Sanctus procedit; Sic adimplens quod prædictum erat, e *aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem dedit dona hominibus*, cum Spiritum miſit; in quo cæleſtia omnia dona continentur. Cuius Chriſti Domini motiuum, præter bonitatem & miſericordiam eius, noſtramque neceſsitatem, fuit, vt Spiritus ſanctus manum vltimam imponeret, ac omninò perficeret mundi Redemptionẽ, promouens opus, quod ipſe Chriſtus inceperat, ſicut ipſe in ſermone poſt cænam ſignificauit, vt paulò poſt dicemus.

Digitized by Google

Hoc Affectv petam à Chriſto Domino noſtro, vt mihi mittat Spiritum ſanctum, dicens: O mundi Redemptor, qui tanti feciſti f *opus conſummare, quod tibi Pater dedit, vt faceres*, cupiens, tua opera eſſe perfecta; da mihi, quæſo, Diuinum Spiritum, vt conſummet in me opus, quod tu cœpiſti, applicans mihi efficaciter, copioſæ tuæ Redemptionis fructus. f Io. 17. 4.

Deniqve conſiderandum, quamuis Pater & Filius nobis mittant Spiritum ſanctum, *ipſum* tamen etiam *ſe* nobis dare. ipſe enim & dator eſt & donum, ob inſignem eius in nos amorē: & quia à Patre & Filio, tanquam amor procedit, donans nobis amorem ſuum, etiam ſeipſum donat, ideoq; petere ab ipſo poſſumus, vt ſeipſum communicet nobis, ac donet. O Spiritus Diuine, teipſum mihi dona; quia nihil præter te, ſatiare me poteſt. O Dator munerum da mihi munus omnium maximum, quod es tu; nam te ipſum dans, omnia tua dederis; & quoniam proprietas tua eſt, eſſe donum, oſtende te erga me donū, dās quod tu es, vt ego dem tibi, quod ſum.

III. Spiritus ſanctus etiam vltro venit.

Pvnctvm II.

Consideranndi ſunt iam *fines*, ob quos Pater & Filius, Spiritum ſanctum nobis mittunt, quos intelligemus ex iis, quæ Chriſtus Dominus noſter in ſermone poſt cœnam dixit. *Primùm*, venit Spiritus ſanctus, vt Chriſto Domino noſtro ſuccedat in officio *protectoris, Aduocati, & conſolatoris*; exercēs illud inuiſibiliter in Apoſtolis, ſicut ipſe Chriſtus viſibiliter faciebat in eiſdem: & ita illis dixit, a *ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum*, qui curā veſtri geret, erit veſter Patronus, & Protector in veſtris ærumnis, Conſolator in veſtris triſtitijs, aduocatus & interceſſor in veſtris neceſsitatibus, b *poſtulans pro vobis gemitibus inenarrabilibus*, quatenus vos impellet, & permouebit adorandum & petendum, quod vobis expedit. Qui Paracletus, quoniam inuiſibiliter veniet, nunquam à vobis recedet, ſicut ego recedo præſentia corporali; ſed permanebit vobiſcum in æternum. Gratias tibi, O mundi Redemptor, quòd talem nobis in tua abſentia dederis ſucceſſorem, qui ſit nobis fortis protector, dulcis Cōſolator, & ſolicitus Aduocatus. O Spiritus Sanctiſsime, veni ad ſeruum tuum, qui te ſuſpirat; eſto mihi in pugna & periculis protector, & in afflictionibus conſolator; & vt patronus, age meas partes in omnibus meis neceſsitatibus; impellens me, ad ita feruenter orandum, vt earum remedium obtineam. Deinde, dat nobis etiā Chriſtus Dominus Spiritum Sanctum, vt *ſuccedat ei in officio Magiſterij*; docens nos, & repetens in corde noſtro doctrinam, quam ipſe ore ſuo prædicauit: & ita dixit Apoſtolis; c *cùm venerit Paracletus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo* (hoc eſt, loco mei, & propter me) *ipſe vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque* hactenus dixi, & in poſterū dixero vobis: quaſi diceret, docebit vos omnia quę ad ſalutē & perfectionē veſtram

In quem finē miſſus.
I. Protector & aduocatus.
a Io. 14. 16.
b Rom. 8. 26
Oratio.
Succeſſor in officio docendi.
c Ioan. 14. 26.

uincet,& cognoſcere faciet iudicium, quod ego fecerim contra peccatum damnans Dæmonem,eumque de mundo expellens; damnans iniquitatē & approbans iuſtitiam. Hoc idem facit Spiritus S. internè in abbreuiato cuiuſuis hominis mundo,eius enim officium eſt, arguere malum quod quiſque facit,eumque exhortari ad bonum & æquum,quòd facere debet; illum etiam docere iudicium,quod merito facere debet inter bonum & malum,Chriſtum & Dæmonem; vt bonum amplectens ſequatur Chriſtum; deteſtans malum; fugiat Dæmonem. O Spiritus ſanctiſs. veni in abbreuiatū hunc animæ mundum: argueq; illā & conuince de ſuo peccato, & de tua iuſtitia, doceaſque rectum iudicium facere. non enim te minus verum Conſolatorem & aduocatum oſtendis,quando vitia mea reprehēdis amanter,quam cùm tuarum conſolationum delicias illi communicas.

PVNCTVM III.

TERTIÒ eſt conſideranda infinita huius doni,quod nobis datur,magnitudo,Spiritus S. videlicet,qui per excellentiam appellatur; a *Donum Dei altiſſimi*, eſt enim omnium donorum maximum & eorum fons & origo. non itaque eſt contentus Deus noſter, dare nobis gratiam & charitatem,cæteraſque virtutes ſupernaturales, & ſeptem ipſius Spiritus S. dona; ipſum etiam principium & cauſam reliquorum nobis dat, vt nos conſeruet,regat,augeat,& perficiat ſicut qui fontem habens non contentus eſſet,aquam fontis aliis dare;ſed ipſum quoque dat fontem, ex quo perpetuo fluit aqua. Et propterea Chriſtus Dominus noſter, loquens b *de Spiritu,quem accepturi erant credentes in eum*,dixit: *Qui credit in me*, ſicut dicit Scriptura: *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*. Et quo intelligeretur, hæc flumina fore perpetua,dixit: c *aqua quam ego dabo,fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*. O Spiritus ſanctiſsime, qui es d *fluuius aquæ vitæ, ſplendidus tanquam criſtallus procedens de ſede Dei & agni,in medio plateæ eius*, eam irrigans; & lignum vitæ, afferens fructus duodecim *per menſes ſingulos reddens fructum ſuum,& folia ligni ad ſanitatem gentium:* veni ad paruam hanc animæ meæ ciuitatem, irriga illam copioſis tuis gratiis,& produc e *duodecim tuos fructus* in ea, *Charitatem,gaudium,pacem,patientiam,benignitatem,bonitatem,longanimitatem,manſuetudinem,fidem,modeſtiam, continentiam & caſtitatem*. Ne verò hi fructus arreſcant,aut marceſcant,aſsiſte mihi ſemper,illos in ſuo virore conſeruans,& augens perfectionem, vſq; ad vitam æternam. Amen.

Spiritus ſanctus maximum donum Dei.
a *Eccleſ.* *S.Tho.p.1. q.38.*
b *Ioan.7.39*
c *Ioan.4.14.*
d *Apoc. 21*
Oratio.
e *Gal 5.22* *Spiritus Sancti fructus.*

EX CONSIDERATIONE tanti huius doni,magnam *fiduciam* concipiam, quòd ſit mihi daturus Deus quidquid ab illo petiuero. Nam qui dat quod pretioſius eſt, dabit proculdubio quod eſt minus, iuxta illud Apoſtoli, f *qui pro nobis tradidit Filium ſuum, quomodo non etiam cum illo, om-*

Fiducia hinc concipienda
f *Rom.8.32*

tradicere tuo Spiritui; quomodo ergo Diuinum adeò Spiritum, vis coniungere carni, adeò terrenæ & rebelli? O immenſa Charitas, & liberalitas incomprehenſa! Non vult Deus Spiritum ſuum dare ei, qui eſt caro, & ſecundum carnis leges vitam ſuam inſtituit, repugnans legibus Spiritus; ſed ſi is, qui caro eſt, carnalem ſuam vitam velit mutare, & dolere de tempore in tali vitæ ratione conſumpto, Deus effundet ſuper talem Spiritum ſuum, qui viuificet ita carnem; vt vitam ducat ſpiritualem, tali Spiritu dignam. Gratias tibi Pater miſericordiarum, ob infinitam bonitatem, quam oſtendis dans tantum donum adeò vili creaturæ, atque eſt homo; & Spiritum Diuinum, cum miſera noſtra carne iungens. Si vis tuam miſericordiam in his donis plurimùm ſplendere: En me hominem, qui totus ſum caro; ſed cupiens tamen, tuo ſpiritu viuificari; da mihi illum, Domine, gratuito, vt habitet in me, & anima mea te glorificet, ob ſupremum beneficium, quod in eum confers, qui adeò indignus erat, qui illud reciperet. Oratio.

MEDITATIO XXIII.

DE MODO QVO SPIRITVS SANCTVS ſuper diſcipulos venit in die Pentecoſtes.

PVNCTVM I.

CVM a *complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco.* a Act. 2.1.

CIRCA hæc verba conſideranda ſunt myſteria, quæ latent in loco, tempore, ac die, quo venit Spiritus ſanctus, & in conuentu Perſonarum ſuper quas venit.

I. Numerus fidelium ibi præſentium.

PRIMVM itaque conſiderandum, eiuſdem Spiritus ſancti inſtinctû, conueniſſe in die Pentecoſtes omnes Chriſti diſcipulos, & Beatiſſimam Virginem eius Matrem, in Domum & cænaculum; in quo ſolebant aliàs conuenire; qui nimirum erant centum & viginti, vt paulò ſuperius retulit ſanctus Lucas. Omnes verò vnà clamabant, orantes Patrem æternum, per merita Filij ſui, & ipſum quoque Filiũ, vt promiſſum Spiritum ſanctum mitterent: quorũ orationes, fuerunt per ſanctos Angelos ante Deum præſentatæ; quæ coniunctæ petitioni ipſius Filij, qua homo erat, fuerunt exauditæ, ac decretum, vt illo die daretur quod petebant: quia nullus eſt adeò prolixus terminus, ad quem tandem non accedat, qui petendo perſeuerat, & patienter ſperat aduentum Domini.

II. Supra Medit. 20. & in 4. par. Medit. 10. Spiritus ſanctus tantū fidelibus datur.

DEINDE perpendendum, hanc domum & cœnaculum, (vt iam aliàs eſt dictum) repræſentare *Eccleſiam* vniuerſalem, in quam ſe recipiunt quicunque ſunt diſcipuli Chriſti, vniti eadem fide, & cultu eiuſdem Dei, & obſeruantia eiuſdem legis. Et ſicut hoc die datus eſt Spiritus Sanctus iis, qui in ea domo coniuncti erant, non verò iis, qui erant extra; ita Spiritus Sanctus, iis tantum datur, qui intra ſuam Eccleſiam manent, & ſe ad illum recipiendum diſponunt; nec vllus vnquam illum recipiet, qui extra illam fuerit, ſicut enim b *columba, non inuenit extra arcam vbi requieſceret pes eius*; ita Spiritus S. qui per columbam ſignificatur, non inuenit, in quo habitet extra Eccleſiam, quæ per c *Noë arcam* ſignificatur; & ideo Chriſtus Dominus noſter dixit: d *mundum non poſſe recipere Spiritum Sanctum*, mundum appellans Congregationem eorum, qui ipſius fidem negant, Doctrinam repellunt, & legi reſiſtunt. Hoc me excitare debet, ad ingentes gratias Deo agendas, quod me ad Sanctæ ſuæ Eccleſiæ domum deduxerit; in qua, niſi ego mihi deeſſe velim, accipiam Spiritum ſanctum, ſi me oratione & ea vnitione me præparauero, quam ſancti Apoſtoli habuerunt.

b Gen. 8. 9.
c 1. Pet. 3. 20
d Ioa. 14. 17.

III. Cur venerit feſto Pentecoſtes.

TERTIO cauſam exquiram, cur venerit Spiritus S. illo die *Pentecoſtes*, (Pentecoſte autem erat feſtiuitas Iudæorum, inſtituta in memoriam legis, quam Deus dederat illis in monte Sinai, & celebrabatur die quinquageſima poſt Paſcha Agni.) Cauſa igitur fuit, vt ſignificaret Spiritum S. præcipuè venire ad imprimendam in animis hominum legem gratiæ, quam Chriſtus prædicauerat, & finem imponere antiquæ legi, quæ fuerat eius figura: ideoq; ipſo die, quo illa fuit data, fuit hæc altera promulgata; quamuis alio modo: nam vetus illa erat lex timoris; ideoque data fuit, e *cum audirentur tonitrua, micarent fulgura, clangorque buccinæ vehementius perſtreperet; vt totus populus timuerit*, Deus quoque *mortem populo* minatus eſt, *ſi terminos præſcriptos tranſcenderet*, quando lex ipſa dabatur. Scripta fuit etiam in f *tabulis lapideis*; eò quòd eſſet grauiſſima, & daretur hominibus duræ ceruicis, & indurati cordis: At lex noua, eſt lex amoris, g quam ſuauiſſimè ſcripſit ipſe Spiritus ſanctus *in viſceribus* hominum, & in tabulis *cordis eorum*, h *auferens cor lapideum; & dans cor carneum*; vt *Spiritus* ipſe ſanctus *eſſet in medio eorum*, ſicut per ſuos Prophetas facturum ſe promiſerat. O ſupreme Pater, cuius manus eſt filius tuus, qui à te procedit, per quem creaſti omnia, & cuius digitus eſt Spiritus ſanctus qui ab vtroque procedit, per quem i *renouaſti faciem terræ*, ſcribens per ipſum ſanctam tuam legem in cordibus hominum; ſcribe eandem in meo, eodem dexteræ tuæ digito, idque adeo fortiter, vt nunquam ex eo deleatur, & ſiquidem mihi iubes, vt k *eandem eò legem in tabulis cordis mei deſcribam*, & amore ad eius executionem cooperer, da mihi quod iubes, vt ſic exſequar ſicut tu vis.

e Exo 19. 16
f Exo. 24.
g Ier. 31. 33. Hebr. 10. 16.
h Ez. 36. 26
Oratio
i Pſ. 103. 30.
k Prou. 3. & 7. 3.

Venit etiam Spiritus ſanctus die quinquageſimo, poſt Chriſti Paſſionem & Reſurrectionem, vt ſignificet, ſe adeò abundanti ſuo aduentu, concedere l *Iubilaum Pleniſsimum*, qui numero quinquageſimo notatur, & *plenariam remiſsionem* omnium debitorũ & peccatorum, in virtute Paſſionis Redemptoris noſtri; Ideoque Eccleſia de Spiritu ſancto dicit, quod ipſe ſit *remiſsio omnium peccatorum*. O Spiritus ſanctiſsime, veni cum plenitudine in animam meam, & pleniſsimum Iubilæum illi concede, remittens ei omnia peccata, à quibus expedita, conſcendat magno Iubilo ad gaudia tuæ æternæ gloriæ. Amen.

IV. Cur die quinquageſimo poſt reſur.

l Leuit. 25 10

Pvnctvm II.

Et a *factus eſt repentè de cælo ſonus tanquam aduenientis Spiritus vehementis*. In ſingulis hiſce verbis, aliquod exprimitur myſterium, aut proprietas aduentus Spiritûs ſancti in animam, per inſpirationes, quæ ipſius in eam ingreſſum præcedunt; quæ ſunt motus quidam repentini quos in anima perſentimus, & inſtar fulguris, aliquam fidei veritatẽ nobis aperiunt, & inſtar ſcintillarum ignis calefaciunt nos, & trahunt ad id, quod eſt bonum & ſanctum.

a Act. 2. 2.

Primvm venit iſte ſonus *repentè* ad inſinuandum, inſpirationem & viſitationem Diuini Spiritus, nec diem habere, neque horam certam deſignatam; ſed venire, quando homo minus cogitat, & quando, & quomodo ipſe Spiritus vult: vt enim ipſe Chriſtus Dominus dixit, b *ſpiritus vbi vult ſpirat*. Nam (vt poſtea dicemus) ſola ſua miſericordia inſpirat. Quare ſemper orandus eſt, vt veniat; & eius aduentus expectandus, die & horâ, paternæ ipſius prouidentiæ relictis: veniet enim quando mihi magis expediet, licet quandocunque venerit mihi ſit futurum repentè.

I. Cur repẽtè

b Ioan. 3. 8. Medit. 26.

Deinde ſonus iſte venit *de cælo*, non ab Oriente, aut Occidente, nec à Septentrione, aut à Meridie huius terræ; ad inſinuandum, Spiritus ſancti inſpirationem, non eſſe à terra, nec vires in ea eſſe, ad talem ſpiritum excitandum; ſed ab ipſo cœlo deſcendere: quia (vt Sanctus Iacobus ait) c *omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*. Datvm optimvm per excellentiam, eſt Filius; & Donvm Perfectvm per excellentiam, eſt Spiritus ſanctus; ideoque quæcunque data & dona ab eis procedunt, deſcendunt de cœlo à Patre æterno, à quo & Filius & Spiritus ſanctus procedunt.

II. Cur de cœlo.

c Iac. 1. 17.

O Pater luminum, mitte mihi ex alto *datum* hoc *optimum & donum perfectum*: Veniat de cœlo ventus hic Diuini tui Spiritus, qui me rapiat, & ad locum illum deducat, ex quo ipſe exiuit.

Tertio, ſonus hic fuit *Spiritus* aut venti, ad inſinuandũ, Spiritum ſanctum, inſpiratione ſua, efficere in nobis admirandos aliquos effectus, ipſo vento ſignificatos. Nam inſpiratione ipſa dat & conſeruat in nobis ſpi-

III. Spiritus ſancti effectus ſono comparantur.

ritualem gratiæ vitã; eadẽ reſpiramus, & mortificatur noſtrarum cõcupi-
ſcentiarum ardor: illa nos mundat ac purgat, ſeparans in animis noſtris
pretioſum à vili, granum à palea, & quod bonum & perfectum eſt, à ma-
lo & imperfecto; illa nos mouet & impellit ad vitium fugiendum, & ſe-
quendam virtutem. Vt itaque aere viuimus & reſpiramus, nec ſine eo
c Act. 7. 28. viuere poſſumus; ita in Diuino ipſo Spiritu & eius virtute, c *viuimus, mo-
uemur, & ſumus* in eſſe gratiæ, & ſine eo, nec habere nec conſeruare poſſu-
d Exo. 37. 10 mus hoc eſſe, & hoc viuere. O vitæ Spiritus, *qui* ſpirans & d *inſufflans ſuper
interfectos*, quos vidit Ezechiel. *ſtatim illos reuiuificaſti:* Veni & inſpira ſu-
e Cant. 4. 6. per animas, ob peccatum mortuas, vt gratiâ tuâ illas reuiuifices: e *veni Au-
ſter* de cœlo, *& perfla hortum* animæ meæ, vt inſpiratione tua, ex virtutum
arboribus, *fluant aromata* fragrantium actionum ad gloriam ipſius Dei, &
Oratio. proximorum ædificationem.

f Dan. 3. 50. O Deus æterne, qui f *feciſti medium fornacis, quaſi ventum roris flantem, ne ignis contriſtaret, aut moleſtiam aliquam inferret tribus pueris in eam coniectis.* mitte in me temperatum Diuini tui Spiritus ventum, vt flammas temperet, ardentes in fornace meæ ſenſualitatis, & omnes animæ meæ facultates excitentur ad tuas continuas laudes, Amen.

IV. Spiritus ſancti vehementia.

QVARTO, fuit Spiritus VEHEMENS ad notandum impetum & feruorem, quo Spiritus ſanctus impellit ad opera virtutum, vi quadam ſuaui ac beneuola; non vt coacti, & repugnante noſtra voluntate, ſed vt libentiſsimè ea faciamus. odit enim torporem & pigritiam; quia vt ait S. Am-
g Lib. 2. in Luc. broſius, g *neſcit tarda molimina Spiritus S. gratia.* ingreſſus enim animam, deducit illam inſtar nauis, quæ proſpero & ad puppim, vt dicitur vẽto, ſine defatigatione, & magna velocitate impellitur: quia & ipſe eſt huius nauis gubernator, qui eam ad portum & locum deſtinatum dirigit. Et de huiuſ-
h Rom. 8. 14 modi dixit Apoſtolus, h *qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt Filij Dei.* O Spiritus Diuine, qui dilectiſsimos Filios tuos, vehementiſsimè ad opera virtutis & Sanctitatis impellis; veni ſuper animam meam, tanquam Spiritus vehemens, & ad omnia, quæ tibi placent, vehementer impelle; in omnibus viis ſuis illam gubernans, vt ad æternum gloriæ tuæ portum tandem perueniat.

V. Quid ſonus deſignet.

VLTIMO Spiritus hic vehemens, ingentem SONVM, tonitrui ſimilem excitauit, qui per totam Ciuitatem fuit auditus: ad inſinuandum, quod aduentus Spiritus ſancti, in ſuis iuſtis, & per eos, talia efficiat opera, vt in toto mundo audiantur, ob admirandum vitæ exemplum, & interdum ob ingentia prodigia, & præcipuè ob vim verbi, & prædica-
i Pſal. 18. 5. tionis ipſorum. ſicut apparuit in Apoſtolis, de quibus ſcriptum eſt,
1. Ro. 10. 18. quod i *in omnem terram exiuerit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum,*
k Mar. 3. 17 & ob eã cauſam Chriſtus Dominus, duos ex ſuis diſcipulis k *Boanerges*, hoc

eſt,

eſt, *Filios tonitrui* appellauit quia inſtar tonitrui cuiuſdam, ad prædicandũ exiuerunt per orbem. O Dilecte mi, ſonet vox tuæ inſpirationis in auribus meis, vt talia per illam opera faciam, quæ in vniuerſo orbe audiantur, ad proximorum ædificationem, & illos excitandos, ad te glorificandum in ſæcula, Amen.

PVNCTVM III.

a ET *repleuit totam domum, vbi erant ſedentes.* Conſideranda hic ſunt myſteria, quæ latent in illis verbis, quod repleuerit Spiritus ille totam domum, in qua diſcipuli ſedebant. a *Actuum* 2.2.

PRIMVM MYSTERIVM fuit, vt ſignificaretur, in *lege gratiæ* dari Spiritum ſanctum in magna abundantia & plenitudine, ad omne genus operum, exercitiorum, & miniſteriorum, & ad omnes ſtatus & officia, quæ ſunt in Eccleſia: quia multò liberaliorem oſtendit ſe Deus nunc, quàm fecerit in lege naturæ, aut ſcripta. Nam amicus quidam Iob, qui fuit in lege naturæ, & Elias qui fuit in lege ſcripta, perceperunt aduentum Spiritus ſancti, tanquam ſibilum b *auræ tenuis.* nam tunc limitatus valde dabatur Spiritus, ſed poſt Chriſti Domini noſtri paſsionem, datur tanquam *Spiritus vehemens, qui repleat totam domum*; quia datur in magna plenitudine, cũ omni genere gratiarum, & omni generi hominum; ita vt ipſe Redemptor noſter, ante ſuam Paſsionem, non in tanta plenitudine ipſum dederit: ideo enim dixit ſanctus Ioannes, c *nondum fuiſſe Spiritum datum, quia Ieſus nondum fuiſſet glorificatus*; poſt Reſurrectionem autem cataractæ & portæ cæli apertæ ſunt, & *facta eſt pluuia*, & gratiarum diluuium, quod repleuit totam terram, renouauit, ac fertilem reddidit. Et ideò dixit Iſaias: e *quia repleta eſt terra ſcientia Domini ſicut aqua maris operientes eam.* Gratias tibi, dulciſsime Redemptor, quòd ſacratiſsimi tui corporis cataractas aperueris, vt totum ſanguinem tuum pro nobis effunderes, cuius virtute cataractas & portas cæli aperueris, ad effundendum copioſum Spiritum tuum ſuper eos omnes, qui fructu paſsionis tuæ vti vellent; effunde illum recens nũc Domine ſuper totam Eccleſiæ tuæ domum, vt omnes denuo incipiamus feruenter ſeruire tibi.

I. In lege gratiæ Spiritus ſanctus abundanter datus

b *Iob.* 4. 16. 3. *Reg.* 19. 12

c Ioan. 7. 39

d *Gen.* 7. 11.

e *Iſai.* 11. 9

REPLEVIT etiam hic Spiritus TOTAM DOMVM, ita vt neque aulam nec conclaue, receſſum, penetrale aut angulum reliquerit, quem non penetrauerit: vt intelligamus, Spiritum ſanctum quod in ſe eſt vniuerſim dari & offerri hominibus in quacunque mundi parte, & angulo ſint; & ita impleri quod Scriptura diuina dicit: f *quoniam Spiritus Domini repleuit orbem terrarum:* & quod promiſit Deus populo ſuo, cum dixit: g *effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, ſenes veſtri & iuuenes veſtri, viſiones videbunt, ſed & ſuper ſeruos meos & ancillas, in diebus illis effundam Spiritum meum.*

II. Quantum in ſe eſt, omnibus datur.

f *Sap* 1. 7

g *Ioel.* 2. 28

g *Act.* 2. 17

IER-

III. Spiritus ſancti perfecta in opera.

TERTIO ad ſignificandum, quòd quando Spiritus ſanctus, cum huiuſmodi vehementia, aliquam animam ingreditur, *totam* eius *domum*, & eius familiam, facultates videlicet omnes, nulla prætermiſſa adimplet; nã memoriam implet bonis cogitationibus, intellectum ſanctis meditationibus & ratiocinationibus, voluntatem feruentibus deſideriis & affectibus; ipſas etiam appetitiones implet affectionibus ſanctis: tota itaque illa domus plena eſt veritatibus, & virtutibus cœleſtibus; vt intra illam ferueant omnium illarum actus & exercitationes, quales ſunt amor Dei, zelus gloriæ eius, fiducia de eius miſericordia, timor ex reuerentia tantæ maieſtatis, gaudium & exultatio de eius excellentijs, laudes & gratiarum actiones ob accepta beneficia, dolor de peccatis, deſideria & efficacia propoſita obediendi Deo, & multa pro illo patiendi.

Oratio. O Spiritus ſanctiſsime, ſi meam memoriam & intellectum tuis illuſtrationibus impleres; vt h *cogitationes*, quæ ex illis orirentur, *diem feſtum* lætiſſimum *tibi agerent*, & mihi. Vtinam voluntas & appetitiones meæ, Diuinitate tua replerentur, vt mea omnia deſideria & propenſiones, ex nũc eſſent Diuinæ, tuis in omnibus conformes. Imple me Domine, te ipſo, vt i *mea opera plena ſint coram te Deo meo*, & nihil in eis ſit vacuum, quod te offendat, aut tibi diſpliceat.

h *Pſal.75.11* i *Apoc.32.*

IV. Quies mẽtis neceſſaria.

VLTIMO perpendam, Spiritum illum ſanctum impleuiſſe totam domum, vbi diſcipuli erant SEDENTES; ad inſinuandum, ſi velim, Spiritum ſanctum implere domum cordis mei; non debere me extra illam vagari, & effundere ſponte ad creaturas; ſed ſtudere intra meipſum ingredi, & manere ſedentem, & in quiete, intra conſcientiam meam; bonis cogitationibus ac deſiderijs illam, & meipſum piis aliquibus operibus occupando; & ſic exſpectare vehementis huius Spiritus aduentũ, qui omnia impleat, & abundanti ſuo amore perficiat. HINC fit, quod ſupra dictum eſt, vt quando Deus animas vult viſitare, priùs illas recolligat, & intra ſe ipſas ducat, faciatque illas in ſecreto cordis ſui cubiculo quietè ſedere: tunc enim intrat ipſe, cum ſuorum donorum plenitudine.

PVNCTVM IV.

a *Act.2,3.*

APPARVERVNT *illis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum.*

I. Cur in forma ignis ſit datus. S. *Thom.*1.*p.q.*4.*a.*7.*a.*6.

CONSIDERANDA Primùm eſt cauſa, cur Spiritus ſanctus, datus ſit in forma *ignis* viſibilis: quia nimirum ſemper eas formas externas accepit, quæ referrent admirandos effectus, quos efficit in ijs, qui ipſum recipiunt. In *Baptiſmo* Chriſti apparuit in forma columbæ; ad ſignificandam innocentiam & fœcunditatem bonorum operum, quæ facienda ſuggerit. In *transfiguratione*, apparuit, tanquam nubes reſplendens, ad ſignifi-

candam pluuiam doctrinæ, quam tradit, & protectionem quam accipit ſuorum electorum. In *cænaculo*, à Chriſto fuit datus, tanquam aſpiratio, ad ſignificandam Spiritualem vitam, quæ, medijs Sacramentis, nobis confertur. Sed hoc die, apparuit in forma ignis; ad ſignificandum, quod ſicut ignis *purificat, illuminat, accendit, & in altum aſcendit*, habetq; vim vniendi, eſtque ſui ipſius communicatiuus, transformans in ſe quidquid ipſi coniungitur; ita Spiritus S. animas *purificat*, ſcoriam conſumens vitiorum & peccatorum; & ab auro argentoque virtutum ſeperans ſcoriam ſtanni, defectuum, & imperfectionum, quæ illis ſolent admiſceri. *illuminat* intellectum lumine quodam ſupernaturali, adeò excellenti, vt certiorem eum reddat de veritatibus & myſterijs fidei, quàm ſi corporis oculis illas videret. *Accendit* voluntates charitatis ardore, eas inflammans amore Dei & proximorum. *Eleuat* corda è terra ad res cæleſtes, efficiens, vt *ſuam conuerſationem in cœlis habeant*, ibique tanquam in ſphæra & proprio ſuo loco, per contemplationem quieſcant. Denique animas ipſas, cum ſe ipſo *vnit*, ita illis communicans virtutes & dona ſua vt ſint vnus Spiritus cum ipſo per vnionem perfecti amoris. Hic ille ignis eſt, de quo Chriſtus Dominus dixerat, b *ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur?* O Redemptor amantiſsime, imple tuum deſiderium in hac animæ meæ terra, mittens in eius medium, Diuinum hunc ignem, vt conſumens quidquid in ea terrenum eſt, me trahat ad id quod eſt cœleſte. O Diuine Spiritus, qui c *ignis conſumens es*, conſume in me quidquid tibi diſplicet, vt capax fiam lucis, ardoris, agilitatis, & actiuitatis iſtius ignis, perfectè in eum transformatus.

b *Luca.* 12. 49.

c *Deut.* 4. 24.

DEINDE perpendenda eſt cauſa; cur ipſe ignis fuerit figuræ *linguarum* potius, quàm cordium ignitorum. Cauſa huius fuit, quia hic Spiritus non dabatur Apoſtolis, vt ipſi ſoli amarent, & in ignem conuerterentur; ſed vt ſuis linguis à diuino hoc Spiritu motis Chriſti legem, mortem, & paſsionem mundo prædicarent, & ignis munus exercentes purificarent homines à ſuis erroribus, & peccatis, eoſque lumine veræ doctrinæ illuſtrarent, & flammis Charitatis accenderent, eorumque deſideria eleuarent ad res cœleſtes, coniungentes eos cum Deo Domino noſtro, per vnionem veri amoris, implente etiam ipſo Chriſto per eos, quod prius dixerat: *ignem veni mittere in terram*, deſidero vt ſemper ardeat.

II. Ignis cur linguæ figura m habuerit.

PRAETEREA venit Spiritus S. in nos ſpiritualiter, in *linguis igneis*, cũ deuotionis affectus nobis communicat; quam deuotionem dicit S. Bernard. eſſe animæ linguam, quæ cum Deo loquitur; & quando Spiritus S. cum plenitudine illi communicatur, eſt lingua ignea, ex qua prodeunt flagrantiſsimi affectus Diuini amoris cum canticis, de quibus paulò poſt dicemus.

Serm. 45. *in cant.*

Digitized by Google

III. Diuerſa Dei dona. d 1. Corint. 12. 4.

Tertio eſt perpendendum verbum illud, Dispertitae Lingvae, hoc eſt, inter omnes diſtributæ, quo inſinuatur, quod dixit Apoſtolus, d *diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus*: diuiſiones quoque variæ ſunt miniſteriorum & operationum, vt Sapientiæ, Scientiæ, fidei, gratiæ, Sanitatum, ſigna faciendi, & ſcripturas interpretandi, & aliæ, quas diuidit ac diſtribuit Spiritus ſanctus pro ſuo libitu, membris Eccleſiæ; dans illis linguas igneas, vt accepta gratia vtantur. Ex quo affectus concipiam laudis & gratiarum actionis, ob dona, quæ Diuinus hic Spiritus, in membra Eccleſiæ diſtribuit; gaudens de ijs, quæ fratribus meis communicauit, gratumque me exhibens pro ijs, quæ mihi impertiuit: nam ſiue hæc ſiue illa, omnia tendunt in meum commodum, eo modo, quo in membris corporis naturalis, vtilitas oculi cenſetur etiam eſſe vtilitas manus; & manus commodum, etiam eſt oculi; quia vnum iuuat alterum.

IV. Spiritus ſanctus apud nos cupit manere. e Ioan 14. 16. f Sapien. 1. 5

Denique etiam conſiderandum eſt illud verbum, Sedit Svpra Singvlos Eorvm, vt inſinuetur, quod ignis Spiritus ſancti, quod in ſe eſt, ita venit ex inſtituto, vt ſuper nos Sedeat, deſiderans nunquam recedere, niſi nos illum expellamus, iuxta illud quod Chriſtus Dominus dixit, & e *Pater alium Paraclitum dabit vobis qui maneat vobiſcum in æternum*, quod ſi quando nos deſerit, id culpâ noſtrâ accidit, nam vt ait Diuina Sapientia, f *Spiritus S. diſciplinæ* virtutis *effugiet fictū, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu* & ratione, *& corripietur à ſuperueniente iniquitate.* ſi itaque vis anima mea, vt Spiritus S. ſedeat ſuper te, maneatque tecum in æternum, fuge omnem duplicitatem & fictionem; excute omnem cogitationem & affectum inordinatum, nec præbeas aditum iniquitati: cum enim ſit Spiritus puriſsimus, non vult ingredi in animam intentione aliqua praua infectá, nec habitare in corpore ſubiecto peccatis, nec permanere in homine, inſtar beſtiæ viuente, & carnis ſuæ appetitiones ſequente.

Pvnctvm V.

a Actuum. 2. 4.

a *Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto.*

I. Bonitas S. Trinitat.

Primvm conſideranda eſt infinita bonitas & liberalitas Trinitatis Sanctiſsimę, tam Patris & filij qui mittunt, quàm Spiritus ſancti, qui ſe ipſum dat; cum enim, qui in cænaculo illo erant, adeò eſſent diuerſorū meritorum & dignitatis; omnes tamen ſuis donis repleuit, & lætitia; & omnibus ita ſe totum dedit, vt omnes remanerēt Spiritu ſancto pleni & ſaturi; nihil tunc aliud extra Deum optantes, impleuit ſingulariter totam domum animæ cuiuſque, nulla eius potentiarum inani relicta. Nam Memoriae impreſsit Diuinas ſcripturas, vt earum recordarentur, quandocunque illis vſui eſſe poſſent; Intellectvi, magnam infudit intelligentiam earum, & omnium principalium myſteriorum, quæ ſub earum

cortice latent. VOLVNTATI,& cordi, vno quaſi impetu iuſculpſit omnẽ legem charitatis,& amoris, adeò exactè & perfectè, vt quamuis nec lex, nec Euangelium ſcriptum, eſſet in mundo; ipſi eſſent lex viua, & lex interior impelleret illos, ad eam exactè ſeruandam; ac deniq; ex tempore, cum illis effecit officia ſua omnia. Nam inſtar iucundi venti, ſuauitate illos repleuit,& ſolis inſtar, lumine;& inſtar ignis, calore cœleſti; ſicut Magiſter, ſuâ doctrinâ; ſicut Medicus, perfecta & plena ſanitate;& in momẽto ex timidis fecit audaces; ex imbecillibus, fortes; ex ignaris ſapientes; ex inuidis, charitate feruentes; ex ambitioſis, humiles;& ex imperfectis, fecit in omni perfectione præſtantes. b O *Mutatio dextræ excelſi!* O infinita diuini Spiritus potentia! Nam mutationem, quam trium annorum pugna, adhibitis tribus fortiſsimis tormentis, *prædicationis*, *Exemplorum*, & *ſignorum* expedire non potuit, hanc hodierna die, in vno momento perfecit. Spiritus Chriſti,& virtus de alto deſcendens. Mitte O bone Ieſu, hanc ſuper me virtutẽ, tui Diuini Spiritus quæ me in aliũ planè virum conuertat totum factum iuxta tuam voluntatem. Veni, ô Spiritus Sanctiſsime, tuiſque donis ita me imple; vt mores meos terrenos, in cœleſtes commutem; neque velim, aut aliquid extra te cupiam, ſi te plenus ſim;& in terra tua præſentia ſatiatus. b *Pſal.* 70. 11. Oratio.

DEINDE conſiderandum, quod licet omnes diſcipuli, repleti fuerint Spiritu S. *alij* tamen *aliis* plura *dona* receperunt ſicut ſi duo vaſa aqua ſint plena, quod maius eſt plus aquæ continet; ita qui ſanctiores erant meliuſque diſpoſiti inter diſcipulos, maiorem Spiritus S. plenitudinem,& copioſiorem gratiam acceperunt,& quod conſequens eſt, Sacratiſsima virgo Domina noſtra plus accepit gratiæ, lætitiæque Spiritualis quàm reliqui omnes ſimul; Apoſtoli verò plus quàm reliqui diſcipuli, omnes tamen Deum glorificabant, ob ſingulare illud beneficium in omnes collatum. Sed,& ego gaudio exultabo, congratulabor Beatiſsimæ Virgini de tot acceptis donis,& ingenti gaudio, quo fuit affecta cum vidit omnes diſcipulos Spiritu ſancto repletos; ac porrò perfectiſsimè impletam pretioſam Filij ſui promiſsionem. II. Diuerſitas donorum Spiritus ſancti.

HINC etiam ingens concipiam deſiderium, præparandi me quo maximo potero feruore, ad accipiendum Spiritum ſanctum, quem ſcio copioſiorem dari ijs, qui melius ſunt præparati. PRAEPARATIO autem hæc, quatuor his potiſsimùm virtutibus fit. *Prima* eſt PVRITAS CONSCIENTIAE; purgato ſcilicet vaſe, in quo Spiritus S. dona ſua ſit effuſurus. *Secunda* eſt HVMILITAS CORDIS, euacuando ſcilicet illud à ſe ipſo,& ab omni Spiritu qui ſit contrarius ipſi Diuino. *Tertia* eſt FIDVCIA in Deũ, dilatando ſcilicet animę capacitatem & ſinus, non ad menſurã meorũ me- III. Præparatio ad recipiendum Spiritum ſancti qualis eſſe debeat. 1. 2. 3.

ritorum tantùm,ſed meritorum Chriſti Domini noſtri,& infinitæ bonitatis,& liberalitatis Dei. *Quarta eſt* FERVENS ORATIO, qua hæc dona obtinētur,petendo à Deo, vt ea donet,nō attendēs quis ego ſim, ſed quis ipſe ſit. Quò autem perfectius has quatuor virtutes exercuero, eò magis ero diſpoſitus ad Spiritum S. eiuſq; dona copioſiora recipienda. O Deus altiſsime,qui populo tuo dixiſti: c *dilata os tuum,& implebo illud*; en, d *aperio os meum*,deſiderans *attrahere Spiritum*,vellemque dilatare ſinus animæ meæ ad eum pleniſsimè recipiendum: imple eos Domine, iuxta voluntatem tuam,tuaque miſericordiâ amplius illos dilata, vt copioſiorem capiant gratiam,

c *Pſal.* 80. 11.
d *Pſal.* 118. 131.

IV. Conuenientia donorum ſpiritus ſācti.

VLTIMO perpendam etiam,fuiſſe omnes repletos; quia tantū acceperunt,quantum illis opus erat ad ſuum munus exequendum,habet enim Deus hoc in more,vt tantum cuique conferat gratiæ,quantum illi eſt neceſſarium, ad perfectè explendum munus & officium ſibi commiſſum iuxta vitæ ſtatum,in quo illud exequi debet. Quare Sacratiſsimam Virginem,& Sanctum Ioannem præcurſorem;& Apoſtolos tanta gratia impleuit quantam dignitas & officium requirebat, ad quod fuerunt electi: idemque nūc facit cum ijs, quos ad ſtatum & officia Eccleſiaſtica vocat, vt conſtabit in ſexta Parte.

S.Thom. 3. *p.q.* 7. *a.*10
2.*Tim.* 4. 5 *Miniſterium tuum imple.*

PVNCTVM VI.

a *Et cæperunt loqui varijs linguis,prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.*

a *Actuum* 2 4.

I. Donum linguarum quāti pretij

CONSIDERANDA hic eſt primùm ſpecialis illa gratia,à Spiritu ſancto Apoſtolis infuſa;cum repente eis dedit facultatem illam loquendi *variis linguis*,vt in toto mundo poſſent Euangelium prædicare: quæ gratia non tam erat in proprium ipſorum commodum,quam omnium hominū qui erant in terra. Quare meritò ab omnibus laudandus eſt Deus,quòd hoc donum illis dederit in tantum noſtrum commodum. Et attendendum,quòd,vt confuſio linguarum fuit pœna ſuperbiæ;ita linguarum vnio,eſt præmium humilitatis:&,vt ſuperbi volentes b *ædificare turrim,cuius culmen pertingeret ad cœlum*,confuſa illorum lingua *ita,vt non audiret vnuſquiſque vocem proximi ſui,diuiſi ſunt à Deo in vniuerſas terras:& ita ceſſauerunt* à ſuperba ſua cogitatione:ita humiles, cupiētes c *ædificare turrim perfectionis*,cuius culmen ad ipſum conſpectum,& vnitionem cum Deo perueniret,adiuti ab eo ſunt,accepta vnitione linguarum, qua poſſent cum omnibus hominibus vniri,& ſuum ędificium ſemper promouere. O Dulciſsime Ieſu da mihi verum Spiritum humilitatis,& igne tui amoris perfice linguam,quam mihi dediſti;vt,quantum in me erit, iuuem erigere hanc turrim perfectionis,non ſolum in anima mea, ſed etiam in animis meorum proximorum,ita,vt omnes perueniamus ad culmen æternæ tuæ gloriæ, Amen.

b *Gen.*11. 7.
c *Luca.* 14. 28.
Oratio

Digitized by Google

Deinde perpendam, Apoſtolos ſtatim atque hoc linguarum donũ acceperunt, vti eo cæpiſſe, non temerè & ſine cauſa, ſed à Spiritu Sancto inſtigati, eo modo & feruore loquentes, quo ille ipſis inſpirabat; quam rationem per totam vitam conſeruarunt, ſicut dixit Apoſtolus: d *non* (inquit) *ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo, coram Deo in Chriſto loquimur*; quaſi diceret, quatuor circumſtantias noſtris verbis & ſermonibus adhibemus. *Prima eſt*, ne ſint ob malum aut inanem finem, ſed intentione pura, gloriæ Dei, & boni, tam noſtri quàm proximorum. *Secunda*, ne procedant ab impetu perturbati Spiritus, ſed à bono Spiritu, ſancto & pacato. *Tertia* quod ſint dicta in præſentia Dei, attendentes, quod ille nos audiat, & ſit teſtis eorum, quæ loquimur. *Quarta* ne ſermones noſtri ſint de rebus malis aut vanis, aut ad rem non pertinentibus, ſed ſint omnes de Chriſto, aut rebus ad ipſum directis, & ad eius excellentias, vt mox dicemus.

II. Vſus iſtius doni.
d 2. Corint. 2. 17
Regula bene loquendi: 1. 2. 3. 4.

Denique perpendam quòd cum Spiritus S. eſt in anima; ſtatim efficit, vt interius loquatur varijs linguis, varijs videlicet deuotionis effectibus, iuxta illud, quod dicit Apoſtolus; e *implemini Spiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis, & hymnis, & canticis Spiritualibus, cantantes & Pſallentes in cordibus veſtris Domino; gratias agentes ſemper, pro omnibus; in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Deo & Patri*. Hae ſunt variæ linguæ igneæ, quib. (vt 2. Par. *Introductionis* huius operis dictum eſt) intra nos ipſos loquimur cum Deo Domino noſtro, cantantes Pſalmos & hymnos, cum affectibus laudis & gratiarum actionis, ob ea beneficia, quæ nobis confert; amoris item, & gaudij, quod ipſe ſit talis: & offerentes nos ipſos, ad omnia obſequia præſtanda; & prouocantes virtutes omnes, vt ſuos actus exercentes, concinnam muſicam faciant ad gloriam ipſius. O ſi audiuiſſem Beatiſsimam virginem varijs hiſce linguis in hoc die loquentem, ex Diuini Spiritus inſpiratione, quam inflammatos affectus laudum & gratiarum actionis eructauerit, & amoris igne fuerit liquefacta colloquens cum ſuo dilecto! O, qualis muſica, tot diuerſarum linguarum, ſed valde conſonantium, audiebatur ab illis Sacris Cantoribus, in illo cænaculo, dirigente illos tanquam capellæ Magiſtro ſeu archiſymphonaſco ipſo Spiritu ſancto! O Spiritus ſanctiſsime, veni in mutam animam meam, ac doce varijs accenſorum affectuum linguis loqui; & quandoquidem à me petis, vt ſonet vox mea in auribus tuis; clarifica & dulcora illam; vt eius muſica, iucunda tibi ſit & grata in æternum, Amen.

III. Variæ linguæ ſpiritualiter
e Epheſ. 5. 18.
Coloſ. 3. 16
Oratio

nia nobis donauit? Ita licebit nunc dicere, qui Diuinum Spiritum nobis donat, quomodo non donaturus eſt nobis omnia, quæ ab illo petemus, ſi in eiuſdem Spiritus virtute: & per merita filij, per quem ille datur, ea petantur? Huic confidentiæ adiungam deſiderium intimum, vt Spiritus Sanctus, in me producat duodecim prædictos fructus, perpendens, quid quiſque illorum ſit, & ſingulos propria petitione petens; Et primum
g 1. Io. 4. 16 quidem petam CHARITATEM dicens: O Spiritus Diuine, qui es ipſa g *charitas & qui manet in Charitate, in te manet, & tu in eo,* effice in me hanc Charitatem; vt te diligam, & copioſos amoris fructus proferam: Et in eundem modum reliquos fructus petam, & ſeptem illius dona, de quibus paulò poſt faciemus Meditationem.

PVNCTVM IV.

Quibus detur Spiritus Sanctus.

QVARTO conſiderandum, qui ſint illi, quibus tantum hoc donum confertur: vt ex hoc, magis eluceſcat Diuinæ liberalitatis magnitudo. Perpendam itaque, etſi magna fuerit largitas, donum hoc dare *pauperibus piſcatoribus*, Idiotis, & Puſillanimibus, & alteri hominum multitudini minoris adhuc momenti, maiorem tamen adferre admirationem, quod omnibus nationib. & populis totius vniuerſi, Iudæis, gentilibus & Barbaris illud offerre voluerit, nullo homine excluſo, quantumuis vili & deſpecto, etiam qui maximus priùs fuiſſet peccator, modò vel-
a Act. 10. 34 let ſe diſponere ad illum recipiendum. Nam vt Sanctus Petrus dixit: a *non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi*, & accipet Spiritum Sanctum: & ita reipſa dedit illum multis, qui participes fuerunt, & rei Crucifixionis Filij ipſius, & innumeris aliis qui ſerpentes & beſtias terræ, tanquam Deos colebant; ita vt qui prius erat Satanæ habitatio, & ſpelunca Leonum & Draconum, idem ſit nunc templum Dei viui, & habitatio Diuini eius Spiritus; in quo ille, cum donis ſuis requieſcit; ſic adimplens, quod per Ioelem Prophetam
b Ioel. 2. 28. promiſerat: b *effundam Spiritũ meum ſuper omnem carnem.* O Dei noſtri liberalitatem infinitam! quo vltrà progredi potuit liberaliſſima eius miſericordia, quàm vt ita profuſè Spiritum adeò pretioſum effunderet, in vaſa adeò vilia, atque ſunt homines. Num Domine non tu es, qui olim dixiſti,
c Geneſ. 6. 3 c *non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt?* quomodo ergo nunc dicis, *effundam Spiritum meum ſuper omnium carnem*; ſi locutus fuiſſes de tua ſola carne, quæ Diuinæ tuæ perſonæ eſt vnita, rectum erat ſuper eam effundere tuũ Spiritũ: quia talem carnem, talis Spiritus decebat; ſed aſſeueras te *effuſurum Spiritum tuum, ſuper omnem carnem*; quæ tamen talis eſt, vt nihil aliud ſcire videatur, quàm bellum gerere, & con-

Digitized by Google

tradicere tuo Spiritui; quomodo ergo Diuinum adeò Spiritum, vis coniungere carni, adeò terrenæ & rebelli? O immenſa Charitas, & liberalitas incomprehenſa! Non vult Deus Spiritum ſuum dare ei, qui eſt caro, & ſecundum carnis leges vitam ſuam inſtituit, repugnans legibus Spiritus; ſed ſi is, qui caro eſt, carnalem ſuam vitam velit mutare, & dolere de tempore in tali vitæ ratione conſumpto, Deus effundet ſuper talem Spiritum ſuum, qui viuificet ita carnem; vt vitam ducat ſpiritualem, tali Spiritu dignam. Gratias tibi Pater miſericordiarum, ob infinitam bonitatem, quam oſtendis dans tantum donum adeò vili creaturæ, atque eſt homo; & Spiritum Diuinum, cum miſera noſtra carne iungens. Si vis tuam miſericordiam in his donis plurimùm ſplendere: En me hominem, qui totus ſum caro; ſed cupiens tamen, tuo ſpiritu viuificari; da mihi illum, Domine, gratuito, vt habitet in me, & anima mea te glorificet, ob ſupremum beneficium, quod in eum confers, qui adeò indignus erat, qui illud reciperet. Oratio.

MEDITATIO XXIII.

DE MODO QVO SPIRITVS SANCTVS ſuper diſcipulos venit in die Pentecoſtes.

PVNCTVM I.

CVM a *complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco.* a *Act.* 2. 1.

CIRCA hæc verba conſideranda ſunt myſteria, quæ latent in loco, tempore, ac die, quo venit Spiritus ſanctus, & in conuentu Perſonarum ſuper quas venit.

I. Numerus fidelium ibi præſentium.

PRIMVM itaque conſiderandum, eiuſdem Spiritus ſancti inſtinctu, conueniſſe in die Pentecoſtes omnes Chriſti diſcipulos, & Beatiſſimam Virginem eius Matrem, in Domum & cænaculum; in quo ſolebant aliàs conuenire; qui nimirum erant centum & viginti, vt paulò ſuperius retulit ſanctus Lucas. Omnes verò vnà clamabant, orantes Patrem æternum, per merita Filij ſui, & ipſum quoque Filiũ, vt promiſſum Spiritum ſanctum mitterent: quorũ orationes, fuerunt per ſanctos Angelos ante Deum præſentatæ; quæ coniunctæ petitioni ipſius Filij, qua homo erat, fuerunt exauditæ, ac decretum, vt illo die daretur quod petebant: quia nullus eſt adeò prolixus terminus, ad quem tandem non accedat, qui petendo perſeuerat, & patienter ſperat aduentum Domini.

II. *Supra Medit.* 20. & *in* 4. *par. Medit.* 10. Spiritus ſanctus tantú fidelius datur. b *Gen.* 8. 9. c 1. *Pet.* 3. 20. d *Ioa.* 14. 17.

DEINDE perpendendum, hanc domum & cœnaculum, (vt iam aliàs eſt dictum) repræſentare *Eccleſiam* vniuerſalem, in quam ſe recipiunt quicunque ſunt diſcipuli Chriſti, vniti eadem fide, & cultu eiuſdem Dei, & obſeruantia eiuſdem legis. Et ſicut hoc die datus eſt Spiritus Sanctus iis, qui in ea domo coniuncti erant, non verò iis, qui erant extra; ita Spiritus Sanctus, iis tantùm datur, qui intra ſuam Eccleſiam manent, & ſe ad illum recipiendum diſponunt; nec vllus vnquam illum recipiet, qui extra illam fuerit, ſicut enim b *columba, non inuenit extra arcam vbi requieſceret ſpes eius*; ita Spiritus S. qui per columbam ſignificatur, non inuenit, in quo habitet extra Eccleſiam, quæ per c *Noë arcam* ſignificatur; & ideo Chriſtus Dominus noſter dixit: d *mundum non poſſe recipere Spiritum Sanctum*, mundum appellans Congregationem eorum, qui ipſius fidem negant, Doctrinam repellunt, & legi reſiſtunt. Hoc me excitare debet, ad ingentes gratias Deo agendas, quod me ad Sanctæ ſuæ Eccleſiæ domum deduxerit; in qua, niſi ego mihi deeſſe velim, accipiam Spiritum ſanctum, ſi me oratione & ea vnitione me præparauero, quam ſancti Apoſtoli habuerunt.

III. Cur venerit in feſto Pentecoſtes. e *Exo* 19. 16. f *Exo.* 24. g *Ier.* 31. 33. *Hebr.* 10. 16. h *Ez.* 36. 26. Oratio i *Pſ.* 103. 30. k *Prou.* 3. & 7. 3.

TERTIO cauſam exquiram, cur venerit Spiritus S. illo die *Pentecoſtes*, (Pentecoſte autem erat feſtiuitas Iudæorum, inſtituta in memoriam legis, quam Deus dederat illis in monte Sinai, & celebrabatur die quinquageſima poſt Paſcha Agni.) Cauſa igitur fuit, vt ſignificaret Spiritum S. præcipuè venire ad imprimendam in animis hominum legem gratiæ, quam Chriſtus prædicauerat, & finem imponere antiquæ legi, quæ fuerat eius figura: ideoq; ipſo die, quo illa fuit data, fuit hæc altera promulgata; quamuis alio modo: nam vetus illa erat lex timoris; ideoque data fuit, e *cum audirentur tonitrua, micarent fulgura, clangorque buccinæ vehementius perſtreperet; vt totus populus timuerit*, Deus quoque *mortem populo* minatus eſt, *ſi terminos præſcriptos tranſcenderet*, quando lex ipſa dabatur. Scripta fuit etiam in f *tabulis lapideis*; eò quòd eſſet grauiſſima, & daretur hominibus duræ ceruicis, & indurati cordis: At lex noua, eſt lex amoris, g quam ſuauiſſimè ſcripſit ipſe Spiritus ſanctus *in viſceribus* hominum, & in tabulis *cordis eorum*, h *auferens cor lapideum; & dans cor carneum*; vt *Spiritus* ipſe ſanctus *eſſet in medio eorum*, ſicut per ſuos Prophetas facturum ſe promiſerat. O ſupreme Pater, cuius manus eſt filius tuus, qui à te procedit, per quem creaſti omnia, & cuius digitus eſt Spiritus ſanctus qui ab vtroque procedit, per quem i *renouaſti faciem terræ*, ſcribens per ipſum ſanctam tuam legem in cordibus hominum; ſcribe eandem in meo, eodem dexteræ tuæ digito, idque adeo fortiter, vt nunquam ex eo deleatur, & ſiquidem mihi iubes, vt k *eandem eò legem in tabulis cordis mei deſcribam*, & amore ad eius executionem cooperer, da mihi quod iubes, vt ſic exſequar ſicut tu vis.

Venit etiam Spiritus ſanctus die quinquageſimo, poſt Chriſti Paſſionem & Reſurrectionem, vt ſignificet, ſe adeò abundanti ſuo aduentu, concedere l *Iubilaum Pleniſſimum*, qui numero quinquageſimo notatur, & *plenariam remiſſionem* omnium debitorũ & peccatorum, in virtute Paſſionis Redemptoris noſtri; Ideoque Eccleſia de Spiritu ſancto dicit, quod ipſe ſit *remiſſio omnium peccatorum*. O Spiritus ſanctiſsime, veni cum plenitudine in animam meam, & pleniſsimum Iubilæum illi concede, remittens ei omnia peccata, à quibus expedita, conſcendat magno Iubilo ad gaudia tuæ æternæ gloriæ. Amen.

IV. Cur die quinquageſimo post reſur. l Levit. 25 10

Pvnctvm II.

Et a *factum eſt repentè de cælo ſonus tanquam aduenientis Spiritus vehementis*. In ſingulis hiſce verbis, aliquod exprimitur myſterium, aut proprietas aduentus Spiritus ſancti in animam, per inſpirationes, quæ ipſius in eam ingreſſum præcedunt; quæ ſunt motus quidam repentini quos in anima perſentimus, & inſtar fulguris, aliquam fidei veritatē nobis aperiunt, & inſtar ſcintillarum ignis calefaciunt nos, & trahunt ad id, quod eſt bonum & ſanctum.

a Act. 2. 2.

Primvm venit iſte ſonus *repentè* ad inſinuandum, inſpirationem & viſitationem Diuini Spiritus, nec diem habere, neque horam certam deſignatam; ſed venire, quando homo minus cogitat, & quando, & quomodo ipſe Spiritus vult: vt enim ipſe Chriſtus Dominus dixit, b *ſpiritus vbi vult ſpirat*. Nam (vt poſtea dicemus) ſola ſua miſericordia inſpirat. Quare ſemper orandus eſt, vt veniat; & eius aduentus expectandus, die & horâ, paternæ ipſius prouidentiæ relictis: veniet enim quando mihi magis expediet, licet quandocunque venerit mihi ſit futurum repentè.

I. Cur repentè

b Ioan 3. 8. Medit. 26.

Deinde ſonus iſte venit *de cælo*, non ab Oriente, aut Occidente, nec à Septentrione, aut à Meridie huius terræ; ad inſinuandum, Spiritus ſancti inſpirationem, non eſſe à terra, nec vires in ea eſſe, ad talem ſpiritum excitandum; ſed ab ipſo cœlo deſcendere: quia (vt Sanctus Iacobus ait) c *omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*. Datvm optimvm per excellentiam, eſt Filius; & Donvm Perfectvm per excellentiam, eſt Spiritus ſanctus; ideoque quæcunque data & dona ab eis procedunt, deſcendunt de cœlo à Patre æterno, à quo & Filius & Spiritus ſanctus procedunt.

II. Cur de cœlo.

c Iac. 1. 17.

O Pater luminum, mitte mihi ex alto *datum* hoc *optimum & donum perfectum*: Veniat de cœlo ventus hic Diuini tui Spiritus, qui me rapiat, & ad locum illum deducat, ex quo ipſe exiuit.

Tertio, ſonus hic fuit *Spiritus* aut venti, ad inſinuandũ, Spiritum ſanctum, inſpiratione ſua, efficere in nobis admirandos aliquos effectus, ipſo vento ſignificatos. Nam inſpiratione ipſa dat & conſeruat in nobis ſpi-

III. Spiritus ſancti effectus ſono comparantur.

ritualem gratiæ vitã; eadẽ reſpiramus, & mortificatur noſtrarum cõcupi-
ſcentiarum ardor: illa nos mundat ac purgat, ſeparans in animis noſtris
pretioſum à vili, granum à palea, & quod bonum & perfectum eſt, à ma-
lo & imperfecto; illa nos mouet & impellit ad vitium fugiendum, & ſe-
quendam virtutem. Vt itaque aere viuimus & reſpiramus, nec ſine eo
c *Act.7.28.* viuere poſſumus; ita in Diuino ipſo Spiritu & eius virtute, c *viuimus, mo-
uemur, & ſumus* in eſſe gratiæ, & ſine eo, nec habere nec conſeruare poſſu-
d *Exo.37.10* mus hoc eſſe, & hoc viuere. O vitæ Spiritus, *qui* ſpirans & d *inſufflans ſuper
interfectos*, quos vidit Ezechiel. *ſtatim illos reuiuificaſti:* Veni & inſpira ſu-
e *Cant.4.6.* per animas, ob peccatum mortuas, vt gratiâ tuâ illas reuiuifices; e *veni Au-
ſter* de cœlo, *& perfla hortum* animæ meæ, vt inſpiratione tua', ex virtutum
arboribus, *fluant aromata* fragrantium actionum ad gloriam ipſius Dei, &
Oratio. proximorum ædificationem.

f *Dan.3.50.* O Deus æterne, qui f *feciſti medium fornacis, quaſi ventum roris flantem,
ne ignis contriſtaret, aut moleſtiam aliquam inferret tribus pueris in eam coniectis.*
mitte in me temperatum Diuini tui Spiritus ventum, vt flammas tem-
peret, ardentes in fornace meæ ſenſualitatis, & omnes animæ meæ facul-
tates excitentur ad tuas continuas laudes, Amen.

IV. Spiritus ſancti vehementia.

QVARTO, fuit Spiritus VEHEMENS ad notandum impetum & fer-
uorem, quo Spiritus ſanctus impellit ad opera virtutum, vi quadam ſua-
ui ac beneuola; non vt coacti, & repugnante noſtra voluntate, ſed vt liben-
tiſsimè ea faciamus. odit enim torporem & pigritiam; quia vt ait S. Am-
g *Lib.2. in Luc.* broſius, g *neſcit tarda molimina Spiritus S. gratia.* ingreſſus enim animam, de
ducit illam inſtar nauis, quæ proſpero & ad puppim, vt dicitur vẽto, ſine
defatigatione, & magna velocitate impellitur: quia & ipſe eſt huius nauis
h *Rom.8.14* gubernator, qui eam ad portum & locum deſtinatum dirigit. Et de huiuſ-
modi dixit Apoſtolus, h *qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt Filij Dei.* O Spiri-
tus Diuine, qui dilectiſsimos Filios tuos, vehementiſsimè ad opera vir-
tutis & Sanctitatis impellis; veni ſuper animam meam, tanquam Spiritus
vehemens, & ad omnia, quæ tibi placent, vehementer impelle; in omni-
bus viis ſuis illam gubernans, vt ad æternum gloriæ tuæ portum tandem
perueniat.

V. Quid ſonus deſignet.

VLTIMO Spiritus hic vehemens, ingentem SONVM, tonitrui ſimilem
excitauit, qui per totam Ciuitatem fuit auditus: ad inſinuandum, quod
aduentus Spiritus ſancti, in ſuis iuſtis, & per eos, talia efficiat opera,
vt in toto mundo audiantur, ob admirandum vitæ exemplum, &
interdum ob ingentia prodigia, & præcipuè ob vim verbi, & prædica-
i *Pſal.18.5.* tionis ipſorum, ſicut apparuit in Apoſtolis, de quibus ſcriptum eſt,
Ro.10.18. quod i *in omnem terram exiuerit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum,*
k *Mar.3.17* & ob eã cauſam Chriſtus Dominus, duos ex ſuis diſcipulis k *Boanerges*, hoc

eſt,

Digitized by Google

eſt, *Filios tonitrui* appellauit quia inſtar tonitrui cuiuſdam, ad prædicandũ exiuerunt per orbem. O Dilecte mi, ſonet vox tuæ inſpirationis in auribus meis; vt talia per illam opera faciam, quæ in vniuerſo orbe audiantur, ad proximorum ædificationem, & illos excitandos, ad te glorificandum in ſæcula, Amen.

PVNCTVM III.

a ET *repleuit totam domum, vbi erant ſedentes.* Conſideranda hic ſunt myſteria, quæ latent in illis verbis, quod repleuerit Spiritus ille totam domum, in qua diſcipuli ſedebant. a *Act.* 2.2.

I. *In lege gratiæ ſpiritus ſanctus abundanter datus*

PRIMVM MYSTERIVM fuit, vt ſignificaretur, in *lege gratiæ* dari Spiritum ſanctum in magna abundantia & plenitudine, ad omne genus operum, exercitiorum, & miniſteriorum, & ad omnes ſtatus & officia, quæ ſunt in Eccleſia: quia multò liberaliorem oſtendit ſe Deus nunc, quàm fecerit in lege naturæ, aut ſcripta. Nam amicus quidam Iob, qui fuit in lege naturæ, & Elias qui fuit in lege ſcripta, perceperunt aduentum Spiritus ſancti, tanquam ſibilum b *aura tenuis*. nam tunc limitatus valde dabatur Spiritus, ſed poſt Chriſti Domini noſtri paſsionem, datur tanquam *Spiritus vehemens, qui repleat totam domum*; quia datur in magna plenitudine, cũ omni genere gratiarum, & omni generi hominum; ita vt ipſe Redemptor noſter, ante ſuam Paſsionem, non in tanta plenitudine ipſum dederit: ideo enim dixit ſanctus Ioannes, c *nondum fuiſſe Spiritum datum, quia Ieſus nondum fuiſſet glorificatus*; poſt Reſurrectionem autem cataractæ & portæ cæli apertæ ſunt, & d *facta eſt pluuia*, & gratiarum diluuium, quod repleuit totam terram, renouauit, ac fertilem reddidit. Et ideò dixit Iſaias: e *quia repleta eſt terra ſcientia Domini ſicut aqua maris operientes eam.* Gratias tibi, dulciſsime Redemptor, quòd ſacratiſsimi tui corporis cataractas aperueris, vt totum ſanguinem tuum pro nobis effunderes, cuius virtute cataractas & portas cæli aperueris, ad effundendum copioſum Spiritum tuum ſuper eos omnes, qui fructu paſsionis tuæ vti vellent; effunde illum recens nũc Domine ſuper totam Eccleſiæ tuæ domum, vt omnes denuo incipiamus feruenter ſeruire tibi.

b *Iob.* 4.16. 3. *Reg.* 19.12
c *Ioan.* 7.39
d *Gen.* 7.11.
e *Iſai.* 11.9

II. *Quantum in ſe eſt, omnibus datur.*

REPLEVIT etiam hic Spiritus TOTAM DOMVM, ita vt neque aulam nec conclaue, receſſum, penetrale aut angulum reliquerit, quem non penetrauerit: vt intelligamus, Spiritum ſanctum quod in ſe eſt vniuerſim dari & offerri hominibus in quacunque mundi parte, & angulo ſint; & ita impleri quod Scriptura diuina dicit: f *quoniam Spiritus Domini repleuit orbem terrarum:* & quod promiſit Deus populo ſuo, cum dixit: g *effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, ſenes veſtri & iuuenes veſtri, viſiones videbunt, ſed & ſuper ſeruos meos & ancillas, in diebus illis effundam Spiritum meum.*

f *Sap* 1.7
g *Ioel.* 2.28
g *Act.* 2.17

III. Spiritus ſancti perfecta in opera.

Tertio ad ſignificandum, quòd quando Spiritus ſanctus, cum huiuſmodi vehementia, aliquam animam ingreditur, *totam* eius *domum*, & eius familiam, facultates videlicet omnes, nulla prætermiſſa adimplet; nã memoriam implet bonis cogitationibus, intellectum ſanctis meditationibus & ratiocinationibus, voluntatem feruentibus deſideriis & affectibus; ipſas etiam appetitiones implet affectionibus ſanctis: tota itaque illa domus plena eſt veritatibus, & virtutibus cœleſtibus; vt intra illam ferueant omnium illarum actus & exercitationes, quales ſunt amor Dei, zelus gloriæ eius, fiducia de eius miſericordia, timor ex reuerentia tantæ maieſtatis, gaudium & exultatio de eius excellentijs, laudes & gratiarum actiones ob accepta beneficia, dolor de peccatis, deſideria & efficacia propoſita obediendi Deo, & multa pro illo patiendi. O Spiritus ſanctiſsime, ſi meam memoriam & intellectum tuis illuſtrationibus impleres; vt h *cogitationes*, quæ ex illis orirentur, *diem feſtum* lætiſſimum *tibi agerent*, & mihi. Vtinam voluntas & appetitiones meæ, Diuinitate tua replerentur, vt mea omnia deſideria & propenſiones, ex nũc eſſent Diuinæ, tuis in omnibus conformes. Imple me Domine, te ipſo, vt i *mea opera plena ſint coram te Deo meo*, & nihil in eis ſit vacuum, quod te offendat, aut tibi diſplicent.

Oratio.

h *Pſal.* 75. 11

i *Apoc.* 3. 2.

IV. Quies mẽtis neceſſaria.

Vltimo perpendam, Spiritum illum ſanctum impleuiſſe totam domum, vbi diſcipuli erant Sedentes; ad inſinuandum, ſi velim, Spiritum ſanctum implere domum cordis mei; non debere me extra illam vagari, & effundere ſponte ad creaturas; ſed ſtudere intra meipſum ingredi, & manere ſedentem, & in quiete, intra conſcientiam meam; bonis cogitationibus ac deſiderijs illam, & meipſum piis aliquibus operibus occupando; & ſic exſpectare vehementis huius Spiritus aduentũ, qui omnia impleat, & abundanti ſuo amore perficiat. Hinc fit, quod ſupra dictum eſt, vt quando Deus animas vult viſitare, priùs illas recolligat, & intra ſe ipſas ducat, faciatque illas in ſecreto cordis ſui cubiculo quietè ſedere: tunc enim intrat ipſe, cum ſuorum donorum plenitudine.

Pvnctvm IV.

a *Act.* 2. 3.

Apparvervnt *illis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum.*

I. Cur in forma ignis ſit datus.

S. *Thom.* 1. *p.* q. 43. a. 7. ad 6.

Consideranda Primùm eſt cauſa, cur Spiritus ſanctus, datus ſit in forma *ignis* viſibilis: quia nimirum ſemper eas formas externas accepit, quæ referrent admirandos effectus, quos efficit in ijs, qui ipſum recipiunt. In *Baptiſmo* Chriſti apparuit in forma columbæ; ad ſignificandam innocentiam & fœcunditatem bonorum operum, quæ facienda ſuggerit. In *transfiguratione*, apparuit, tanquam nubes reſplendens, ad ſignifi-

candam pluuiam doctrinæ,quam tradit, & protectionem quam accipit ſuorum electorum.In *cænaculo*,à Chriſto fuit datus!, tanquam aſpiratio, ad ſignificandam Spiritualem vitam,quæ,medijs Sacramentis,nobis confertur.Sed hoc die,apparuit in forma ignis;ad ſignificandum, quod ſicut ignis *purificat,illuminat,accendit,& in altum aſcendit*,habetq; vim vniendi, eſtque ſui ipſius communicatiuus,transformans in ſe quidquid ipſi coniungitur;ita Spiritus S.animas *purificat*,ſcoriam conſumens vitiorum & peccatorum;& ab auro argentoque virtutum ſeperans ſcoriam ſtanni,defectuum,& imperfectionum,quæ illis ſolent admiſceri. *illuminat* intellectum lumine quodam ſupernaturali,adeò excellenti, vt certiorem eum reddat de veritatibus & myſterijs fidei,quàm ſi corporis oculis illas videret. *Accendit* voluntates charitatis ardore,eas inflammans amore Dei & proximorum. *Eleuat* corda è terra ad res cæleſtes,efficiens, vt *ſuam conuerſationem in cœlis habeant*,ibique tanquam in ſphæra & proprio ſuo loco,per contemplationem quieſcant. Denique animas ipſas, cum ſe ipſo *vnit*,ita illis communicans virtutes & dona ſua vt ſint vnus Spiritus cum ipſo per vnionem perfecti amoris.Hic ille ignis eſt,de quo Chriſtus Dominus dixerat,b *ignem veni mittere in terram,& quid volo niſi vt accendatur?* O Redemptor amantiſsime,imple tuum deſiderium in hac animæ meæ terra,mittens in eius medium,Diuinum hunc ignem, vt conſumens quidquid in ea terrenum eſt,me trahat ad id quod eſt cœleſte. O Diuine Spiritus,qui c *ignis conſumens es*,conſume in me quidquid tibi diſplicet,vt capax fiam lucis,ardoris,agilitatis,& actiuitatis iſtius ignis,perfectè in eum transformatus.

b *Lucæ.* 12. 49.

c *Deut.*4. 24.

DEINDE perpendenda eſt cauſa; cur ipſe ignis fuerit figuræ *linguarum* potius,quàm cordium ignitorum. Cauſa huius fuit,quia hic Spiritus non dabatur Apoſtolis,vt ipſi ſoli amarent,& in ignem conuerterentur;ſed vt ſuis linguis à diuino hoc Spiritu motis Chriſti legem, mortem,& paſsionem mundo prædicarent,& ignis munus exercentes purificarent homines à ſuis erroribus,& peccatis, eoſque lumine veræ doctrinæ illuſtrarent,& flammis Charitatis accenderent, eorumque deſideria eleuarent ad res cœleſtes,coniungentes eos cum Deo Domino noſtro,per vnionem veri amoris,implente etiam ipſo Chriſto per eos,quod prius dixerat: *ignem veni mittere in terram*, deſidero vt ſemper ardeat.

II. Ignis cur linguæ figura n habuerit.

PRAETEREA venit Spiritus S.in nos ſpiritualiter,in *linguis igneis*, cũ deuotionis affectus nobis communicat;quam deuotionem dicit S. Bernard.eſſe animæ linguam,quæ cum Deo loquitur;& quando Spiritus S. cum plenitudine illi communicatur,eſt lingua ignea, ex qua prodeunt flagrantiſsimi affectus Diuini amoris cum canticis,de quibus paulò poſt dicemus.

*Serm.*45. *in cant.*

Digitized by Google

III. Diuerſa Dei dona. d 1. *Corint.* 12. 4.

TERTIO eſt perpendendum verbum illud, DISPERTITAE LINGVAE, hoc eſt, inter omnes diſtributæ, quo inſinuatur, quod dixit Apoſtolus, d *diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus*: diuiſiones quoque variæ ſunt miniſteriorum & operationum, vt Sapientiæ, Scientiæ, fidei, gratiæ, Sanitatum, ſigna faciendi, & ſcripturas interpretandi, & aliæ, quas diuidit ac diſtribuit Spiritus ſanctus pro ſuo libitu, membris Eccleſiæ; dans illis linguas igneas, vt accepta gratia vtantur. Ex quo affectus concipiam laudis & gratiarum actionis, ob dona, quæ Diuinus hic Spiritus, in membra Eccleſiæ diſtribuit; gaudens de ijs, quæ fratribus meis communicauit, gratumque me exhibens pro ijs, quæ mihi impertiuit: nam ſiue hæc ſiue illa, omnia tendunt in meum commodum, eo modo, quo in membris corporis naturalis, vtilitas oculi cenſetur etiam eſſe vtilitas manus; & manus commodum, etiam eſt oculi; quia vnum iuuat alterum.

IV. Spiritus ſanctus apud nos cupit manere. e *Ioan* 14. 16. f *Sapien.* 1. 5

DENIQVE etiam conſiderandum eſt illud verbum, SEDIT SVPRA SINGVLOS EORVM, vt inſinuetur, quod ignis Spiritus ſancti, quod in ſe eſt, ita venit ex inſtituto, vt ſuper nos SEDEAT, deſiderans nunquam recedere, niſi nos illum expellamus, iuxta illud quod Chriſtus Dominus dixit, & e *Pater alium Paraclitum dabit vobis qui maneat vobiſcum in æternum*, quod ſi quando nos deſerit, id culpâ noſtrâ accidit, nam vt ait Diuina Sapientia, f *Spiritus S. diſciplinæ* virtutis *effugiet fictũ, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu* & ratione, *& corripietur à superueniente iniquitate.* ſi itaque vis anima mea, vt Spiritus S. ſedeat ſuper te, maneatque tecum in æternum, fuge omnem duplicitatem & fictionem; excute omnem cogitationem & affectum inordinatum, nec præbeas aditum iniquitati: cum enim ſit Spiritus puriſsimus, non vult ingredi in animam intentione aliqua praua infectá, nec habitare in corpore ſubiecto peccatis, nec permanere in homine, inſtar beſtiæ viuente, & carnis ſuæ appetitiones ſequente.

PVNCTVM V.

a *Actuum.* 24.

a *Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto.*

I. Bonitas S. Trinitas.

PRIMVM conſideranda eſt infinita bonitas & liberalitas Trinitatis Sanctiſsimæ, tam Patris & filij qui mittunt, quàm Spiritus ſancti, qui ſe ipſum dat; cum enim, qui in cænaculo illo erant, adeò eſſent diuerſorũ meritorum & dignitatis; omnes tamen ſuis donis repleuit, & lætitia; & omnibus ita ſe totum dedit, vt omnes remanerẽt Spiritu ſancto pleni & ſaturi; nihil tunc aliud extra Deum optantes, impleuit ſingulariter totam domum animæ cuiuſque, nulla eius potentiarum inani relicta. NAM MEMORIAE impreſsit Diuinas ſcripturas, vt earum recordarentur, quandocunque illis vſui eſſe poſſent; INTELLECTVI, magnam infudit intelligentiam earum, & omnium principalium myſteriorum, quæ ſub earum

corti-

Digitized by Google

cortice latent. VOLVNTATI, & cordi, vno quaſi impetu inſculpſit omnẽ legem charitatis, & amoris, adeò exactè & perfectè, vt quamuis nec lex, nec Euangelium ſcriptum, eſſet in mundo; ipſi eſſent lex viua, & lex interior impelleret illos, ad eam exactè ſeruandam; ac deniq; ex tempore, cum illis effecit officia ſua omnia. Nam inſtar iucundi venti, ſuauitate illos repleuit, & ſolis inſtar, lumine; & inſtar ignis, calore cœleſti; ſicut Magiſter, ſuâ doctrinâ; ſicut Medicus, perfecta & plena ſanitate; & in momẽto ex timidis fecit audaces; ex imbecillibus, fortes; ex ignaris ſapientes; ex inuidis, charitate feruentes; ex ambitioſis, humiles; & ex imperfectis, fecit in omni perfectione præſtantes. b *O Mutatio dextra excelſi!* O infinita diuini Spiritus potentia! Nam mutationem, quam trium annorum pugna, adhibitis tribus fortiſsimis tormentis, *prædicationis, Exemplorum, & ſignorum* expedire non potuit, hanc hodierna die, in vno momento perfecit. Spiritus Christi, & virtus de alto deſcendens. Mitte O bone Ieſu, hanc ſuper me virtutẽ, tui Diuini Spiritus quæ me in aliũ planè virum conuertat totum factum iuxta tuam voluntatem. Veni, ô Spiritus Sanctiſsime, tuiſque donis ita me imple; vt mores meos terrenos, in cœleſtes commutem; neque velim, aut aliquid extra te cupiam, ſi te plenus ſim; & interna tua præſentia ſatiatus. b *Pſal.* 76. II. Oratio.

II. Diuerſitas donorum ſpiritus ſancti.

DEINDE conſiderandum, quod licet omnes diſcipuli, repleti fuerint Spiritu S. *alÿ* tamen *aliis* plura *dona* receperunt ſicut ſi duo vaſa aqua ſint plena, quod maius eſt plus aquæ continet; ita qui ſanctiores erant meliuſque diſpoſiti inter diſcipulos, maiorem Spiritus S. plenitudinem, & copioſiorem gratiam acceperunt, & quod conſequens eſt, Sacratiſsima virgo Domina noſtra plus accepit gratiæ, lætitiæque Spiritualis quàm reliqui omnes ſimul; Apoſtoli verò plus quàm reliqui diſcipuli, omnes tamen Deum glorificabant, ob ſingulare illud beneficium in omnes collatum. Sed, & ego gaudio exultabo, congratulabor Beatiſsimæ Virgini de tot acceptis donis, & ingenti gaudio, quo fuit affecta cum vidit omnes diſcipulos Spiritu ſancto repletos; ac porrò perfectiſsimè impletam pretioſam Filij ſui promiſsionem.

III. Præparatio ad recipiẽdum Spiritum ſanctũ qualis eſſe debeat.

HINC etiam ingens concipiam deſiderium, præparandi me quo maximo potero feruore, ad accipiendum Spiritum ſanctum, quem ſcio copioſiorem dari ijs, qui melius ſunt præparati. PRAEPARATIO autem hæc, quatuor his potiſsimùm virtutibus ſit. *Prima* eſt PVRITAS CONSCIENTIAE; purgato ſcilicet vaſe, in quo Spiritus S. dona ſua ſit effuſurus. *Secunda* eſt HVMILITAS CORDIS, euacuando ſcilicet illud à ſe ipſo, & ab omni Spiritu qui ſit contrarius ipſi Diuino. *Tertia* eſt FIDVCIA in Deũ, dilatando ſcilicet animę capacitatem & ſinus, non ad menſurã meorũ me- 1. 2. 3.

DEINDE perpendam, Apoſtolos ſtatim atque hoc linguarum donũ acceperunt, vti eo cæpiſſe, non temerè & ſine cauſa, ſed à Spiritu Sancto inſtigati, eo modo & feruore loquentes, quo ille ipſis inſpirabat; quam rationem per totam vitam conſeruarunt, ſicut dixit Apoſtolus; d *non* (inquit) *ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo, coram Deo in Chriſto loquimur*; quaſi diceret, quatuor circumſtantias noſtris verbis & ſermonibus adhibemus. *Prima eſt*, ne ſint ob malum aut inanem finem, ſed intentione pura, gloriæ Dei, & boni, tam noſtri quàm proximorum. *Secunda*, ne procedant ab impetu perturbati Spiritus, ſed à bono Spiritu, ſancto & pacato. *Tertia* quod ſint dicta in præſentia Dei, attendentes, quod ille nos audiat, & ſit teſtis eorum, quæ loquimur. *Quarta* ne ſermones noſtri ſint de rebus malis aut vanis, aut ad rem non pertinentibus, ſed ſint omnes de Chriſto, aut rebus ad ipſum directis, & ad eius excellentias, vt mox dicemus.

II. Vſus iſtius doni.

d 2. Corint. 2.17

Regula bene loquendi: 1. 2. 3. 4.

DENIQVE perpendam quòd cum Spiritus S. eſt in anima; ſtatim efficit, vt interius loquatur varijs linguis, varijs videlicet deuotionis effectibus, iuxta illud, quod dicit Apoſtolus; e *implemini Spiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis, & hymnis, & canticis Spiritualibus, cantantes & Pſallentes in cordibus veſtris Domino; gratias agentes ſemper, pro omnibus; in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Deo & Patri*. HAE ſunt variæ linguæ igneæ, quib. (vt 2. Par. *Introductionis* huius operis dictum eſt) intra nos ipſos loquimur cum Deo Domino noſtro, cantantes Pſalmos & hymnos, cum affectibus laudis & gratiarum actionis, ob ea beneficia, quæ nobis confert; amoris item, & gaudij, quod ipſe ſit talis: & offerentes nos ipſos, ad omnia obſequia præſtanda; & prouocantes virtutes omnes, vt ſuos actus exercentes, concinnam muſicam faciant ad gloriam ipſius. O ſi audiuiſſem Beatiſſimam virginem varijs hiſce linguis in hoc die loquentem, ex Diuini Spiritus inſpiratione, quam inflammatos affectus laudum & gratiarum actionis eructauerit, & amoris igne fuerit liquefacta colloquens cum ſuo dilecto! O, qualis muſica, tot diuerſarum linguarum, ſed valde conſonantium, audiebatur ab illis Sacris Cantoribus, in illo cænaculo, dirigente illos tanquam capellæ Magiſtro ſeu archiſymphonaſco ipſo Spiritu ſancto! O Spiritus ſanctiſſime, veni in mutam animam meam, ac doce varijs accenſorum affectuum linguis loqui; & quandoquidem à me petis, vt ſonet vox mea in auribus tuis; clarifica & dulcora illam; vt eius muſica, iucunda tibi ſit & grata in æternum, Amen.

III. Variæ linguæ ſpiritualiter

e Epheſ. 5. 18. Coloſ. 3. 16

Oratio

MEDITATIO XXIV.

DE ADMIRANDIS OPERIBVS, QVAE Spiritus Sanctus in die Pentecoſtes per Apoſtolos fecit.

PVNCTVM I.

a Actuum. 2.5.

ERāt a in illa die in Ieruſalem habitantes Iudæi, viri religioſi, ex omni natione quæ ſub cœlo eſt. Factus autem hac voce Spiritus vehementis, conuenit multitudo, & mente confuſa eſt, quoniam audiebat vnusquiſque linguâ ſuâ in qua nati erant, Apoſtolos loquentes magnalia Dei. Stupebant autem omnes, & mirabantur ad inuicem dicentes: Quidnam vult hoc eſſe.

I. Proprium S. Spiritus

CONSIDERANDVM PRIMO, quod ſi proprium Spiritus ſancti, *ſono* Diuinæ *inſpirationis* ſuæ, animos hominum permouere, & perducere ad locum, vbi audiant prædicatores Euangelij; vt per eorum prædicationē, Chriſtum agnoſcentes, ad Deum conuertantur; quam ob cauſam, infinitas ei gratias agens, ſupplex orabo, ne ab hoc beneficio peccatoribus cōferendo, deſiſtat; ex parte verò mea, hanc multitudinem imitabor, quæ audiens Spiritum illum vehementem, non hæſit Domi, quaſi contemnēs aut parui illum faciens; ſed ſtatim eò venit, vt videret quidnam eſſet, & quid prodigioſus ille ſonus ſignificaret: ita ego, audiens intra me Diuinæ inſpirationis vocem, nec otioſus manere debeo, nec permittere eam præterire; ſed ſtatim ad exequendum quod inſpirat Deus, me accingere.

II. Dona Dei non in vanum accipienda.

DEINDE perpendam; *Apoſtolos*, qui collecti & in ſilentio, aduentum hunc Spiritus ſancti exſpectauerant, ſtatim atque illum acceperunt, exiuiſſe ex loco illo recollectionis in publicum, & incepiſſe prædicare magnalia Dei, coram omnibus totius mūdi nationibus quia vis interior Spiritus ſancti, ad id eos impellebat; qui non vult ſua talenta defodi in terram, & ſua dona eſſe vel ad momētum otioſa, ſed ſtatim ad lucem prodire, & cum illis in ſalutem animarum incumbere. HIS ergo confirmabor in eo, quod ſupra eſt dictum: quod, vt eſt ſuperbiæ vitium; prodire ad prædicandum, & agendum cum animabus, priuſquàm virtus ex alto accipiatur; ita eſt vitium puſillanimitatis, poſtquam ea virtus accepta eſt, adhuc hærere, & non audere in publicum prodire: vtrumque autem extremum, teſte Sancto Gregorio, eſt periculoſum.

Medit. 17. pun. 2: a 3. p Paſtor. admon. 26.

III. b Pſal. 11. 4 S. Bern Ser. de Spirit & litt. de con-

TERTIÒ perpendam, quanta efficacitate & Spiritu, *Apoſtoli loquerentur* b *magnalia Dei*: nam, quilibet Spiritus mouet ad loquendum, ſicut ipſe eſt: Spiritus mundi, linguâ, quam Dauid magniloquam appellat, loquitur magnalia mūdi; Spiritus carnis, *carnis* magnalia extollit: Spiritus proprius

proprias

propriaſ excellentias; at Spiritus diuinus, huiuſmodi granditates deteſtans, nec ore quidem illas vult accipere, niſi vt contemnat, & damnet: nam vilia illa iudicat, ſolumque inſpirat, & mouet ad loquendum magnalia Dei, eius virtutes, beneficia, miſericordias, & opera ac myſteria eius; altè de Deo & eius rebus ſentiens, vt loquatur de ijs quando opus eſt non frigidè & animo deiecto, ſed igneis linguis, & adeò admirando feruore; vt audientes, ad ſtuporem & admirationem prouocet; agnoſcentes in eo, qui loquitur, mouentis eum, Spiritus Diuinitatem. O Spiritus Diuine, illuſtra animam meam, vt magnalia Dei cognoſcat; & moue linguã meam, vt eo feruore, de illis loquar, quo tu glorificeris, proximi ædificẽtur, egoque amore tuo magis accendar, Amen. *ſci. ad mo. nach. Ciſterci.*

PVNCTVM II.

a Alij *autem irridentes dicebant, quia muſto pleni ſunt iſti. Stans autem Petrus cum vndecim, leuauit vocem ſuam, & locutus eſt eis: viri Iudæi; non ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt, ſed pleni Spiritu ſancto.* a *Act.* num 2.13.

I. *De iudicijs temerarijs.*

CONSIDERANDVM hic *Primò*, quod nunquam deſint *mali* homines, qui bonos irridentes, Dei opera derideant, temerè de eis iudicantes, & in peiorem partem ea interpretantes, ſicut b *Sacerdos Heli, qui obſeruans os Annæ loquentis in corde ſuo coram Domino in templo, æſtimauit eam temulentam eſſe* ebrietati tribuens, quod à feruore Spiritus procedebat: & cognati Chriſti Domini noſtri, cum is inciperet prædicare, iudicabant ex feruore ipſius, c *illum in furorem eſſe verſum.* Et nunc infelices hi, quos Spiritus ſanctus repleuerat, eos muſto plenos iudicabant. Hoc permittit interdum Deus, vt ſuos iuſtos in humiliate & patientia exerceat, & vt videant ipſi, quàm à recto aberrent iudicia hominum; ideoque nihili illa faciant: nec ipſi temerè iudicent, quod non intelligunt, præcipuè cum à viris ſanctis aliquid fieri vident; ſed venerentur potius illud ſilentio & ſtupore; aut certe exquirant, ſicut aliqui ex illa multitudine fecerunt, dicentes, quid nam vult hoc eſſe? b 1. *Reg.* 1.1. c *Marc.* 3.21

II. *Irriſio præbet occaſionem prædicationis*

DEINDE perpendã, quod Apoſtoli à Spiritu ſancto moti, ex ea irriſione occaſionem acceperint, Chriſti Domini noſtri fidem prædicandi; reſpondentes aliorum interrogationi, vt aliorum errorem retegerent: & ita S. Petrus, tanquam caput Apoſtolorum, Primus locutus, dixit; illos qui ſecum erant, ebrios nõ eſſe, cum eſſet hora diei tertia, hoc eſt, valde mane, nec tale quid, & in tali die de bonis hominibus eſſe præſumendum; ſed plenos eſſe d *Spiritu illo*, quem Deus per Prophetam Ioel promiſerat: quaſi diceret, hi quidem vino pleni ſunt ſed non illo materiali, ſicut vos exiſtimatis, ſed alio fortiori, qui eſt Spiritus Dei, & accenſus eius amor; quia introduxit eos in cellã vinariã; vbi à magnitudine, & ſuauitate amo- d *Ioel.* 2.28

ris eius ſunt inebriati. O animarum amator, e *introduc me, in cellam illam,*
e Cant. 2. 4. eamq; ex ſatia varietate & abundantia pretioſorũ *vinorum*, quæ in illa ha-
bes, *ordinans in me charitatem* & omnes actus & affectus ab ea prouenien-
tes. Tu de hoc vino bibiſti, tueſq; ad idem faciendũ inuitas, dicẽs, f *bibite*
f Cant. 5. 1. *amici & inebriamini chariſſimi*, & quamuis amici nomen ego non merear,
ſed tamen, vt amicus fiam, oro vt me inuites, & propines in tanta copia,
vt amore tuo inebriatus, exeam à me ipſo, & reliquorum omnium ob-
litus, nihil extra te velim.

PVNCTVM III.

CONSIDERANDVM tertio, quàm præclarum ſermonem S. Petrus Apoſtolus habuerit, teſtimonium reddens crucifixi Domini noſtri: in quo ſermone patefecit magnas virtutes, quas Spiritus S. ei communicauerat, & quas Sancti Euangelij miniſtri habere debent.

Quarum PRIMA fuit, magna SAPIENTIA, ac dexteritas in proponẽ-
I. Virtutes S. Petri. Sapientia dis veritatibus, & myſterijs Chriſti Domini noſtri, comprobans ea effi-
caciſsimis ſcripturæ Diuinæ, Prophetarum, & Pſalmorum teſtimonijs.
SECVNDA fuit, magna LIBERTAS SPIRITVS, cum magna cordis forti-
II. Libertas tudine: nam Petrus, cui antea ancillulæ vox tantum incuſsit timorem, vt
ſuum Magiſtrum negaret; nunc virtute & fortitudine, quam à Spiritu
Sancto accepit, eundem ſuum Magiſtrum confeſſus eſt, & prædicauit co-
ram innumeris hominibus; Chriſtum, quem ipſi crucifixiſſent, reſurrex-
iſſe; eſſe ſuum Deum, ſuum Meſsiam, & Saluatorem. Et eadem libertate,
idem ipſum teſtificatus eſt corã Anna, & Caipha, omnibuſque principi-
bus Sacerdotum; omnibus eius conſtantiam ſtupentibus, & iubentibus, a
a Actuum 4. 19. *ne omnino loqueretur, neque doceret in nomine Ieſu*: quibus ipſe liberè reſpon-
dit, *ſi iuſtum eſt in conſpectu Dei, vos potius audire quam Deum iudicate. Non e-
nim poſſumus quæ vidimus & audiuimus non loqui?* Et iterum prohibentibus,
& minantibus illis, reſpondit: b *obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.*
b Actuum. 5. 29. *Deus Patrum noſtrorum, ſuſcitauit Ieſum, quem vos interemiſtis ſuſpendentes in
ligno, & nos ſumus teſtes horum verborum.* Idem verò & reliqui Apoſtoli fe-
cerunt; offerentes ſe, ob hanc cauſam multis laboribus, quos gaudentes
c Actuum. 4. 31. pro nomine Ieſu obibant; & de omnibus dicitur, quod c *loquerentur verbũ
Dei, cum fiducia* & audacter.

III. Zelus TERTIA VIRTVS fuit, magnus ZELVS, & feruor in verbis, quibus
audientium corda ita pungebat ac penetrabat, vt qui paulò ante Apoſto-
d Actuum. 2. 37. los muſto plenos, & ebrios eſſe exiſtimabant; mox d *compuncti corde*, ſe ſe
dederent, *dicentes ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: quid faciemus viri fratres
vt ſalui ſimus?* & qui ex ſecranda duritie paulò ante petiuerant, vt Chri-

Digitized by Google

ſtus crucifigeretur;compuncto nunc corde & tenero,petunt baptizari. O Prodigioſa virtutis Dei mutatio! O vis immenſa ſpiritus Diuini! quis præter Deum,tantam ſapientiam & fortitudinem,cum tanto feruore,rudibus adeo & timidis prædicatoribus dare potuiſſet? & quis alius,præter eundem ſpiritum, mutare potuiſſet & emollire duriſsima talium auditorum corda! Veni, O Spiritus ſanctiſsime,ſuper Eccleſiæ tuæ prædicatores,& ſuper eos,qui illos audiunt; & effice in vtriſque admirandam hãc mutationem,vt omnes Redemptori noſtro obediant ac eundem diligant, & tua Diuina voluntas,omnibus ſit nota,& in veneratione habeatur.

VLTIMÒ perpendam, quòd e *qui receperunt ſermonem eius, Baptizati ſunt,& appoſita ſunt in die illa animæ circiter tria millia*; qui numerus habet aliquod myſterium:nam ita ſanctiſsima Trinitas, eum numerum elegit, vt ſingulæ perſonæ,vnum mille animarum illarum, ſibi quodam modo vt proprium vendicaret, tanquam primitias innumerabilium animarũ, quæ ſanctam illius legem eſſent recepturæ. ſicut alio eiuſdem Apoſtoli ſermone; conuerſa ſunt f *quinque millia virorum*, in præmium quinque vulnerum,quæ Chriſtus in cruce accepit:O quanto gaudio Chriſtus Dominus noſter fuit affectus, cùm vidit patrem ſuum, tot animas ad ſuum obſequium traxiſſe? promiſsionem adimplendo, quam hac de re fecerat, cum dixit: g *ſi poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.* O qualia feſta celebrarunt Angeli in cœlo,ob tot peccatorum conuerſionẽ, qui vel h *ſuper vno peccatore pœnitentiam agente,* vehementer exultant! O quanto gaudio Virgo ſacratiſsima exultauit,videns tot homines Diuinitatem Filij ſui agnoſcentes, in quorum tamen conuerſione bonam ipſam partem habuit. nam; dum Apoſtoli prædicabant,ipſa feruentiſsimè orans,agebat cũ Deo de fælici prædicationis eorũ euentu. Quã etiã læti Apoſtoli ipſi fuerũt, videntes copioſam adeo ex vno retis iactu piſcationem;totũ illũ diẽ conſumentes,in inſtruendo conuerſos,& myſteria fidei ipſos docendo, & ad peccatorũ pœnitentiam permouendo, ac denique Baptizando,ipſo Dño (ſicut ſanctus Petrus eis obtulit) dante eis Spiritũ ſanctum,quo remanerent ſanctitate & ſpirituali lætitiâ pleni. Ex quibus omnibus, & ego concipiã magnos gaudij & laudis affectus,animo exultans;quod videam Chriſtum Dominum meum,à tot animabus agnoſci, & venerationi eſſe, illi quoque congratulans, de adeò copioſa meſſe. O Dulciſsime Ieſu,quàm fæliciter incipis implere,quod dixiſti: i *ſi eleuatus fuero à terra omnia traham ad me ipſum*: k *iam Domine aſcendiſti in altum, & dediſti dona hominibus*,ſed & pro ijs,quæ dediſti, l *accepiſti etiam dona in hominibus*;quia & ipſi homines,ſeipſos per tuam gratiam tibi dedunt,tuque illos admittis in tuum obſequium:da & mihi,Domine,dona tua; & eadẽ, quæ mihi dediſti,à me accipe,vt totus ſim tuus in ſæcula. Amen.

IV.
e *Actuum* 2.41.
Cur tria millia conuerſi.
f *Actuum* 44.
g *Iſaiæ* 53 10.
h *Lucæ*.15.7
Oratio
i *Ioa*. 12.32.
k *Eph*. 4.8.
l *Pſal*.67.19

MEDITATIO XXV.

DE ALTISSIMA VITA, QVAM SPIRITVS ſanctus primis Chriſtianis inſpirauit.

PVNCTVM I.

A Actuum 2.42.

a QVI *baptizati fuerant, erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.*

Tria virtutum exercitia.

CONSIDERANDVM hîc eſt, quod ſit Spiritus ſācti proprium; iuſtis, quorum animas ſe ipſo repleuit, tria præſtantiſsima virtutum exercitia inſpirare, quibus acceptam ſanctitatem conſeruent & augeant.

I. Auditio verbi Dei

PRIMVM exercitium eſt, *perſeuerare in doctrina Apoſtolorum*, audiendo videlicet conciones, & legendo libros ſacros; vt in fide magis confirmentur, amplius penetrantes doctrinam ipſam Euangelicam, & magis ad eam afficiciantur; fugiant verò quamcumque contrariam Apoſtolorum doctrinæ; aut nos tepidiores, & remiſsiores facientem in ipſa fide, & æſtimatione, quam de illa habere oportet.

II. Communio.

SECVNDVM exercitium eſt; *perſeuerare in communicatione fractionis panis*, in communione ſcilicet ſanctiſsimi Sacramenti corporis Chriſti Domini noſtri, qui panis eſt cæleſtis; & diſtribuitur hominibus in *terra* degentibus, vt conſeruetur, & augeatur in eis vita ſpiritualis gratiæ.

III. Oratio

b 1.Tim 2,1

c Eph.5.19.

TERTIVM exercitium eſt *perſeuerare in orationibus* non dicit autem in oratione, ſed in orationibus; vt ſignificet, omne genus orationis: quas exprimit ſanctus Paulus, cum dicit: vt b *fiant obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones; & loquantur* Chriſtiani *ſibimetipſis in Pſalmis, & hymnis, & canticis Spiritualibus, orando*, omnibus his modis c *in omni loco, leuantes manus puras ad Deum, ſine ira & diſceptatione.*

Hæc tria frequētata à fidelibus & cur.

HAIC tria frequentabant fideles omnibus diebus, inſpirante id illis Spiritu ſancto: quia omnia tria ſunt ſpirituale nutrimentum animarum, & medium efficaciſsimum ad hoc, vt vitam gratiæ conſeruent, & augeant dona Dei, vſque ad obtinendam Spiritus ſancti plenitudinem. Et ita in Actibus Apoſtolorum legitur: ſemper datum fuiſſe Spiritum ſanctum; cum Apoſtoli prædicarent, & cum manus ſuas ſuper credentes ponerent, & cum orarent. Credentes itaque accipiebant Spiritum ſanctum, aliquo ex tribus modis, vel, cum prædicationem audirent, de qua S. Lucas ait: d *Adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus Sanctus ſuper omnes, qui audiebant verbū*; vel cum reciperent Sacramenta, de *quo* dicitur: e *tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*, vel cum Deum orarent; quæ tamē

d Actuum. 10.44.

e Actuum 8.17.

oratio, erat feruentiſsima, de qua dicitur: f *cum oraſſent, motus eſt locus, in quo erant congregati, & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto*, locus dicitur tremuiſſe, vbi illi congregati orauerant: vt ſignificetur ſtupor, & tremor, quẽ ſua doctrina mundo eſſent allaturi; & mutatio cordium; quam exemplo ſuo & prædicatione, in virtute Spiritus ſancti eſſent effecturi. O Spiritus ſanctiſsime, anima mea eſurit, nec panẽ habeo, quo illã ſuſtentem; da mihi tres iſtos panes *doctrinæ communionis, & orationis*; vt tantæ neceſsitati ſubueniam: & quamuis eos non promerear nomine amici; da ſaltem nomine importuni, in præmium laborum dulciſsimi noſtri amici Chriſti Ieſu, cui ſit gloria & honor in ſecula. f Actuum. 4 31.

PVNCTVM II.

a OMNES *etiam, qui credebant, erãt pariter & habebant omnia communia: Poſſeßiones & ſubſtantias vendebant, & diuidebant ea omnibus, prout cuique opus erat.* a Actuum. 2 44.

CONSIDERANDVM hic eſt, etiam eſſe proprium Spiritus ſancti, inſpirare ſuis electis perfectionem Euangelicam, quam Chriſtus prædicauerat quam primis illis Chriſtianis imprimendo expreſsit; vt exemplo eſſent religioſis, qui illos erant ſecuturi. Inſpiratio S. Spiritus

PRIMVM, inſpirauit illis vitam communitatis, cum ſumma vnione & charitate: id enim indicat verbum illud; *erant pariter*: idque multo magis ſpiritu quã corpore: nã propterea dicitur poſtea, quod b *multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.* Nam etſi plurimi eſſent, & diuerſarũ nationum, corporis conſtitutionum, facultatum, & talentorum; omnes tamen vno amore, vna voluntate, & vno ſenſu coniuncti erant, quia omnes habebant Spiritum ſanctum, qui illos & ſecum, & inter ipſos coniungebat; ſicut anima, omnia corporis membra, etiamſi diuerſa, coniungit: ita enim facturum ſe promiſerat Deus per Ieremiam dicens: & c *dabo eis cor vnum & viam vnam*: & Chriſtus, à Patre ſuo in nocte cœnę petiuerat, pro ſuis diſcipulis: d *vt ſint*, inquit, *vnum ſicut & nos*; vt ex hac vnione, mũdus ipſum agnoſceret: quã petitionem Patrem exaudiens, hanc diſcipulis dedit vnionem. O Pater æterne, e *qui inhabitare facis vnius moris in domo*; da hanc vnionẽ & animorum coniũctionem in omnibus Chriſtianis, qui in domo tuæ Eccleſiæ habitant, & ijs omnibus, qui religioſas domos inhabitant; vt Filius tuus glorificetur in mundo, propter hanc coniunctionem, quam inter ſe habent, tuam domum inhabitantes. O Spiritus ſanctiſsime, cuius munus eſt, teſtimonium perhibere de Chriſto Saluatore noſtro, imprime omnibus eius diſcipulis, ſublimem hanc vnionem; vt amantes ſe inuicem, ex hoc amoris teſtimonio, credatur eorum Magiſter & adoretur.

I. b Actuum. 4 32. c Ier. 32. 39 d Ioan. 17. 11 e Pſal. 67. 7

Miracula f Iſaiæ. 11.6 & 65.25. PERPENDAM etiam hoc tempore, cœpiſſe manifeſtari *miracula*, quæ prædixit Iſaias cum ait: f *Habitabit lupus cum agno: & pardus cum hædo accubabit: vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus, & vrſus paſcentur, ſimul requieſcent catuli eorum, & leo quaſi bos comedet paleas.* Nam Spiritus ſanctus, cum grege ouium & Agnorum Chriſti, qui erant eius diſcipuli, coniunxit coniunctione perfectæ charitatis eos, qui in die Paſsionis eius, illum tanquam lupi; tygrides, & leones fuerant perſecuti; & qui ſolebant eſſe cupidi, tanquam lupi; cholerici, ſicut tygrides; ſuperbi, ſicut leones; callidi, ſicut vrſi, conficiunt nunc vnum, & eundem gregem, omninò concordem, & charitate coniunctum, cum ijs qui ſunt mites, humiles, & ſimplices, ſicut oues, & agni: omnes enim accommodāt ſe eodem modo ad eandem eſcam parum conditam, & leo deponit ſuos mores, & accipit eos, qui ſunt bouis: nam qui ſunt nobiliores, demittunt ſe ad craſſas pauperum laboratorum eſcas, & omnes magna obedientia, ſubijciunt ſe gubernationi & imperio humilis piſcatoris, quem Chriſtus ſui gregis paſtorem conſtituit. O g *mutatio dexteræ excelſi!* O prodigia omnipotentiæ Saluatoris! h *venite & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram, auferens bella & diſcordias, vſque ad finem terræ*, commutans leones & tygrides, in oues & manſuetos agnos. Gratias tibi, Saluator omnipotens, ob haſce mutationes, quas Diuini tui ſpiritus efficacia perficis: Proſequere Domine hoc opus, quod cœpiſti, dans Chriſtianis omnibus, ac Religioſis præcipuè, hanc vnionem, hanc æqualitatem, & obedientiam, ac ſubiectionem ſuis prælatis, vt his gratiæ tuæ miraculis infideles permoti fidem tuam recipiant; & fideles in eâdem confirmentur, & ſemper in amore tuo creſcant.

g Pſal. 76.11 h Pſal. 45.9

Caſsian. collat. 12. c. 12.

II. Euangelica paupertas in primitiua Eccleſia

SECVNDO inſpirauit Spiritus ſanctus illis Chriſtianis, vt, ad conſeruandam hanc vnionem, haberent RES OMNES COMMVNES, exactiſsimè ſeruantes Euangelicam paupertatem. Nam PRIMVM *omnes ſuas poſſeſsiones & ſubſtantias vendebant*, vt pretiū *diuideretur inter omnes, prout cuiq; opus erat:* Et ita conſiliū illud Chriſti Dn̄i exequebātur; i *ſi vis perfectus eſſe vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo.* SECVNDO in ea diuiſione bonorum, non propriam voluntatem & iudicium, ſed Apoſtolorum ſequebantur, k *ponentes ante pedes eorum pretia bonorum, quæ vendebant*; vt illi pro ſuo arbitratu ea diuiderent, hac ratione etiam exuentes omnem affectum carnis & ſanguinis, & voluntatis propriæ; ſequētes verò voluntatem miniſtrorum Chriſti Domini noſtri. TERTIO omnino ita omnem proprietatem rerum omnium etiam in vſu reijciebāt vt l *nullus eorum, quæ poſsidebat, aliquid ſuum eſſe diceret*, reijciendo ex ſuis ſermonibus frigidum illud verbum MEVM & TVVM quod eſt

i Mat. 19.21

k Actuum. 4.35.

l Actuum 4 32.34

occaſio

occaſio diſcordiarum; & vt charitas refrigeſcat. Quare corde, verbo, & opere renunciabant omnibus, quæ poſſederant, vt eſſent perfecti, diſcipuli Chriſti.

Hinc fiebat, vt cùm eſſent omnes pauperes, nullus tamen aliqua neceſſitate premeretur: nam, vt ait ſanctus Lucas: *nec quiſquam egens erat inter ipſos*. Nam quod quiſque habebat, erat omnium, & quod omnes habebant, erat cuiuſque illorum, ita vt res omnes eſſent communes, in vſum omniū: Erat communis domus, communes veſtes, communis cibus, exercitia virtutum, labores, præmia, coronæ, nam cùm eſſent multi, omnes erãt vnus, & vnus ille non erat ſolus, ſed multi in illo erant, omnes illum adiuuantes. O Fortunata & beata vita à Chriſto tradita, ab Spiritu ſancto inſpirata, ab Apoſtolis approbata, & à diſcipulis, qui fuerunt primitiæ Diuini ſpiritus exercitia. O Diuinitas ſanctiſsima, quæ vna exiſtens in eſſentia, tribus perſonis es communis; concede iis omnibus, quos ad ſtatum perfectionis vocaſti, vt omnes ſint vnus, & quiſque cum rebus ſuis communis ſit omnibus vt m *nihil habentes, omnia poſsideant, &* n *omnia relinquentes centuplum accipiant*, quam reliquerint, poſsidentes te fontem omnium bonorum in ſæcula.

Paupertas nullius egens.

S. Baſil. de conſtit. monaſt. c. 19.

m 2. *Corint.* 6. 10.

n *Matt.* 19. 29.

Ex his, quæ ſunt dicta, concipiam, ſi ſum Religioſus, magnum deſiderium primos hos Chriſtianos imitandi, quos Spiritus ſanctus tanquam exemplar quoddã propoſuit Religioſorũ: quorũ plurimi, eius inſpiratione, talis paupertatis votũ ediderũt, quo ſtabilior ea, Deoq; gratior eſſet. Quamobrem o *Ananias, cum vendidiſſet agrũ, & fraudaſſet de pretio agri* grauiſsimè à S. Petro *morte ſubitanea* punitus fuit, dicẽte: *non es mentitus hominibus, ſed Deo*, & Spiritui S. cuius inſpiratione, voto ſe paupertatis obſtrinxerat: Sed ſi liber ſim, concipiam deſideria eoſdem diſcipulos imitãdi in iis, quæ rationi vitæ meæ ſunt conformia, corde ſaltem exuendo res omnes, ſiquidem ſententia illa Saluatoris; p *qui non renunciauerit omnibus quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*, ad omnes pertinet.

III. Primi Chriſtiani imitandi

o *Actuum* 5. 2.

Auguſt. Ser 27. *de verb. Apoſtoli & plures Sancti, quos refert Bellarmini Tom.* 1 *lib* 12. *de Monach. c.* 20.

p *Luc.* 14. 33.

PVNCTVM III.

a Qvotidie quoque perdurantes erant vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum, cum exultatione, & ſimplicitate cordis, b *collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.*

a *Actuum* 2. 46.

b *Luc.* 24. 53.

Considerandvm & hic eſt, proprium eſſe ſpiritus ſancti, inſpirare electis alia varia media, ad vnionem, & perfectionem conſeruandam.

Primvm eſt Vnanimiter eodem ſcilicet animo, ad templum ſe conferre, in eoque Perseverare, ea exercitia ibi facientes, ad quæ templũ Dei eſt deſtinatũ, audire videlicet verbũ Dei, orare, Diuinis

I. Media ad perfectionẽ adipiſcendam.

ſacrificijs intereſſe, & Sacramenta recipere. eſt enim templũ ſchola Chriſti, domus orationis, propitiatorium peccatorum noſtrorum, & locus Diuino cultui dedicatus. Et in illis exercitijs, magnam diei partem conſumebant, ſingulari animi voluptate, quia Spiritus ſanctus illis aſsiſtebat.

II. Mutua cõuiuia. c Pſal. c. 7. 4

QVIBVS EXERCITIIS erga Deum præſtitis, inſpiratione etiam eiuſdem Spiritus ſancti, alij ad aliorum domos conueniebant, amanter, & in charitate ſe inuitantes, & cibum corporis ſumentes cum lætitia, non ſenſuali ſed ſpirituali; vbi re ipſa implebatur illud Dauidis: c *iuſti epulentur & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitiâ*, cui lætitiæ ſimplicitatem cordis adiungebant, non ſimulationes, fictiones, aut murmurationes aliorum contra alios; ſed ſimplici intentione placendi Deo, & fraternam charitatem conſeruandi, præbentes nobis exemplum, qua ratione deceat nos cibum ſumere, opus videlicet hoc, quod alias eſt proprium carnis, ea ratione ſpirituale reddendo.

III. Laudes Dei. Oratio d Cant. 4. 9 S. Gre. ibid.

HINC prouenicbat, vt ſemper laudarent, & glorificarẽt Deum magna totius populi ædificatione, qui diligebat illos & venerabatur, ob ſanctitatem & charitatem, quæ in eis reſplendebat. O Ieſu amantiſsime, dulciſsime iuſtarum animarum Sponſe, quàm opportunè nunc dicere potes, aſpiciens vitam paruæ huius Eccleſiæ ſponſæ tuæ, d *vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum; in vno oculorum tuorum*, vnione videlicet & concordia horum iuſtorum, qui ſunt inſtar oculorum tuorum; nã vt oculi ſibi inuicem ſunt ſimiles, & vnà aperiuntur & clauduntur, & vnà ad hanc & illam partem mouentur, vnà vigilant, & vnà dormiunt; ita hi iuſti magna concordia ſimul ſe conferunt in templum, ſimul orant, ſimul verbum tuum audiunt, & opera charitatis exercent, quia omnium eſt cor vnum, & vnus Spiritus, tecum & inter ſe inuicem perfecto amore coniuncti. O Spiritus ſanctiſsime, qui es cor Eccleſiæ inuiſibile, dimitte per omnia eius membra Spiritus vitæ, tuas videlicet inſpirationes Diuinas, quibus magna animorum coniunctione & fortitudine, ad omnia conueniant, quæ tuum obſequium concernunt; ita vt amoris vulneribus, vulnerent cor tuum, dignos ſe reddentes, quos tu diligas, & in quibus amoris tui ignem augeas. Amen.

ANTEQVAM *proſequar hanc hiſtoriam, duas inſeram meditationes, ex quibus Iuſti, qui nunc in Eccleſia viuunt, deprehendant, quantum habeant ſumptum à Spiritu S. vt peruenire poſſint ad eam Sanctitatem, quam illi primi ſancti habuerunt.*

Digitized by Google

MEDITATIO XXVI.

DE ALTISSIMA PERFECTIONE QVAM Spiritus Sanctus ſuis inſpirationibus communicat, & de proprietatibus earum.

PVNCTVM I.

PRIMO conſiderandum, quod Spiritus ſanctus, quos aqua *Baptiſmatis* regenerat ad eſſe gratiæ, faciat ſibi ipſi ſimiles, ſuiſque inſpirationibus ad tantam eos deducat altitudinem ſanctitatis, vt poſsint ſicut ipſe appellari ſpiritus, quod ipſe Chriſtus Dominus noſter, expreſsè docuit, cum dixit Nicodemo: a *Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt: Spiritus vbi vult ſpirat; & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quo vadat: ſic eſt omnis, qui natus eſt ex Spiritu.* Quaſi dicat; ſicut qui per generationem carnalem ex carne natus, eſt in omnibus ſimilis ei, qui illum genuit, à quo, vt naturam accepit, ſic etiam proprietates & propenſiones naturales, quas habet ipſe genitor; verbi gratia: vnus homo generat hominem ſibi ſimilem in iis, quæ propria ſunt hominis; quamuis, qui genitus eſt, non ſtatim in ſuis actionibus, ad totam ſuam perfectionem perueniat, donec adoleuerit: ſic proportione quadam, qui naſcitur de Spiritu ſancto per generationem ſpiritualem, ſimilis eſt ipſi Spiritui, à quo accipit gratiam, virtutes, & dona, quæ ſunt quædam Diuinæ naturæ participatio, quorum virtute appellari poteſt Spiritus, homo ſcilicet ſpiritualis, Spiritui ſancto ſimilis, qui illum genuit ſpiritualiter. Quamobrem dixit ſanctus Auguſtinus, *ſi naſcaris de Spiritu hoc eris vt ille*; & virtute eius, poteris in carne viuere, atque ſi eſſes ſpiritus, liber, & expeditus à carnalibus motibus, veritatibus illuſtratus, virtutibus diues, & feruentibus affectibus accenſus; & imitaberis excellentiſsimum modum quem ipſe habet, ſua opera peragendi. O Spiritus ſanctiſſime, quas tibi gratias referam, pro tam alta hac dignitate, quã homini carnali concedis, vt poſsit ſicut tu, eſſe & vocari Spiritus. O Pater amantiſſime, qui filios tuos ita generas, vt etiam intra ipſos maneas, iuuans illos in ſuis actionibus, vt creſcant & proficiant, donec perfecti euadant; ſicut tu es; ſiquidem ergo, me per Baptiſmum genuiſti, ſuggere mihi, quæ facere me oportet; vt mea opera, tuis ſint ſimilia, & tibi adhærens, b *vnus tecum Spiritus efficiar* in ſæcula. Amen.

LICET poſtea ratiocinari per tres excellentes proprietates, quas Spiritus ſanctus habet in opere ſuæ inſpirationis quæ in verbis propo-

Spiritus ſancti effectus in renatis.

a Ioan. 3. 6.

Tract. 12. in Ioan.

Oratio.

b 1. Corint. 6. 17.

ſitis inſinuatur *libertas* videlicet ſumma *efficacia* omnipotens & magnũ, *ſecretum*, in ſuis mediis & finibus in quibus poſſumus illũ imitari eo modo, qui in proximis punctis proponetur.

PVNCTVM II.

Spiritus ſanctus vbi ſpiret.

PRIMA Proprietas Spiritus ſancti eſt, *vbi vult ſpirat*, quia hoc opus inſpirandi liberaliſsimè facit, non vi, nemo enim cogere illum poteſt; nec timore aliquo; quia nihil eſt, quod timeat; nec ob emolumentum proprium, quia nullum à creaturis præmium expectat; nec obligatione iuſtitiæ, quia nullus ſuis meritis eum poteſt ad id obligare; ſolum itaque inſpirat, quia ita vult, & quia infinita eius bonitas inclinat eũ, ad hoc bonum, ex mera gratia nobis tribuendum. Communicat itaque inſpirationes ſuas iis perſonis, quib. vult, & quando vult, & prout vult; frequenter aut rarò, magno aut paruo impulſu mouens res pro libitu ſuo, iuxta diſpoſitionem Diuinæ ſuæ prouidentiæ gratias diuidens a *prout vult*. Sed in hoc ipſo tamen oſtendit infinitam ſuam liberalitatem, dum omnibus repentè inſpirat & omnib. liberalitatis modis. Nam PRIMVM immittit huiuſmodi inſpirationes ei, qui nec petit illas, nec de petendis cogitat; DEINDE immeritis, & qui potius propter ſua peccata indigni ſũt illis. TERTIO etiam nolenti, & potius contradicenti & reſiſtenti, vt Saulo, frequẽtiùs nihilominus & efficacius inſpirationes ſuas immittit iuſtis quos elegit vt filios dilectionis ſuæ, de quibus ait Apoſtolus b: *qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt Filij Dei*, O fælices Filij, qui Spiritum Dei, tanquam pædagogum & perpetuum comitem ſecum habẽt! O Diuine Spiritus; ſi quidem vbi vis ſpiras, quia ſummè bonus es; oſtende mecum hanc tuam bonitatem, vt velis, quod potes; inſpirans mihi frequenter; quid mihi ſit cogitandum, quid dicendum, & faciendum, vt à te motus, in omnibus tibi ſim ſimilis,

I. a 1. *Cor.* 12. 11. 1. 2. 3. S. *Bern. Ser.* 32. *in cant. poſt mediũ.* b *Rom.* 8. 14

II. Iuſtus quomodo vtatur illa inſpiratione. b *Ioan.* 3. 9. *qui natus eſt ex Deo non peccat.*

Ex Hoc aſcendam ad perpendendum excellentiſsimum illum modũ quo IVSTVS, qui perfectè natus eſt ex Spiritu, eius inſpiratione facit quod vult; non res malas, nec prohibitas, nec vanas, aut ad rem non pertinentes: quia, Spiritus ſanctus non ad talia mouet, ſed ſemper ad ea, quæ ſunt bona, ſancta, & vtilia: & hęc facit ſumma libertate Spiritus, non coactus vt mancipium; non cum repugnantia aut tædio ſicut tepidi, non timore inferni, ſicut imperfecti; nec præcipuè ob præmium, ſicut mercenarij; ſed quia cupit placere Deo; & ita virtutem amat, vti quamuis nullus eſſet infernus, non peccaret tamen: quia nullum ſibi terribiliorem infernum euenire poſſe exiſtimat, atq; ipſum peccatum; & quamuis nullum eſſet præmium, non propterea prætermitteret facere quod iubet Deus; quia illi obedire, ſuum præmium exiſtimat, & intra ſe ipſum viuam quamdam legem

habet

Digitized by Google

habet,quæ ipſum impellit,vt velit quicquid Deus vult.Et in hoc conſiſtit perfecta Spiritus libertas,quæ conſona eſt ipſi Spiritui ſancto,iuxta illud Apoſtoli,c *Deus Spiritus eſt,& vbi Spiritus Dei,ibi libertas.* Ex quo fit, quod ſicut Spiritus S. bonis, & malis inmittit ſuas inſpirationes; quia in hoc vult oſtendere ſuam bonitatem;ita iuſtus,ab eodē Spiritu inſtigatus, quentibus ipſum; in hoc oſtendens, ſe Filium Dei eſſe, & Spiritum eius bene facit omnibus,amicis & inimicis,etiam contradicentibus, & perſe- habere. — c 2. *Corint.* 3.17

III. *Iuſtus facit quod vult & quomodo.*

Denique ſemper facit quod vult,quia voluntatem ſuam omninò poſuit in Dei voluntate:& eius diuini Spiritus:faciens itaque quod Deus vult,ſimul facit quod ipſe vult,quia ipſius velle,non aliud eſt quam Dei. Quamobrem dixit Sanctus Bonauentura, eos, qui Dei voluntati ſunt conformes,eſſe ſicut Deos,habentes omnipotentiam ſuæ voluntatis, ad id quod voluit.O anima mea,ſi ſupremam hanc omnipotentiam deſideras,velis ſolum,quod vult Deus;& ita illam obtinebis:reſoluas te ſemel ad negandum tuam propriam voluntatem,eamque reſignandam voluntati Diuinæ;& ita eius voluntatem ſemper faciens,facies & tuam.O Deus animæ meæ,ex nunc ſtatuo,velle ſemper quod tu vis,non coactus,ſed d *voluntariè tibi ſacrificans,* non ex timore,aut emolumenti alicuius intuitu, ſed ex mero amore;quia mihi arridet,quod tibi placet; & quod tibi arridet,mihi etiam placet.Hinc colligam ſigna ad diſcernendam inſpirationem Spiritus ſancti,quæ ſunt contraria ſuggeſtionibus Spiritus mali, à quo procedit repugnantia,tædium,& horror in adimplenda Diuina voluntate,& Sancta eius lege Quamuis timor inferni,& ſpes præmij,prouenire etiam poſsint à Spiritu ſancto;quia non ſemper inſpirat quod eſt perfectiſsimum; ſed incipit ab eo,quòd eſt minus perfectum.

In Dieta Salutis tit. 82.1.

Oratio

d *Pſal.* 53.8.

Pvnctvm III.

Secvnda Spiritus Sancti proprietas eſt,quòd cùm inſpirat, Vocem Eivs Avdis.in quo varijs modis eius omnipotentiam agnoſcimus.

I. *Libertas S. Spiritus.*

Primvm in eo,quod cum vult inſpirare,*nulla* poſsit illi in anima noſtra *clauſa* eſſe *ianua*, nec aliquid, quod eius in illam ingreſſum impediat nec ſit poſsibile eius vocem non audire, hoc eſt ipſius pulſum, & inſpirationem, & quid per eam velit, non ſentire quamuis poſsit homo non ſentire in id, ad quod illa impellit. Habetque in hoc quidam ſingulare, quòd poſsit immediatè & ex tempore, intellectum noſtrum & voluntatem adire,& repentè imprimere notitiā & bonum affectum,quem velit:quia eſt abſolutus Dominus Spiritus noſtri in quo & per quem loqui poteſt pro libitu de re quacunque ſiue corpora,ſiue Spirituali,cum figuris ſenſibilib.in ipſa imaginatione, aut ſine illis.Sed vlterius tamē progreditur eius omnipotentia & bonitas: quia &

S. Bern. ſer. 45. Canti. Hebr. 4. 12. *S. Thom.* 1. *p.q.*105.*a.*3. *&* 4. *&* q. 111.*a.*2.*&* 1. 2.*q.*173.*a.*2.

MEDITATIO XXIV.

DE ADMIRANDIS OPERIBVS, QVAE SPIritus Sanctus in die Pentecoſtes per Apoſtolos fecit.

PVNCTVM I.

a Actuum. 2. 5.

ERat a in illa die in Ieruſalem habitantes Iudæi, viri religioſi, ex omni natione quæ ſub cælo eſt. Factus autem hac voce Spiritus vehementis, conuenit multitudo, & mente confuſa eſt, quoniam audiebat vnuſquiſque linguâ ſuâ in qua nati erant, Apoſtolos loquentes magnalia Dei. Stupebant autem omnes, & mirabantur ad inuicem dicentes: Quidnam vult hoc eſſe.

I. Proprium S. Spiritus

CONSIDERANDVM PRIMO, quod ſi proprium Spiritus ſancti, *ſono* Diuinæ *inſpirationis* ſuæ, animos hominum permouere, & perducere ad locum, vbi audiant prædicatores Euangelij; vt per eorum prædicationẽ, Chriſtum agnoſcentes, ad Deum conuertantur; quam ob cauſam, infinitas ei gratias agens, ſupplex orabo, ne ab hoc beneficio peccatoribus cõferendo, deſiſtat; ex parte verò mea, hanc multitudinem imitabor, quæ audiens Spiritum illum vehementem, non hæſit Domi, quaſi contemnẽs aut parui illum faciens; ſed ſtatim eò venit, vt videret quidnam eſſet, & quid prodigioſus ille ſonus ſignificaret: ita ego, audiens intra me Diuinæ inſpirationis vocem, nec otioſus manere debeo, nec permittere eam præterire; ſed ſtatim ad exequendum quod inſpirat Deus, me accingere.

II. Dona Dei non in vanum accipienda.

DEINDE perpendam; *Apoſtolos*, qui collecti & in ſilentio, aduentum hunc Spiritus ſancti exſpectauerant, ſtatim atque illum acceperunt, exiuiſſe ex loco illo recollectionis in publicum, & incepiſſe prædicare magnalia Dei, coram omnibus totius mũdi nationibus quia vis interior Spiritus ſancti, ad id eos impellebat; qui non vult ſua talenta defodi in terram, & ſua dona eſſe vel ad momẽtum otioſa, ſed ſtatim ad lucem prodire, & cum illis in ſalutem animarum incumbere. HIS ergo confirmabor in eo, quod ſupra eſt dictum: quod, vt eſt ſuperbiæ vitium; prodire ad prædicandum, & agendum cum animabus, priuſquàm virtus ex alto accipiatur; ita eſt vitium puſillanimitatis, poſtquam ea virtus accepta eſt, adhuc hærere, & non audere in publicum prodire: vtrumque autem extremum, teſte Sancto Gregorio, eſt periculoſum.

Medit. 17. pun. 2.

3. p Paſtor. admon. 26.

III.

b *Pſal. 11. 4*

S. Bern Ser. de Spirit & litt. de con-

TERTIÒ perpendam, quanta efficacitate & Spiritu, *Apoſtoli loquerentur* b *magnalia Dei*: nam, quilibet Spiritus mouet ad loquendum, ſicut ipſe eſt: Spiritus mundi, linguâ, quam Dauid magniloquam appellat, loquitur magnalia mũdi; Spiritus carnis, *carnis* magnalia extollit: Spiritus proprius

proprias

Digitized by Google

proprias excellentias; at Spiritus diuinus, huiuſmodi granditates deteſtans, nec ore quidem illas vult accipere, niſi vt contemnat, & damnet: nam vilia illa iudicat, ſolumque inſpirat, & mouet ad loquendum magnalia Dei, eius virtutes, beneficia, miſericordias, & opera ac myſteria eius; altè de Deo & eius rebus ſentiens, vt loquatur de ijs quando opus eſt non frigidè & animo deiecto, ſed igneis linguis, & adeò admirando feruore; vt audientes, ad ſtuporem & admirationem prouocet; agnoſcentes in eo, qui loquitur, mouentis eum, Spiritus Diuinitatem. O Spiritus Diuine, illuſtra animam meam, vt magnalia Dei cognoſcat; & moue linguã meam, vt eo feruore, de illis loquar, quò tu glorificeris, proximi ædificētur, egoque amore tuo magis accendar, Amen. *ſci. ad monach. Ciſterci.*

PVNCTVM II.

a *Alij autem irridentes dicebant, quia muſto pleni ſunt iſti. Stans autem Petrus cum vndecim, leuauit vocem ſuam, & locutus eſt eis: viri Iudæi; non ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt, ſed pleni Spiritu ſancto.* a *Act. num 2.13.*

CONSIDERANDVM hic *Primò*, quod nunquam deſint *mali* homines, qui bonos irridentes, Dei opera derideant, temerè de eis iudicantes, & in peiorem partem ea interpretantes, ſicut b *Sacerdos Heli, qui obſeruans os Annæ loquentis in corde ſuo coram Domino in templo, æſtimauit eam temulentam eſſe* ebrietati tribuens, quod à feruore Spiritus procedebat: & cognati Chriſti Domini noſtri, cum is inciperet prædicare, iudicabant ex feruore ipſius, c *illum in furorem eſſe verſum*. Et nunc infelices hi, quos Spiritus ſanctus repleuerat, eos muſto plenos iudicabant. Hoc permittit interdum Deus, vt ſuos iuſtos in humiliate & patientia exerceat, & vt videant ipſi, quàm à recto aberrent iudicia hominum; ideoque nihili illa faciant: nec ipſi temerè iudicent, quod non intelligunt, præcipuè cum à viris ſanctis aliquid fieri vident; ſed venerentur potius illud ſilentio & ſtupore; aut certe exquirant, ſicut aliqui ex illa multitudine fecerunt, dicentes, quid nam vult hoc eſſe?

I. *De iudicijs temerarijs.* b *1. Reg. 1.1.* c *Marc. 3.21*

DEINDE perpendã, quod Apoſtoli à Spiritu ſancto moti, ex ea irriſione occaſionem acceperint, Chriſti Domini noſtri fidem prædicandi; reſpondentes aliorum interrogationi, vt aliorum errorem retegerent: & ita S. Petrus, tanquam caput Apoſtolorum, Primus locutus, dixit; illos qui ſecum erant, ebrios nõ eſſe, cum eſſet hora diei tertia, hoc eſt, valde mane, nec tale quid, & in tali die de bonis hominibus eſſe præſumendum; ſed plenos eſſe d *Spiritu illo*, quem Deus per Prophetam Ioel promiſerat: quaſi diceret, hi quidem vino pleni ſunt ſed non illo materiali, ſicut vos exiſtimatis, ſed alio fortiori, qui eſt Spiritus Dei, & accenſus eius amor; quia introduxit eos in cellã vinariã; vbi à magnitudine, & ſuauitate amoris e-

II. Irriſio præbet occaſionem prædicationis d *Ioel. 2.28*

ris eius ſunt inebriati. O animarum amator, e *introduc* me, *in cellam illam*, eamq; ex ſatia varietate & abundantia pretioſorũ *vinorum*, quæ in illa habes, *ordinans in me charitatem* & omnes actus & affectus ab ea prouenientes. Tu de hoc vino bibiſti, tuoſq; ad idem faciendũ inuitas, dicẽs, f *bibite amici & inebriamini chariſſimi*, & quamuis amici nomen ego non merear, ſed tamen, vt amicus fiam, oro vt me inuites, & propines in tanta copia, vt amore tuo inebriatus, exeam à me ipſo, & reliquorum omnium oblitus, nihil extra te velim.

e Cant. 2. 4.
f Cant. 5. 1.

PVNCTVM III.

CONSIDERANDVM tertio, quàm præclarum ſermonem S Petrus Apoſtolus habuerit, teſtimonium reddens crucifixi Domini noſtri: in quo ſermone patefecit magnas virtutes, quas Spiritus S. ei communicauerat, & quas Sancti Euangelij miniſtri habere debent.

I. Virtutes S. Petri. Sapientia

Quarum PRIMA fuit, magna SAPIENTIA, ac dexteritas in proponẽdis veritatibus, & myſterijs Chriſti Domini noſtri, comprobans ea efficaciſsimis ſcripturæ Diuinæ, Prophetarum, & Pſalmorum teſtimonijs.

II. Libertas

SECVNDA fuit, magna LIBERTAS SPIRITVS, cum magna cordis fortitudine: nam Petrus, cui antea ancillulæ vox tantum incuſſit timorem, vt ſuum Magiſtrum negaret; nunc virtute & fortitudine, quam à Spiritu Sancto accepit, eundem ſuum Magiſtrum confeſſus eſt, & prædicauit coram innumeris hominibus; Chriſtum, quem ipſi crucifixiſſent, reſurrexiſſe; eſſe ſuum Deum, ſuum Meſsiam, & Saluatorem. Et eadem libertate, idem ipſum teſtificatus eſt corã Anna, & Caipha, omnibuſque principibus Sacerdotum; omnibus eius conſtantiam ſtupentibus, & iubentibus, a *ne omnino loqueretur, neque doceret in nomine Ieſu*: quibus ipſe liberè reſpondit, *ſi iuſtum eſt in conſpectu Dei, vos potius audite quam Deum iudicate. Non enim poſſumus quæ vidimus & audiuimus non loqui*. Et iterum prohibentibus, & minantibus illis, reſpondit: b *obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Deus Patrum noſtrorum, ſuſcitauit Ieſum, quem vos interemiſtis ſuſpendentes in ligno, & nos ſumus teſtes horum verborum*. Idem verò & reliqui Apoſtoli fecerunt; offerentes ſe, ob hanc cauſam multis laboribus, quos gaudentes pro nomine Ieſu obibant; & de omnibus dicitur, quod c *loquerentur verbũ Dei, cum fiducia* & audacter.

a Actuum 4. 19.
b Actuum. 5. 29.
c Actuum. 4. 31.

III. Zelus

TERTIA VIRTVS fuit, magnus ZELVS, & feruor in verbis, quibus audientium corda ita pungebat ac penetrabat, vt qui paulò ante Apoſtolos muſto plenos, & ebrios eſſe exiſtimabant; mox d *compuncti corde*, ſe ſe dederent, *dicentes ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: quid faciemus viri fratres* vt ſalui ſimus? & qui ex feranda duritie paulò ante petiuerant, vt Chri-

d Actuum. 2. 37.

ſtus crucifigeretur;compuncto nunc corde & tenero,petunt baptizari.O Prodigioſa virtutis Dei mutatio! O vis immenſa Spiritus Diuini! quis præter Deum,tantam ſapientiam & fortitudinem,cum tanto feruore,rudibus adeo & timidis prædicatoribus dare potuiſſet?& quis alius,præter eundem ſpiritum, mutare potuiſſet & emollire duriſsima talium auditorum corda! Veni,O Spiritus ſanctiſsime,ſuper Eccleſiæ tuæ prædicatores,& ſuper eos,qui illos audiunt; & effice in vtriſque admirandam hãc mutationem,vt omnes Redemptori noſtro obediant ac eundem diligant, & tua Diuina voluntas,omnibus ſit nota,& in veneratione habeatur.

VLTIMÒ perpendam, quòd e *qui receperunt ſermonem eius, Baptizati ſunt,& appoſita ſunt in die illa animæ circiter tria millia*; qui numerus habet aliquod myſterium:nam ita ſanctiſsima Trinitas, eum numerum elegit, vt ſingulæ perſonæ, vnum mille animarum illarum, ſibi quodam modo vt proprium vendicaret, tanquam primitias innumerabilium animarũ, quæ ſanctam illius legem eſſent recepturæ. ſicut alio eiuſdem Apoſtoli ſermone; conuerſa ſunt f *quinque millia virorum*, in præmium quinque vulnerum,quæ Chriſtus in cruce accepit:O quanto gaudio Chriſtus Dominus noſter fuit affectus, cùm vidit patrem ſuum, tot animas ad ſuum obſequium traxiſſe? promiſsionem adimplendo, quam hac de re fecerat, cum dixit: g *ſi poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.* O qualia feſta celebrarunt Angeli in cœlo,ob tot peccatorum conuerſionẽ, qui vel h *ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*, vehementer exultant! O quanto gaudio Virgo ſacratiſsima exultauit,videns tot homines Diuinitatem Filij ſui agnoſcentes, in quorum tamen conuerſione bonam ipſam partem habuit. nam; dum Apoſtoli prædicabant,ipſa feruentiſsimè orans,agebat cũ Deo de fælici prædicationis eorũ euentu. Quã etiã læti Apoſtoli ipſi fuerũt, videntes copioſam adeo ex vno retis iactu piſcationem;totũ illũ diẽ conſumentes,in inſtruendo conuerſos,& myſteria fidei ipſos docendo, & ad peccatorũ pœnitentiam permouendo, ac denique Baptizando,ipſo Dño (ſicut ſanctus Petrus eis obtulit) dante eis Spiritũ ſanctum,quo remanerent ſanctitate & ſpirituali lætitiâ pleni.Ex quibus omnibus, & ego concipiã magnos gaudij & laudis affectus,animo exultans;quod videam Chriſtum Dominum meum,à tot animabus agnoſci, & venerationi eſſe, illi quoque congratulans, de adeò copioſa meſſe. O Dulciſsime Ieſu,quàm fæliciter incipis implere,quod dixiſti: i *ſi eleuatus fuero à terra omnia traham ad me ipſum*: k *iam Domine aſcendiſti in altum, & dediſti dona hominibus*,ſed & pro ijs,quæ dediſti,l *accepiſti etiam dona in hominibus*;quia & ipſi homines,ſeipſos per tuam gratiam tibi dedunt,tuque illos admittis in tuum obſequium:da & mihi,Domine,dona tua;& eadẽ, quæ mihi dediſti,à me accipe,vt totus ſim tuus in ſæcula. Amen.

IV.
e *Actuum* 2.41.
Cur tria millia conuerſi.
f *Actuum* 44.
g *Iſaiæ* 53 10.
h *Lucæ*.15.7
Oratio
i *Ioa*. 12.32.
k *Eph*. 4.8.
l *Pſal*.67.19

Digitized by Google

MEDITATIO XXV.

DE ALTISSIMA VITA, QVAM SPIRITVS ſanctus primis Chriſtianis inſpirauit.

PVNCTVM I.

A ctuum .42.

a *QVI baptizati fuerant, erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.*

Tria virtutum exercitia.

CONSIDERANDVM hîc eſt, quod ſit Spiritus ſãcti proprium; iuſtis, quorum animas ſe ipſo repleuit, tria præſtantiſsima virtutum exercitla inſpirare, quibus acceptam ſanctitatem conſeruent & augeant.

I. Auditio verbi Dei

PRIMVM exercitium eſt, *perſeuerare in doctrina Apoſtolorum*, audiendo videlicet conciones, & legendo libros ſacros; vt in fide magis confirmentur, amplius penetrantes doctrinam ipſam Euangelicam, & magis ad eam afficiciantur; fugiant verò quamcumque contrariam Apoſtolorum doctrinæ; aut nos tepidiores, & remiſsiores facientem in ipſa fide, & æſtimatione, quam de illa habere oportet.

II. Communio.

SECVNDVM exercitium eſt; *perſeuerare in communicatione fractionis panis*, in communione ſcilicet ſanctiſsimi Sacramenti corporis Chriſti Domini noſtri, qui panis eſt cæleſtis; & diſtribuitur hominibus in *terra* degentibus, vt conſeruetur, & augeatur in eis vita ſpiritualis gratiæ.

III. Oratio

b 1. Tim 2, 1

c Eph. 5. 19.

TERTIVM exercitium eſt *perſeuerare in orationibus* non dicit autem in oratione, ſed in orationibus; vt ſignificet, omne genus orationis: quas exprimit ſanctus Paulus, cum dicit: vt b *fiant obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones; & loquantur* Chriſtiani *ſibimetipſis in Pſalmis, & hymnis, & canticis Spiritualibus, orando*, omnibus his modis c *in omni loco, leuantes manus puras ad Deum, ſine ira & diſceptatione.*

Hæc tria frequẽtata à fidelibus & cur.

d Actuum. 10. 44.

e Actuum. 8. 17.

HAEC tria frequentabant fideles omnibus diebus, inſpirante id illis Spiritu ſancto: quia omnia tria ſunt ſpirituale nutrimentum animarum, & medium efficaciſsimum ad hoc, vt vitam gratiæ conſeruent, & augeant dona Dei, vſque ad obtinendam Spiritus ſancti plenitudinem. Et ita in Actibus Apoſtolorum legitur: ſemper datum fuiſſe Spiritum ſanctum; cum Apoſtoli prædicarent, & cum manus ſuas ſuper credentes ponerent, & cum orarent. Credentes itaque accipiebant Spiritum ſanctum, aliquo ex tribus modis, vel, cum prædicationem audirent, de qua S. Lucas ait: d *Adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus Sanctus ſuper omnes, qui audiebant verbũ*; vel cum reciperent Sacramenta, de *quo* dicitur: e *tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*, vel cum Deum orarent; quæ tamẽ

oratio

Digitized by Google

oratio, erat feruentiſsima, de qua dicitur: f *cum oraſſent, motus eſt locus, in quo erant congregati, & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto*, locus dicitur tremuiſſe, vbi illi congregati orauerant: vt ſignificetur ſtupor, & tremor, quē ſua doctrina mundo eſſent allaturi; & mutatio cordium; quam exemplo ſuo & prædicatione, in virtute Spiritus ſancti eſſent effecturi. O Spiritus ſanctiſsime, anima mea eſurit, nec panē habeo, quo illā ſuſtentem; da mihi tres iſtos panes *doctrinæ communionis, & orationis*; vt tantæ neceſsitati ſubueniam: & quamuis eos non promerear nomine amici; da ſaltem nomine importuni, in præmium laborum dulciſsimi noſtri amici Chriſti Ieſu, cui ſit gloria & honor in ſecula.

f Actuum. 4. 31.

Pvnctvm II.

a OMNES *etiam, qui credebant, erāt pariter & habebant omnia communia: Poſſeſsiones & ſubſtantias vendebant, & diuidebant ea omnibus, prout cuique opus erat.*

a Actuum. 2. 44.

Considerandvm hic eſt, etiam eſſe proprium Spiritus ſancti, inſpirare ſuis electis perfectionem Euangelicam, quam Chriſtus prædicauerat quam primis illis Chriſtianis imprimendo expreſsit; vt exemplo eſſent religioſis, qui illos erant ſecuturi.

Inſpiratio S. Spiritus

Primvm, inſpirauit illis vitam communitatis, cum ſumma vnione & charitate: id enim indicat verbum illud; *erant pariter*: idque multo magis ſpiritu quā corpore: nā propterea dicitur poſtea, quod b *multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.* Nam etſi plurimi eſſent, & diuerſarū nationum, corporis conſtitutionum, facultatum, & talentorum; omnes tamen vno amore, vna voluntate, & vno ſenſu coniuncti erant, quia omnes habebant Spiritum ſanctum, qui illos & ſecum, & inter ipſos coniungebat; ſicut anima, omnia corporis membra, etiamſi diuerſa, coniungit: ita enim facturum ſe promiſerat Deus per Ieremiam dicens: & c *dabo eis cor vnum & viam vnam*: & Chriſtus, à Patre ſuo in nocte cœnę petiuerat, pro ſuis diſcipulis: d *vt ſint*, inquit, *vnum ſicut & nos*; vt ex hac vnione, mūdus ipſum agnoſceret: quā petitionem Patrem exaudiens, hanc diſcipulis dedit vnionem. O Pater æterne, e *qui inhabitare facis vnius moris in domo*; da hanc vnionē & animorum coniūctionem in omnibus Chriſtianis, qui in domo tuæ Eccleſiæ habitant, & ijs omnibus, qui religioſas domos inhabitant; vt Filius tuus glorificetur in mundo, propter hanc coniunctionem, quam inter ſe habent, tuam domum inhabitantes. O Spiritus ſanctiſsime, cuius munus eſt, teſtimonium perhibere de Chriſto Saluatore noſtro, imprime omnibus eius diſcipulis, ſublimem hanc vnionem; vt amantes ſe inuicem, ex hoc amoris teſtimonio, credatur eorum Magiſter & adoretur.

I.

b Actuum. 4. 33.

c Ier. 32. 39

d Ioan. 17. 11

e Pſal. 67. 7

Digitized by Google

Miracula f Iſaiæ. 11.6 & 65.25.

PERPENDAM etiam hoc tempore, cæpiſſe manifeſtari *miracula*, quæ prædixit Iſaias cùm ait: f *Habitabit lupus cum agno: & pardus cum hœdo accubabit: vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus, & vrſus paſcentur, ſimul requieſcent catuli eorum, & leo quaſi bos comedet paleas.* Nam Spiritus ſanctus, cum grege ouium & Agnorum Chriſti, qui erant eius diſcipuli, coniunxit coniunctione perfectæ charitatis eos, qui in die Paſsionis eius, illum tanquam lupi, tygrides, & leones fuerant perſecuti; & qui ſolebant eſſe cupidi, tanquam lupi; cholerici, ſicut tygrides; ſuperbi, ſicut leones; callidi, ſicut vrſi, conficiunt nunc vnum, & eundem gregem, omninò concordem, & charitate coniunctum, cum ijs qui ſunt mites, humiles, & ſimplices, ſicut oues, & agni: omnes enim accommodāt ſe eodem modo ad eandem eſcam parum conditam, & leo deponit ſuos mores, & accipit eos, qui ſunt bouis: nam qui ſunt nobiliores, demittunt ſe ad craſſas pauperum laboratorum eſcas, & omnes magna obedientia, ſubijciunt ſe gubernationi & imperio humilis piſcatoris, quem Chriſtus ſui gregis paſtorem conſtituit. O g *mutatio dexteræ excelſi!* O prodigia omnipotentiæ Saluatoris! h *venite & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram, auferens bella & diſcordias, vſque ad finem terræ*, commutans leones & tygrides, in oues & manſuetos agnos. Gratias tibi, Saluator omnipotens, ob haſce mutationes, quas Diuini tui ſpiritus efficacia perficis: Proſequere Domine hoc opus, quod cæpiſti, dans Chriſtianis omnibus, ac Religioſis præcipuè, hanc vnionem, hanc æqualitatem, & obedientiam, ac ſubiectionem ſuis prælatis, vt his gratiæ tuæ miraculis infideles permoti fidem tuam recipiant; & fideles in eâdem confirmentur, & ſemper in amore tuo creſcant.

g Pſal. 76.11
h Pſal. 45.9
Caſſian. collat. 12. c. 12.

II. Euangelica paupertas in primitiua Eccleſia

SECVNDO inſpirauit Spiritus ſanctus illis Chriſtianis, vt, ad conſeruandam hanc vnionem, haberent RES OMNES COMMVNES, exactiſsimè ſeruantes Euangelicam paupertatem. Nam PRIMVM *omnes ſuas poſſeſsiones & ſubſtantias vendebant*, vt pretiū *diuideretur inter omnes, prout cuiq; opus erat:* Et ita conſiliū illud Chriſti Dn̄i exequebātur; i *ſi vis perfectus eſſe vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo.* SECVNDO in ea diuiſione bonorum, non propriam voluntatem & iudicium, ſed Apoſtolorum ſequebantur, k *ponentes ante pedes eorum pretia bonorum, quæ vendebant*; vt illi pro ſuo arbitratu ea diuiderent, hac ratione etiam exuentes omnem affectum carnis & ſanguinis, & voluntatis propriæ; ſequētes verò voluntatem miniſtrorum Chriſti Domini noſtri. TERTIO omnino ita omnem proprietatem rerum omnium etiam in vſu reijciebāt vt l *nullus eorum, quæ poſsidebat, aliquid ſuum eſſe diceret*, reijciendo ex ſuis ſermonibus frigidum illud verbum MEVM & TVVM quod eſt

i Mat. 19.21
k Actuum. 4.35.
l Actuum 4 32.34

occaſio

occaſio diſcordiarum;& vt charitas refrigeſcat.Quare corde,verbo,& opere renunciabant omnibus,quæ poſſederant,vt eſſent perfecti diſcipuli Chriſti.

Paupertas nullius egens.

Hinc fiebat,vt cùm eſſent omnes pauperes,nullus tamen aliqua neceſſitate premeretur:nam,vt ait ſanctus Lucas: *nec quiſquam egens erat inter ipſos.* Nam quod quiſque habebat,erat omnium,& quod omnes habebant, erat cuiuſque illorum,ita vt res omnes eſſent communes,in vſum omniũ: Erat communis domus,communes veſtes,communis cibus,exercitia virtutum,labores,præmia,coronæ,nam cùm eſſent multi,omnes erãt vnus, & vnus ille non erat ſolus,ſed multi in illo erant,omnes illum adiuuantes. O Fortunata & beata vita à Chriſto tradita,ab Spiritu ſancto inſpirata,ab Apoſtolis approbata,& à diſcipulis, qui fuerunt primitiæ Diuini ſpiritus exercitia! O Diuinitas ſanctiſsima, quæ vna exiſtens in eſſentia, tribus perſonis es communis;concede iis omnibus,quos ad ſtatum perfectionis vocaſti,vt omnes ſint vnus,& quiſque cum rebus ſuis communis ſit omnibus vt m *nihil habentes,omnia poſſideant,* & n *omnia relinquentes centuplum accipiant*, quam reliquerint, poſsidentes te fontem omnium bonorum in ſæcula.

S. Baſil. de conſtit. monaſt. c. 19.
m 2. *Corint.* 6.10.
n *Matt.* 19. 29.

III. Primi Chriſtiani imitandi

Ex his,quæ ſunt dicta,concipiam,ſi ſum Religioſus,magnum deſiderium primos hos Chriſtianos imitandi, quos Spiritus ſanctus tanquam exemplar quoddã propoſuit Religioſorũ: quorũ plurimi, eius inſpiratione,talis paupertatis votũ ediderũt,quo ſtabilior ea,Deoq; gratior eſſet. Quamobrem o *Ananias,cum vendidiſſet agrũ, & fraudaſſet de pretio agri* grauiſsimè à S.Petro *morte ſubitanea* punitus fuit,dicẽte: *non es mentitus hominibus, ſed Deo*, & Spiritui S. cuius inſpiratione, voto ſe paupertatis obſtrinxerat:Sed ſi liber ſim,concipiam deſideria eoſdem diſcipulos imitãdi in iis,quæ rationi vitæ meæ ſunt conformia,corde ſaltem exuendo res omnes,ſiquidem ſententia illa Saluatoris;p *qui non renunciauerit omnibus quæ poſſidet,non poteſt meus eſſe diſcipulus,* ad omnes pertinet.

o *Actuum* 5.2.
Auguſt. Ser 27. de verb. Apoſtoli & plures Sancti,quos refert Bellarmini Tom. 1 *lib* 2. *de Monach. c.* 20.
p *Luc.* 14.33

PVNCTVM III.

a *QVotidie quoque perdurantes erant vnanimiter in templo,& frangentes circa domos panem,ſumebant cibum, cum exultatione, & ſimplicitate cordis,* b *collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.*

a *Actuum* 2.46.
b *Luc.* 24.53.

Conſiderandvm & hic eſt,proprium eſſe ſpiritus ſancti,inſpirare electis alia varia media,ad vnionem,& perfectionem conſeruandam.

I. Media ad perfectionẽ adipiſcendam.

Primvm eſt Vnanimiter eodem ſcilicet animo, ad templum ſe conferre,in eoque Perseverare,ea exercitia ibi facientes, ad quæ templũ Dei eſt deſtinatũ,audire videlicet verbũ Dei, orare, Diuinis

ſacrificijs intereſſe, & Sacramenta recipere. eſt enim templũ ſchola Chriſti, domus orationis, propitiatorium peccatorum noſtrorum, & locus Diuino cultui dedicatus. Et in illis exercitijs, magnam diei partem conſumebant, ſingulari animi voluptate, quia Spiritus ſanctus illis aſsiſtebat.

II. Mutua cõuiuia. c Pſal. 67. 4.

QVIBVS EXERCITIIS erga Deum præſtitis, inſpiratione etiam eiuſdem Spiritus ſancti, alij ad aliorum domos conueniebant, amanter, & in charitate ſe inuitantes, & cibum corporis ſumentes cum lætitia, non ſenſuali ſed ſpirituali; vbi re ipſa implebatur illud Dauidis: c *iuſti epulentur & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitiâ*, cui lætitiæ ſimplicitatem cordis adiungebant, non ſimulationes, fictiones, aut murmurationes aliorum contra alios; ſed ſimplici intentione placendi Deo, & fraternam charitatem conſeruandi, præbentes nobis exemplum, qua ratione deceat nos cibum ſumere, opus videlicet hoc, quod alias eſt proprium carnis, ea ratione ſpirituale reddendo.

III. Laudes Dei. Oratio d Cant. 4. 9 S. Gre. ibid.

HINC proueniebat, vt ſemper laudarent, & glorificarent Deum magna totius populi ædificatione, qui diligebat illos & venerabatur, ob ſanctitatem & charitatem, quæ in eis reſplendebat. O Ieſu amantiſsime, dulciſsime iuſtarum animarum Sponſe, quàm opportunè nunc dicere potes, aſpiciens vitam paruæ huius Eccleſiæ ſponſæ tuæ, d *vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum; in vno oculorum tuorum*, vnione videlicet & concordia horum iuſtorum, qui ſunt inſtar oculorum tuorum; nã vt oculi ſibi inuicem ſunt ſimiles, & vnà aperiuntur & clauduntur, & vnà ad hanc & illam partem mouentur, vnà vigilant, & vnà dormiunt; ita hi iuſti magna concordia ſimul ſe conferunt in templum, ſimul orant, ſimul verbum tuum audiunt, & opera charitatis exercent, quia omnium eſt cor vnum, & vnus Spiritus, tecum & inter ſe inuicem perfecto amore coniuncti. O Spiritus ſanctiſsime, qui es cor Eccleſiæ inuiſibile, dimitte per omnia eius membra Spiritus vitæ, tuas videlicet inſpirationes Diuinas, quibus magna animorum coniunctione & fortitudine, ad omnia conueniant, quæ tuum obſequium concernunt; ita vt amoris vulneribus, vulnerent cor tuum, dignos ſe reddentes, quos tu diligas, & in quibus amoris tui ignem augeas. Amen.

ANTEQVAM *proſequar hanc hiſtoriam, duas inſeram meditationes, ex quibus Iuſti, qui nunc in Eccleſia viuunt, deprehendant, quantum habeant ſumptum à Spiritu S. vt peruenire poſsint ad eam Sanctitatem, quam illi primi ſancti habuerunt.*

Digitized by Google

MEDITATIO XXVI.

DE ALTISSIMA PERFECTIONE QVAM Spiritus Sanctus ſuis inſpirationibus communicat, & de proprietatibus earum.

PVNCTVM I.

PRIMO conſiderandum, quod Spiritus ſanctus, quos aqua *Baptiſmatis* regenerat ad eſſe gratiæ, faciat ſibi ipſi ſimiles, ſuiſque inſpirationibus ad tantam eos deducat altitudinem ſanctitatis, vt poſsint ſicut ipſe appellari ſpiritus, quod ipſe Christus Dominus noſter, expreſsè docuit, cum dixit Nicodemo: a *Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt: Spiritus vbi vult ſpirat; & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quo vadat: ſic eſt omnis, qui natus eſt ex Spiritu.* Quaſi dicat; ſicut qui per generationem carnalem ex carne natus, eſt in omnibus ſimilis ei, qui illum genuit, à quo, vt naturam accepit, ſic etiam proprietates & propenſiones naturales, quas habet ipſe genitor; verbi gratia: vnus homo generat hominem ſibi ſimilem in iis, quæ propria ſunt hominis; quamuis, qui genitus eſt, non ſtatim in ſuis actionibus, ad totam ſuam perfectionem perueniat, donec adoleuerit: ſic proportione quadam, qui naſcitur de Spiritu ſancto per generationem ſpiritualem, ſimilis eſt ipſi Spiritui, à quo accipit gratiam, virtutes, & dona, quæ ſunt quædam Diuinæ naturæ participatio, quorum virtute appellari poteſt Spiritus, homo ſcilicet ſpiritualis, Spiritui ſancto ſimilis, qui illum genuit ſpiritualiter. Quamobrem dixit ſanctus Auguſtinus, *ſi naſcaris de Spiritu hoc eris vt ille*; & virtute eius, poteris in carne viuere, atque ſi eſſes ſpiritus, liber, & expeditus à carnalibus motibus, veritatibus illuſtratus, virtutibus diues, & feruentibus affectibus accenſus; & imitaberis excellentiſsimum modum quem ipſe habet, ſua opera peragendi. O Spiritus ſanctiſſime, quas tibi gratias referam, pro tam alta hac dignitate, quâ homini carnali concedis, vt poſsit ſicut tu, eſſe & vocari Spiritus. O Pater amantiſſime, qui filios tuos ita generas, vt etiam intra ipſos maneas, iuuans illos in ſuis actionibus, vt creſcant & proficiant, donec perfecti euadant; ſicut tu es; ſiquidem ergo, me per Baptiſmum genuiſti, ſuggere mihi, quæ facere me oportet; vt mea opera, tuis ſint ſimilia, & tibi adhærens, b *vnus tecum Spiritus efficiar* in ſæcula. Amen.

Spiritus ſancti effectus in renatis.

a Ioan. 3. 6.

Tract. 12. in Ioan.

Oratio.

LICET poſtea ratiocinari per tres excellentes proprietates, quas Spiritus ſanctus habet in opere ſuæ inſpirationis quæ in verbis propo-

b 1. *Corint.* 6. 17.

ſitis

habet,quæ ipſum impellit,vt velit quicquid Deus vult.Et in hoc conſi-
ſtit perfecta Spiritus libertas,quæ conſona eſt ipſi Spiritui ſancto,iuxta il-
lud Apoſtoli,c *Deus Spiritus eſt, & vbi Spiritus Dei,ibi libertas.* Ex quo fit, c 2. *Corint.* 3.17
quod ſicut Spiritus S. bonis, & malis inmittit ſuas inſpirationes; quia in
hoc vult oſtendere ſuam bonitatem;ita iuſtus,ab eodē Spiritu inſtigatus,
quentibus ipſum; in hoc oſtendens, ſe Filium Dei eſſe, & Spiritum eius
benefacit omnibus,amicis & inimicis,etiam contradicentibus, & perſe-
habere.

III. Iuſtus facit quod vult & quomodo.

DENIQVE ſemper facit quod vult,quia voluntatem ſuam omninò poſuit in Dei voluntate:& eius diuini Spiritus:faciens itaque quod Deus vult,ſimul facit quod ipſe vult,quia ipſius velle,non aliud eſt quam Dei. Quamobrem dixit Sanctus Bonauentura, eos, qui Dei voluntati ſunt conformes,eſſe ſicut Deos,habentes omnipotentiam ſuæ voluntatis , ad id quod voluit. *In Dicta Salutis tit.* 82.1. O anima mea,ſi ſupremam hanc omnipotentiam deſideras,velis ſolum,quod vult Deus;& ita illam obtinebis:reſoluas te ſemel ad negandum tuam propriam voluntatem,eamque reſignandam voluntati Diuinæ;& ita eius voluntatem ſemper faciens,facies & tuam. Oratio. O Deus animæ meæ,ex nunc ſtatuo,velle ſemper quod tu vis,non coactus,ſed d *voluntariè tibi ſacrificans,* non ex timore,aut emolumenti alicuius intuitu, ſed ex mero amore;quia mihi arridet,quod tibi placet ; & quod tibi arridet,mihi etiam placet. d *Pſal.* 53.8. Hinc colligam ſigna ad diſcernendam inſpirationem Spiritus ſancti,quæ ſunt contraria ſuggeſtionibus Spiritus mali , à quo procedit repugnantia,tædium,& horror in adimplenda Diuina voluntate,& Sancta eius lege. Quamuis timor inferni,& ſpes præmij,prouenire etiam poſſint à Spiritu ſancto;quia non ſemper inſpirat quod eſt perfectiſſimum; ſed incipit ab eo,quòd eſt minus perfectum.

PVNCTVM III.

SECVNDA Spiritus Sancti proprietas eſt,quòd cùm inſpirat, VOCEM EIVS AVDIS.in quo varijs modis eius omnipotentiam agnoſcimus.

I. Libertas S. Spiritus.

PRIMVM in eo,quod cum vult inſpirare,*nulla* poſſit illi in anima noſtra *clauſa* eſſe *ianua* , nec aliquid , quod eius in illam ingreſſum impediat nec ſit poſſibile eius vocem non audire , hoc eſt ipſius pulſum , & inſpirationem , & quid per eam velit , non ſentire quamuis poſſit homo non ſentire in id , ad quod illa impellit. Habetque in hoc quidam ſingulare , quòd poſſit immediatè & ex tempore, intellectum noſtrum & voluntatem adire,& repentè imprimere notitiā & bonum affectum,quem velit:quia eſt abſolutus Dominus Spiritus noſtri in quo & per quem loqui poteſt pro libitu de re quacunque ſiue corpora,ſiue Spirituali,cum figuris ſenſibilib. in ipſa imaginatione , aut ſine illis. Sed vlterius tamē progreditur eius omnipotentia & bonitas : quia & pote-

S. Bern. ſer. 45. *Canti. Hebr.* 4. 12. *S. Thom.* 1. *p. q.* 105. *a.* 3. *&* 4. *& q.* 111. *a.* 2. *&* 1. 2. *q.* 173. *a.* 2.

poteſtaté & induſtriam habet ad ita inſpirandum, vt non ſolum vocé eius audiamus, ſed etiã vt eidẽ cõſentiamus; & obediamus ijs, quæ nobis dicit; nõ violẽtia aut coactione, ſed ſumma noſtra voluptate & ſuauitate; ita mutãs noſtram voluntaté, vt dicamus cum Saulo, a *Domine quid me vis facere*? Ex quo prouenit, vt Spiritualis homo à Diuino Spiritu motus, eandem vim habeat & artem ad omnia, quæ velit circa Diuinum obſequium, quãuis difficilia ſint & aſpera, penetrans muros difficultatum, vt poſsit voti compos eſſe; ſimilis in hoc factus Spiritui ſancto, à quo mouetur. O Spiritus ſanctiſsime; ſiquidem es mearum potentiarum abſolutus Dominus, pulſa & ſimul aperi portas animæ meæ, & ita efficaciter b *pulſa* vt abſque mora *tibi aperiam*; vt in me & de me pro tuo libitu diſponas.

a *Actuum.* 9.6.

b *Apocal.* 3. 20.

II. Vocis diuerſitas ſpiritualis.

c *Iob.* 12.11.
d c.34.3.

DEINDE perpendam, quod ſicut ſinguli homines proprium habent vocis donum, quo ſe produnt, & agnoſcuntur, & diſtinguntur ab alijs; & vt ait Iob, c *auris verba dijudicat & d probat*: ita interior vox, & Spiritus ſancti inſpiratio, habet ſuas proprietates particulares & ſigna, quæ auris animæ percipit, ex quibus agnoſcit, Deum eſſe, qui loquitur; cuius vocem diſtinguit à maligni Spiritus voce, quæ valde contraria ſigna & proprietates habet. Deprehenditur autem id totũ, ex internis effectibus ſignorum vtriuſque. SPIRITVS enim SANCTVS, voce ſua emollit corda dura; flectit contumacia, lenit aſpera, accendit frigida, debilia corroborat, deiecta erigit, colligit diſtracta, ſtabilit incõſtantia, conſolatur triſtia, & inquieta ac turbata pacificat; Superbos homines reddit humiles, iracundos manſuetos; cupidos, pauperes ſpiritu; ſibi indulgentes, facit temperatos, & in carne mortificatos. Et hoc facit imperio quodam & maieſtate, ſuauitate, & efficacite; timore improbum turbans, vt reſipiſcat; pium & bonum faciens tremere, vt ipſum magis reuereatur; finem tamen ſemper ſtatuit iuſtitiam, gaudium, & pacem. Horum omnium contrarium omnino, conatur Spiritus malus efficere ſua voce, quamuis diſsimulanter. O Spiritus Diuine, e *loquere* interius mihi, *quia audit ſeruus tuus*, Tu ipſe dicis, te cupere audire vocé meam, & ego valdè cupio audire tuam; f *fac* ergo *me audire vocem tuam* Diuinam, ſentiamque eius effectus, quo poſsim ego, mea voce ita reſpondere tibi, & talia opera efficere, vt ſint tuis quàm ſimillima.

S. *Greg. lib.* 29. *Moral. cap.* 2.

Oratio.
e 1. *Reg.* 3.10
f *Cant.* 8.13

III. Quænam vox ſpiritualis.

HINC deducam, quod vir ſpiritualis à Spiritu ſancto motus, habet *ſuas voces*, quibus agnoſcitur eſſe talis, quia ſunt ſimiles vocibus Spiritus ſancti, ipſum mouentis: voces autem hæ ſunt; vultûs modeſtia, grauitas in omnibus corporis motibus, puritas & diſcretio in verbis, velocitas in obedientia, in cibo temperantia, hilaritas in perſecutionibus, conſtantia in laboribus, humilitas qua ſe omnibus ſubijcit, diligentia in operibus Diuini cultûs; guſtus in oratione, zelus in iuuandis animabus. Hęc & ſimilia opera ſunt voces eius, qui natus perfectè ex Spiritu ſancto ab eius inſpi-

ratione mouetur, & ex eis agnoſcitur quis ſit, ſicut arbor ex fructibus.

PVNCTVM IV.

TERTIA proprietas Spiritus ſancti eſt, vt quamuis ita inſpirat, vt eius vocem audiamus. NESCIAMVS tamen VNDE VENIAT AVT QVO VADAT, nam ex inſtituto celat ſuos ingreſſus, & exitus, principia & fines, admiranda ſuæ prouidentiæ diſpoſitione.

NAM inprimis occultat *aduentum* ſuæ inſpirationis, quò ad tempus, locum, exercitationem, & occaſionem eius. Nam interdum venit diebus feſtiuis, interdum profeſtis, nunc die, nunc nocte, nunc manè, nunc veſperi, interdum venit in ipſa Eccleſia, aut in Oratorio; nunc in platea, aut in campis, interdum venit in ipſa oratione, aut in ſacro Miſſæ, aut ſub ipſa concione, interdum in ipſis negotijs & operibus externis. Interdum ingreditur per aſpectum, vt cùm piam aliquam imaginem videmus; alias, per auditum; dum pia aliqua verba audimus; aut per guſtatum & tactum, dum aliquem dolorem patiamur, aut ſuſtinemus laborem. Denique vt ipſe Dominus dixit Iob, ſciri non poteſt, a *per quam viam ſpargatur lux* Diuinarum ſcilicet illuſtrationum, *& diuidatur æſtus* accenſarum inſpirationum *ſuper terram*. Vult enim ipſe, nos ſemper ab ipſius prouidentia depẽdere, & demiſſe agnoſcere hanc ab ea dependẽtiam; & ingenuè fateri, noſtram induſtriam non poſſe ſufficere, ad talem gratiam & fauorem obtinendum; & quando re ipſa nobis datur, id non ob noſtra merita, ſed ex ipſius dantis gratia prouenire. O Dator munerum, viſita me frequenter inſpiratione tua ſancta; veni vero qua via volueris; libet enim mihi eam ignorare, vt ſic me humiliem; credens te in omni loco & tempore fauere mihi poſſe.

I. Aduentus S. Spiritus occultus.

a Iob. 38. 24. S. Greg. ibi.

Oratio

EADEM quoque ratione occultat nobis Spiritus ſanctus finem, *quo vadit*, & in quem ſuas inſpirationes dirigit. Etſi enim non ignoremus eius voluntatis eſſe, vt pareamus ipſi, in exequendo bono, quod ad ſuam gloriam & noſtram ſalutem nobis inſpirat; ſed particularem tamẽ finem illius, quod inſpirat, non nouimus, nam ex paruis ſæpe initijs, grandes fines prætendit, & magno interdum impulſu ad res aliquas impellit; quarum fines, niſi exitus illos manifeſtent, cognoſci non poſſunt, ſicut dixit Apoſtolus: b *Ecce nunc alligatus ego Spiritu vi inſpirationis vado in Ieruſalem, quæ in ea ventura ſunt mihi, ignorans.* Placet enim Spiritui ſancto, vt nos iudicium & voluntatem noſtram, ſanctæ ipſius inſpirationi reſignantes, à beneuola ipſius prouidentia, finem & exitũ, quem ipſe quærit, exſpectemus

II. Finis ſimiliter occultus.

b Actuum. 20. 22.

O amantiſsime Pater, inſpira mihi, quod tibi, iuxta ſanctam tuam legem
& voluntatem libet. ſatis enim mihi eſt, finem vltimum ſcire, quem tu
III. quæris, vt ego obediam in cæteris medijs & finibus, quos præſcripſeris.
Documenta duo Dvo ex his diſcam; Primvm eſt, ſi moueor à Spiritu S. etiamſi publica aliqua opera præſtem, quæ animæ virtutem prodant, debere me oc-
I. cultare hominibus fines & intentiones meas, & contentum eſſe, ſi illæ ſoli
Deo ſint notæ: ne prædo vanæ gloriæ, theſaurum meum deprædetur:
quamuis par ſit confeſſarium, & Spiritus Magiſtrum, qui me Dei nomine
II. gubernat, omnium eſſe conſcium, ne fortè Satanas transfiguratus in Angelum lucis, me decipiat. Secuudum eſt, magnam, concipere fiduciam, obtinendi hanc ſanctitatis altitudinem: neque enim abſque myſterio dixit
Chriſtus Dominus noſter vniuerſim; *ſic eſt omnis, qui natus eſt ex Spiritu*; vt
omnibus ſpem faceret, quod quilibet iuſtus poſsit ad eam perfectionem
peruenire, ſi vitam ſuam inſtituat, iuxta gratiam, quam in ſua Spirituali
generatione accepit; & obediat motioni Diuini Spiritus, qui ad eam inſtigat ac dirigit; in cuius ſignum & fidelitatis pignus, dat omnibus iuſtis ſeptem ſua dona, vt iam videbimus.

MEDITATIO XXVII.

DE SEPTEM DONIS, QVAE SPIRITVS SANctus iuſtis communicat, vt ab eius inſpirationibus dirigi ſe ſinentes, ad magnam perueniant ſanctitatem.

PVNCTVM I.

D.Thom. 1. 2.q.68. Considerandvm *Primo*, Spiritum ſanctum, in Spitualis hominis generatione, cum tribus Theologicis
I. virtutibus, Fide, Spe, Charitate, ſimul in fundere iuſtis
Dona S.ſpiritus. *ſeptem dona*; quæ Iſaias appellat a *donum ſapientiæ, & intellectus, conſilij, & fortitudinis, ſcientiæ, & pietatis, & ti-
a Iſaiæ, 11.2. moris Domini*: quorũ fines & officia: diſtincta ſunt valdè
munus enim virtutum eſt, inclinare hominem ad piorum operum exercitationem ex propria electione, & libero vſu arbitrij, adiuto tamẽ Diuinâ gratiâ, ideoque poteſt ſemper illis operari, credendo videlicet, ſperando, diligendo, obediendo, ſe humiliando, ſicut voluerit: quia Diuina gratia nunquam illi deeſt. Donorum verò munus eſt, inclinare iuſtum, vt ſe dedat, & ſubijciat impulſui & motioni, quæ aliunde ipſi aduenit, hoc eſt ab ipſo Spiritu ſancto donorum illorum largitore, quando vento ſuæ in-
S.Thom. ſupra a.1. ſpirationis mouet illum ad benè operandum, ſicut vela ſeruiunt naui, vt afflante vento, facilè moueatur, & impellatur; & ideo Iſaias hæc dona

vocat Spiritus, quia ſunt Spiritus ſancti inſtrumenta; ad efficienda opera iuſtorum, qui ab ipſo Spiritu impelluntur. Ex quo apparet, quam ſit magnum Spiritus ſancti deſiderium, vt eius Diuinis inſpirationibus acquieſcamus; ſiquidem talia ad id dona nobis largitur. Propter quæ, b *ſepties in die laudes illi dicam*, cum Dauide: Inuitans Apoſtolos, & ciues cœleſtes, ad id, vt me iuuent, O Sacri Apoſtoli, qui c *vt columbæ volaſtis*. alis veſtrarum virtutum, & *ſicut nubes*, impulſi eſtis à Spiritu ſancto, per eius ſeptem dona; ſupplicate eidem, ea vt mihi communicet, vt inſtar columbæ volem ad ea, quæ eius ſunt obſequij, & inſtar nubis, patiar me à ſancta eius inſpiratione moueri. b *Pſal. 118. 164.* c *Iſaia. 60. 8*

Ex Dictis colligam hæc dona (ſancto Thomâ teſte) eſſe iuſtis neceſſaria, ad æternam vitam conſequendam, tum quòd ſemper cum gratia & charitate ita ſint colligata, vt non poſſint ab ea ſeparari, tum quòd inſtinctus, & inſpiratio Spiritus ſancti neceſſaria ſit ad vtramque iuſtitiæ & ſanctitatis partem conſeruandam, diſcedere ſcilicet à malo, & ſequi bonum, præcipuè in rebus arduis ac difficilibus, quæ in hac vita eueniunt. Et quoniam Spiritus ſanctus, adeo deſiderat ſalutem & perfectionem noſtram, ſtatim adeſt, vt nobis faueat, his donis nos præueniens, vt illi obediamus. Gratias tibi! O Spiritus ſanctiſsime, quod curæ tibi ſit, imbecillitatem meam adeo inſignibus gratiæ tuæ donis adiuuare: ne, quæſo, patiaris, vt eorum iacturam faciam, donec per ea vitam æternam obtineam.

II. *S. Thom. ſupra a. 2.* Donorum S. Spiritus neceſsitas.

Pvnctvm II.

Deinde conſiderandus eſt modus, quo Spiritus ſanctus, ſeptem prædictis donis, per ſuas inſpirationes nos *retrahit à malo*, adiuuatque ad vitia, tentationeſque vincędas; quod ſanctus Gregorius hac ratione explicuit: aduerſus ſtultitiam, inquit, armat nos Spiritus ſanctus, ſapientia contra ruditatem, intellectu; contra præcipitationem, conſilio; contra ignorantiam, ſcientia; contra puſillanimitatem fortitudine; contra cordis duriciem, pietate; contra ſuperbiam, timore. Septem itaque hæc ſpiritus S. dona, ſunt nobis arma offenſiua, & defenſiua; quæ nobis Spiritus S. præbet, aduerſus præcipuas radices tentationum, quæ vitam ſpiritualem oppugnant, vt expugnent.

Vſus donorum iſtorũ *Lib. 2. moralit. c. 26.*

Primò, aliquæ tentationes procedunt nobis ex *tædio* quodam, & paruo appetitu, quem ad res Dei habemus, quæ appellatur Stvltitia; eò quòd caro, non ſolum rebus ſpiritus non delectetur, ſed nec vllum ſaporem inueniat, nec res æternas æſtimet; ideoque tędio quodam earum affecta, eas negligit, & conuertit ſe ad ſenſuum delicias quærendas; ſicut Filij Iſrael tędio affecti ex quotidiano vſu Mannæ dicebant: a *anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſsimo*; & ſuſpirantes dicebant, b *recordamur*

I. Stultitiæ ſpiritualis quæ.

a *Num. 21. 5* b *Num. 11. 5*

Digitized by Google

piſcium; quos comedebamus in Aegypto gratis; in mentem nobis veniunt cepæ & alia &c. Contra has tentationes armat nos Spiritus ſanctus dono SAPIENTIAE, quo ſuggerit nobis rationes, quæ nos afficiant ad bona cœleſtia, ponens nobis in illis ſuauitatem; in terrenis verò rebus faſtidium. Quod ipſe & poteſt, & ſolet in vno momento efficere, quando eam gratiam nobis vult facere, & noſtra neceſsitas pro ea clamat.

II. Ruditas mentis. Intellectus

ALIAE tentationes proueniunt ex RVDITATE & obſcuritate, quã in rebus fidei habemus, ex qua oriuntur dubia, perplexitates, nebulæ, diffidentiæ, torpores tam in credendo, quam in ſperando, & in operando. Cõtra quas fauet nobis Spiritus ſanctus dono INTELLECTVS, mittens in ſpiritum noſtrum illuſtrationes, & lucis radios, qui nebulas illas diſsipent, & pacem nobis, gaudiumque in credendo adferant.

III. Donum conſilij contra præcipitãtiam.

ALIAE tentationes ſuperant nos, quia in rebus noſtris indiſcreti, & PRAECIPITES ſumus, ſiue ob noſtræ prudentiæ exiguitatem, quæ non inuenit viam & rationem benè ſe ab eis expediendi; ſiue quod nos repente & imparatos inuadant, nec tempus nobis dent ad cogitandum, & ſtatuendum, quid eſſet faciendum. In quibus caſibus, ſubuenit nobis Spiritus S. dono CONSILII, inſpirans nobis ſingularisſima prouidentia medium; quod ad eas vincendas adhibere oporteat, ſicut inſpirauit Ioſepho, vt c *relicto in manu* fœminæ *pallio, fugeret* ex illa occaſione, ne in ea periret.

c Gen. 39. 12

IV. Scientiæ contra ignorantiam

QVARTÒ contra tentationes quæ nos poſſunt ad terram deijcere, propter IGNORANTIAM, fraudem, obliuionem, aut in aduertentiam, ſubuenit nobis Spiritus ſanctus dono SCIENTIAE, illuſtrans nos inſpirationibus ſuis, vt Satanæ aſtutias, mundi fraudes, & carnis deceptiones agnoſcere poſsimus, ſuggerens nobis veritates aptiſsimas, ad illas vincendas, & magna ſuauitate inducens ad eaſdem amplexandas.

V. Fortitudinis contra imbecillitatem.

ALIIS tentationibus vehementioribus ſuccumbimus ex IMBECILLITATE ANIMI, quando nos ita premunt, vt, niſi faciamus quod eſt lethale peccatum, amiſſuri ſimus bona fortunæ, honorem, aut vitam, aut graue aliud incommodum ſubituri. Et tunc ſubuenit Spiritus S. dono FORTITVDINIS, corroborans ſuo impulſu cor noſtrum imbecille ac timidum, & nos animans, & impellens ad quoduis temporale detrimentũ ferendum, vt æternum euadamus: ſicut adfuit Suſannæ, & glorioſis martyribus in ſuis periculis.

VI. Pietatis contra duritiam cordis.

Ex DVRITIE noſtri cordis procedit, vt proximis noſtris non compatiamur; nec moueamur, ad illis benefaciendũ, nec tolerandum, ſi quid nobis inferant mali; nam tunc potius erumpunt iræ, impatientiæ, iniuriæ, iniuſtitiæ, vindictæ, crudelitates: contra quas nos adiuuat Spiritus S. dono PIETATIS emolliens corda noſtra tactu ſuæ internæ inſpirationis, &

mouens

mouens nos, vt miſericordiam exhibeamus in occaſionibus, quæ ad vltionem nos prouocant.

VII. Timoris Dei contra diuerſa vitia.

Denique aduerſus tentationes, quæ oriuntur ex ſuperbia, arrogantia, ambitione, vanitate, armat nos idem Spiritus ſãctus dono Timoris Dei, immittens ſua illuſtratione, aliqua ſenſa veritatum, quæ altos noſtros ſpiritus & temeritatem reprimant, faciantque nos expaueſcere, ad tremenda & ſecreta iudicia Dei, & humilient, ac diſſoluant rotam noſtræ vanitatis.

In his itaque omnibus caſibus perpendam meæ neceſsitatis magnitudinem, & horum auxiliorum efficacitatem, & alterum cum altero cõferens, gloriam Spiritui ſancto dabo, quòd adeò beneuola prouidentia, prouiderit tam efficacia Antidota ei, qui tantopere illis egebat: quare quandocunque tali aliqua tentatione pulſabor, mox ad ipſum Spiritum ſanctum recurram, petens neceſſarium auxilium, ſiquidem in illum finẽ, hæc nobis obtulit dona. O Spiritus ſanctiſsime, gratias tibi ago, ob arma adeò commoda, mihi contra crudeles meos hoſtes conceſſa; & ob tuam curam, qua moues me, vt ab eis me expediam. d *Dominus illuminatio mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: a quo trepidabo?* e *Pone me Domine iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me.* f *Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos: impulſus euerſus ſum vt caderem, & Dominus ſuſcepit me.* Præueni me, Domine, ſanctis tuis inſpirationibus, ne in meis ſubmergar miſerijs.

d Pſal. 26. 1. e Iob. 17. 3. f Pſal. 117. 73.

Pvnctvm III.

Conſiderandvs *Tertiò* eſt modus, quo Spiritus S. ſeptem his donis adiuuat nos ad comparandas virtutes in altiſsima perfectione, ſiue illæ ſint vitæ actiuæ, ſiue contemplatiuæ.

Modus quo S. Spiritus ſuis donis nos iuuat.

I. S. Thom. 2. 2. q. 8. a. 6.

1 Intellectus

Primvm tribus illis donis Intellectvs, Sapientiae, & Scientiae, iuuat nos in operibus vitæ contemplatiuæ, lectione, meditatione, oratione, & contemplatione, ſuis nos inſpirationibus mouens, ad eas feruenter & exactè habendas. Dono Intellectvs perficit nos in cognitione myſteriorum noſtræ fidei, ſuis nos illuſtrationibus adiuuans, vt ad ſecreta & intima quæ in illis latent, penetremus tanta certitudine, atq; ſi ea videremus; ex quo pluuiæ proueniunt meditationum profundarum & ſubtilium, quas ipſe Spiritus S. infundit, quibus a *in meditatione exardeſcit ignis* affectuum in corde. Dono Sapientiae, perficit nos in cognitione Dei, & excellentiarum & attributorum eius, omniumque rerum, quæ ad ipſius Diuinitatem ſpectant, magnam Diuinarum rerum æſtimationem cum ingenti ſapore & dulcedine; in earum cognitione imprimẽdo, quarũ guſtu & experiẽtia perficitur magis ipſa cognitio & eleuatur

a Pſal. 38. 4.

2. Sapientia

Spiritus ad accenſos actus amoris Dei, & vnitionis cum ipſius bonitate.

3. Scientia

Dono SCIENTIAE perficit nos in cognitione rerũ creatarum, ſuis nobis inſpirationibus verum imprimens iudicium, de eis faciendum, tum ratione eorum, quæ à Deo habent; tum eorum quæ habent à ſeipſis; ex quo oritur, vt propter hanc SCIENTIAM, ſicut alter Apoſtolus Paulus, b *arbitremur omnia vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciamus.*

b *Philip.3.8*

4. Dono conſilij quid faciat.

Sed quoniam oratio, vt ſit perfecta, ad praxim debet accedere, & non in ſola cognitione & affectu ſiſtere, ſed fructum adferre in benè propoſitis & excellentibus operibus; ideò dono *Conſilij* perficit cognitionem rerũ particularium, quas nobis proponere debemus, vt quæ Deus iubet, exequamur, & hac ratione, adiuuat nos ſpiritus S. in oratione mentali; abſque cuius fauore, erit illa vaga, arida, & parum vtilis. Nam vt ſapiens ait, c *ſicut parturientis, cor tuum phantaſias patietur: niſi ab altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio*; quaſi diceret, patietur magnas diſtractiones, & multitudinem affectuum perturbatorum & inconſtantiam, niſi Spiritus ſanctus, hominẽ viſitans, illum ſuis inſpirationibus colligat atque dirigat. Quare, cum ad orationem accedo, orandus mihi eſt Spiritus ſanctus, hanc vt mihi gratiã tribuat, dicens illi; O Diuine Spiritus, qui doces orare gemitibus inenarrabilibus, viſita me hiſce donis, & iuua tuis illuſtrationibus; vt intellectus meus, ſanctas proferat cogitationes, voluntas affectus accenſos, & reliquę potentiæ, ad opera excellentia permoueantur. Amen.

c *Eccl.34.6* S. *Bonauen. de ſeptem itiner præc puè diſt.5. nota.2.*

II. S. *Thom.1. 2.q.68.a.4.*

DEINDE perpendam, eundem Spiritum ſanctum, tribus illis donis, PIETATIS, FORTITVDINIS, & TIMORIS DEI, nos perficere in operibus vitæ actiuæ; erga noſtros proximos, erga nos ipſos, & erga Deum Dominum noſtrum.

Vita actiua roboratur donis Spiritus ſancti

1 Nam dono PIETATIS, perficit nos in operibus, erga noſtros proximos præſtandis, imprimens nobis ſpiritum filiorum erga noſtros ſuperiores, & matris erga inferiores, & ſpiritum commiſerationis ergà æquales; vt in viſceribus charitatis, ſuccurramus omnium indigentijs & neceſsitatibus corporis & animæ, huius præcipuè, eò quod ſint maioris momenti.

2. Dono FORTITVDINIS perficit nos, in nobis ipſis, fortificando imbecillitatem carnis noſtræ, eiuſque tumores reprimendo & , nos ad egregia & glorioſa Diuini obſequij opera permouendo, omni humano timore ſepoſito.

3. Dono TIMORIS, perficit nos in ordine ad Dominum Deum noſtrum, imprimens nobis ſpiritum reuerentiæ & demiſsionis; ita vt nos ipſos in eius conſpectu, nihili ducamus, ſed gloriam ipſi demus pro omnibus, quę hiſce donis adiuti præſtamus; ſiquidem quidquid illud eſt, ab ipſo habemus; & hac ratione nos impellit ad ſequendũ conſilium illud Sapiẽtis; d *in*

d *Eccl.33.23*

omnibus

omnibus operibus tuis præcellens eſto; & interdùm ad altiſsima quædam & extraordinaria mouet, vt extraordinariam etiam donet nobis ſanctitatem.

VLTIMO conſiderabo, donum CONSILII eſſe inſtar ſolis, in medio horum ſeptem cœleſtium planetarum, præferens nobis lumẽ, circa agenda in operibus vtriuſq; vitæ, actiuæ & contemplatiuæ; vt rectè eligamus, quæ magis expediunt; modumque, locum, & tempus ea exercendi: & quoniam res internæ valdè ſunt ſecretæ, poſſuntque in eis magnæ eſſe fraudes, *e transfigurante ſe Sathana in angelum lucis*, ſubuenit Diuinus Spiritus dono CONSILII, vt ſine fraude, veritatem quæramus, & occurrat nobis. Sed quoniam nemo ſibi ſufficiens eſt, inſpirat nobis hoc dono admirandum quoddam conſilium, vt ſcilicet proprio conſilio nunquam fidamus, ſed recurramus ad eos conſiliarios, quos ipſe in ſua Eccleſia conſtituit, iuxta illud Sapientis, f *cor boni conſilij ſtatue tecum; non eſt enim tibi aliud pluris illo; credens, quod anima viri Sancti enunciat aliquando vera, quam ſeptem circumſpectores, ſedentes in excelſo ad ſpeculandum.* Et quoniam hoc ipſum eſt donum, & magna gratia Spiritus Sancti, tale cor boni conſilij inuenire, & habere cor docile, ad eius conſilium ſequendum, vtrumque hoc donum ab illo petam, dicens; O Spiritus Sanctiſsime, à quo gratiæ cunctæ procedunt in bonum vniuerſæ Eccleſiæ, inſpira conſiliarijs meis conſilium quod mihi dent; mihi verò tribue cor docile, illudque conforta, vt illorum conſilium ſequar.

III. Donũ conſilii inſtar ſolis. S. Thom. 2. 2 q. 52. e 2. Cor. 11. 14. f Eccl. 37. 7 Caſſianus coll. 16. c. 11. & 12.

Prædictorum concluſio.

EX PRAEDICTIS in hac & proxima Meditatione, tria firma animæ decreta concipiam, quæ ſimul ſunt apta media ad ſolicitandum, & obtinendum frequentes Spiritus ſancti inſpirationes, & vſum ſeptẽ prædictorum donorum, in ea perfectione, quam diximus.

Tria decreta concipienda.

PRIMVM decretum ſiue propoſitum eſt, plurimùm confidere de bonitate & liberalitate Spiritus ſancti, quod ſit mihi hanc gratiam facturus, quantumuis imbecilli, ignaro, & ad malum propenſo: nam iuſtis omnibus cuiuſcunque ſint ſtatus & conditionis, ipſe communicat hæc dona, deſiderans tamen, ne otioſa maneant. Et ſicut *quatuor* illa Ezehielis a *animalia, quæ habebant vultus hominis, leonis, bouis & aquilæ*, etiamſi adeò in naturalibus differrent, & *vnumquodque coram facie ſua ambularet*, *vbi* tamen *erat impetus Spiritus* ſimul eodemque paſſu velociſsimè *gradiebantur*, ſequentes, alis ſibi conceſsis, ipſius Spiritus impulſum; ita etiam magno ingenio præditi & eruditi, tanquam aquilæ; generoſi verò & robuſti, tanquã leones, & qui ratiocinatione valent, ſed conſtitutione ſunt debiles, tanquam

I. Fiducia de bonitate S. Spir. a Ezec. 1. 10.

hominès; & deniq; rudes & laboratores, ſicut boues, poſſunt eodem paſſu in ſpirituali vita ambulare, & ad perfectionis eius culmen peruenire, alis ſubuecti virtutum & donorum, quæ Spiritus ſanctus illis communicat, ſequentes impetũ ferventis inſpirationis. O Spiritus Diuine, ſiquidem non vis talenta tua eſſe otioſa, & pigrum ac nequam ſeruum caſtigas, qui ea defodit in terram, exerce in me dona, quæ mihi miſiſti, ad ea me opera excitans & mouens, quæ tibi maximè placent.

II. Continuus vſus exercitiorum.

SECVNDVM propoſitum ſiue medium eſt, frequentare optimo quo licebit modo, illa exercitia, in quib. Spiritus S. ſuas inſpirationes communicare ſolet: quia talia exercitia ex ſe illam vim habẽt, vt ad eaſdem inſpirationes nobis communicandas eum prouocent; quæ exercitia propterea poſſumus, vt in lib. Iob dicitur, b *quaſi venas ſuſurri Dei* appellare; aut, vt ait S. Gregorius, *aquæductus*; per quos Diuina inſpiratio venit in animam. Sunt autem hæc exercitia; LECTIO piorũ librorum, & auditio concionũ (nã in his ſolet inſpirare lucem eius, quod legitur, vel auditur) ORATIO, & MEDITATIO, in quibus cũ Deo colloquentes, eundem ad loquendum nobiſcũ prouocamus; SACRA COMMVNIO, & SACRVM MISSAE, in quibus eſt ipſemet Chriſtus, qui has inſpirationes nobis promeruit, & ſimul cum Spiritu S. eas largitur. Et interdũ erit vtile, modum illum orationis exercere, qui eſt, per reſpirationes, cuius facta eſt mentio in Introductione huius operis; coniungendo videlicet ſingulis reſpirationibus affectum aliquem, aut ſuſpirium, ex amore & deſiderio, nunc Deum videndi, nunc nos liberos & expeditos à tantis miſerijs.

b *Iob. 4.12.* *S. Greg. lib. 6. c. 19 & 20. cauſarũ origines quibus inſpiratio Diuina ad mentẽ ducitur.*

Introduct. c. 6.

III. Gratiarum actio.

TERTIVM propoſitum ſiue medium eſt, gratias ſeriò agere, ob quodcunque horum donorum, quod Spiritus ſanctus nobis communicarit; iudicantes nos indignos, in quos illud conferatur; ſimul verò exactè implentes, quod nobis inſpirauerit, ſiue illud pertineat ad vitam actiuam, ſiue ad contemplatiuam: magnaq; quiete, ſenſis illis fruentes, quæ Diuinâ ſuâ luce nobis communicauit; nam, qui gratum ſe exhibet pro inſpirationibus & beneficijs acceptis, quibus etiam obſequenter vtitur & operatur, multo maiora recipiet in futuro. O Purarum animarum ſponſe, qui dixiſti, c *Surge* & abi *Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, vt* eius arbores *affluent fragantia aromata*: Expelle ex animâ mea Aquilonem illum, ventum ingratitudinis & ſuperbiæ, qui exſiccat fontes, & pluuias diſpellit ingentium tuarum miſericordiarum; mitte verò ſuper me Auſtrum feruentium inſpirationum, vt animæ meæ potentiæ affluent multitudinem fragrantium operum, quæ Diuinis tuis oculis placeant; & meis proximis afferant vtilitatem, quibus aſcendam de virtute in virtutem, donec eò perueniam, vt te videam in Sancta Sion in æternum. Amen.

S. Bern. ſer. 1. de pentecoſt. Da honorem Deo, & agere uentiã Spiritui Sancto cuius vox ſonat in auribus tuis.

c *Cant. 4. 16.*

S. Bern. ſer 31. in Cantica.

S. Aug in ſoliloq. c. 18.

ME-

MEDITATIO XXVIII.

DE PLENITVDINE SPIRITVS SANCTI, quæ data fuit Sancto Stephano, & quod Chriſtus ei in Martyrio apparuerit.

INTER *diſcipulos illius temporis, vnus ex eminentiſsimis fuit Sanctus Stephanus, primus inter ſeptem Diaconos, quos elegerunt Apoſtoli, de quo Sanctus Lucas quatuor commemorat, quæ huius Meditationis poſſunt eſſe argumentum.* Primum, *Dona, quæ Spiritus Sanctus illi eſt largitus.* Secundũ, *quàm benè ipſe eis ſit vſus.* Tertium *quos fauores à Deo ſit expertus, propter bonum illum vſum; ac deniq; quàm felicem habuerit finem: His addi poteſt premium, æterna ſcilicet gloria. qua fruitur. Quæ eadem puncta, argumentum eſſe poſſunt meditationum, pro feſtis aliorum Sanctorum.* Actuum 6. 5. & 7. 57.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM PRIMO, quàm fuerit liberalis Spiritus ſanctus in S. Stephanum, de quo dicitur, quod eſſet *plenus Spiritu ſancto*; ex qua plenitudine, aliæ quatuor oriebantur. erat enim plenus GRATIA, SAPIENTIA, FIDE, ET FORTITVDINE; Vnde tanta in eo modeſtia, & morum ſuauitas exterior elucebat, vt vultum Angelicum referre videretur. I. Liberalitas S. Spiritus in S. Stephanum.

Prima GRATIAE plenitudo, exornabat cor eius cæleſtibus virtutibus 1.
vt gratus Deo eſſet. *Secunda* plenitudo SAPIENTIAE, intellectum eius 2.
Diuinarum veritatum lumine illuſtrabat, vt cum voluptate ſua illas penetraret, & alios vtiliter doceret. *Tertia*, quæ erat FIDEI plenitudo, im- 3.
plebat eius animam, vt confidenter Deum oraret, & ſtupenda opera in hominum vtilitatem faceret: *Quarta*, quæ erat FORTITVDINIS, inui- 4.
ctum eum faciebat omnibus ſuis hoſtibus, & conſtantem in perſecutionibus, & laboribus tolerandis: & propter omnes quatuor plenitudines, erat ſicut Angelus, ducens in terreno corpore vitam Angelicam. Hæc dona gratis ei dedit Spiritus S. vt gratiæ ſuæ diuitias, non ſolum in Apoſtolis, ſed in reliquis etiam diſcipulis oſtenderet, ſed proculdubio glorioſus hic vir, ad tanta dona recipienda magno ſe feruore diſpoſuit, ipſo tamen Spiritu S. eũ ad id præueniente; cuius fauore, conabor quoq; ad ea obtinẽda me excitare: ſiquidem non eſt abbreuiata manus liberaliſsimi huius largitoris. Ipſum etiam S. Stephanũ orabo vt pro me intercedat: nam qui ſua oratione, hæc & alia ampliora dona Saulo Chriſti perſecutori impetrauit, eadem poterit & mihi impetrare; & qui tantum valuit apud Deum in terra exiſtens; non minus poterit nunc in cœlo manens.

ſitis inſinuatur *libertas* videlicet ſumma *efficacia* omnipotens & magnū, *ſecretum*, in ſuis mediis & finibus in quibus poſſumus illū imitari eo modo, qui in proximis punctis proponetur.

PVNCTVM II.

Spiritus ſanctus vbi ſpiret.

I.

PRIMA Proprietas Spiritus ſancti eſt, *vbi vult ſpirat*, quia hoc opus inſpirandi liberaliſsimè facit, non vi, nemo enim cogere illum poteſt; nec timore aliquo; quia nihil eſt, quod timeat; nec ob emolumentum proprium, quia nullum à creaturis præmium expectat; nec obligatione iuſtitiæ, quia nullus ſuis meritis eum poteſt ad id obligare; ſolum itaque inſpirat, quia ita vult, & quia infinita eius bonitas inclinat eū, ad hoc bonum, ex mera gratia nobis tribuendum. Communicat itaque inſpirationes ſuas iis perſonis, quib. vult, & quando vult, & prout vult; frequenter aut raro, magno aut paruo impulſu mouens res pro libitu ſuo, iuxta diſpoſitionem Diuinæ ſuæ prouidentiæ gratias diuidens a *prout vult*. Sed in hoc ipſo tamen oſtendit infinitam ſuam liberalitatem, dum omnibus repentè inſpirat & omnib. liberalitatis modis. Nam PRIMVM immittit huiuſmodi inſpirationes ei, qui nec petit illas, nec de petendis cogitat; DEINDE immeritis, & qui potius propter ſua peccata indigni ſūt illis. TERTIO etiam nolenti, & potius contradicenti & reſiſtenti, vt Saulo, frequētiùs nihilominus & efficacius inſpirationes ſuas immittit iuſtis quos elegit vt filios dilectionis ſuæ, de quibus ait Apoſtolus b: *qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt Filij Dei*, O fælices Filij, qui Spiritum Dei, tanquam pædagogum & perpetuum comitem ſecum habēt! O Diuine Spiritus; ſi quidem vbi vis ſpiras, quia ſummè bonus es; oſtende mecum hanc tuam bonitatem, vt velis, quod potes; inſpirans mihi frequenter; quid mihi ſit cogitandum, quid dicendum, & faciendum, vt à te motus, in omnibus tibi ſim ſimilis,

a 1. *Cor.* 12. 11.

1.

2.

3.

S. Bern. Ser. 32. *in cant. poſt mediū.*

b *Rom.* 8. 14

II.

Iuſtus quomodo vtatur illa inſpiratione.

b *Ioan.* 3. 9. *qui natus eſt ex Deo non peccat.*

Ex Hoc aſcendam ad perpendendum excellentiſsimum illum modū quo IVSTVS, qui perfectè natus eſt ex Spiritu, eius inſpiratione facit quod vult; non res malas, nec prohibitas, nec vanas, aut ad rem non pertinentes: quia, Spiritus ſanctus non ad talia mouet, ſed ſemper ad ea, quæ ſunt bona, ſancta, & vtilia: & hęc facit ſumma libertate Spiritus, non coactus vt mancipium; non cum repugnantia aut tædio ſicut tepidi, non timore inferni, ſicut imperfecti; nec præcipuè ob præmium, ſicut mercenarij; ſed quia cupit placere Deo; & ita virtutem amat, vti quamuis nullus eſſet infernus, non peccaret tamen: quia nullum ſibi terribiliorem infernum euenire poſſe exiſtimat, atq; ipſum peccatum; & quamuis nullum eſſet præmium, non propterea prætermitteret facere quod iubet Deus; quia illi obedire, ſuum præmium exiſtimat, & intra ſe ipſum viuam quamdam legem

habet

Digitized by Google

habet,quæ ipſum impellit,vt velit quicquid Deus vult.Et in hoc conſiſtit perfecta Spiritus libertas,quæ conſona eſt ipſi Spiritui ſancto,iuxta illud Apoſtoli,c *Deus Spiritus eſt,& vbi Spiritus Dei,ibi libertas.* Ex quo fit, quod ſicut Spiritus S. bonis, & malis inmittit ſuas inſpirationes; quia in hoc vult oſtendere ſuam bonitatem;ita iuſtus,ab eodē Spiritu inſtigatus, quentibus ipſum; in hoc oſtendens, ſe Filium Dei eſſe, & Spiritum eius bene facit omnibus,amicis & inimicis,etiam contradicentibus, & perſehabere.

c 2. Corint. 3.17

III. Iuſtus facit quod vult & quomodo.

Deniqve ſemper facit quod vult,quia voluntatem ſuam omninò poſuit in Dei voluntate:& eius diuini Spiritus:faciens itaque quod Deus vult,ſimul facit quod ipſe vult,quia ipſius velle,non aliud eſt quam Dei. Quamobrem dixit Sanctus Bonauentura, eos, qui Dei voluntati ſunt conformes,eſſe ſicut Deos,habentes omnipotentiam ſuæ voluntatis, ad id quod voluit.O anima mea,ſi ſupremam hanc omnipotentiam deſideras,velis ſolum,quod vult Deus:& ita illam obtinebis:reſoluas te ſemel ad negandum tuam propriam voluntatem,eamque reſignandam voluntati Diuinæ;& ita eius voluntatem ſemper faciens,facies & tuam.O Deus animæ meæ,ex nunc ſtatuo,velle ſemper quod tu vis,non coactus,ſed d *voluntariè tibi ſacrificans,* non ex timore,aut emolumenti alicuius intuitu, ſed ex mero amore;quia mihi arridet,quod tibi placet; & quod tibi arridet,mihi etiam placet.Hinc colligam ſigna ad diſcernendam inſpirationem Spiritus ſancti,quæ ſunt contraria ſuggeſtionibus Spiritus mali, à quo procedit repugnantia,tædium,& horror in adimplenda Diuina voluntate,& Sancta eius lege Quamuis timor inferni,& ſpes præmij,prouenire etiam poſſint à Spiritu ſancto;quia non ſemper inſpirat quod eſt perfectiſſimum; ſed incipit ab eo,quòd eſt minus perfectum.

In Dicta Salutis tit. 82.1.

Oratio

d Pſal. 53.8.

Pvnctvm III.

Secvnda Spiritus Sancti proprietas eſt,quòd cùm inſpirat, Vocem Eivs Avdis.in quo varijs modis eius omnipotentiam agnoſcimus.

Primvm in eo,quod cum vult inſpirare, *nulla* poſſit illi in anima noſtra *clauſa* eſſe *ianua*, nec aliquid, quod eius in illam ingreſſum impediat nec ſit poſſibile eius vocem non audire, hoc eſt ipſius pulſum, & inſpirationem, & quid per eam velit, non ſentire quamuis poſſit homo non ſentire in id, ad quod illa impellit. Habetque in hoc quidam ſingulare, quòd poſſit immediatè & ex tempore, intellectum noſtrum & voluntatem adire,& repentè imprimere notitiã & bonum affectum,quem velit:quia eſt abſolutus Dominus Spiritus noſtri in quo & per quem loqui poteſt pro libitu de re quacunque ſiue corpora,ſiue Spirituali,cum figuris ſenſibilib. in ipſa imaginatione, aut ſine illis.Sed vlterius tamē progreditur eius omnipotentia & bonitas: quia &

I. Libertas Spiritus.

S. Bern. ſer 45. Cant.

Hebr. 4. 12

S. Thom. 1 p.q.105.a.3 & 4. & q 111.a.2. & 2.2.q.173.a.2

poteſtaté & induſtriam habet ad ita inſpirandum, vt non ſolum vocé eius audiamus, ſed etiã vt eidé cóſentiamus; & obediamus ijs, quæ nobis dicit: nó violétia aut coactione, ſed ſumma noſtra voluptate & ſuauitate; ita mutãs noſtram voluntaté, vt dicamus cum Saulo, a *Domine quid me vis facere?* Ex quo prouenit, vt Spiritualis homo à Diuino Spiritu motus, eandem vim habeat & artem ad omnia, quæ velit circa Diuinum obſequium, quãuis difficilia ſint & aſpera, penetrans muros difficultatum, vt poſsit voti compos eſſe; ſimilis in hoc factus Spiritui ſancto, à quo mouetur. O Spiritus ſanctiſsime; ſiquidem es mearum potentiarum abſolutus Dominus, pulſa & ſimul aperi portas animæ meæ, & ita efficaciter b *pulſa* vt abſque mora *tibi aperiam*; vt in me & de me pro tuo libitu diſponas.

a *Actuum.* 9.6.

b *Apocal.* 3. 20.

II. Vocis diuerſitas ſpiritualis.

c *Iob.* 12.11.

d *c.* 34.3.

S. *Greg. lib.* 29. *Moral. cap.* 2.

DEINDE perpendam, quod ſicut ſinguli homines proprium habent vocis donum, quo ſe produnt, & agnoſcuntur, & diſtinguuntur ab alijs; & vt ait Iob, c *auris verba dijudicat & d probat*: ita interior vox, & Spiritus ſancti inſpiratio, habet ſuas proprietates particulares & ſigna, quæ auris animæ percipit, ex quibus agnoſcit, Deum eſſe, qui loquitur; cuius vocem diſtinguit à maligni Spiritus voce, quæ valde contraria ſigna & proprietates habet. Deprehenditur autem id totũ, ex internis effectibus ſignorum vtriuſque. SPIRITVS enim SANCTVS, voce ſua emollit corda dura, flectit contumacia, lenit aſpera, accendit frigida, debilia corroborat, deiecta erigit, colligit diſtracta, ſtabilit incóſtantia, conſolatur triſtia, & inquieta ac turbata pacificat; Superbos homines reddit humiles, iracundos manſuetos; cupidos, pauperes ſpiritu; ſibi indulgentes, facit temperatos, & in carne mortificatos. Et hoc facit imperio quodam & maieſtate, ſuauitate, & efficacite; timore improbum turbans, vt reſipiſcat; pium & bonum faciens tremere, vt ipſum magis reuereatur; finem tamen ſemper ſtatuit iuſtitiam, gaudium, & pacem. Horum omnium contrarium omnino, conatur Spiritus malus efficere ſua voce, quamuis diſsimulanter. O Spiritus Diuine, e *loquere* interius mihi, *quia audit ſeruus tuus.* Tu ipſe dicis, te cupere audire vocẽ meam, & ego valdè cupio audire tuam; f *fac* ergo *me audire vocem tuam* Diuinam, ſentiamque eius effectus, quo poſsim ego, mea voce ita reſpondere tibi, & talia opera efficere, vt ſint tuis quàm ſimillima.

Oratio.

e 1. *Reg.* 3.10

f *Cant.* 8.13

III. Quænam vox ſpiritualis.

HINC deducam, quod vir ſpiritualis à Spiritu ſancto motus, habet *ſuas voces*, quibus agnoſcitur eſſe talis, quia ſunt ſimiles vocibus Spiritus ſancti, ipſum mouentis: voces autem hæ ſunt; vultûs modeſtia, grauitas in omnibus corporis motibus, puritas & diſcretio in verbis, velocitas in obedientia, in cibo temperantia, hilaritas in perſecutionibus, conſtantia in laboribus, humilitas qua ſe omnibus ſubijcit, diligentia in operibus Diuini cultûs; guſtus in oratione, zelus in iuuandis animabus. Hęc & ſimilia opera ſunt voces eius, qui natus perfectè ex Spiritu ſancto ab eius inſpi-

rati-

Digitized by Google

ratione mouetur, & ex eis agnoſcitur quis ſit, ſicut arbor ex fructibus.

PVNCTVM IV.

TERTIA proprietas Spiritus ſancti eſt, vt quamuis ita inſpirat, vt eius vocem audiamus. NESCIAMVS tamen VNDE VENIAT AVT QVO VADAT, nam ex inſtituto celat ſuos ingreſſus, & exitus, principia & fines, admiranda ſeæ prouidentiæ diſpoſitione.

NAM inprimis occultat *aduentum* ſuæ inſpirationis, quò ad tempus, locum, exercitationem, & occaſionem eius. Nam interdum venit diebus feſtiuis, interdum profeſtis, nunc die, nunc nocte, nunc manè, nunc veſperi, interdum venit in ipſa Eccleſia, aut in Oratorio; nunc in platea, aut in campis, interdum venit in ipſa oratione, aut in ſacro Miſſæ, aut ſub ipſa concione, interdum in ipſis negotijs & operibus externis. Interdum ingreditur per aſpectum, vt cùm piam aliquam imaginem videmus; aliàs, per auditum; dum pia aliqua verba audimus; aut per guſtatum & tactum, dum aliquem dolorem patiamur, aut ſuſtinemus laborem. Denique vt ipſe Dominus dixit Iob, ſciri non poteſt, a *per quam viam ſpargatur lux* Diuinarum ſcilicet illuſtrationum, *& diuidatur æſtus* accenſarum inſpirationum *ſuper terram.* Vult enim ipſe, nos ſemper ab ipſius prouidentia depēdere, & demiſſe agnoſcere hanc ab ea dependētiam; & ingenuè fateri, noſtram induſtriam non poſſe ſufficere, ad talem gratiam & fauorem obtinendum; & quando re ipſa nobis datur, id non ob noſtra merita, ſed ex ipſius dantis gratia prouenire. O Dator munerum, viſita me frequenter inſpiratione tua ſancta; veni vero qua via volueris; libet enim mihi eam ignorare, vt ſic me humiliem; credens te in omni loco & tempore fauere mihi poſſe.

I. Aduentus S. Spiritus occultus.

a *Iob.* 38. 24 *S. Greg. ibi.*

Oratio

EADEM quoque ratione occultat nobis Spiritus ſanctus finem, *quo vadit*, & in quem ſuas inſpirationes dirigit. Etſi enim non ignoremus eius voluntatis eſſe, vt pareamus ipſi, in exequendo bono, quod ad ſuam gloriam & noſtram ſalutem nobis inſpirat; ſed particularem tamē finem illius, quod inſpirat, non nouimus, nam ex paruis ſæpe initijs, grandes fines prætendit, & magno interdum impulſu ad res aliquas impellit; quarum fines, niſi exitus illos manifeſtent, cognoſci non poſſunt, ſicut dixit Apoſtolus: b *Ecce nunc alligatus ego Spiritu vi inſpirationis vado in Ieruſalem, quæ in ea ventura ſunt mihi, ignorans.* Placet enim Spiritui ſancto, vt nos iudicium & voluntatem noſtram, ſanctæ ipſius inſpirationi reſignantes, à beneuola ipſius prouidentia, finem & exitū, quem ipſe quærit, exſpectemus

II. Finis ſimiliter occultus.

b *Actuum* 20. 22.

 O aman-

O amantiſsime Pater, inſpira mihi, quod tibi, iuxta ſanctam tuam legem & voluntatem libet. ſatis enim mihi eſt, finem vltimum ſcire, quem tu quæris, vt ego obediam in cæteris medijs & finibus, quos præſcripſeris.

III. Documenta duo I. DVO ex his diſcam; PRIMVM eſt, ſi moueor à Spiritu S. etiamſi publica aliqua opera præſtem, quæ animæ virtutem prodant, debere me occultare hominibus fines & intentiones meas, & contentum eſſe, ſi illæ ſoli Deo ſint notæ: ne prædo vanæ gloriæ, theſaurum meum deprædetur: quamuis par ſit confeſſarium, & Spiritus Magiſtrum, qui me Dei nomine
II. gubernat, omnium eſſe conſcium, ne fortè Satanas transfiguratus in Angelum lucis, me decipiat. Secundum eſt, magnam, concipere fiduciam, obtinendi hanc ſanctitatis altitudinem: neque enim abſque myſterio dixit Chriſtus Dominus noſter vniuerſim; *ſic eſt omnis, qui natus eſt ex Spiritu*; vt omnibus ſpem faceret, quod quilibet iuſtus poſsit ad eam perfectionem peruenire, ſi vitam ſuam inſtituat, iuxta gratiam, quam in ſua Spirituali generatione accepit; & obediat motioni Diuini Spiritus, qui ad eam inſtigat ac dirigit; in cuius ſignum & fidelitatis pignus, dat omnibus iuſtis ſeptem ſua dona, vt iam videbimus.

MEDITATIO XXVII.

DE SEPTEM DONIS, QVAE SPIRITVS SANctus iuſtis communicat, vt ab eius inſpirationibus dirigi ſe ſinentes, ad magnam perueniant ſanctitatem.

PVNCTVM I.

D. Thom. 1. 2. q. 68. I. Dona S. Spiritus. *a Iſaia, 11. 2.* CONSIDERANDVM *Primo*, Spiritum ſanctum, in Spiritualis hominis generatione, cum tribus Theologicis virtutibus, Fide, Spe, Charitate, ſimul in fundere iuſtis *ſeptem dona*; quæ Iſaias appellat a *donum ſapientiæ, & intellectus, conſilij, & fortitudinis, ſcientiæ, & pietatis, & timoris Domini*: quorũ fines & officia: diſtincta ſunt valde munus enim virtutum eſt, inclinare hominem ad piorum operum exercitationem ex propria electione, & libero vſu arbitrij, adiuto tamẽ Diuinâ gratiâ, ideoque poteſt ſemper illis operari, credendo videlicet, ſperando, diligendo, obediendo, ſe humiliando, ſicut voluerit: quia Diuina gratia nunquam illi deeſt. Donorum verò munus eſt, inclinare iuſtum, vt ſe dedat, & ſubijciat impulſui & motioni, quæ aliunde ipſi aduenit, hoc eſt ab ipſo Spiritu ſancto donorum illorum largitore, quando vento ſuæ in-
S. Thom. ſupra a. 1. ſpirationis mouet illum ad benè operandum, ſicut vela ſeruiunt naui, vt afflante vento, facilè moueatur, & impellatur; & ideo Iſaias hæc dona

vocat

vocat Spiritus, quia ſunt Spiritus ſancti inſtrumenta; ad efficienda opera iuſtorum, qui ab ipſo Spiritu impelluntur. Ex quo apparet, quam ſit magnum Spiritus ſancti deſiderium, vt eius Diuinis inſpirationibus acquieſcamus; ſiquidem talia ad id dona nobis largitur. Propter quæ, b *ſepties in die laudes illi dicam*, cum Dauide: Inuitans Apoſtolos, & ciues cœleſtes, ad id, vt me iuuent, O Sacri Apoſtoli, qui c *vt columbæ volaſtis*. alis veſtrarum virtutum, & *ſicut nubes*, impulſi eſtis à Spiritu ſancto, per eius ſeptem dona; ſupplicate eidem, ea vt mihi communicet, vt inſtar columbæ volem ad ea, quæ eius ſunt obſequij, & inſtar nubis, patiar me à ſancta eius inſpiratione moueri.

b *Pſal. 118. 164.*

c *Iſaia, 60. 8*

II. *S. Thom. ſupra a. 2.* Donorum S. Spiritus neceſsitas.

Ex Dictis colligam hæc dona (ſancto Thomâ teſte) eſſe iuſtis neceſſaria, ad æternam vitam conſequendam, tum quòd ſemper cum gratia & charitate ita ſint colligata, vt non poſsint ab ea ſeparari, tum quòd inſtinctus, & inſpiratio Spiritus ſancti neceſſaria ſit ad vtramque iuſtitiæ & ſanctitatis partem conſeruandam, diſcedere ſcilicet à malo, & ſequi bonum, præcipuè in rebus arduis ac difficilibus, quæ in hac vita eueniunt. Et quoniam Spiritus ſanctus, adeo deſiderat ſalutem & perfectionem noſtram, ſtatim adeſt, vt nobis faueat, his donis nos præueniens, vt illi obediamus. Gratias tibi! O Spiritus ſanctiſsime, quod curæ tibi ſit, imbecillitatem meam adeo inſignibus gratiæ tuæ donis adiuuare: ne, quæſo, patiaris, vt eorum iacturam faciam, donec per ea vitam æternam obtineam.

Pvnctvm II.

Vſus donorum iſtorũ *Lib. 2. moralit. c. 26.*

Deinde conſiderandus eſt modus, quo Spiritus ſanctus, ſeptem prædictis donis, per ſuas inſpirationes nos *retrahit à malo*, adiuuatque ad vitia, tentationeſque vincedas; quod ſanctus Gregorius hac ratione explicuit: aduerſus ſtultitiam, inquit, armat nos Spiritus ſanctus, ſapientia contra ruditatem, intellectu; contra præcipitationem, conſilio; contra ignorantiam, ſcientia; contra puſillanimitatem fortitudine; contra cordis duriciem, pietate; contra ſuperbiam, timore. Septem itaque hæc ſpiritus S. dona, ſunt nobis arma offenſiua, & defenſiua; quæ nobis Spiritus S. præbet, aduerſus præcipuas radices tentationum, quæ vitam ſpiritualem oppugnant, vt expugnent.

I. Stultitiæ ſpiritualis quæ.

Primò, aliquæ tentationes procedunt nobis ex *tædio* quodam, & paruo appetitu, quem ad res Dei habemus, quæ appellatur Stvltitia; eò quòd caro, non ſolum rebus ſpiritus non delectetur, ſed nec vllum ſaporem inueniat, nec res æternas æſtimet; ideoque tędio quodam earum affecta, eas negligit, & conuertit ſe ad ſenſuum delicias quærendas; ſicut Filij Iſrael tedio affecti ex quotidiano vſu Mannæ dicebant: a *anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo*, & ſuſpirantes dicebant, b *recordamur*

a Num. 21. 5
b Num. 11. 5

Spiritus ad accenſos actus amoris Dei, & vnitionis cum ipſius bonitate. 3. Scientia Dono SCIENTIAE perficit nos in cognitione rerũ creatarum, ſuis nobis inſpirationibus veram imprimens iudicium, de eis faciendum, tum ratione eorum, quæ à Deo habent; tum eorum quæ habent à ſeipſis; ex quo oritur, vt propter hanc SCIENTIAM, ſicut alter Apoſtolus Paulus, b *arbitremur omnia vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciamus.* b *Philip. 3. 8*

SED quoniam oratio, vt ſit perfecta, ad praxim debet accedere, & non in ſola cognitione & affectu ſiſtere, ſed fructum adferre in benè propoſitis & excellentibus operibus; ideò dono *Conſilij* perficit cognitionem rerũ particularium, quas nobis proponere debemus, vt quæ Deus iubet, exequamur, & hac ratione, adiuuat nos ſpiritus S. in oratione mentali; abſque cuius fauore, erit illa vaga, arida, & parum vtilis. Nam vt ſapiens ait, c *ſicut parturientis, cor tuum phantaſias patietur: niſi ab altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio*; quaſi diceret, patietur magnas diſtractiones, & multitudinem affectuum perturbatorum & inconſtantiam, niſi Spiritus ſanctus, hominẽ viſitans, illum ſuis inſpirationibus colligat atque dirigat. Quare, cum ad orationem accedo, orandus mihi eſt Spiritus ſanctus, hanc vt mihi gratiã tribuat, dicens illi; O Diuine Spiritus, qui doces orare gemitibus inenarrabilibus, viſita me hiſce donis, & iuua tuis illuſtrationibus; vt intellectus meus, ſanctas proferat cogitationes, voluntas affectus accenſos, & reliquę potentiæ, ad opera excellentia permoueantur. Amen.

4. Dono conſilij quid faciat.

c *Eccl. 34. 6*
S. Bonauen. de ſeptem itiner præcipuè diſt. 5. nota. 2.

DEINDE perpendam, eundem Spiritum ſanctum, tribus illis donis, PIETATIS, FORTITVDINIS, & TIMORIS DEI, nos perficere in operibus vitæ actiuæ; erga noſtros proximos, erga nos ipſos, & erga Deum Dominum noſtrum.

II.
S. Thom. 1. 2. q. 63. a. 4.
Vita actiua roboratur donis Spiritus ſancti

1 Nam dono PIETATIS, perficit nos in operibus, erga noſtros proximos præſtandis, imprimens nobis ſpiritum filiorum erga noſtros ſuperiores, & matris erga inferiores, & ſpiritum commiſerationis ergà æquales; vt in viſceribus charitatis, ſuccurramus omnium indigentijs & neceſsitatibus corporis & animæ, huius præcipuè, eò quod ſint maioris momenti.

2. Dono FORTITVDINIS perficit nos, in nobis ipſis, fortificando imbecillitatem carnis noſtræ, eiuſque tumores reprimendo & , nos ad egregia & glorioſa Diuini obſequij opera permouendo, omni humano timore ſepoſito.

3. Dono TIMORIS, perficit nos in ordine ad Dominum Deum noſtrum, imprimens nobis ſpiritum reuerentiæ & demiſsionis; ita vt nos ipſos in eius conſpectu, nihili ducamus, ſed gloriam ipſi demus pro omnibus, quę hiſce donis adiuti præſtamus; ſiquidem quidquid illud eſt, ab ipſo habemus; & hac ratione nos impellit ad ſequendũ conſilium illud Sapiẽtis; d *in* d *Eccl. 33. 23*

omnibus

Digitized by Google

omnibus operibus tuis præcellens eſto; & interdùm ad altiſsima quædam & extraordinaria mouet, vt extraordinariam etiam donet nobis ſanctitatem.

III. Donũ conſilii inſtar ſolis. S. *Thom.* 2. 2 q. 52.

VLTIMO conſiderabo, donum CONSILII eſſe inſtar ſolis, in medio horum ſeptem cœleſtium planetarum, præferens nobis lumẽ, circa agenda in operibus vtriuſq; vitæ, actiuæ & contemplatiuæ; vt rectè eligamus, quæ magis expediunt; modumque, locum, & tempus ea exercendi: & quoniam res internæ valdè ſunt ſecretæ, poſſuntque in eis magnæ eſſe fraudes, e *transfigurante ſe Sathana in angelum lucis*, ſubuenit Diuinus Spiritus dono CONSILII, vt ſine fraude, veritatem quæramus, & occurrat nobis. Sed quoniam nemo ſibi ſufficiens eſt, inſpirat nobis hoc dono admirandum quoddam conſilium, vt ſcilicet proprio conſilio nunquam fidamus, ſed recurramus ad eos conſiliarios, quos ipſe in ſua Eccleſia conſtituit, iuxta illud Sapientis, f *cor boni conſilij ſtatue tecum; non eſt enim tibi aliud pluris illo: credens, quod anima viri Sancti enunciat aliquando vera, quam ſeptem circumſpectores, ſedentes in excelſo ad ſpeculandum.* Et quoniam hoc ipſum eſt donum, & magna gratia Spiritus Sancti, tale cor boni conſilij inuenire, & habere cor docile, ad eius conſilium ſequendum, vtrumque hoc donum ab illo petam, dicens; O Spiritus Sanctiſsime, à quo gratiæ cunctæ procedunt in bonum vniuerſæ Eccleſiæ, inſpira conſiliarijs meis conſilium quod mihi dent; mihi verò tribue cor docile, illudque conforta, vt illorum conſilium ſequar.

e 2. *Cor.* 11. 14.

f *Eccl.* 27. 7
Caſſianus coll. 16. c. 11. & 12.

Prædictorum concluſio.

Tria decreta concipienda.

EX PRAEDICTIS in hac & proxima Meditatione, tria firma animæ decreta concipiam, quæ ſimul ſunt apta media ad ſolicitandum, & obtinendum frequentes Spiritus ſancti inſpirationes, & vſum ſeptẽ prædictorum donorum, in ea perfectione, quam diximus.

I. Fiducia de bonitate S. Spir.

PRIMVM decretum ſiue propoſitum eſt, plurimùm confidere de bonitate & liberalitate Spiritus ſancti, quod ſit mihi hanc gratiam facturus, quantumuis imbecilli, ignaro, & ad malum propenſo: nam iuſtis omnibus cuiuſcunque ſint ſtatus & conditionis, ipſe communicat hæc dona, deſiderans tamen, ne otioſa maneant. Et ſicut *quatuor* illa Ezehielis a *animalia, quæ habebant vultus hominis, leonis, bouis & aquilæ*, etiamſi adeò in naturalibus differrent, & *vnumquodque coram facie ſua ambularet*, *vbi* tamen *erat impetus Spiritus* ſimul eodemque paſſu velociſsimè *gradiebantur*, ſequentes, alijs ſibi conceſsis, ipſius Spiritus impulſum; ita etiam magno ingenio præditi & eruditi, tanquam aquilæ; generoſi verò & robuſti, tanquã leones, & qui ratiocinatione valent, ſed conſtitutione ſunt debiles, tanquam

a *Ezec.* 1. 10.

homines; & deniq; rudes & laboratores, ſicut boues, poſſunt eodem paſſu in ſpirituali vita ambulare, & ad perfectionis eius culmen peruenire, alis ſubuecti virtutum & donorum, quæ Spiritus ſanctus illis communicat, ſequentes impetũ feruentis inſpirationis. O Spiritus Diuine, ſiquidem non vis talenta tua eſſe otioſa, & pigrum ac nequam ſeruum caſtigas, qui ea defodit in terram, exerce in me dona, quæ mihi miſiſti, ad ea me opera excitans & mouens, quæ tibi maximè placent.

II. Continuus vſus exercitiorum. b *Iob. 4.12.* *S. Greg. lib. 6 c. 19 & 20. cauſarũ origines quibus aſpiratio Diuina ad mentẽ ducitur.* *Introduct. c. 6.*

SECVNDVM propoſitum ſiue medium eſt, frequentare optimo quo licebit modo, illa exercitia, in quib. Spiritus S. ſuas inſpirationes communicare ſolet: quia talia exercitia ex ſe illam vim habẽt, vt ad eaſdem inſpirationes nobis communicandas eum prouocent; quæ exercitia propterea poſſumus, vt in lib. Iob dicitur, b *quaſi venas ſuſurri Dei* appellare; aut, vt ait S. Gregorius, *aquæ ductus*; per quos Diuina inſpiratio venit in animam. Sunt autem hæc exercitia; LECTIO piorũ librorum, & auditio concionũ (nã in his ſolet inſpirare lucem eius, quod legitur, vel auditur) ORATIO, & MEDITATIO, in quibus cũ Deo colloquentes, eundem ad loquendum nobiſcũ prouocamus; SACRA COMMVNIO, & SACRVM MISSAE, in quibus eſt ipſemet Chriſtus, qui has inſpirationes nobis promeruit, & ſimul cum Spiritu S. eas largitur. Et interdũ erit vtile, modum illum orationis exercere, qui eſt, per reſpirationes, cuius facta eſt mentio in Introductione huius operis; coniungendo videlicet ſingulis reſpirationibus affectum aliquem, aut ſuſpirium, ex amore & deſiderio, nunc Deum videndi, nunc nos liberos & expeditos à tantis miſerijs.

III. Gratiarum actio. *S. Bern. ſer. 2 de pentecoſt. Da bonorum Dei & agere ueniam Spiritui Sancto cuius vox ſonat in auribus tuis.* c *Cant. 4. 16.* *S. Bern. ſer. 51. in Cantica.* *S. Aug in ſoliloq. c. 18.*

TERTIVM propoſitum ſiue medium eſt, gratias ſeriò agere, ob quodcunque horum donorum, quod Spiritus ſanctus nobis communicarit; iudicantes nos indignos, in quos illud conferatur; ſimul verò exactè implentes, quod nobis inſpirauerit, ſiue illud pertineat ad vitam actiuam, ſiue ad contemplatiuam: magnaq; quiete, ſenſis illis fruentes, quæ Diuinâ ſi â luce nobis communicauit; nam, qui gratum ſe exhibet pro inſpirationibus & beneficijs acceptis, quibus etiam obſequenter vtitur & operatur, multo maiora recipiet in futuro. O Purarum animarum ſponſe, qui dixiſti, c *Surge* & abi *Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, vt* eius arbores *affluent fragantia aromata*: Expelle ex animâ mea Aquilonem illum, ventum ingratitudinis & ſuperbiæ, qui exſiccat fontes, & pluuias diſpellit ingentium tuarum miſericordiarum; mitte verò ſuper me Auſtrum feruentium inſpirationum, vt animæ meæ potentiæ affluent multitudinem fragrantium operum, quæ Diuinis tuis oculis placeant; & meis proximis afferant vtilitatem, quibus aſcendam de virtute in virtutem, donec eò perueniam, vt te videam in Sancta Sion in æternum. Amen.

ME-

MEDITATIO XXVIII.

DE PLENITVDINE SPIRITVS SANCTI, quæ data fuit Sancto Stephano, & quod Chriſtus ei in Martyrio apparuerit.

INTER *diſcipulos illius temporis, vnus ex eminentiſsimis fuit Sanctus Stephanus, primus inter ſeptem Diaconos, quos elegerunt Apoſtoli, de quo Sanctus Lucas quatuor commemorat, quæ huius Meditationis poſſunt eſſe argumentum.* Primum, *Dona, quæ Spiritus Sanctus illi eſt largitus.* Secundũ, *quàm benè ipſe eis ſit vſus.* Tertium *quos fauores à Deo ſit expertus, propter bonum illum vſum; ac deniq; quàm felicem habuerit finem: His addi poteſt præmium, æterna ſcilicet gloria. qua fruitur. Quæ eadem puncta, argumentum eſſe poſſunt meditationum, pro feſtis aliorum Sanctorum.* Actuum 6. & 7.57.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM PRIMO, quàm fuerit liberalis Spiritus ſanctus in S. Stephanum, de quo dicitur, quod eſſet *plenus Spiritu ſancto*; ex qua plenitudine, aliæ quatuor oriebantur. erat enim plenus GRATIA, SAPIENTIA, FIDE, ET FORTITVDINE; Vnde tanta in eo modeſtia, & morum ſuauitas exterior elucebat, vt vultum Angelicum referre videretur. I. Liberalitas S. Spiritus in S. Stephanum.

Prima GRATIAE plenitudo, exornabat cor eius cæleſtibus virtutibus vt gratus Deo eſſet. 1. *Secunda* plenitudo SAPIENTIAE, intellectum eius Diuinarum veritatum lumine illuſtrabat, vt cum voluptate ſua illas penetraret, & alios vtiliter doceret. 2. *Tertia*, quæ erat FIDEI plenitudo, implebat eius animam, vt confidenter Deum oraret, & ſtupenda opera in hominum vtilitatem faceret: 3. *Quarta*, quæ erat FORTITVDINIS, inuictum eum faciebat omnibus ſuis hoſtibus, & conſtantem in perſecutionibus, & laboribus tolerandis: 4. & propter omnes quatuor plenitudines, erat ſicut Angelus, ducens in terreno corpore vitam Angelicam. Hæc dona gratis ei dedit Spiritus S. vt gratiæ ſuæ diuitias, non ſolum in Apoſtolis, ſed in reliquis etiam diſcipulis oſtenderet, ſed proculdubio glorioſus hic vir, ad tanta dona recipienda magno ſe feruore diſpoſuit, ipſo tamen Spiritu S. eũ ad id præueniente; cuius fauore, conabor quoq; ad ea obtinẽda me excitare: ſiquidem non eſt abbreuiata manus liberaliſsimi huius largitoris. Ipſum etiam S. Stephanũ orabo vt pro me Intercedat: nam qui ſua oratione, hæc & alia ampliora dona Saulo Chriſti perſecutori impetrauit, eadem poterit & mihi impetrare; & qui tantum valuit apud Deum in terra exiſtens; non minus poterit nunc in cœlo manens.

Digitized by Google

ſacrificijs intereſſe, & Sacramenta recipere. eſt enim templũ ſchola Chriſti, domus orationis, propitiatorium peccatorum noſtrorum, & locus Diuino cultui dedicatus. Et in illis exercitijs, magnam diei partem conſumebant, ſingulari animi voluptate, quia Spiritus ſanctus illis aſsiſtebat.

II. Mutua cõuiuia. c Pſal. c. 7. 4

QVIBVS EXERCITIIS erga Deum præſtitis, inſpiratione etiam eiuſdem Spiritus ſancti, alij ad aliorum domos conueniebant, amanter, & in charitate ſe inuitantes, & cibum corporis ſumentes cum lætitia, non ſenſuali ſed ſpirituali; vbi re ipſa implebatur illud Dauidis: c *iuſti epulentur & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitiâ*, cui lætitiæ ſimplicitatem cordis adiungebant, non ſimulationes, fictiones, aut murmurationes aliorum contra alios; ſed ſimplici intentione placendi Deo, & fraternam charitatem conſeruandi, præbentes nobis exemplum, qua ratione deceat nos cibum ſumere, opus videlicet hoc, quod alias eſt proprium carnis, ea ratione ſpirituale reddendo.

III. Laudes Dei. Oratio d Cant. 4. 9 S. Gre. ibid.

HINC proueniebat, vt ſemper laudarent, & glorificarẽt Deum magna totius populi ædificatione, qui diligebat illos & venerabatur, ob ſanctitatem & charitatem, quæ in eis reſplendebat. O Ieſu amantiſsime, dulciſsime iuſtarum animarum Sponſe, quàm opportunè nunc dicere potes, aſpiciens vitam paruæ huius Eccleſiæ ſponſæ tuæ, d *vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum, in vno oculorum tuorum*, vnione videlicet & concordia horum iuſtorum, qui ſunt inſtar oculorum tuorum; nã vt oculi ſibi inuicem ſunt ſimiles, & vnà aperiuntur & clauduntur, & vnà ad hanc & illam partem mouentur, vnà vigilant, & vnà dormiunt; ita hi iuſti magna concordia ſimul ſe conferunt in templum, ſimul orant, ſimul verbum tuum audiunt, & opera charitatis exercent, quia omnium eſt cor vnum, & vnus Spiritus, tecum & inter ſe inuicem perfecto amore coniuncti. O Spiritus ſanctiſsime, qui es cor Eccleſiæ inuiſibile, dimitte per omnia eius membra Spiritus vitæ, tuas videlicet inſpirationes Diuinas, quibus magna animorum coniunctione & fortitudine, ad omnia conueniant, quæ tuum obſequium concernunt; ita vt amoris vulneribus, vulnerent cor tuum, dignos ſe reddentes, quos tu diligas, & in quibus amoris tui ignem augeas. Amen.

ANTEQVAM *proſequar hanc hiſtoriam, duas inſeram meditationes, ex quibus Iuſti, qui nunc in Eccleſia viuunt, deprehendant, quantum habeant ſumptum à Spiritu S. vt peruenire poſſint ad eam Sanctitatem, quam illi primi ſancti habuerunt.*

Digitized by Google

MEDITATIO XXVI.

DE ALTISSIMA PERFECTIONE QVAM Spiritus Sanctus ſuis inſpirationibus communicat, & de proprietatibus earum.

PVNCTVM I.

PRIMO conſiderandum, quod Spiritus ſanctus, quos aqua *Baptiſmatis* regenerat ad eſſe gratiæ, faciat ſibi ipſi ſimiles, ſuiſque inſpirationibus ad tantam eos deducat altitudinem ſanctitatis, vt poſſint ſicut ipſe appellari ſpiritus, quod ipſe Chriſtus Dominus noſter, expreſsè docuit, cum dixit Nicodemo: a *Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt: Spiritus vbi vult ſpirat; & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quo vadat: ſic eſt omnis, qui natus eſt ex Spiritu.* Quaſi dicat; ſicut qui per generationem carnalem ex carne natus, eſt in omnibus ſimilis ei, qui illum genuit, à quo, vt naturam accepit, ſic etiam proprietates & propenſiones naturales, quas habet ipſe genitor; verbi gratia: vnus homo generat hominem ſibi ſimilem in iis, quæ propria ſunt hominis; quamuis, qui genitus eſt, non ſtatim in ſuis actionibus, ad totam ſuam perfectionem perueniat, donec adoleuerit: ſic proportione quadam, qui naſcitur de Spiritu ſancto per generationem ſpiritualem, ſimilis eſt ipſi Spiritui, à quo accipit gratiam, virtutes, & dona, quæ ſunt quædam Diuinæ naturæ participatio, quorum virtute appellari poteſt Spiritus, homo ſcilicet ſpiritualis, Spiritui ſancto ſimilis, qui illum genuit ſpiritualiter. Quamobrem dixit ſanctus Auguſtinus, *ſi naſcaris de Spiritu hoc eris vt ille*; & virtute eius, poteris in carne viuere, atque ſi eſſes ſpiritus, liber, & expeditus à carnalibus motibus, veritatibus illuſtratus, virtutibus diues, & feruentibus affectibus accenſus; & imitaberis excellentiſſimum modum quem ipſe habet, ſua opera peragendi. O Spiritus ſanctiſſime, quas tibi gratias referam, pro tam alta hac dignitate, quā homini carnali concedis, vt poſſit ſicut tu, eſſe & vocari Spiritus. O Pater amantiſſime, qui filios tuos ita generas, vt etiam intra ipſos maneas, iuuans illos in ſuis actionibus, vt creſcant & proficiant, donec perfecti euadant; ſicut tu es; ſiquidem ergo, me per Baptiſmum genuiſti, ſuggere mihi, quæ facere me oportet; vt mea opera, tuis ſint ſimilia, & tibi adhærens, b *vnus tecum Spiritus efficiar* in ſæcula. Amen.

Spiritus ſancti effectus in renatis.

a Ioan. 3. 6.

Tract. 11. in Ioan.

Oratio.

LICET poſtea ratiocinari per tres excellentes proprietates, quas Spiritus ſanctus habet in opere ſuæ inſpirationis quæ in verbis propo-

b 1. Corint. 6. 17.

habet,quæ ipſum impellit,vt velit quicquid Deus vult.Et in hoc conſiſtit perfecta Spiritus libertas,quæ conſona eſt ipſi Spiritui ſancto,iuxta illud Apoſtoli,c *Deus Spiritus eſt,& vbi Spiritus Dei,ibi libertas.* Ex quo fit, quod ſicut Spiritus S. bonis, & malis inmittit ſuas inſpirationes; quia in hoc vult oſtendere ſuam bonitatem;ita iuſtus,ab eodẽ Spiritu inſtigatus, quentibus ipſum; in hoc oſtendens, ſe Filium Dei eſſe, & Spiritum eius bene facit omnibus,amicis & inimicis,etiam contradicentibus, & perſehabere.

c *2. Corint. 3.17*

III. Iuſtus facit quod vult & quomodo.

DENIQVE ſemper facit quod vult,quia voluntatem ſuam omninò poſuit in Dei voluntate:& eius diuini Spiritus:faciens itaque quod Deus vult,ſimul facit quod ipſe vult,quia ipſius velle,non aliud eſt quam Dei. Quamobrem dixit Sanctus Bonauentura, eos, qui Dei voluntati ſunt conformes,eſſe ſicut Deos,habentes omnipotentiam ſuæ voluntatis, ad id quod voluit.O anima mea,ſi ſupremam hanc omnipotentiam deſideras,velis ſolum,quod vult Deus;& ita illam obtinebis:reſoluas te ſemel ad negandum tuam propriam voluntatem,eamque reſignandam voluntati Diuinæ;& ita eius voluntatem ſemper faciens,facies & tuam.O Deus animæ meæ,ex nunc ſtatuo,velle ſemper quod tu vis,non coactus,ſed d *voluntariè tibi ſacrificans,* non ex timore,aut emolumenti alicuius intuitu, ſed ex mero amore;quia mihi arridet,quod tibi placet; & quod tibi arridet,mihi etiam placet.Hinc colligam ſigna ad diſcernendam inſpirationem Spiritus ſancti,quæ ſunt contraria ſuggeſtionibus Spiritus mali, à quo procedit repugnantia,tædium,& horror in adimplenda Diuina voluntate,& Sancta eius lege Quamuis timor inferni,& ſpes præmij,prouenire etiam poſsint à Spiritu ſancto;quia non ſemper inſpirat quod eſt perfectiſsmum; ſed incipit ab eo,quòd eſt minus perfectum.

In Dicta Salutis tit. 82.1.

Oratio

d *Pſal. 53.8.*

PVNCTVM III.

SECVNDA Spiritus Sancti proprietas eſt,quòd cùm inſpirat, VOCEM EIVS AVDIS.in quo varijs modis eius omnipotentiam agnoſcimus.

I. Libertas S. Spiritus.

PRIMVM in eo,quod cum vult inſpirare,*nulla* poſsit illi in anima noſtra *clauſa* eſſe *ianua*, nec aliquid, quod eius in illam ingreſſum impediat nec ſit poſsibile eius vocem non audire, hoc eſt ipſius pulſum, & inſpirationem, & quid per eam velit, non ſentire quamuis poſsit homo non ſentire in id, ad quod illa impellit. Habetque in hoc quidam ſingulare, quòd poſsit immediatè & ex tempore, intellectum noſtrum & voluntatem adire,& repentè imprimere notitiã & bonum affectum,quem velit:quia eſt abſolutus Dominus Spiritus noſtri in quo & per quem loqui poteſt pro libitu de re quacunque ſiue corpora,ſiue Spirituali,cum figuris ſenſibilib. in ipſa imaginatione, aut ſine illis.Sed vlterius tamẽ progreditur eius omnipotentia & bonitas: quia &

S.Bern. ſer. 45.Canti.
Hebr.4.12.
S.Thom.1. p.q.105.a.3. & 4. & q. 111.a.2.& 1. 2.q.173.a.2.

poteſtatẽ & induſtriam habet ad ita inſpirandum,vt non ſolum vocẽ eius audiamus,ſed etiã vt eidẽ cõſentiamus; & obediamus ijs, quæ nobis dicit: nõ violẽtia aut coactione,ſed ſumma noſtra voluptate & ſuauitate;ita mutãs noſtram voluntatẽ,vt dicamus cum Saulo, a *Domine quid me vis facere?* Ex quo prouenit, vt Spiritualis homo à Diuino Spiritu motus , eandem vim habeat & artem ad omnia,quæ velit circa Diuinum obſequium,quãuis difficilia ſint & aſpera,penetrans muros difficultatum, vt poſsit voti compos eſſe;ſimilis in hoc factus Spiritui ſancto,à quo mouetur. O Spiritus ſanctiſsime;ſiquidem es mearum potentiarum abſolutus Dominus, pulſa & ſimul aperi portas animæ meæ,& ita efficaciter b *pulſa* vt abſque mora *tibi aperiam*;vt in me & de me pro tuo libitu diſponas.

a *Actuum.* 9.6.

b *Apocal.* 3. 20.

II. Vocis diuerſitas ſpiritualis.

DEINDE perpendam , quod ſicut ſinguli homines proprium habent vocis donum,quo ſe produnt,& agnoſcuntur,& diſtinguntur ab alijs ; & vt ait Iob,c *auris verba dijudicat & d probat*:ita interior vox,& Spiritus ſancti in ſpiratio,habet ſuas proprietates particulares & ſigna,quæ auris animæ percipit,ex quibus agnoſcit,Deum eſſe,qui loquitur;cuius vocem diſtinguit à maligni Spiritus voce, quæ valde contraria ſigna & proprietates habet.Deprehenditur autem id totũ,ex internis effectibus ſignorum vtriuſque.SPIRITVS enim SANCTVS,voce ſua emollit corda dura;flectit contumacia,lenit aſpera;accendit frigida,debilia corroborat , deiecta erigit,colligit diſtracta,ſtabilit incõſtantia, conſolatur triſtia, & inquieta ac turbata pacificat;Superbos homines reddit humiles,iracundos manſuetos;cupidos,pauperes ſpiritu;ſibi indulgentes,facit temperatos , & in carne mortificatos.Et hoc facit imperio quodam & maieſtate , ſuauitate, & efficacite;timore improbum turbans,vt reſipiſcat;pium & bonum faciens tremere,vt ipſum magis reuereatur;finem tamen ſemper ſtatuit iuſtitiam,gaudium,& pacem.Horum omnium contrarium omnino,conatur Spiritus malus efficere ſua voce, quamuis diſsimulanter. O Spiritus Diuine,e *loquere* interius mihi,*quia audit ſeruus tuus.* Tu ipſe dicis,te cupere audire vocẽ meam,& ego valdè cupio audire tuam;f *fac* ergo *me audire vocem tuam* Diuinam,ſentiamque eius effectus,quo poſsim ego,mea voce ita reſpondere tibi,& talia opera efficere,vt ſint tuis quàm ſimillima.

c *Iob.*12.11. d *c.*34.3.

S.*Greg.lib.* 29. *Moral. cap.*2.

Oratio.

e 1.*Reg.* 3.10 f *Cant.* 8.13

III. Quænam vox ſpiritualis.

HINC deducam,quod vir ſpiritualis à Spiritu ſancto motus , habet *ſuas voces*,quibus agnoſcitur eſſe talis , quia ſunt ſimiles vocibus Spiritus ſancti,ipſum mouentis:voces autem hæ ſunt;vultûs modeſtia,grauitas in omnibus corporis motibus, puritas & diſcretio in verbis, velocitas in obedientia,in cibo temperantia,hilaritas in perſecutionibus, conſtantia in laboribus,humilitas qua ſe omnibus ſubijcit, diligentia in operibus Diuini cultûs;guſtus in oratione,zelus in iuuandis animabus.Hęc & ſimilia opera ſunt voces eius , qui natus perfectè ex Spiritu ſancto ab eius inſpi-

rati-

ratione mouetur, & ex eis agnoſcitur quis ſit, ſicut arbor ex fructibus.

PVNCTVM IV.

TERTIA proprietas Spiritus ſancti eſt, vt quamuis ita inſpirat, vt eius vocem audiamus. NESCIAMVS tamen VNDE VENIAT AVT QVO VADAT, nam ex inſtituto celat ſuos ingreſſus, & exitus, principia & fines, admiranda ſuæ prouidentiæ diſpoſitione.

NAM inprimis occultat *aduentum* ſuæ inſpirationis, què ad tempus, locum, exercitationem, & occaſionem eius. Nam interdum venit diebus feſtiuis, interdum profeſtis, nunc die, nunc nocte, nunc manè, nunc veſperi, interdum venit in ipſa Eccleſia, aut in Oratorio; nunc in platea, aut in campis, interdum venit in ipſa oratione, aut in ſacro Miſſæ, aut ſub ipſa concione, interdum in ipſis negotijs & operibus externis. Interdum ingreditur per aſpectum, vt cùm piam aliquam imaginem videmus; alias, per auditum; dum pia aliqua verba audimus; aut per guſtatum & tactum, dum aliquem dolorem patiamur, aut ſuſtinemus laborem. Denique vt ipſe Dominus dixit Iob, ſciri non poteſt, a *per quam viam ſpargatur lux* Diuinarum ſcilicet illuſtrationum, *& diuidatur æſtus* accenſarum inſpirationum *ſuper terram*. Vult enim ipſe, nos ſemper ab ipſius prouidentia depēdere, & demiſſe agnoſcere hanc ab ea dependētiam; & ingenuè fateri, noſtram induſtriam non poſſe ſufficere, ad talem gratiam & fauorem obtinendum; & quando re ipſa nobis datur, id non ob noſtra merita, ſed ex ipſius dantis gratia prouenire. O Dator munerum, viſita me frequenter inſpiratione tua ſancta; veni vero qua via volueris; libet enim mihi eam ignorare, vt ſic me humiliem; credens te in omni loco & tempore fauere mihi poſſe.

I. Aduentus S. Spiritus occultus.

a Iob. 38. 24. S. Greg. ibi.

Oratio

EADEM quoque ratione occultat nobis Spiritus ſanctus finem, *quo vadit*, & in quem ſuas inſpirationes dirigit. Etſi enim non ignoremus eius voluntatis eſſe, vt pareamus ipſi, in exequendo bono, quod ad ſuam gloriam & noſtram ſalutem nobis inſpirat; ſed particularem tamē finem illius, quod inſpirat, non nouimus, nam ex paruis ſæpe initijs, grandes fines prætendit, & magno interdum impulſu ad res aliquas impellit; quarum fines, niſi exitus illos manifeſtent, cognoſci non poſſunt, ſicut dixit Apoſtolus: b *Ecce nunc alligatus ego Spiritu vi inſpirationis vado in Ieruſalem, quæ in ea ventura ſunt mihi, ignorans.* Placet enim Spiritui ſancto, vt nos iudicium & voluntatem noſtram, ſanctæ ipſius inſpirationi reſignantes, à beneuola ipſius prouidentia, finem & exitū, quem ipſe quærit, exſpectemus

II. Finis ſimiliter occultus.

b Actuum. 20. 22.

O amantiſsime Pater, inſpira mihi, quod tibi, iuxta ſanctam tuam legem & voluntatem libet. ſatis enim mihi eſt, finem vltimum ſcire, quem tu quæris, vt ego obediam in cæteris medijs & finibus, quos præſcripſeris.

III. Documenta duo. Dvo ex his diſcam; Primvm eſt, ſi moueor à Spiritu S. etiamſi publica aliqua opera præſtem, quæ animæ virtutem prodant, debere me occultare hominibus fines & intentiones meas, & contentum eſſe, ſi illæ ſoli Deo ſint notæ: ne prædo vanæ gloriæ, theſaurum meum deprædetur: quamuis par ſit confeſſarium, & Spiritus Magiſtrum, qui me Dei nomine gubernat, omnium eſſe conſcium, ne fortè Satanas transfiguratus in Angelum lucis, me decipiat. Secuudum eſt, magnam, concipere fiduciam, obtinendi hanc ſanctitatis altitudinem: neque enim abſque myſterio dixit Chriſtus Dominus noſter vniuerſim; *ſic eſt omnis, qui natus eſt ex Spiritu*; vt omnibus ſpem faceret, quod quilibet iuſtus poſsit ad eam perfectionem peruenire, ſi vitam ſuam inſtituat, iuxta gratiam, quam in ſua Spirituali generatione accepit; & obediat motioni Diuini Spiritus, qui ad eam inſtigat ac dirigit; in cuius ſignum & fidelitatis pignus, dat omnibus iuſtis ſeptem ſua dona, vt iam videbimus.

(Margin: I. … II.)

MEDITATIO XXVII.

DE SEPTEM DONIS, QVAE SPIRITVS SANctus iuſtis communicat, vt ab eius inſpirationibus dirigi ſe ſinentes, ad magnam perueniant ſanctitatem.

PVNCTVM I.

D. Thom. 1. 2. q. 68. 1. Dona S. Spiritus. a Iſaia, 11. 2.

Considerandvm *Primo*, Spiritum ſanctum, in Spiritualis hominis generatione, cum tribus Theologicis virtutibus, Fide, Spe, Charitate, ſimul in fundere iuſtis *ſeptem dona*; quæ Iſaias appellat a *donum ſapientiæ, & intellectus, conſilij, & fortitudinis, ſcientiæ, & pietatis, & timoris Domini*: quorũ fines & officia: diſtincta ſunt valdè munus enim virtutum eſt, inclinare hominem ad piorum operum exercitationem ex propria electione, & libero vſu arbitrij, adiuto tamẽ Diuinâ gratiâ, ideoque poteſt ſemper illis operari, credendo videlicet, ſperando, diligendo, obediendo, ſe humiliando, ſicut voluerit: quia Diuina gratia nunquam illi deeſt. Donorum verò munus eſt, inclinare iuſtum, vt ſe dedat, & ſubijciat impulſui & motioni, quæ aliunde ipſi aduenit, hoc eſt ab ipſo Spiritu ſancto donorum illorum largitore, quando vento ſuæ inſpirationis mouet illum ad benè operandum, ſicut vela ſeruiunt naui, vt afflante vento, facilè moueatur, & impellatur; & ideo Iſaias hæc dona

S. Thom. ſupra a. 1.

vocat Spiritus, quia ſunt Spiritus ſancti inſtrumenta; ad efficienda opera iuſtorum, qui ab ipſo Spiritu impelluntur. Ex quo apparet, quam ſit magnum Spiritus ſancti deſiderium, vt eius Diuinis inſpirationibus acquieſcamus; ſiquidem talia ad id dona nobis largitur. Propter quæ, b *ſepties in die laudes illi dicam*, cum Dauide: Inuitans Apoſtolos, & ciues cœleſtes, ad id, vt me iuuent, O Sacri Apoſtoli, qui c *vt columbæ volaſtis*. alis veſtrarum virtutum, & *ſicut nubes*, impulſi eſtis à Spiritu ſancto, per eius ſeptem dona; ſupplicate eidem, ea vt mihi communicet, vt inſtar columbæ volem ad ea, quæ eius ſunt obſequij, & inſtar nubis, patiar me à ſancta eius inſpiratione moueri.

b *Pſal.* 118. 164.

c *Iſaia.* 60. 8

II. *S. Thom. ſupra a.* 2. Donorum S. Spiritus neceſsitas.

Ex Dictis colligam hæc dona (ſancto Thomâ teſte) eſſe iuſtis neceſſaria, ad æternam vitam conſequendam, tum quòd ſemper cum gratia & charitate ita ſint colligata, vt non poſsint ab ea ſeparari, tum quòd inſtinctus, & inſpiratio Spiritus ſancti neceſſaria ſit ad vtramque iuſtitiæ & ſanctitatis partem conſeruandam, diſcedere ſcilicet à malo, & ſequi bonum, præcipuè in rebus arduis ac difficilibus, quæ in hac vita eueniunt. Et quoniam Spiritus ſanctus, adeo deſiderat ſalutem & perfectionem noſtram, ſtatim adeſt, vt nobis faueat, his donis nos præueniens, vt illi obediamus. Gratias tibi! O Spiritus ſanctiſsime, quod curæ tibi ſit, imbecillitatem meam adeo inſignibus gratiæ tuæ donis adiuuare: ne, quæſo, patiaris, vt eorum iacturam faciam, donec per ea vitam æternam obtineam.

PVNCTVM II.

Vſus donorum iſtorũ *Lib.* 2. *moralit. c.* 26.

Deinde conſiderandus eſt modus, quo Spiritus ſanctus, ſeptem prædictis donis, per ſuas inſpirationes nos *retrahit à malo*, adiuuatque ad vitia, tentationeſque vincẽdas; quod ſanctus Gregorius hac ratione explicuit: aduerſus ſtultitiam, inquit, armat nos Spiritus ſanctus, ſapientia contra ruditatem, intellectu; contra præcipitationem, conſilio; contra ignorantiam, ſcientia; contra puſillanimitatem fortitudine; contra cordis duriciem, pietate; contra ſuperbiam, timore. Septem itaque hæc ſpiritus S. dona, ſunt nobis arma offenſiua, & defenſiua; quæ nobis Spiritus S. præbet, aduerſus præcipuas radices tentationum, quæ vitam ſpiritualem oppugnant, vt expugnent.

I. Stultitiæ ſpiritualis quæ.

Primò, aliquæ tentationes procedunt nobis ex *tædio* quodam, & paruo appetitu, quem ad res Dei habemus, quæ appellatur Stvltitia; eò quòd caro, non ſolum rebus ſpiritus non delectetur, ſed nec vllum ſaporem inueniat, nec res æternas æſtimet; ideoque tędio quodam earum affecta, eas negligit, & conuertit ſe ad ſenſuum delicias quærendas; ſicut Filij Iſrael tędio affecti ex quotidiano vſu Mannæ dicebant: a *anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſsimo*, & ſuſpirantes dicebant, b *recordamur*

a *Num.* 21. 5

b *Num.* 11. 5

piſcium; quos comedebamus in Aegypto gratis; in mentem nobis veniunt cepæ & alia &c. Contra has tentationes armat nos Spiritus ſanctus dono SAPIENTIAE, quo ſuggerit nobis rationes, quæ nos afficiant ad bona cæleſtia, ponens nobis in illis ſuauitatem; in terrenis verò rebus faſtidium. Quod ipſe & poteſt, & ſolet in vno momento efficere, quando eam gratiam nobis vult facere, & noſtra neceſsitas pro ea clamat.

II. Ruditas mentis. Intellectus

ALIAE tentationes proueniunt ex RVDITATE & obſcuritate, quā in rebus fidei habemus, ex qua oriuntur dubia, perplexitates, nebulæ, diffidentiæ, torpores tam in credendo, quam in ſperando, & in operando. Cōtra quas fauet nobis Spiritus ſanctus dono INTELLECTVS, mittens in ſpiritum noſtrum illuſtrationes, & lucis radios, qui nebulas illas diſsipent, & pacem nobis, gaudiumque in credendo adferant.

III. Donum conſilij contra præcipitātiam.

ALIAE tentationes ſuperant nos, quia in rebus noſtris indiſcreti, & PRAECIPITES ſumus, ſiue ob noſtræ prudentiæ exiguitatem, quæ non inuenit viam & rationem benè ſe ab eis expediendi; ſiue quod nos repente & imparatos inuadant, nec tempus nobis dent ad cogitandum, & ſtatuendum, quid eſſet faciendum. In quibus caſibus, ſubuenit nobis Spiritus S. dono CONSILII, inſpirans nobis ſingulariſsima prouidentia medium; quod ad eas vincendas adhibere oporteat, ſicut inſpirauit Ioſepho, vt c *relicto in manu* fæminæ *pallio, fugeret* ex illa occaſione, ne in ea periret.

c *Gen.* 39. 12

IV. Scientiæ contra ignorantiam

QVARTÒ contra tentationes quæ nos poſſunt ad terram deijcere, propter IGNORANTIAM, fraudem, obliuionem, aut inaduertentiam, ſubuenit nobis Spiritus ſanctus dono SCIENTIAE, illuſtrans nos inſpirationibus ſuis, vt Satanæ aſtutias, mundi fraudes, & carnis deceptiones agnoſcere poſsimus, ſuggerens nobis veritates aptiſsimas, ad illas vincendas, & magna ſuauitate inducens ad eaſdem amplexandas.

V. Fortitudinis contra imbecillitatem.

ALIIS tentationibus vehementioribus ſuccumbimus ex IMBECILLITATE ANIMI, quando nos ita premunt, vt, niſi faciamus quod eſt lethale peccatum, amiſſuri ſimus bona fortunæ, honorem, aut vitam, aut graue aliud incommodum ſubituri. Et tunc ſubuenit Spiritus S. dono FORTITVDINIS, corroborans ſuo impulſu cor noſtrum imbecille ac timidum, & nos animans, & impellens ad quoduis temporale detrimentū ferendum, vt æternum euadamus: ſicut adfuit Suſannæ, & glorioſis martyribus in ſuis periculis.

VI. Pietatis contra duritiam cordis.

Ex DVRITIE noſtri cordis procedit, vt proximis noſtris non compatiamur; nec moueamur, ad illis benefaciendū, nec tolerandum, ſi quid nobis inferant mali; nam tunc potius erumpunt iræ, impatientiæ, iniuriæ, iniuſtitiæ, vindictæ, crudelitates: contra quas nos adiuuat Spiritus S. dono PIETATIS emolliens corda noſtra tactu ſuæ internæ inſpirationis, &

Digitized by Google

mouens nos, vt miſericordiam exhibeamus in occaſionibus, quæ ad vltionem nos prouocant.

Denique aduerſus tentationes, quæ oriuntur ex ſuperbia, arrogantia, ambitione, vanitate, armat nos idem Spiritus ſāctus dono Timoris Dei, immittens ſua illuſtratione, aliqua ſenſa veritatum, quæ altos noſtros ſpiritus & temeritatem reprimant, faciantque nos expaueſcere, ad tremenda & ſecreta iudicia Dei, & humilient, ac diſſoluant rotam noſtræ vanitatis.

VII. Timoris Dei contr diuerſa vitia.

In his itaque omnibus caſibus perpendam meæ neceſsitatis magnitudinem, & horum auxiliorum efficacitatem, & alterum cum altero cōferens, gloriam Spiritui ſancto dabo, quòd adeò beneuola prouidentia, prouiderit tam efficacia Antidota ei, qui tantopere illis egebat: quare quandocunque tali aliqua tentatione pulſabor, mox ad ipſum Spiritum ſanctum recurram, petens neceſſarium auxilium, ſiquidem in illum finē, hæc nobis obtulit dona. O Spiritus ſanctiſsime, gratias tibi ago, ob arma adeò commoda, mihi contra crudeles meos hoſtes conceſſa; & ob tuam curam, qua moues me, vt ab eis me expediam. d *Dominus illuminatio mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: a quo trepidabo?* e *Pone me Domine iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me.* f *Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos: impulſus euerſus ſum vt caderem, & Dominus ſuſcepit me.* Præueni me, Domine, ſanctis tuis inſpirationibus, ne in meis ſubmergar miſerijs.

d Pſal. 26. e Iob. 17. 3 f Pſal. 117. 73.

Punctum III.

Considerandus *Tertiò* eſt modus, quo Spiritus S. ſeptem his donis adiuuat nos ad comparandas virtutes in altiſsima perfectione, ſiue illæ ſint vitæ actiuæ, ſiue contemplatiuæ.

Modus quo S. Spiritus ſuis donis nos iuuat.

Primum tribus illis donis Intellectus, Sapientiae, & Scientiae, iuuat nos in operibus vitæ contemplatiuæ, lectione, meditatione, oratione, & contemplatione, ſuis nos inſpirationibus mouens, ad eas feruenter & exactè habendas. Dono Intellectus perficit nos in cognitione myſteriorum noſtræ fidei, ſuis nos illuſtrationibus adiuuans, vt ad ſecreta & intima quæ in illis latent, penetremus tanta certitudine, atq; ſi ea videremus; ex quo pluuiæ proueniunt meditationum profundarum & ſubtilium, quas ipſe Spiritus S. infundit, quibus a *in meditatione exardeſcit ignis* affectuum in corde. Dono Sapientiae, perficit nos in cognitione Dei, & excellentiarum & attributorum eius, omniumque rerum, quæ ad ipſius Diuinitatem ſpectant, magnam Diuinarum rerum æſtimationem cum ingenti ſapore & dulcedine; in earum cognitione imprimēdo, quarū guſtu & experiētia perficitur magis ipſa cognitio & eleuatur

I. S. Thom. 2 2. q. 8. a. 6. 1 Intellectus

a Pſal. 38. 4. 2. Sapientia

Spiritus

Spiritus ad accenſos actus amoris Dei, & vnitionis cum ipſius bonitate.

3. Scientia Dono SCIENTIAE perficit nos in cognitione rerũ creatarum, ſuis nobis inſpirationibus verum imprimens iudicium, de eis faciendum, tum ratione eorum, quæ à Deo habent; tum eorum quæ habent à ſeipſis; ex quo oritur, vt propter hanc SCIENTIAM, ſicut alter Apoſtolus Paulus, b *arbitremur omnia vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciamus.*

b *Philip. 3. 8*

SED quoniam oratio, vt ſit perfecta, ad praxim debet accedere, & non in ſola cognitione & affectu ſiſtere, ſed fructum adferre in benè propoſitis & excellentibus operibus; ideò dono *Conſilij* perficit cognitionem rerũ particularium, quas nobis proponere debemus, vt quæ Deus iubet, exequamur, & hac ratione, adiuuat nos ſpiritus S. in oratione mentali; abſque cuius fauore, erit illa vaga, arida, & parum vtilis. Nam vt ſapiens ait, c *ſicut parturientis, cor tuum phantaſias patietur: niſi ab altiſsimo fuerit emiſſa viſitatio*; quaſi diceret, patietur magnas diſtractiones, & multitudinem affectuum perturbatorum & inconſtantiam, niſi Spiritus ſanctus, hominẽ viſitans, illum ſuis inſpirationibus colligat atque dirigat. Quare, cum ad orationem accedo, orandus mihi eſt Spiritus ſanctus, hanc vt mihi gratiã tribuat, dicens illi; O Diuine Spiritus, qui doces orare gemitibus inenarrabilibus, viſita me hiſce donis, & iuua tuis illuſtrationibus; vt intellectus meus, ſanctas proferat cogitationes, voluntas affectus accenſos, & reliquę potentiæ, ad opera excellentia permoueantur. Amen.

4. Dono conſilij quid faciat.

c *Eccl. 34. 6*
S. Bonauen. de ſeptem itiner præcipuè diſt. 5. nota. 2.

II. DEINDE perpendam, eundem Spiritum ſanctum, tribus illis donis, PIETATIS, FORTITVDINIS, & TIMORIS DEI, nos perficere in operibus vitæ actiuæ; erga noſtros proximos, erga nos ipſos, & erga Deum Dominum noſtrum.

S. Thom. 1. 2. q. 68. a. 4.
Vita actiua roboratur donis Spiritus ſancti

1 Nam dono PIETATIS, perficit nos in operibus, erga noſtros proximos præſtandis, imprimens nobis ſpiritum filiorum erga noſtros ſuperiores, & matris erga inferiores, & ſpiritum commiſerationis ergà æquales; vt in viſceribus charitatis, ſuccurramus omnium indigentijs & neceſsitatibus corporis & animæ, huius præcipuè, eò quod ſint maioris momenti.

2. Dono FORTITVDINIS perficit nos, in nobis ipſis, fortificando imbecillitatem carnis noſtræ, eiuſque tumores reprimendo & , nos ad egregia & glorioſa Diuini obſequij opera permouendo, omni humano timore ſepoſito.

3. Dono TIMORIS, perficit nos in ordine ad Dominum Deum noſtrum, imprimens nobis ſpiritum reuerentiæ & demiſsionis; ita vt nos ipſos in eius conſpectu, nihili ducamus, ſed gloriam ipſi demus pro omnibus, quę hiſce donis adiuti præſtamus; ſiquidem quidquid illud eſt, ab ipſo habemus; & hac ratione nos impellit ad ſequendũ conſilium illud Sapiẽtis; d *in*

d *Eccl. 33. 23*

omnibus

Digitized by Google

omnibus operibus tuis præcellens eſto; & interdum ad altiſsima quædam & extraordinaria mouet, vt extraordinariam etiam donet nobis ſanctitatem.

VLTIMO conſiderabo, donum CONSILII eſſe inſtar ſolis, in medio horum ſeptem cœleſtium planetarum, præferens nobis lumẽ, circa agenda in operibus vtriuſq; vitæ, actiuæ & contemplatiuæ; vt rectè eligamus, quæ magis expediunt; modumque, locum, & tempus ea exercendi: & quoniam res internæ valdè ſunt ſecretæ, poſſuntque in eis magnæ eſſe fraudes, *c transfigurante ſe Sathana in angelum lucis*, ſubuenit Diuinus Spiritus dono CONSILII, vt ſine fraude, veritatem quæramus, & occurrat nobis. Sed quoniam nemo ſibi ſufficiens eſt, inſpirat nobis hoc dono admirandum quoddam conſilium, vt ſcilicet proprio conſilio nunquam fidamus, ſed recurramus ad eos conſiliarios, quos ipſe in ſua Eccleſia conſtituit, iuxta illud Sapientis, *f cor boni conſilij ſtatue tecum; non eſt enim tibi aliud pluris illo: credens, quod anima viri Sancti enunciat aliquando vera, quam ſeptem circumſpectores, ſedentes in excelſo ad ſpeculandum.* Et quoniam hoc ipſum eſt donum, & magna gratia Spiritus Sancti, tale cor boni conſilij inuenire, & habere cor docile, ad eius conſilium ſequendum, vtrumque hoc donum ab illo petam, dicens; O Spiritus Sanctiſsime, à quo gratiæ cunctæ procedunt in bonum vniuerſæ Eccleſiæ, inſpira conſiliarijs meis conſilium quod mihi dent; mihi verò tribue cor docile, illudque conforta, vt illorum conſilium ſequar.

III. Donũ conſilii inſtar ſolis. S.Thom. 2. 2 q.52. c 2.Cor.11. 14. f Eccl. 37 7 Caſsianus coll.16.c.11. & 12.

Prædictorum concluſio.

EX PRAEDICTIS in hac & proxima Meditatione, tria firma animæ decreta concipiam, quæ ſimul ſunt apta media ad ſolicitandum, & obtinendum frequentes Spiritus ſancti inſpirationes, & vſum ſeptẽ prædictorum donorum, in ea perfectione, quam diximus.

Tria decreta concipienda.

PRIMVM decretum ſiue propoſitum eſt, plurimùm confidere de bonitate & liberalitate Spiritus ſancti, quod ſit mihi hanc gratiam facturus, quantumuis imbecilli, ignaro, & ad malum propenſo: nam iuſtis omnibus cuiuſcunque ſint ſtatus & conditionis, ipſe communicat hæc dona, deſiderans tamen, ne otioſa maneant. Et ſicut *quatuor* illa Ezehielis *a animalia, quæ habebant vultus hominis, leonis, bouis & aquilæ*, etiamſi adeò in naturalibus differrent, & *vnumquodque coram facie ſua ambularet, vbi* tamen *erat impetus Spiritus* ſimul eodemque paſſu velociſsimè *gradiebantur*, ſequentes, alis ſibi conceſsis, ipſius Spiritus impulſum; ita etiam magno ingenio præditi & eruditi, tanquam aquilæ; generoſi verò & robuſti, tanquã leones, & qui ratiocinatione valent, ſed conſtitutione ſunt debiles, tanquam

I. Fiducia de bonitate S. Spir. a Ezec.1.10

Digitized by Google

MEDITATIO XXVIII.

DE PLENITVDINE SPIRITVS SANCTI, quæ data fuit Sancto Stephano, & quod Chriſtus ei in Martyrio apparuerit.

INTER *diſcipulos illius temporis, vnus ex eminentiſsimis fuit Sanctus Stephanus, primus inter ſeptem Diaconos, quos elegerunt Apoſtoli, de quo Sanctus Lucas quatuor commemorat, quæ huius Meditationis poſſunt eſſe argumentum.* Primum, *Dona, quæ Spiritus Sanctus illi eſt largitus.* Secundũ, *quàm benè ipſe eis ſit vſus.* Tertium *quos fauores à Deo ſit expertus, propter bonum illum vſum; ac deniq; quàm felicem habuerit finem: His addi poteſt præmium, æterna ſcilicet gloria. qua fruitur. Quæ eadem puncta, argumentum eſſe poſſunt meditationum, pro feſtis aliorum Sanctorum.*

Actuum 6. 5. & 7. 57.

PVNCTVM I.

I. Liberalitas S. Spiritus in S. Stephanum.

CONSIDERANDVM PRIMO, quàm fuerit liberalis Spiritus ſanctus in S. Stephanum, de quo dicitur, quod eſſet *plenus Spiritu ſancto*; ex qua plenitudine, aliæ quatuor oriebantur. erat enim plenus GRATIA, SAPIENTIA, FIDE, ET FORTITVDINE; Vnde tanta in eo modeſtia, & morum ſuauitas exterior elucebat, vt vultum Angelicum referre videretur.

Prima GRATIAE plenitudo, exornabat cor eius cæleſtibus virtutibus 1.
vt gratus Deo eſſet. *Secunda* plenitudo SAPIENTIAE, intellectum eius 2.
Diuinarum veritatum lumine illuſtrabat, vt cum voluptate ſua illas pe-
netraret, & alios vtiliter doceret. *Tertia*, quæ erat FIDEI plenitudo, im- 3.
plebat eius animam, vt confidenter Deum oraret, & ſtupenda opera in
hominum vtilitatem faceret: *Quarta*, quæ erat FORTITVDINIS, inui- 4.
ctum eum faciebat omnibus ſuis hoſtibus, & conſtantem in perſecutionibus, & laboribus tolerandis: & propter omnes quatuor plenitudines, erat ſicut Angelus, ducens in terreno corpore vitam Angelicam. Hæc dona gratis ei dedit Spiritus S. vt gratiæ ſuæ diuitias, non ſolum in Apoſtolis, ſed in reliquis etiam diſcipulis oſtenderet, ſed proculdubio glorioſus hic vir, ad tanta dona recipienda magno ſe feruore diſpoſuit, ipſo tamen Spiritu S. eũ ad id præueniente; cuius fauore, conabor quoq; ad ea obtinẽda me excitare: ſiquidem non eſt abbreuiata manus liberaliſsimi huius largitoris. Ipſum etiam S. Stephanũ orabo vt pro me Intercedat: nam qui ſua oratione, hæc & alia ampliora dona Saulo Chriſti perſecutori impetrauit, eadem poterit & mihi impetrare; & qui tantum valuit apud Deum in terra exiſtens; non minus poterit nunc in cœlo manens.

II. S. Stephani diligentia & feruor. 1 Donũ Sapientiæ. a *Act.* 6. 10. b *Matt.* 10. 20.

Secvndo perpendam, quàm fuerit diligens & feruens glorioſus hic vir in vſu & executione donorum, quæ à Spiritu S. acceperat, fauente ad id quoque Spiritu S. *Primum* enim Sapientiae dono vtebatur, ad Chriſti Domini noſtri legem, adeò admirabilibus & efficacibus rationibus prædicandam, vt cum multi Iuriſperiti Iudæorum, contra Stephanũ diſputarent, a *non poſſent reſiſtere Sapientiæ & Spiritui qui loquebatur* in eo, quia illo plenus erat: In quo facto, cernebatur impleri, quod ipſe Redemptor noſter, diſcipulis ſuis promiſerat dicens: in huiuſmodi occaſionibus, b *non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.*

2 Viua fides. c *Act.* 6. 8.

Deinde magna & viua fide quam habebat, inſtructus, c *faciebat prodigia & ſigna magna in populo*, quibus doctrinam ſuam credibilem faciebat, vt Chriſtiani omnes intelligerent, donum miracula faciendi, non eſſe tantùm Apoſtolorum, ſed eorum etiam, qui gratia & fide ſicut ipſe, pleni erant.

III. Fortitudo & animoſitas. d *Iob.* 29. 24.

Tertio in medio concilio, multis hoſtibus & falſis teſtibus circumdatus, qui contra eum grauia delicta teſtabantur, non tamen propterea aut turbatus eſt, aut vultus ſui grauitatem & modeſtiam amiſit, quin potius ea tunc magis reſplenduit, ob teſtimonium conſcientiæ ſuæ, & gaudium quod ſentiebat, perſecutionem pro Chriſto patiens, ita vt ipſi hoſtes, eum aſpicientes, viderent faciẽ eius quaſi faciem Angeli de cœlo delapſi, iuxta illud Iob, d *lux vultus mei, non cadebat in terram*: *quia nec contumeliæ*, nec falſa hoſtium eius teſtimonia, nec contradictiones, aut contentiones inter diſputandum, efficere potuerunt aliquam in ipſo mutationem, vt grauem lætamque ſerenitatem ſuam amitteret, aut aliquid faceret, cur ſicut Cain præ pudore, cõcideret, vultus eius. O Si daretur, poſſe imitari Angelicam puriſsimi huius bellatoris modeſtiam, vt nunquam facerem aliquid, cur vultus mei lumen, in terram concideret, pudore videlicet ſuffuſus, quòd illud admiſiſſem! Concede mihi, O bone Ieſu tantam in medio mearum calamitatum, animæ puritatem, vt ea ad gloriam tuam, manifeſtetur in graui lætoque vultu faciei meæ.

IV. e *Actuum.* 6. 51.

Qvarto magna animi Fortitvdine, nullo hoſtium ſuorum timore, eorum duritiem & reſiſtentiam grauiſsimè reprehendit, quia e *ſemper Spiritui ſancto reſtitiſſent*; *legem*, quam acceperant, *non ſeruaſſent*; & crudelitatem, *qua Prophetas perſecuti fuiſſent, & ipſum Chriſtum occidiſſent*. Et quamuis eius aduerſarij *diſſecarentur cordibus ſuis*, *ac dentibus in eum ſtriderent*, ipſe tamen nihil timebat, quia virtute ex alto erat indutus: Gaudeo, O glorioſe Stephane, de iſta animi tui fortitudine, qua honorem tui Magiſtri ita propugnas: hoc honore eum afficiens qui tibi conciliauit honorem; & ad mortem eius gratiâ te offerens, qui vitam pro te poſuit; impe-

Oratio

tra

Digitized by Google

tra mihi ab eo, ſimilem virtutem ex alto, vt te in pugna imitatus, etiam coronam obtineam. Amen.

PVNCTVM II.

CVM autem a *eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei: Et ait: Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei.* a Act. num. 7. 55. Extraordinarij Spiritus S. fauores erga electos.

IN admiranda hac viſione, perpendendi ſunt extraordinarij Spiritus ſancti fauores, erga ſuos electos, & cui iuſtorum generi illos exhibeat, quibus occaſionibus, & quas ob cauſas: vt hinc lucem hauriamus, ad cauſas & effectus Diuinarum viſionum, & reuelationum cognoſcendas.

PRIMVM autē aliquod myſterium habet, quod dicatur de S. Stephano, *cum eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei.* Duo enim hic inſinuantur, quæ dignum illum reddiderint, hac glorioſa viſione. *Primùm*, quod eſſet *plenus Spiritu ſancto,* & gratijs, ac donis eius. *Secundum* quod *intenderet in cœlum*, non tàm corporis oculis, quàm animæ: quia ad cæleſtia adſpirabat & ſuſpirabat, pro ſe & pro omnibus orans, huiuſmodi enim fauores, vt plurimùm exhibet Deus magnis Sanctis, & orationi apprimè & contemplationi addictis. Et quamuis non ſit tutum, huiuſmodi fauores expetere; æquum tamen eſt, non me reddere illorum indignum, ſed procurare plenitudinem gratiæ & orationis, quæ ad eos recipiendos diſponunt: ſiquidem omnibus eam promittit Deus, dicens per Prophetam, b *effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Ieruſalem, Spiritum gratiæ & precum.* I. b Zach. 12

DEINDE etiam habet myſterium, quod dicitur, *vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei.* ſignificatur enim nobis; cæleſte lumen, quod interiores oculos clarificat, & ad ſupremam contemplationem eleuat, duo præcipuè nobis patefacere, myſteria ſcilicet gloriæ Dei, quæ pertinent ad ipſius Diuinitatem & Trinitatem; & ipſum Ieſum Chriſtum, cum myſterijs glorificatæ eius humanitatis: quæ lux, modo quodam adeò eleuato, hæc myſteria reuelat, vt appelletur viſio, quæ cor noſtrum (teſte Apoſtolo) rapiat, vt illud per amorem c *transformet in gloriam Domini*, quem vidit quaſi aſcendendo *à claritate* vna, ad aliam maiorem *claritatem*. Ex hac enim viſione, dona creſcunt & gratiæ, quæ priùs habebat, & quaſi denuò repletur Spiritu ſancto, auget GRATIAM, SAPIENTIAM, ET FORTITVDINEM, repletur extraordinaria quadam lætitia, & interiori ſatietate, fruens modo quodam etiam in hac vita eò quod ait Dauid, d *ſatiabor cum apparuerit gloria tua.* II. Cæleſte lumen duo myſteria patefacit. c 2. Cor. 3. 18. d Pſ. 16. 15.

CAVSAE cur in hac viſione, Sanctus Stephanus viderit gloriam Dei,

& ipſum Ieſum, tres fuerunt propter quas huiuſmodi fauoribus Deus proſequitur ſuos electos. PRIMA cauſa fuit, vt etiam *in hac vita præmium* illi redderet, propter obſequia ipſi præſtita, in illuſtri illa confeſsione, & teſtimonio de Chriſto in illo concilio præſtito, etiam cum periculo vitæ, eſt enim Dei proprium & valdè familiare, reddere extraordinarias gratias & fauores pro extraordinariis ſeruitijs ſibi exhibitis, & reddere etiam e *nunc in hoc tempore centuplum*, quàm pro illo fiat. Hinc excitabor ad feruentiſsimè ſeruiendum Deo; ſiquidem ad menſuram ſeruitiorum, gratiæ redduntur & præmia: nam & feruentioribus dixit Dauid, f *guſtate & videte, quam ſuauis eſt Dominus. Beatus vir qui ſperat in eo.*

1 Præmium in hac vita.

e Marci.10.30.

f Pſal.33.9.

SECVNDA cauſa fuit, ad illum *corroborandum* in illo congreſſu & *labore*, quem tolerabat, & animum illi adiiciendum ad reliquum, quod ſupererat: præmium enim cum videtur, mirum in modum impellit ad laborandum pro eo; & ducis præſentia, ſpiritum & animum addit militi; certitudo quoque adfuturi Diuini ſubſidij impellit, ad pericula ſine timore aggredienda. Vnde Sanctus Stephanus, Chriſtum ducem ſuum, & auxiliatorem ſuum vidit ad dexteram Dei non ſedentẽ, ſed ſtantem; vt intelligeret præſentem ipſum eſſe, & aſpicere, qua virtute & alacritate pugnaret, promptum ſe eſſe ad ſubſidium pugnanti adferendum, & ad mox deſcendendum pro ipſo, vt redderet illi coronã. O IESV dulciſsime, adiuua paruam meam fidem, vt ea licet obſcurè, videam, quæ Sanctus Stephanus adeò clarè perſpexit: trahe ad cælum ſpiritum meum, vt præmium promiſſum contempler; ipſumq; aſpectum, quo tu me reſpicis; & auxilium, quod offers; vt conſtrictum cor meum triplici hoc funiculo, nullus labor, aut perſecutio ab amore tuo ſeparet.

2 Corroboratio in labore.

TERTIA cauſa fuit, vt hac ratione, quaſi oculatus eſſet teſtis veritatum & myſteriorum, quæ prædicauerat; quare mox atque illa vidit, eadem eſt iterum teſtificatus, magno feruore dicens; ecce *video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei*, atque ſi diceret; attendite verum eſſe, quod hactenus dixi: nam ipſis oculis id nunc video. Video apertos iam eſſe cœlos, vt ingrediantur, qui in Chriſtum credunt: video Filium hominis, quem vos crucifixiſtis, eſſe iam, ſicut ipſe vobis dixerat, g *ad dextram virtutis Dei*; aſpicite & vos, & credite.

III. Oculatus teſtis.

g Matt.26.64.

HINC intelligam, huiuſmodi fauores non concedi magnis Dei ſeruis, vt ſoli ipſi quaſi priuati illis fruantur, ſed vt prædicent, & manifeſtent eius gloriam, in vtilitatem animarum, eas prouocantes, vt ſe diſponant ad idem videndum, quod ipſi vident, & credendum, & amandum, ſicut ipſi credunt, & amant. O ſi populus ille beatiſsimo

Fauores piis conceduntur, ſed nõ propter ipſos ſolos.

Ste-

Stephano fidem adhibuiſſet; & oculos ſuos eodem ſpiritu in cælum leuaſſet, quò ipſe ſuos leuauit; procul dubio fuiſſent illuſtrati, & Diuino Spiritu impleti: paratus enim erat CHRISTVS DOMINVS noſter, illum eis liberaliſsime dare. Concede mihi, amantiſsime Ieſu, viua fide credere, quidquid nobis reuelaſti, vt ex fide aſcendam ad intelligentiam; & ex hac, ad comtemplationem, ac demum ad claram tuæ Diuinitatis viſionem in ſæcula. Amen.

PVNCTVM III.

a EXCLAMANTES *autem voce magna continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum. Et eijcientes eum extra ciuitatem, lapidabant; & teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus.* a *Actuum 7.56.*

CONSIDERANDA hic eſt PRIMVM prouidentiæ Diuinæ diſpoſitio, circa ſuos electos, dum ſuos fauores erga illos, permittit eſſe occaſionem tribulationis & perſecutionis ipſorum; vt ſignificet, quàm ipſe magnifaciat quod quis ipſius intuitu patiatur: ſiquidem ipſum eius erga aliquem ſtudium, dirigit ad labores maiores ſuſtinendos, quamuis exitus totius rei, ſit augmentum gloriæ: ſicut euenit Patriarchæ Ioſeph, b *cui Deus per ſomnium* oſtendit *quaſi ſolem & lunam, & ſtellas vndecim adorare ipſum: quod cùm Patri ſuo & fratribus retuliſſet, tum Pater ſuus eum increpauit*, tum cauſa fuit, vt fratrum in eum odium & inuidia magis creſceret, & ab ipſis *in ciſternam mitteretur*, & *Madianitis* in ſeruum *venderetur*. Idem ergo Sancto Stephano euenit: vt ego diſcam, ſi Deo charus ac dilectus ero, debere me ad magnos labores præparare, qui fortè initium ſument ab ipſo Dei erga me ſtudio & fauore. O Saluator dulciſsime, etiam ipſi labores, tui amore tolerati, cenſendi ſunt tui erga me fauores; dirige vitam meam ſicut tibi placet, nullum enim tuum erga me fauorem maiorem exiſtimabo, quam vt tuam de me prouidentiam, & diſpoſitionem ſequar.

I. Pati pro Deo quam magnum.

b *Geneſ. 37 9.*

DEINDE ipſum ſanctiſsimi huius viri martyrium, *opprobrijs & tormẽtis plenum*, eſt perpendendum. Hoſtes enim eius, loco eleuationis oculorũ ſuorum in cœlum, vt Chriſti gloriam, iuxta martyris conſilium, viderent; *exclamauerunt voce magna* contra ipſum, tanquam blaſphemum, continuerunt aures ſuas, ne, quod ille dicebat, audirent; & inſtar leonum *impetum facientes vnanimiter in eum*, pugnis & calcibus crudeliter & ignominiosè percuſſerunt; *& eijcientes illum extra ciuitatem*, ibi eum *lapidauerunt*. Ipſe verò glorioſus martyr tanquam manſuetiſsimus agnus, lapidum ictus in corpore ſuo ſuſcipiebat, atque ſi inuictus eſſet adamas, nec vertens, nec abſcondens vultum ſuum, quin potius, vt ECCLESIA de eo canit, *lapides torrentis illi dulces fuerunt*, quia ſummam dulcedinem reputabat, pro ſuo Magiſtro mortem oppetere; ipſaque gloria Ieſu quam

II. Martyrium S. Stephani quale.

S. Aug in Soliloq. c. 12 Tua dulcedo Stephano lapides torrentis dulcorauit.

Digitized by Google

Oratio contemplabatur dulce & iucundum illi reddebat, quidquid patiebatur. Nam corpus quidem cruciabatur in terra, ſed Spiritus erat quaſi tranſlatus in cœlum. O Dulciſsime Ieſu, quã dulce eſt opprobria & dolores pro te pati, ei, qui contemplatur, quantos tu pertuleris; & gloriam, quam illis tibi comparaſti. Vtinam c *torrente voluptatis tua* cæleſtis *me potares*, vt dulces mihi redderentur lapides d *torrentis iniquitatis* & tribulationis, quæ *me conturbant* & affligunt in terra. O Dilecte mi, qui noſti e *mel de petra* educere, *oleumque de ſaxo duriſsimo*, dulcora meos labores melle tuarum conſolationum, & oleo tuæ lætitiæ vt in eis te glorificem in ſæcula. Amen.

c Pſ. 35. 9.
d Pſal. 17. 5.
e Deut. 32. 13.

PVNCTVM IV.

a Actuum. 7. 58.

ET LAPIDABANT a *Stephanum inuocantem & dicentem: Domine Ieſu, ſuſcipe Spiritum meum. Poſitis autem genibus clamauit voce magna dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum; & cum hoc dixiſſet, obdormiuit in Domino.*

Feruor S. Stephani.

CONSIDERANDVS hic eſt *feruor*, quo glorioſus hic martyr, imitatus eſt Chriſtum Dominum noſtrum, Regem martyrum, in omnibus, quibus licuit in ſuo martyrio illum imitari, bis ſicut Chriſtus, orans: Pri-MVM pro ſe, Spiritum ſuum Deo commendans; deinde pro ſuis inimicis, petens à Deo dimitti illis: vt ſic Magiſtri ſui præceptum exequeretur, quo dixerat; b *orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Hanc orationem fecit S. Stephanus magna reuerentia & feruore, quod oſtendit flectendo genua in terram, & voce magna clamando; volens etiam exſpirare voce magna, ſicut ipſe Chriſtus. O militem fideliſsimum, verè imitatorem capitanei ſui Ieſu! O inuictam charitatem! c *O dilectionem* ipſa *morte fortiorem!* Propter te Stephanus beneficium & gratiam reputat mori, atque pro ijs, qui eum offendunt: & quando illi lapides in eum iaciunt, vt temporalem illi vitam adimant; ſimul ipſe ſagittas orationis iaculatur in cœlũ, vt æternam illis vitam impetret. Concede mihi, O bone Ieſu, tuum hunc militem imitari, ſicut ille te eſt imitatus; vt amem me odientes, & orem pro perſequentibus.

I.
b Matth. 5. 44.
c Luca 6. 26.
c Cant. 8. 6.

II. Cur S. Stephanus pro ſe ſtans pro inimicis flexis genibus orauerit.

PERPENDENDA eſt deinde cauſa, cur ſanctus Stephanus; pro ſe, *ſtans*; pro ſuis verò inimicis, *poſitis genibus*, & magno clamore orauerit. Fortè id propterea fecit; quod pro ſe orans, certus eſſet ſe fore exaudiendum; quia nullum in ſe impedimentum inueniebat, contrarium ijs, quæ petebat: orans autem pro ſuis inimicis, aduertebat duritiem & rebellionem ex parte illorum, qua obicem ponebant ijs, quæ ipſe pro eis petebat: ideoque Spiritus ſancti igne accẽſus, maiori cũ reuerentia, affectu, & clamore orauit, vt eius oratio exaudiretur; & ita reipſa fuit: impetrauit enim conuerſionem,

ſionem, maximi ſui perſecutoris, Sauli ſcilicet; qui & lapidantium veſtimenta cuſtodiebat; & aliquos fortè lapides, propria manu in eum iaciebat; quamuis omnes iecisſe cenſendus videatur, per manus ſociorum ſuorum.

CONCIPIAM hinc propoſitũ, pro meis inimicis feruẽter orandi; mihi perſuadens, quòd pro alijs orare, medium ſit commodiſsimum, vt exaudiatur oratio, quam pro me fundo; ſicut euenit d Iob *oranti pro amicis ſuis*, qui tamen inimicorum opera in eum præſtiterant. d Iob. 42. 10

III. Cur primũ per ſe deinde pro aliis orauerit.

TERTIO perpendam cauſam, cur ſanctus Stephanus, prius pro *ſe* orauerit, Spiritum ſuum Deo commendans; cum Chriſtus Dominus contrà, priùs pro ſuis inimicis orauerit, deinde, cùm eſſet iam exſpiraturus, Spiritum ſuum Patri commendauerit. cauſa enim eſt quia oratio incipere debet ab iis, quæ ſunt magis neceſſaria, & magis obligant, præcipuè cũ funditur tempore magnarum tribulationum & periculorum. Et quia Chriſtus Dominus noſter e *nõ habebat neceſsitatẽ priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi*; nos autem peccatores magnopere indigebamus, vt pro nobis oraret, præſertim illi, qui illum crucifigebant, ne in abyſſum inferni demergerentur: Hinc factum eſt, vt intima eius charitas, priùs pro ſuis inimicis oraret: at ſanctus Stephanus & cæteri iuſti, neceſſe habent pro ſe orare, maximè in mortis articulo, vbi maius eſt ſalutis diſcrimen: ideoque charitas in ſancto Stephano, cœpit ab eo, quod magis eum obligabat; & poſtea ſe extendit ad id, in quo eius perfectio magis elucebat, & in vtroque vult Chriſtus Dominus noſter, vt illum imitemur; quamuis prædicto ordine ſeruato; quia charitatis lex obligat nos, priùs noſtram ſalutẽ procurare deinde aliorum. O Dulciſsime Ieſu, accipe Spiritum meum, & omnium fidelium, in vita & in morte, ſub tua protectione; vt in terra tibi ſeruiens, poſtea te fruar in cœlo in æternum. Amen. e Heb. 7. 27.

IV. Mori in domino quid ſit.

DENIQVE perpendã, finitis duabus his roationibus, ſanctum Stephanum *obdormiuiſſe in Domino*. Mori in Domino, eſt mori intra Chriſtum, coniunctum illi fide viua & charitate, ſicut moriuntur Sancti Confeſſores; vel mori pro Confeſsione Chriſti, ſicut Martyres: & vtraque mors eſt felix, f *quia pretioſa in conſpectu Domini, mors Sanctorum eius*. Et (vt vox de cælo dixit Sancto Ioanni) g *Beati, qui in Domino moriuntur; quia à modo iam dicit Spiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis, opera enim illorum ſequuntur illos*; atque ſi diceretur, qui moriuntur in Domino, ſtatim atque moriuntur poſſe beatos appellari. nam poſtquam Chriſtus mortuus eſt, (niſi fortè purgandum aliquid haberent) iam patent illis portæ cæli; & Spiritus ſanctus, quo pleni ſunt, vult eorum mortem eſſe finem laborum ipſorum, & principium æternæ requiei. nam opera, quæ in vita præſtiterunt, quibus ſe ad mortem præpararunt, comitabuntur illos magno honore f Pſ. 115. 15. g Apoc. 14. 13.

vſque ad ipſum cœlum. Talis fuit mors glorioſiſsimi martyris Stephani, qui mortuus in Chriſto eſt, & pro Chriſto, qui ex ipſo cœlo illi apparuit, in conflictu, & ad illum venit cum millibus Angelorum, vt ipſius victoriam celebrarent; & qui paulò antè ab hominibus erat acclamatus blaſphemus, nunc eſt ab Angelis Sanctus proclamatus; & qui fuit lapidatus lapidibus doloris, accepit h *coronam de lapide pretioſo*, iuxta nominis ipſius Etymologiam. Aſcendit clariſsimis ſuis operibus comitatus, propter quæ fuit honoratus, & laudatus à Chriſto Domino noſtro coram ſuo Patre, & collocatus in throno quodam eminenti inter Seraphinos, vbi lumine gloriæ vidit clarè Diuinam eſſentiam, bibitque vſque ad ſatietatem ex copioſiſsimo torrente cœleſtium deliciarum, abſque vllo eas vnquam amittendi timore. O Fælices labores; qui finem habent æternam requiem! O Dulces lapides, qui pretioſam adeò coronam fabricarunt! O pretioſa mors, quæ initium eſt glorioſæ adeò, & æternæ vitæ! i *moriatur*, Domine, *anima mea morte iuſtorum*. Sit mea vita talis, quæ talem mereatur mortem, eaque diſpoſitione ad eam me præparem, vt mea nouiſsima ſint illorum ſimilia vt aſcendam ad te fruendum, claris operibus, magniſque laboribus, pro iuſtitia ad maiorem tuam gloriam toleratis, comitatus. Amen.

h *Pſ. 20. 4.* *Stephanus Græcè coronam ſignificat.*

Oratio. i *Numer. 23. 10.*

MEDITATIO XXIX.
DE APPARITIONE CHRISTI SAVLO FACTA, ac de admiranda huius conuerſione.

i *Actuum. 9. 5.*

CONVERSIO a *Sancti Pauli euenit poſt Martyrium Sancti Stephani, cui & ſucceſſit in munere prædicationis Chriſti. Hominum enim machinæ, non præualent contra Deum: nam, ſi illi è medio tollunt prædicatorem, qui vitijs ipſorum bellum infert, vocat Spiritus Sanctus alium qui inferat multò acrius.*

PVNCTVM I.

a *Actuum. 9. 1.*

SAulus a adhuc ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini, acceſsit ad principem Sacerdotum, & petijt ab eo epiſtolas in Damaſcum ad ſynagogas: vt ſi quos inueniret huius viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem.

1 PRO FVNDAMENTO huius Meditationis perpendendum eſt, quantus *peccator* fuerit *Saulus*, qui ab adoleſcentia ſua infixum habuerit cordi

odium Chriſti Domini noſtri, & ſanctæ legis eius; exiſtimãs, ex ignorantia, & falſo zelo, obſequiũ ſe præſtare Deo, ſi eum perſequeretur. Et hinc ortum eſt, vt morti ſancti Stephani conſentiens, præſens eſſet, cuſtodiens veſtimenta lapidantium, in eo ſe oblectans quòd videret lapidari, & è medio tolli eum, qui fidem Chriſti tanto feruore propugnaret, quam ipſe omninò deteſtaretur. Creſcebat autẽ continuè adeò eius odium, vt aſſerat ſanctus Lucas de eo, b *deuaſtabat Eccleſiam per domos intrans, & trahens, viros ac mulieres, tradebat in cuſtodiã.* Itaq; quod eſſet ex tribu Beniamin, bene illi competit, quod prædixit Iacob, c *Beniamin lupus rapax, mane comedet prædã, & veſpere diuidet ſpolia,* r̃ã à mane ſuæ iuuentutis, toto die mane. & veſperi, lupi inſtar, perſequebatur oues Chriſti vſque ad mortẽ eas dilaniãs. Et parui faciẽs eas tantũ perſequi, quæ erant in Ieruſalem, facultatem petiit à principe Sacerdotum, eundi Damaſcum; & quos ibi inueniſſet Chriſtum ſequentes, vinctos perduceret in Ieruſalem, vt illos perderet; in quo & illud Dauidis implebatur: d *ſuperbia eorum, qui te oderunt, aſcendet ſemper.*

Saulus quãtus peccator.

b Actuum. 8.3.

c Geneſ. 49. 27.

d Pſal. 73.23.

II.

DEINDE perpendam cauſas, cur Chriſtus Dominus noſter, hoc totũ Saulo *permiſerit.* PRIMA cauſa fuit, quod eũ diſponeret ad magnã ſanctitatẽ, & ad altiſsimã perfectionis turrim eleuare, iactis priùs profundiſsimæ humilitatis fundamentis altiſsimis; quę maximè eruũtur ex cognitione præteritorũ peccatorũ. Et ita factum eſt in ipſo Apoſtolo Paulo, qui hanc ob cauſam dicebat poſtea, e *qui priùs blaſphemus fui, & perſecutor & contumelioſus* in Chriſtũ, f *& quod eſſet minimus Apoſtolorum, & indignus qui vocaretur Apoſtolus, quia perſecutus fuiſſet Eccleſiam Dei.* Huius Apoſtoli exemplo, hunc fructum ex peccatis, quæ aliquando commiſi, elicere diſcam. Id enim eſt, quod dixit Spiritus Sanctus g *melior eſt iniquitas viri, quam mulier benefaciens.* Nam viri feruentes, ex peccatis, ſolent accipere magna motiua, vt inſigniter creſcant in virtutibus, præcipuè humilitate erga ſe, & charitate erga Deum, qui ea illis dimiſit; cõtrà verò languidi, & remiſsi, ex ſuis bonis operibus, vanitatẽ potiùs, & arrogantiã eliciunt. SECVNDA cauſa fuit, vt oſtenderet Chriſtus in ipſo Saulo, inæſtimabiles gratiæ ſuæ diuitias, & infinitas virtutes, & perfectiones, oſtendit.n. charitatem, eũ diligens, à quo ipſe in tanto odio habebatur; bonitatẽ eũ vocans qui ipſum fugiebat, omnipotentiam, emolliens cor adeò induratum, patientiam ſuam, tolerans, & expectans eum, qui ipſum perſequebatur; miſericordiam, admittens eum ad pœnitentiam, & liberans à tot miſeriis; efficacitatem deniq; gratiæ ſuæ, replens eximiis virtutib. eum, qui abominandis vitiis plenus erat. Et ita idem Sanctus Apoſtolus ait h *ideo miſericordiam conſecutus ſum; vt in me primò oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri eſſent illi,* & obtenturi vitam æternam; Et vt oſtendit Chriſtus in Saulo, præ alijs peccato-

Cur Saulo permiſſum perſequi Eccleſiam.

1

Vt ad Sanctitatem diſponeret.

e Tim. 1.13.

f 1. Cor. 15.9

g Eccl. 42. 14.

2.

Gratiæ diuinæ magnitudo.

h 1. Timot. 1.16.

Digitized by Google

ribus, omnem ſuam patientiam, hoc eſt perfectiſsimam, ita etiam oſtendit omnem charitatem ſuam, bonitatem, miſericordiam, liberalitatem & omnipotentiam. Et vt degens adhuc in terra eaſdem virtutes oſtendit erga Magdalenam, Matthæum, Zachæum & alios peccatores; ſic poſt ſuam in cœlum Aſcenſionem, eaſdem præcipuè oſtendit in Saulo; vt intelligamus, eum ſemper eundem eſſe, in amore erga peccatores, & in benefaciendo illis: ac propterea ſemper debere nos confidere, quòd poſsimus ab eo veniam peccatorum, & morum noſtrorum mutationem obtinere: ſiquidem nec Charitas, nec bonitas, nec miſericordia, nec potentia ad id præſtandum, illi deeſt.

3. Cautela & exemplum.

Tertia cauſa fuit, vt idem Saulus cautelæ nobis eſſet, & exemplo: cautelæ quidem vt ex eius lapſu cauti reddamur, ne ſinamus nos abripi ab excitatâ noſtrâ naturâ, aut indiſcreto zelo, aut irâ furioſâ; etiam velo religionis obducta: quia facilè hæc nos præcipites trahent in peccata innumera, proficiendo ſemper in peiora: Ex altera verò parte exemplo nobis ſit; vt, ſi contingat in ea nos trahi, ſtudeamus conuerti ad Deum, exemplo eius conuerſionis, & mutatæ vitæ; quæ fuit ex maximè admirandis, quas Chriſtus fecerit ad noſtram inſtructionem: & hoc ſpiritu meditanda eſt, ac perpendenda.

PVNCTVM II.

a Actuum. 9.3.

Et cum iter faceret, contigit, vt appropinquaret Damaſco: & ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo & cadens in terram, audiuit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule, quid me perſequeris.

1. Charitas Chriſti in Saulum.

Perpendenda hic primum eſt infinita Chriſti Domini noſtri *Charitas*; qui cum ſederet in cœleſti ſuo Throno, ad dexteram Patris, non eſt dedignatus ad terram deſcendere, & ipſi ſuo perſecutori apparere, ſicut poſt ſuam Reſurrectionem apparuit, Petro, Iacobo, & aliis, vt teſtificatur ipſemet dicens: b *nouiſsimè omnium tanquam abortiuo, viſus eſt & mihi*, quaſi diceret, poſtquam Chriſtus aliquis apparuiſſet, vltimò tandem apparuit mihi, tanquam abortiuo, (qui extra deſtinatum ſuum tempus, violenter naſcitur, nec iuſtæ quantitatis) quia ſum minimus Apoſtolorum. Quæ apparitio, maius fuit indicium Charitatis Chriſti, quam reliquæ; illæ enim fiebant amicis, & diſcipulis, qui illum quærebant, & cupiebant videre; hæc autem inimico, & perſecutori: & qui eius nomen, & omnium diſcipulorum eius, omnino abolere cupiebat. Impleuit autem Chriſtus in hac apparitione, tan[illegible] [illegible]ſtor, quod aliàs dixerat de eo, qui c *relictis nonaginta* [illegible] *vadit ad illam, quæ perierat.* Eadem ſiquidem [illegible] deſcendit, qua reliquas quæſiuit. O in[illegible] in

b 1. Cor. 15. 8

c Luc. 15. 4.

corde

corde Ieſu non potes occultari, quin potius quotidie nouas emittis flammas, vt omnes tuo amore accendas. Magnus ille fuit amor permittere d *te inueniri à non quærentibus te, & palā apparere ijs qui te non interrogabant.* Sed hoc die vlteriùs multò progreſſus es, apparēs ei qui te oderat; & te oſtendens ei, qui furore incredibili te proſequebatur; & pro igne, qui eius corpus ambiens, ad conſumendum accenderet; circumdas illum lumine de cælo, quo anima eius conuertatur. Gratias tibi, amantiſſime Ieſu, ob indicia quæ præbes tanti amoris; illumina quæſo animam meam, ad ea ita agnoſcendo, vt eorum particeps fiam. d Iſaiæ 65.1. 3 Rom.10. 20.

II. Proprietates illuſtrationū cœleſtium.

DEINDE perpendam proprietates cœleſtis huius lucis, quæ S. Paulum circumfulſit; ex quib. conijciuntur proprietates lucis internæ, quam ſua illuſtratione Deus infundit animis peccatorum, vt conuertantur. PRIMA eſt, quod venerit ſubitò inſtar fulguris, cum Saulus minimè eam ſperaret, imò cùm minimè eam mereretur: quia conſueuit Deus, huiuſmodi illuſtrationes mittere, cùm eius maximè obliuiſcimur, & quando, ob cordis duritiem, eis indigni ſumus. O Deus omnipotens, qui e *in manibus abſcondis lucem*, & poſt ea *præcipis ei, vt rurſus adueniat, & annuncias de ea amico tuo, quòd poſſeſſio eius ſit, & ad eam poſſit aſcendere,* manifeſtas, inquam, illam; & eius poſſeſſionem tuis amicis tribuis! quid tibi reddemus pro infinita charitate, quam oſtendis, dum etiam ipſos tuos inimicos participes eius efficis, iubens eam repentè prodire, vt eos in amicos conuertas. Iube, Domine, eam prodire, & ita cordis mei ſecretum illuminare, vt à terrenis illud euellens, transferat ad æterna & cœleſtia.

1 Quod ſubito venerit Chriſtus. e Iob.36.32. Oratio.

SECVNDA proprietas fuit, quòd *retardauerit* greſſus Sauli, cùm iam eſſet prope Damaſcum, (quæ vox ſignificat ſanguinē) vbi cupiebat ſanguinaria ſua propoſita exequi; illumq; in terram proſtrauerit, humilians eius ſuperbiam, & reprimens eius iræ impetū. Itaq; quamuis Deus Dominus noſter, vt ipſe per Oſeā dixit, aliorū peccatorū f *viā ſepiat ſpinis*, vt vi quadam, & calamitatibus, ac miſeriis illos ad ſe trahat; Sauli tamen viam non ſpinis, & calamitatib. ſepiuit, ſed lumine, trahens illum blandè, & comiter: & ipſemet Apoſtolus, dū ſuam conuerſionē refert, ponderat fuiſſe, g *ipſa media die, cum lux copioſa ipſum circumfulſit*; hoc modo innuens, quod cū eius furor, ad malitiæ & ſuperbiæ culmen perueniſſet, tunc Chriſtus Dominus eū continuerit; qui ſicut media die conſcendit crucē, vt amoris ſui erga nos feruorē oſtenderet; ita in meridie venire voluerit, vt copioſa ſua luce Saulum circūfulgens conuerteret; ſic oſtendens ſingularem ſuum amorē, quo ipsū [illegible]ebatur; vt propterea de ſe ipſo dicere potuerit h *in fide viuo Fi*[illegible] *me, & tradidit ſemetipsū pro me.* Ex quo apparet, propriū eſſe [illegible]onis, greſſus peccatorum ita intercidere, vt à ſuis peccatis [illegible]is propoſitis nō pergere faciat: ſed cum praua illa pro-

2 Quòd retardauerit greſſus Saulis f Oſeæ.2.6. g Actuum 22.6. h Galat. 2. 20.

ribus, omnem ſuam patientiam, hoc eſt perfectiſsimam, ita etiam oſtendit omnem charitatem ſuam, bonitatem, miſericordiam, liberalitatem & omnipotentiam. Et vt degens adhuc in terra eaſdem virtutes oſtendit erga Magdalenam, Matthæum, Zachæum & alios peccatores; ſic poſt ſuam in cœlum Aſcenſionem, eaſdem præcipuè oſtendit in Saulo; vt intelligamus, eum ſemper eundem eſſe, in amore erga peccatores, & in benefaciendo illis: ac propterea ſemper debere nos confidere, quòd poſsimus ab eo veniam peccatorum, & morum noſtrorum mutationem obtinere: ſiquidem nec Charitas, nec bonitas, nec miſericordia, nec potentia ad id præſtandum, illi deeſt.

3. Cautela & exemplum.

Tertia cauſa fuit, vt idem Saulus cautelæ nobis eſſet, & exemplo: cautelæ quidem vt ex eius lapſu cauti reddamur, ne ſinamus nos abripi ab excitatâ noſtrâ naturâ, aut indiſcreto zelo, aut irâ furioſâ, etiam velo religionis obducta: quia facilè hæc nos præcipites trahent in peccata innumera, proficiendo ſemper in peiora: Ex altera verò parte exemplo nobis ſit; vt, ſi contingat in ea nos trahi, ſtudeamus conuerti ad Deum, exemplo eius conuerſionis, & mutatæ vitæ; quæ fuit ex maximè admirandis, quas Chriſtus fecerit ad noſtram inſtructionem: & hoc ſpiritu meditanda eſt, ac perpendenda.

PVNCTVM II.

a Actuum. 9.3.

Et *cum iter faceret, contigit, vt appropinquaret Damaſco: & ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo & cadens in terram, audiuit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule, quid me perſequeris.*

I. Charitas Chriſti in Saulum.

Perpendenda hic Primvm eſt infinita Chriſti Domini noſtri *Charitas*; qui cum ſederet in cœleſti ſuo Throno, ad dexteram Patris, non eſt dedignatus ad terram deſcendere, & ipſi ſuo perſecutori apparere, ſicut poſt ſuam Reſurrectionem apparuit, Petro, Iacobo, & aliis, vt teſtificatur ipſemet dicens: b *nouiſſimè omnium tanquam abortiuo, viſus eſt & mihi*, quaſi diceret, poſtquam Chriſtus aliquis apparuiſſet, vltimò tandem apparuit mihi, tanquam abortiuo, (qui extra deſtinatum ſuum tempus, violenter naſcitur, nec iuſtæ quantitatis) quia ſum minimus Apoſtolorum. Quæ apparitio, maius fuit indicium Charitatis Chriſti, quam reliqua; illæ enim fiebant amicis, & diſcipulis, qui illum quærebant, & cupiebant videre; hæc autem inimico, & perſecutori & qui eius nomen, & omnium diſcipulorum eius, omnino abolere cupiebat. Impleuit autem Chriſtus in hac apparitione, tanquam bonus Paſtor, quod aliàs dixerat de eo, qui c *relictis nonaginta nouem ouibus in deſerto, vadit ad illam, quæ perierat*. Eadem ſiquidem Charitate, ad hanc quærendam deſcendit, qua reliquas quæſiuit. O ignis infinitæ charitatis, qui ardens in

b 1. Cor. 15. 8

c Luc. 15. 4.

corde

corde Ieſu non potes occultari, quin potius quotidie nouas emittis flammas, vt omnes tuo amore accendas. Magnus ille fuit amor permittere d *te inueniri à non quærentibus te, & palā apparere ijs qui te non interrogabant*. Sed hoc die vlteriùs multò progreſſus es, apparēs ei qui te oderat; & te oſtendens ei, qui furore incredibili te proſequebatur; & pro igne, qui eius corpus ambiens, ad conſumendum accenderet; circumdas illum lumine de cælo, quo anima eius conuertatur. Gratias tibi, amantiſsime Ieſu, ob indicia quæ præbes tanti amoris, illumina quæſo animam meam, ad ea ita agnoſcendo, vt eorum particeps fiam.

d Iſaiæ 65. 1. Rom. 10. 20.

II. Proprietates illuſtrationũ cœleſtium.

DEINDE perpendam proprietates cœleſtis huius lucis, quæ S. Paulum circumfulſit; ex quib. coniiciuntur proprietates lucis internæ, quam ſua illuſtratione Deus infundit animis peccatorum, vt conuertantur. PRIMA eſt, quod venerit ſubitò inſtar fulguris, cum Saulus minimè eam ſperaret, imò cùm minimè eam mereretur: quia conſueuit Deus, huiuſmodi illuſtrationes mittere, cùm eius maximè obliuiſcimur, & quando, ob cordis duritiem, eis indigni ſumus. O Deus omnipotens, qui e *in manibus abſcondis lucem*, & poſtea *præcipis ei, vt rurſus adueniat, & annuncias de ea amico tuo, quòd poſſeſsio eius ſit, & ad eam poſsit aſcendere*, manifeſtas, inquam, illam; & eius poſſeſsionem tuis amicis tribuis! quid tibi reddemus pro infinita charitate, quam oſtendis, dum etiam ipſos tuos inimicos participes eius efficis, iubens eam repentè prodire, vt eos in amicos conuertas. Iube, Domine, eam prodire, & ita cordis mei ſecretum illuminare, vt à terrenis illud euellens, transferat ad æterna & cœleſtia.

1 Quod ſubitò venerit Chriſtus.

e Iob. 36. 32.

Oratio.

SECVNDA proprietas fuit, quòd *retardauerit* greſſus Sauli, cùm iam eſſet prope Damaſcum, (quæ vox ſignificat ſanguinē) vbi cupiebat ſanguinaria ſua propoſita exequi; illumq; in terram proſtrauerit, humilians eius ſuperbiam, & reprimens eius iræ impetū. Itaq; quamuis Deus Dominus noſter, vt ipſe per Oſeā dixit, aliorū peccatorū f *viā ſepiat ſpinis*, vt vi quadam, & calamitatibus, ac miſeriis illos ad ſe trahat; Sauli tamen viam non ſpinis, & calamitatib. ſepiuit, ſed lumine, trahens illum blandè, & comiter: & ipſemet Apoſtolus, dū ſuam conuerſionē refert, ponderat fuiſſe, g *ipſa media die, cum lux copioſa ipſum circumfulſit*; hoc modo innuens, quod cū eius furor, ad malitiæ & ſuperbiæ culmen perueniſſet, tunc Chriſtus Dominus eū continuerit; qui ſicut media die conſcendit crucē, vt amoris ſui erga nos feruorē oſtenderet; ita in meridie venire voluerit, vt copioſa ſua luce Saulum circūfulgens conuerteret; ſic oſtendens ſingularem ſuum amorē, quo ipſū proſequebatur; vt propterea de ſe ipſo dicere potuerit h *in fide viuo Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſū pro me*. Ex quo apparet, propriū eſſe Diuinæ illuſtrationis, greſſus peccatorum ita intercidere, vt à ſuis peccatis ceſſare, & in prauis propoſitis nō pergere faciat: ſed cum praua illa pro-

2 Quod retardauerit greſſus Saulis.

f Oſeæ. 2. 6.

g Actuum 22. 6.

h Galat. 2. 20.

poſita, altas iam habent in animo radices, neceſſe eſt lucem illam eſſe valde copioſam, vt reipſa mutentur. O felix Saule, quem adeò copioſa lux cœleſtis circumfulſit! benè licet tibi hac occaſione vſurpare illud Dauidis, i *niſi quia Dominus adiuuit me, paulò minus habitaſſet in inferno anima mea*: Nam tuum illud iter Damaſcum, citò illam demerſiſſet in profundum inferni, niſi Deus illud impediuiſſet! Ora eundem Dominum, qui greſſus tuos prohibuit, vt magnam mihi lucem tribuat, quæ meos etiam prohibeat; & humilians meam ſuperbiam, iramque refrenans, ad Ipſam vſque terram proſternat; vt in meipſum reuerſus, ad ipſum Deũ omninò conuertar. O Deus animæ meæ, quamuis viam meam ſpinis ſepias, neceſſe etiam eſt, luce tua me circumfulgere, vt ad te conuertar; ne quæſo ſecunda hæc ſeps & maceria deſit, ne à perfecta conuerſione defrauder.)

Oratio.

i Pſ. 93, 17.

3. Quod circumfulſerit eum.

TERTIA proprietas fuit, quòd illa lux, omnes partes ſupra & infra, & ad vtrumque latus ita Saulum *circumfulſerit*; vt nihil videret, niſi per eam: quo ſignificetur, cœleſtem lucem quando perfecta eſt, circumfulgere hominem ex omni parte, ita vt nihil reſpiciat, niſi cum ea, & per eam, res nimirum cœleſtes contemplans, abſque vlla rima, quà videat terrenas, niſi cum ordine ad æternas k *O lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum*, circumda me hac tuæ lucis materia, ne inani voluptate res terrenas, ſed verâ tantum cœleſtes aſpiciam.

k Ioan. 1. 9.

4. Reprehenſio diſcreta.

QVARTO perpendenda ſunt verba, quæ in hac apparitione Chriſtus Saulo dixit; *Saule, Saule, quid me perſequeris?* in quibus eius amor multis viis apparet. PRIMVM quia volens illum reprehendere, id facit, non aſperè, aut pungentibus verbis; ſed blandè, & amanter: vocat enim illum bis, *Saule, Saule*, ſic inſinuans quòd illum amaret, & ex proprio nomine noſſet; & vt magis eum excitaret, & attendere faceret ad ea, quæ ipſi dicturus erat, dixit autem, *cur me perſequeris?* quaſi diceret; quam tu cauſam habes me perſequendi! refer mihi illam, ego tibi ſatisfaciam, quòd ſi cauſam non habes, cur me gratis perſequeris? O Amor immenſe creatoris noſtri, l *qui non contemnit ſubire iudicium*, ad rationum pondus venire *cum ſeruo ſuo*, & adeò vili creaturæ, & ab ea petere, cur ipſum perſequar: cum poſſet, ſi vellet, vno verbo in nihilum eam redigere.

l Iob. 31. 13.

Amor Chriſti in ſuos.

OSTENDIT etiam ſuum amorem, quòd perſecutionem in diſcipulos, vt ſuam accipiat. Nam, cùm, Saulus illos perſequeretur, ipſe Chriſtus conqueritur, *cur me perſequeris?* Et qui in cruce non eſt conqueſtus de iis, qui ipſummet perſequebantur, nunc loquitur, & conqueritur de eo, qui ipſum in ſuis diſcipulis perſequitur, magis ſentiens illorum labores, & calamitates, quàm proprias. Quis te non diligat, O Ieſu amantiſſime, qui ita eos diligis, qui te diligunt, quis audeat ſeruos tuos perſe-

qui; ſiquidem qui eos perſequitur, te ipſum in eis manentem perſequitur!

Hinc intelligam, proprium eſſe boni Spiritus, inſpirationibus ſuis ſimulque cœleſti luce loquentis ad cor peccatoris, reprehendere malũ quod facit, vt erubeſcat; & internè illi dicere: homo, homo, cur me perſequeris? O Anima mea, ſi ſcires quis ille ſit, qui tibi loquitur, & quem tu perſequeris, & quis tu ſis, qui perſequeris illum; & quæ ſit ratio, cur illum tuis peccatis perſequaris; erubeſceres proculdubio, te talia facere; & deſiſteres perſequi, quem ſequi potiùs deberes, eique ſeruire. *Hæc tria reuelauit Chriſtus Dominus noſter Saulo, vt mox apparebit.* Proprium boni Spiritus. Oratio.

PVNCTVM III.

D*Ixit Saulus*, a *quis es Domine? & ille; ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris: durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* a *Actuum 9.5.*

Considerandvs hic eſt modus, quo Chriſtus Dominus noſter, luce ſua ſenſim Paulum illuſtrauit; non vno influxu ſed gradatim, inſpirando illi primum, vt aliqua interrogaret; & reſponſa ei reddens; in quibus, tanquam in ſemine, latet tota perfectio Chriſtiana. Modus illuſtrationis.

Primvm luce ſua cœleſti, infudit illi Chriſtus Dominus magnum deſiderium ſciendi quis ille eſſet, quem ſibi loquentem audiebat: eſt enim proprium eorum, qui cum Deo agunt, & lucem eius aliquam acceperunt, feruenter ſtatim deſiderare, amplius eum cognoſcere; quia b *hæc eſt vita æterna, cognoſcere Deum viuum, & verum; & quem ille miſit filium ſuum Ieſum Chriſtum.* Hoc itaque deſiderio motus Saulus interrogauit, *quis es Domine?* Atque ſi diceret: reuela mihi clarè, quis ſis, vt ſciam quem perſequor; & deſiſtam à malo, quod ago. Vocat verò illum Dominvm, ex magno reſpectu, & reuerentia ad excellentiam, & maieſtatem ipſi loquentis. I. Cognitio Dei & ſui ipſius. b *Ioan. 17.3.*

Christvs Dominus noſter huic interrogationi reſpondens, plus *docet*, quàm fuerit *interrogatus*: manifeſtauit enim quis eſſet perſecutor, & quis ille, quem perſequeretur: *Ego*, inquit, *ſum Ieſus* Nazarenus, *quem tu perſequeris* atque ſi diceret; tu interrogas, quis ego ſim, & ego tibi dico, quòd ſim Ieſus, Saluator ipſuſmet, qui me offendit & perſequitur tu es, & ſi vis ſcire, quis tu ſis; ſcias, te perſecutorem eſſe illius, qui te cupit ſaluare, & ſanctificare. Hinc apparet, quòd ſit Chriſto Domino noſtro familiare cœleſti ſua virtute docere nos ſimul, quis Deus ſit, & quis ſit homo; quis ſit Ieſus, erga peccatorem; & quis peccator erga ipſum Ieſum: nam iſtæ duæ notitiæ, ſimul coniunguntur, & mutuò ſeſe iuuãt: ſi.n. altera alteri conferatur, magis eminebit II. Doctrina Chriſti abundans.

bit tum excellentia, bonitas, & Charitas Dei Saluatoris noſtri; tum è contra vilitas, malitia, & ingratitudo hominis peccatoris: nam quo poteſt vlterius progredi bonitas, quàm vt ſit Saluator eius qui ipſum perſequitur? & contra, quò poteſt alterius malitia proficere, quàm vt eum perſequatur, qui ipſum ſaluare velit.

Quinq; excellentia Saluatoris.

In his duabus rebus oportet profundiùs inſiſtere, ſicut tota vita ſua fecit ipſe Apoſtolus: cui adeò hæc verba fuerunt infixa, vt & in corde, & in lingua ſemper haberet ipſum IESVM; prædicans eius excellentias; opus Redemptionis noſtræ, & motiuum, quod habuit ad illam; pretium, quod illi conſtitit; & inæſtimabiles diuitias, quas nobis promeruit: his vero cõiungens vilitatem ſuam, & miſeriam; & ſimul ingratitudinem, & malitiã offendentis excelſum adeo Saluatorem, qui mera miſericordia illum pretio ſui proprij ſanguinis redemit, & infinitos gratiæ, & gloriæ theſauros comparauit.

Oratio

O Amantiſsime Ieſu, *nouerim te, & nouerim me! Me nouerim*, vt horream, contemnam, & in me caſtigem ſcelera, quæ commiſi: *Nouerim te*, vt diligam, laudem, obediam, ac ſeruiam, ob innumera beneficia, quæ à te accepi. O glorioſe Apoſtole, impetra mihi ab iſto tuo dilecto, radium aliquem lucis cæleſtis, vt nouerim quis fuerit, ſitque Ieſus erga me; & quis fuerim ego, & nunc ſim erga ipſum; vt ea luce illuſtratus, incipiam nunc amare, quod horrebam, & horrere, quod prius amabam, c *factus imitator tui, ſicut fuiſti tu Chriſti* Saluatoris noſtri.

c 1. Corint. 11.1.

III. Deo reſiſtere non Deo ſed homini noxium

DENIQVE perpendam verbum illud Chriſti ad Saulum: *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*: quaſi diceret, ſicut qui calcitrat contra ſtimulum non ſtimulo, ſed ſibiipſi nocet; & quo maiori impetu calces mittit, eò grauius accipit vulnus: ita, qui reſiſtit Deo, & eius inſpirationi, qua ille nos vrget ac ſtimulat, vt illi ſeruiamus; nihil ipſi Deo nocet, ſed ſibiipſi plurimũm; & quo reſiſtit magis, eò damnum eſt maius. Aſpice, anima mea, quid facias, cum Diuinæ voluntati, eiuſque ſanctæ inſpirationi reſiſtis: nam, etſi grauem ei inferas iniuriam, ſed nullum tamen eius perſonæ infers detrimentum; cum tamen tibi ipſi inferas grauiſsimum: nam eâ reſiſtentiâ, conuerteris tota in ſanguinem, culpis te inficiens, & ream conſtituens horrendarum pænarum. Redeas ergo ſuper te ipſam, & ſequere iucundos inſpirationis Dei ſtimulos; amplectens quod tibi ſuggerit; & exequẽs quod iubet; quia, vt eſt durum, & graue illi reſiſtere; ita dulce eſt, & iucundum eidem obtemperare.

PVNCTVM IV.

a Actuum 9. 6.

a ET *Saulus tremens, ac ſtupens dixit: Domine, quid me vis facere? & Dominus ad eum; ſurge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.*

I. Stupor & admiratio Sauli.

PERPENDENDVS Primò eſt *tremor* ille corporis, & ſtupor ſiue admi-

ratio

ratio ipſius *Sauli*; qui ortum habuit ex his, quæ vidit, & audiuit: tremens ob iniurias tanto Domino illatas; & admirans, ac ſtupens, tam ignorantiā, & temeritatem ſuam, quàm bonitatem, & miſericordiam; qua Deus non ſuſtinuiſſet ſolum, ſed etiam deſcendiſſet è cælo, ad illum vocandum, & eius deceptionem retegendam. Omnes hos effectus conſueuit efficere lux cæleſtis in anima peccatoris, quem circumfulget iuxta illud Dauidis, b *illuxerunt coruſcationes tua orbi terræ: commota eſt, & contremuit terra.* Fulgura enim ſunt Diuinæ illuſtrationes, quibus terrenus peccator multa videt, quæ prius non videbat: nam videt grauitatem ſui peccati, & ſupplicium, quod eſt promeritus; bonitatem Dei, quæ ipſum ſuſtinuit; & beneficia, quæ in illum contulit. Quæ & alia, dum videt timet, tremit, & contremiſcit totus; & exit quaſi extra ſe, præ admiratione & ſtupore. O Deus æterne, mitte huiuſmodi illuſtrationes in regiones infidelium, & in animas omnium peccatorum; vt videant & tremant, & deſerant locum ſuum, hoc eſt peccata ſua, vt tibi fideliter ſeruiant.

b *Pſal.* 76. 19. & 96. 4.

II. Interrogatio Sauli qualis.

DEINDE conſideranda *Secunda* illa Sauli *interrogatio* orta ex abundantia interni luminis, & perfectiſsimâ obedientiâ, ac ſubiectione, qua ſe omnino dedidit Chriſto, dicens: *Domine, quid me vis facere?* atque ſi diceret; en hic ſum, promptus & paratus; vt faciam & patiar pro te, quidquid tu volueris, tam in pœnam præteritorum peccatorum meorum, quam pro gratiarum actione, ob hæc præſentia beneficia. iube, & ſtatue, quod tibi placet, ego enim exequar. c *O mutationem dexteræ excelſi!* O efficacitatem lucis cæleſtis! quis alius præter omnipotentem Deum, talem mutationem tam ſubito efficere potuiſſet? quæ alia lux, niſi cœleſtis, potuiſſet ex tempore tot fraudes retegere? qui prius oderat Chriſtum, nunc diligit; qui exiſtimabat illum eſſe legis præuaricatorem, nunc habet pro legis latore, cui debeat obedire; qui eum perſequebatur, nunc ſe offert ad ſequendum, & eundem prædicandum, quamuis propterea ipſe ſit ab alijs perſequendus; qui prius iudicium, & voluntatem propriam tenaciter ſequebatur; nunc illa reſignans, ſubijcit voluntati Diuinæ. Concede mihi, O bone Ieſu, vt perfecta reſignatione ſemper tibi, & ijs qui tui ſunt loco, dicam; *Domine, quid me vis facere?* eſt enim mihi in votis facere, quidquid tu velis, & per eos mihi præceperis. Nolo mihi dicas, quod quondam illi cæco, eius imbecillitati te accommodans dixiſti: d *quid tibi vis faciam?* ne inquam mecum agas, tanquam cum adeo imperfecto, vt meo deſiderio velis condeſcendere: non enim par eſt, vt ego tuam voluntatem ad meam traham; ſed oportet vt mea tuam ſequatur.

c *Pſal.* 76. 11 41.

S. *Thom.* 2. 2 q. 113, a. 10

Oratio.

d *Lucæ* 18 41.

III. Reſponſū Chriſti maturum.

TERTIO perpendam reſponſum Chriſti Domini noſtri: non enim in ipſo itinere, & obiter dicere illi voluit, quæ eſſet facturus; ſed, *ingredere*, inquit, *Ciuitatem, ibi* ex inſtituto; *dicetur tibi, quid te oportet facere*. non enim

vult Deus res tanti momenti, atque ſunt noſtræ ſalutis, & ipſius gloriæ ruditer & obiter tradi. Quamuis enim omni loco & tempore, ſubitò & in momento, immittat ille ſuas illuſtrationes, ſicut qui ſementem iacit in terram; at, vt fructum ferat temporaneum, eligit locum, & tempus conueniens, ſicut fecit cum Saulo, vt infra videbimus.

IV. e Actuum. 9.7. Vocatio peccatorũ admirabilis.

DENIQVE perpendam, quod vt Sanctus Lucas refert, e *viri illi, qui comitabantur cum eo ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.* In quo proponitur nobis altitudo & profunditas Diuinorum iudiciorum, in vocatione peccatorũ; nã cũ Saulus haberet multos comites, improbos, & qui etiã perſequerẽtur Chriſtũ, ſicut ipſe; & ipſe omniũ eſſet peſſimus; nihilominus Deus illum ſolum in hac occaſione efficaciter vocauit, ad fidem ſuam conuertit, & in gratiam & amicitiam ſuam recepit, alijs relictis: vt hinc eius bonitatem extollamus in eo, quem elegit; inde verò tremamus, ob eius iuſtitiam erga illos reiectos: præcipuè cum qui vocatus eſt, eſſet vnus tantùm Saulus; reiecti verò fuerint multi, qui illum comitabantur; ſed in vtroque tamen venerari oportet iudicia Dei, & obuiare querelis, quę in errante noſtro iudicio contra ipſum inſurgunt, dicentes quod ipſe Apoſtolus dixit: f *O homo tu qui es, qui reſpondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* g *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi*, vt propterea aliquid *retribuatur ei, quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſecula, Amen.*

f Rom. 9. 20

g Rom. 11. 33.

Comites Sauli qualiter affecti. h Actuum. 22. 9.

HINC prouenit, vt comites illi Sauli, h *audirent* ipſius *vocem*, & quid loqueretur, & *viderent* lumen, quod circumfulſit illum; ſed, vt idem Apoſtolus dixit, *vocem non audiuerunt eius, qui loquebatur cum eo*, illam videlicet *Saule, Saule, quid me perſequeris*, nec alteram illam *ego ſum Ieſus quem tu perſequeris, durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* Quare etſi admirarẽtur Saulum in terram cecidiſſe, & talia loqui, nõ tamẽ propterea tũc ipſi mutati ſunt, aut conuerſi, quamuis occaſionem ex eo accipere potuerint ad id poſtea faciendum, ſicut fas eſt credere aliquos id feciſſe exemplum ſecutos eius quem ducem habebant, & audientes eum diſtinctiùs narrantem, quæ in illo itinere eueniſſent.

Digitized by Google

MEDITATIO XXX.

QVID SAVLO EVENERIT; IN ILLO TRIduo poſt hanc apparitionem, ac de plenitudine Spiritus ſancti ipſi communicata.

PVNCTVM I.

SVRREXIT *Saulus de terra, apertiſque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, intro duxerunt Damaſcum.* a Actuum 9. 8. & 22. 11.

I. Viſiones diuinæ carnem affligunt.

PRIMVM conſiderabo, *Saulum* toto tempore, quo viſio illa, & colloquia cum Chriſto Domino durarunt, manſiſſe *proſtratum*, in terra, quò eum lux cœleſtis proiecerat, vt humiliaretur, & vt maiori reuerentia videret, audiretque ea, quæ Chriſtus Dominus illi dicebat; ſimul verò cum ipſo caſu debilitauit ipſum corpus, vt ſolet euenire in huiuſmodi viſionibus, ita enim accidit Danieli, qui poſt grandem quandam viſionem, ait b *ſpeciem ſuam immutatam fuiſſe, & ſe emarcuiſſe, nec habuiſſe quidquam virium*; vt nobis ſignificetur, quod huiuſmodi viſio rerum Dei excellentium, debilitet vires carnis: ſicut Iacob cum vidit Deum, c *claudicabat pede*; ita qui in contemplatione res videt æternas, debilitatur eius amor ad temporales. O Deus æterne, mitte lucis tuæ radios in meum Spiritum; vt furioſæ carnis meæ paſsiones debilitentur: proſterne me per humilitatē, vſq; ad abyſſum pulueris & nihili mei, vt efficiar dignus eleuari ad contemplandam tuæ Diuinitatis & humanitatis abyſſum. Amen.

b Daniel. 10. 8.

c Geneſ. 32. 31.

II. Obedientia Sauli.

DEINDE perpendam, Saulum mox atque audiuit Chriſti Domini noſtri mandatum, cum dixit SVRGE, tanquam obedientiæ filium, ſurrexiſſe, & incepiſſe exequi quod ſtatuerat, cum dixit: *Domine quid me vis facere?* Nec ſolùm corpore ſurrexit è terra, ſed etiam Spiritu erigens ſe ex cœno ſuorum errorum, & peccatorum, euigilauit è profundo ſomno in quo iacuerat; & reiectis terrenis affectionibus, quæ cor eius terræ affixum habebant, ad nouam vitam reſurrexit. Inde accepit Sanctus Apoſtolus documentum, quod poſtea nobis dedit, dicens: d *ſurge qui dormis, & exſurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Audi, anima mea, Apoſtolicum hoc conſilium, ex propriæ experientiæ libro deductum; & erige te ex terra, in qua tuâ culpâ iaces; euigila è ſomno, quo ob torporem tuum iaces oppreſſa; reſurge ad nouam vitam, mortuis operibus reiectis, & Chriſtus Dominus tuus illuminabit te, lumine ſuæ gratiæ; vt poſsis poſtea eundem videre in lumine ſuæ gloriæ.

d Epheſ. 5. 14.

III. e Actuum. 22. 11. Lux cæleſtis animæ oculos aperit, corporis claudit.

TERTIÒ perpendam, Saulum, etiam apertis oculis, nihil vidiſſe, quod fatetur ipſemet eueniſſe, e *præ claritate luminis illius*, quod illum circum-

fulſerat: vt ſignificetur, quod lux cœleſtis, animæ quidem oculos aperiat, ſed claudat corporis, tantam enim adfert rerum æternarum exiſtimationem, vt propenſionem auferat videndi temporales. Ex quo fit, vt qui sũt contemplationi valde dediti, etſi corporis oculos habeant; non tamen videant; eò quòd non vtantur illis curiosè ad res vanas, & quæ animæ aſpectũ interturbare poſsint. O lumen cœleſte, veni, & internos oculos meos illuſtra; vt tanta claritate intueantur ſuum creatorem, vt externi omnino claudantur, ne vanè conijciantur in creaturas. O anima mea, claude, & mortifica corporis viſum, vt clarificet in te Deus viſum Spiritus.

PVNCTVM II.

a Actuum. 9. 9.

a ET *erat ibi tribus diebus non videns, & non manducauit neque bibit.*

I. Myſterium triduum Sauli.

CONSIDERANDVM Primò quod Chriſtus Dominus noſter, totos illos *tres dies*, continuerit Saulum in ciuitate, cuiuſque Baptiſmum, & Spiritus ſancti plenitudinem diſtulerit, vt interim ipſe catechizaretur, & in fidei Sanctiſsimæ Trinitatis myſterijs bene inſtrueretur, & ſe ad Baptiſmum, qui in nomine trium perſonarum confertur diſponeret. Et ſicut Chriſtus Dominus noſter, antequam glorificatus reſurgeret. triduo manſit in ſepulchro; ita voluit ſuum hunc Apoſtolum, triduo manere in ſepulchro contemplationis, antequam reſurgeret per Baptiſmum reliquos Apoſtolos fecit expectare in ciuitate decem dies aduentum Spiritus, S. Saulum vero tres tãtum: voluit enim accelerare vaſis huius electi præparationem, vt ſtatim poſſet eo vti ad ſuum miniſterium..

II. Sauli exercitia per illud triduũ

DEINDE perpendam, quæ *exercitia* habuerit Saulus illo triduo, vt in quo licet ipſum imitari, id ſtudiosè faciam. PRIMVM toto illo tempore, *nihil vidit* oculis corporis; quia præter cauſam proxime dictam, interior animæ aſpectus, omnino impediebat externum. DEINDE *nec comedit, nec bibit*: quia voluptas & ſuſpenſio animæ, fecit eum obliuiſci cibi corporis. TERTIÒ *orabat* cõtinuè, ſicut ipſe Chriſtus Ananiæ dixit, b *ecce enim orat*. His exercitijs ſe præparabat ad Baptiſmum, & ad Apoſtolatum; hoc exemplo me docens, tria illa, *modeſtiam* in aſpectu, ſtrictum *ieiunium*, & continuam *orationem*, valde diſponere hominem, ad magna dona à Deo impetranda; quia tria illa valde ſe mutuo iuuant. modeſtia enim oculorum, & ieiunium, orationem valde perficiunt; & ipſa oratio, modeſtiam & ieiunium (alioqui aſpera) reddit iucunda.

1.
2.
3.
b Actuum 9 11.

III. Gratiæ Saulo collatæ.

TERTIO perpẽdam, quãtas *gratias*, fauoreſq; contulerit Chriſtus Dominus noſter Saulo, in illo triduo, erga quem præſtitit inuiſibiliter munus Magiſtri, ſicut erga cæteros Apoſtolos præſtiterat viſibiliter. Nã hoc

tempore illi reuelauit, ac patefecit omnia myſteria noſtræ fidei, copioſiſſima quadam cœleſti luce, quo poſſet illa omnibus gentibus prædicare. Hoc colligitur ex ſuauiſsimis verbis Ananiæ ad ipſum, quæ ipſe Apoſtolus refert; c *Deus Patrum noſtrorum præordinauit te, vt cognoſceres voluntatem eius, & videres iuſtum, & audires vocem ex ore eius: quia eris teſtis illius ad omnes homines, eorum quæ vidiſti, & audiſti.* Hoc itaque triduo, reuelauit illi Deus ſuam voluntatem, vidit Chriſtum, eiuſque myſteria; ex cuius ore didicit eius doctrinam, vt teſtis eſſet eorum, quæ vidiſſet, & ab ipſomet Saluatore audiuiſſet: & ita dixit Galatis, d *ſe non ab homine accepiſſe, & didiciſſe Euangelium ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.* O virum felicem, cui Deus ſola ſua miſericordia tantam oſtendit gratiam & fauorem! O Deus animæ meæ, concede mihi, vt ego tuam voluntatem agnoſcam; & viuæ fidei oculis, videã Iuſtum Ieſum Chriſtum Dominum meum audiamque verba, quæ ipſe loquetur ad cor meum, vt tuus poſsim eſſe teſtis, tuas excellentias ita promulgare, ſicut credidi, & delibaui; implẽs in omnibus ſanctiſsimam tuam voluntatem. Amen.

c *Actuum. 22. 14.*
d *Galat. 1. 12.*
Oratio.

ALIQVI ex Sanctis Patribus dicunt, in hoc triduo accidiſſe viſionem illam & ſtupendam reuelationem, quam ipſe Apoſtolus his verbis deſcribit: e *ſcio hominem ſiue in corpore neſcio, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit; raptum vſque ad tertium cœlum, & raptum in paradiſum, & quod ibi audiuit arcana verba, quæ non licet homini* imperfecto *loqui*; imò etiam tunc (iuxta Sancti Auguſtini, & Sancti Thomæ ſententiam) vidiſſe clarè Diuinam eſſentiam.

An tũc acciderit illa viſio de qua in epiſtola. e *2. Cor. 12. 3.*
S. Thomas in 2. ad Corint. c. 12. & 22 q. 115.

QVIDQVID tamen de hoc ſit, in hoc triduo, mirabiliter illum Deus expoliuit, & ad magnos *raptus* eleuauit, ipſum extra ſe deducẽdo; & ſupra ſe, & omnia creata ita eleuando, vt cognoſceret myſteria altiſsima tertij & ſupremi cœli Sanctiſsimæ Trinitatis, vbi maxima ſecreta fuerunt illi communicata; & introductus in Paradiſum Diuinarum deliciarum, paſſus eſt magnas extaſes & exceſſus amoris, ita vt ad ſe reuerſus, dicere potuerit, f *viuo iam non ego, ſed viuit in me Chriſtus.* Gratias tibi O Dulciſsime Ieſu, pro infinita illa charitate, & liberalitate erga tantum peccatorem, & tuum perſecutorem, quem maioribus fauoribus es proſecutus, quam alios, qui non peccauerunt; oſtendens in eo, quod g *vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia*; & quod erga hunc h *filium*, qui adeò fuit *prodigus* in tibi inferendis iniurijs, volueris eſſe multo magis prodigus, ſi ita loqui liceat, in exhibendis ei miſericordijs, ſiquidem non ſolum obuiam illi exiuiſti, ſed quodam modo compuliſti, & coegiſti ingredi in domum tuam, talibus eum veſtimentis exornans, & conuiuiis delicioſis excipiens; vt fratres natu maiores, habeant, quod ſancta quadam inuidia illi inuideant. Et quandoquidem miſericordia tua non eſt imminuta, *Compelle, quæſo, rebellem*

IV. Prouectio Sauli ad altiora.
f *Galat. 2. 20.*
Oratio.
g *Rom. 5. 20.*
h *Lucæ. 15. 20.*
Eccleſia in Collecta.

bellem meā voluntatem intrare in domum tuam: extrahe illam à ſe ipſa, & vi magna ad te trahe, ita eam tranſportans, vt ex nunc, non viuam ego, ſed tu viuas in me in æternum. Amen.

V. Suauitas. DENIQVE attendam, quanta *ſuauitate* Chriſtus Dominus noſter egerit cum Saulo, cui in ſua oratione exiſtenti, reuelauit, quæ in eius curatione erant euentura, oſtendens illi viſione imaginariâ i *virum, Ananiam nomine, introeuntem, & imponentem ſibi manus, vt viſum reciperet*, vt iam dicemus. Hac ratione nobis inſinuans, Deum ſolere nobis in oratione exiſtentibus, inſpirare media curationis noſtræ ſpiritualis ſalutis, ac perfectionis.

i Actuum 9.12.

PVNCTVM III.

ERAT a *autem quidam Diſcipulus Damaſci, nomine Ananias, & dixit ad illū in viſu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego Domine. Et Dominus ad eum: Surge, & vade in vicum, qui vocatur Rectus, & quære in domo Iuda Saulū nomine, Tarſenſem, ecce enim orat.*

a Actuum. 9.10.

I. Varij modi reuelationum. CONSIDERANDI hic ſunt varij modi, quibus Chriſtus Dominus noſter reuelat, & manifeſtat ſuam voluntatem ſeruis ſuis: nam quibuſdam apparet, eoſque vocat, dum *vigilant*, ſicut hic Saulum; compeſcens externos illorum ſenſus, ne internæ viſioni ſint impedimēto: *alijs* apparet *dormientibus*, vtens illâ quiete, quam tunc habent ſenſus, ad colloquendum cum illis, ſicut vocauit b *Iacob* & c *Samuelem*; & nunc ita videtur vocaſſe Ananiam: qua varia ratione agendi, vult nobis inſinuare, in omni loco, & tempore, vigilantes, & dormientes, in Eccleſia, in lecto, debere nos adeò moderatos, & compoſitos eſſe, vt capaces ſimus Diuinarum inſpirationum, donorum ac fauorum Dei; vt dicere liceat d *nox illuminatio mea in delicijs meis*; & e *ego dormio, & cor meum vigilat*. nam corpore dormiente, ſolet Deus, qui eſt amor noſter, intra nos ipſos vigilare; & efficere, vt Spiritus noſter vigilet.

b Geneſ. 31.11. c 1. Reg. 1. 4 d Pſal. 138.11 e Cant. 5.2.

II. Myſteriū ī in vocibus. DEINDE conſiderandum myſterium latens in *vocibus* quæ hic exprimuntur, ad manifeſtanda mirabilia opera, quæ Chriſtus Dominus in Saulo operabatur. Nā vicus, in quo Saulus manebat, appellabatur RECTVS; vt oſtenderetur; iam Saulum rectos greſſus incepiſſe, directos ad vitam æternam. Domus ſiue hoſpitium erat cuiuſdam, qui appellabatur IVDAS: quæ vox ſignificat *confeſſionem & laudem*, ad inſinuandum, quod Saulus vtrumque hoc exerceret; humilem ſcilicet ſuorum peccatorum confeſſionem, orans, & petens veniam eorum; & laudem Dei, qua gloriam illi dabat, ob tot beneficia quæ ab ipſo accipiebat. Qui iubetur illum quærere, appellatur ANANIAS, quod interpretatur nubes Domini; ad iudicandum munus prædicatorum, qui nubium Domini inſtar, doctrinæ pluuiam

uiam effundunt ſuper fideles;& facilimè mouentur,quocũq; Diuinæ inſpirationis ventus impellit. Et ita ſtatim atque Ananias Chriſti vocem audiuit, dixit: f *ecce ego Domine, loquere quia audit ſeruus tuus*:quaſi diceret, iube quod vis:paratus enim ſum ire quocunque me miſeris.Sed præ omnibus perpendenda eſt ipſius Chriſti Domini Charitas,qui non dixit Saulo,vt quęreret Ananiam;ſed Ananiam iuſsit ſurgere,& ire ad quęrendum Saulum:ſicut medicus,qui it viſitare ægrotum. f 1.Reg.3.10

Nam ſicut ipſe Chriſtus,ex Throno ſuæ cœleſtis habitationis, venit quærere hunc peccatorē;ita voluit,Ananiam & reliquos ſuos miniſtros, exire ex domo ſua , & deſerere quietem, quam in ea habent, vt quærant peccatores;domos illorum ingrediantur, ibique in negotio ſalutis eos adiuuet.Gratias tibi dulciſsime Ieſu pro omnibus,quæ agis,ad iuſtificandos peccatores:da mihi,quæſo,promptæ obedientiæ Spiritum,ſicut Ananiæ;rectumque laudis & confeſsionis Spiritum ſicut Saulo;repelle à me omnem torporem,& vitæ laxitatem, vt feruenter attendam ad bonum animarum,quas tuo ſanguine redemiſti.Amen. Omnia agit Deus per media.

Pvnctvm IV.

Respondit a *autem Ananias:Domine audiui à multis de viro hoc,quanta mala fecerit Sãctis tuis in Ieruſalē, & hic habet poteſtatem à principibus ſacerdotum,alligandi omnes,qui inuocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dominus:vade,quoniam vas electionis eſt mihi iſte,vt portet nomen meum coram gentibus,& Regibus,& Filijs Iſrael. Ego enim oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* a Act. 9.13.

Considerandvm hic Primo quàm fallacia ſint hominum iudicia,& quàm facilè in ſuis ſuſpicionibus decipiantur,pręcipuè cum oppugnantur ab humano timore.Ideò enim Ananias ex ijs quę audiuerat de Saulo,exiſtimauit eum adhuc eſſe perſecutorem Chriſti,ſicut antea:& quamuis Chriſtus illi diceret,Ecce Orat,adhuc non aduertebat poſſe eſſe, quòd à perſequendo deſiſtens,mutatus eſſet.Ex quo diſcam, non temerè iudicare de meis proximis;præcipuè cùm aliquid tantum ex auditu habeo:ſiquidem fieri potes,vt qui heri fuit improbus, (Deo eius cor ſua gratia commutante)hodie ſit probus:& vt obſeruo indicia improbitatis, ad malè de proximo ſuſpicandum;ſic decet me diligentius attendere omnia ſigna mutationis eius,vt benè de illo ſentiam. I. Fallacia hominum iudicia.

Hinc prouenit,quòd Ananias etſi promptum ſe oſtendit ad parendũ Deo;cum vocatus reſpondit,Ecce Ego :timore tamen humano motus propoſuit difficultatem quam habebat, eundi ad domum perſecutoris vt ipſe exiſtimabat , & ingredi in domum lupi. Imò antequam Chriſtus ſuum ſermonem finiret , interrupit illum, proponens Tergiuerſatio ex humano timore mala

ſuam difficultatem vt intelligeret, quomodo eam Chriſtus expediret. Ex quo intelligam, quod huiuſmodi difficultates ex puſillanimitate, & animi deiectione, proponere, vt obedientiæ reſiſtatur, ſit malum, & à diſcipulis Chriſti alienum: cum tamen, eaſdem proponere cum indifferentia tantum, & vt cognoſcatur modus, & ratio eas ſuperandi: quo exactiùs ipſi obedientiæ pareatur, bonum ſit, & ipſius Chriſti Spiritui conforme; qui ſuauis eſt, lenis, & beneuolus, ſicut hic apparuit in Anania.

II. Chriſti ad eam reſpõſio. CONSIDERANDA eſt deinde Chriſti Domini noſtri ad Ananiam reſponſio: VADE inquit, quò ego te mitto: quem enim tu peruerſum adeò exiſtimas, is *mihi eſt vas electionis*, ſingulari ſcilicet mea beneuolentia & gratia, non eius meritis, à me electus; quia cum mutaui ex vaſe iræ, & iniquitatis, in vas miſericordiæ, & gratiæ; replens eum copioſis meis donis; vt in eo oſtenderem ego magnitudinem charitatis meæ; & præterea elegi eum in vas & inſtrumentum meum, vt portet nomen meum per totum mundum, & ſit Magiſter, & omnium gentium prædicator.

Oratio b 2. *Corint.* 4.7. c *Eccle.* 43.2. Gratias tibi dulciſsime Ieſu, quod b *in vaſe fictili*, ac vili, admirandos adeò theſauros depoſueris, vt eorum præſtantia tuæ ſoli virtuti tribuatur, & non viribus eius. O Apoſtole glorioſe, ſol reſplendens, c *vas admirabile, opus excelſi*; in medio Eccleſiæ poſitum, ad currendam viam per mundum vniuerſum, lucem præbens fidei, & charitatis ardorem omnibus mortalibus: gaudio de tua electione, & felici ſorte, quæ tibi contigit; ora Dominum, qui te elegit, vt etiam dignetur facere me vas electionis, gratia & charitate plenum; vt & ego curſum meum currens, ita conſummem: vt conſequar coronam.

III. Oſtenſio per reuelationem & experientiam. d *Iſaia.* 30. 27. e 2. *Corint.* 11.23. VLTIMO perpendam extremam partem verborum Chriſti: *Ego oſtendam illi, quãta oporteat eum pro nomine meo pati*: quaſi diceret: primum illi ea oſtendam reuelatione, & poſtea etiam experientia, ita, vt multo plura ipſe pro nomine meo patiatur, quam alij eius cauſa ſint paſsi. Et ità re ipſa euenit: vix enim Saulus cœperat nomen Chriſti per mundum portare, quando experientia dedicit, eſſe d *graue ad portandum*, eò quod innumeras perſecutiones, & tribulationes, propter illud pateretur, ſicut ipſe fatetur ad Corinthios ſcribens, e *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius &c.* In qua re Chriſtus Dñs noſter triplicem finem ſpectauit.

Tres fines eur pati oporteat 1. PRIMVS fuit, vt ipſe Saulus perſecutionibus, quas tolerabat, luaret, quas ipſe alijs intuliſſet, tum vt legi iuſtitiæ ſatis fieret; tum vt his laboribus ille perpoliretur, ad magnam gloriæ coronam ſuſcipiendam. 2. SECVNDVS finis fuit, vt intelligamus, magnos fauores magnaque dona cœleſtia non dari, niſi ſimul cum magnis huiuſmodi afflictionibus: quod ſi fauores, & dona præcedãt; ſequi etiam labores in eadem menſura. 3. TERTIVS finis fuit, vt diſcipu-

lus intelligat, ſe debere ſequi ſuum Magiſtrum; & Apoſtolus eum, à quo mittitur; & Euangelij prædicator, debeat eas pœnas ſuſtinere, quas ſuſtinuit Auctor, qui illud fundauit. O mundi Saluator, ſiquidem tam aptè noſti afflictionibus expolire vas, quod ad cælum, & gloriam tuã elegiſti, purificans illud ab omnibus vitiis, & pretioſis exornans virtutibus, elige me in vas miſericordiæ tuæ, & dona me afflictionibus in hac vita, vt ſim dignus conſequi æternam.

PVNCTVM V.

a ET *abijt Ananias, & introiuit in domum: & imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus miſit me Ieſus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas vt videas, & implearis Spiritu Sancto. Et confeſtim ceciderunt ab oculis eius tanquam ſquamæ, & viſum recepit: & ſurgens Baptizatus eſt.* a *Actuum* 9.17.

I. *Suauis prouidentia Dei.*

CONSIDERANDA hic eſt ſuauis *prouidentia* Domini noſtri, in gubernatione ſuorum, vtentis aliquorum operâ, ad benefaciendum aliis, & interdum opera minorum, ad maiores erudiendos: & ita, licet hic potuiſſet per ſe ipſum Saulo viſum reddere, voluit tamen Ananiam hac de cauſa ad ipſum mittere, qui & Baptiſmi ſuſcipiendi obligationem, & munus Teſtis & Apoſtoli, quod illi Deus committebat, intimaret: vt quiſque etiam Sapientiſsimus & Sanctiſsimus, & qui magnos fauores à Deo acceperit, intelligat; opus ſibi eſſe, alteri homini ſe ſubiicere, & hac ratione in humilitate conſeruari. Simul verò perpendam in ipſo Anania, hinc charitatem & humilitatem, qua Saulum alloquens *fratrem* appellauit, dicens, ſe non propria auctoritate accedere, ſed miſſum eſſe à Chriſto: inde verò tanquam Chriſti miniſter, magna auctoritate vſus eſt in dicendo, ſicut ipſe Apoſtolus refert his verbis, b *Ananias veniens ad me, & adſtans dixit mihi, Saule frater reſpice. Et ego eadem hora reſpexi in eum At ille dixit: Deus Patrum noſtrorũ præordinauit te, vt cognoſceres voluntatem eius, & nunc quid moraris? exſurge & Baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine ipſius.* Hic proponitur nobis forma, qua Euangelij miniſtri ita coniungere debent humilitatem cum auctoritate, vt altera alteram non impediat. *Caſsian. Collat* 2.c.5 b *Actuum.* 22.13.

II. *Virtus baptiſmi miraculo oſtẽſa.*

DEINDE conſiderandum, voluiſſe Chriſtum Dominum noſtrum, miraculo reddi Saulo *viſum* ante Baptiſmum, tum vt maiori ſua conſolatione ille Baptizaretur cernens ipſum Baptizantem; tum ad declarandum illo miraculo virtutem Baptiſmi, qui animam illuminans, reiicit ex eius oculis, potẽtiis videlicet, ſquamas peccatorum. O quàm fuit lætus Saulus viſo Anania; & audito eius nuncio, nam ſtatim abſque vlla mora & deuotiſsimè ſanctum accepit Baptiſmum, & nouam cum eo Spiritus ſancti plenitudinem, donum c *linguarum*, ceteraſque gratias, quas alij Apoſtoli c 1. *Cor.* 14. 18.

Digitized by Google

receperiſſent:& hoc Diuino Spiritu plenus, mille proculdubio laudes Deo decantauerit, gratias pro tot acceptis beneficiis agens, & omninò ex corde ſe offerens ad ipſius obſequium. Iacerauerit etiam fortè aut combuſſerit epiſtolas, quas à principe Sacerdotum acceperat; dolens, quòd tam ſolicitè illas impetraſſet; & ſtatuens, ſe velle eſſe d *epiſtolam* viuam Chriſti Domini, ad eius notitiam toti mundo manifeſtandam. O cœleſtes Angeli, qui exultatis in conuerſione cuiuſuis peccatoris, quanto fuit amplius veſtrum gaudium, in hac prodigioſa conuerſione tanti huius peccatoris & perſecutoris Chriſti, cum eum vidiſtis mutatum in magnum prædicatorem, & amicum eius! Laudate, glorioſi Angeli omnibus veſtris viribus eundem Chriſtum, & congratulamini ei, quòd lupũ hunc ceperit, raptorem ſui gregis; & conuerterit in eiuſdem Agnum manſuetiſsimum: & orate eundem, vt veſtrum gaudium augeat, conuerſione multorum peccatorum; vt grex veſter creſcat, cælumque colonis repleatur: ex quo Deus per infinita ſæcula glorificetur.

d 2. Cor. 3. 2. Oratio ad Angelos.

III.

c Act. 9. 20. Sauli conuerſi feruor. f Gal. 1. 16.

DENIQVE perpendam, quod Saulus c *continuò, ingreſſus Synagogas, prædicabat Ieſum, quoniam hic eſt filius Dei.* Vbi apparet magnus feruor noui huius Apoſtoli; & promptitudo, quà munus ſuum, Chriſtum prędicandi, aggreſſus eſt, f *non acquieſcens*, vt ipſe fatetur, c *carni & ſanguini*; nihil faciens quod ipſi Iudæi illum eſſent perſecuturi, & inconſtantem iudicaturi, quòd tam repentè prædicaret eſſe Deum, quem eò vſque tanquam Dei inimicum perſecutus fuiſſet, hæc inquam non effecerunt apud illum, vt ſe in angulo illius domus, ſeu hoſpitij contineret; nec vt pedetentim pergeret, aut cautè prius animos gentis ſuæ exploraret, ſed ſicut Apoſtoli in die Pentecoſtes, ſtatim è Cœnaculo prodeuntes, ad templum ſe contulerunt, vt ibi Chriſtum crucifixum prædicarent; ita Saulus eiuſdem Spiritus vino inebriatus, prodit ex ſua domo, itque ad Synagogas, vt eundem Chriſtum ibi prædicet: hoc facto publicè ſatis faciens plebi, ob ſuum prę-teritum errorem, dum oſtendit, ſe non minùs ferueutem in prædicando Chriſtum; quàm fuiſſet in eodem perſequendo, reipſa nũc præſtans, quod poſtea aliis faciendum conſulit; g *ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati, ad iniquitatem* cumulandam, *ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ, in ſanctificationem.* Sed vlterius progreſſus eſt feruor in bono, quàm fuiſſet in malo: conatus eſt enim feruentiſsimo zelo promouere ſanctificationis augmentum in ſe, & in omnibus alijs huius mundi hominibus idq; tanta animi conſtantia, vt quamuis omnes admirarentur, audientes illum prædicare Chriſtum, qui veniſſet Damaſcum, vt eiuſdem Chriſti diſcipulos comprehenderet: nihilominus h *magis conualeſcebat & confundebat Iudæos, affirmans quoniam hic eſt Chriſtus.* Tantum itaque abfuit, vt huiuſmodi hominum ſermones & perſecutiones tepidi-

g Rom. 6. 19.

h Act. 9. 22.

Digitized by Google

orem illum in prædicatione redderent; vt potius eadem animum illi adderent, vt conſtantius & vehementius Chriſtum prædicaret; ſimili autem paſſu progreſſus eſt in reliquo totius vitę ſuæ, donec ingenti Chriſti amore ardens pro eo illam profudit; vt in proxima Meditatione apparebit.

MEDITATIO XXXI.

DE VITA ET HEROICIS VIRTVTIBVS Sancti Pauli Apoſtoli poſt eius conuerſionem, in qua ſumma ponitur ſupremæ perfectionis Euangelicæ.

Vita glorioſiſſimi huius Apoſtoli, poſt eius conuerſionem fuit perfectiſſimum quoddam totius Euangelicæ perfectionis exemplar; ad quam par eſt omnes viros Apoſtolicos contendere, a imitantes, *ſicut ipſe dixit* Chriſtum *Dominum noſtrum ſicut ipſe eundem* imitabatur: *in quem finem hæc meditatio hic inſtituitur, in qua referentur præcipuè eius virtutes, tam ex eius Epiſtolis, quàm ex* Actibus Apoſtolorum deſumptæ. a 1. Cor. 4. 16. & 61.

Virtutes B. Pauli.

PVNCTVM I.

PRIMA eius virtus fuit, excellens Spiritus PAVPERTAS, qua renunciauit omnibus rebus, ſicut cæteri Apoſtoli; vt ſic expeditior eſſet, totumq; ſe Dei obſequio & prędicationis miniſterio impẽderet; oblectans ſeſe in experiendis paupertatis effectibus, pręcipuè in tribus rebus. Paupertas Spiritus.

PRIMVM a *contentus erat* (vt ipſe ait) *habens alimenta, & quibus tegeretur*; atque ſi diceret: ſi habeam, quod præciſè neceſſarium eſt, ad vitam ſuſtentandã, & corporis nuditatẽ contegendam, his contentus ero. Adeoq; his erat contentus, atque ſi totum mundũ haberet & ideò dixit: b *viuimus ſic ut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Cauſa verò, huius tantæ lætitiæ erat, quòd in tanta rerum corporalium indigentia, ſummas ſpirituales diuitias poſsideret, quæ maiorem ſine comparatione conſolationem homini adferunt, quàm temporales. I. 1. Tim. 6. 8 b 2. Cor. 6. 10.

Hinc ALTERVM illud proueniebat, vt etiam his ipſis neceſſariis ſæpe ſe ſponte priuaret; eorumque defectum magna animi lætitia ſuſtineret. Ideoque inter ſuas calamitates, etiam enumerat c *famem, ſitim, frigus, nuditatem, & ieiunia multa.* Imò vlterius eſt progreſſus: nam cum occupatiſsimus aliàs eſſet in prædicando; iureque poſſet ſuſtentationem à fidelibus accipere, ſicut reliqui Apoſtoli accipiebant; ipſe huic iuri renuncians, labore manuum ſuarum, ex quadam ARTE MECHANICA, lucrabatur ſibi & ſociis ſuis quod eſſet ad ſuſten- II. c 2. Cor. 11. 27. d Actuum. 18. 3.

Digitized by Google

c1. Theſ 2. 9. 2. Theſ 3. 8. f Actuum. 20. 33. tationem neceſſarium, vt hac ratione fideles non c grauaret; ſed exemplũ maioris perfectionis omnibus præberet. Et ita ait, f *argentum & aurum, aut veſtem nullius concupiui. ſicut ipſi ſcitis: quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtrauerant manus iſtæ. Omnia oſtendi vobis*, vt exemplum caperetis; *quoniam ſic laborantes, oportet ſuſcipere infirmos, ac meminiſſe verbi Domini Ieſu, quoniam ipſe dixit: Beatius eſt magis dare quam accipere.* O glorioſe Apoſtole, qui parcus fuiſti in accipiendis temporalibus, & effuſus, in dandis ſpiritualibus, impetra mihi à tuo Magiſtro, vt paupertatem tuam in rebus temporalibus imitans, conſequar diuitias tuas bonorum ſpiritualium. Relinque, anima mea omnia, & inueniens omnia; relinque pro Chriſto omnia, & in ipſo Chriſto poſsidebis omnia. nam ſi eum habeas, habebis in eo omnia, & ſi eius amore pauper fueris, multò eris magis contenta, quàm ſi eſſes diues.

PVNCTVM II.

Caſtitas & interna eius pugna. a 1. Cor. 7. 7. 34. 35. SECVNDA eius virtus fuit, puriſsima CASTITAS cuius edidit votum, ſicut ceteri Apoſtoli; eamque coſtodiuit exactiſsimè; & propoſuit ſe tàquam exemplum eius, dicēs, a *volo omnes vos eſſe, ſicut meipſum*, expeditos videlicet à nuptiis & matrimonij operibus vt *ſine impedimento* poſsint *Dominum obſecrare* & eſſe *Sancti corpore & Spiritu*. Sed præcipuè tria circa hanc virtutem perpendam.

I. PRIMVM, quanti SANCTVS APOSTOLVS fecerit hanc virtutem: ſiquidem cupiebat omnes homines caſtos eſſe, ſicut ipſe erat: nihil curans, quòd ea ratione mundus eſſet breui finiendus: quia pluris faciebat æterna, quàm temporalia: ſemperque deſiderio ſuo collimabat ad id, quod optimum & excellentiſsimum eſſet; quamuis in executione ipſa, Dei diſpoſitioni ſe accommodaret, qua dona ſua hominibus diſtribuere ſolet.

II. b 1. Cor. 9. 5. 12. SECVNDVM, quod cum reliqui b *Apoſtoli* in more haberent, deuotam aliquam *mulierem ſororem* ſecum *circumducere*, quæ illis miniſtraret, & ex facultatibus ſuis eos ſuſtentaret; ipſe tamen *non eſt vſus ea poteſtate*, non ſolum quod vellet potiùs ex labore manuum ſuarum viuere, quam ex huiuſmodi eleemoſyna; ſed etiam propter cautelam, & decentiam in tali comitatu & communicatione cum mulieribus, quas meritò fugere debet, qui tutam velit habere caſtitatem.

III. TERTIVM fuit, quòd eius caſtitas fuerit grauiſsimis tentationibus oppugnata; quas tamen viriliter ſuperauit: ideoque fuit proculdubio glorioſior. Eò enim omnis virtus ſublimior cenſetur, quò grauiorem contradictionem ſentit, qui illam habet, in ea conſeruanda. Et hac ratione

c 2. Corint. 12. 7. S. Aug. & S. Thom. & alij ibi. declarant aliqui ex Sanctis, quod ipſe Apoſtolus de ſeipſo refert, ſcribens ad Corinthios; c *ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet.* Propter

Digitized by Google

quod ter Dominum oraui, vt diſcederet à me: & dixit mihi: ſufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. atque ſi dictum illi fuiſſet, vt ſis humilis neceſſe eſt tentari te; & vt virtus tua ſit perfecta debet eſſe valde probata: ideoque ſtimulus ipſe carnis tuæ, illam faciet perfectè caſtam; & Angelus Sathanæ, qui te colaphizat, faciet te tolerantem & patientem; vt puritas tua ſit ſicut Angeli cæleſtis. O Pater miſericordiarum, conuerte ſtimulũ carnis meæ in calcar Spiritus mei; vt feruenter orans, curram diligenter in tuo ſeruitio: quia à te ſolo meum dependet remedium.

Resplendet quoque eiuſdem Apoſtoli ſanctitas & puritas, in alijs internis pugnis quas tolerabat; ſed inſigni tamen virtute vincebat; propter quas dixit: d *condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati; quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de morte corporis huius? gratia Dei per Chriſtum Dominum noſtrum.* hæc eſt quæ me liberabit, & eius virtute omnia vincam. Ne deficias, anima mea, ſi videris te oppugnari; ſed confide in gratia Dei, quòd non ſuccumbes. Si e *caro* tua *concupiſcit aduerſus Spiritum*, contende vt & *Spiritus ita concupiſcat aduerſus carnem*, vt victor euadat; & ita quò pugna acrior erit, eò victoria erit glorioſior: vt poſſis cum eodem Apoſtolo dicere, f *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum* Iesvm Christvm, Amen.

d *Rom.* 7. 22

e *Gala.* 5. 17

f 1. *Cor.* 15. 17.

Pvnctvm III.

Pœnitentia & mortificatio.

Tertia virtus fuit, ſeuera Poenitentia & carnis mortificatio, quam rigidè caſtigabat, vt Spiritui ſubiectam haberet; quod ipſe verbis grauiſſimis teſtatur: a *Ego ſic curro, non quaſi in incertũ*; & neſciens præmium & fructum meum, *ſic pugno, non quaſi aerem verberans*, & inaniter laborans, verba iactans, & nihil opere præſtans, ſed caſtigo pœnitẽtijs *corpus meũ, & in ſeruitutem redigo: ne forte, cũ alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* O anima mea, ſi Apoſtolus certus de ſuo premio, ita currit ac timet quid tu incerta hæres, & nõ cũ tremore curris? ſi ille non eſt contẽtus aerem verberare, ſed verberat carnem ſuam; cur tu ſolis verbis es contenta, negligens interim opera? caſtiga, caſtiga pœnitentijs corpus tuum, vt ſubijciatur Spiritui, ſi enim illum in ſua rebellione permittas, perducet te in ruinam, & reprobationem.

a 1. *Cor.* 9. 26.

Oratio.

II.

Exercvit ſe præterea Sanctus Apoſtolus, in continua ſenſuũ ſuorum & appetitionũ inordinatarum mortificatione: abnegans deſideria & voluptates ſuas; exactè adimplens abnegationem, à Chriſto Domino noſtro commendatam, b *ſemper*, inquit, *mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* vbique ergo & ſemper mortificationibus erat circumdatus, non ſolum internis in Spiritu, ſed etiã externis in corpore; nunc ipſemet eas ſponte ſubiẽs, nunc

b 2. *Cor.* 4. 10.

Digitized by Google

ab aduerſarijs illatas ſuſtinens: imitans in hoc Chriſtum Dominum noſtrum, cuius vitam ipſe exprimebat in ſeipſo: vnde frequenter illud vſurpabat, c *ego ſtigmata Ieſu in corpore meo porto*, quia eadem patiebatur, quæ Chriſtus fuerat paſſus.

c Gal. 6. 17.

O ſi talem poſſem obtinere mortificationē continuam, diuturnam, & perfectam, in qua eius vita manifeſtaretur, qui tantæ mortificationis mihi dedit exemplum! O dulcis Ieſu, qui es d *via, veritas, & vita*; ſiquidem mortificatio tua; via eſt, ad tui fruitionem perueniendi, qui es ipſa vita; illuſtra me tua veritate, vt perfectam hanc mortem amplectar, quæ manifeſtatur admirabili vita tua.

d Ioa. 14. 6.

PVNCTVM IV.

QVARTA virtus fuit, profunda & & admiranda HVMILITAS, magnæ Sanctitati coniuncta, quod valde eſt rarum; & reſplenduit in ſubiectis exemplis.

Humilitas & mundi contemptus.

Nam PRIMVM, cum ſe alijs hominibus compararet, infimum ſemper locum ſibi elegit: quia, inter peccatores, iudicabat, ſe eſſe primum; inter Sanctos, vltimum: & ita ſemel dixit: a *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum, peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum*, & alibi: b *ego ſum minimus Apoſtolorum; qui non ſum dignus vocari Apoſtolus quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei*: & vlterius progreſſus, c *mihi inquit omnium Sanctorum minimo data eſt hæc gratia*, omnium ſcilicet fidelium, qui erant in Eccleſia. Qui itaque in oculis Dei, vnus erat ex maximis Apoſtolis, & ex primis in ſanctitate; idem in ſuis oculis erat bonorum poſtremus, & peccatorum primus: cuius exiſtimationis ea erat cauſa, quòd in hac ſui ad reliquos comparatione, exaggeraret propria ſua peccata; & obliuiſcebatur peccatorum aliorũ: & contrà memor erat virtutum aliorum, oblitus tunc propriarum; ſed memor tamen præteritorum vitiorum: in quo ſummopere mihi ſtudendum eſt humillimum hunc virum imitari, & cum ipſo dicere; ego ſum minimus Chriſtianorum, & indignus qui hoc nomine vocer; ego ſum minimus religioſorum, & Sacerdotum, nec ſum dignus hoc nomine appellari: imò omnium hominum, ſum minimus, & nec mereor hoc nomen qui meis peccatis me feci beſtiam: nam verè dicam, d *vermis ſum & non homo*.

I. Infimum corũ elegit
a 1. Tim. 1. 15.
b 1. Cor. 15. 9
c Epheſ. 3. 8
d Pſal. 21. 7.

DEINDE, reſplenduit eius HVMILITAS in hoc, quod non erubeſcebat publicè fateri ſua peccata, & ſcripto illa notata relinquere, dicens: quia prius e *blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus, &*: f *qui ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam* & quod ſanguinem innocentem effudiſſet; fatetur enim: g *tum funderetur ſanguis Stephani, ego adſtabam; & conſentiebam, & cuſtodiebam veſtimenta interficientium illum*. Et ſi quan-

II.
e Timo 1. 13
f Galat 1. 13
g Act num. 22. 19.

do aliquid inſignium ſuorum operum neceſsitate coactus referebat, miſcebat verba humilitatis; h *factus*, inquit, *ſum inſipiens, vos me coegiſtis*. Aliàs idem repetebat, & ex inſtituto reticebat multa, quæ producere potuiſſet, i *ne quis*, inquit, *me exiſtimet ſupra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me*. Hoc exemplo nos docens, verè humilem, proprio ſuo inſtinctu inclinare, ad culpas defectuſque ſuos manifeſtandos; non verò ad proprias virtutes, niſi neceſsitate coactum; & eam humiliationem deuorando, vt, cum eaſdem narrat, vanus & inanis habeatur. h 2. Corint. 12. 11. i 2. Cor. 12. 6

Tertiò reſplenduit eius Hvmilitas in eo, quod agnoſcens maxima bona, quæ à Deo receperat, (nam Spiritus Dei, ſicut idem Apoſtolus dicit, non eſt cæcus ad ea cognoſcenda) non ſibi illa arrogauerit, aut inaniter de eis gloriaretur; ſed totam gloriam Deo & eius gratiæ tribuerit: & ideo in eius conſpectu, tanquam nihilum ſe agnoſcens, dicebat: k *gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed, abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, ſed gratia Dei mecum*. Et alibi: l *pro me nihil gloriabor, niſi in infirmitatibus meis: &* m *quamuis ego fidem plantauerim in vobis & Apollo rigauerit, tamen neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*: & cum aliquando, n *tanquam Deum, ipſũ adorare vellent, ſciſſa tunica, & exſiliens in turbas, clamans, dicebat: viri quid hæc facitis, & ego homo mortalis ſum, ſimilis vobis*; ac propterea indignus tali honore.

III. Gloriam omnem Deo tribuit

k 1. Cor. 15. 10. l 2. Cor. 12. 5 m 1. Cor. 3. 9 n Actuum 14 13.

Hæc eſt humilitas cordis, quæ ſemper in Sanctis perſeuerat: in qua licet mihi Sanctum hunc Apoſtolum imitari, ſi donorum Dei particeps eſſe cupio, memor verborum illorum eiuſdem Apoſtoli; o *quid habes, quod nõ accepiſti, & ſi accepiſti quid gloriaris, quaſi non acceperis?* o 1. Cor. 4. 7

Quare anima mea, ſi vis vt te Deus impleat ſe ipſo, euacua te à te ipſa, & ipſe copioſa ſua dona tibi communicabit, ſi totam eorum gloriam illi demiſſe dederis.

IV. Timor in ſeipſum.

Qvarta, reſplenduit etiam Hvmilitas in Sancto timore, quem de ſe ipſo habebat, in propria cognitione fundatum: in quem ſenſum aliquando dicebat, p *nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum: qui enim me iudicat, Dominus eſt*; & aliàs dicebat: q *caſtigo corpus meum, ne reprobus efficiar*. p 1. Cor. 4. 4 q 1. Co. 9. 27

Et ſæpe à fidelibus petebat, vt pro ipſo r *orarent*, quod ſignum erat humilitatis eius; & Sancti huius timoris, quo verebatur, ne forte aliqua ſua culpa, Dei diſpoſitionẽ impediret. Præ reliquis autem apparuit hæc Hvmilitas: quod cum ſciret, ſe per reuelationem Dei Euangelium accepiſſe; voluerit nihilominus illud cũ alijs Apoſtolis conferre, s *ne forte*, inquit, *in vacuũ currerem aut cucurriſſẽ*. in quo humillimã iudicij ſui reſigna-

r 1. Cor. 1. 11. r Coloſſ. 4. 3 r Heb. 13. 19 r Rom. 15. 30 s Galat. 2. 2

tionem

tionem, iudicio Eccleſiæ, manifeſtè oſtendit; non ſibi ſoli tantum tribuēs aut ſecuritatem illam negligens, quæ ex totius Eccleſiæ iudicio, ſibi proueniret.

V Mundum contemnit. VLTIMÒ eadem HVMILITAS reſplenduit in mundi contemptu; & in eo, quod gauderet ſe alijs contemptui eſſe; & plus gloriatur, ſe ab alijs deſpici, quàm alij, ſe eſſe in honore: & ita dicebat, t *mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*, (t Gal. 6. 14) quaſi diceret: ille me tanquam vilem, & ignominioſa crucis morte dignum contemnit; & ego eum eadem ratione contemno: Et quamuis fex & mundi opprobrium haberetur, nihili hoc faciebat, quin potius v *pro minimo*, (v 1. Cor. 4. 3.) inquit, *mihi eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die*, adeoque procul erat, vt ſe Hominum palato accommodaret, vt diceret, x *an quæro hominibus placere? ſi adhuc hominibus placere quærerem, Chriſti ſeruus non eſſem*. (x Gala. 1. 10) O Chriſti ſerue fideliſsime; impetra mihi à tuo Domino, pretioſum hoc donum humilitatis, ex qua oritur fidelitas circa ipſius obſequium. O Anima mea, ſi verè cupis Domino tuo ſeruire, contemne vanas huius mundi pompas, & doloſa filiorum eius iudicia; & potius gloriare, quod mortua ſis & crucifixa mundo, & quòd ille ita tibi mortuus ſit & crucifixus, vt ex nunc ſoli Deo viuas in æternum. Amen.

PVNCTVM V.

Patientia & hilaritas in laboribus. QVINTA virtus fuit, inuicta & heroica eius PATIENTIA in ſuis laboribus, qui fuerunt innumeri & omnis generis interni, & externi; terra marique, à Iudæis & Gētibus, & falſis fratribus, vt conſtat ex eorū a *catalogo* (a 2. Corint. 11. 23. & 6. 5) ab ipſo confecto, dum ſcriberet ad Corinthios; qui labores, quàm fuerint intolerabiles, his verbis ſignificauit, b *grauati ſumus ſupra modum, & ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere*; (b 2. Cor. 1. 8) *nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus foris pugna, intus timores*: (c 2. Cor. 7. 5.) & ſibi applicat, quod ſcriptum eſt, d *quia propter te, mortificamur tota die: æſtimati ſumus, ſicut oues occiſionis*. (d Rom. 8. 36 Pſal. 43. 22.)

II. ET, cum tanti eſſent, reſplendebat in eo PATIENTIA, quod exiguos illos iudicaret comparatos ad præmium, quod ſperabat, & ita illos appellauit, e *momentaneum, hoc & leue* (e Cor. 4. 17) tribulationis noſtræ. Nec terrebatur, aut animū abijciebat, propter illorum immanitatem: Sed ad maiores potius tolerandos ſeſe offerebat, ſicut euenit, quando f *Propheta Agabus illi prædixit, fore, vt Ieroſolymis vinciretur à Iudæis, & traderetur in manus Gentium, & ipſe reſpondit: Ego non ſolum alligari, ſed & mori in Ieruſalem paratus ſum, propter nomen Domini Ieſu*. (f Actuum. 21 13.) Quæ animi eius erectio, procedebat ex magna fiducia in Deum; quam idem ipſe Dominus in medijs eiſdem laboribus fouebat: & ita ait, g *ipſi in nobiſmet ipſis reſponſum mortis habuimus, vt non ſimus fi-* (g 2. Corint. 1. 9.)

dentes

dentes in nobis, ſed in Deo: qui reſuſcitat mortuos: qui ex tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem ſperamus, quoniam & adhuc eripiet.

Ex quo tanti animi magnitudo illi oriebatur, vt diceret: h *ſcio & humiliari, ſcio & abundare; ſatiari & eſurire: & abundare & penuriam pati omnia poſſum in eo, qui me confortat*: atque ſi diceret, in proſperis & aduerſis, in paucis & in multis, ſum quaſi omnipotēs, non meis viribus, ſed Dei, cuius potentia omnia poſſum. O Deus omnipotens, fac me tua virtute potentem, ad præſtandum, quidquid mihi iubes: & ad tolerandum, quidquid permittis: tua ſiquidem erit gloria, cuius eſt & potentia. III. h Philipp. 4 11.

DENIQVE in ſuis laboribus, magnam habuit conſolationem & lætitiam: quia in ijs ipſis Deus ingentes illi ſpirituales diuitias communicabat, ſicut ipſe Corinthijs ſcribit, i *benedictus Deus, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra: vt poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt*: & iterum dicit k *repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra*, & iterum l *gloriamur in tribulationibus*, & m *placeo mihi in infirmitatibus meis, in cōtumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionib. in anguſtijs pro Chriſto.* IV. i 2. Corint. 14. k 2. Corint. 7. 4. l Rom. 5. 3. m 2. Cor. 11, 10.

O Redemptor mundi, qui reipſa effeciſti, vt hoc vas electionis experiretur & pateretur multa, pro nomine tuo; dans etiam ei ſimul magnam, in patiendo, Spiritus voluptatem; elige me quoque in vas tuum, in quo multos etiam labores reponas, cum abundanti conſolatione, in illis tui amore ferendis.

PVNCTVM VI.

SEXTA virtus fuit altiſsima ORATIO ET CONTEMPLATIO, creſcens ſemper in ea, quæ data illi eſt tribus primis diebus ſuæ conuerſionis, ſicut dictum eſt. Nominatim verò eius oratio fuit cōtinua, qua Deum orabat pro ſe & omnibus fidelibus, ſicut ipſe ſæpe teſtatus eſt; a *teſtis enim*, inquit, *eſt mihi Deus, quod ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis*, faciens ipſemet quod alios facere volebat: b *Volo* inquit, *viros orare in omni loco, leuantes puras manus ad Deum*: quod ipſum præſtabat omnibus modis orationis, obſecrationis, petitionis, & gratiarum actionis, ſicut alijs vt facerent conſulebat. in ipſis item carceribus c *orabat, & glorificabat Deum*, faciens ex carcere oratorium, etiam magna cū ædificatione ipſorum cuſtodum. Oratio & contemplatio. I. a Rom. 1. 9. b Theſ. 1. 2 b 1. Tim 2. 8 c Actuum. 16. 25.

DEINDE orabat magno Spiritu & feruore, non contentus ſolis verbis ſed potius cordis affectibus: nam propterea dixit d *Orabo Spiritu, orabo & mente*, coniungens internum animæ ſenſum verbis, quæ ex ore procedebant. Ex quo proueniebat, vt eius contemplatio, eſſet adeò alta, vt (ſicut ipſe dixit) eius e *conuerſatio eſſet in cœlis.* II. d 1. Cor. 14. 15. e Philipp. 3 20.

Qui etiam dixit de ſe ipſo, ſcio hominem f *raptum eſſe ad tertium cœlum & in Paradiſum & audiuiſſe arcana verba, quæ non liceret homini loqui*. de quo ſuperius diximus. In quo raptu minimùm cenſendus eſt Deus, communicaſſe illi altiſsimum contemplationis gradum, qui poſsit in hac vita mortali communicari: & fas eſt credere, ſæpius habuiſſe alios raptus, quos ex humilitate celauit, ſicut ipſe, cùm hunc ſolemnem refert, inſinuat; & quando dixit in alio loco, g *mente excedimus* Deo, hoc eſt, habemus extaſes Spiritus, agentes cum Deo: & bene apparet, quàm fuerint altæ; ſiquidem ait, h *ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ qui me colaphizet*, & humiliet.

III. f 2. Corint. 12.2.

g 2. Corint. 5.13.

h 2. Corint. 12.7

IV. Ex Hac contemplatione, oriebatur abundantia illa conſolationum, quibus afficiebatur & altiſsima ſenſa, quæ de Chriſto habuit, ac de eius gratiæ inæſtimabilibus diuitijs, ſecretis prædeſtinationis, & prouidentię Diuinæ; excellentijs ac perfectionibus Dei, Hierarchijs Angelorum, & multis alijs rebus, quas in ſuis epiſtolis docet. Denique tanti Chriſtum faciebat, vt diceret, i *exiſtimo omnia detrimentum eſſe*, aurum, argentum, gēmas, & quidquid in mundo eſt, *propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, etiam quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta, vt Chriſtum lucrifaciam*. O ſuprema Chriſti Domini ſcientia, quæ tantum infundis, & imprimis animæ, rerum terrenarum contemptum; tantam verò rerum cœleſtium exiſtimationem; da mihi, Domine, hanc ſcientiam, qua te ita cognoſcam, vt detrimentum & ſtercus exiſtimem, quidquid terrenum eſt, vt poſsim te verum Deum & hominem conſequi.

i Philip. 3.8

Ex quatuor his conſiderationibus, poſſum haurire tum ingentem admirationem, de adeò raris beneficijs quæ Deus in Sanctum Apoſtolum contulit, & pro eis gratias agere; tum magnum deſiderium, eum imitandi, in quibus imitari licebit; frequentans orationem cum magno Spiritu; & meditationem cum magna viuacitate; qua me diſponam ad remouenda impedimenta, quæ aliàs impediunt fauores & gratias, quas cupit Deus ijs infundere, qui excellens hoc exercitium frequentant.

Pvnctvm VII.

Amor vnitionis cū Chriſto.

a Galat. 2. 19.

Septima virtus fuit, excellētiſsima Charitas & amor, erga Chriſtum Dominum noſtrum, cum ſupremo vnitionis gradu, qui in via Vnitiva inuenitur, quam ipſe oſtendit cum dixit; a *Chriſto confixus ſum cruci: viuo autem iam non ego, ſed viuit in me Chriſtus*: quibus verbis inſinuat duos modos vnitionis amantiſsimæ, quam habebat cum Chriſto.

I. Primvs erat, cum Chriſto crucifixo ita ſe eſſe vnitum, vt confixus cum

Digitized by Google

eo eſſet in cruce; non quidem clauis ferreis, ſed amoris & imitationis, in quo ſummè gloriabatur, cogitans, loquens, & faciens ſemper iuxta hoc: & ita dixit Corinthijs, b *non iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* b 1. Corint. 2.

II. Secvndvs modus vnitionis cum Chriſto, erat ſpiritualis, cũ exceſſu videlicet amoris, ducendo (vt ait Sanctus Dionyſius) vitam tantùm amatoriam; ita vt quamuis verè duceret vitam naturalem, non tamen liberè viueret, proprio ſcilicet arbitrio & voluntate, ſed Chriſtus in eo viuebat, tanquam principium, regula, & finis eius cogitationum, affectuum, verborum, & operum, coniungente eum ſibi Chriſto Domino, continuatis amoris exercitijs, ita vt diceret, c *mihi viuere Chriſtus eſt*: vita mea eſt Chriſtus, cogitatio mea eſt Chriſtus; meum velle eſt Chriſtus; meum loqui eſt Chriſtus; meum operari eſt Chriſtus. O felicem Apoſtolum, cui tantopere Chriſtus fauit. Vtinam anima mea talis eſſet, in qua ſemper Chriſtus viueret. O Christe vita mea, mane & viue ſemper in me; & viuere meum ſit ſemper in te, in ſecula, Amen.

Cap. 4. de Diuin. nom. — c *Philipp. 1. 21.*

III. Deinde perpendam, quàm intimè eſſet amor iſte in Sancto Apoſtolo radicatus, qui auſus eſt dicere, d *quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas, an periculum? an perſecutio? an gladius? certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli neque Principatus, neque virtutes, neque inſtãtia, neque futura, neque fortitudo neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* O ignis amoris, quem e *aquæ multæ* tribulationum *non poſſunt extinguere nec flumina obruere*, quin potius illis magis accenderis! f O *ignis* inſatiabilis: *qui nunquam dicis ſufficit*; quia nunquam defatigaris, aduerſè patiendo eius cauſa, quem diligis. Accende O Redemptor mi, hũc amorem in corde meo, vt tanto feruore te diligam, quem nulla res creata poſsit extinguere. Amen.

d *Rom. 8. 35.* — e *Cant. 8. 7.* — f *Prouerb. 30. 16.*

PVNCTVM VIII.

Octava virtus fuit feruentiſsima Charitas & amor erga proximos, quæ oriebatur ex Charitate, quam habebat erga Chriſtum, de qua dicit ipſe, a *Charitas Chriſti vrget nos*, ad omnia videlicet, quæ ſpectant ad ipſius Chriſti ſeruitium & bonum animarum, quarum ſalutẽ ex omnibus ſuis viſceribus optabat: pro quibus horrẽdos tolerauit labores, perambulans totum mundum infatigabiliter, prædicãs per omnia regna & prouincias, per plateas, per domos priuatas, etiam in carceribus, nunc pluribus ſimul, nũc ſingulis in particulari, magna cordis teneritate. b *Nocte*, inquit, *& die nõ ceſſaui, monẽs cũ maternis lachrymis vnũquemq; veſtrũ.*

Charitas & zelus animarum. — a *2. Corint. 5. 14.* — I. — b *Actuum. 20. 31.*

II. Ex quo procedebat, vt diceret: c *omnium me ſeruum feci, vt plures lucri facerem. Factus ſum Iudæis tanquã Iudæus, vt Iudæos lucrarer; & ijs qui ſine lege erãt, tanquã ſine lege eſſem, vt lucrifacerem eos; factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem*: d *Græcis & Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum, omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos.* Et alibi e *Per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant.* O Charitatem latiſsimam, quæ omnes complectitur, neminem excludit; omnium hominum formas & figuras accipit, vt omnes accipiant figuram CHRISTI, & portent ſuper ſe hominis cæleſtis imaginem!

c 1. *Corint.* 9. 19. 22.
d *Roma.* 1. 14.
e 1. *Corint.* 10. 33.

III. HINC etiam oriebatur ſolicitudo; & zelus boni communis in omnes, eorum damna ita ſentiens, atque ſi eſſent propria; ideoque ſenſum hunc ſuum inter magnos ſuos labores computat, dicens: f *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur & ego non vror?* & eadem ex cauſa dicebat Romanis; g *quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo*, eò quòd videret fratres ſuos Iſraëlitas non recipere Euangelium. & Galatis, qui ab Euangelica puritate degenerauerant; h *Filioli mei*, inquit, *quos iterũ parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Aliàs ſeipſum nutricem appellat, i *tanquam ſi nutrix* (inquit) *foueat filios ſuos: ita deſiderans vos cupidè, volebam tradere vobis non ſolum Euangelium Dei, ſed etiam propriam animam, quoniam chariſſimi vobis facti eſtis*; & alibi; k *Teſtis eſt mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Ieſu Chriſti*; quia eos cupiebat inuiſcerare in ipſum Chriſtum, vt ſemper illum diligerent.

f 2. *Corint.* 11. 29.
g *Rom.* 9. 2.
h *Galat.* 4. 19.
i 1. *Theſal.* 2. 7.
k *Philip.* 1. 8.

IV. HINC etiam oriebatur inſignis alia eius amoris excellentia: nam, cũ l *deſiderium haberet diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, continebat illud, eò quod *permanere in carne neceſſarium exiſtimaret, propter profectum & gaudium* proximorum; nec dubitabat, abſtrahere ſe à dulcedine contemplationis, & iucundo colloquio cum Chriſto, vt alij ſalui eſſent. Eoque progreſſa eſt eius Charitas, vt diceret, m *Optabam ego anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*, id inſinuans, iuxta multorum Patrum interpretationem, quod ſi neceſſarium foret ad ſalutem proximorum, vellet ipſe eligere, priuari viſione Chriſti & eius gloria, aut per longum tempus, aut vſque ad finem mundi: eò quod maiorem gloriam nullam haberet, quàm Chriſtum amare, eius voluntatem implere, & multas animas lucrari, vt ei ſeruirent, & æternum amarent. Quarum animarum gratiâ, aptius quam Moyſes dixiſſet: n *Peccauit populus ille, aut dimitte eis hanc noxam, aut me dele de libro tuo*: potius enim vellem abſque mea culpa à te abſens eſſe; quàm tot animas culpâ ſuâ perire. O charitas celſiſsima & profundiſsima, quæ iam altè aſcendis, vt nolis eſſe contenta, niſi Deum poſsideas; deſcendiſque adeò profundè, vt velis ſine culpa carere Deo, vt

l *Philip.* 1. 23.
S. *Tho.* 2. 2. q. 182. a. 2.
m *Rom.* 9.
S. *Chriſoſt.* S. *Thom.* & *alij ibi.*
n *Exodi.* 32. 32.

places

Digitized by Google

places eidem: da mihi, Domine, huic ſimilem charitatem, qua in hoc meam requiem & tranquillitatem ponam, vt quamuis cum iactura mea, tibi tamen placeam, & multas animas ad te deducam, quæ te fruantur in æternum. Amen.

VLTIMO vehementer extollit hanc Apoſtoli charitatem, quòd extenderet ſe etiam ad inimicos, & perſecutores ſuos, quos tanquam amicos diligebat, implens erga eos, omnes amoris leges; & ita dicebat, o *Maledicimur & benedicimus*; *blaſphemamur, & obſecramus* pro ijs, qui nos perſequũtur; & iterũ p *ego autem inquit, libentiſſimè impendam & ſuper impendar ipſe pro animabus veſtris, licet plus vos diligens, minus diligar*. Ex quo fiebat, vt ſi q *aliqui propter inuidiam aut contentionem, aut quod preſſuram ipſi exiſtimarent ſe ſuſcitare, Chriſtum prædicarent*, non ſolùm ipſi hoc graue non eſſet, aut de eis conqueretur aut eos impediret: ſed *in hoc*, inquit, *gaudeo, & gaudebo, vt Chriſtus annuncietur, ſiue per occaſionem ſiue per veritatem*. V.

o 1. Corint. 4.12.
p 2. Corint. 12.15.
q Philip. 1.5

Ex his conſiderationibus intimum concipiam deſiderium, imitandi inflammatam hanc Apoſtoli charitatem erga meos proximos, bonos & malos, amicos & inimicos, reſpiciens in eis Chriſtum Dominum noſtrum propter quem omnes diligi debent.

PVNCTVM IX.

EX hac Apoſtoli Charitate, inſignes aliæ virtutes eius promanant, quibus ſuam perfectionem ſatis manifeſtauit, aliquas nunc perpendemus. Aliæ virtutes.

PRIMA eſt, magna OBEDIENTIA, erga voluntatem Diuinã, & omnes inſpirationes, quibus ſe illa manifeſtabat; ideoque cum ipſi inſpiraretur, vt iret in a *Macedoniam*, aut in b *Ieruſalem*, aut aliò ſtatim eò ſe conferebat, etiamſi ſciret, graues ob eam cauſam perſecutiones & labores in eo loco ipſum expectare: quia maiorem animæ ſuæ, quàm vitæ; & voluntatis Diuinæ exequendæ, quàm propriæ quietis rationem ducebat. Et poſtquam his omnibus paruiſſet, nec de facto gloriabatur, nec aliquid ſe feciſſe exiſtimabat, c *nam ſi Euangelizauero*, inquit, *non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit, & væ mihi eſt, ſi non Euangelizauero*. Benè memor erat Apoſtolus illius Chriſti ſententiæ, d *Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſerui inutiles ſumus quod debuimus facere fecimus*. I. Obedientia.

a Actuum. 16. 9.
b c. 20. 22.
c 1. Corint. 9.16.
d Luca. 17. 10.

SECVNDA virtus fuit magna SOLICITVDO *in cuſtodia linguæ* & circumſpectione verborum exactiſſima; ſiue prædicaret, ſiue conuerſaretur cum hominibus: vt conſtat ex ijs, quæ ſcripſit ad Corinthios: e *non ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Domini, ſed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo, coram Deo in Chriſto loquimur*. f O *virum perfectum*, verè religioſum, qui ita *potuit linguam ſuam cuſtodire*, vt nec *verbo laberetur, ne eius religio eſſet vana*, aut perfectio minueretur! Sed quis loquendo impingere poterit, Solicitudo II.

e 2. Corint. 2.17.
f Iacob. 1.26

De hac regula in loquendo plura ſupra.

qui ſincera intentione, vt ipſe, & Diuinam ſequens inſpirationem, & attendens quod ipſum Deus audiat, & agens de ſolo Chriſto, loquatur.

III. Deſideriũ proficiendi.

g Philip.3.12.

TERTIA virtus fuit intimum DESIDERIVM *proficiendi in virtute* & ſemper vlterius progrediendi: nam poſt tot labores, adhuc dicebat g *ſe non eſſe perfectum* & ad culmen perueniſſe: *ſed quæ retrò erant* & quæ iam præſtitiſſet *oblitus, ad ea quæ priora erant*, & nondum obtinuerat *ſe ipſum extendens, ad deſtinatum ſupernæ vocationis Dei brauium perſequebatur.*

IV. Dexteritas h 1. Corint. 5.5. i Galat.2.11.

QVARTA fuit admiranda DEXTERITAS *in coniungendis virtutibus, quæ difficile alias coniunguntur*, quales ſunt humilitas & magnanimitas; mãſuetudo & zelus; viſcera miſericordiæ & rectitudo iuſtitiæ; quia h *caſtigabat*, quando opus erat delicta; & i *reſiſtebat* illis, qui non progrediebãtur, iuxta veritatem & ſinceritatem Euangelij, quod ipſe prædicabat.

V k Phil.1.23. l Rom.8.23. m Philip.1.21. n 2.Cor.5.9

QVINTA fuit ingens DESIDERIVM k *videndi Chriſtum* Dominũ noſtrum ob maximum amorem, quo illum proſequebatur, l *gemens intra ſe ipſum, adoptionem* perfectam *Filij Dei expectans*, ac dicens: m *ſibi viuere Chriſtum eſſe & mori lucrum*; quia morte obtenturus eſſet ſemper manere cum Chriſto.

Et hoc deſiderio dicebat, n *quamuis optaret peregrinari à corpore, & præſens eſſe ad Dominum, ſed tamen ſiue abſentem ſiue præſentem ſe contendere illi placere.*

VI. Fiducia o 2.Timot.4.7.

EX HIS oriebatur FIDVCIA ET SECVRITAS illa, quam habebat de obtinenda gloria, ita vt potuerit dicere: o *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona Iuſtitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die, iuſtus iudex: non ſolum autem mihi ſed & ijs qui diligunt aduentum eius.* HINC etiam naſcebatur promptitudo illa, & animi generoſitas, qua ſe offerebat, ad moriendum pro Chriſto, & pro bono animarum: quam animi promptitudinem oſtendit in omnibus operibus totius vitæ ſuæ: eius enim vita fuit quædã continuata & producta mors pro Chriſto, & pro ſuis proximis, & ita dixit: p *quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus*, ac verò tractati *ſicut oues occiſionis*: & alibi q *ſemper nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Ieſum*: & iterũ: r *quotidie morior per veſtram gloriam, fratres, quam habeo in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

p Rom.8.36. q 2 Corint.4.11. r 1 Corint.15.31.

VII.

DENIQVE quando ita tulit occaſio, caput ſuum obtulit præcidendum pro Chriſto, & quãmuis genus illud mortis leuius videretur quia non fuit affixus cruci ſicut Petrus, forte tamen eius rei cauſa fuit, quod tota ipſius vita, poſt conuerſionem talis fuerit, qualem hactenus diximus, quia ſcil. s *confixus Chriſto in cruce*, eius paſſionis t *ſtigmata in corpore ſuo portabat*, & v *implebat in carne ſua, quæ deerant paſſionum Chriſti*, applicans eorum virtutem & efficacitatem (omnibus ſuis laboribus ad id impenſis) *corporis*

s Galat.2.19.

eius, quod eſt, Eccleſia. Et hoc feruore paratus erat etiam crucis mortem ſubire ſi fuiſſet illi ita conceſſum; imò mille cruciatum generibus mori cupiebat, vt magnum erga ſuum Magiſtrum amorem oſtenderet. O cæleſtis Magiſter, qui poſtquam in cœlum aſcendiſti, nouum hunc diſcipulum eligens, tua illum manu ita expoliuiſti, & terrenis omnibus affectionibus ſpoliatum, induiſti Diuinis: per eundem ſupplex oro, vt & me in um diſcipulum accipias, & copioſa tua gratia ita adiuues, vt te, ſicut ille, poſsim imitari, teque in eius ſocietate frui in æternum, Amen. t Cap. 6. 17 v Coloſ. 1. 24

MEDITATIO XXXII.

DE VOCATIONE CORNELII CENTVRIONIS, & reuelatione quam S. Petrus habuit circa gentium conuerſionem.

PVNCTVM I.

V*IR a quidã erat in Cæſarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religioſus ac timens Deum cum omni domo ſua, faciens eleemoſynas multas plebi, & deprecans Deum ſemper.* a Actuum. 10. 1.

CONSIDERANDAE hic ſunt excellentes virtutes, quibus hic vir ſe diſponebat ad recipiẽda beneficia, quæ Deus in illum contulit, mentẽ eius illuminans; vt Chriſti fidem ſuſciperet; & Spiritus Sancti plenitudinem tribuens etiam cum dono linguarum, ſicut Apoſtoli acceperant. Nam PRIMVM, erat valde *religioſus*, deditus videlicet ijs rebus, quæ ad cultum Dei pertinebant, & ipſius Diuinum obſequium. DEINDE, erat *timens Deum*, recedens ab omni peccato, & ſic implens vtramque partem iuſtitię, *diſcedere ſcilicet à malo, & facere bonum*. Eratq; adeò inſigne exemplum eius, in vtraq; hac parte vt tota eius domus ipſũ imitaretur: qualis enim eſt Dominus, tales eius famuli, & qualis paterfamilias, tales ſunt eius domeſtici. TERTIO, frequẽtes *faciebat eleemoſynas* cuicunque ex populo petenti, abſq; diſcrimine aut exceptione perſonarum. I. Cornelij Centurionis virtutes ad baptiſmum. 1. 2. 3.

QVARTO, deditus erat *orationi*; dicitur enim quod *deprecaretur Deum ſemper*. valde ſcilicet frequenter, & continuatè, in horis ad id deſignatis: id quod apparet ex eo, quòd conſuetudinem ſeruaret orandi hora nona, vt ipſemet aſſeruit, b *orans eram hora nona in domo mea.* Quamuis enim natione eſſet gentilis, in huiuſmodi tamen operibus occupabatur, quia Deus benignè illum ſuis auxilijs præuenit; & ipſe ſtudioſè imitabatur 4. b Actuum 10. 30.

exem-

exemplum bonorum illius ciuitatis, cum quibus verſabatur. Hunc Dominus noſter tanquam exemplum proponit, ad pudorem eorum, qui fidem Chriſti habentes, eiuſq; auxilia & Sacramenta percipientes, non tamen faciunt, quod ille gentilis & miles faciebat.

II. Modus vocationis. c *Act.* 10. 3.

DEINDE conſiderandus eſt modus, quo Chriſtus Dominus eum vocauit, vt lumen & perfectionem, quæ illi deerat, impertiretur. *nam in viſu vidit manifeſte, quaſi hora diei nona, Angelum Dei introeuntem ad ſe & dicentem ſibi Corneli; at ille intuens eum, timore correptus dixit: quid eſt Domine? dixit autem illi: orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam, in conſpectu Dei. Et nunc mitte viros in Ioppen, & accerſi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus, hic dicet tibi quid te oporteat facere.* In hoc apparet ſuauis Dei noſtri prouidentia, quod ita attendat ſaluti & perfectioni ſuorum electorum. Nam, cùm videt aliquem ex parte ſua, & iuxta facultatem ſuam, & vires Diuino ſubſidio adiutas, facere, quod ſcit & poteſt, ſtatim ipſe adeſt; vt illum doceat, quæ neſcit & auxilium præbeat, ad præſtandũ, quod aliàs non poſſet: adhibens ad hoc etiam extraordinaria media & miracula, quando neceſsitas exigit: ſicut in hac occaſione eum feciſſe aduertimus. Ex quo magnam fiduciam concipiam de hac Paterna Dei prouidẽtia, & magnas dicam laudes, ob tot beneficia, quæ nobis confert. O Dilecte mi, cur tu ſis mihi curæ, qui tantam de me curam geris? ſecura & certa erit mihi ſaluatio, ſi tu eius curam ſuſceperis; vt ſpeciali prouidentia tua reſpicias, quid mihi deſit, vt ſtatim ſubuenias. Concede mihi, Domine, vt præſtem ego, quidquid ſcio & poſſum facere; oſtende verò mihi cæleſti tuo lumine, quod non intelligo, & adiuua tuâ gratiâ, vt illud exequar.

III. d *Hebr.* 1. 14 e *Tobiæ* 12. 12. Angeli cuſtodes quomodo ſe gerant circa nos.

PERPENDAM præterea, quod Angeli, præcipuè Cuſtodes, d *omnes ſint adminiſtratorij Spiritus* prouidentiæ Dei, *in miniſterium miſſi* ad noſtram ſalutem: & ipſis incumbit aſsiſtere inuiſibiliter orantibus; & eorum e *orationes* & bona opera, coram *Deo offerre*, & ita angelus hic Cuſtos Centurionis, illi apparuit oranti, dixitque duo.

I. PRIMVM, quòd *eius orationes & eleemoſynæ aſcendiſſent in memoriam, in conſpectu Dei:* (non itaq; remanſerant in terra, ſed peruolarunt ad cœlum) nec Deus earum eſſet oblitus: ſed præſentes illas haberet in ſua memoria, & in eius conſpectu perſeuerarent; ſolicitãtes, & procurãtes expeditionẽ ſalutis & perfectionis ipſius Cornelij. Et vtraq; ſimul aſcendit: quia oratio adiuuat Eleemoſynã, & viciſsim Eleemoſyna orationẽ. Quare ſi vis, anima mea, ſalutis tuæ negotium apud Deũ feliciter expediri, dirige ad eũ iſtos duos procuratores & ſolicitatores, quib. in cœlo nulla eſt porta clauſa; nã f *oratio humiliantis ſe nubes penetrabit: & nõ diſcedet, donec altiſsimus aſpiciat, & ſi abſcõderis g eleemoſynã in corde*

f *Eccl.* 35. 21. g *Eccl.* 29. 15

paupe-

pauperis, hæc pro te exorabit ab omni malo; Eleemoſyna enim eſt oratio, non oris, ſed operis.

SECVNDVM, quod Angelus dixit Cornelio, fuit, vt *accerſeret Simonem qui diceret, quid oporteret eum facere.* In quo aduertimus, quod prouidentia Diuina, quamuis nos gubernaret per Angelos in iis rebus, quas non poſſunt homines præſtare; in iis tamen, quas illi præſtare poſſunt, per eos vult nos gubernare, quare Angelus noluit Cornelio dicere, quid oporteret eum facere, quamuis potuiſſet; ſed remiſit illum ad S. Petrum, vt ex eius ore illa audiret: & ſimul S. Petro inſpirauit, vt ad eum docendum accederet. Diſcam itaq; hinc ſubiicere me huic modo gubernationis, quem Deus conſtituit: tum vt ſuos miniſtros honoret, tum vt omnes in humilitate contineat, ob mutuam neceſsitatem, qua alij alijs indigemus: ſicut de Saulo & Anania in proxima Meditatione obſeruauimus. 2. Ordinaria via procedit Deus.

PVNCTVM II.

MIttens Cornelius a *duos domeſticos ſuos, & militem metuentem Dominum, in Ioppen, propinquantibus illis ciuitati, aſcendit Petrus in ſuperiora, vt oraret circa horam ſextam. Et cum eſuriret, voluit guſtare. Parantibus autem illis, cecidit ſuper eum mentis exceſſus*, ſiue extaſis animæ cum ſuſpenſione ſenſuum. a *Actuum* 10.7.

Hic eſt perpendenda laudabilis Apoſtolorum conſuetudo in orando. Eligebant enim, & locũ, & tempus, & horam ad orandum apta, vt hic apparet: nam Sanctus Petrus aſcendit in altum', ad receſſum ſiue locum ſeparatum domûs, vt liber eſſet à ſtrepitu hominum, qui in parte inferiori verſabantur. Orandi laudabilis modus.

I. IN quo proponitur nobis opus perfectæ orationis, quod eſt eleuatio Spiritus in Deum, reiecto ſtrepitu imaginum importunarum, quæ feruent in parte inferiori animæ. O Deus æterne, qui dixiſti, vt ad b *Orandum intrarem in cubiculum meum, & clauſo oſtio* quietiùs & omnino in ſilentio & in abſcondito, orationem meam offerrem; adiuua me gratia tua, vt recipiam me ad altiſsimum Spiritus mei conclaue, vt ibi orem, & adorem te in Spiritu & veritate. Eleuatio ſpiritus. *S. Damaſc. & S. Tho.* 2. 2. *q.* 83. *a.* 17 b *Mat.* 6. 6.

II. ELEGIT etiam ad orandum horam ſextam, ſicut Cornelius habebat horam nonam, ſequentes in hoc conſuetudinem iuſtorum Iſrael, qui ter in die orabant, hora ſcilicet tertia, quæ eſt circa horam nonam mane; & ſextam, quæ eſt in meridie, & nonam, quæ eſt tertia poſt meridiem: quam conſuetudinem etiam c *Dauid* & d *Daniel*, & cæteri e *Apoſtoli*, ſeruarunt; quamuis ſtudioſiùs Apoſtoli; propterea quòd hora tertia, Spiritus Sanctus deſcendit ſuper illos; ſexta verò Chriſtus conſcendit crucem; & Horæ orationis diſtinctæ. c *Pſal.* 54. 18 d *Dan.* 6. 10 e *Act.* 3. 1. *Caſsian. lib.* 2. *c.* 9.

nona exſpirauit,& ad Lymbum ſpoliandum deſcendit. Ex hoc concipiam firmum & efficax propoſitum, deſignandi certas horas orandi; & quando conſtituta hora aduenerit, reliqua omnia dimittendi, vt orationi ſatisfaciam: quod fecit Sanctus Petrus in hac occaſione; qui etſi eſuriret,& vellet guſtare, non tamen orationem ſuam dimiſit, ſed ante cibum ſumendum ad eam acceſsit; vt prius Spiritui cibum daret, quàm corpori.

III. Fauores extra ordinarii qui à Deo conceduntur.

DEINDE conſiderandum eſt, quòd CHRISTVS Dominus noſter, vt ſuos electos extraordinariis fauoribus proſequatur, eligere ſoleat certum locum, & tempus opportunum: & quidem vt plurimum, eligit locũ ſeparatum; & tempus orationis: nam quando homo ex parte ſua ſtudet accedere ad Deum, & ad eius conſpectum Spiritu aſcendere, tunc Deus ſpeciales fauores, quos poteſt & vult, illi oſtendit: & ita in hac occaſione, ſuſpendit ſenſus Petri, eumque Spiritu eleuauit, vt videret occulta Dei: & hanc ſuſpenſionem, vocat f *mentis exceſſum*. Anima enim à ſeipſa exiens ſupra ſe & ſupra vires ſuas eleuatur; & quando id fit violentia quadam interna, appellatur *Raptus*: rapit enim Deus ſpiritum, & cogit aſcendere, (ſicut contigit g Sancto Ioanni) ad videnda Diuina myſteria. Ex quo intelligam, quamuis non ſit tutum, tales mentis exceſſus optare & quærere; debere tamẽ me exceſſum illum amoris deſiderare & procurare, qui me extrahens à meipſo, transferat ad Chriſtum, ita vt cum Apoſtolo dicere liceat; h *viuo iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*: nam deſerens omnia temporalia, & me ipſum cum illis, deſino eſſe meus, & totus incipio eſſe Chriſti, oblectans me cogitando de ipſo, & loquendo de ipſo, & ſtudendo illi in omnibus placere. O vere Deus amoris, iaculare in me exceſſum hunc amoris; O amor omnipotens, rapias cor meum, & transferas in locum vbi tu es; vt ſemper ſim tecum amore coniunctus; & tu in me viuens, amore tuo gubernes.

f *Act.10.10.* f *2.Cor 5.13* g *Apoc.4.2.* h *Gal.2.20* *S.Dion c.4. de Diuin. nom. D. Thom. 2.2. q.175.a.2.*

PVNCTVM III.

i *Act.10.11*

IN hoc mentis exceſſu, vidit S. Petrus cælum apertum, & deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initijs ſubmitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cæli. Et facta eſt vox ad eum: ſurge Petre, occide, & manduca. Ait autem Petrus: abſit Domine, quia nunquam manducaui, omne commune, & immundum. Et vox iterum ſecundò ad eum: quod Deus purificauit, communicauit, commune ne dixeris. Hoc autem factum eſt per ter, & ſtatim receptum eſt vas in cælum.

I. CONSIDERANDVM hic PRIMO, quòd Chriſtus Dominus noſter, ſicut, cùm in hac vita mortali prædicaret, vtebatur parabolis & ſimilitudinibus, ad aperienda myſteria regni cœlorum; ita ſpiritualiter vti conſue-

Digitized by Google

uit huiuſmodi ſimilitudinibus, imprimens earum figuras imaginationi; in quibus quaſi adumbratur myſterium, quod ipſe vult: ſicut hic feciſſe apparet, cum Sancto Petro; & facit cum Sancto Ioanne in reuelationibus Apocalypſis, & etiamnum ſeſe communicat hoc modo, quibus vult. Mihi autem ſolum incumbit, vt ſi commodè poſſim, efformem in imaginatione mea figuras earum rerum, quas ipſe nobis reuelauit in fide; verbi gratia, Chriſtum Dominum infantem factum, in præſepi poſitum, columnæ alligatum, cruci affixum: vt huiuſmodi figuris ad maiorem eiuſdem Domini amorem exciter, pro vt in illis proponitur; reliqua omnia Dei prouidétiæ relinquam; vt ipſe faciat, quod magis expedit. Sed in hac tamen figura, quæ fuit Sancto Petro oſtenſa, vehementer reſplendet infinita Dei Domini noſtri charitas, qua vult in ſuam Eccleſiam & in cælum ipſum admittere, quod in ſe eſt, omnes peccatores huius mundi, auaros, carnales, & ſuperbos, trib. illis generibus animalium, quadrupedium, ſerpentium, & volatilium expreſſos; quos colligit, non ſolum ex angulo illo Iudææ, ſed ex quatuor mũdi partibus, ad hoc enim è cœlo deſcendit ipſe in terram; & induit puriſſimum ſacratiſſimæ ſuæ humanitatis linteum; ad hoc inſtituit ſuam Eccleſiam candidam, & puram, non habentem maculam, neque rugam; eò direxit prædicationem quatuor Euangeliorum, quorum doctrina eſt de cœlo, ad ſalutem & vitam mundi. Gratias tibi dulciſsime & benigniſsime Ieſu, ob infinitam charitatem, qua vocas omnes peccatores, quos omnes vis, humeris tuis impoſitos ad cœlum portare! O dilecte mi, quomodo tales feras & ſerpentes, admittes in linteum adeò candidum & purum! In deſertis & ſpeluncis terræ, eorum habitatio eſſe deberet; quomodo ergo inde extractos, in iſto linteo colligis, vt inferas in cælum, & habitationem illis in æternis manſionibus conſtituas! Ex nunc non ampliùs diffidam de immenſa tua miſericordia, quæ adeò eſt prolixa & profuſa in ſubueniendo noſtræ miſeriæ.

Spirituales ſimilitudines.

II. Occide & manduca myſticè.

Deinde perpendam, quid illa voce ſignificetur: Petro quidem facta, ſed in eo omnibus etiam Chriſti miniſtris, Occide & Manduca: quaſi diceretur, ſiquidem eſuris, & commedere appetis, occcide iſtas feras, iſtos ſerpentes, & aues rapaces, & comede ex eis; vt ſignificetur: ad ſacerdotes, & confeſſarios, & miniſtros Chriſti pertinere, vt occidant peccatores quo ad illorum peccata, auferentes illis vitam carnalem, & beſtialem, qua viuebant, adhibitis Sacramentis Baptiſmi & Pœnitentiæ, & eos comedant, Eccleſiæ illos inſerentes, tanquam eius membra; & Chriſto vnientes charitate & vitæ ſimilitudine. Nam Chriſtus Dominus noſter horret reiicitque peccatores viuentes, qui ſcilicet viuunt in peccato; admittit verò recipitq; intra ſe peccatores, mortuos peccato: quia hæc mors, nouã illis adfert vitam gratiæ. O Deus æterne, ſiquidẽ tuis miniſtris

Digitized by Google

nona exſpirauit,& ad Lymbum ſpoliandum deſcendit. Ex hoc concipiam firmum & efficax propoſitum, deſignandi certas horas orandi; & quando conſtituta hora aduenerit, reliqua omnia dimittendi, vt orationi ſatisfaciam: quod fecit Sanctus Petrus in hac occaſione; qui etſi eſuriret, & vellet guſtare, non tamen orationem ſuam dimiſit, ſed ante cibum ſumendum ad eam acceſsit; vt prius Spiritui cibum daret, quàm corpori.

III. Fauores extra ordinarii qui à Deo conceduntur.

Deinde conſiderandum eſt, quòd Christvs Dominus noſter, vt ſuos electos extraordinariis fauoribus proſequatur, eligere ſoleat certum locum, & tempus opportunum: & quidem vt plurimum, eligit locũ ſeparatum; & tempus orationis: nam quando homo ex parte ſua ſtudet accedere ad Deum, & ad eius conſpectum Spiritu aſcendere, tunc Deus ſpeciales fauores, quos poteſt & vult, illi oſtendit: & ita in hac occaſione, ſuſpendit ſenſus Petri, eumque Spiritu eleuauit, vt videret occulta Dei: & hanc ſuſpenſionem, vocat f *mentis exceſſum*. Anima enim à ſeipſa exiens ſupra ſe & ſupra vires ſuas eleuatur; & quando id fit violentia quadam interna, appellatur *Raptus*: rapit enim Deus ſpiritum, & cogit aſcendere, (ſicut contigit g Sancto Ioanni) ad videnda Diuina myſteria. Ex quo intelligam, quamuis non ſit tutum, tales mentis exceſſus optare & quærere; debere tamẽ me exceſſum illum amoris deſiderare & procurare, qui me extrahens à meipſo, transferat ad Chriſtum, ita vt cum Apoſtolo dicere liceat; h *viuo iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*: nam deferens omnia temporalia, & me ipſum cum illis, deſino eſſe meus, & totus incipio eſſe Chriſti, oblectans me cogitando de ipſo, & loquendo de ipſo, & ſtudendo illi in omnibus placere. O vere Deus amoris, iaculare in me exceſſum hunc amoris; O amor omnipotens, rapias cor meum, & transferas in locum vbi tu es; vt ſemper ſim tecum amore coniunctus; & tu in me viuens, amore tuo gubernes.

f *Act.10.10.* f *2.Cor 5.13*

g *Apoc.4.2.*

h *Gal.2.20* *S.Dion c.4. de Diuin. nom. D. Thom. 2.2. q.175.a.2.*

Pvnctvm III.

a *Act.10.11.*

In *hoc mentis exceſſu, a vidit S. Petrus cœlum apertum; & deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initijs ſubmitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli. Et facta eſt vox ad eum: ſurge Petre, occide, & manduca. Ait autem Petrus: abſit Domine, quia nunquam manducaui, omne commune, & immundum. Et vox iterum ſecundò ad eum: quod Deus purificauit, commune ne dixeris. Hoc autem factum eſt per ter, & ſtatim receptum eſt vas in cœlum.*

I. Considerandvm hic Primo, quòd Chriſtus Dominus noſter, ſicut, cùm in hac vita mortali prædicaret, vtebatur parabolis & ſimilitudinibus, ad aperienda myſteria regni cœlorum; ita ſpiritualiter vti conſue-

uit huiuſmodi ſimilitudinibus, imprimens earum figuras imaginationi; in quibus quaſi adumbratur myſterium, quod ipſe vult: ſicut hic feciſſe apparet, cum Sancto Petro; & facit cum Sancto Ioanne in reuelationibus Apocalypſis, & etiamnum ſeſe communicat hoc modo, quibus vult. Mihi autem ſolum incumbit, vt ſi commodè poſsim, efformem in imaginatione mea figuras earum rerum, quas ipſe nobis reuelauit in fide; verbi gratia, Chriſtum Dominum infantem factum, in præſepi poſitum, columnæ alligatum, cruci affixum: vt huiuſmodi figuris ad maiorem eiuſdem Domini amorem exciter, pro vt in illis proponitur; reliqua omnia Dei prouidétiæ relinquam; vt ipſe faciat, quod magis expedit. Sed in hac tamen figura, quæ fuit Sancto Petro oſtenſa, vehementer reſplendet infinita Dei Domini noſtri charitas, qua vult in ſuam Eccleſiam & in cælum ipſum admittere, quod in ſe eſt, omnes peccatores huius mundi, auaros, carnales, & ſuperbos, trib. illis generibus animalium, quadrupedium, ſerpentium, & volatilium expreſſos; quos colligit, non ſolum ex angulo illo Iudææ, ſed ex quatuor mũdi partibus, ad hoc enim è cœlo deſcendit ipſe in terram; & induit puriſsimum ſacratiſsimæ ſuæ humanitatis linteum; ad hoc inſtituit ſuam Eccleſiam candidam, & puram, non habentem maculam, neque rugam; eò direxit prædicationem quatuor Euangeliorum, quorum doctrina eſt de cœlo, ad ſalutem & vitam mundi. Gratias tibi dulciſsime & benigniſsime Ieſu, ob infinitam charitatem, qua vocas omnes peccatores, quos omnes vis, humeris tuis impoſitos ad cœlum portare! O dilecte mi, quomodo tales feras & ſerpentes, admittes in linteum adeò candidum & purum! In deſertis & ſpeluncis terræ, eorum habitatio eſſe deberet; quomodo ergo inde extractos, in iſto linteo colligis, vt inferas in cælum, & habitationem illis in æternis manſionibus conſtituas! Ex nunc non ampliùs diffidam de immenſa tua miſericordia, quæ adeò eſt prolixa & profuſa in ſubueniendo noſtræ miſeriæ. *Spirituales ſimilitudines.*

DEINDE perpendam, quid illa voce ſignificetur: Petro quidem facta, ſed in eo omnibus etiam Chriſti miniſtris, OCCIDE & MANDVCA: quaſi diceretur, ſiquidem eſuris, & commedere appetis, occide iſtas feras, iſtos ſerpentes, & aues rapaces, & comede ex eis; vt ſignificetur: ad ſacerdotes, & confeſſarios, & miniſtros Chriſti pertinere, vt occidant peccatores quo ad illorum peccata, auferentes illis vitam carnalem, & beſtialem, qua viuebant, adhibitis Sacramentis Baptiſmi & Pœnitentiæ, & eos comedant, Eccleſiæ illos inſerentes, tanquam eius membra; & Chriſto vnientes charitate & vitæ ſimilitudine. Nam Chriſtus Dominus noſter horret reiicitque peccatores viuentes, qui ſcilicet viuunt in peccato; admittit verò recipitq; intra ſe peccatores, mortuos peccato: quia hæc mors, nouã illis adfert vitam gratiæ. O Deus æterne, ſiquidẽ tuis miniſtris *II. Occide & manduca myſticè.*

iubes, vt occidant & manducent, tu ipſe Domine occide & manduca per eos, efficaciter eos adiuuans, vt impleant, quod ex tanta tua miſericordia illis præcipis.

III. Petri reſponſum conſideratur. TERTIO perpendam, quid Sanctus Petrus reſponderit, qui tunc non ſatis erat certus de voluntate Dei, circa admittẽdos gentiles in Eccleſiam: hoc enim ſignificabat, quòd recuſaret comedere illa animalia immunda, ſecundum antiquam legem; ſed vox de cœlo dixit illi; *quod Deus purificauit, tu immundum & commune ne dixeris*: quaſi diceret; ne recuſes ad meam fidem & religionem admittere, quos ego in æterna mea ordinatione elegi, vt ſint Sancti, quamuis tibi improbi videantur. Ex quo apparet, quam aduerſetur Spiritui Sancto, quod prædicatores & confeſſarij horreant peccatores, qui ad ipſorum pedes accedunt, quamuis ſint abominandi; ſiquidem illos Deus trahit vt conuertat, & faciat iuſtos. O immenſa IESV Charitas; quam tu varias adinuenis vias, vt manifeſtes amorem, quem habes erga peccatores! quis horreat illos recipere, quos tu non horres vocare? quis hunc cibum comedere recuſet, quem tu aſſeris eſſe Sanctum! da mihi, dulciſsime Domine, hanc famem ſaluandi peccatores, vt cum voluptate illos manducem, & corpori tuo inſeram per gratiam, quos tu attrahis vera pœnitentia.

IV. Ternarius numerus. DENIQVE perpendam, hanc vocem factam eſſe *per ter*; vt magis penetraret, & imprimeretur cordi Petri; ſicut ter fuit interrogatus de amore erga Chriſtum, & ter illi fuit dictum, vt paſceret oues Chriſti. Mox verò *vas illud fuit receptum in cœlum*, in ſignum quòd Deus haberet cœlum apertum gentibus, quæ conuerterentur, quantumuis fuerint magni peccatores.

EXVLTA anima mea, cum vides recipi in cœlum linteum illud, plenum quadrupedibus, ſerpentibus, & volatilibus rapacibus, magnis videlicet peccatoribus, non quidem viuis ſed mortuis, at culpæ mortuis, viuis autem per gratiam. Stude occidere in te vitam hominis veteris, & reſurge cum Chriſto ad vitam hominis noui, vt cum eo cœlum ingreſſus, ſedem accipias in throno eius gloriæ. Amen.

PVNCTVM IV.

a Actuum 10. 17. &c. DVM a *intra ſe hæſitaret Petrus, quid nam eſſet viſio, quam vidiſſet, ecce viri, qui miſſi erant à Cornelio, adſliterunt ad ianuam, dixit q; Spiritus Petro: ecce viri tres quærunt te, Surge & vade cum eis, nihil dubitans: quia ego miſi eos. Sequenti autem die, profectus cum illis introiuit in domum Cornelij; Cornelius verò expectabat illos, conuocatis cognatis ſuis, & neceſſarijs amicis: & cùm cognouiſſet Petrus a Cornelio, quæ illi accidiſſent, & ipſe cæpiſſet illis prædicare Ieſum, adhuc eo loquente, cecidit Spiritus Sanctus ſuper omnes, qui audiuerunt verbum, & loquebantur linguis, magnificantes Deum.*

I. Viſiones aliquãdo non exponuntur.

Perpendendvm hic, quod Chriſtus Dominus noſter, etiamſi oſtendat ſeruis ſuis aliquam viſionem, interdum tamen non aperit, quid ſibi illa velit; quod facit ex ſua prouidentia, tum vt illi ſolidius in humilitate teneantur, tum vt orationib. ſuis, eius intelligentiam à Deo impetrent; aut etiam vt tempore & opportunitate, qua magis expedit, eam illis aperiat, ſicut nunc euenit Sancto Petro, qui Spiritus Sancti voci obediens, profectus eſt ad locum, vbi Cornelius cum ſuis, illum expectabat; quibus dum ipſe Ieſum Chriſtum crucifixum feruentiſsimè prædicaret, omnes audientes crediderunt, & Spiritum Sanctum acce perunt, etiam cum dono linguarum.

II. Dei liberalitas. b *Act. 10. 34.*

Hic verò perpendenda eſt infinità Dei liberalitas, qui tot dona his gentilibus ſimul dederit: vt intelligamus (quod Sanctus Petrus hic dixit) b *quia non eſt perſonarum acceptor Deus:* ſiquidem donum adeò pretioſum, atque eſt Spiritus ſanctus, ita profusè dedit quibuſdam hominibus, qui fuerant beſtiæ & ſerpentes: quia hæc animalia, tanquam Deos adorauerãt; & iis, qui ſerpentũ linguas habuerant ad blaſphemandum verum Deum, & proximos veneno inficiendos, impertit linguas igneas, quibus Deũ glorificent, & eius magnalia prædicẽt. Et quamuis ſenſim Deus illos ſermone Sancti Petri illuſtrabat, & emolliebat: repente tamẽ & in momento eos tranſmutauit, iuſtificauit, & gratiis ac donis impleuit, cum magnis lætitiæ iubilis; qui omnes ita ſtatuente Sancto Petro, Baptiſmum ſuſceperunt; & cum eo nouum etiam gratiæ & lætitiæ augmentum: ipſo quoque ſancto Apoſtolo vehementer exultante, ob has gentilitatis primitias, quas hodie ſuo Magiſtro offerebat, cui ſit honor in æternum. Amen.

MEDITATIO XXXIII.

DE ADMIRANDIS VIRTVTIS EXERCITIIS, quibus B. Virgo poſt Spiritus Sancti aduentum occupabatur.

VT myſteriis glorioſis Chriſti Domini noſtri, (cuius gloria tunc quodammodo fuit completa, cum ſecum habuit Matrem ſuam glorificatam) finem imponamus, adiungendæ hic ſunt meditationes aliquæ, de Vita, Tranſitu, & Aſſumptione glorioſa eiuſdem Virginis Sanctiſs. quæ poſt ſpiritus S. aduentum, (vt inſinuat Eccleſia in Euangelio, quod aſſignauit cantandum in die Aſſumptionis eius) elegit meliorem Maria partem, non tamen omninò relicta parte Marthæ; quin potius optimum, quod in ea erat, accepit; atten-

dens non ſolum, vt Dei contemplationi vacaret; ſed bono quoque Spirituali proximorum, pro gloria Filij ſui & conſ[…]ationi primaua Eccleſia: qua cauſa fuit potiſſima cur Chriſtus Dominus eam non ſtatim acceperit ſecum in cælum, ſed quindecim annos vltra reliquerit in terra: vt in eius abſentia praſtaret ipſa officia, qua ipſe cum ſuis diſcipulis facere conſueuerat, eo modo qui in ſequentibus proponetur. S. Luc.

PVNCTVM I.

Quomodo Euangelica conſilia obſeruarit.

PRIMVM conſiderandum, quòd Beatiſſima virgo Domina noſtra, ab Spiritu ſancto illuſtrata, non ſe recepit ad loca deſerta, ſicut fecit Magdalena; ſed, ad imitationem filij, vitam elegit communem inter reliquos diſcipulos; vt ſuo illos exemplo adiuuaret, perfectiſſimè obſeruans conſilia Euangelica, à qua illi ea ſeruare didicerunt.

I. *Paupertas.*

PRIMVM amplexa eſt Euangelicam PAVPERTATEM, voto ſe obſtringens ad illam ſeruandam (niſi forte ante hoc tempus tale votum edidiſſet, quod videtur magis certum) ſed nunc ſeuerius & exactius illud ſeruauit, viuens ex eleemoſyna, quam a *Apoſtoli* fidelibus & reliquis viduis *diuidebant, ſingulis prout cuique opus erat*, ipſa verò melius, quam S. Paulus b *contenta erat habens alimentum & quibus tegeretur*, recenti ſemper memoria tenens fel, & acetum, ac nuditatem filij ſui in cruce, cuius comparatione, parum ſemper exiſtimabat eſſe, quod ipſa patiebatur. Ideoque vt verè pauper ſpiritu cupiebat maiores ſemper paupertatis affectus experiri. cui paupertati tanquam ſororem eius, humilitatem adiũxit, quam Sancti eodem nomine appellant. de qua propterea peculiaris poſtea fiet meditatio.

a Act. 4. 35. b 1. Tim. 6. 8

II. *Obedientia.*

DEINDE excellentem præſtitit OBEDIENTIAM, nõ ſolum circa ea, quæ Chriſtus Dominus noſter, in lege ſua Euangelica, ſtabilita reliquit; ſed etiam circa ea, quæ S. Petrus & cæteri Apoſtoli, toti Eccleſiæ ſeruanda conſtituebant; primam ſe exhibens in obediendo & ſubiiciendo ſe omnibus huiuſmodi ſtatutis; memor illius filij ſui ſententiæ; c *quicunq; fecerit voluntatẽ patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater & ſoror & mater eſt.* ideoq; in nulla re adeò voluit oſtendere, ſe matrẽ eſſe Chriſti atq; in obediendo ipſi, & iis, quos ille ſuo loco reliquerat. O Virgo celſiſſima, gaudeo quod te videã Chriſti Domini mei Matrẽ, duplici titulo & nomine: tũ quòd in tuo vtero illum genuiſti: tum quod etiam in tuo Spiritu conceperis, per imitationem eius perfectam, ſupereſt tantum vt tertio quoq; alio titulo fias eiuſdem mater, d *gignendo* videlicet illum etiam ſpiritualiter in cordibus fidelium, gignas illum in anima mea, impetrando mihi, vt ſemper ille in ea viuat. Amen.

c Mat. 12. 50. d 1. Cor. 4. 15 Galat. 4. 19.

III. *Caſtitas, Medit. 4.*

TERTIO excelluit in cuſtodia CASTITATIS: (de qua dictũ eſt *part. 2.*) nam voto ſe obſtrinxit, & reipſa perpetuo ſeruauit puritate maiori, quàm Angelica. Quamobrẽ Eccleſia Sancta non ſolũ eam *Virginem virgi-*

num

num appellat; ſed etiam *ipſam virginitatem*, dicens: *Sancta & immaculata Virginitas quibus te laudibus efferam neſcio.* Id tantum nunc addo. ſicut e *Arca teſtamenti compacta ex lignis ſetim*, (quod eſt lignum incorruptibile) *deaurata erat auro mundiſſimo intus & foris*; ſic virginem Sanctiſsimam incorruptibilem ſuam caſtitatem puriſsimis virtutibus exornaſſe, tam iis, quæ externis operibus perficiunt corpus, quàm quæ internis perficiunt Spiritum; vt, iuxta Apoſtolum, eminenter f *eſſet Sancta corpore & Spiritu.* Harum aliquas expendemus, quas S. Ambroſius refert ad caſtitatis cuſtodiam. c *Ex. 25. 11.* f *1. Cor. 7. 34* *Lib. 2. de Virgin.*

PRIMA fuit rara MODESTIA in omnibus externis corporis motibus, ſimul cum cœleſti quadam compoſitione in aſpectu, inceſſu, & modo loquendi ità, vt externus corporis habitus exemplar eſſet internæ Sanctitatis & Spiritus. Et ex facie externa eius ædificij, coniici poterat interni ædificij pulchritudo, vt neſcio quid ſplendoris diuinitatis in ea appareret. 1 Modeſtia.

SECVNDA fuit SILENTIVM admirandum, prudentia plenum: quia ſolum loquebatur, quandò erat neceſſe, idque verbis pauciſsimis, & voce valde humili, vt conſtat ex iis quæ referuntur in Euangelio. Quamobrem ait Sponſus: g *ſicut vitta coccinea labia tua:* his innuens, ipſam ſtringere verba ſua ne diffluerent: indicijs tamen & ſignis magnæ charitatis, vt ſuo loco eſt dictum. TERTIA fuit ſingularis TEMPERANTIA, & abſtinentia, ſeruans in refectione regulam quandam cæleſtem, quam referens S. Ambroſius: *cibus* inquit *plerumq; obuius, qui mortem arceret, non delitias miniſtraret*, obuium inquit, qui vbique inueniretur; & in ea quantitate quæ ſufficeret, ne fame periret. Et præterea, poſt filij aſcenſionem, impleuit, quod ipſe futurum dixerat, illis verbis: h *nunquid poſſunt, filij ſponſi lugere quamdiu cum illis eſt ſponſus? venient autem dies, cum auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt*, ipſa ergo plurimùm ieiunabat; tum maximè, cum aliquid à Deo petebat, pro bono Eccleſiæ; addens etiam orationi ieiunium & pœnitentiam, ſicut ipſa reuelaſſe dicitur Sanctæ Eliſabethæ. QVARTA fuit ſtupenda VIGILIA. vt enìm idem Sanctus refert: ſolum dormiebat, quantum ad vitam ſuſtentandam eſſet neceſſarium, idque cùm ſomnum expellere non poſſet: ſed nec tunc omnino otioſa erat: nam corpore dormiente, anima vigilabat, ſiue, quod legerat, repetendo; ſiue, quod interruperat, continuando; aut aliquid exequendo, quod facere propoſuerat; aut aliquid recens proponendo varijs affectibus Spiritus iuxta illud Canticorum: i *ego dormio, & cor meum vigilat.* QVINTA inſignem adhibuit DILIGENTIAM in externis omnibus oper b. quæ ad cultum Dei, & obſequium filij ſui; gubernationem pauperculæ ſuæ domus, & commodum proximorum pertinebant adimplens magna ſolicitudine opera religionis, pietatis, ac miſericordiæ, 2. Silentium. g *Cant. 4. 3* 3. Temperantia. *p. 2. Medit. 7. & p. 3. Medit. 9.* h *Matt. 9. 15.* *S. Bonauen. in vita Chriſti.* 4 Vigilia. i *Cant. 5. 2.* 5. Diligentia.

Hanc virtutẽ S. Ambroſ. ponderans, coniungit præcedentibus his verbis: Quid ego exſequar ciborũ parſimoniã, officiorũ redundantiam: alterũ vltra naturã ſuperfuiſſe alterum penè ipſi naturæ defuiſſe: illic nulla intermiſſa tempora, hic cõgeminatos ieiunio dies. SEXTA fuit vigilantiſsima cordis ſui CVSTODIA, de quo Sapiẽs: k *omni cuſtodia ſerua cor tuũ: quia ex ipſo vita procedit.* Quare, cum domo erat exeundum, etſi comitem haberet, nullo tamen meliore ſui cuſtode, quam ſeipſa vtebatur: ſemper inuigilãs ſenſuum ſuorum cuſtodiæ, motuum corporis compoſitioni, & vt cor ſuum purum ſeruaret Deo ſuo, cui ſolùm placere cupiebat, nihili pendens vana iudicia & ſermones hominum: nam, vt idem S. Ambroſius inquit, *arbitrum mentis ſolita erat non homines, ſed Deum quærere*, cuius gloriam vt ſemper reſpiciebat, ita ſemper optabat, & quoad poterat quærebat. O virgo ſuprema, cœleſtibus Angelis purior, gaudeo & animo exulto, quòd virginum ſis ſpeculum, & religioſorum exemplar, ac perfectionis Euangelicæ magiſtra. Supplica ergo Filio tuo, vt virtutibus tuis me exornet, vt omnia eius conſilia perfectè cuſtodiam. Amen.

6. Cordis cuſtodia. k Prou. 4. 23

PVNCTVM II.

Oratio & contemplatio eius. *Medit. 4*

QVAMVIS Virgo ſacratiſsima altiſsimam ſemper habuerit orationem & contemplationem, vt in *ſecunda parte* fuit dictum: ſed vt ætate, ita etiam perfectione in Dei donis creſcebat, & nominatim in hoc ipſo orationis & contemplationis: circa quod aliqua ſunt expendenda, in quibus iuxta exiguas noſtras facultates, imitari eam poſſumus.

I. Quatuor orationis impedimẽta. a Can. 6. 12

PRIMVM eſt, quod ſpeciali priuilegio, remouerit à ſe quatuor illa, orationis & contemplationis, impedimenta, quæ Sanctus Bernardus vocat, *culpam mordentem, curam pungentem, ſenſum egentem, & irruentia imaginum corporearum phantaſmata.* Non itaque fuit Virgo ſacratiſsima, ſicut illa à *Sudamitis*, quæ à ſuis paſsionibus captiua tenetur, & *conturbatur propter quadrigas Aminadab*; quatuor videlicet harum rotarum currus, dum propter illas oculos ſuos auertit à Deo in oratione, donec ille efficaciter eam vocet, quater dicens: *reuertere, reuertere Sudamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Nam Virgo hæc ſacratiſsima ſemper intuebatur Deum, nulla re eam diuertente, aut vel ad momentum ab hoc aſpectu retrahente.

II. Quas virtutes habuerit B. Virgo.

AD quod conferebat, quod omnes virtutes, quæ ad orationem & contemplationem diſponunt, & quibus tanquam alis in Cœlum ſubleuatur, valdè perfectas haberet, præcipuè *fidem viuam myſteriorum* Diuinorum, *confidentiam* magnam in Deum, *humilitatem* profundiſsimam, & ſuper omnia accenſiſsimam *charitatem*, eminentem *ſapientiam*, & reliqua Spiritus Sancti *dona*. Et quod hæ virtutes eſſent nunc in ea magis adultæ & perfe-

Digitized by Google

ctæ; ideo & ipſa contemplatio perfectior erat. Quamobrem maiori cum admiratione Angeli nunc dicebant: b *quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & vniuerſi pulueris pigmentarij?* atque ſi dicerent: quæ eſt iſta plena myrrha mortificationis, thure orationis, & odoriferis omnium virtutum pulueribus? quæ in prunas charitatis coniectæ, ſuauiſsimum exhalant fumum cõtemplationis, qui ſemper aſcendens, eò peruenit, vt noſtrum effugiat aſpectum, & aſſequi non poſsimus? O virgo ſanctiſsima, animo exulto, quod viuens adhuc in terra, ſemper tuam conuerſationem habeas in Cœlo; voleſque tam altè, vt ipſis Angelis te aſpicientibus, magnum adferas ſtuporem. Trahe me, ô Virgo piiſsima, poſt te in odorem tuorum exemplorum; & accende, in anima mea tantæ charitatis ignem, vt quicquid in ea eſt terrenum, conſumatur; &, ad cæleſtia contemplanda illam ſubleuet.

b Cant. 3. 6

Oratio.

III. Viſitabat loca Paſſionis.

TERTIO, frequentiſsimè loca illa viſitabat, in quibus eius filius myſteria noſtræ redemptionis fuerat operatus: Hortum Gethſemani, montem Caluarium, Sanctum Sepulchrum, & montem Oliuarum, ex quo ad cælos aſcẽderat; & ſacrum ipſum cænaculum, in quod Spiritus ſanctus deſcenderat, & ſacratiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum fuerat inſtitutum. Accedebat verò ad hæc loca magnâ reuerentiâ, ac deuotione, & altiſsima contemplatione myſteriorum, quæ in eis geſta fuerant; nouas circa eadẽ accipiens illuſtrationes. O Virgo ſuprema, ſi licuiſſet greſſus & veſtigia tua in iſtis itineribus ſequi, & aſcendere tecum c *Ad montem myrrhæ, & ad collem thuris!* vt attenderẽ, ſicut tu attendebas, quod Chriſtus in iſto mõte fuit perpeſſus; & quomodo in iſto colle ille orauit! duc me, ô Domina, vel nunc tecum; & ita dirige, vt rectè aſcendam; & ita illuſtra, vt magno Spiritus mei emolumento illa contempler.

c Can. 4. 6.

IV. Orat inſtã-

QVARTO, orabat virgo hæc ſacratiſsima, *inſtanter*, in omni loco, & tẽpore: maiorique continuatione, quàm orauerit pura alia creatura; exſequens Filij ſui conſilium: d *quia oportet ſemper orare, & non deficere.* Orabat & contemplabatur die ac nocte, etiam cùm manibus laboraret; etiam dũ dormiret, ſicut iam diximus, frequentiſsimè de Deo cogitabat: qui eam tunc non minus iucundis viſionibus viſitabat, quàm Patriarcham Iacob, cum e *in ſomnis vidit* regnum Dei in illa *ſcala, quæ ſtans ſuper terram, Cælum tangebat.*

d Luca. 18. 1

e Geneſ. 28. 12.

V. Accipit maiorem gratiam.

ET vniuerſim in ſua contemplatione extraordinarios & maiores *fauores* accepit, quàm ſancti omnes veteris & noui teſtamenti. Apparebat illi ſæpe Deus, ſicut Moyſi, f *loquens illi nõ per ænigmata & figuras; aut per ſomniũ; ſed ore ad os, & facie ad faciem*, idque ita clarè, atque in hac vita fieri poteſt. g *Rapiebatur*, ſicut Apoſtolus, *vſque ad tertium cælum; & in ipſum Paradiſum, vbi audiebat arcana verba Dei, quæ non licet homini loqui.* Fuit etiam ſi-

f Numer. 12 8.

g 2. Corint. 12 2.

h Apo. 1.10. cut Sanctus Ioannes Euangeliſta h *Spiritu* eleuata, vt res futuras præuideret: idque maiori quàm ille, luce, i *vidit* ſæpè *gloriam Dei*, ſicut Sanctus Stephanus, & filium ſuum *Ieſum ſtantem à dextris Dei*. denique tantæ erant ſpirituales delitiæ, vt Angeli admirati dicerent: k *quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto delitijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum!* quaſi dicerent: quæ eſt iſta, quæ per contemplationem ſenſim aſcendit vſque ad cœlum, & in eo aſcenſu tantam accipit delitiarum copiam, tantumque fauorem, vt ſuo ſemper dilecto innitatur, amore illi coniuncta, & firma ac ſingulari fiducia eidem innixa.

i Actuum. 7 55.

k Can. 8. 5.

Oratio

O Virgo Sanctiſsima, animo exulto, quòd te videam tot Spiritûs delitijs plenam, adeoque tuo dilecto amore coniunctam! benè illas es promerita plurimis tuis laboribus, eius cauſa perpeſsis! Licet tibi dicere cum Dauide: l *ſecundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam*. Communica Domina, vel guttulam cæleſtis iſtius liquoris, huic ſeruo tuo, vt exciter ad *currendam viam mandatorum* Dei, *dilatato ita corde meo*.

l Pſal. 93. 19

m Pſalm. 118. 31.

VI. Communicat quotidie.

Vltimo perpendam, quod ſacratiſsima hæc Virgo, extraordinaria fide, reuerentia ac deuotione, *quotidie communicarit*, vt filium ſuum in ſanctiſsimo Sacramento ſuſcipiens, quotidie recens ei vniretur, ſeſe cum eodem, in ſacramento exiſtente, oblectans; donec ad gloriam perueniret, vbi clarè eum videret.

Cum gratiæ augmento.

In ſingulis porrò communionibus tantum *gratiæ augmentum* recipiebat, ob ſuam excellentiſsimam diſpoſitionem, vt ſit impoſsibile verbis illud declarare. ſæpiſsimè verò etiam in ea forma, qua eſt in ipſo Sacramento ſe illi oſtendebat, ſicut poſtea, aliquibus ſeruis ſuis, feciſſe legitur. O Virgo ſacratiſsima, ex animo gaudeo, quòd te videam renouare quotidie primam illam mentis lætitiam, quam habuiſti in filij tui Incarnatione, dũ eundem ſacramentaliter condis in tuo pectore, quem tunc in tuo vtero concepiſti. Per eundem tuum filium oro ſupplex, vt ab eo talem mihi diſpoſitionem impetres, ad ipſum in communione recipiendum, vt gratia me hic replens, fruar eo poſtea tecum in gloria. Amen.

PVNCTVM III.

a Cant. 2. 4

Eius zelus ſalutis animarum

QVONIAM ſacratiſsima hæc Virgo Domina noſtra quotidie a *ingrediebatur in cellam vinariam* filij ſui, in ea accendebatur deſiderio exercendi *ordinatè* omnes actus & opera charitatis: ex qua oriebatur in illa zelus quidem gloriæ Dei, & ſalutis animarum ardentiſsimus; ſed ſimul ordinatiſsimus, in quo licebit cuique illam imitari.

Primvm vehementer deſiderabat *ſalutem* omnium hominum, quam

Digitized by Google

omnibus,quib.poterat,vijs procurabat:nũc pro ipſis prædicatorib.Euangelij orando, quò Deus vim & efficaciam verbo ſuo daret; nunc pro ipſis peccatoribus,vt Deus illorum corda tangeret, & conuerterentur. Et ita licet credere ſanctiſsimæ huius Virginis orationibus,tot millia hominum fuiſſe conuerſa,primâ & ſecundâ S.Petri concione.Et ipſe S.Paulus, pro quo illa non minùs orauit, quàm S. Stephanus, conuerſus eſt, orabat & pro ipſis martyribus,vt Deus illis conſtantiam daret & victoriam:tenente autem ipſa b *eleuatas* ad Deum *manus*,multò meliùs quàm *Moyſes cùm vinceret Iſraël*; quo modo non vincerent illi pro quibus illa orabat! Ora Virgo ſuprema pro hoc ſeruo tuo,cum pugnat aduerſus ſuos hoſtes:nam, te orante pro me, ego vincã per te, ideoque tua erit gloria victoriæ meæ. — *Quam procurat variis modis.* — *b Ex.17.11.*

II. *Exemplo.* DEINDE,animas quoque adiuuabat,raro *exemplo* vitæ ſuæ; quæ erat prædicator quidem mutus, ſed efficaciſsimus, ad mouendum ad omnem virtutem,nam ſplendebat in ea quædam diuinitas adeò magna,vt,(quod S.Dionyſius de illa dixit) niſi fides intellectum corrigeret, omnes exiſtimarent eam eſſe Deum, ſicut erat filius eius. — *Refert: Dionyſ.Carthuſ.c.3 de Diuin. Nominib.*

III. *Verbo.* VERBO præterea, plurimùm adiuuabat ipſos Apoſtolos,docens myſteria fidei,quæ ipſa magis in particulari, & maiori cœleſti lumine nouerat:conſolabatur quoque & excitabat Chriſtianos ad ſe accedentes, non ſolum ex Ieroſolymis,ſed ex remotioribus etiam orbis regionibus, nam vt S. *Ignatius* Martyr dixit,omnes cupiebant illam videre, tanquam prodigium quoddam cæleſtis ſanctitatis. — *c Ep.1. & 2.*

IV. *Peregrinationibus.* VERVM vlterius progreſſa eſt eius charitas.nam, ſicut inſpiratione Diuina c *aſcendit ex Nazareth in montana Iudeæ*, vt cognatam ſuam Elizabeth viſitaret,&, ſe mediante, Ioannes Baptiſta iuſtificaretur, ita eâdem inſpiratione aliquas habuit profectiones. Fuiſſe enim Epheſi affirmant Patres *concilij Epheſini*; Sancto verò *Ignatio* promiſit ipſa, ſe ituram Antiochiam,& ſic iuerit ad alias partes ad adiuuandum & conſolandum fideles, quæ illam videre cupiebant; & eoſdem in fide confirmandos, & ad ipſam fidem etiam inter Gentes dilatandam. — *c Luc.1.c. Tom. 2. Actorum: Concil.Epheſin.17. Epiſtola.4. inter Ignatij Epiſt.*

Quamuis.n.ipſa amãtiſsima eſſet quietis, & recollectionis; charitas tamen(vt in Canticis dicitur) illam vrgebat,vt d *ſurgeret ad vineas*,Eccleſias videlicet,*& videret, vtrum illæ florerent*, & num flores nouorum Chriſtianorum, producerent fructus bonorum operum. — *d Cant.7.12.*

V. *Patitur aduerſa.* DENIQVE, hoc tempore, & hanc ob cauſam (vt refert idem Sanctus Ignatius) magnas ſuſtinebat murmurationes & *perſecutiones*, ab Scribis & Phariſæis,& iis omnibus,qui eius filium oderant, in quibus perſecutionibus perferendis, gaudium & lætitiam præſe ferebat, eò quòd aliquem contemptum & ignominiam pro filij ſui nomine pateretur,quo admirando patientiæ exemplo multis animum addebat,qui perſecutionẽ patiebã- — *Epiſt.1.*

Digitized by Google

tur, vt patienter illam tolerarent. Affligebatur vero multũ eius anima, lapſibus aliquorum debilium; vt quæ meliùs multò, quàm Apoſtolus, dicere poterat: e *quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* & illud: f *zelus domus tuæ comedit me*, & omnia interiora mea, ſicut filium eius comedit, videns peccata eorum, qui domum Dei profanabãt, ſed hoc totum magis illam vrgebat, vt feruentiùs oraret, & animarum ſalutem diligentius procuraret, ad eius gloriam, qui illas creauit, ac redemit. O Virgo ſuprema, ſi in partu filij tui naturalis Chriſti Ieſu, nullos es perpeſſa dolores, ſatis nunc multos pateris in partu filij adoptiui, qui eſt genus humanum. g *Amicta quidem es ſole, & in capite tuo corona ſtellarum duodecim, & luna ſub pedibus tuis: ac clamas* nihilominus *parturiens, & cruciaris, vt parias* hunc filium, h *donec formetur* CHRISTVS *in eo.* Clama quæſo Domina pro me, nec ceſſes clamare, donec ita formetur CHRISTVS in corde meo, vt ipſe in me viuat, & ego in eo in æternum. Amen.

e 1 Cor. 11. 29.
f Pſ. 68. 10.
Oratio. ad B. V.
g Apo. 12. 1.
h Gal. 4. 19.

PVNCTVM IV.

VLTIMVM, quod in BEATISSIMA VIRGINE, ad cognoſcendum Sanctitatis culmen, ad quod peruenit, conſiderare poſſumus, eſt modus & ratio, quam tenebat in agendo: non enim a *præcellens illa tantum erat* (vt monet Sapiens) *in omnibus ſuis operibus*, ſed præcellentiſsima: quotidie augens innumeros excellentiæ gradus. Nam in ſingulis operibus ſuis vltimum faciebat, quod ſpiritualibus ſuis virib. facere poterat, operabatur enim toto affectu cordis ſibi poſsibili. Et quoniam Chriſtus Dominus noſter, valde feruentibus in agendo, in parato, vt dicitur, ſtatim dat præmium, tantum eis gratiæ & charitatis augmentum tribuens, quantum opere illo & feruore ſunt promeriti. Hinc eſt, quòd Virgo hæc ſacratiſsima in ſingulis operibus, quæ faciebat, duplicabat ſpirituales vires, quas habebat, augebatq; in duplum charitatem, qua amabat. quare, cùm iterum amorem ſuũ exercebat, amabat duplo maiori intentione, quàm antea: & hac ratione creſcebat quotidie incomprehenſibili augmento, quia Charitas (vt ait S. Tho.) in hac vita non habet certum terminũ ſui augmenti; & b *ignis* amoris ipſius Virginis, *nunquam dicebat: ſufficit.*

Continuatio eius in virtutib. augmentum.
a Eccl. 33. 23
S. Tho. 2. 2. q. 24.
S. Tho. 2. 2. q. 24. a. 7.
b Prou. 30. 16.

HINC eſt, quòd Virgo ſanctiſsima Domina noſtra eminentiſsimè impleret præceptum illud: c *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*: nã omnia ſua illa impendebat in amando Deo, cum omnibus facultatibus ſuis, & continuatione, quæ in hac mortali vita erat poſsibilis, ad quod iuuabant illã omnes rationes ſiue tituli, & cauſæ quæ aderant, vt filium ſuum amaret, vt in quarta parte hu-

I.
c Deu. 6. 5.
Dilectio Dei in ſummo gradu.
Medit. 1. Punct. 8.

ius operis dictum eſt. EODEM modo perfectiſsimè exequebatur petitionem illam Dominicæ precationis: *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra:* eam enim exequebatur tam in magnis, quàm in paruis rebus, tãto amore, tanta puritate intentionis, tanta diligentia, & feruore, atq; illam Angeli explent in cælis; imò adhuc multò maiori, iis tantum exceptis, quæ ſunt propria beatorum. II. Perfectè Deo obedit.

STVDIOSE item contendebat dilatare quotidie, cor ſuum, ad recipienda ampliora Dei dona, ex illa magna fiducia, quam de eius bonitate habebat: ex quo proueniebat, vt (quod Iſaias dixit) d *quotidie mutaret ſuam fortitudinem*, nouo accedente augmento; & nouas *aſſumeret pennas, & ſicut Aquila* volaret ad culmen perfectionis! *curreret, non laborans; & ambularet, non deficiens:* e *Exultaret vt Gigas ad currendam viam* ſuam magna celeritate, *vſque ad ſummum eius.* O Virgo glorioſiſsima f *filia Principis* ſupremi, *quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis* tot virtutum diuinarum? quàm proſperè quotidie g *progrederis quaſi aurora conſurgens pulchra vt luna, electa vt ſol, & terribilis, vt caſtrorum acies ordinata.* Inchoas tua opera, h *quaſi lux matutina ſplendens, quæ procedit & creſcit vſque ad perfectam diem*; proſequeris illa, ſicut luna plena; adimplens illa plenitudine conformitatis cum voluntate Diuina; & perficis, ſicut Sol, excellentiâ ſingulari mundum illis illuſtrans, & amore Creatoris inflammans. Ac denique omnia opera tua ſunt, ſicut *caſtrorum*, vt virtutum ſcilicet, *acies ordinata terribilis* Dæmonibus, beneuola electis, quorum es protectrix; accipie me ſub tua protectione, vt, te fauente, quotidie i *eam de virtute in virtutem*, donec eò perueniam, vt *videam Deum Deorum in Sion*, in æternum. Amen.

III. It de virtute in virtutem. d Iſ. 40. 31. e Pſal. 18. 7. f Cor. 7. 1. g Cor. 6. 9. h Prou. 4. 18. i Pſal. 83. 8.

MEDITATIO XXXIV.

DE GLORIOSO SANCTISSIMAE Virginis Tranſitu.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM eſt PRIMVM, quàm fuerint viua & inflammata Sacratiſsimæ huius Virginis deſideria, in vltimis præcipuè vitæ ſuæ annis eundi ad videndũ Deum, & ſimul eſſe cum filio ſuo: quæ tamen non ex aliquo vitæ præſentis tædio, aut horrore laborũ, quos in ea tolerabat, oriebãtur; ſed ex puro amore, qui, cum vehemens eſt, vehementer quoq; ſuſpirat ad ſui dilecti præſentiã: nec vllam inuenit requiem, donec illum videat. Et quoniam

I. Ardens deſiderium videndi Deum.

in Diuinis literis erat verſatiſsima, ex eis accipiebat verba affectus ſui: Et
a Pſ.119.5.6. ita, *nunc* ſecum ipſa loquens, dicebat cum Dauide: a *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui* longo tempore, *cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea* in hac vita! *Nunc* loquens cum Deo dicebat:
b Pſal. 41.2. b *Quemadmodum deſiderat Ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus, ſitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?*
c Pſa. 141.8. c *Educ de cuſtodia* huius corporis *animam meam, ad confitendum nomini tuo; me exſpectant iuſti, donec retribuas mihi* promiſſam iuſtitiæ coronam. *Interdum*, cum Angelis, qui illam viſitabant, colloquẽs,
d Cant. 5.8. dixerit: d *Adiuro vos filiæ*, & habitatores cæleſtis *Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.* dicite illi; quòd deficiat Spiritus meus & caro mea omninò languet, præ deſiderio illum videndi, & eo fruendi.

II. Pugna inter amorẽ Dei & proximi.

Credibile tamen eſt, fuiſſe interdum in corde ipſius Virginis Sanctam illam pugnam inter *amorem Dei* & *amorem proximi*; quam etiam Apoſtolus ſentiebat, cum diceret: e *Coarctor autem è duobus, deſiderium habens diſſolui & eſſe cum Chriſto multo magis melius: permanere autem in carne, neceſſarium pro-*
e Phil. 1.23. *pter vos.* amor enim Dei vrgebat ipſam Virginem ſanctiſsimam, vt cuperet diſſolui, & eſſe apud filium, ſed amor erga proximos, quorum videbat neceſsitatem, neceſſarium eſſe dicebat adhuc manere in carne, ob eorum commodum, & quia reſignatiſsima erat in voluntate Diuina, excelſiſsima
In eius vita. obedientia proculdubiò dixerit, quod de S. Martino refertur: *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſaria, non recuſo laborem: fiat voluntas tua.* O Virgo ineffabilis, quæ nec labore fuiſti victa, nec morte vincenda, quæ nec mori timuiſti, nec viuere recuſaſti: quia id ſolum voluiſti, quod voluit Deus. O ſi ego feruentia tua deſideria, tanta reſignatione imitarer, vt & mortem optarem cum lætitia, & vitam ſuſtinerem cum patientia!

III. Nouus feruor ante mortem.

Tandem cùm Virgo ſacratiſsima præſenſit, paucos ſibi dies vitæ ſupereſſe, cœpit nouo feruore ad diſceſſum ſe parare, clariſsimos virtutis actus exercens, illudque Canticorum vſurpans: f *fulcite me floribus, ſtipate*
f Cant. 2.5. *me malis: quia amore langueo*, ac ſi, cùm animæ ſuæ facultatibus loquens, dixiſſet: Vis amoris conſumit ſenſim vitam meam; proferte itaque nouos flores & fructus cæleſtes, erumpant meditationes, affectus, & fragrantia opera, quæ morbum leuent, & ad eius finem me diſponant.

In his imitanda. In tribus his rebus prædictis, imitari debeo *Virginem* ſacratiſsimam: præparando me ſcilicet ad mortem, inflammatis deſideriis vidẽdi Deum, reſignatione propriæ voluntatis in Diuinam, & operibus perfectioribus;
Refert Bloſius in Monili. Spirit 13. augendo etiam feruorem cum præſentio, meum imminere diſceſſum. Non enim eſt abſque nota, tepidũ eſſe in deſiderio videndi Deum, & beatitudinem conſequendi. legitur enim eſſe in altera vita quoddam genus

purgatorij quod appellant Purgatorium *Deſiderij*, qua purgatur hæc tepiditas deſiderij videndi Deum.

PVNCTVM II.

PERPENDENDA deinde ſunt, quæ præceſſerunt mortem ſacratiſsimæ Virginis.

NAM *Primùm*, quamuis Deus, Dominus noſter beatiſsimam Virginem ab originis labe, præſeruauit, noluit tamen à corporis morte, quæ illius eſt effectus, liberare, ſed, quoniam, teſte Apoſtolo, a *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori*, voluit, eam, ſicut cæteros homines, mortem obire; vt magis appareret firmitas huius ſententiæ mortis. *Item*, vt & ipſa Virgo in hoc etiam filium ſuum imitaretur, qui mortuus eſt, vt ſua morte remediũ nobis adferret, & vt moriens plurimũm apud Deum mereretur, ex eo quod vinceret naturalem hanc carnis ad moriendum repugnantiam. Siquidem teſte Apoſtolo; b *nolumus exſpoliari* corpore, *ſed ſuperueſtiri* veſte gloriæ, *vt* ſic *abſorbeatur quod mortale eſt à vita*. ITEM, vt in morte ſua omnibus præberet rarum virtutis exemplum, & compateretur morientibus, tanquam experta pugnam illam, & repugnantiam carnis; quia futura erat ipſa aduocatrix noſtra in illa hora. Hinc titulos & motiua accipiam, ſupplicandi ipſi Virgini, vt in illa hora mihi ſubueniat; aliquem mihi fauorem, & gratiam, impetrans, ex plurimis, quas ipſa accepit in illa hora; dicamque illi, magno ſpiritu, vltima illa verba ſalutationis Angelicæ; *Ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis noſtra*; & hymnum illum, MARIA *Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.*

I. Debuit mori ob tres cauſas.
a *Heb.* 9.27.
1
2.
b 2. *Cor.* 5. 4.
3.

DEINDE conſiderabo quod, accidente ſtatuto tempore tranſitus glorioſiſsimæ Virginis, miſerit filius eius Archangelum Gabrielem, qui hoc ei annunciaret, venerit ille proculdubio reſplendens, ſicut cùm venerat eiuſdem Diuini verbi Incarnationem eidem Virgini annunciandam: eſtque veriſimile eandem nunc ſalutationem eum vſurpaſſe: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*, propter benedictum fructũ ventris tui; à quo miſſus ſum annunciare tibi: perueniſſe tandem horam, qua te ad ſe accipiens, præmia reddat tuis obſequijs digna; & ſimul magnum omnibus cœli ciuibus gaudium adferat, qui magno deſiderio te in ſocietate ſua habendi tenentur. Quæ ſenſa, quàm eleuata, Virgo Sanctiſsima habuiſſe credẽda eſt, his nouis auditis! hinc. n. lætitiæ iubilis plena dixerit proculdubiò, quod aliquãdo Dauid: c *lætata ſũ in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus!* inde verò, magna animi reſignatione repetiuerit forte reſponſum, quod eidem Angelo alia vice dederat: d *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundũ verbum tuũ.* Duplicẽ hunc affectum Beatiſsimæ Virginis,

II. Mortis nũcium accipit ab angelo Gabriele.
Nicepho. libro. 2. *ca.* 21.
c *Pſal.* 121. 1.
d *Luc.* 1. 38.

ginis,diligenter perpendam; & in corde meo cuſtodiam, ad eam horam, qua talia mortis meæ noua audiam: placet enim Deo cum lætitia & reſignatione,ea excipi.

III. Apoſtolorũ præſentia. *S. Dionyſ. c. 3. de Diuin. nomin. S. Damaſc.* S. Iuuen. *Lipoman. Serm. de Aſſump. B. Virg.*

Perpendam denique,prodigioſè perueniſſe Apoſtolos,multosque alios diſcipulos, vt eiuſdem Virginis morti intereſſent;ad ipſorum potius commodum,quàm ad ipſius virginis conſolationem: quamuis & ipſa gauiſa fuerit,illos videns. Omnes flebant eius diſceſſum, eiusque precibus ſe impensè commendabant:ipsaque omnes conſolata, ſaluberrima dedit monita; Filiumque ſuum imitata pro illis orauit, magnoque affectu eis benedicens,recepit ſe illorum aduocatam in cælo futuram.

Oratio.

O Mater dulciſsima, orphani manemus in terra, ſi tu aſcendis in Cœlum;ſi tamen certum nobis adſit auxilium tuum de cælo, ſecuri viuemus in terra Aſcende itaque feliciter,ſiquidem tua benedictione, pignus nobis relinquis,quod ſimus te ſecuturi, vt Filio tuo in æterna gloria fruamur. Amen.

PVNCTVM III.

I. Chriſtus ad moriturã deſcendit.
a *Ioan. 14.3*

APPROPINQVANTE iam hora, deſcendit Chriſtus ipſe Dominus noſter de Cœlo, ad Matrem ſuam, implens in illa promiſsionem, quam fecerat ſuis Apoſtolis,cùm dixit: a *ſi abiero & præparauero vobis locum* in cœlo,*iterum venio,& accipiam vos ad meipſum.* Certum verò eſt, adduxiſſe ſecum innumeram Angelorum multitudinem, qui illius morti intereſſent,& expuliſſe inde omnes dæmones, ita vt nemo auderet cōparere,nec quidem illius habitationem accedere. Quàm blanda verba filius dederit Matri, non aſſequitur mens noſtra,nec cogitare poteſt niſi per ea, quæ in Canticis ſunt ſcripta.Dixerit itaque amantiſsimè: b *ſurge,propera amica mea,Columba mea, formoſa mea, & veni:Iam enim hyems tranſijt, imber abijt,& receſsit:*finiti ſunt tui omnes labores,c *Veni de Libano,Sponſa mea,veni de Libano*, & de cæteris altiſsimis ac vberrimis montibus virtutum, in quibus hactenus manſiſti,deſere iam mundum iſtum miſerandum,qui eſt *cubile leonum& mons pardorum:veni coronaberis* corona iuſtitiæ, quam abundè es promerita.

b *Can. 2.10*
c *Cant. 4.8*

Gaudium B.Virginis viſo filio.

VIDENS Beatiſsima Virgo filium ſuum,audiensque verba, quæ ad cor eius loquebatur,fas eſt credere,ipſam, quæ magna eius erat caritas, petiuiſſe à filio, vt Apoſtolos ac diſcipulos conſolaretur, copioſam ſuper eos effundens benedictionem. Et mox memor, qua ratione ipſe eius filius in cruce expiraſſet,eadem verba & ipſa nūc protulerit,dicens filio ſuo:ô Pater mi,quà es Deus;& fili mi, quà es homo:d *in manus tuas commendo Spiritum meum:*Et hæc dicens exſpirauit. O quàm pretioſa fuit mors huius ſacratiſsimæ Dominæ, ante oculos Dei! ſiquidem e *pretioſa eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum eius.*

d *Pſal. 30.6*
e *Pſ. 115. 15.*

FVIT

Digitized by Google

Fvit enim eius mors pretioſa, Primvm: quia non tam ex morbo aliquo corporis mortua eſt, quàm ex vehementia amoris, qui corporis eius vires conſumpſit. ideoque dicere potuit illud Sponſæ: f *Quia amore lãgueo, & vulnerata charitate ego ſum.* cuius vulnus ad eius animam penetrãs eam ex corpore extraxit, vt eum ipſum videret, g *cuius cor* ipſa prior inflammata ſua charitate *vulnerauit.*

I. Mors eius pretioſa ob tres cauſas. f *Cant.* 2. 5. g 4. 9.

Deinde, mortua eſt ſine dolore, acceptante videlicet filio dolores, quos perpeſſa illa fuerat, cum ipſum in cruce morientem vidit; vt nunc in hoc tranſitu nullum dolorem ſentiret: dum etiam, quòd animi lætitia, qua eius anima afficiebatur ex præſentia ſui dilecti, adeo erat vehemẽs, vt nihil ſenſerit à corpore ſeparari: vt locum propterea in illa habuerit illud Sapientiæ, h *iuſtorum anima in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.*

II. Mors ſine dolore. h *Sap.* 3. 1.

Tertiò quia omnia eius opera, quæ & plurima erant & clariſsima, ſimul tunc conuenerunt, manifeſtante illa Deo, vt eam comitarentur, & fiducia lætitiaque replerent. Si i *beati* ſunt *qui in Domino moriuntur, quia opera eorum ſequuntur illos,* quantò erit beatior, quæ in Chriſto mortua eſt, quæ amore puro ipſius Chriſti, & tantam habuit clariſsimorum operũ copiam, quæ illam comitarentur? Si k *beatus eſt ſeruus, quem cũ venerit Dominus eius* in domum ſuam, *inueneris vigilantem*; quantò beatior erit hæc Virgo, quæ nunquam profundè dormiuit; ſicut l *fatuæ* illæ *Virgines* nec leuiter, ſicut *prudentes*, ſed ſemper fuit in vigilia: Si *Iuſtus* (m vt ait Sapiens) *ſperat in morte ſua*, quantò magis ſperauit hæc Regina iuſtorum, in extrema hac hora. O ſi n *anima mea moreretur morte* huius Dominæ, quæ eminenter *iuſta* nomen meretur, *& fierent nouiſsima mea, eius ſimilia*. O Virgo Sanctiſsima, quò mors mea in aliquo ſit tuæ ſimilis, impetra mihi, vt vulneratus amore viuam, & bonis operibus ita plenus, vt mortis tormentũ non me tangat. Rectum quidem eſt, vt mortis corporis tormentum me tangat, ſiquidem pœna eſt, quam mea culpa promerui; ſed non me tangat Spirituale tormentum, vt nimio timore, diffidentia, & cordis defectione affligat.

III. i *Apo.* 14. 13 k *Luc.* 12. 43 l *Matt.* 25. 5 m *Prou.* 14. 13. n *Numer.* 23. 10.

Pvnctvm IV.

Postqvam Virgo Sanctiſsima exſpirauit, deduxerunt ſacratiſsimi eius corporis funus ingenti pompa Cœleſti, & terrena; ita, vt de eo dicere liceat, quod dixit Iſaias de ipſo Chriſto, a *& erit ſepulchrum eius glorioſum*: nam ad illud concurrerunt glorioſiſsimi quique ex terra, & ex cœlis: Apoſtoli videlicet, & plurimi diſcipuli, qui cantabant hymnos & laudes Deo, eiuſque Matri, ſicut Spiritus Sanctus cordibus eorum ſuggerebat, vt etiam ore proferrent. Venerunt quoque Angelici

I. Funus ab Angelis & hominibus deductum. a *Iſaia.* 11. 10 *Ita Doctores ſupra citati.*

chori qui funus ipſum ſequebantur,& apud ſepulchrum, cœleſtem muſicam concinentes manſerunt,venerantes Reginam ſuam, quæ ibi erat in depoſito.

II. Sepulchrũ eius glorioſum.

Fvit deinde ſepulchrum illud glorioſum,ob plurima miracula, quæ fecit Deus in venerandi corporis illius præſentia: etſi enim, dum viueret,miracula nón fecerit,tum ob humilitatem,tum vt Apoſtolis & prædicatoribus Euangelij, hoc munus relinqueret:tum denique, quòd tota ipſius vita eſſet continuum quoddam miraculum, & quidem glorioſius, quàm fuerit vita Ioannis Baptiſtę:ſed mox,atque illa expirauit,voluit filius eius,eam honorare clariſsimis miraculis,ſicut Sanctos alios honorat.

III. Glorioſus tranſitus.

Fvit denique glorioſus eius *tranſitus*:quia etſi Apoſtoli & reliqui diſcipuli tenerè ſenſerint ipſius Virginis mortem; credendum eſt tamen, ſtatim Chriſtum Dñm noſtrum illis manifeſtaſſe,matris ſuæ gloriã; & eorum corda ſpirituali lætitia repleuiſſe certo ſibi perſuadentes, habere ſe in Cælo verè Matrem & aduocatam,quę illorum curam gereret.

Oratio ad B. Virginẽ

O Virgo ſuprema,quomodo poſſum volo corpus tuum Spiritu meo comitari, & inſerere me ad vtrumque chorum, Apoſtolorum vi delicet & Angelorum,vt laudes tuas cum illis decantem. Rectum omnino erat,vt, quandoquidem tuum corpus fuit glorioſiſsimum ſepulchrum, in quo verbum æternum, per nouem menſes fuit, quaſi ſepultum; nunc, eidem tuo corpori, ſepulchrum daretur valde glorioſum: in quo,tanquam in depoſito,eſſet per tres dies. Et quandoquidem,illud tota vita ſua,ſeſe impendit in laudando & glorificando Creatore,& verò intra tres dies,ad eandem exercitationem, æternum præſtandam,ſit rediturum; æquiſsimũ omnino erat, vt angeli,tribus illis diebus,eſsẽt illi inſtar linguæ,per quos eum glorificaret,quem ſemper hactenus glorificauit. Gratias tibi verbũ æternum, pro honore, quem benemeritæ Matri tuæ defers:per eam ſupplex te oro,talem mihi des mortem,vt te in eius ſocietate fruar in gloria per ſæcula. Amen.

MEDITATIO XXXV.

DE ASSVMPTIONE B. VIRGINIS QVOAD animam, ſuper omnes choros Angelorum; De eſſentiali eius gloria ex coronatione,

PVNCTVM I.

G'orioſa eius aſſumptio.

PRIMVM,conſideranda glorioſa Aſſumptio, & ingreſſus Beatiſsimæ Virginis in Cælum Empyreum: nam ſtatim;atque illa exſpirauit; Sanctiſsima eius anima, vinculis corporis ſoluta, in vno momento euolauit in Cœlum,& fuit glorificata. Sed hæc meditantes, more noſtro cogitare poſſumus, quod ſenſim, & aliquo temporis interuallo,ad cælum aſcenderit.

I. Amplexus matris & filij.

PRIMVM ergo perpendam dulces *amplexus* mutuos *Matris & filij* in primo illo animæ eius ex corpore egreſſu, cum ineffabili eius gaudio: ibi enim impletum eſt, quod Sponſa dixit: a *Leua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Nam, quamdiu vixit in corpore, ſuſtentauit illam contemplatione myſteriorum, & operum humanitatis ſuæ, quæ *Leua* ſignificatur: ſed mox atque anima exiuit ex corpore, amplexa eſt illam, & viſione clara diuinitatis, quæ *dextra* ſignificatur, circumdedit. O quã exultabunda fuit benedicta illa anima in primo illo inſtanti! quanto animi affectu dixit illud ſponſæ: b *Inueni quem diligit anima mea: tenui eum: nec dimittam, donec* introducat me, ſecumque deducat *in domum* MATRIS *meæ* cœleſtis videlicet Ieruſalem.

a *Cant.* 2.6. *&* c. 8.3.

b *Cant.* 3.4.

O Virgo ſuprema, impetra mihi talem vitæ puritatem, & talem charitatis ardorem, vt mox atque anima mea è corpore exiuerit, in dilecti ſui amplexus incidat, & aſcendat cum eo ad domum matris meæ, vbi tu Mater mea habitas, gaudens cum filio tuo, per æterna ſecula Amen.

II. Angelico comitatu circumdata

DEINDE conſiderandus eſt illuſtris Hierarchiarum *Angelorum comitatus* qui BEATISSIMAM VIRGINIS animam comitabantur, eius Aſſumptionem celebrantes, ſalutantes illam (vt ait Sãctus Athanaſius) varijs ingentis gloriæ, ſalutationibus; & exultantes quòd eam ad ſupernam ſuam ciuitatem deducerent: congratulabantur ei de admirandis, quæ Deus in illa operatus erat; & omnes vno concentu cecinerunt, Gabrielis Archangeli ſalutationem, in qua epilogus quidam continebatur excellentiarum ipſius. Ego tamen Spiritu me inſerens in medium harum Hierarchiarum hanc eandem Dominam laudabo, eius celebrans triumphum, ſicut fecerunt Hebræi, Iuditham ſuam laudantes; ac dicam: ô Virgo glorioſiſsima, c *tu gloria Ieruſalem* tam militantis quàm triumphantis; *tu lætitia Iſrael*, tam eorum, qui in hac vita per contemplationem; quàm eorum, qui in altera clarè & apertè vident Deum; *tu honorificentia populi noſtri, quia ſemper feciſti viriliter, eò quòd caſtitatem ita amaueris*, vt nunquam virum cognoueris: *& ideo eris benedicta in æternum*, & per te omnes erunt benedicti, quos tu protexeris.

Serm. de Aſſumpt. Virg

c *Iud.* 15. 10

III. A proprio filio portata eſt in cœlum.

TERTIO perpendam, ſacratiſsimam hanc VIRGINEM non *Angelorũ* manibus, ſicut mendicus ille Lazarus ad ſinum Abrahæ fuit deductus, ſed *filij* ſui *manibus* & vlnis fuiſſe deductam, ſic illi rependens obſequia, & iucunda officia, quæ in eius infantia ipſa illi præſtiterat, in ſuis vlnis eum blandiſsimè geſtando: ex hoc enim orta eſt ingẽs illa cœleſtium Hierarchiarũ admiratio, cũ dixerunt: d *quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delitijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum* quaſi dicerent, quæ eſt iſta, quæ ex ſicco & ſterili mundi deſerto, vbi nihil eſt niſi labor & dolor, ipſa tamen adeo di

d *Cant.* 8.5.

ues, proſpera,& abundans, delitijs cœleſtibus plena aſcendit; & quidem non in ſeipſam,neque in Angelos,ſed in ſuum dilectum innixa.

In hunc modum ingreſſa eſt Virgo ſacratiſsima cœlum Empyreum, cum ineffabili omnium cæleſtium ciuium lætitia, & ſanctiſsimæ Trinitatis gaudio. Nam Pater æternus filiam ſuam dilectiſsimam ſecum habere gaudebat; Filius dulcem ſuam matrem; & Spiritus ſanctus dilectam Sponſam ſecum habere delectabatur: O quam læta exceptio, quam ſuauia pacis oſcula, quam beneuoli amplexus, quanta in colloquijs affabilitas, fuerunt, inter talem filiam cum tali Patre; talem Matrem cum tali Filio; talem Sponſam, cum tali Sponſo & inter ipſas tres diuinas perſonas, circa honorem tali & tam gratæ ad ſe venienti Principi deferendam! Hoc totum ſilentio & admiratione venerari ſtudebo: quia omnino maius eſt, quàm vel cogitatione aſſequi poſsim.

IV. Spiritu ſequenda. e Cant. 8. f Ierem. 17. 5 g 1. Cor. 1. 7

Ex his dictis intimum concipiam deſiderium; ſacratiſsimam hanc Virginem, in hac ſua profectione, *Spiritu* ſequendi: incipiens ſtatim meipſum ad eam diſponere. PRIMVM, *corde* deſerendo mundum, cogitans illum mihi eſſe inſtar cuiuſdam e *deſerti*, & omnes ſenſuum voluptates, quæ in illo ſunt, omnino repellens: vt hac ratione Spiritualium capax efficiar. DEINDE, ſtudendo quotidie in *virtute proficere*, non meis viribus innitendo, nec f *ponendo carnem brachium meum*; ſed brachio Dei adhærendo, & fiduciam meam in eo collocando. TERTIÒ, curando ſemper ita *in Domino gaudere*, & in rebus obſequij ipſius; vt abundè in gratijs & donis eius; & g *ſim* (vt ait Apoſtolus) *diues in Chriſto Ieſu, ita vt nihil mihi deſit in vlla gratia, expectanti* magna fiducia *reuelationem* gloriæ *Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

PVNCTVM II.

Eſſentialis gloria animæ Virg. a Luc. 6. 38.

CONSIDERANDA deinde eſt *eſſentialis gloria* animæ huius Virginis Dominæ noſtræ. Nam, ſi omnibus iuſtis (ait Chriſtus Dominus noſter) a *menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt*, quam menſuram dederit ipſe Matri ſuæ? *& ſi eadem menſura, qua menſi fuerimus, remetietur nobis*, quæ nunquam limitatam habuit menſurã in amando & ſeruiendo Deo: quam menſuram, quaſi abſque menſura & termino, par eſt credere, eam à Deo ipſo accepturam? menſura enim Virginis ſanctiſsimæ, in ſeruitio filij ſui, ſemper bona fuit, cum omni genere bonitatis, abſque vllius culpæ admixtione, plena omnibus gratijs & virtutibus, in plenitudine bonorum operum, nulla eis deficiente circumſtãtia, ſed conferta laboribus & mortificationibus, coagitata & ſupereffluens in obſeruatione Euangelicorum conſiliorum, multo amplius præſtans, quam teneretur: & nihilominus deſiderans ſemper plura præſtare, nullo poſito limite, ſuo deſiderio. Si igitur Deus iuſtis reddit præmia menſurã gloriæ, quæ millies ſuperat ipſorum obſequia, quanta reddidiſſe præmia credendus eſt, adeo excellenti menſuræ Matri ſuæ? Ipſe

Ipſe ſolus DEVS, qui ea reddidit; & Virgo Sanctiſsima, quæ accepit, aſſequi poſſunt immenſitatem huius menſuræ! nobis ſufficit credere, Beatiſsimam Virginem manſiſſe plenam & ſaturam, & experta quod ſcriptũ eſt: b *ſatiabor, cùm appauerit gloria tua.* b *Pſ.116.15.*

II. Dixerit illi proculdubio Deus Dominus noſter, quod Holofernes ille Iudith viduæ dixit: c *bibe nunc & accumbe in iucunditate: quoniam inueniſti gratiam coram me*: & reſponderit ipſa Virgo, idem quod Iudith: *bibam Domine, quoniam magnificata eſt anima mea hodie præ omnibus diebus meis.* Bibit itaque Virgo Sanctiſsima, & ſaturata eſt. Nam eius intellectus, ſatur manſit clara viſione Dei, Trini & vnius bibens ex immenſo illo mari infinitæ eius ſapientiæ, & ita abundanter, vt Cherubim, qui dicuntur plenitudo ſcientiæ, in eius comparatione quaſi vacui eſſe videantur; eius *voluntas* ſaturata eſt amore Dei beatifico, d *introducta in cellam eius vinariam*, & vinum hauriens eius charitatis, vſque ad ſanctam ebrietatem tanto amoris exceſſu, vt Seraphini, qui amore accenſi dicuntur in eius comparatione quaſi rigere videantur; Spiritus eius ita fuit ſatur, pacifica poſseſsione infiniti boni quod deſiderauerat, immerſus in profundiſsimo illo mari gaudiorum Domini ſui, hauriens ex e *inundati torrente delitiarum* eius, tanta abundantia & plenitudine, vt eius comparatione Angeli, magna ſiti premi videantur.

c *Iud.12.18.* Verba Chriſti ad Mariam.

d *Can.2.4.*

e *Iſai.66.12.*

III. Vltimum bonitatis diuinæ in Maria.

Denique *vltimum*, vt ita dicam, ſuæ bonitatis & omnipotentiæ fecit Deus, explendo Matris ſuæ deſideria, in eo gradu ſaturitatis, qui puræ creaturæ poterat competere; reddendo illi præmium, quod ei toties potum dederit, non aquæ frigidæ, ſed lactis ſui pectoris, vſq; ad ſatietatem. Tunc ergo Matrem ſuam filius pectori ſuæ diuinitatis applicuit, vt ſatiaretur infinita lactis ipſius dulcedine. Tunc etiã reddidit illi præmium pro hauſtu amariſsimi calicis, quem ipſius cauſa tempore paſsionis eius hauſerat, propinans illi dulciſsimum gloriæ ſuæ calicem, quo hauſto traderet obliuioni ærumnas omnes, & amaritudines præteritas: eò quòd incomparabiliter maiores fuerunt ſuauitates, quam fuerint amaritudines, f *abſterſit omnem lachrymam ab oculis eius; & vltra non erit neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra*; nec miſeriæ vllæ veteris hominis: quia totam renouauit dotibus gloriæ hominis noui. O Virgo glorioſiſsima, gaudeo de tanta tua gloria, gaudio & ſatietate quibus afficeris, ſedens ad g *menſam iſtam* cœleſtem, ad quam ſedes *cum filio tuo*, & ad latus eius edens ac bibens idem quod ipſe edit & bibit. Præ Apoſtolis merita es ſeſsionem iſtam, & ſatietatem, vt quæ præ illis omnibus fidelius permanſeris cum filio tuo, in omnibus eius tentationibus.

f *Apo.21.4.*

g *Luc.22.30.*

Quandoquidem ergo menſura, quæ tibi datur adeò eſt copioſa, memento eſurientium & ſitientium, qui in hoc terræ exilio habitamus: & vel micas ſaltem aliquas nobis diſtribue.

Digitized by Google

Hinc firmum concipiam propoſitum, Beatiſsimam Virginem imitandi in ea menſura, qua ipſa Deo ſeruiuit, adhibitis quatuor prædictis circumſtantiis, ad id me ipſum excitans, ſpe gloriæ, quam Deus mihi daturus eſt, millies ampliorem quam mea opera, ex ſeipſis, merentur: id enim eſt, quod dixit Apoſtolus: h *non eſſe condignas paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

h *Rom.* 8. 18

Pvnctvm III.

Tertio, conſideranda eſt Coronatio Sanctiſsimæ huius Virginis, cum reliquis eius gloriæ circumſtantiis.

I. Coronatio B. Virg.

Nam Primvm, Virgo Sacratiſsima fuit eleuata ſuper nouem choros Angelorum, ad gloriam, abſque vlla comparatione maiorem, quam ipſorum: fecit enim eius filius illam ſedere ad manum ſuam dextram, in throno magnæ maieſtatis, maioribus amoris indiciis, quã Salomon cum *matrem ſuam Bethſebee in throno collocauit.* Ibi impletum eſt illud Dauidis: b *aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Nam ſicut Chriſtus Dominus noſter propterea dicitur ſedere ad dextram Patris, quod fruatur optimis bonis gratiæ, & gloriæ, quæ ſunt in Cælo; ita Virgo hæc Sanctiſsima ſedet à dextris filij: quia poſt illum, poſsidet altiorem gradũ gloriæ, ſupra omnes choros Angelorum, & reliquorum beatorum Spirituũ, nam quò eſt glorioſius c *nomen* matris, quam ſerui; eò altior eſt thronus Virginis, quam omniũ cæterorũ. Gaudeo ô Angelorum Regina, de altitudine tui iſtius throni; ſit felix ſeſsio iſta ad dextram filij tui! ô quã aptè competit tibi aurea iſta veſtis tot virtutum varietate exornata! ſi primus Angelus, qui ob ſuam ſuperbiam poſtea corruit, dicitur d *fuiſſe in delitijs Paradiſi Dei, cuius operimentum erat omnis Lapis pretioſus* nouem ſcilicet genera pretioſorum lapidum, ornamenta ſcilicet & perfectiones nouem chororũ Angelorum; quantò magis tu eris adornata omnibus perfectionibus viuorum & pretioſorum lapidum, cæleſtis iſtius Ieruſalem! reſpice, ô Mater miſericordiæ, nuditatem meam, & impetra mihi veſtem nuptialem quæ eſt charitas, cum reliquorum pretioſorum Lapidum, virtutum ſcilicet ornamento; vt fiam dignus comparere in præſentia Dei mei, eoque in tua ſocietate frui. Amen.

a 3. *Reg.* 2. 19.
b *Pſal.* 44. 10.
c *Hebr.* 1. 4.
d *Exo.* 28. 18
S. Gregor. 32 *Moral. c.* 18.

II. Coronata à SS. Trinitate.

Deinde, fuit Virgo Sacratiſsima pretioſiſsimis Coronis, à Sanctiſsima Trinitate, coronata. Nam æternus Pater eam coronauit coronâ Poteſtatis, concedens illi, poſt Chriſtum, poteſtatem ſuper omnes creaturas, Cœleſtes, terreſtres, & infernales, ita vt & illi competat illud Pſalm. e *gloria & honore coronaſti eam, & conſtituiſti eam ſuper opera manuum tuarum.* Filivs Dei coronauit eam corona Sapientiae, dans ei claram cognitionem, non ſolùm eſſentiæ diuinæ, ſed rerum etiam omnium, creatarum, & omnium, quæ ad eius dignitatem, Matris ſcilicet & Aduocatæ noſtræ, pertinent.

e *Pſal.* 8. 6.

SPIRITVS SANCTVS coronauit eam corona CHARITATIS, infundens illi, non ſolum amorem Dei; ſed etiam ardentiſsimum proximorũ, cum vehementiſsimo zelo boni & Salutis eorum.

O quanta admiratione, & ſtupore affectæ fuerunt tres Angelicæ Hierarchiæ, quando viderunt hanc VIRGINEM talibus coronis adornatam! SERAPHINI ſtupebant ardorem Charitatis eius; Cherubini, ſcientiæ eius plenitudinem; Throni, abundantiam pacis eius; Virtutes, excellentiã donorum; cæteri Angeli, altiſsimam eius perfectionem & Sanctitatem! Gaude ô anima mea, de hac Virginis corona, & lętare, quod habeas in cœlo Matrem tantæ poteſtatis, & excellentiæ, vt ſua interceſſione poſsit omnibus tuis miſeriis remedium adferre; & tantæ Sapientiæ, vt neceſsitates tuas omnes omnino perſpectas habeat, tuaque deſideria & orationes cognoſcat; & tantæ Charitatis & zeli, vt plus ipſa ea tibi impleri deſideret, quàm tu ipſe, qui ea petis. O Mater dulciſsima, à Filio tuo f *in miſericordia & miſerationibus coronata!* Ora eundem, Domina, vt me illis ita in hac vita coronet, vt ad æternam coronam perueniam in futura. Oratio. f Pſal. 102. 4

PRAETEREA, Sanctiſsima Trinitas coronauit Sacratiſsimam Virginem tribus coronis gloriæ accidentalis, quas Theologi LAVREOLAS appellant, ſiue coronas lauri, quæ nunquam amittit ſuum virorem: LAVREOLAM videlicet, VIRGINITATIS, MARTYRII, ET MAGISTERII. Nam hæc Domina fuit virgo virginum; fuit Martyr in paſsione Filij ſui, ſicut alibi dictum eſt; & magiſtra noſtræ religionis, cuius myſteria ipſosmet magiſtros noſtros docuit. III. Tribus coronis & quibus. p. 4. Medit. 47.

O Suprema Regina, quàm benè es promerita iſtas coronas in Cœlo, ob copioſos fructus, quos in terra produxiſti. Tuliſti enim fructum g *trigeſimum*, ſicut virgo. *Sexageſimum*, ſicut magiſtra; *Centeſimum* ſicut martyr. g Mat. 13. 23

Rectum ergo eſt, vt talibus laboribus reddantur coronæ adeò pretioſæ quò autem ego efficiar earum dignus, impetra mihi, vt feram copioſum Sanctorum operum fructum.

VLTIMO coronata fuit hæc virgo ſacratiſsima, h *duodecim ſtellarum corona*, cuius fit mentio in Apocalypſi: nam, vt in eam confluxerunt omnes excellentiæ & virtutes omnium ordinum ſanctorum, qui ſunt in cælo; ita fuit coronata pręmiis illorum omnium, ſtellis duodecim ſignificatis. Resplenduit in ea ſummè & maximo exceſſu *Fides & Spes* Patriarcharum; *lumen & cotemplatio* Prophetarum, *Charitas & Zelus* Apoſtolorum; *fortitudo & magnanimitas* Martyrum; *patientia & pœnitentia* Confeſſorum; *ſapientia & diſcretio* Doctorum; *ſanctitas & puritas* Sacerdotum; *ſolitudo & oratio* Heremitarum; *paupertas & obedientia* Monachorum; *charitas & puritas* Virginum, *humilitas & tolerantia* Viduarum ac denique *fidelitas & concordia* ſanctorum coniugatorum; ideoque conſequens eſt, vt omnium præmia & coronas acceperit, exceſſu etiam incomparabili. IV. h Apoc. 12. 1 Corona ſtellarum duodecim.

Digitized by Google

Hinc firmum concipiam propoſitum, Beatiſsimam Virginem imitandi in ea menſura, qua ipſa Deo ſeruiuit, adhibitis quatuor prædictis circumſtantiis, ad id me ipſum excitans, ſpe gloriæ, quam Deus mihi daturus eſt, millies ampliorem, quam mea opera, ex ſeipſis, merentur: id enim eſt, quod dixit Apoſtolus: h *non eſſe condignas paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* (h Rom. 8. 18)

PVNCTVM III.

Tertio, conſideranda eſt Coronatio Sanctiſsimæ huius Virginis, cum reliquis eius gloriæ circumſtantiis,

I. Coronatio B. Virg.

Nam Primvm, Virgo Sacratiſsima fuit eleuata ſuper nouem choros Angelorum, ad gloriam, abſque vlla comparatione maiorem, quam ipſorum: fecit enim eius filius illam ſedere ad manum ſuam dextram, in throno magnæ maieſtatis, maioribus amoris indiciis, quā Salomon cum *matrem ſuam Bethſebee in throno collocauit.* Ibi impletum eſt illud Dauidis: b *aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Nam ſicut Chriſtus Dominus noſter propterea dicitur ſedere ad dextram Patris, quod fruatur optimis bonis gratiæ, & gloriæ, quæ ſunt in Cælo; ita Virgo hæc Sanctiſsima ſedet à dextris filij: quia poſt illum, poſsidet altiorem gradū gloriæ, ſupra omnes choros Angelorum, & reliquorum beatorum Spirituū, nam quò eſt glorioſius c *nomen* matris, quam ſerui; eò altior eſt thronus Virginis, quam omniū cæterorū. Gaudeo ô Angelorum Regina, de altitudine tui iſtius throni; ſit felix ſeſsio iſta ad dextram filij tui! ô quā aptè competit tibi aurea iſta veſtis tot virtutum varietate exornata! ſi primus Angelus, qui ob ſuam ſuperbiam poſtea corruit, dicitur d *fuiſſe in delitijs Paradiſi Dei, cuius operimentum erat omnis Lapis pretioſus* nouem ſcilicet genera pretioſorum lapidum, ornamenta ſcilicet & perfectiones nouem chororū Angelorum; quantò magis tu eris adornata omnibus perfectionibus viuorum & pretioſorum lapidum, cæleſtis iſtius Ieruſalem! reſpice, ô Mater miſericordiæ, nuditatem meam, & impetra mihi veſtem nuptialem quæ eſt charitas, cum reliquorum pretioſorum Lapidum, virtutum ſcilicet ornamento; vt fiam dignus comparere in præſentia Dei mei, eoque in tua ſocietate frui. Amen.

(a 3. Reg. 2. 19. — b Pſal. 44. 10. — c Hebr. 1. 4. — d Exo. 28. 18 — S. Gregor. 32 Moral. c. 18.)

II. Coronata à SS. Trinitate.

Deinde, fuit Virgo Sacratiſsima pretioſiſsimis Coronis, à Sanctiſsima Trinitate, coronata. Nam æternus Pater eam coronauit coronā Poteſtatis, concedens illi, poſt Chriſtum, poteſtatem ſuper omnes creaturas, Cœleſtes, terreſtres, & infernales, ita vt & illi competat illud Pſalm. e *gloria & honore coronaſti eam, & conſtituiſti eam ſuper opera manuum tuarum.* Filius Dei coronauit eam corona Sapientiae, dans ei claram cognitionem, non ſolùm eſſentiæ diuinæ, ſed rerum etiam omnium, creatarum, & omnium, quæ ad eius dignitatem, Matris ſcilicet & Aduocatæ noſtræ, pertinent. (e Pſal. 8. 6.)

Spi-

SPIRITVS SANCTVS coronauit eam corona CHARITATIS, infundens illi, non ſolum amorem Dei; ſed etiam ardentiſsimum proximorũ, cum vehementiſsimo zelo boni & Salutis eorum.

O quanta admiratione, & ſtupore affectæ fuerunt tres Angelicæ Hierarchiæ, quando viderunt hanc VIRGINEM talibus coronis adornatam! SERAPHINI ſtupebant ardorem Charitatis eius; Cherubini, ſcientiæ eius plenitudinem; Throni, abundantiam pacis eius; Virtutes, excellentiã donorum; cæteri Angeli, altiſsimam eius perfectionem & Sanctitatem! Gaude ô anima mea, de hac Virginis corona, & lętare, quod habeas in cœlo Matrem tantæ poteſtatis, & excellentiæ, vt ſua interceſſione poſsit omnibus tuis miſeriis remedium adferre; & tantæ Sapientiæ, vt neceſsitates tuas omnes omnino perſpectas habeat, tuaque deſideria & orationes cognoſcat; & tantæ Charitatis & zeli, vt plus ipſa ea tibi impleri deſideret, quàm tu ipſe, qui ea petis. O Mater dulciſsima, à Filio tuo f *in miſericordia & miſerationibus coronata!* Ora eundem, Domina, vt me illis ita in hac vita coronet, vt ad æternam coronam perueniam in futura. Oratio. f *Pſal.* 102.4

III. Tribus coronis & quibus. *p.* 4. *Medit.* 47.

PRAETEREA, Sanctiſsima Trinitas coronauit Sacratiſsimam Virginem tribus coronis gloriæ accidentalis, quas Theologi LAVREOLAS appellant, ſiue coronas lauri, quæ nunquam amittit ſuum virorem: LAVREOLAM videlicet, VIRGINITATIS, MARTYRII, ET MAGISTERII. nam hæc Domina fuit virgo virginum; fuit Martyr in paſsione Filij ſui, ſicut alibi dictum eſt; & magiſtra noſtræ religionis, cuius myſteria ipſoſmet magiſtros noſtros docuit.

O Suprema Regina, quàm benè es promerita iſtas coronas in Cœlo, ob copioſos fructus, quos in terra produxiſti. Tuliſti enim fructum g *trigeſimum*, ſicut virgo. *Sexageſimum*, ſicut magiſtra; *Centeſimum* ſicut martyr. Rectum ergo eſt, vt talibus laboribus reddantur coronæ adeò pretioſæ quò autem ego efficiar earum dignus, impetra mihi, vt feram copioſum Sanctorum operum fructum. g *Mat.* 13.23

IV. h *Apoc.* 12.1 Corona ſtellarum duodecim.

VLTIMO coronata fuit hæc virgo ſacratiſsima, h *duodecim ſtellarum corona*, cuius fit mentio in Apocalypſi: nam, vt in eam confluxerunt omnes excellentiæ & virtutes omnium ordinum ſanctorum, qui ſunt in cælo; ita fuit coronata prępmiis illorum omnium, ſtellis duodecim ſignificatis. Reſplenduit in ea ſummè & maximò exceſſu *Fides & Spes* Patriarcharum; *Lumen & cotemplatio* Prophetarum, *Charitas & Zelus* Apoſtolorum; *fortitudo & magnanimitas* Martyrum; *patientia & pœnitentia* Confeſſorum; *ſapientia & diſcretio* Doctorum; *ſanctitas & puritas* Sacerdotum; *ſolitudo & oratio* Heremitarum; *paupertas & obedientia* Monachorum; *charitas & puritas* virginum, *humilitas & tolerantia* Viduarum ac denique *fidelitas & concordia* ſanctorum coniugatorum; ideoque conſequens eſt, vt omnium præmia & coronas acceperit, exceſſu etiam incomparabili.

Hvivs priuilegij tres fuerunt cauſæ. Prima fuit in præmium virginalis eius puritatis, quæ, vt fuit prodigioſa, & nũqam prius audita, propter magnam eius firmitatem ex voto, & maxima conſtantia per totam vitam; ſic decebat reddi illi præmium prodigioſum & extraordinarium; ſed illi tamen accommodatiſsimum, vt ſeruaretur corporis adeò puri integritas abſque vlla corruptione per totam æternitatem. | Eius rei tres cauſæ. I. Præmium virginitatis.

Secvnda cauſa fuit in premium extraordinariæ & altiſsimæ puritatis & ſanctitatis animæ eius: quia nullus vnquam culpæ vermis illam momordit, nullus peccati puluis infecit, nec vel odor aliquis adami terreni: quare iuſtum omnino erat, ne vermes eius corpus tangerent, aut illud in terram, aut pulueres conuerteretur; ſed integrum omninò maneret, ſicut manſit corpus Adami cæleſtis, ob cuius ſanctitatem dixit Dauid: o *non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* | II. Præmium extra ordinariæ puritatis. | o *Pſal.* 15 10

Hinc Tertia oritur cauſa: quia non decebat honorem ipſius Christi Domini, cuius caro erat quaſi vna eademq; cum carne puriſsimæ ſuæ Matris, ex qua illa fuerat aſſumpta: & vt illius caro nullam experta fuit corruptionem, ita (Sancto Auguſtino teſte) conſentaneum omninò erat, nec ipſam carnem Matris, in qua, certo quodam modo, filij caro erat corruptionem experiri. O ſacratiſsima Mater Ieſu, Arca noui teſtamenti, de lignis Setim incorruptibilibus compacta, laminis ex auro puriſsimo cooperta, vt digna eſſes habitatio eius, qui eſt propiciatorium totius mundi; ex animo gaudeo, de tui corporis incorruptibilitate, ac de puriſsimo tuarum virtutum auro quibus tuum ſpiritũ exornaſti: Imperra mihi, ô Virgo Suprema, p *in corruptibilitatem* illam *quieti & modeſti ſpiritus*, *qui eſt in conſpectu Dei locuples*; vt liberans animam meam ab omni corruptione culpæ, ſit quoque corpus meum ſuo tempore liberum à corruptione quam meretur ob culpam. | III. Caro Chriſti & Mariæ eadem. Oratio. | p 1. *Petri*, 1. 4.

Pvnctvm II.

Deinde conſideranda eſt ipſa *corporis* ſanctiſsimę Virginis *Reſurrectio*, qua tertio die prodijt è ſepulchro, viuum & glorificatum, virtute & omnipotentia filij ſui; cui parum viſum eſt, ſe facturum, ſi corpus Matris ſuæ, vſque ad generalis reſurrectionis diem, incorruptum conſeruaret: ideoque voluit tempus illud pręuenire, & tertio die illam reſuſcitare. Huius fauoris & priuilegij Prima cauſa fuit, quia cum Dei Filius tantopere matrem ſuam amaret, voluit non ſolũ eam facere voti cõpotem, in eo, vt ſacratiſsima eius anima Deum videret; ſed & naturale eius deſiderium, ſe iterum corpori coniungendi voluit explere: quod deſiderium habent animæ reliquorum beatorum, de quibus dicitur in Apocalypſi, quòd a *clament voce* & deſiderio *magno* reſurrectionẽ ſuorum corporum petentes. Et quandoquidem corpus & anima virginis ſanctiſsimę, | Reſurrectio. B. V. tertia die. | Cauſæ tres I. Vt expleret eiuſd eſiderium. | a *Apocal.* 6 11.

PVNCTVM III.

CONSIDERANDA TERTIO eſt Aſſumptio *corporis glorificati*, Sanctiſsimæ Virginis in cælum. Et quamuis ipſe modus quo aſſumptũ eſt, non ſit nobis notus, licet tamen illum, ad ſimilitudinem aſcenſionis ipſius CHRISTI, meditari, cogitantes, Virginis, reſurrectionem ita factam fuiſſe, vt Sanctiſsima eius anima ad corpus veniret, illique vniretur; ſicut futurum eſt in generali reſurrectione, in die Iudicij. Aſſumptio B. Virg. & de cuius modo.

I. CVSTODIEBANT ſepulchrum millia Angelorum, cæleſtes muſicas cantantium, (vt ſupra eſt dictum) qui inde ad Chriſtum Dominum noſtrum clamantes, dixerint forte illud Pſalmi a *ſurge Domine in requiem tuam tu & Arca Sanctificationis tuæ.* Nã tua requies erit, tecum deducere Arcam in qua infinitus Sanctitatis theſaurus fuerat depoſitus. a Pſal. 131. 8.

II. Et mox ſuprema hæc Arca aſcendere cæpit in vlnis Cherubinorum, & Seraphinorum; penetrantium ingentibus ineffabilis gaudij & lætitiæ iubilis per aëra & omnes cælos, vſque ad ipſum Empyreum. Excepit illam ſumma voluptate dilectus eius Filius, b *inferens illam*, ſicut Salomon fecerat *in Sanctum Sanctorum*, in locum ſcilicet altiſsimum illius templi cæleſtis, & c *coronauit* eam, ſicut Arcam, *corona* ex auro puriſsimo, circundãs totum eius corpus ineffabili quadam claritate & pulchritudine, quæ ipſius Empyrei cæli, in quo iam erat, Splendorem ſuperabat. O quàm fuit clarius redditum illud cælum, renouatũ lumine talis ſolis & talis lunæ, qualis Chriſtus erat, & Mater eius! O quam læti Angeli, ex gloria talis Reginę cuius interceſsione ſperabant, reparandas fore ſedes illius regni! ô quam hilares reliqui beati, ob gloriam tantæ Matris; qua mediante, fiduciam habebant, ſe viſuros innumeros homines cæli incolas! O quanta fuit lætitia perfuſa humillima hęc Mater; cum ſe vidit, ex infimo terræ, ad locum altiſsimum Cæli ſupremi euectam. Gaudeo ô Mater ſanctiſsima, de duplici ſtella gloriæ tibi data, altera animæ, ſicut cæteris beatis; altera ex ſpeciali priuilegio ſtatim pro tuo corpore; abundè impleuit filius tuus ſua promiſſa, ſiquidem dedit tibi d *coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, & palliũ laudis pro Spiritu mæroris*; & vult vt ſtatim *in terra* iſta tua *duplicia poſſideas* præmia, *cum lætitia ſempiternas.* Eleua mater Sanctiſsima Spiritum meum in cælum, vbi ad dextram filij tui ſedes; par eſt enim vbi Mater eſt ibi & filios eſſe; & vbi e *eſt corpus, ibi etiã congregantur & aquilæ.* O ſi mihi alæ darẽtur aquilæ, vt in altũ volãs contẽplarer gloriam corporis glorificati huius virginis, Surge anima mea, ingenti gaudio, aſcendens ſupra teipſam & ſupra omnem creaturam, & oblita rerum terrenarum ſuſpira cœleſtes, vbi eſt Pater tuus cœleſtis, & mater tua glorificata. Imitare humilitatem, quã ipſa habuit in vita, vt cum ea exalteris in futura, Amen.

b 3. Reg. 8. 6

c Exo. 25. 11

d Iſaiæ. 61. 3. 2.

e Matt. 24. 28.

MEDITATIO XXXVII.

DE HEROICA SANCTISSIMAE VIRGINIS humilitate, ob quam fuit ſuper omnes Angelorum choros exaltata.

Q*VAMVIS Sanctiſſima Virgo in omnibus virtutibus excelluerit, ſingulariter tamen excelluit in humilitate, cui eiuſdem exaltationem attribuere poſſumus, ſequentes Apoſtoli regulam, de Chriſto Dom. no noſtro dicentis* : a quod aſcendit, quid eſt niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ? qui deſcendit ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cælos, vt impleret omnia. *Hoc itaque ipſum poſſumus de Matre eius ſanctiſſima dicere: quæ aſcendit ſuper omnes creaturas, quia ipſa demiſit ſe infra omnes illas; & glorioſiſſima* b duodecim ſtellarum corona, *quam habet in Cælo, data illi eſt ob duodecim heroicos humilitatis actus, quos exercuit in terra: quos ponam in hac meditatione, collectos ex omnibus, quæ dicta ſunt in meditationibus de vita eius: præcipuè in ſecũda parte. Et quoniam eſt quædam humilitas erga Deum, & humilitas erga reliquos homines: Et ipſa beatiſſima Virgo eminet in vtraque, de eis dicemus in tribus ſubiectis punctis.*

a Epheſ.4.9.

b Apoc.12.1.

PVNCTVM I.

PRIMVM conſideranda eſt heroica Virginis Sanctiſſimæ humilitas,
I. circa dona, quæ à Deo accepit: in quibus valde elucet hæc virtus, in his e-
Heroica B. ius actibus.

Virg. humilitas eiuſq; cauſę

PRIMVS eſt, ſummo *ſilentio* ita ea *dona occultare*, vt neque verbo, neque motu aut externis aliquibus ſignis illa manifeſtet, ob vllum reſpectum humanum, aut prætextum aliquem apparentem glorificandi Deum, aut vtilitatem proximo adferendi; niſi neceſsitate id omninò exigente ipſe Deus velit & ſtatuat vt manifeſtentur. Nã, qui, extra hos caſus, dona, quæ in ſecreto accepit, manifeſtat, exponit ſe periculo (vt S. Greg. ait) vt eis ſpolietur à latronibus, inani gloria, ſuperbia, & arrogantia. Ac propterea vera humilitas, magna aſſeueratione dicit illud Iſaiæ: a *ſecretum meum mihi, ſecretum meum mihi*. Bis autem idem repetit, vt ſignificet, quàm ſerio recipiat, ſecretum illud ſibi ſeruare, & ſeorſim illo frui.

I. Occultare dona.

Homil. 11 in Euang.

a *Iſaia. 24. 16.*

HVNC actum exercuit beatiſſima virgo, dum Angeli reuelationem, & ſuæ conceptionis myſterium ita occultauit, vt nec ſuo ſponſo *b S. Ioſepho* (quem aliàs tenerè diligebat) voluerit ipſa aperire. Quare meritò illã dilectus eius appellat c *hortum concluſum, & fontem ſignatum*: nam ſilentio occultabat gratias quas à Deo accipiebat, nulla ratione illas manifeſtans, donec ipſe Deus illas manifeſtaret.

b *Mat. 1. 19.*

c *Can. 4. 12.*

II. Ex hoc actu ſequitur Secundus, horrere ſcilicet ſuas laudes inuitum-

que

que ac cum contractione quadam & diſplicentia illas audire: Nam(vt S. Greg. ait) quando humilis ab alijs laudatur, aut in ſe non agnoſcit illud Bonum, quod audit; aut, ſi agnoſcit, veretur ne illud amittat ob inanem complacentiam, quæ ex auditis laudibus oritur; aut etiam fortè, quia his laudibus, tanquam temporali quodam præmio, excludetur ab æterno. Hunc actum, modo quodam eminẽtiori, beatiſsima Virgo exercuit, cum Angelus verbis honorificis eam ſalutauit, compellans illam, d *gratia plenam, & benedictam inter mulieres.* Nam, vt erat humillima turbata eſt, exiſtimans tantam excellentiam non eſſe in ſua paruitate: quia infimam valde opinionem de ſe habebat.

Horrere ſuas laudes.

d Luca. 1. 28.

III.

HINC TERTIVS humilitatis actus oritur, qui eſt quando ipſe Deus vult ſua dona alicui collata manifeſtari, aut ipſemet aliquâ viâ ipſa manifeſtat, ſtatim ei *gloriam dare*, illum laudare, ac benedicere: dicens illud Dauidis: e *non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo ſit gloria*: & eodem affectu deſiderare, vt omnes alij etiam dent gloriam Deo, ob eandem cauſam dicendo illud Dauidis: f *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in id ipſum*; & illud: g *exultent & lætentur, qui volunt iuſtitiam meam, & dicant ſemper magnificetur Dominus.*

Et dare gloriã Deo.

e Pſa. 113. 9.
f Pſal. 33. 4.
g Pſa. 34. 27

HAEC Beatiſsima Virgo fecit, quando aduertit, Deum Sanctæ Eliſabetæ reuelaſſe ſecretum illud myſterium, quod ipſa eſſet Dei Mater: &, quando magnalia illa de ſe audiuit: Nam eodem momento gloriam Deo propter illa reddidit, dicens: h *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus in Deo ſalutari meo: quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Et hac ratione Sanctam Eliſabetam prouocabat, vt totum illud opus Deo attribueret: cũ ipſa propriam paruitatem confiteretur. O virgo Sanctiſsima, quæ, ſicut alter Iob, i *non vidiſti ſolem, cum fulgeret, nec lunam incedentem clare*: quia nunquam tibi complacuiſti in gloria & famâ apud homines, ſed Deo gloriam ſemper ob accepta dona reddidiſti. Iure optimo in Cælo es k *amicta* vero ſole iuſtitiæ, *& luna* huius mundi eſt *ſub pedibus tuis*; *& in* tuo *capite corona ſtellarũ duodecim*, quibus reſplendent l *in perpetuas æternitates.* Impetra mihi, ô Mater ſanctiſsima, talem humilitatis gradum, quo eiuſmodi corona dignus efficiar. Amen.

h Luc. 1. 46
i Iob. 31. 26.
k Apo. 12. 1.
l Dani. 12. 3.

PVNCTVM II.

CONSIDERANDA deinde heroica eiuſdem Virginis humilitas erga Deum Dominum noſtrum, & erga homines, ob eius amorem. Expendemus verò eos actus, in quibus hęc humilitas magis apparet.

IV.
Elegit abiecta eſſe

QVARTVS itaq; ordine actus humilitatis eſt, ſicut ait Dauid: a *eligere abiectus eſſe in domo Domini*: & (quod in ſe eſt) b *ſedere in nouiſsimo loco*: quamuis Deus aſsignet illi primum. Id autem fecit Virgo hæc ſanctiſsima,

a Pſal. 83. 11
b Luca. 14. 10.
c Luc. 1. 38

cùm intellexit, Deum velle, ipſam in altiſsimo ſuæ domûs loco, poſt filium ſuum, collocare, Matrem eius eam faciens. nã, vt verè humilis, nouiſsimum ſibi elegit locum, qualis ſolet eſſe ancillarum in domo: ſeipſa enim *Domini ancillam* appellauit. Et ob eam cauſam S. Lucas attendens eius deſiderium, recenſuit illam vltimo loco, poſt Apoſtolos & reliquas mulieres; inter quas etiam illa erat, quæ fuerat in ciuitate peccatrix: Et ob eãdem cauſam, cũ venit in bethlehẽ, libuit illi tanquã maximè humili pro ſua mãſione, viliſsimũ totius diuerſorij locũ, ſtabulũ videlicet, eligere.

3. p. Medi. 10. *Actuum. 1. 14 cum mulieribus & Maria Matre Ieſu.* *S. Bernar. in id: Signum magnũ apparuit. & c.*

V. Subijcere ſe legibus

QVINTVS actus humilitatis eſt: *ſubijcere* ſe omnibus *legibus*, & obedire ordinationibus Dei, & miniſtrorũ eius, etiam in rebus honori proprio & exiſtimationi contrarijs; non admiſsis priuilegijs aut exemptionibus, etiãſi ſufficientẽ ad eas quærẽdas causã habeat; nec legibus aliquo præcepto ſubijciatur. Delectatur enim humilis potiùs obedire ſicut cęteri, vt ſe præcęteris humiliet, etiã cum ipſa humiliatio poſſet excuſari, ſicut ipſe Chriſtus Dominus ſe humiliauit, & legi d *Circumciſionis* ſubiecit; e *factus eſt obediens vſque ad mortem crucis.*

d *Luc. 2. 21.* e *Ephef. 2. 8*

HOC ipſum exactiſsimè impleuit Virgo Sanctiſsima, obediens legi Purificationis, quę illam non obligabat; & quamuis ei obedire, eſſet cum aliquo ſui honoris detrimento: (nam lex lata fuerat pro immundis mulieribus, f *quę ſuſcepto ſemine concepiſſent*: quod etſi in ipſa locum nõ habuit,) voluit tamen cæteris mulieribus, quæ maſculos peperiſſent conformari atque ſi vna ex illis eſſet.

f *Leuitici. 12. 2.*

VI. Subijcere ſe hominibus etiam minoribus.

SEXTVS actus humilitatis eſt, *ſubijcere ſe, & humiliare,* non ſolùm maioribus & æqualibus, ſed etiam inferioribus cedendo omnibus primum locum, præueniẽs eos ciuilitate honoris, eam libenter alijs præripiendo iuxta conſilium Apoſtoli dicentis: g *in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes,* h *honore inuicem præuenientes.*

g *Phili. 2. 3.* h *Rom. 12. 10.*

HOC præſtitit beatiſsima Virgo cum ſuam cognatam i *Eliſabeth* viſitauit, & prima *ſalutauit*, ita ſe humilians, vt (S. Ambroſio teſte) maior in dignitate, multo ſe inferiori ſubijceret, eique inſeruiret. Idem autem obſeruabat cum omnibus, tanquam vera magiſtra humilitatis, k *vt ſe omni humanæ creaturæ ſubijceret, propter Deum.*

i *Luc. 1. 40.* *In Lucam. & ibi Beda.* k *1. Petri. 2. 13.*

VII. Inſeruire alijs.

SEPTIMVS actus humilitatis eſt *inſeruire* alijs in officijs abiectis, & humilibus, idque lubenti animo præſtare, ac ſi natus eſſet, non vt ipſi ab alio miniſtraretur; ſed vt alijs ipſe miniſtraret: ſicut dixit Chriſtus Dominus: l *Filius hominis non venit miniſtrari ſed miniſtrare: & dare animam ſuam, redẽptionem pro multis.* Quod ipſe perfectè præſtitit, exercens artem fabrilem, & victum ſuo labore comparans, pro alijs laborando, & illis inſeruiendo: qui ſuis etiam diſcipulis inſeruiuit, vſque ad pedum lotionem: vt nobis exemplum, quod ſequeremur, relinqueret. ad quod etiam nos exhortatur

l *Mat. 20. 18* l *Marci. 10. 45.* m *Galat. 5. 13.*

Digitized by Google

Apoſtolus, dicens. m *per charitatem Spiritus ſeruite inuicem.*

Hoc idem beatiſsima Virgo exactiſsimè expleuit: nam, vt pauper vxor pauperis fabri, humilibus domûs ſuæ officijs occupabatur, iuuans & ipſa labore manuum ſuarum, ordinarium victum comparare; & gerens ſe in hoc tanquam ancilla, cuius eſt munus, alijs domeſticis miniſtrare: quæ B. Virgo maiori, quàm Abigail, animi demiſsione, dixerit proculdubio, n *ecce famula tua ſit in ancillam, vt lauet pedes ſeruorum,* & ancillarum *Domini mei.* n 1. *Reg.* 25. 41.

VIII. Recuſare officia & dignitates.

Hvic humilitatis gradui alter tanquam comes coniungitur, *recuſare* videlicet, quantum in ſe eſt *officia & dignitates* honorificas, & ea munia, quæ apud homines magni fiunt; quia aut ineptum, ad ea gerenda, aut eis indignum ſe exiſtimat; aut ſugiendi honoris cauſa, quem ſecũ adferunt; aut ſuæ humili conditioni ſe accommodandi, & in ea vitam ſuam quietè ducendi.

Hoc præſtitit beatiſsima Virgo, quæ, teſte S. Thoma, nullum in vita ſua edidit miraculum, nec publicè voluit vnquam prædicare; ſed priuatim tamen interdum Apoſtolos alioſque diſcipulos docebat myſteria fidei; honore publicę prædicationis, Apoſtolis ipſis, alijſque diſcipulis, ſpõte relicto; amplectens illam regulam, quam poſtea Apoſtolus tradidit illis verbis: i *docere mulierem non permitto*. Potiùs credendum eſt eam ſiue in templo, ſiue in alijs congregationibus, & concionibus manſiſſe, & audiuiſſe ſicut vnam ex alijs mulieribus. Magna verò humilitate Chriſti: Sacerdotes venerabatur; de quorum manibus ſacram Synaxim ſuſcipiebat, non ſolùm indignam ſe judicans tali poteſtate, ſed nec deſiderans, ſpeciali priuilegio eam ſibi à Filio communicari. O Virgo glorioſiſsima, bene in te collocatus eſt thronus gloriæ, quem in cœlo occupas, vt quæ tantopere te in terra demiſeris. Rectum omninò eſt, vt primum ibi, poſt filiũ tuum, occupes locum, quæ in terra nouiſsimum ſemper elegiſti. æquum eſt, vt omnes Angelicæ Hierarchiæ tibi ſubijciantur; ſiquidẽ Tu ipſis hominibus tanquam ancilla ſubieciſti. Siquidem ergo adeò perfectè humilitatis conſilia ſeruaſti, adiuua me, vt ad imitationem tui eadem ego ſeruem, õnibus me ſubijciẽdo in terra, vt poſtea Deus exaltet in Cęlo Amẽ.

3 *p.q.* 27. *a.* 5. *ad.* 3.

i. *Tim.* 2. 12.

PVNCTVM III.

Considerranda Tertiò eſt heroica humilitas, quam hæc Virgo Sanctiſsima in ſuis oſtendit humiliationibus, paupertatis, & iniuriarum, quæ ab alijs illi euenerunt: quæ lapis lydius ſunt, in quo perfectio deprehenditur humilitatis, erga Deum, & homines.

IX. Libenter eſſe pauperem.

Et initio facto à faciliori, Nonvs actus humilitatis in ordine eſt, *libẽter* eſſe *pauperem*, & exercere quidquid ad paupertatem pertinet, & humiliationes illas amplecti, quę ab ea proueniũt. Nã, eſto paupertas ſpõtanea non

Digitized by Google

nea non ſit dedecori inter Chriſtianos, at quando non conſtat, paupertatis exercitium, eſſe ſpontaneum, aut ex neceſsitate, contemptum affert inter homines: quare raræ humilitatis eſt, ſe ipſum tanquam pauperem in omnibus gerere; & ita ſinere ſe ab alijs tractari, vt ſolent alij pauperes tractari, idque non violentia aliqua, ſed ſponte. Hanc humilitatem Beatiſsima Virgo magna ſua voluptate exercuit, in omnibus, quæ occurrebant, occaſionibus. Nam in Bethlehem ab omnibus eſt paſſa repulſam, cũ quæreret hoſpitium: ideoque ad commune pauperum in hyeme refugiũ confugit, quod eſt ſtabulum. In die Purificationis non voluit offerre Agnum, ſed a *par turturum, aut duos pullos columbarum*. In Aegypto, & poſt re-

a *Luc.2.24* ditum in Nazareth ſemper complexa eſt paupertatis contemptus. Oblectans ſe in hoc, vt tractaretur ab omnibus, inſtar aliarum pauperum mulierum, qualis ipſa erat.

X. Patienter ferre ignominias cuius ſunt aliquot gradus.

DECIMVS heroicus humilitatis actus eſt, *patienter & in ſilentio* ferre ignominias, quæ contra ſuum honorem & bonam exiſtimationem eueniũt non ſe excuſando, nec ſe defendendo, aut de illata ſibi iniuria conquerendo; ſed tacendo & acceptando ignominiam cum magna animi demiſsione, & voluptate, propter Dei amorem. In quo ſunt aliqui gradus.

1. PRIMVS eſt ferre patienter iniurias, & contemptus, qui eueniunt propter noſtras culpas.

2. SECVNDVS altior eſt, ferre iniurias abſque noſtra culpa, & tacere, etiam cum falſa teſtimonia contra nos dicuntur.

3. TERTIVS & adhuc altior gradus eſt, quando calumniam patimur, occaſione alicuius boni operis, ex quo laudẽ potius & gloriam merebamur.

4. QVARTVS & omnium altiſsimus gradus eſt, hæc omnia ferre non ſolùm ab inimicis, aut nobis ignotis, ſed etiam à proprijs fratribus, cognatis, aut amicis. Talem humilitatem exercuit Chriſtus Dominus noſter, in iniurijs, & contemptibus, quos paſſus eſt in hac vita. Eandem quoque Sanctiſsima eius Mater exercuit, cum ſponſus eius ſanctus Ioſeph; vidẽs

Part.2.Medit.14. eam in vtero habere, & ſuſpicatus illam, eſſe adulteram, voluit illam dimittere; ipſa tamen tacens ita ſuſtinuit, vt nihil pro ſe attulerit, ſicut in ſuo loco perpendimus. Eſtque facilè credendum, non ſolùm ea occaſione, ſed etiam aliàs ſuſtinuiſſe Virginem Sanctiſsimam huiuſmodi iniurias, facta ſæpè particeps falſorum teſtimoniorum, quæ in filium ſuum dicebantur.

ET quando CHRISTI cognati, illum perſequentes, b *voluerunt tenere*,

b *Mar.3.21* & tanquam furioſum ligare, conuerterint ſe fortè contra eius Matrem, quam videbant pro filio eſſe, & pro eo reſpondere: ipſa verò omnia ta-

c *Act.5.41.* cens, ſuſtinebat, melius c *gaudens*, quàm Apoſtoli, *pro nomine Ieſu contumeliam pati.*

VNDE-

VNDECIMVS humilitatis actus, qui ſimul cum præcedente incedit, eſt, cum quadam ſerenitate & pace cordis *reprehenſiones*, reiectiones, inſipidas & aridas reſponſiones *tolerare*: tam internas, quas ſentimus, dum agentes cum Deo, habemus deſolationem, quia aut negat, aut concedere differt quod petimus, quã externas, quas à noſtris ſuperioribus, aut aliis proximis accipimus, quamuis abſq; vlla noſtra culpa; & etiamſi aliquis noſtri contemptus inde ſequatur. XI. Tolerare reprehenſiones.

Nam in huiuſmodi occaſionibus tolerare, abſque excuſationibus, querelis, aut indignatione, eſt actus heroicæ humilitatis, quæ Deo Domino noſtro vehementer eſt grata, & propter eam (teſte S. Bernardo) vehementer illi placuit ſponſa, quam pulcherrimam appellauit, eò quòd grauiter reprehenſa, etiam cum minis, illa tamen tacuit, cum diceret illi ſponſus, *ſi ignoras te, egredere, & abi.* *S. Bernardus ſerm. 45 in Cant.*

HANC humilitatem exercuit frequenter ſacratiſſima Virgo, & in variis occaſionibus, quando filius eius, cùm eſſet annorum duodecim, aſperè reſpondit ipſi, & S. Ioſepho: d *quid eſt quod me quærebatis, neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?* Et in nuptiis, cùm quadam ſeueritate, & indicijs negandi, quod petebat, dixit: e *quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea*; & cùm aliàs eidem Chriſto Domino aliqui diceret, quia f *Mater tua & fratres tui foris ſtant quærentes te*, magna quadam reiectione reſpondit: *quæ eſt mater mea & qui ſunt fratres mei? qui facit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater & ſoror & mater eſt.* In his omnibus occaſionibus, quæ ſpeciem quandam reprehenſionis, & repulſæ habebant, conſeruauit Virgo ſanctiſſima inſignem humilitatem, & ſilentium, ſicut ſuis locis perpendimus. Et in hunc modum ſe habuit in alijs multis occaſionibus, etiam cum alijs perſonis, tolerando eas magna cordis ſui pace & tranquillitate. d *Luc. 2. 49.* e *Ioan. 2. 4. Par. 2. medit. 50.* f *Math. 12. 46. Part. 3. medit. 9.*

DVODECIMVS actus humilitatis eſt non *ſe ſubtrahere*, cùm domeſtici & cognati *contemnuntur*, aut *calumniam patiuntur*; potiùs earum velle eſſe participem, ſtudendo illis intereſſe ſicut Iob, quem (vt ipſe ait) g *non terruit deſpectio propinquorum*, ſiue quod ab eis ipſe, ſiue quòd illi ab aliis deſpicerentur: neutrum enim illum terruit. Beatiſſima tamen Virgo robuſtiori pectore hæc ſuſtinuit; cùm præſens eſſe voluit opprobriis, & calumniis filij ſui, & collocare ſe iuxta crucem, nihil horrens, quòd omnes agnoſcerent, eam eſſe Matrem hominis illius, ſupplicio indigniſſimo affecti, & in medio duorum latronũ crucifixi, vbi etiam hoc nomine multas ſuſtinuit iniurias, quãuis ſitiret pati multò maiores, vt ſuo loco eſt dictũ. XII. Participẽ velle fieri iniuriarũ quæ aliis inferuntur. g *Iob. 31. 34.*

HI ſunt duodecim humilitatis actus, qui in hac Virgine reſplenduerunt, adimplente quod dixit Spiritus S. h *quanto magnus es, humilia te in omnibus; & coram Deo inuenies gratiam*: Et ita reipſa eam inuenit Virgo *Medit. 50. P. 4.* h *Eccl. 3. 2.*

Sanctiſsima, cui poſtea reddita eſt in Cœlo corona duodecim ſplendentium ſtellarum, quæ præmium eſſent duodecim generum humiliationũ, & eueherent ad altiſsimum gloriæ thronum, vbi cum filio ſuo, ampliori dignitate quã Apoſtoli, i *iudicet duodecim Tribus Iſrael*. Gaudeo, Virgo ſanctiſsima, quòd te videam tot coronis iuſtitiæ à Filio tuo coronatam. Aequum omninò erat, vt quæ tot heroicæ humilitatis actibus erat circundata, tot ſplendoris radiis etiam exornaretur: & quæ, vt ſe humiliaret voluit, omnibus hominib. ſe ſubiicere, ſedeat nunc in throno maieſtatis, vt omnes illos iudicet. Et ſiquidem nunc in throno gloriæ ſedes, nõn vt iudicem, ſed vt aduocatam agas, ora filium tuum, me vt miſericordiis coronet in hac vita, vt obtineam in altera, iuſtitiæ coronam, Amen.

i Mat. 24. 28 i Luc. 18. 26

MEDITATIO XXXVIII.

DE DEVOTIONE ERGA B. VIRGINEM, ET bonis quæ cum ea nobis proueniunt, & de rebus, in quibus illa eſt manifeſtanda.

PVNCTVM I.

Rationes ob quas B. V. amare debeamus

CONSIDERANDA inprimis ſunt plurima motiua, quæ habemus ad Virginem hanc ſanctiſsimam, dominam noſtram, omnibus noſtris viribus diligendam, collocantes illam in proximo loco, poſt eius filium: perpẽdentes in ſingulis motiuis & rationibus, quid poſsimus, aut debeamus facere, vt illi ſeruiamus.

I. Quòd S. Trinitas illam amet.

PRIMA ratio & motiuum eſt, eò quòd Sanctiſsima TRINITAS plus *amet* hanc Virginem, & Dominam, quam omnes Angelos & cæteros Sanctos ſimul, ob eminentem eius ſupra omnes illos, ſanctitatem. Quare iuſtũ omninò eſt, vt & ego illam, præ omnibus aliis puris creaturis diligã, conformans hunc meum amorem cum illo Dei; & plus diligens eam, quæ ob ſuam maiorem ſanctitatem plus meretur diligi. Ex quo varios deducam affectus gaudij ſpiritualis, & oblectationis ob ipſius Virginis bona; gaudendo, quòd ipſa ſit adeò chara Deo, & quòd gratiam apud ipſum inuenerit: gaudendo item de eius Sanctitate, ac de cæteris eius virtutibus, gratias Deo agendo, quòd illas ei communicauerit: ipſam verò Virginẽ Sanctiſsimam orando, vt earum partem mihi impetret, quò & ego Deo ſim charus, & gratiam inueniam apud ipſum.

II. Quòd ſit mater Dei.

SECVNDA ratio eſt, eò quòd MATER ſit ipſius DEI & Saluatoris noſtri; qui ob magnum amorem, quo illam proſequitur, vult etiam omnes eam amare, eique ſeruire vt dignitatis eius magnitudo poſtulat; tanquam ſibi exhibitũ reputans, quodcunq; exhibetur Matri, ſi enim, loquens de

pau-

pauperibus, dixit: a *quod feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*: a *Mat.* 25 40.
quantò magis dicet, quod feciſtis in obſequium meæ Matris mihi feciſtis.
Si itaque diligo ſeriò Chriſtum: quia plurimum illi debeo; par certè eſt
amare quoque, non ſolùm æternũ eius Patrem, cum quo eſt vnus idemq́;
Deus; ſed etiam eius Matrem, cum qua eſt vnus idemq́; Spiritus, ob ſin-
gularem in eam amorem.

III. Quod mater noſtra.

TERTIA ratio eſt, quod ſit quoque MATER NOSTRA, nosq́; illa in-
timè diligat, quo vel ſolùm ſatis erat, vt illam diligeremus, amorẽ amori
reddentes, vt, ſiquidem filiorum eſt propriũ, matres ſuas diligere, præci-
puè tales matres, quæ illos tantopere diligunt. Quare vt ille diſcipulus,
quem diligebat Ieſus, ſtatim atq; ab eo audiuit verbũ illud in cruce: b *ec-* b *Io.* 19. 17.
ce Mater tua, accepit illam in ſuam, eamq́; ſingulari amore dilexit. Debeo &
ego eam accipere in meam, eam diligere, eiq́; ſeruire ſingulari cura ac di-
ligentia, ſummæ felicitati meæ tribuẽdo, quòd poſsim illã habere matrẽ.

IV. Quod præſtet nobis varia officia.

QVARTA ratio eſt, propter *bona officia*, quæ mei causâ continuè *facit* in
cœlo: ob quæ meritò obſtringor eam amare, tanquam ſupremã poſt Deũ
benefactricem meam. Nam PRIMVM orat continuè pro nobis, meliùs
quàm c *Ieremias orabat pro populo, & vniuerſa ſancta ciuitate*: quia eſt aduo-
cata noſtra, & mediatrix apud filium. DEINDE, vehementer eſt *ſolicita* de 1
noſtro bono, quare non ſolùm petitiones audit deuotorum ſuorũ, ſed an- c *Machab.*
tequam illi aliquid petant, ipſa proponit Deo illorum neceſsitates; ſicut 15. 14.
fecit in nuptiis in Cana Galilææ, cum ex mera compaſsione dixerit Filio: 2.
d *vinum non habent*: & ea ratione, illorum neceſsitati ſubuenit, vt ſuo loco d *Ioan.* 2. 3.
notauimus, & vt S. Auguſtinus ait: *ſicut omnibus Sanctis eſt potior, ita pro nobis* P. 3. *Med.* 9.
omnibus Sanctis eſt ſolicitior. TERTIO eſt valdè *potens* ad impetrandum no- *Serm.* 4. *de*
bis celeriter remedium in noſtris malis, ſicut dicit S. *Anſelmus*, interdũ nos *Natiuit.*
citius exaudiri inuocato nomine Virginis, quàm inuocato nomine filij 3.
eius, non quòd Filius non ſit incomparabiliter potentior, & magis mi- *Libr. de Ex-*
ſericors, quam Mater; ſed quòd is ſimul ſit Iudex noſter: interdum au- *cellen.*
tem iuſtitia coercet miſericordiam, vt remedium, propter noſtra pecca- *Virg. c.* 6.
ta, differatur. Virgo autem Sanctiſsima, cùm non ſit iudex, ſed aduocata, *Par.* 2. *Me-*
recipit ſe ad ſolam miſericordiam; & precibus placat Diuinam iuſtitiam; *dit.* 3.
efficitque, vt citiùs nobis ſuccurratur. HINC colligitur, quod idem San-
ctus ait, deuotionem cordis ad Virginem Sanctiſsimam, ſignum eſſe præ-
deſtinationis. Quia magna ſolicitudine ſatagit pro ſuis deuotis (quod in
ſecunda parte notauimus) vt omnia media prædeſtinationis illũ, finẽ ſuũ
aſſequantur, donec eos ad gloriam ſecum deducat. Item ſuppeditat re-
medium omnibus noſtris periculis & neceſsitatibus, tanta *certitudine &* *Serm. de Aſ-*
generalitate, vt S. Bernardus auſus fuerit dicere; *ille ſolus, ô Virgo beata tuas* *ſumpt.*
laudes ſileat, qui te fideliter inuocatam ſenſerit vnquam in ſuis neceſsitatib. ſibi de-

fuiſſe. atque ſi diceret; omnes tuam miſericordiam meritò laudare debent, quia quicunque ad te recurrit, remedium refert ſuis neceſsitatibus.

His omnib. rationibus benè expẽſis, conari debeo, accendere in anima mea ignẽ deuotionis erga Virginẽ Sanctiſsimã ſupplex orans ipſius filiũ, vt amorem hunc erga eius matrem mihi communicet; & ipſam Matrem, vt eundem mihi impetret. O Mater amantiſsima, cuius habitatio ſpecialis non eſt in domo Eſau; qui odio habetur; ſed in c *domo Iacob*, qui eſt dilectus, *radices mittens in electis* Dei ad Cælum, ex toto corde deſidero, te amare, tibiq; tanquam Matri ſeruire, & virtutes tuas, ſicut filius imitari. Recipe me in iſta domo Iacob, in qua inhabitas, & mitte radices in cor meum, vt mei voti compos fiam, occupando me ſolicitè in tuo ſeruitio.

c *Ecc. 24. 13.*

PVNCTVM II.

Deuotio Eccleſiæ erga B. V.

DEINDE conſideranda deuotio, quam Spiritus S. inſpirauit vniuerſali Eccleſiæ, erga beatiſsimã Virginem, Dominam noſtram, quæ aliqua ſingularia proponit, in quibus eam oſtendit, quæ meritò expendam, ad exſequendũ quidquid mihi licebit, vt ſic reſpondeam inſpirationi, & Spiritûs Sancti deſiderio.

I. Ex ratione adorationis.

PRIMVM, eam deuotionem oſtendit; quia illam adorat & veneratur adoratione quadã minori, quã quæ Deo tribuitur; ſed maiori, quàm quæ cæteris omnibus Sanctis; quæ per excellentiam appellatur, HYPERDVLIA, cuius cauſa tribuit illi epitheta quædã, quæ aliàs ſunt propria ſolius Dei, idq; facit propter inſignẽ excellẽtiã qua talia in ipſa inueniuntur. Vnde illa appellatur: *Mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra*: item illam appellat *cæli portam*: petitq; ab ea, quod aliàs concedere eſt proprium Dei, quale eſt illud: *ſolue vincla reis, profer lumen cæcis, mala noſtra pelle; & Ieſum fructum ventris tui nobis oſtende*. Quod totum præſtat ipſa Virgo Sanctiſsima, impetrando illud ſuis orationibus à Deo Domino noſtro. hoc itaque affectu Virginem hanc ſanctiſsimam honorabo, vtens verbis Eccleſiæ, eo Spiritu & teneritate, quo illa eiſdem vtitur.

In Antiphona Salue Regina & in hymno. Aue maris ſtella.

II. Ex multitudine & magnificentia tẽplorum.

DEINDE eandem deuotionem oſtendit in eo, quòd eadem diuina inſpiratione, multa vbique *templa*, eaq; ſumptuoſiſsima in honorem Virginis *dedicat*, & pijſsimas eius imagines adhibet: exhortans fideles ad templa, & imagines huiuſmodi piè viſitandas; confirmante ipſo Deo Domino noſtro id totum, innumeris miraculis, eius intuitu editis. Et in eundẽ finẽ inſtituit *Congregationes*, & ſacras *Religiones*, eiuſdẽ ſeruitio & pietati dedicatas: quæ illas ſub ſuo patrocinio ſuſcipit, exhibẽs eis fauores extraordinarios, tam in cõmuni, quàm in particulari iis, qui ſpecialiter eius ſeruitio ſeſe mancipant: idq; facit ipſa ſine acceptione perſonarũ: nam quicunque illi ſeruit, inuenit gratiam in eius oculis; & ego inueniam, modò ſerio me offeram ad eius ſeruitium.

Tertio oſtendit eandem deuotionē frequenti *memoria & recurſu* ad eam in omni tempore, ſtatuens in eum finem plura eius *feſta* per annum, & ferè ſingulis menſibus vnum & in aliquibus etiam duo, aut tria: & ſingulis ſeptimanis, dedicat diem Sabbathi in honorem ipſius; proprio ei officio & Miſſa conſtitutis: & ſingulis diebus diſponit officium proprium eiuſdem Virginis, conceſsis indulgentiis iis, qui illud legerint: & officio ipſi maiori Eccleſiæ præmittit ſalutationē Angelicam, & imponit finem aliqua Antiphona eiuſdē Virginis; & æris campani ſono, monet nos quotidie, pro varietate regionū, alicubi circa veſperū, alicubi ter in die, mane, meridie, & veſperi, vt ſalutatione Angelica illam ſalutemus: ac denique approbat vſum Rosarii, & ad illum exhortatur: ad eius honorem conſtituēs pſalteriū quoddam, centum & quinquaginta ſalutationū Angelicarum, quæ reſpondent numero centum & quinquaginta pſalmorum Dauidis, cū quindecim Dominicis precationibus, quæ inſeruntur ſingulæ ſingulis decadib. ſalutationū: inſtar illius qui aliquātulū ſubſiſtit in quindecim gradib. huius diuini templi, & correſpondent quindecim pſalmis Cantici graduū, vt, hac veluti muſica, reddatur gloria ei, quæ ſemper aſcēdit per omnes virtutū gradus. Et pro iis, qui non poſſunt tantū quotidie orare, approbat etiā Coronam ſexaginta triū ſalutationū Angelicarū, in memoriam totidē annorū, quos ipſa vixit in mundo: cōceditq; multas indulgentias legentib. talia roſaria; vt ſic nos piè prouocet, ad hoc exercitium; confirmante quoq; ipſo Deo Domino noſtro hanc piam deuotionē inſignibus miraculis, ob amorem, quo matrem ſuam ipſe proſequitur, & quē vult, vt nos omnes erga eandem habeamus. O Dulciſsime Ieſu, ſiquidē adeò deſideras, vt Sanctiſsimam tuam matrē veneremur, inſpira mihi efficaciter hanc deuotionem, meq; adiuua ad exercenda feruenter ea opera, quæ ſponſa tua Eccleſia in eum finem ſtatuit, & exercet.

III. Et multitudine & celebritate feſtorum.

Oratio.

VARII MODI ORANDI ROSARIVM B. V. CVM Spiritu & deuotione, coniuncta eidem mentis oratione.

Inter deuotiones erga Virginem Sanctiſsimam, celeberrima eſt, quam inſinuauimus de Rosario. Et quoniam vocalis oratio plurimùm perficitur, ſi mentalis ei coniungatur: deuoti ipſius virginis varios inuenerunt modos, vtramque coniungendi, quando illud recitant, quorum tres vtiliores hic ſubiungam, vt eligat quiſque eum, quo ſentit, ſuam orationem magis iuuari: aut nunc vnum, nunc alium adhibendo, vt hac Sancta mutatione, tædium remoueatur.

Roſarii deuotio celeberrima.

Ante lectionem eius quid faciẽdum. Quomodo recitandũ.

Prīvsqvam Roſarium inchoetur, faciendum eſt, quod §.5. *Introduct.* huius operis diximus; eleuando videlicet cor ad Deũ Dominum noſtrum, qui præſens eſt, & exhibendo profundiſsimam reuerentiam, orabo ſupplex, vt me gratia ſua adiuuet, ad hoc roſarium ita orandum, vt illi hæc oratio placeat; offeramque omnia verba, cogitationes, affectus, & deſideria, quæ habuero: omnia illa dirigendo ad ipſius & Sanctiſsimæ eius Matris gloriam & honorem, & in gratiarum actionem pro collatis in me beneficiis, & in ſatisfactionem pro meis peccatis, & negligentiis in eius obſequio admiſsis, & ad impetrandas virtutes quæ mihi deſunt, & reliqua, quibus indigeo, vt illi perfectè ſeruiam. Quod ſi Rosarivm ob alias cõmunes Eccleſiæ neceſsitates, aut priuati alicuius, ſiue viuentis, ſiue vita functi, offeratur; debet hic talis oblatio fieri. Advertendvm eſt tamen, quòd ex quatuor finibus, ad quos poſſum dirigere meam orationẽ, *gloriam* ſcilicet & laudem *Dei*, quia talis eſt, *actionem gratiarum*, propter ipſius beneficia; *ſatisfactionem* pro meis peccatis, & *impetrationem donorum* & virtutum: ſi Rosarivm offeram pro alio, etiamſi tranſeram in illum ſatisfactionem, quæ mihi aliàs conueniebat, poſſe tamen me idem roſarium, abſq; illius iniuria, offerre pro meipſo, quoad tres alios fines.

Hac oblatione orationis præmiſſa, dicã decies *Aue Maria* & ſemel *Pater noſter*, & quidem paulatim, & cum debita attentione; ita vt non ſim cõtentus ad verba tantùm in cortice attẽdere, ne in illis proferendis errem; ſed etiam ad illorum ſenſum, & perſonam, ad quam diriguntur, qui eſt Dominus Deus noſter, aut Virgo Sanctiſsima, quæ etſi in Cælo ſit, videt me tamen, audit & intelligit orationem meam; liceatq; cum illa ita loqui, atque ſi in terra & propè me exiſteret. Abſoluta hac decade, breuem aliquam meditationem ſubiungam, aliquo ex ſubſcriptis modis.

PRIMVS MODVS ORANDI ROSARIVM ADHIBITA Meditatione ad ipſa verba Aue Maria.

Primvs itaque modus Rosarivm ſiue Coronam orãdi, eſt iuxta modum illum orandi per verba, quem poſuimus. §. 9. *Introd.* huius operis, diſtributa ſcilicet ſalutatione ipſa Angelica, in *ſex* aut *ſeptem* præcipua verba, & ad ſingulas decades accipiendo vnum ex illis, pro argumento meditationis, vt factum fuit in *ſecunda parte.* Exempli cauſa, poſt *primam* decadẽ accipiatur hoc verbum: Ave Maria, & tunc perpendantur excellẽtiæ, & proprietates, quæ in dulciſsimo illo nomine Maria continentur. Percurſa *ſecunda* decade, accipiatur pro materia meditationis: Gratia Plena, & perpendatur immenſitas gratiarũ, & virtutũ, quibus Virgo hæc Sanctiſſima eſt plena. In *tertia* decade, erit materia meditationis tertiũ illud ver-

1. Decas: *Medit 4. 1. part.*
2. Decas, *Medit. 6.*
3. Decas. 4. 5.

bum

bũ DOMINVS TECVM. In *quarta* verbũ illud BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS. In *quinta*: BENEDICTVS FRVCTVS VENTRIS TVI IESVS, vbi ſunt perpẽdendæ excellentiæ dulciſsimi nominis IESV, & benedictiones Cæleſtes, quæ per eũ nobis cõmunicantur. In *ſexta* decade meditationis argumentũ erunt illa verba: SANCTA MARIA MATER DEI, vbi ſunt perpendendæ excellentiæ, quæ latent in electione Virginis Sanctiſſimæ ad altiſsimã hanc Matris Dei dignitatem, & priuilegia, quæ propterea ſunt illi conceſſa. DENIQVE adiungi poteſt pro materia vltimæ decadis verbũ vltimũ ORA PRO NOBIS NVNC & IN HORA MORTIS NOSTRAE, & perpendenda eſt vis, & efficacitas orationis ipſius virginis, & neceſsitas, qua ego, vt illa pro me oret, præcipuè in hora mortis meæ, cogitans, quo affectu hoc verbum dicam, cùm in ea hora conſtitutus ero, & eundem nunc, illud proferendo, in me excitare ſtudebo. *Medit. 21. 6 Decas Medit. 3. 7. Decas. in parte. 3. Medit. 9.*

CVM hac breui meditatione coniungendi ſunt varij affectus, alij ad Deum Dominum noſtrum, alij ad Virginem Sanctiſsimam, admirando illius excellentias, ac virtutes: gaudendo quòd illis ſit ornata: Deum verò glorificando & laudando, quòd illam ſic ornauerit; & excitando in me deſideria illas imitandi, ac ſemper illi de omnib. congratulando illo verbo: AVE, quod ad alia ſingula verba eſt repetẽdũ, dicẽdo magno affectu: *Aue*, Maria Sãctiſsima, *Aue*, quæ es plena gratia, plena charitate, plena humilitate; *Aue*, quæ habes Dominum tecum, *Aue*, quæ es Mater Dei, & ipſum vt filium habes &c. VLTIMO concludam, petẽdo virtutes, quas in ipſa Virgine ſanctiſsima eſſe conſideraui; aut alia Dona, quæ mihi deeſſe animaduerto, dirigendo eas petitiones, nunc ad Chriſtum Dominum noſtrum, ob merita Matris, nunc ad ipſam Matrẽ Sanctiſsimã, vt ea mihi à ſuo filio impetret; ac deniq; ad reliquas perſonas Sanctiſsimæ Trinitatis, adhibitis titulis & colloquijs quorũ fecimus mẽtionẽ in §. 1. Introd. huius operis. **Varij affectus.**

EADEM ratione licebit interdum vti PRECATIONE DOMINICA, pro materia meditationis, in ſingulis decadibus, proponendo ſingulas eius petitiones, de quibus actum eſt in 3. p. Medit 14. Et interdum etiam licebit pro eadem materia meditationis accipere decem verſus cantici MAGNIFICAT, accipiendo vnum vel duos verſus in ſingulis decadibus, cum varijs affectibus, qui poſiti ſunt Medit. 12. partis ſecundæ. **Modus recitandi orationem Dominicã.**

SECVNDVS MODVS RECITANDI ROSArium adhibita meditatione. 15. Myſteriorum.

SECVNDVS modus orandi Roſarium, iſque vſu receptiſsimus eſt, accipiendo, pro materia meditationis, quindecim præcipua myſteria Chriſti Domini noſtri, & ſanctiſsimæ eius Matris, in ſingulis decadibus ſingula pro argumento meditationis ſubijciendo: quæ in tres ordines diſtribuentur.

I. Gaudia B. Virg.

Primvs ordo eſt myſteriorum, quæ, quod Beatiſsimæ Virgini ſingulare gaudium attulerint Gavdiosa appellantur, & ſunt: Annvnciatio Angeli; Visitatio, qua Virgo ſanctiſsima viſitauit Sanctam Eliſabeth; Nativitas ipſius Chriſti Domini; eiuſdē in templū Praesentatio & eiuſdem Inventio in templo inter doctores: de quibus omnibus myſteriis poſitæ ſunt meditationes in 2.p. huius operis. Et quoniam ſingula myſteria plura puncta complectuntur; volenti eandem partem ſemper meditari, faſtidium aliquod generetur: ad rem erit accipere vna die vnum punctum, & altera alterum, & ſic deinceps donec omnia puncta, quæ ibi ſunt aſsignata, percurrantur.

II. Dolores.

Secvndvs ordo eſt myſteriorum, quæ quòd ipſi Chriſto Domino & beatiſsimæ eius Matri, ſiue præſens fuerit cum illa gererentur, ſiue illa tā-tùm audiuerit, inſignem dolorem attulerunt. Dolorosa nuncupantur: Hæc ſunt Oratio Chriſti In Horto, cum eius triſtitia & ſudore ſanguineo; Flagellatio, ad columnam; Coronatio ſpinarum; Baivlatio crucis; & ipſa Crvcifixio. De quibus ſunt poſitæ meditationes in 4. parte.

III. Myſteria glorioſa.

Tertivs ordo eſt myſteriorum, quæ, quòd complectantur gloriam Chriſti Domini poſt Paſsionem, & beatiſsimæ eius Matris, Gloriosa dicuntur: ſunt autem hæc, ipſius Chriſti Domini Resvrrectio; Aſcensio & Seſsio ad dextram Patris; Aduentus Spiritvs Sancti, Assvmptio ipſius Virginis; & glorioſa eius in Cælis Coronatio. De quibus poſitæ ſunt meditationes in hac 5. parte.

Tria præſtanda & quæ?

His præmiſsis, in ſingulis decadibus tria ſunt præſtanda. Primvm eſt, reuocare in memoriam myſterium, aut eius aliquam partem, meditando & perpendendo breuiter excellentias ipſius Chriſti Domini & Sāctiſsimæ eius Matris; & quid ibi faciant, aut patiantur; & gaudium, dolorem, aut gloriam, quam in eo habent; heroicas item virtutes, quas exercent; & grandia illa bona, quæ inde ad omnes homines deriuantur, & nominatim ad meipſum. Conſiderando etiam particulares cauſas, quas ego habeo, gaudendi, dolendi, aut exultandi ob ea, quæ in his myſteriis proponuntur. Et in huiuſmodi meditatione licebit plùs aut minùs hærere, iuxta deuotionem, quam ſenſero, aut tempus, quod ad immorandum mihi ſuppetet: ſtudendo ſemper ad ſecundam partem tranſire, quæ potior eſt in meditatione.

I. Myſterium in memoriam reuocare.

II. Voluntas excitanda.

Deinde ergo, excitanda voluntas eſt ad exercendos affectus gaudij, doloris, aut exultationis; ad quos myſterium, quod meditamur, nos prouocat; colloquia inſtituendo beneuola, iam cum Chriſto Domino, iam cum eius Matre, aut cum Trinitate Sanctiſsima.

Si myſterium eſt Gavdiosvm, exempli cauſa Incarnatio-

tis hos affectus licebit cum mora, & interno ſenſu exercere. Gratias tibi Pater æterne, quòd volueris filium tuum fieri pro nobis hominē: Gaudeo de infinita tua bonitate, charitate, & miſericordia, quam in hoc opere nobis manifeſtaſti; Vtinam vniuerſus mundus te propterea laudaret, tibiq; daret gloriā! O verbū Diuinū, gratias tibi, quòd Virginē Sanctiſsimam in matrem tuam elegeris, & in eius vtero infans fieri! O Virgo Sanctiſsima, gaudeo, quod ſis electa in matrem ipſius Dei; ac de ingenti illo gaudio, quo fuiſti affecta, cùm talia noua ex ore Archangeli glorioſi audiuiſti; gaudeo etiam de illa prudentia, caſtitate, humilitate, & perfectiſſima reſignatione, quam in ea legatione ſuſcipienda manifeſti! O ſi partē aliquam tuorum gaudiorum obtinere poſſem, tuasque virtutes imitari! impetra mihi benigniſsima Mater, quod deſidero, vt cum illud obtinuero, feruenter tibi ſeruiam. Amen. Oratio

Qvod Si myſterium ex ijs fuerit, quæ dolorem attulerunt, exercendi tunc erunt affectus doloris, proportionaliter ad ea, quæ diximus; nam ad myſterium horti licebit dicere: Gratias tibi, Pater æterne, quòd volueris in eas triſtitias & anxietates vnigenitum tuū venire, in remediū mearum culparū! O Saluator mi, doleo quòd te adeò triſtem videam, & afflictum, ſanguinemq; pro meis peccatis ſudantem; vt eo me ab eis purgares! O peccata mea, quæ ipſummet Deum meū adeò affligitis! O vtinam nunquā peccaſſem; vtinam tantis tormentis cauſam nunquam dediſſem: Doleo, Deus meus, vehementer, quod te offenderim; & optarem dolorē hūc meum ſimilem eſſe tuo; & copioſas lacrymas pro meis culpis fundere, pro quibus tu fudiſti ſanguinem. O Virgo ſanctiſsima, quàm fuit grauis tuus dolor, quando cognouiſti illum quo Filius tuus in hoc horto fuit affectus! O quem ſenſum de noſtris culpis habuiſti; cum cogitares de eo, quē tuus Filius, propter eaſdem habuit. Ora ergo illum, vt eorum dolorum me faciat participem, ſiquidem iuſtum eſt, vt is cuius eſt culpa, luat eius pœnam.

In hunc modum fieri poſſunt colloquia, & formari affectus in reliquis myſterijs, addendo tamen eis hoc tertium, quod eſt proponere Chriſto Domino noſtro, Matriq; eius ſanctiſsimæ, neceſsitates & miſerias, quibus premor; ac petere earum remedium: adferendo pro cauſa & titulo exauditionis, gaudium ſiue dolorem, quo in eo myſterio fuerunt affecti; & firma ac efficacia propoſita concipiendo, imitandi aliquem ex virtutib. ſanctiſsimæ ipſius Virginis, vt mox dicemus. III. Colloquia.

Qvod Si aliquis ob temporis anguſtias, aut alias ob cauſas, non poterit hærere meditando circa illud myſterium; ſufficiet, poſt ſingulas decades, myſteriorum ſingulorum meminiſſe, & breue colloquium, ac petitionem ad ipſam Virginem inſtituere, dicendo; gaudeo Virgo ſuprema, de illo gaudio, quo fuiſti in hoc myſterio affecta: cuius intuitu oro ſup-

plex, vt peccatorum meorum veniam mihi impetres, & gratiam imitandi tuas virtutes. Idemque factitandum eſt, proportione ſeruata, in doloris & gloriæ myſteriis. Sic: doleo Virgo ſuprema de hoc dolore, quem fuiſti perpeſſa; aut exulto, de gloria illa & lætitia, qua in hoc myſterio fuiſti affecta, cuius intuitu oro ſupplex &c.

PERACTA hac breui oratione mentis, circa vnum myſterium, vt dictum eſt, pergendum eſt in vocali, orando aliam decadē. Quod ſi ad præcedentem motionem, aut ſenſum, cor meum traheretur, licebit id [illegible] permittere: nam huiuſmodi affectus non aduerſantur intentioni, quod in vocali oratione requiritur, potius eam mirum in modum perficiunt.

Examen poſt Roſarium recitatum.

ABSOLVTA autem totius roſarij recitatione breuiter examinandum eſt, qua ratione eam peregerim; & dolendum de diſtractione, & [illegible], & reliquis defectibus, qui accidiſſent: agendæ verò gratiæ Deo pro [illegible] libet pio ſenſu, quem mihi communicauerit: ac denique ſtatuendum, maiori feruore ac deuotione illud ſequenti die recitare.

Myſteria ſ.

Hoc denique adiungimus: quamuis myſteria roſarij, ad quindecim reducamus; licere tamen interdum loco eorum, quæ ſunt indicata, accipere alia ſimilia, quæ aliquam affinitatem aut connexionē cum prædictis habent. Nam myſteriis, quæ ſunt gaudij, licebit interdum adiungere CONCEPTIONEM ipſius Virginis, eius NATIVITATEM, & PRAESENTATIONEM in templo, CIRCVMCISIONEM etiam infantis Ieſu; ADORATIONEM Magorum; FVGAM in Aegyptum; & inde REDITVM.

Iis verò, quæ dolorem adferre ſunt notata, adiungi quoque poſſunt: COMPREHENSIO ipſius Chriſti, ALAPA, qua fuit percuſſus in domo Annæ; DOLORES, quos illa nocte paſsionis in domo Caiphæ ſuſtinuit; CONTEMPTVS apud Herodē; & quod à tota plebe fuerit [illegible] POSTPOSITVS. Interdum quoq; pro argumento meditationis in recitando ROSARIO accipi poſſunt ſeptem verba, quæ Chriſtus Dominus dixit in cruce, ſingula verba ad ſingulas decades adhibendo: & perpendendo Virginis ſenſa, quæ, dū illa audiret, habuerit vt apparet in *quarta part. Medit.* [illegible]

TERTIVS MODVS ORANDI ROSARIVM cum Meditatione virtutum B. Virginis.

PRAECIPVVM, in quo deuotionem noſtram erga Virginem ſanctiſsimam oſtendere debemus, eſt Imitatio [illegible] eius virtutum, ad quam imitationem, multum [illegible] virtutes ipſas accipere pro argumento meditationis [illegible] tandum roſarium, *ſingulis decadibus* virtutem [illegible] buendo, vni videlicet *Humilitatem*, alteri *Puritatem*, tertiæ [illegible]

M Tatem eam, ut *charitatem*, & ſic de reliquis: oculis interim & attentione in tria coniectis. PRIMVM in heroicos actus, quos ipſa Virgo circa eam virtutem exercuit; eo modo, quem de eius humilitate, *Medit.*37. retulimus: admirando eius ſanctitatem, & gaudendo de illa; Deum glorificando, quod eandem illi dederit; ac denique exultando, ob redditum, ei, pro tali virtute præmium. DEINDE coniiciam oculos in eius virtutis defectum quem in me deprehendo; & in culpas ac defectus eidem cōtrarios, in quos incido, magnum pudorem & humiliationem, ex eis concipiens, ac dolens; oransque Virginem ſanctiſsimam, vt præteritorū veniam, & in futurum emendationis gratiam mihi impetret. DENIQVE quàm potero ſerio, aliqua propoſita concipiam, ſanctiſsimam Virginem imitandi, in illis virtutum actibus, aliqua interim ſingulari virtute ad id deſignata, cuius actus exerceam, magna ſpe, quòd auxilio & interceſsione piiſſimæ huius Matris eos poſsim exequi.

AD hanc formam meditationis, conferet noſſe ſpeciales huius Virginis virtutes, quæ in præcedentibus meditationibus ſunt inſinuatæ; & in meditationibus, de eius præſentatione, & purificatione, vbi poſuimus ſex virtutes inſtar ſex foliorum alborum Lilij, cum ſex aureis virgulis, affectuum internorum, qui in ea reſplenduerunt, quos affectus licet meditari, cum eius Corona recitatur. 1.P. Medit. 6.29.

MEDITATIO XXXIX.

DE VITIS SANCTORVM ET FELICI eorum morte, ac præmio.

QVONIAM in deſcurſu quinta huius partis, & tertia aliquot meditationes ſunt poſita, qua poſſunt eſſe vſui in feſtis Apoſtolorum, Martyrum, Doctorum, Virginum, & aliorum ſanctorum, vnam hic omnibus communem ſubijciam, qua facilè poterit ſingulis in particulari adaptari, vt de ſingulis eadem meditemur, qua dicemus de omnibus.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDA PRIMO eſt immenſa Dei liberalitas, erga ſuos electos, quibus innumera dona gratiaſq; communicat, vt ſanctos eos faciat: quorum indicem tenuit Apoſtolus dicens: a *quos praſciuit & pradeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, quos autem pradeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit illos & glorificauit.* Electio Sanctorū. a Rom.8.29

Primùm Deus Dominus noſter ſola ſua bonitate, & ob Ieſu Chriſti filij eius merita, eos prædeſtinauit, & b *elegit in ipſo, ante mūdi conſtitutionē & vt eſſent Sācti & immaculati in cōſpectu eius, in charitate* condignās, vt eſſent *vaſa* I. Prædeſtinati. b Epheſ.1.4.

II. Vocati ad fidem.

miſericordiæ, in quibus oſtenderet, ac deponeret *diuitias* gratiæ ac *gloriæ ſuæ*. Vt excellſam hãc electionem exequeretur, Deus ſuo tempore illos creauit, innumeris alijs in abyſſo nihili relictis; & poſtmodum ad fidem & religionẽ Chriſtianã efficaciter vocauit, faciens illos Eccleſiæ ſuæ membra per Baptiſmum; permittens alios innumeros perire in diluuio infidelitatis, ſicut factum fuit d *in diebus Noe, cum fabricaretur Arca in qua pauci, id eſt, octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam.* Et, ſi quando illi poſtea peccauerunt, vocauit iterũ efficaciter, vt agerẽt pænitentiã, permittens alios in culpa ſua perire.

d 1. Petri. 3. 20.

III. Conſeruati à peccatis.

DENIQVE, præſeruauit eos à grauibus peccatis, eripuit ex magnis periculis, adfuit illis in grauiſsimis tentationibus, præueniens eos multis inſpirationibus, & benedictionibus dulcedinis; vt heroicas virtutes exercerent: exaltauit eos multis donis & gratijs, vt magni eſſent in eius præſentia. PRAETEREA ſpecialem erga illos habuit prouidentiam, vt vocaret ad eum vitæ ſtatum, & munus ipſis aptiſsimum, vt eſſent Sancti ſiue in ſtatu Sacerdotali, ſiue religioſo, ſiue in dignitate aliqua; ſufficientia dans cuilibet auxilia, vt ſuis obligationibus poſſet plenè ſatisfacere. ET tandem etiam de genere mortis eorum ſtatuit, vt illis eſſet ſecurus tranſitus ad gloriam, eſt enim (teſte Propheta) *pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius:* in qua finitur felicis eorum electionis decurſus, vt ſint conformes Chriſto Domino noſtro in gloria, ſicut fuerunt in vita.

IV. Vocati ad ſtatum cõgruentem.

V. Pſal. 115. 15. Bene mortui.

OMNES hæ conſiderationes, variorum affectuum motiua eſſe debent; quorumdam erga Chriſtum Dominum noſtrum, vt illum laudẽ, ob collata in Sãctos beneficiã; aliorum erga ipſos Sanctos, vt gaudeam de bonis à Deo ipſis communicatis; aliorum in ordine ad meipſum, vt agnoſcam beneficia, quæ mihi etiam contulit; gratiasq́; agens, pro voluntate & deſiderio, quo tenetur, faciendi me ſanctum & mundũ in oculis ſuis: & ſupplex eum orabo, vt mihi adſit, ne meis partibus ego deſim. O Sancte Sanctorum, qui populo tuo dixiſti: f *Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum*; Da mihi quod iubes, vt obtineam quod mihi concedere deſideras: & ſiquidem ſanctitas eſt tua, præueni me copioſa tua gratia, vt perueniam ad altiſsimos ſanctitatis gradus. Amen.

Oratio. f Leuit. 11. 44. 1. Petri. 1. 16.

De his quinque beneficijs hîc commemoratis fuſior erit ſermo in 6. part. quæ proximè ſequetur.

PVNCTVM II.

Sancti quã bene vocationi ſuæ reſponderint.

DEINDE conſiderandum, quàm bene Sancti reſponderint ſuæ vocationi; & quàm ſollicitè his acceptis beneficijs in vitæ ſuæ decurſu vſi fuerint: & perpendam eminentiores virtutes, quas illi exercuerunt, vt ad tantam ſanctitatem peruenirent. Poſſunt autem illæ ad tres ordines breuiter referri, qui deducuntur ex illa Chriſti Domini noſtri ſententia a *ſi quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, &*

a Matt. 16. 24. 3 part. Medit. 7.

ſequatur me. Primvm ergo excelluerunt Sancti In Abnegatione & Mortificatione ſui ipſorum, concipientes ſanctum quoddam odium ſui, carnis ſuæ, & amoris proprij. Qui magni fuerũt peccatores, magnas quoq; fecerunt pœnitentias; flentes magnâ contritione ſua peccata; eademque adeò humiliter confitentes, vt aliqui ea reliquerint ſcripta in chartis & libris, ad perpetuam ſuam humiliationẽ. Qui verò in graues culpas lapſi non ſunt, quò ſe ab illis præſeruarent, affligebant quoque carnem ſuam magnis aſperitatibus, vt illam ſpiritui ſubiectam tenerent; grauiter caſtigando quamcunq; leuem culpam, atq; ſi magna eſſet; hac ratione oſtendentes, ſtare ſe à partibus Christi, b *carnem ſuã crucifigentes cum vitijs & concupiſcentijs, & feruore* c *ſpiritus facta carnis mortificantes.* Et vt Chriſtus Dominus noſter quatuor vulnera accepit in pedibus & manibus, ex quibus quidem fuit mortuus, ſed quintum accepit in latere, vt mortẽ ſuam confirmaret; ita Sancti crucifixerunt inordinatas ſenſuum voluptates effrænes appetitionum concupiſcentias, & obliquas propriæ voluntatis volitiones & ſtultas ſuæ imaginationis & proprij iudicij cogitationes. Quibus quatuor mortificationibus, peccato ſunt mortui: Sed his non contenti, deſiderantes ſecuriorem reddere felicem ſuã mortem, vlteriùs progreſsi, etiam naturalem amorem ad res multas licitas mortificarunt, vt remotiores eſſent ab illicitis. Renunciarunt.n. parentibus, amicis, fortunis, honori, & deliciis, qua licitè retinere poterant; abſtinuerunt à multis actionibus, quas ſine culpa efficere potuiſſent: quò, mundo & amori proprio mortui, perfectiùs Chriſto viuerent, quia generoſâ d *violentia*, quam ſibiipſis intulerunt *rapuerunt regnum Cœlorum.* O Sancti generoſi, qui continua veſtra mortificatione e *expoliaſtis vos veterem hominem cum actibus ſuis, vt nouum indueretis* cum operibus ſuis, orate ducem veſtrum, Ieſum Dominum noſtrum, vt gratiâ ſuâ me adiuuet ad vincendam naturam meam, aſpirantem, & conantem intrare per anguſtam portã mortificationis carnis meæ, vt perfectam adipiſcar ſpiritûs mei renouationem.

I. Mortificatio Sanctorum.

b Gal. 5. 24.
c Rom. 8. 13.

S. Greg. 5. Moral. ca. 3.

d Mat. 11. 12.

e Coloſ. 3. 9.

Deinde excelluerunt Sancti in tollenda quotidie cruce Chriſti Domini noſtri magna animi *fortitudine, patientia, & perſeuerantia.* Fortitvdinem oſtenderũt in multis pugnis, quas habuerunt interius & exterius, à Dæmone, & eius miniſtris, ab inimicis & amicis ſub ſpecie pietatis; quæ eò tendebant, vt illis auferrent Fidem, aut caſtitatẽ, aut humilitatem, aut paupertatem Euangelicam, aut vocationem ad religionem: in quib. omnib. viriliter ipſi pugnarũt, multa tolerãtes; vt victoriæ cõpotes euaderẽt.

II. Fortitudo.

Patientiam inuictam oſtenderunt, in occurrentibus laboribus, & calamitatibus, in morbis, doloribus, paupertate, infamia, falſis teſtimoniis, & multis ſimilibus afflictionibus, quas etſi vt homines ſentirent, diuina tamen gratia adiuti, eò peruenerunt vt in eiſdem gauderent & glo-

Par. 3. Med. 24. Patientia.

riarentur, quod Chriſti Domini noſtri crucem, & pretioſam eius mortificationē in ſuo corpore portarent. Omnes paſsi ſunt aliquod genus martyrij in corpore aut in ſpiritu, pro tuenda aliqua virtute: qui in tali aliqua cruce morientes, in gloriam ingreſsi ſunt. Omnes f *tanquam lapides viui* dedolati fuerunt tribulationum ictibus, & ita fuerunt in Cæleſti ædificio collocati. Omnes g *tanquam aurum in fornace* tribulationum *probati fuerunt*, & tanquam aurum in conflatorio approbati, h *patientia enim opus ſuum perfectum habuit* in illis: *quia perfectos eos & integros fecit in nullo deficientes*, quod pertineret ad fidelitatem Deo debitam. Gratias vobis fortiſſimi milites, ob ſeruatam fidelitatem in veſtris tribulationibus, pro honore Dei veſtri. Gaudeo de inuicta veſtra patientia, qua obtinuiſtis coronam. Adiuuate me veſtris orationibus, vt exempla veſtra ſequens, partem habeam in veſtris victoriis. Amen.

f 1. Petr. 2. 5
g Sap. 3. 6
h Iacob. 1. 4.

III. Imitatio Chriſti.

TERTIO excelluerunt Sancti in ſequendo Chriſtum Dominum noſtrū ita perfectè vt i *vita Ieſu manifeſtaretur in eorum carne mortali*: conſpicuè à planta pedis vſq; ad verticem capitis k *induti eſſent Dominum Ieſum Chriſtum*. Et propter perfectam eam imitationem potuerunt vocari *alter Chriſtus*, in humilitate, caſtitate, & cæteris virtutibus, vt alibi eſt dictum. Hanc imitationem Sancti obtinuerunt oratione & obedientia: quia feruidiſsimi in orando fuerunt; accedentes frequenter in rebus ſuis ad Deum libentiſsime confidentes, in prouidentia Diuina. celeres quoque fuerunt in obediendo voluntati Diuinæ, eius præceptis, conſiliis, ac diuinis inſpirationibus ſummum gaudium reputantes, ſi propriam voluntatem abnegarent, vt Diuinam ſequerētur; vnoquoq; excellēte in virtute aliqua particulari, cuius causa applicat illi Eccleſia illud Eccleſiaſtici: l *non eſt inuentus ſimilis illi, qui ita conſeruaret legem Excelſi*. O Deus altiſsime, qui bonitatis tuæ ſublimitatem oſtendis in virtutibus, quas tuis Sanctis dediſti, vt conformes eſſent imaginis Filij tui, oſtende & mecum illam, faciens me ſimilem illis, vt imiter, quem illi ſunt imitati; & *vita Ieſu manifeſtetur* in me, ſicut fuit manifeſtata in illis. Amen.

i 2. Cor. 4. 11.
k Rom. 13. 14.
Intro. 2. par.
l Ecc. 44. 20
Oratio.

Ex his conſiderationibus deducam varios affectus pudoris, perplexus, quàm parum ego faciā, & quam male reſpondeā vocationi meæ, & beneficiis à Deo acceptis; ſiquidem (vt ait Dominus per Ezechielem, & interpretatur S. Gregorius) aſpicere debemus, m *templa* vitæ Sanctorum, & confundi ab iniquitatibus noſtris, & metiri ac meditari fabricam admirabilem vitarum ipſorum, vt erubeſcamus ex omnibus quæ nos faciunt, & ad illorum exemplar, noſtra reclamemus: ſperantes à Diuina liberalitate, ad id auxilium, ſicut illis dedit, & ſiquidem illi, homines aliqui ac imbecilles, atque ego tantum potuerunt proſiliare in virtute Dei, quandē & ego poterō, ſiquidem n *nō eſt abbreuiata manus Domini* ad me iuuandum.

m Ezech. 43. 10. 24.
Moral. c. 6.
n Iſaia. 59. 1

PVNCTVM III.

Liberalitas Dei in ſanctos.

TERTIÒ conſiderandum, quàm fuerit liberalis Dominus noſter in reddendis præmijs, & honoribus Sanctis ſuis, in hac vita, & in alia, idque varijs modis.

I. Conſolationes ſpirituales ante mortem.

Nam PRIMÒ, *ante mortem* affecit aliquos illorum, raris & inſignibus ſpiritualibus conſolationibus, concedens illis gratiam contemplationis, & raptus atq; reuelationes dulciſsimas, ſpiritum prophetiæ, & donum faciendi miracula, & ſimiles alias gratias gratis datas. Ita vt ipſis honorem demiſsè refugientibus, Deus illos liberaliſsimè honoraret; faciens per eos adeò ſtupenda opera, vt omnibus eſſent venerationi; & heroica eorum virtus ita eſſet admirationi, vt aſpicientes cogeret ad ſui reuerentiam, adimplendo in hoc ipſo Domino, quod alias dixerit: a *qui glorificauerit me glorificabo eum.* ETIAM *ipſam mortem* affecit præmio, concedens aliquibus, vt tanquam Martyres morerentur propter confeſsionem glorioſam fidei ipſius, alijs talem, alijs aliam mortis rationem vt quãuis carni eſſet grauis, ſpiritui tamen eſſet iucunda, offerẽs illis aliquid delibandũ eorũ, quę breui eſſent in gloria recepturi; mittẽs alias Angelos, qui ipſorũ morti intereſsẽt: imò interdũ ipſemet Domino ad illos tũc accedẽte, & implente quod illis promiſerat, cũ dixit b *iterũ veniam ad vos, & accipiã vos ad meipſum vt vbi ſum ego, & vos ſitis.* POST *mortẽ* præterea, in Eccleſia ſua Militante illos honorat; faciẽs eorũ ſanctitatẽ omnib. manifeſtam, & ab omnibus ſuſpici, ac laudari; templa ad ipſorum honorem extrui, pingi imagines, & feſta celebrari; eorum oſſa, cineres, veſtes etiam laceras, quibus in vita vſi fuerunt, honori & venerationi eſſe; ipſas quoque catenas ſeu compedes, quibus fuerant vincti, literas aut earum ſubſcriptiones eorũ manu ſcriptas, magna edere miracula: quæ omnia in ſanctorum ipſorum honorem cedunt: caſtigatis etiam ſeuerè ijs, qui contumelia ſeu dedecore aliquo ipſos aut res eorum affecerint. Et qui omninò fuiſsẽt obliuione ſepulti in mundo, niſi ſanctitate excelluiſſent, vt verbi gratia, S. Franciſcus; nunc ſunt in ore omnium, vt etiam Principes & Monarchæ honori ſibi ducant, & ſe felices reputent, quod illorum nomine appellentur, eorum reliquijs ſe muniant: qua ratione illud implerer, quod ipſe Deus Eccleſiæ ſuæ promiſerat, cùm dixit: c *pro eo quod fuiſti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te tranſiret: ponam te in ſuperbiam ſæculorum.* Adeò, inquit glorioſam te faciam, vt omnis mundi excellentia honorem ſuum reputet, ad pedes tuos ſe proſternere.

a 1. Reg. 2. 30.

II. Mors pretioſa ob martyriũ.

b Ioa. 14. 13.

III. Poſt mortẽ feſta.

c Iſa. 69. 15

IV. In extremo iudicio ſeſſio ad dextram.

QVARTO honorabit illos in *die iudicij*, honore excellentiſsimo, collocans eos ad manum ſuam dextram, in maieſtate magna, in conſpectu totius orbis, ita implens, quod promiſerat illis verbis: d *qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*, & Angelis eius.

d Mat. 10. 32. Marc. 8. 38 Dan. 9. 26.

DENIQVE *in cælo* tantis præmijs & honoribus illos afficiet, vt ſolus

Deus

R. P.

LVDOVICI DE PONTE, E SOCIETATE IESV,

MEDITATIONVM

PARS SEXTA:

QVAE COMPLECTITVR MYSTERIA DIuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac de beneficijs eius in homines, naturalibus & ſupernaturalibus.

INTRODVCTIO.

DE FERVENTIBVS AMORIS ET Gratitudinis affectibus.

MEDITATIONES, quas in præcedentibus huius operis partibus poſuimus, fuerunt præcipuè de Myſterijs, quæ ſpectant ad humanitatem IESV Chriſti Domini noſtri; & opera, quæ in ea, & per eam ipſe geſſit ante & poſt Reſurrectionem; quamuis aliquæ fuerint inſertæ de aliquibus Myſterijs ipſius Diuinitatis proprijs, propter connexionem, quam habent inter ſe, quatenus ab vna eademq; perſona proueniunt, quæ ſimul eſt Deus & homo: quas verò in hac parte ponemus, erunt præcipuè de *Myſterijs*, quæ pertinent ad *Di-* De quibu

acturus hac parte, proponit. 2.2.q.22.a. 3. maximè ad 2. ad q. 180. a 4.

unitatem, & *Trinitatem Dei*; & ad opera, quæ ab eo in bonum hominum procedunt: quibus, propter eandem connexionem, inſerentur etiam quædam de Myſterijs ſpectantibus ad humanitatem. Et quamuis hæc (teſte S. Thoma) ſint magis noſtræ debili naturæ proportionata; illa tamen, quæ ſunt Diuinitatis, ſunt ex ſe magis excellentia, quibus præcipuè paſcuntur Angeli, & ſpiritus Beati; illique viri perfecti, qui corpore in terra degentes, ſpiritu habent ſuam conuerſationem in cœlis; & continua Meditatione, & contemplatione rerum cœleſtium, augent ac perficiunt flagrantem Dei amorem, & perfectam cum eo vnitionem, quæ finis & ſcopus eſt viæ VNITIVAE, vt dictum eſt in quintæ Partis Introductione.

S. Baſilius in Reg. Breui. 157.

Affectio animi erga Deum quæ & qualis.

a Matt. 22. 37.

b Pſal 41. 2.

c Rom. 8. 35.

PRAECLARE hoc explicuit S. Baſilius reſpondens ad quæſtionem quandam ſibi à ſuis Monachis propoſitam, circa *affectionem*, qua eſſet Deo ſeruiendum, & in quo ea affectio conſiſteret: quibus ipſe his verbis reſpondit: *Bonam animi affectionem ego eſſe exiſtimo deſiderium vehemens placendi Deo, idque inſatiabile, ſtabile & immotum. Comparatur autem ex ſolerti & continenti contemplatione magnitudinũ gloriæ Dei, & grata repetitione, & recordatione aßidua datorum nobis beneficiorum à Deo: Ex quibus in anima illud ingeneratur,* a Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota fortitudine tua, & ex tota mente tua, *ſicut faciebat ille, qui dixit:* b Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. *Cum huiuſcemodi igitur animi affectione ſeruiendũ eſt Deo, illudque efficiendum, quod dictum eſt ab Apoſtolo:* c Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an nuditas, an periculum, an gladius? &c. Hæc Baſilius: Quibus verbis breuiter nos docet S. Doctor principalem finem *vitæ Contemplatiuæ*, in ſupremo gradu ſuæ perfectionis; & præcipua media eam obtinendi; & fructum, qui ex illis medijs prouenit. Simul verò & eadem opera declarauit quoque, quanta perfectione exercenda ſint opera vitæ actiuæ, adiuncta ſcilicet illis interna deuotione, & ſpiritus feruore: qui in eo eſt ſitus, vt magnoperè afficiamur ad ea, quæ ſunt Diuini obſequij; deſiderantes in eis placere, non mundo, aut carni, aut nobis ipſis, ſed ſoli Deo: eò quòd ipſe talis ſit, qualis reuerà eſt: cui noſtro deſiderio hæ quatuor *conditiones* ſunt adiungendæ.

Conditiones deſiderijs pijs adiunctæ.

I. Vt vehemens ſit & efficax.

d Pro. 21. 25.

PRIMA eſt, vt non ſit deſiderium tepidum aut remiſſum; quale eſt pigrorum, quod hæret in ſolo deſiderio, cum magno deſiderantis detrimento, iuxta illud, quod Spiritus ſanctus dixit, d *Deſideria occidunt pigrum*; ſed eſſe debet vehemens, forte, & efficax, quale eſt feruentium, quod non quieſcit, niſi ad ipſa opera perueniat, quæ præſtat integrè & exactè.

SECVN-

Secvnda conditio eſt, vt ſit deſiderium inſatiabile: ne videlicet facilè ſit contentus paucis aliquibus, quæ præſtat, aut perfert, etiamſi faciat aut perferat, quantum poteſt; ſed vt ad multò plura extendat ſe illud deſiderium: nec ſolum tædio aut faſtidio bonorum operum non afficiatur; ſed etiam tanta fame illa appetat, vt numquam ſatietur, &, ſicut *ignis*, e *numquam dicat, ſufficit.* II. Inſatiabile. e *Pro.* 30. 16.

Tertia conditio eſt, vt ſit ſtabile, ne videlicet ab hoc in illud faciiè moueatur, ſicut piger, de quo ait Spiritus ſanctus, f *vult & non vult piger.* Leuiter enim varia virtutis exercitia vult experiri, hæc relinquens ex tædio, & alia atque alia aggrediens, abſque firmitate & ſtabilitate in bono, quod ſemel cœpit; cùm tamen illa ſtabilitas valde ſit neceſſaria ad culmen perfectionis peruenire cupienti. III. Stabile. f *Prou.* 13. 4.

Qvarta, vt ita ſit conſtans, & perſeuerans vſque ad mortem; vt non ſolùm non dimittatur, ſed nec laxetur, aut intepeſcat, ob tentationes aut perſecutiones occurrentes; & inuicto pectore, magnoq; e animi robore, his omnibus ſe opponat, ſicut g *ceruus* valde ſitiens, *deſiderans ad fontes aquarum*; magna vi fruticeta & crepidines perrumpit, donec ad aliquem fontem perueniat, vbi ſitim ſuam extinguat. Has omnes proprietates habuit deſiderium, quo Christvs Dominus tenebatur exequendi voluntatem Patris, circa noſtram reparationem; vt ex ijs, quæ in tertia & quarta parte ſunt dicta, conſtat. Quæ ſola conſideratio ſufficeret ad ſimilem in nobis affectum excitandum, cùm par ſit diſcipulum imitari ſuum Magiſtrum; & ſit æquiſſimum, eodem affectu me in eius obſequium impendere, quo ipſe ſe impendit in meum commodum. IV. Vt nonniſi morte laxetur. g *Pſal.* 41. 2.

Sed relicta nunc hac conſideratione, de qua multa ſunt dicta, idem Sanctus Baſilius *alias duas* hîc ponit, quæ ad noſtrum inſtitutum multum valent, quibus ſenſim obtinetur hic affectus, cum conditionibus prædictis. Aliæ duæ conſiderationes.

Prima eſt, conſideratio magnalium Dei, & excellentiarum ac perfectionum eius, propter quas dignus eſt, qui ametur, laudetur, & ei ſeruiatur, ac obediatur infinito quodam affectu, ſi id eſſet poſſibile: ſed quia id non eſt: omnes tamen & ſingulæ earum mouent, & obſtringunt nos, ad procurandum affectum, quem habere poſſimus vehementiſſimum, inſatiabilem, conſtantem, & perſeuerantem. ſiquidem, vt ait Eccleſiaſticus: h *etiamſi glorificetis Dominum, quantumcunque potueritis, ſuperualebit adhuc.* I. De perfectionibus & excellentijs Dei. h *Eccl.* 43. 32.

Secvnda eſt, contemplatio innumerabilium beneficiorum, quæ de ipſius manu accipimus; ab ipſo donata amore quodam vehementi, inſatiabili; & ita conſtanti, vt numquam bene nobis faciendo defatigetur, II. De Dei in nos beneficijs.

nec dona ſua communicando ſatietur, nec porrò ceſſabit, quod in ſe eſt, illa nobis communicare per totam æternitatem ſuam. Qua ratione obſtringit nos lege gratitudinis, vt deſideremus infinitis eius beneficijs reddere infinita obſequia, ſi ea nobis eſſent poſſibilia; ſiquidem, quidquid nos poſſumus, parum facit ad plurima, quæ nos ipſi debemus.

Effectus conſiderationum harum.

Ex his colligit S. hic Doctor, quòd his conſiderationibus generetur ſenſim in anima perfectio illius amoris, quo Deus vult diligi, cùm dicit: i *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, & ex omnibus viribus tuis.* Omnes itaque facultates noſtræ internæ & externæ, ſenſus omnes & membra corporis noſtri, modo, quo ſingula poſſunt, occupentur in diligendo Deum, & iuuent operationem amoris inſatiabili vehementia, & perſeuerantia. Nam *memoria & intellectus* ſolùm diligunt, cùm recordantur & cogitant, ac perpendunt ea, quæ ad amorem prouocant; *imaginandi & appetendi facultates* etiam tunc diligunt, cùm producunt imaginationes & affectus, qui excitant & acuunt amorem: *Senſus* diligunt, quando oculi, aures, lingua, & guſtatus oblectantur, videndo, audiendo, & loquendo de rebus, quæ ad ipſum amorem diriguntur; & *omnia membra corporis* diligunt, quando ſubſeruiunt ad exequenda opera amoris Dei: Ac denique omnes *noſtra vires* amare cenſentur, cùm omnes occupantur in Deo diligendo, qua poſſunt intenſione; & in ſuperandis difficultatibus, quæ obſiſtunt; & in reſiſtendo tentationibus, quæ à diligendo illas auertunt: quò ita k *charitas* in anima *radicetur & fundetur*, vt l *creatura nulla poſſit eam ab illa ſeparare*, nec m *aqua multa tribulationum eam extinguere, aut flumina eius flammas obruere*: imò potiùs illæ huiuſmodi aduerſitatibus ita creſcant, & perficiantur; vt nos permoueant ad imitandas heroicas & exemplares Diuinitatis virtutes, (quarum fiet mentio infrà Meditatione ſexta) eo modo, quo CHRISTVS Dominus, quà homo, eas eſt imitatus: qui optimo iure dicere nobis poteſt: *Imitatores mei eſtote, ſicut ego* Patris mei. Hæc omnia complectitur via VNITIVA, & finis harum Meditationum: Nam etſi amor & affectus adeò excellens, vt prædictum eſt, ſit donum gratuitum Spiritus S. qui placidè & abſque multis ratiocinationibus, n *introducit* ſuos electos *in cellam vinariam*, eoſque inebriat feruentiſſimo amoris ſui vino, magnaſque delicias illis impertitur, in cognitione, quæ habetur ipſa experientia immenſæ charitatis ipſius; ex noſtra nihilominus parte, eius auxilio adiuti, eidem cellæ appropinquamus, volantes duabus his alis duplicium harum Meditationum, circa perfectiones ipſius Dei, & eiuſdem in nos beneficia. Quæ Meditationes ita viciſſim inſeruntur, ob connexionem, quã inter ſe habent; eò quòd in hac vita non poſſimus peruenire ad cognitioné Magnaliũ ipſius Dei, niſi

i *Deut.* 6. 5. i *Matt.* 22. 37. i *Luc* 10. 27. *S. Thom.* 2. 2 *q.* 44. *a.* 4. & 5.

Ad Deum diligẽdum excitamur.

k. *Eph.* 3. 17. l *Rom* 8. 39. m *Cant.* 8. 7.

n *Cant.* 2. 4.

Magnalia Dei per

per

Digitized by Google

per eius opera,beneficia,& dona,quæ ab eo promanant:& quoniã in huiuſmodi donis, ſimul reſplendent multa Dei attributa; ideo etiam in meditatione alterius horum inſerenda ſunt aliqua, quæ pertinent ad alterum. opera eius &c.cognoſcuntur.

MODVS ET RATIO BENEFICIA DIVINA meditandi affectibus gratitudinis.

SVPEREST nunc declarare, qua ratione diuina beneficia ſint meditanda:circa quæ *quinque* præcipuè ſunt conſideranda, vt infinitatem eorum cognoſcentes,gratos nos exhibeamus,vt par eſt. Quinq; cõſiderationes circa diuina beneficia.

PRIMVM eſt,infinita benefactoris,*Dei* videlicet,*magnitudo*:ad quam cognoſcendam, diſcurrendum eſt per ipſius Dei excellentias & perfectiones,ſicut in ſubiectis Meditationibus proponentur. Ex quo efficitur, vt quodcunque donum, quantumuis paruum eſſe videatur, magni tamẽ ſit faciendum,eò quòd qui largitur,ſit infinitè magnus:& ita dicebat Dauid: a *Exaltabo te,Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in ſeculum, & in ſeculum ſeculi: per ſingulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſeculum:quia magnus eſt Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.* I. Infinita Dei magnitudo. a *Pſa.*144 1 a *Ecc.*43.31

SECVNDVM eſt,*infinitas amoris*, quo beneficium confert infinita magnitudo,cuius cauſa ipſum beneficium eſt magnifaciendum:nam cùm ex amore dat donum, ſeipſum quoque ſimul cum dono dat, & ingreditur rem ipſam amatam; & quidquid det,etiamſi reipſa ſit paruum,ita dat tamen, vt cupiat alia multò maiora dare, ſicut per os Nathan Prophetæ, Dauidi ſignificauit: b *Si parua ſunt iſta* beneficia,quæ in te contuli,*adijciã tibi multò maiora:* quia nec potentia illi deeſt, nec voluntas, vt apparebit inferiùs. II Infinitas amoris ratione beneficij. b2.*Reg.*12.8

TERTIVM eſt, ipſius *beneficij magnitudo*, quæ modo quodam eſt etiam infinita,aut in numero,aut in excellentia. Nam quædam ſunt beneficia, quæ complectuntur innumera bona, quale eſt beneficium creationis & conſeruationis mundi,eiuſque prouidentiæ:alia continent in ſe infinitam excellentiam; qualia ſunt beneficium Incarnationis, Redemptionis,Sanctiſsimæ Euchariſtiæ,& glorificationis: & pro omnibus ſunt Deo agendæ gratiæ,ſicut Iſaias dicebat: c *Laudem dicã Domino ſuper omnibus,quæ reddidit nobis Dominus,& ſuper multitudinem bonorum Domui Iſrael, quæ largitus eſt eis ſecundùm indulgentiam ſuam.* Et Sanctus Bernardus dicebat, nulla Dei dona præteriri à nobis debere abſque gratitudine & laude, non grandia, non mediocria, non puſilla: Quia puſilla, ſunt infinita numero; & quamuis aliquorum comparatione III. Magnitudo beneficij. c. *Iſaiæ* 63. *Serm.* 51. *In Cant.*

ſint parua; alijs tamen nominibus eadem ſunt maxima.

IV. Infinita vtilitas accipientis.

QVARTVM eſt, *infinita vtilitas* eius, cui hęc beneficia conferuntur: homo videlicet, miſer & ingratus; & verè indignus, cuius Deus aut memor ſit, aut cui aliquod conferat beneficium. Vnde dicit Dauid, d *quid eſt homo, quòd memor es eius: aut filius hominis, quia reputas eum? homo vanitati ſimilis factus eſt: dies eius ſicut vmbra prætereunt.* Ex quo etiam deducã, quòd ſi meam vilitatem cum Dei magnitudine conferam; indignus ſim, qui eius laudes in viliſsimo ore meo accipiam; dicens cum S. Auguſtino, quis ego ſum, Deus meus, vt laudem te? ſum puluis & cinis, canis mortuus & fœtidus, vermis & putredo; quomodo ergo tenebræ laudabunt lucem, mors vitam, vermis infinitum ſuum creatorem!

d *Pſal.* 8.5. d & *Pſal.* 143 3.

In Soliloq. cap. 10.

V. Infinita in conferẽdo Dei liberalitas.

QVINTVM eſt, *infinita Dei liberalitas* in beneficio conferendo, quod ſcilicet ex gratia ſua & gratis donet, nullo commodo expectato ab homine, cui illud confert; & ipſo non ſolùm non promerente, ſed etiam immerito. idque infinitè, ob innumerabilia eius peccata & ingratitudines. Adeò, vt cùm tantus ſit Dei inimicus, non tamen defatigetur Deus noua quotidie illi beneficia conferre. Hæc quinq; docuit nos Chriſtus Dominus ponderare, reuocans nobis in memoriam beneficium Incarnationis ſuæ, cùm dixit: e *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* quæ ſententia, (vt alibi dictum eſt) *quinque verba* continet; & in ſingulis perpendendum eſt aliquid ex his, quæ hîc diximus. Nam, qui beneficium contulit, eſt *Deus* infinitus; *modus* fuit diligendo; qui accepit, eſt *mundus,* & quidem abominationibus plenus; beneficium fuit ipſius *filius vnigenitus,* æquè infinitus, ac ipſe, quem gratis & nullis noſtris meritis dedit: nam ideo dicit, vt filium ſuum vnigenitum daret.

e *Ioan* 3.16. 2. *Part. Med,* 2.

PERPENDENTES itaque quinque hæc puncta in ſingulis beneficijs diuinis, debemus meritò debita gratitudine Deo reſpondere; ad quam (teſte S. Thoma) inclinat primum ipſa *virtus gratitudinis,* eò quòd Deus ſit primus ac ſupremus benefactor: erga quem præcipuè exercendi actus proprij gratitudinis: qui ſunt, agnoſcere & magnifacere beneficium ipſum, propter allatas rationes; propterea illum laudare, promulgando eius liberalitatem, vt omnes eum laudent ac glorificent; ac demum obſequia aliqua illi offerre, non intuitu alicuius alterius commodi, ſed omninò gratis, quamuis nulla noua ab eo beneficia expectaremus: quia, quæ priùs accepimus, ſufficiunt. Quò autem noſtra gratitudo ſit plena, debet eſſe iuxta conſilium Apoſtoli vniuerſalis; vt f *in omnibus gratiæ agantur,* nullo prætermiſſo beneficio; nec ſolùm pro ijs, quæ ego accipio, ſed etiam *pro omnibus hominibus.*

2 2. *q.* 106. *a.* 6 & *q.* 107. *a.* 1. Actus proprij gratitudinis.

f 1. *Tim* 2.1.

Tria genera creaturarum.

ADVERTENDVM eſt autem, *tria* eſſe in mundo *creaturarum genera*: quædam enim & poſſunt, & volunt gratias Deo agere pro acceptis ab eo

benefi-

Digitized by Google

beneficijs, reddentes pro hoc ſuo debito, quidquid reddere poſſunt; huiuſmodi ſunt *Angeli* & *Beati*, qui in cœlo iam ſunt, imò & *animæ*, quæ in purgatorio detinentur; & *iuſti*, qui adhuc verſantur in terris: *alia* ſunt *creaturæ*, quæ poſſent, ſed nolunt gratias agere, ſiue id fiat ex ignorantia, vt faciunt *Idololatræ*, qui DEVM non agnoſcunt, & cæteri *infideles*; aut ex malitia, vt improbi Chriſtiani, in quorum numerum venire etiam poſſunt tum *Dæmones*, tum iam *damnati homines*, quibus Deus contulit aliquando magna beneficia: *aliæ* ſunt *creaturæ*, quæ nec velle, nec reddere poſſunt: quia non ſunt præditæ intellectu ad cognoſcenda beneficia, aut gratias pro ijs agendas: huiuſmodi ſunt *cœli*, *elementa*, *plantæ* & *animantes*. Pro omnibus itaque beneficijs, quæ in omnes has creaturas, conferuntur, gratias Deo reddere debemus, coniungentes nos ijs, qui ſunt in primo genere; vt cum eis gratias agamus, ſupplentes ignorantiam & malitiam ſecundi generis; & impotentiam tertij: inuitantes tamen illas ad laudes Dei: quia hac ratione meipſum magis excito ad ipſum benedicendum, & glorificandum; & exacuo meum deſiderium, vt omnes, qui poſſunt ac debent, ipſum laudent. Quare in omni loco & tempore (vt ait Apoſtolus) Deum laudabo illo verbo, quo ipſe frequenter vtitur, præcipuè ad Corinthios, g *gratias Deo ſuper inenarrabili dono eius*. Eodem verbo frequenter vtitur Eccleſia in fine Sacri Miſſæ, & Horarum Canonicarum, vt nos ad eius vſum magis afficiat. Nam, vt S. Auguſtinus ait: *quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo ſcribamus, quàm Deo gratias? hoc nec dici breuiùs, nec audiri lætius, nec intelligi grandiùs, nec agi fructuoſiùs poteſt*.

Inuitatio creaturarũ ad benedicendũ Deũ.
g 2 *Cor*. 9. 15.
g *Eph* 5. 4. 20.
g 2. *Theſ*. 1. 3.
Epiſt. 77. *ad medium*.

HIS manet explicata illa *diligentia*, quam ex parte noſtra in his meditationibus adhibere poſſumus, ad earum finem aſſequendum; ita cooperantes diuinæ gratiæ, cui potiſsimùm tota ſpes noſtra innititur; & diffidentes noſtris diligentijs, quin potiùs cùm omnes adhibuerimus, dicamus, quod Chriſtus iuſsit; h *ſerui inutiles ſumus, quod debebamus facere, fecimus*; nec digni ſumus tam dulci & excelſo præmio, atque eſt donum contemplationis; ſatiſque nobis eſt, quòd ad gloriam Dei illud obtinere cupiuerimus, qui etiam deſiderat illud concedere; & concedet vel in hac vita, ſi ita nobis expediet; aut certè in futura, vbi clarè Deum ipſum contemplabimur, ac omnibus charitatis viribus in æternum diligemus.

Amen.

Scopus meditationum noſtrarum.
h *Luc*. 17. 10.

** **
*

MEDI-

MEDITATIO I.

DE ESSE DEI.

a Heb. 11. 6. S. Thom 1 p. q 2. a 3.

FVNDAMENTVM *omnium veritatum Catholicæ noſtræ fidei, vt ait Apoſtolus, eſt:* a credere quia Deus eſt; *credere inquam, magnaq́ue firmitate intelligere, quòd intra ſpectabilem hunc mundum ſit Spiritus quidam ſupremus & inſpectabilis, qui ſit principiũ & finis rerũ omnium, quas omnipotentia ſua creauit, ſapientia gubernat, & ad ſeipſum tãquam ad finem vltimum dirigit: & hunc ſpiritum vocamus Deum. Ad hanc veritatem benè capiendam, dedit nobis ipſemet Deus, præter lumen fidei, alios quoque Magiſtros & prædicatores, qui nos eam doceant, & in memoriam, ad noſtram vtilitatem, reuocent: ſicut in ſubiectis punctis conſtabit.*

PVNCTVM I.

Omnes creaturæ Deũ eſſe prædicant.

PRIMVM itaque perpendam, omnes *creaturas* huius *mundi*, eſſe tanquam *prædicatores* huius *veritatis*: nam cœli cum ſuis planetis & ſtellis, aer cum ſuis auibus, aqua cum ſuis piſcibus, & terra cum animantibus, plantis, & reliquis mixtis, omnia clamant & fatentur, quòd ſeipſa non fecerint; nec ordo, qui in illis eſt, caſu aliquo, aut diſpoſitione ſua ita ſit conſtitutus; ſed quòd Deus illa fecerit; ac, ſicut nunc ſunt, diſpoſuerit: quòd ſi linguam haberent, omnia illa elata voce clamarent, ac dicerent illud Pſalmi: a *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos*. Et ſicut videntes elegantiſsimam aliquam imaginem, aut palatium aptiſsimè fabricatum, ſtatim intelligimus, peritiſsimum aliquem pictorem aut Architectum illa feciſſe & in finem aliquem extruxiſſe; ſtatimq́ue oritur in nobis deſiderium illum cognoſcendi; & alios interrogamus, vt illum nobis indicent: ita videntes pulchritudinem creaturarum, & earum ordinem, poſſumus ſtatim (vt ait diuina ſcriptura) intelligere, quòd ſit Deus, qui illas fecerit; & in tanto ordine & conſonantia gubernet, in finem aliquem valdè glorioſum: ideoq́ue meritò excitabitur in nobis appetitus & deſiderium illum cognoſcẽdi; & intelligendi, quis ſit: vt eum amemus, &, vt par eſt, ei ſeruiamus: & hoc ſpiritu aſpicere debeo creaturas omnes & earum voces ac monita audire. Aliquando itaque animæ oculos eleuans ad creaturas cœleſtes, & ordinem ac motus, quos ſeruant *Sol, Luna, Planetæ, ac cætera ſydera*; intelligam (vt ait Dauid,) quòd ipſi b *cœli enarrent gloriam Dei, & opera manuum eius annunciet firmamentum: dies diei eructet verbum, & nox nocti indicet ſciẽtiam*, & infinitam ſapientiam Dei, gaudeboq́ue, quòd ſit vnus Deus, qui hæc omnia conſeruat & gubernat. Aliquando faciam, quod ſuadet Iob,

a Pſal 99 3. Similitudo.

b Pſal. 18. 1. Conſideratio creaturarũ Deum demõſtrat.

dicens,

Digitized by Google

dicens: c *Interroga iumenta, & docebunt te; & volatilia cœli, & indicabunt tibi; loquere terra, & reſpondebit tibi, & narrabunt piſces maris*: interrogabo inquam, quis eam pulchritudinem eis communicauerit, fœcunditatem, & cognitionem, quam habent temporum; & eorum, quæ ipſis vtilia aut noxia ſunt; & ſtatim cogitabo, mihi reſponderi: hoc quod habemus, non eſt noſtrum; ſed eſt ſolus Deus, qui nobis illud dedit. d *Quis* enim *ignorat, quòd omnia hac manus Domini fecerit*. Quo reſponſo, exultabo intra meipſum, orans eundem ipſum DEVM, vt meas aures aperiat, ad audiẽdas voces harum creaturarum, quibus exciter ad ipſum cognoſcendum, & ex toto corde diligendum; ipſas verò creaturas prouocabo ad laudes magni huius DEI, qui eſt in medio illarum, dicens Canticum illud trium puerorum: e *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula*, &c. f O Ciuitas, & *habitatio Sion, exulta & lauda, quia magnus in medio tui Sanctus Iſrael*. O Anima mea, aſcende per contemplationem ſupra hanc *Sion*, & ſpeculam mundi; & circumſpiciens omnes creaturas, lauda, benedic, & glorifica ingenti gaudio & lætitiæ iubilo DEVM immenſum, qui eſt in medio earum. O DEVS immenſe, gratias ago tibi, quàm poſſum maximas, qui g *non ſine teſtimonio te ipſum reliquiſti, in omnibus creaturis benefaciens: de cœlo dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo* corpora noſtra, *& lætitia corda noſtra*. Aperi, Domine, oculos animæ meę, vt non contenti aſpectu rerum temporalium quas percipiunt *ſenſus*; aſcẽdant ad contemplanda æterna, quæ non videntur, & te DEVM inuiſibilẽ, qui es ſuper omnia, cui ſit gloria in æternum, Amen.

c *Iob* 12. 7.
d *Iob* 12. 9.
e *Dan*. 3. 17.
f *Iſa*. 12. 6.
g *Act*. 14. 16
Oratio ad Deum cognoſcendũ

In hoc *gratitudinis affectu* hærendum mihi eſt, vt infinitas gratias DEO Domino noſtro agam, ob *notitiam*, quam dedit nobis huius *veritatis*; & ob *teſtium multitudinem*, quos adhibuit, qui pro ea teſtimonium ferrent.

PVNCTVM II.

DEINDE conſiderandum, quòd etiam intra nos ipſos ſint multa, quę prædicent, & fidem faciant, *quòd ſit Deus*: quare, ſi conſideratione ingrediar intra ipſum mundum abbreuiatum, hominem videlicet, & nominatim meipſum; ex cognitione eorum, quæ ibi inueniam; peruenire licebit in hanc cognitionem, *quòd ſit Deus*. Ac fortè propterea dixit Dauid: a *mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*, atque ſi diceret, admiranda eſt, DEVS meus, ſcientia & cognitio, quam de te habere poſſum, ex his, quę in me deprehendo.

Homo in & ex ſe Deũ cognoſcit.
a *Pſal*. 138. 6

NAM primò, intra me ipſum impreſſum habeo *lumen naturæ*, iuxta illud Dauidis: b *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine, dediſti lætitiam in corde meo*. Eſt itaque illud *lumen*, ſplendor quidam procedens ex vultu

I. Ex lumine naturæ.
b *Pſal*. 4. 7

ipſo *Dei*; nobiſque manifeſtans, quod eſt bonum, & ipſum qui eſt ſummum bonum, à quo omne bonum procedit: cui lumini coniunctum quoque eſt pondus quoddam, & propenſio naturalis, quę nos vrget ad id, quod eſt conforme rationi; & regulæ omnis bonitatis, qui eſt ipſe Deus: trahitque ad eundem amandum, colendum, & ei obediendum: & quando noſtra peccata non ſuffocant illam ſcintillam, aut non extinguunt ſplendores huius luminis, frequenter experimur in nobis, quaſi fulgura quædam, quæ tum hanc veritatem nobis manifeſtant, tum implent corda noſtra lætitia.

II. Ex varietate potentiarum & ſenſuum. DEINDE, intra meipſum animaduerto tantam *pulchritudinem*, & varietatem *potentiarum, & ſenſuum* externorum & internorum; tantamque multitudinem *oſſium, venarum*, *arteriarum*, & innumerabilium aliarum *partium*, adeò ſtupendo ordine inter ſe connexarum, vt eædem ipſæ clament ac dicant, ſe non caſu factas, nec ſeipſas effeciſſe; ſed eſſe DEVM ſupremum artificem, à quo omnes proceſſerint, & admirando illo ordine diſpoſitæ: vt meritò Dauid dixerit: c *Omnia oſſa mea dicent; Domine, quis ſimilis tibi?* O Deus infinite, oſſa mea, & arteriæ meæ, venæ, oculi mei, & aures, & omnes telæ, ac particulæ omnium membrorum meorum, ſenſuſque omnes, hoc teſtantur, hoc dicunt, quòd tu ſis *Deus*, & non ſit alius ſimilis tibi; qui eſſe, quod habent; dare illis poſſet, niſi tu dares. O ſi omnes illæ in linguas conuerterentur, vt hanc veritatem toti mundo manifeſtarent: te verò laudarent, glorificarent, ac propter eam benedicerent.

c *Pſal.* 34. 10

Oratio.

III. Ex Spiritu. PRAE omnibus tamen, *ſpiritus* nobiliſsimus, qui intra corpus noſtrum latet, clamat, quòd ſit ſpiritus alius ſupremus intra hunc mundum, quamuis non illi aſtrictus: ſi enim meipſum conſideratione ingrediar, aduertam *animæ* meæ nobilitatem ex ſtupendis operibus & actionibus, quæ à tribus eius facultatibus procedunt, *memoria* ſcilicet, *intellectu* & *voluntate*, liberoque eius *arbitrio*, quæ ipſæ facultates non ſunt ipſi corpori alligatæ; ſed exeuntes deambulant per ambitum totius terræ, maris & aeris, penetrantque ipſos cœlos; & aſſequuntur ſecreta naturæ, quæ ſenſus ipſi non percipiunt. Ex quo procedunt innumeræ artes, & ſcientiæ, & modi admirandi, artificia, diſpoſitiones, & directiones prudentiæ, in negotijs gerendis, in gubernando, &c. quibus rebus deprehẽdimus, animam noſtram eſſe *ſpiritum inuiſibilem, immortalem*; nec in ſuo eſſe dependere à corpore, cui illa ita eſt incluſa, vt, corpore diſſoluto & pereunte, ipſa tamen ſubſiſtat ac permaneat: quo explctur naturalis eius propenſio, & deſiderium immortalitatis, ac vitæ perpetuæ. Hoc autem totum apertè proclamat, eſſe Deum, ſpiritum inuiſibilem, & immortalem, à quo reliqui omnes ſpiritus procedant, qui ſit in medio huius mundi, dans eſſe & vitã

rebus

rebus omnibus; non ſicut anima, quæ corpus informat, ſed altiori alio modo, quo omnes creaturas gubernat, communicans illis artes omnes, & ſcientias, induſtrias, & naturales inclinationes, quas habent, ſine vlla tamen ab eis dependentia. nam etiamſi vniuerſa mundi machina diſſolueretur, DEVS tamen in ſe ipſo permaneret. O DEVS immenſæ maieſtatis, nunc verè fateor, d *mirabilem factam eſſe ſcientiam tuam*, & cognitionem tui, ad quam peruenio; *ex me*, & ijs, quæ in me deprehendo: ſi enim in re adeò rudi, atque eſt corpus meum, eſt ſpiritus quidam adeò nobilis, anima ſcilicet mea, quæ illi dat eſſe & *viuere*, & illud gubernat; in quo, & pro quo facit res adeò ſtupendas: quantò magis neceſſe eſt, te eſſe in medio huius ampliſsimi orbis, qui ſpiritus es ſupremus, per quem omnes ſumus, viuimus, & mouemur: ſiquidem ergo tu es meum Eſſe, & vita mea, volo etiam te appellare animam meam; & exultare, quòd te habeam DEVM, quem ſummè, plus quàm me diligam? O ſi te omnes & agnoſcerent, & diligerent plus quàm vitam ſuam, & animam ſuam? ſiquidem tu es inſtar *vitæ* & animæ *omnium*: cui ſit gloria & laus in æternum. Amen.

d *Pſal.* 138.6

Oratio gratias Deo referens pro eius cognitione.

PVNCTVM III.

TERTIO conſiderandum, non ſolùm pulchritudinem, concordiam, & ordinem rerum, quæ ſunt in magno iſto, & in paruo & abbreuiato hominis mundo, ſed etiam omnes *motus, tumultus, & inuerſiones ordinum, perturbationes, & confuſiones* etiam particulares, *miſerias omnes, labores & calamitates*, à quibus, homines, viribus noſtris nos liberare & expedire non poſſumus, omnia hæc inquam eſſe tanquam *excitatores, qui* nobis reuocant in memoriam, *quòd ſit Deus*.

Motus ſublunares, & humani Deum eſſe declarant.

TONITRVA, fulgura, & fulmina è cœlo, niues, grandines, glacies, venti, & aliæ *aeris tempeſtates, fluctus maris*, inundationes fluminum, *terræ motus, morbi, bella*, & omnia quæ nos affligunt, etiam clamant, *quòd ſit* DEVS, qui poſsit his malis mederi. Quamobrem, cùm aliqua harum calamitatum premimur, natura ipſa duce, ſtatim DEI recordamur, & oculis in cœlum leuatis, remedium petimus ab eo, qui poſsit ſuccurrere: ipſa enim *ratio* hoc nobis dictat, eſſe aliquem qui id præſtare poſsit, iuxta illud Regis Ioſaphat ad DEVM: a *cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te*. Ipſa etiam *peccata, iniuſtitiæ, & iniuriæ*, quas hi ab illis patiuntur, clamant, *quòd ſit* DEVS, ad quem ſpectet iſta *ſcelera* caſtigare, & *præmium* virtutibus reddere: ſiquidem in terra non eſt, qui hoc plenè & exactè faciat.

I. Motus extra corpus.

a 2. *Paral.* 20.12.

Digitized by Google

II. Intra corpus.

Praeterea ipſa *pugna* & *contradictio*, quam intra me ipſum experior ex rebellione *carnis* contra ſpiritum; & *perturbatione* animi contra rationem; etiam clamat, *quòd ſit* Devs, cuius virtute poſsim ſubiugare, quos propria non poſſem. Hac conſideratione, par eſt, me ipſum conſolari, & animum ſumere, tam in meis calamitatibus quàm in alienis; tam in priuatis malis, quàm in communibus; & ex mundi malis venire in cognitionem *ſummi boni*, qui intra ipſum eſt, ad quem pertinet ea mala amoliri. Aperi, *Anima mea*, oculos, & circumſpice ipſum orbem, & quæ intra te ſunt, & aſpice res omnes proſperas & aduerſas, & mox aures arrige: vt audias, quæ tibi dicunt; & audies omnes clamantes, quòd in medio illarum *ſit Deus*, qui proſperitatem dare, & aduerſitatem depellere poſsit. Lætare itaque his gratis nouis, & ſtude cum Apoſtolo fidelitatem tuam oſtendere, pugnando b *per arma iuſtitiæ, à dextris, & à ſiniſtris*, in proſperis ſcilicet, & aduerſis; ſeruiens in vtriſque ei, qui ſe in omnibus Deum oſtendit; ac propterea dignus eſt, qui ab omnibus laudetur, Amen.

Oratio.

b 2. *Cor.* 6. 7.

Ex his conſiderationibus deducam, quanti referat habere viuam *fidem*, & certum *lumen* huius *veritatis*, ac *memoriam* eius *continuam*; quia illa eſt frenum omnium vitiorum, & calcar omnium virtutum: cùm contrà defectus in hac fide, & eius obſcuritas, huiuſque veritatis obliuio, cauſa ſit omnium peccatorum, quæ ſunt in mundo; omnium tepiditatum & imperfectionum, quæ fiunt circa diuinum obſequium: nam ideo David, ſtatim, atque dixerat, c *dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus*, adiecit: *corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis: non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Sicut ſi in aliqua Republica intelligerent homines, non eſſe *Regem*, non *Iudicem*, aut *Iuſtitiam*; mox, vt effrenes, in mille ſcelera alij aduerſus alios erumperent: Idem ergo damnum adfert *obliuio* huius *veritatis, quòd ſit Deus*; ſicut dicitur in Iob: d *ſic via omnium, qui obliuiſcuntur Deum.* Et propterea ſcriptura Diuina, in Lege, in Pſalmis, & Prophetis, vehementer hoc exigit, ne Dei e *obliuiſcamur*, ſed ſemper eius memores ſimus: ſi enim meminerimus eſſe Deum, non peccabimus; viuemus pacati & quieti læti, confidentes, & animati, ad virtutes omnes exercendas, iuxta illud Dauidis: f *memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum, donec defecit ſpiritus meus.*

Neceſſaria iugis memoria de Deo.

c *Pſal.* 13. 1.

d *Iob* 8. 13.
e *Deut.* 6. 13.
Dei memores nō peccant.
f *Pſal.* 76. 4.

Hinc etiam magnam concipiam *compaſsionem* erga eos peccatores, g *qui verbo confitentur ſe noſſe Deum, &* (vt ait Apoſtolus) *factis negant*; expendens, quàm graue malum ſit vel vnum *peccatum lethale*: ſiquidem, quantum eſt in ipſo, h *negatio* quædam eſt, *contra Deum altiſsimum*, & proteſtatio practica, *quòd nō ſit Deus*, cui ſit obediendū; aut qui poſsit illud caſtigare. Ego tamē contrà, proteſtabor hāc veritatē corde, *lingua & operibus*: gaudens, *quòd ſit Deus*; & gratias ei agens, quòd cognitionem & fidem

g *Tit.* 1. 16.
Confitendus Deus lingua & opere.
h *Iob* 31. 28.

mihi

mihi dederit huius veritatis;& ſtudebo diligenter,eum in memoria mea ſemper habere; ipſas *creaturas* accipiendo tanquam *excitatores* obliuionis meæ, vt ſtatim atque illas aſpexero, memor ſim, *quòd ſit Deus*, à quo illæ & ego habemus, quòd ſimus: cui ſit honor & gloria in æternum, Amen.

MEDITATIO II.

DE AETERNITATE DEI, ET QVOD *ipſe ſit ſolus* QVI *eſt.*

PVNCTVM I.

PRIMO eſt conſiderandum, non ſolùm eſſe certiſſimam veritatem, *quòd ſit Deus*, ſed etiam, quòd idem neceſſariò ſit, *fuerit*, & *ſemper ſit futurus*. nam eius ESSENTIA eſt ESSE: ita enim interroganti *Moyſi* Deum, quod eſſet eius nomen, reſpondit Deus; a EGO SVM QVI SVM: *ſic dices Filijs Iſrael*, QVI EST, *miſit me ad vos*: atque ſi illi dixiſſet, meum propriũ nomen eſt ESSE QVI EST;& mea Eſſentia eſt, ESSE SEMPER; vt non ſit poſſibile deſinere eſſe: ſicut non eſt poſſibile, quòd homo non ſit rationalis, aut quòd lapis non ſit corpus.

S. Thom. 1. p q. 3. a. 4. & 11 & q 10. a. 2. & 3 Deus æternus. a *Exo. 3. 14*

I. Ante mundum.

FVIT itaque Deus, antequam eſſet iſte *mundus*. ita vt, ſi cogitatione fingerem, ante milliones millionum annorum præceſſiſſe hunc mundum; ante omnes illos milliones erat Deus, & ſemper fuit. Et ideo ſcriptura Deum appellat: b *antiquum dierum*; quia quidquid creatum eſt, *nouum* eſt, & *recens*: & ipſe ſolus eſt adeò *antiquus*, vt eius *Eſſe* principium inueniri non poſſit.

Ioan. 1. 1. In principio erat verbũ & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. b *Dan. 7.*

II. Immutabilis.

DEINDE in eodem *Eſſe* permanſit ſemper, abſque vlla *mutatione*, ſicut ipſe per Malachiam dixit: c *Ego Dominus, & non mutor*; nec ſeneſco aut marceſco, ſed ſemper in vno eodemque *Eſſe* permaneo; ita liber à *mutatione*, vt nec eius vmbra me tangat: iuxta illud Sancti Iacobi: d *apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*.

c *Mala. 3.* d *Iacob. 1.*

III. Sine omni fine.

ET in hoc eodem Eſſe permanebit in *æternum*, per milliones millionum annorum, ita vt nec ipſa imaginatione finis eorum fingi poſſit: vt propterea dixerit Dauid: e *Tu Domine idem ipſe es, & anni tui non deficient*: & propterea DEVS & eſt, & vocatur *æternus*; cuius *æternitas* in eo conſiſtit, quòd eius Eſſe nec *principium* habuerit, nec *finem* habere poſſit, nec *ſucceſſionem* aut *mutationem* aliquam: ſed totum illud *fuit*, *ſemper eſt*, & *erit*, ſicut fuit.

e *Pſ. 101. 2*

HINC magnos concipiam *gaudij & laudis* affectus, propter æternum hoc Eſſe Dei;& cantabo canticum illud Sanctorum quatuor animalium,

f *Apoc.* 4.8.

quę dicebant: f *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEVS omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.* O Sancte Sanctorum, firme, ſtabilis, & immutabilis in tuo Eſſe, quod totum eſt *Sanctum*; veni, & fac me cognoſcere, *quis ſis*, & æternum tuum *Eſſe*; vt anima mea luce *tua* illuſtrata, te laudet, glorificet, ac benedicat per totam tuam *æternitatem*.

Res pernicioſa propria volũtas.

Hinc quoque intelligam, quàm ſit res execranda *propria voluntas*, de qua S. Bernardus ait, quòd quantum in ſe eſt, vellet occidere & deſtruere Deum, & vt Deus deſineret eſſe, & non eſſet, qualis eſt; ne ipſius ſcelera, aut noſceret, aut caſtigare poſſet: quam dementiam opere ipſo proteſtantur peccatores, qui *propriæ voluntati* ſe dedunt, quæ Deo eſt contraria. Quorũ vicem debeo dolere, & flere, quòd & ego in talem dementiam aliquando inciderim: contrà verò gaudebo, quòd Deus tale Eſſe habeat, vt nullus poſſit illud diſſoluere, aut imminuere, aut quidquam ſubtrahere eius, quod ipſius ſapientia, & omnipotentia poſſidet: quia totum quod habet, *æternum eſt*, & *immutabile*, ſicut ipſius Eſſe.

Pvnctvm II.

Dei eſſe à ſe ipſo & ab eo reliqua omnia.

Deinde conſiderandum, ita de *Eſſentia* Dei eſſe, quòd ſit *qui eſt*, vt nulli alteri, præter ipſum Deum, id poſſit conuenire; quia ſolus Deus habet Eſſe à ſeipſo, & reliqua omnia accipiunt ab ipſo, quòd ſint; adeoque ipſe eſt *principium* abſque *principio*, à quo omnia in ſuo eſſe dependent, & ipſe à nullo. Et propterea dixit Apoſtolus, quòd a *ſolus Deus habet immortalitatem*: quia ſolus ipſe ex natura ſua habet, non poſſe *mori*, aut *deſinere eſſe*: cætera omnia, etiam ipſum *Cælum*, *Sol*, *Luna*, & *Stellæ*, imò & *Angeli* ipſi, ex ſe ipſis non habent eſſe; ſed potiùs ſubiecti ſunt mutationi, vt poſſint non eſſe: & ex ſeipſis, ſunt quaſi *res inanis*, & *vacua ab eſſe*, iuxta illud Apoſtoli: b *vanitati enim creatura ſubiecta eſt*: &, c *ſicut veſtimentum omnes veteraſcent*; &, d *ſi Deus auerteret faciem ſuam, omnes turbarentur*: &, *ſi auferret ſpiritum eorum, deficerent, & in puluerem ſuum reuerterentur*: niſi Deus ſemper illis daret eſſe, & illud conſeruaret.

a 1. *Tim.* 6. 16.
b *Rom.* 8.30
c *Pſ* 103.29
d *Pſ* 101.27.

Ex conſideratione eſſentiæ Dei oritur humilitas.

Ex hac veritate benè perpenſa, deducam præcipuum *ſpiritualis vitæ fundamentum*. huic enim veritati innititur profunda *humilitas*, quam in Dei conſpectu habere debemus; quam habent etiam Angeli, & Spiritus omnes beati, & habuit ſacratiſſima Virgo *Domina noſtra*, imò & ipſa Chriſti Domini noſtri *anima*; ideoque æquum eſt, eandem vt ego procurem; expendens quòd, vt ſolus Deus eſt, qui eſt; ita ego ſum, qui non ſum: quia ex meipſo non habeo eſſe, neque habere poſſum, niſi ab ipſo

Deo

Deo: &, ipſo ſe ſubtrahente à dando mihi eſſe, ego conuertar in nihilum, & ſicut Deus dixit Adamo: e *puluis es, & in puluerem reuerteris*, quia ex terra factus, in eam erat conuertendus; ita intelligam, proportione quadam dici mihi à Deo, nihil es, & in nihilum conuerteris; quia ex nihilo ſum factus, & ex me ipſo ſum nihil; & niſi Deus eſſe, quod mihi dedit, conſeruaret, ſtatim conuerterer in nihilum: quamuis ex ipſius voluntate, eſſe animæ meæ numquam ſit in nihilum conuertendum. e Gen. 3 19

QVOD ſi ſum *nihil* in Eſſe, quod eſt fundamentum reliquarum perfectionum, idem erit de illis. Quare ex meipſo & natura mea, nec Eſſe habeo, nec ſcire, nec poſſe, nec operari, nec motum vllum; nec habeo ſtabilitatem aut firmitatem in vlla re mea, ſed omnia ſubiecta ſunt vanitati & mutationi, & finis erit omnium mors, & non eſſe, niſi Deus illa conſeruet. & propterea dixit Dauid: f *menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tamquam nihilum ante te.* Subſtantiam vocat *totum ſuum eſſe*, potentias, & virtutes ſuas, firmitatem, & fortitudinem, quæ reſplendent in rebus omnibus, quas intùs & extra ſe poſſidet; quia id totum ex ſe eſt nihil in conſpectu Dei, ſine quo, nec Eſſe quidem habet.

Omnia præter Deum interire poſſunt.

f Pſal. 38, 6.

SVPRA hoc itaque *nihilum*, quod ex me habeo; & ſupra *eſſe Eſſentiale*, quod Deus ex ſe ipſo habet, erigendi ſunt omnes *affectus vitæ ſpiritualis*; quidam erga Deum, amando illum tamquam principium mei eſſe, eundem reuerendo, ob ſingularem quam ex ſeipſo habet *excellentiam*; collocando in eum *ſpem meam*, tanquam in auctorem omnis virtutis & conſtantiæ, in ea illum laudando, gratiaſque agendo, quòd mihi det *eſſe*; & reliquos affectus exercendo reſignationis, ſubiectionis, & obedientiæ, qui tanto Deo debentur. Alij affectus erunt aduerſus *me*, meipſum contemnendo, eò quòd nihil ſim; diffidendo meis viribus, nihil illis tribuendo; &, ſi quid boni aut in me erit, aut ego fecerim, non *mihi* illud arrogando; ſed gloriam *Deo* pro omnibus reddendo: & omnes motus ſuperbiæ, arrogantiæ, & inanis gloriæ, in abyſſo ipſius *nihili* ſubmergendo. O DEVS æterne, cuius Eſſentia modo adeò ſingulari eſt, *quòd ſis*; gaudeo quòd ſis ſolus QVI ES, & quòd nulla res habeat eſſe, niſi à te. Clarifica, Domine, oculos animæ meæ, vt agnoſcam illud Eſſe, quod tu habes per tuam Eſſentiam; & illud non eſſe, quod ego habeo ex me ipſo: vt ſupra duplicem hanc cognitionem, tamquam ſupra duplicem polum firmum & immutabilem, moueatur rota vitæ meæ, donec perueniam ad ſempiternam vitam, vbi te videam & fruar particeps factus æternitatis tuę. Amen.

Quà ratione Deus amandus.

Contemptus ſui ipſius.

Oratio ad humilitatem ducẽs.

PVNCTVM III.

Dei eſſe excedit omnia.

DENIQVE eſt conſiderandum,quòd Eſſentia DEI ſit Eſſe, *qui eſt*; quia ſimpliciſſimum eius *Eſſe*, abſque vlla additione & compoſitione,ſed ſumma identitate,claudit,abſque vlla limitatione, vniuerſas perfectiones rerum omnium, quæ habent eſſe,idque modo quodam eminentiſſimo;& alias perfectiones infinitè maiores & excellentiores,quàm mente poſſimus aſſequi, ita vt omnes res creatæ, & quæ creari poſſunt,ſi cum ipſo comparentur,tanquam *nihil* ſint, & quaſi non eſſent, aut eſſe non haberent.Quamobrem dixit Iſaias : a *gentes quaſi ſtillam ſitulæ,& quaſi momentum ſtateræ,reputatas eſſe coram Deo* ; ac denique in eius conſpectu ſunt,quaſi *non eſſent*,& ſicut *nihil*. Ex quo magnam concipiam opinionem *ſublimitatis* & *Maieſtatis* ipſius *Eſſe Dei*, in cuius conſpectu res, quæ alioqui habent eſſe adeò nobile , ita obſcuratæ iaceant, quaſi non ſint. *Quod adhuc fuſius expendetur Meditatione quarta & reliquis.*

a Iſai. 40. 13.

SIMILITER ex eo conficitur, quàm parui hoc nomine facere debeam *res* omnes *creatas*, eas præcipuè aſpectabiles , quæ meum cor ad ſe rapiunt;ſiquidem omnes illæ in Diuino conſpectu , ſunt quaſi *aqua ſtilla*, vtpotè quæ ſitim meam extinguere nequeant , nec minimam *deſiderij* mei partem explere ; maximè cùm ſint mutabiles ſicut momentum ſtateræ,quod facillimè ad vtramuis partem inclinat , quocumque addito, vel ſubtracto pondere ab alterutra parte. O DEVS æterne , cuius proprium nomen eſt,QVI EST,gaudeo de ſublimitate huius nominis,quod eſt tibi adeò proprium , vt impoſſibile ſit alicui alteri conuenire, quàm tibi.O nomen venerandum , nomen ineffabile, abſconditum , & ignotum b *Abrahamo,Iſaac & Iacob*,manifeſtatum verò magno illi Moyſi, in ſignum ſingularis amoris. Aperi mihi , DEVS meus , inæſtimabiles huius nominis diuitias,vt te reuerear,adorem,diligam,& ſeruiam;ſicut nominus ſupremi huius Eſſe meretur. O Anima mea, ſi ſolus DEVS eſt QVI EST, amplectens omnem perfectionem eius quod eſt ESSE : cur te non illi coniungis,vt Eſſe tuum obtineat nobilitatem & firmitatem cum Eſſe illius?cur te effundis ad creaturas, quæ ipſo Eſſe ſunt vacuæ : ſiquidem non poſſunt dare tibi , quod deſideras,cùm ipſæ illud non habeant : Ex nunc, DEVS æterne,quidquid creatum eſt, c *detrimentum exiſtimabo,& arbitrabor vt ſtercora* , vt vanitatem, vt nihilum;vt tibi coniungar,& *te lucrifaciam*,vt te diligam,tibi ſeruiam in æternum,Amen.

Creaturarum eſſe non explet deſideriũ.

Oratio.

b Exod 6.3.

c Phil. 3. 8.

* * *

Digitized by Google

MEDITATIO III.

DE INFINITATE ET INCOMPREHENſibilitate ipſius Eſſe Dei.

VT *tutus ſit ad tus ad cognitionem* Magnalium *ipſius* ESSE DEI, *ne in illis ſubmergamur, neceſſe eſt cognoſcere*, illud *eſſe infinitum & incomprehenſibile; & pertinere ad eiuſdem magnitudinem, quòd nullus alius, qui ſit minor ipſo, poßit comprehendere quidquid ipſe habet. Ad cuius rei intelligentiam eſt aduertendum, quòd ſicut ſunt* duo modi *imaginem aliquam* faciendi, *alter pingendo, alter ſculpendo, & primus modus fit, varijs coloribus appoſitis, & lineis ſuper tabulam ductis; ſecundus verò fit calo, ita ablatis ex tabula paruis particulis, donec figura calata maneat: Ita ait S. Dionyſius*, duplex *eſt* modus cognoſcendi DEUM, *& efformandi in anima noſtra verum & proprium conceptum, qui ſit imago eius Diuinitatis;* alter *eſt per* affirmationes, *collocando in ipſo Deo excellentias & perfectiones, quæ ſunt in creaturis, ſed perfectiori & altiori quodam modo; vt ſi dicatur, Deus eſt bonus, eſt ſapiens, potens, fortis;* alter *modus eſt*, auferendo *ſcilicet à Deo, quod eſt in creaturis terminatum & limitatum, eò quòd dedeceat ipſius Dei magnitudinem: & ita dicimus, quòd ſit Deus infinitus, immenſus, incõprehenſibilis, ineffabilis, &c. Et de hoc ſecũdo modo Deum cognoſcendi, inſtituetur hæc Meditatio; quia plus nobis inſinuat de infinita ſua magnitudine; aperitq́; portam ad priorem modum, de quo erunt aliæ Meditationes, quæ ſequentur.* *S. Thom. 1 p. q. 7. a. 1. & q. 12. a. 7.* *De Myſtic. Theol. c. 3. & de Diui. nomin. c. 7. & ibid. S. Tho. lect. 4.*

PVNCTVM I.

PRIMO conſiderandum, quòd DEUS DOMINUS noſter non eſt res aliqua ex ijs, quæ percipi poſſunt quinque *ſenſibus* corporis; ac propterea nec album eſſe, nec rubrum, aut pellucidum, aut pulchrum, ſicut ſunt res, quas hîc videmus. Non eſt ſicut cœlum, ſol, aut aſtra; nec eſt ſicut ignis, aer, aut aqua; nec eſt ſicut leo, aut aquila, aut corpus aliquod, quia totum hoc, quidquid ſenſibus his percipitur, eſt indignum præſtantia & magnitudine DEI, qui ſine termino & limite excedit infinitè hæc omnia; eſtq́; grauis iniuria, DEUM his rebus, cum aliqua æqualitate comparare, iuxta illud Iſaiæ: a *cui ſimilem feciſtis Deum, & cui aßimulaſtis & adæquaſtis me, dicit Sanctus?* O Sancte Sanctorum, conuertantur omnia oſſa mea in linguas, & elata voce dicant, b *Domine quis ſimilis tibi?* Non eſt ſimilis tibi inter eos, qui vocantur DIJ, neq; eorum opera tuis poſſunt adæquari. Nõ es formoſus, ſicut ſunt res terrenæ, ſed alia pulchritudine es ornatus, quã nec cœleſtes Angeli poſſunt comprehendere. Non es ſplendidus, ſicut eſt lux huius ſolis viſibilis, ſed alius eſt ſplendor, & c *lux inacceßibilis*, quam

Deus ſuper omnia incõprehenſibilis. *S. Thom. 1. p. q. 4. a. 3.*

a *Iſaiæ 40. 18. 25*

b *Pſalm. 34. 10. & 85. 8.*

c *1 Tim. 6. 16.*

Digitized by Google

inhabitas. Non es *magnus* magnitudine & quantitate molis, quæ competit corporibus, ſed magnitudine virtutis, quæ omnes excedit ſpiritus. Non es dulcis aut *iucundus*, ſicut ſunt Muſicæ, aut cibi corporis, ſed alia dulcedine & ſuauitate, quæ excedit capacitatem rerum omnium ſpiritualium.
1 Pſa.70.19 O DEVS infinite: *a quis poteſt eſſe ſimilis tibi*: Ex hoc gaudeo, Domine, & animo exulto, quòd Eſſe tuum ita ſit illimitatum & infinitum, vt quidquid ſpectabile creaſti, nullo modo poſſit cum eo comparari. O ſi te amarem adeò perfecto amore, vt nullus terrenus amor poſſet cum illo conferri?

PVNCTVM II.

Deus Angelis incō prehenſibilis.

DEINDE conſiderandum, quòd DEVS non ſit res aliqua ex ijs omnibus, quas imaginatio aut intellectus hominis complecti & comprehendere poſſit, ſed neque ipſi *Angeli*: nam quidquid illi poſſunt, finitum eſt & limitatum: ac propterea longè diſtat à ſublimitate & Maieſtate ipſius Eſſe Dei, quod eſt infinitum & illimitatum. DEVS itaq; nec *bonus* eſt, nec *ſapiens*, bonitate & ſapientia, quam *homines* & *Angeli* poſſunt comprehendere: hæc enim breuis & puſilla eſt; diſtatque infinitè ab ea, quam habet Deus, qui talem habet *bonitatis* & *ſapientiæ* modum, quem nec poſſimus complecti, nec proprium ei nomen imponere, quod illi omnino adaptetur: & ideo eſt incomprehenſibilis & ineffabilis. Idemque de cæteris Diuinis perfectionibus dico. Quare ſtultum eſſet, Dei excellentiam cum alicuius *hominis* aut *Angeli* perfectione, cum æqualitate &
Pſal.88.v.7. perfecta ſimilitudine velle conferre: potiùs cum Dauide dicendum: *quis in nubibus æquabitur Domino, ſimilis erit Deo in filijs Dei*? Quaſi diceret, nullus eorum, qui habitat ſuper nubes, nec filiorum DEI, qui tales ſunt per gratiam, æquari poteſt, aut comparari cum Deo, quia omnes infinitè diſtant ab eo, & ipſe eſt ſuper omnes.

Ex hoc vlteriùs aſcendam ad conſiderandum, quòd ad cognoſcendam *magnitudinem* ipſius Eſſe DEI, hoc modo cognitionis, oportet (vt ait
De Myſtic. Theol.c.1. Sanctus DIONYſius ad Timotheum) res omnes relinquere, quas ſenſibus noſtris & exiguo etiam noſtro intellectu percipimus; & reijcere imaginationes, diſcurſus, & limitatas *intellectiones* noſtri intellectus; vt intelligamus; DEUM ipſum nec *Subſtantiam* eſſe, nec *ſpiritum*, nec tale *Eſſe*, quale ego aſſequor, ſed rem quandam excellentiſſimā, & excelſiſſimam, ſupra omnem ſubſtantiam, ſupra omnem Spiritum, & ſupra Eſſe: quam ego ignoro, & omnes ignoramus; & mihi & omnibus creaturis eſt inſtar nebulæ
Exod. 20. obſcuritatis, & caliginis; iuxta id quod dicit ſcriptura: b quòd *Moyſes acceſſit ad caliginem, in qua erat Deus*: Et alibi, quòd c *ingreſſus Moyſes in medium*
Cap.24.12. Pſal.96.2 3.Reg.8.12 *dium nebulæ, aſcendit in montem*: Et Dauid dicit: quòd d *nuues & caligo ſit in circuitu eius*: Et Salomon: e *Dominus dixit, vt habitaret in nebula*. Quod S.

Apo-

Apoſtolus ampliùs declarauit, dicens: quòd f *lucem inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*, comprehendendo videlicet, quod ille in ſe habet. In hac adeò ſapiente *ignorantia*, & in hac adeò clara caligine, quamuis inacceſſibili, curare debeo inuenire requiem, altiſſimè ſentiens de DEO, & gaudens quòd ſit ipſe infinitè maior & excelſior, quàm ego cogitatione aſſequi poſſim; admirans potiùs & ſtupens ad incomparabilem adeò *magnitudinem*; ſuppiens cognitionis huius defectũ exceſſu amoris, ex toto corde cupiens illum amare, & ei ſeruire, & ad eius claram *viſionem* ſuſpirare. O DEVS inuiſibilis, quando te videbo: non g *per ſpeculum & in ænigmate*, & obſcuritate, *ſed facie ad faciem*! *O ſi te cognoſcerem, ſicut à te cognitus ſum*; vt ſicut me amas, ita te amarem; ſed quandoquidem cognitio & ſcientia adeo eſt breuis, & tarda; amor erit prolixior & progredietur vlteriùs, vt amem ſcilicet te quantum poſſum; donec te videam, ſicut deſidero.

f 1. *Tim*. 6. 16.

Altiſſimè ſentiendũ de Deo.

g 1. *Cor*. 13. 12.

Amor intrat, vbi ſcientia foris ſtat.

PVNCTVM III.

TERTIO conſiderabo, quòd ESSE DEI ita eſt infinitum, vt omnes *perfectiones*, quas diuina Scriptura de eo refert, ſint *infinitæ*: nec mens noſtra fundum (vt dicitur) eorum inueniat; nec poſſit ſibi finem aut terminum earum imaginari: nam vt Prophetæ dicunt: a *magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis*. Et ita nec duratio eius finem habet, nec eius locus, bonitas, ſapientia, aut potentia, quia in omnibus eſt infinitus. Et poſtquã, quidquid potero, fuero imaginatus, adhuc eſt infinitè plus, quàm ego fuerim imaginatus: quare, poſtquam ego cogitauero, DEUM duraturum aliquot milliones annorum, totidem addere oportet, & mox totidem; & poſtquam tot addidero, quot ſum imaginatus, adhuc infiniti reſtãt. Quamobrem amicus quidam Iob exclamauit: b *ecce Deus magnus, vincens ſcientiam noſtram: numerus annorum eius inæſtimabilis*, & qui nec numerari poſſunt. Similiter DEVS implet vniuerſum hunc orbem, & implere poteſt milliones orbium hoc maiorum; & poſtquam cogitauero quot potero mundos, erunt infinities plures, quos poſſit DEUS ſua immenſitate implere. Et idem eſt de *ſapientia* & *omnipotentia*, vt ſentiam tam altè de ſingulis eius *perfectionibus*, vt certò credam, multò plus eſſe quod non intelligo, quàm quod intelligo: & in hac ipſa ignoratione conquieſcam, gaudens ob plurima, quæ ſunt in Eſſe & perfectionibus DEI, quæ ego non aſſequor.

Incomprehenſibiles perfectiones in Deo.

a *Pſa* 144. 3.
a *Baru*. 3. 2.

b *Iob* 36. 26.

Ex quo efficitur, quòd *Eſſe Dei*, ore pleno dici debeat eſſe *incomprehenſibile* & *ineffabile*, niſi ab ipſomet DEO, ita vt nulla prorſus creatura complecti poſſit, quod in ipſo eſt, aut in ipſius bonitate, aut

Digitized by Google

ſapientia, aut in quocumque attributorum & perfectionum eius; nec poſſit proprium nomen illis accommodare, quod ex omni parte ſit aptũ. Et ideo dixit Ieremias: c *magnus conſilio & incompre henſibilis cogitatu*. Ratio verò eſt euidens: Nam omnis creatura eſt finita & limitata: quod autem finitum eſt, non poteſt comprehendere id, quod eſt infinitum; ſicut eſt impoſſibile, quòd ego pugno meo totum orbẽ complectar, aut quòd paruum aliquod vas capiat totam aquam Oceani: & ſi, vt dicit Sapiens: d *Difficile æſtimamus, quæ in terra ſunt; & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore; quæ in cœlis ſunt, quis inueſtigabit?* Ita ergo fateri debeo, & gaudere, & gloriari, me habere DEUM adeò *magnum*, vt nullus poſſit illum comprehendere: ſi enim comprehendi poſſet, valde eſſet breuis & paruus; aut, vt veriùs dicam, DEVS non eſſet.

c Ier. 32. 19

d Sap. 9. 16

Ad hoc autem accipiam exemplum ſupremorum *Angelorum*, qui ſunt *Seraphini*, qui habent e *ſex alas*, ad ſignificandum ſe volare in *cognitione Dei*, & rerum, quas ſex primis mũdi diebus cõdidit; volantque altiùs cęteris *Angelis*: & nihilominùs quãdo dicuntur eſſe in conſpectu DEI, ex ſex alis quatuor complicant; duabus velantes *faciem Dei*, vt ſignificent, ſe nõ poſſe comprehendere *Diuinitatis* eius *altitudines*; & duabus velant *pedes* eius, ad ſignificandum, ſe non poſſe comprehendere omnia opera, quæ à DIUINITATE procedunt: duabus ergo tantùm volant, vt confiteantur aliqua *Dei magnalia*, quæ nouerunt. Multò autem ampliùs DEUM magnificant contractione quatuor alarum, quàm duarum volatu, & verbis quæ proferunt. confitentur enim plura in infinitum eſſe, quæ de DEO neſciant, quàm quæ ſciant. O DEVS incomprehenſibilis & ineffabilis, gaudeo quòd Seraphini ipſi, in tuo conſpectu, tanquam cæci & obſcurati ſint; fatentes quòd f *vincas omnem ſcientiam* illorum, nec poſſint ipſi te comprehendere. Vtinam ſex illas Seraphinorum alas haberem, quas omnes in amoris alas conuerterem; vt vires omnes meas ſaltem intenderem in te diligendo, ſiquidem ad comprehendendum non ſufficio.

e Iſai. 6. 2. Seraphini non poſſũt comprehẽdere Deũ.

Oratio.

f Iob 36. 26.

PVNCTVM IV.

Dei bonitas in reuelando.

QVARTO, tanquam fundamentum noſtræ fidei, perpendendum eſt ſummum Dei *beneficium* erga nos, in reuelandis nobis ſecretiſſimis infiniti ſui eſſe *myſterijs*, & *perfectionibus*. Videns enim, impoſſibile eſſe hominibus, aut etiam Angelis, omnia illa aſſequi, imò aliqua illorum nec indagare quidem poſſe ex ijs, quæ in creaturis cernerent; voluit ex infinita ſua *bonitate* & *miſericordia*, aliqua nobis reuelare, & ad ipſius *gloriam*, & noſtrum *bonum*: in quibus ſunt multa adeò ſublimia, vt nec eò peruenire poſſimus, vt, quomodo illa ſint, intelligamus; quia excedunt capacitatem noſtram, & omnem rationem &

natu-

Digitized by Google

naturæ lumen: quod ipſum ad ſummum gaudium excitare me debet, attendentem, quòd habeam Deum adeò excelſum & infinitum, vt eius Eſſe & opera, quæ ab eo proueniunt, ſuperent quidquid homines & Angeli, aut aſſequi, aut etiam indagare poſsint. DEBEO præterea tres alios excellentes affectus & propoſita, ex eodem fundamento concipere.

Qui affectus oriātur ex reuelatione.

PRIMVS affectus eſt gratitudinis erga Deum noſtrum, quòd in ſacris ſcripturis, & per ſuos Prophetas, nobis reuelauerit ſecreta ſuæ diuinitatis, vt & dixit Dauid: a *Incerta & occulta ſapientia ſuæ manifeſtauit.* Sed præcipuè qui viuimus in lege gratiæ, maiores illi gratias agere tenemur, quòd Filium ſuum vnigenitum nobis dederit; nam (vt ait S. Ioannes) b *Vnigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris*, tanquam omnium maximè conſcius, diſtinctiùs *enarrauit*. Quare gratias illi agere debeo, ob reuelata nobis myſteria Sanctiſsimæ Trinitatis, Incarnationis, Euchariſtiæ, Remiſsionis peccatorum, Reſurrectionis carnis, & vitæ æternæ; exprimendo hæc & ſimilia alia myſteria, quæ, niſi ipſo reuelante, cognoſci non potuiſſent.

I. Gratitudinis.
a *Pſal.* 50. 8.
b *Ioan.* 1. 18.

SECVNDVS affectus debet eſſe fidei certiſsimæ & ſubiectiſsimæ: c *captiuato* ſcilicet *intellectu*: ad credendum quòd ego non aſſequor, ſolùm propterea, quod DEVS ita reuelarit; cùm aliàs fuiſſet impoſsibile, illud cognoſcere. Quare præcipuè exercenda eſt fides circa *myſteria* magis eleuata, magiſque ſecreta; oblectans me, quod ea credam; & in ea fide viuam; ſecundùm quam etiam dirigar. Et exemplo *Seraphinorum* fatebor meam puſillitatem; ſimul verò, elata voce magnaque voluptate, laudabo DEVM Trinum & Vnum, cum cæteris nominibus, quæ ipſe reuelauit; dicens: Sanctus, Sanctus, Sanctus; ſimiliter Sapiens, Sapiens, Sapiens; Potens, Potens, Potens eſt Dominus Deus exercituum: nec ſcrutari tentabo vltra id, quod ipſe mihi reuelauit: nam *curioſus* d *Scrutator Maieſtatis*, (vt Sapiens ait) *opprimetur à gloria.*

II Captiuationis intellectus.
c 2. *Cor.* 10. 5.
d *Pro.* 25. 27. *Eccl.* 3. 22.

TERTIVS affectus eſt magnæ *fiduciæ*, ſimul & magnæ cordis *lætitiæ*: firmiter ſcilicet ſperans, peruenturum me eò, vbi eadem *myſteria* clarè videam, quæ nunc fide credo; vt locum in me habeat quod dixit Apoſtolus, e *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: Propterea ſiquidem ea cum obſcuritate mihi reuelauit; vt viua fide credens, & fideliter eius mandatis obediens, eò peruenirem, vt diſtinctè & apertè ea viderem. Imò & hanc *fiduciam* habere debeo, quòd etiam in hac vita clarificabit ipſam fidem, dabitque magnam myſteriorum eius intelligentiam, ſi ſtuduero me diſponere per cordis munditiam ad ea videnda. ſiquidem ipſe dixit: f *Beati mundo corde, quoniam ipſi* DEVM *videbunt.* g *O Deus ſpei, repleas me omni gaudio & pace in credendo, vt abundem in ſpe & virtute Spiritus ſancti,* in æternum, Amen.

III. Fiduciæ & lætitiæ.
f *Matt.* 5. 8.
g *Rom.* 15. 13.

Digitized by Google

MEDITATIO IV.

DE VNITATE DEI IN ESSENTIA, ET Trinitate in Perſonis.

PVNCTVM I.

a *Deut.* 6 4. Dominus Deus noſter vnus eſt. S. *Thom.* 1. *p. q* 11. *a* 3. a 1. *Cor.* 8 4.

I. Deus vnicũ & ſummũ bonum.

PRIMVM conſiderandus eſt articulus *primus* Sanctæ noſtræ fidei, quo confitemur; non eſſe niſi a *vnicum* & ſolum *Deum*, in vna ſola Eſſentia & diuinitate: nec poſsibile eſſe, vt plures ſint Dij. Tantùm itaque eſt vnus Creator, vnus Gubernator, vnus Dominus, vnum primum principium, & vltimus rerum omnium finis: cui veritati innituntur præcipua mandata noſtræ legis.

Nam primùm, cùm Deus ſit *ſummum bonum & infinitum*, in quo continentur omnia bona, & perfectiones poſsibiles, ita vt nec vnica poſsit illi deeſſe; (nam vel vnica deficiente, eſſet ipſe imperfectus, eamq; mendicaret ab alio) clariſsimè ſequitur, non eſſe niſi *vnicum*. Si enim plures eſſent Dij, deeſſet vni bonitas & perfectio, quam alij habent; qua etiam ab illis differt. Et hoc eſt fundamentum illius mandati Dei, quo iubet, vt ipſum ſuper omnia, & b *ex toto noſtro corde diligamus*, quia ſcilicet ipſe eſt ſummum bonum, omne bonum, & vnicum bonum; & dignus, qui ſummo amore & omni, & vnico diligatur abſque vlla diuiſione cordis ad alios amores, qui non ſint ad ipſum ordinati. O bonum infinitum, quid multum eſt, ſi te ego ſuper omnia diligam, cùm tu ſis vnus Deus ſuper omnia? Et quid magnum eſt, ſi tibi reddam totum, ſummum & vnicum amorem; ſiquidem hoc totum eſt exiguum, comparatione eius amoris, quem tota tua bonitas ſumma, & vnica meretur. Rectum omninò eſt, vt nihil omninò aut contra te diligam, aut quod ad te ipſum non dirigatur; ſiquidem nulla res eſt, quæ bona ſit, & amabilis, niſi propter bonitatem, quam à te accipit.

b *Deut.* 6.5.

II. Deus vnicus & ſolus.

c *Iob* 9.4. c *Pſal.* 75 8. c *Iſa* 47.3

DEINDE conſiderandum, quoniam DEVS eſt ſupremus Dominus, & ſuarum creaturarum *Gubernator*, cui illę oẽs ſubiectę ſunt, & cuius c *voluntati* efficaci *nullus poteſt reſiſtere.* (Nã ſi quis ei reſiſtere poſſet, eſſet DEVS valdè miſer, nec tranquillus eſſet, nec in pace gubernare poſſet, nec eius regnum durare) efficitur itaque, quòd non ſit niſi *vnus* & *ſolus* Deus. Si enim multi eſſent Dij, diuerſa haberent iudicia, voluntates, & potentias; poſſetque alter aduerſus alterum aliquid velle; inferre illi bellum, & cõtradicere. Non eſſet poſsibile, creaturas in hoc mundo perdurare, in illa pace & ordine, quem habent: quia d *omne regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur.* Quare ipſe ordo cœlorum, elementorum, & animalium prædi-

d *Luc.* 11.17.

cat

it eſſe vnum & ſolum Deum; omnium gubernatorem:& huic veritati in-
ititur mandatum illud Dei: e *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli*
ruies ex toto corde,& ex tota anima. Nam vt noſter Saluator dixit: f *ne-* e *Mat* 4 10
o poteſt duobus Dominis ſeruire. Quia neceſſe eſt, illos diuerſa & contraria e *Deut* 6 13
nterdum mandare. quòd ſi eorum vni eſt parendum, neceſſe eſt id alteri f *Mat* 6.24
iſplicere; ideoque contemnere. Non itaque eſſet poſsibile, duobus Dijs
eruire: totam ergo meam curam ponam in ſeruiendo huic *vnico* & ſupre-
no *Domino* meo; eique ſoli integram obedientiam præſtare; nulliq; al-
eri, niſi ipſius intuitu,& propter ipſum; quia videlicet ille in eius loco eſt
onſtitutus; & ipſe vult vt illi paream.

Tertio, cùm DEVS ſit noſter ſupremus *legiſlator*; cuius eſt præſcri- III.
ere nobis leges, quia eius dictamen & voluntas, *regula* eſt eorum, quæ fa- Deus legiſ-
ere debemus; eidem porrò competet, omnium eſſe iudicem; vt obedi- lator ſupre-
ntibus præmium, & rebellibus ſupplicium reddat: Et idem ipſe eſt vlti- mus.
nus *finis* & *beatitudo* noſtra; in cuius viſione & poſſeſsione inueniemus ſa-
etatem, & omnium deſideriorum noſtrorum expletionem. Ex his eui-
enter efficitur, quod non poſsit eſſe niſi vnus DEVS, vnus legiſlator, Iu- S *Thom* 1.2
ex ſupremus,& finis vltimus. Si enim multi eſſent, poſſent eſſe diuerſi & q 1.a.5.
ontrarij in legibus, in præmijs & pœnis reddendis: nec vllus eorum per
& ſolus poſſet explere noſtra deſideria, quia adhuc deſideraremus alte-
um videre. In eadem quoq; veritate fundamentum habet obligatio, qua
nemur ad vnam puram & g *ſimplicem intentionem* in noſtris operibus, vt
lam ad ſolum DEUM, tanquam ad noſtrũ *vltimum finem* dirigamus, quæ- g *Mat*.6. 22
ntes tantùm eius gloriam & honorem in omnibus rebus noſtris.

Ex his concipiam primùm magnam *commiſerationem* erga infideles &
ololatras, qui multiplicant ſibi falſos DEOS, cum iniuria veri Dei. Ora- Cõmiſera-
autem ipſum Deum verum, vt hoc vitium ex mundo dignetur abole- tio erga in-
, dicens illi: O DEVS vnice & vere, qui h *ſuper nubem leuem* ſanctiſsimæ fideles.
æ humanitatis *ingreſſus es AEgyptum* miſerandi huius mundi: *commoue* h *Iſa* 19 1.
reijce *à facie tua omnia ſimulachra*, quæ homines huius mundi adorant,
tabeſcere fac cor in medio eorum, terrendo eos tuo ſancto timore, & tra-
ndo ad te dulci amore.

Deinde intelligam, quàm grande malũ ſit peccatũ, qui falſos DEOS Idololatria
mittens, Veri DEI Vnitatẽ deſtruere contendit: ſiquidẽ (teſte Apoſt.) grande ma-
rnales homines i *ventrẽ ſuũ pro Deo habent*, k *auari pecuniam*, ſuperbi ho- lum.
rẽ inanem:& quiſque pro DEO ſuo & fine vltimo, iam rem habet, cuius i *Phil* 3.19
ore DEVM verum relinquit. Ex quo prouenit, vt quotidie l *nouos recẽ-* k *Gal*. 5. 20.
ſque inueniant, *quos non coluerunt Patres eorum*. O DEVS æterne,& m *An-*
ue dierum,& iudex mortalium, propugna cauſam tuam, *multitudinem* l *Deut*.32 17
ruens falſorũ *Deorum*, vt oẽs mortales non ore ſolùm, ſed opere quoq; m *Dan*.7.9

confi-

n *Epheſ* 4.6 confiteantur & proteſtentur, eſſe n *vnum Deum, & Patrem omnium, qui eſt ſuper omnes: & per omnia, & in omnibus*, quem laudent omnia, & glorificent in ſecula, Amen.

III. Deſideriũ cogitationes ad Deũ reuocandi. o *Luc.* 10.41.

Tertio, intimum quoddam *deſiderium* concipiam, reuocandi omnes cogitationes, affectus, & deſideria mea, ad *vnum* hunc & *ſupremum* Devm, non effundens me ad res alias; ſed manens hac vna re contentus, in qua verè ſunt omnia, dicens animæ meæ, quod Chriſtus Dominus noſter dixit aliquando Marthæ: anima mea, o *ſolicita es, & turbaris erga plurima*, cùm *porrò vnum* tibi *ſit neceſſarium*, amare ſcilicet, colere, & ſeruire *vni* ſoli *Deo*, creatori rerum omnium; *vni* ſoli *Patri*, à quo procedunt omnes; & *vni* ſoli *fini*, ad quem omnes dirigentur; & in quo requiem & ſaturitatem inuenies ſempiternam.

IV. Deſideriũ amandi. p *Mal.* 2.10.

Deniqve ingens *deſiderium* concipiam, *amandi & benefaciendi* omnibus hominibus; ſiquidem omnes habemus vnum *Deum*, vnum *principiũ*, & *finem vltimum*: memor ſententiæ Malachiæ dicentis: p *nunquid non Pater vnus omnium noſtrûm? nunquid non Deus vnus creauit nos? quare ergo deſpicit vnuſquiſque noſtrûm fratrem ſuum: violans pactum* & legem latam *Patribus noſtris*?

Oratio.

O Deus infinite, vnice in Eſſentia, à quo procedimus omnes; concede nobis in te vnum eſſe, mutuò nos diligentes, tanquam facturam vnius eiuſdemque Dei; tanquam famulos eiuſdem Domini, filios eiuſdem Patris, deſtinatos ad eundem finem, te videlicet vnicum, & ſummum bonum omnium, cui ſit gloria in æternum, Amen.

Pvnctvm II.

Deus vnus, & trinus. a *Matt.* 28.19 a *Ioan.* 5.7. *S. Thom.* 1. p q.27.

Deinde conſiderandus eſt Articulus *alter* potiſsimus *fidei* noſtræ; quòd ſcilicet Devs Dominus noſter, ita ſit Vnvs in Essentia, vt ſimul ſit Trinvs in Personis, a Pater, Filivs, & Spiritvs Sanctvs; captiuandus itaque eſt intellectus, ad credendam hanc *veritatem*; quamuis aſſequi non poſsim, quomodo ita ſit. Licet tamen circa eam ſic ratiocinari: quòd Deus Dominus noſter ſimul in ſe complectatur omne *bonum*, & *perfectum*, quod cernimus in creaturis, ſeparatum tamen à malo & imperfecto, quod in illis eſt: Et ideo habet illud bonum, quod eſt *Eſſe vnum*, ſine eo malo, quod eſt *Eſſe ſolum*; habet item illud perfectum, quod eſt *eſſe plures*, abſque illo imperfecto; quod eſt *eſſe diuerſos*: eſt enim Vnvs in Essentia, & in Divinitate; vnus in bonitate, ſapientia, omnipotentia, & in cæteris omnibus attributis.

b *Ioan.* 10 30

Quamobrem tres diuinæ perſonæ, ſicut ſunt b *vnus Deus*, ita vnum eundẽque habent ſenſum, vnum velle, vnum idemque poſſe, & operari; nulla inter ipſas perſonas diuerſitate iudicij; nulla voluntatum contrarietate; aut operum oppoſitione: nam omnes tres idem ſentiunt, idem volunt, idem

Digitized by Google

extra ſe operantur, ſumma pace, ſumma concordia. Sunt nihilominus TRES PERSONAE DISTINCTAE, & non vna ſola; ne ea perfectione & voluptate DEVS careret, quam ſecum adfert communicatio, & amicitia perfecta inter æquales; & vt bonitas, ſapientia, & potentia Dei impleret ſuum deſiderium, communicandi ſe infinitè & modo infinito. Et ita *Pater* explet hæc deſideria, dum ſuam diuinam eſſentiam, ſapientiam, & omnipotentiam communicat *Filio*; & *Pater*, & *Filius* idem communicant *Spiritui ſancto*, & inter ipſas tres perſonas eſt *amor infinitus*, & *amicitia perfectiſſima*, tanquam inter perſonas æquales, & ita ſimiles, vt verè ſint *vna eademque res*, in ſubſtantia diuini ſui eſſe; & in hac communicatione & amicitia eſt *infinitum gaudium & lætitia*, exultante infinitè vnaquaque perſona de proprio Eſſe perſonali, quod habet altera.

Ex hac conſideratione eliciam PRIMVM, magnam *admirationem*, & profundam *reuerentiam*; erga Maieſtatem DEI VNIVS & TRINI; Summè venerans in ea, quod non aſſequor; & me ipſum impellens (ſicut ait Iſaias) c *ad id credendum, vt ſic intelligam*; & exclamans cum Apoſtolo, O d *altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! ſi tua iudicia ſunt incomprehenſibilia, & viæ tuæ inueſtigabiles*, quantò magis incomprehenſibile erit tuum Eſſe, & quantò magis inueſtigabilis tua *Deitas*! Auge Domine in me fidem, vt ita credam altiſſimam tuã Trinitatẽ, vt etiã intelligam; & ita intelligam, vt etiam amem, & tandem perueniam ad fruendum ea in æternum. Amen.

I. Iuxta LXX. niſi credideritis, non intelligetis. c *Iſa* 7.9. d *Rom* 11,33. Oratio.

DEINDE concipiam magnum gaudium, ob Vnitatem perfectiſſimã, quam tres diuinæ perſonæ habent inter ſe; & ſimul intimum deſiderium, vt particeps eius fiam, imitando illam modo mihi poſſibili. O Pater æterne, gaudeo ſummoperè de Vnitione, quam habes cum tuo Filio! O Fili Dei vnigenite; gaudeo de *amore*, quem geris erga tuum Patrem! O Spiritus Sanctiſſime, gaudeo de *vnione & amore*, quem habes ergã Patrẽ & Filium! O Trinitas Beatiſſima, gaudeo vehementer ob *infinitam amicitiam*, quæ intra teipſum emicat! O Deus infinite, ſiquidem ſupremæ huius *Vnitionis* fidem mihi dediſti, da etiam gratiam, ad illam eo modo imitandam, quo tu vis.

II. Gaudiũ ob vnitatem.

Mox cogitabo de modo, quo mihi liceat eam *Vnitionem* imitari; reuocans in memoriam, quod Chriſtus Dominus noſter in nocte ſuæ cœnæ Patrem ſuum pro nobis orauerit, e *vt ſimus vnum ſicut ipſi ſunt*. Sic ergo tres diuinæ Perſonæ habent vnum idemque *ſentire*, vnum & idem *velle*, atque vnum & idem *operari* in rebus omnibus, ſumma concordia, abſque vlla diuerſitate; propter quam cauſam dicebat Chriſtus Dominus de ſe: f *non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille fecerit, hæc & filius ſimiliter facit*; ita & ego ſtudebo vnire me,

III. Modus vnitionis. e *Ioan*.17.11.

f *Ioan*.5.19.

Digitized by Google

namq́ue rem cum Deo ita me facere per *amorem*; vt habeam vnum & idem ſentire cum eo, quod ipſe habet in rebus omnibus, quas mihi reuelat; vnum & idem velle in rebus omnibus, quas mihi præſcribit; faciamque etiam omnia mea opera eo modo, quo ille iubet; numquam ab eius voluntate in aliqua re diſcedens, ſed me illi cum ſumma concordia & lætia conformans.

Vnitio ſu' ditorum c prælatis.

Eandem *Vnitionem*, proportione quadam habere ſtudebo cum meis ſuperioribus, & ijs, qui animam meam gubernant, præcipuè ſi ſim *religioſus*; conformando iudicium meum & voluntatem, operumq́ue executionem, cum iudicio & voluntate *Prælatorum*; qui Dei nomine mihi præſunt. Eandem quoque *Vnitionem* procurare debeo cum omnibus meis proximis, in rebus omnibus, quibus licitè poſſum, ita me conformans (vt ait Apoſtolus:) vt g *idem ſapiam & ſentiam, & eandem charitatem habeam cum illis*. Et quoniam impoſsibile eſt, viribus meis ad talem *Vnionem* cum Deo & proximis peruenire, eam petam à ſanctiſsima Trinitate, dicens: O Deus infinite, qui Trinus es in perſonis, ſed *vnus* in Eſſentia; & ita diuinitatem tuam communicas, vt *Vnitas* non lædatur; communica mihi copioſam gratiam, qua eò perueniam, vt ſim tecum vnus Vnione perfectæ charitatis. O Saluator mundi, offer æterno tuo Patri orationem, quam in nocte Paſsionis tuæ pro me fudiſti, vt eius virtute fiam ego *vnum* tecum, & cum omnibus meis fratribus, ſicut tu *vnum* es cum Patre tuo cœleſti, per infinita ſæcula.

g *Phil.*2.3.

Oratio ad vnionem impetrandam.

Pvnctvm III.

Modus cõſiderandi huius myſterij.

Tertio conſiderandus eſt *modus*, & ordo huius *myſterij* in Deo. Nam prima perſona, ſcilicet Pater; ſeipſum cognoſcens, & comprehendens ſuam diuinam Eſſentiam cum infinita maiori claritate, quã ego meipſum videam in ſpeculo; illa cognitione format intra ſe conceptũ & imaginem viuam ſui ipſius: & hic conceptus eſt eius *filius*, de quo dicit Apoſt. quòd ſit a *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius*, & b *imago eius inuiſibilis*. Hic eſt, quẽ S. Ioannes Verbvm appellat: quod verbum loquitur Pater intra ſeipſum; & quia exprimit in eo quidquid ipſe ſcit; appellatur Sapientia Patris. Quamobrem autem Pater producit Filium, neceſſariò illum amat, & complacet in eo ſibi amore & gaudio infinito: quia in eo videt ſuam propriam bonitatem infinitam; & filius eadem ratione amat Patrem infinito amore & gaudio, ob infinitam, quam in eo videt bonitatem, & quam ab illo ipſe recipit: & vterque ſimul hoc ipſo amore producit vnum impetum ſiue impulſum diuinæ ſuę voluntatis: quem impulſum appellamus Spiritum S. cui Pater & Filius ſuam *diuinitatem* communicant: & ita eſt *vnus & idem* cum illis Deus. Et hoc totum eſt in Deo, à

a *Heb.* 1.3.
b *Coloſ.* 1.15.
c *Ioan.* 1.1.

S.Thom 1. *p* q.42.

ſua

Digitized by Google

ſua vſque æternitate:nam omnes tres perſonæ ſunt æternæ, nec vna altera prior; nec Pater antiquior eſt,quàm Filius;nec Filius, quàm Spiritus S. non enim ſunt Pater & Filius,ſicut ſunt terreni. Item omnes tres Perſonæ ſunt immenſæ,nec poteſt vna ab altera ſeparari; ſed vbicunque eſt Pater,& Filius,& Spiritus S.& omnes tres ſunt æquales; ita vt vna non ſit altera maior; quia tanta eſt dignitas eſſe Filium,atq; eſſe Patrē;& eſſe Spiritum S.atque eſſe Filium.Omnes itaq; tres Perſonæ integrā habent & plenam *beatitudinem in cognitione & amore* ſuiipſarum,& ſuæ diuinitatis: Ex quo procedit,vt ſint infinitè lætæ & ſaturæ,abſque vllo tædio, aut neceſſitate rei alicuius extra ſeipſas. Quare etſi Deus in ſua *æternitate*, antequā mundum crearet,eſſet *ſolus* abſque vllis creaturis; non tamen otioſus erat aut ſine ſummo gaudio:nam principale eius opus, eſt *interna cognitionis & amoris*; in quo opere conſiſtit eius gaudium ineffabile:& ab eo procedunt externa opera,quæ omnibus tribus Perſonis ſunt verè communia, quia omnes tres ſunt vnus Creator, Sanctificator,& Glorificator; vnus Benefactor,à quo procedunt omnia *opera naturæ,gratiæ,& gloriæ*:ideoque omnes tres audiunt orationes noſtras, implent noſtra deſideria & nos ipſos replent miſericordijs. Deus nunquam otioſus.

Ex omnibus his conſiderationibus concipiendi ſunt magni affectus *admirationis,amoris,gaudij & laudis*,propter ſingularum diuinarum perſonarum excellentias; ratiocinando per eas,quæ ſunt in ſingulis,in modum colloquij,colloquendo cum vnaquaque ſeorſim, hac ſubſcripta vel ſimili forma. Colloquiū cum perſonis diuinis.

Cum Patre æterno.

PRIMVM itaque cum *Prima perſona* colloquens, illi dicam: O Pater Maieſtatis immenſæ, principium abſque principio, quia à nullo procedis,à te verò reliquæ perſonæ procedunt,meritiſsimè dixiſti: I. Cū patre.
a *nunquid ego,qui alios parere facio,ipſe non pariam? & qui generationem cæteris tribuo,ſterilis ero?* Gaudeo,Domine,quòd intra te ipſum,verbum tuū æternum concipias,genereſque iſtum Filium adeò tibi ſimilem, vt ſit vnū idemque tecum. Nec defectus aliquis reputandus eſt,quòd non habeas multitudinem filiorum; ſiquidem in hunc ſolùm exeris infinitam tuam virtutem; vno actu generans *ſummum*,quod poteras generare. a *Iſa.* 66. 9.

O Pater glorioſiſsime,gaudeo perpetuum eſſe *gaudium*, quo afficeris, generando talem Filium;cōtinuè enim illum generas,dicisq; : b *Filius meus es tu,ego hodie genui te.* O æternum HODIE,quod ſemper fuiſti,ſemper es, & ſemper eris; nunquā deſinens eſſe O diuina generatio, qua tu Pater ſupreme genuiſti,gignis,& gignes Filiū,quē tantoperè diligis! O quāta *lætitia* dixiſti in tua ęternitate,quod poſtea apud Iordanē,& in mōte Thabor, II b *Pſal.* 2. 7.

c Matt. 3. 17 & 17. 5. d Prou. 10. 1. c *hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui!* quis alius præter te, & quod tecum eſt *vnum*, intelligere poteſt *amorem*, quo tuam ipſam diuinitatem illi communicas; d *ſi filius ſapiens lætificat Patrem*, quanta lætitia afficieris ex eo filio, qui eſt ipſamet *ſapientia* cum tua?

III. e Epheſ. 3. 15. O Pater cœleſtis, e *à quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur*; ſiquidem tantoperè oblectaris, quòd ſis talis Filij Pater; per eundem tibi ſupplico, vt multos alios gignas, quorum ſis Pater per gratiam *adoptionis*, ſicut huius es Pater per naturam. O vtinam & terra, & cœlum, talibus filijs replerentur, vt diuina tua Paternitas dilataretur & reſplenderet in cœlis & in terra!

IV. f Iacob. 1. 17. g Ioan. 1. 9. h Heb. 1. 3. i Ioan. 17. 3. O f *Pater luminũ*, à quo procedit g *lux vera*, quæ eſt filius tuus, h *ſplendor infinitæ gloriæ tuæ*; da mihi viuæ fidei *lumen*, quo agnoſcam i *te ſolum verum Deum*, & Vnigenitum, quem genuiſti *Ieſum Chriſtum*, per quem te agnoſcam, & diligam, ſimque filius lucis in hac vita, & obtineam lumen gloriæ, quo te clarè videam in æterna. Amen.

Cum Vnigenito Dei Filio.

I. a Ioan 1. 14. & 3. 4. 2. Cum filio. LOQVAR deinde cum *Secunda* Diuinitatis *perſona*, eius proprietates percurrens. O fili Dei viui, a *Vnigenite, qui* æterna generatione *à Patre procedis*: Gaudeo, quòd per excellentiam ſis VNIGENITVS, ita vt nec fuerit vnquam, nec futurus ſit talis vnigenitus, atque es tu. Multi ſunt filij vnici ſuorum parentum, ſed tu ſolus Vnicus es, & Vnigenitus, modoque adeò ſingulari generatus, vt impoſsibile ſit, alium huic ſimilem inueniri.

II. TV es VNIGENITVS; quia quà Deus, genitus es à Patre ſine Matre; eſque adeo Vnicus tui Patris, vt non poſsit ille alium generare; & ab eo ſolo accipis *bonum infinitum*, quo frueris ita vt non ſit poſsibile, aut Patrem deſiſtere à tanto bono tibi communicando, aut te ab eo recipiendo: quia vterque infinitè oblectatur, ille quòd te generet; tu verò, quòd ab eo genereris.

III. TV es VNIGENITVS, quia tu ſolus inter omnes filios, *es imago & figura* tui *Patris*, adeo perfecta; vt eò peruenias, vt ſis vna eademq; res cum illo, ita vt qualis eſt Pater, talis in omnibus & per omnia ſit filius: eſtque tanta omninò dignitas eſſe filium, quanta eſt eſſe Patrem. O *æqualitas* infinita! ô *ſimilitudo* ſingularis, potiùs admiranda, quàm imitanda! ad quam nullus poteſt cum *æqualitate* peruenire, quamuis liceat ſuſpirare pro impetranda aliqua eius parte.

IV. Es item VNIGENITVS per *excellentiam*, quia ſolus accipis hæreditatem paternam, inæſtimabiles videlicet eius Diuinitatis *diuitias*, nihil

ipſo

ipſo Patre ſibi reſeruante, quod tibi non tradat, ita vt ſis ęquè *potens* atque ipſe, cum æquali etiam poteſtate generandi alios filios adoptiuos, qui hæredes ſint gloriæ tuæ, in ea portione, quam volueris illis dare. O ſi me tibi ſimilem faceres, in eo, quod eſt eſſe filium: nam b *ſi filij* (ait Apoſtolus) *& hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* b *Rom.* 8. 17 b *Gal.* 4. 7.

V.

Tv denique es per excellentiã Vnigenitvs: quia c *es in ſinu Patris* tui, numquam ab eo diſcedens. Gaudeo, ô bonum meum, de requie iſta tua æterna, quam habes in paterno iſto ſinu, penetrans omnia *ſecreta* infinitæ *ſapientiæ* Patris tui; & amans infinito amore bonitatem eius, qui te intra ſe retinet; & bibens totum Torrentem deliciarum & voluptatum, qui exundat in Diuino ipſius pectore. O ſi & ego Diuinum iſtum ſinum ingrederer! O ſi recumberem in ſancto iſto pectore, vt particeps aliquo modo eſſem *lucis, amoris,* & *voluptatis*, quam iſtic habes! non ſum contentus Domine cum ſinu Abrahæ, credentium Patris; ſed cupio ſinum Patris tui, qui eſt Pater viuentium: & vti tu es, ego eſſe cupio, qui dixiſti: d *vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit.* Aſpice, anima mea, quantum ſit Patris gaudium, talem filium in ſinu ſuo continere; & quantum ipſius filij, in talis Patris ſinu requieſcere: & ingredere fide & contemplatione in eundem ſinum, vt vtriuſque gaudio, quod vnum & idem eſt, fruaris; & oblectare te cum vtroque, coiungens gaudium tuum cum illorum gaudio, vt faciant te *vnum* ſecum. Verùm quid facis, ô verbum æternum & diuinum, ab æternitate tua manens in medio iſto *ſinu*? num tibi ſoli illum ita retinebis, vt nullus tecum ſit in eo? O ineffabilis virtus Filij, qui procedens à Patre ſuo, ſimul cũ ipſo producit Spiritvm Sanctvm, tam bonum & tam potentem, atque eſt vterque. Exulto, Deus meus, ob gaudium quo frueris in hac productione, qua illi eandem Diuinitatem communicas, quam accipis à tuo Patre; & eodem gaudio, quo Pater eam tibi communicat. O ſi mihi daretur e *ſine inuidia communicare* bona, quæ de manu tua accipio; vt multi te diligerent, ſicut ego diligere opto, in ſecula, Amen.

c *Ioan.* 1. 18.
Oratio ad filium.
d *Ioa.* 12. 26.
e *Sap.* 7. 13.

Cum Spiritu ſancto.

I. Colloquiũ cum S. Spiritu.

Eodem modo cum *Tertia perſona* Diuinitatis colloquar, percurrens eius *proprietates*: O ſupreme Spiritus, qui à Patre & Filio, tanquam ab *vno principio* æterna proceſſione procedis, gaudeo quòd per excellentiam ſis Spiritvs, qui ſumma voluptate hauris ſpiritum & vitam duorum, à quibus procedis. Tu es Spiritvs Patris, à quo accipis *Diuinitatem* & *omnipotentiam*; & es Filij Spiritvs, à quo accipis eiuſdem *ſapientiam*; & es Spiritvs vtriuſq; à quibus accipis *infinitum a-* *Ioan.* 15. 26.

Spiritus veritatis qui à Patre procedit.

amorem, quo ſe mutuò amant,& tu illos eodem diligis amore, quo ab illis diligeris; ita gaudens,quòd ameris, atque illi gaudent,quòd te diligant: quia omnes tres eſtis vnus DEVS,vna bonitas,& vnus amor. O ſi coniũgerer tibi in vno ſpiritu,vt totus conuerterer in ſpiritum amoris.

II. TV es propriè SPIRITVS,quia procedis tanquam *impetus* & *impulſus* à beneuola Patris & Filij *voluntate*;manens tamen intra illos, in vnitate *Eſſentia*,& *charitatis*;vniens infinitæ amicitiæ vinculo perſonas, à quibus procedis. O ſi procederet à te impetus quidam *amoris*, qui meam voluntatem impleret,& cor meum penetrans illud raperet, tuoque coniungeret;ex vtroque *vnum* per amorem faciens!

III. O Spiritus Diuine,qui per *excellentiam* es SANCTVS, quia procedis cum *amore*;qui es *fons ſanctitatis*, quæ non tam conſiſtit in cognoſcendo cum magna *ſapientia*, quàm in diligendo cum magna *charitate*. Gaudeo de *Sanctitate*, quam habes;& de *gaudio*, quo illam à Patre & Filio recipis, à quibus procedis.Et ſiquidem ab vtroque ſimul, tanquam *donum* procedis,vt liberaliter ijs communiceris, qui fuerint tui capaces; da mihi te ipſum,donum infinitum;vt eo dono ſim & ego Spiritus, ſicut tu, in puritate; & Sanctus, ſicut tu,in charitate; & per eam me totum dedam tibi, ſicut tu das te mihi; vt ſublimi tua Deitate fruar in æternum, Amen.

Oratio ad S.Spiritũ.

PVNCTVM V.

De mentis oratione ad Imitationem Trinitatis.

EX dictis in proximo puncto, perpendam rationem & formam *orationis mentalis*, & *internæ* cum Deo *communicationis*, & ſimilitudinem illius æternæ,quam Tres Diuinæ perſonæ habent.

I. NAM ſicut Pater æternus,Diuinam ſuam *Eſſentiam* intelligens format conceptum vnum, & viuam ſui ipſius ſimilitudinem, quæ eſt *verbum*, quod ſemper intra ipſum Patrem permanet: ita in oratione curandum mihi eſt, Deum ita perfectè cognoſcere, vt intra me formem conceptum eius verum,proprium, & perfectum, qui ſit *imago* & *repræſentatio* eius,quod eſt in ipſo,iuxta illud Apoſtoli, a *nos reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eãdem imaginem transformamur*. Quæ *cognitio* debet meritò in me perſeuerare, qua maxima fieri poterit continuitate & frequentia.

a 2.Cor.3.18.

II. PRAETEREA, ſicut Pater & Filius, mutuò ſe amantes, producunt *amorem*,qui eſt Spiritus Sanctus, qui etiam remanet intra ipſum Deum; ſic ego, ſtatim atque Deum cognouero, & hunc bonitatis conceptum formauero, debeo illum diligere, & producere intra me affectum amoris, cæteroſque affectus, qui illum comitantur; dans operam, vt

quò

Digitized by Google

quò diutiùs fieri poterit,maneant in corde meo. tunc enim reipſa locum habet,quod dixit Sponſa: b *Inueni quem diligit anima mea: tenui eum: nec dimittam.* Inuenire, pertinet ad cognitionem & deſiderium quærens Deum; *tenere* autem illum, proprium eſt *cognitionis* & *amoris* iam illum poſſidentis,& eo fruentis.

b *Cant*, 3. 4

III.

S. Thom. 2. 2 q 180 a.7

Viſio beatifica.

Ex his actibus emergit ſummum *gaudium* & *voluptas*; cuius eſt capax anima mea:nam in illis conſiſtit *beatitudo*, quam poſſum habere in hac vita;ſicut etiam per eoſdem poſſidetur *beatitudo æterna*,quæ eſt videre clarè Deum;illum diligere, & eo frui in æternum : vbi communicatio cum Deo Domino noſtro erit perfecta, & ei ſimillima, quam habent diuinæ Tres perſonę inter ſeſe:nam, vt ait S.Ioannes: c *Cum apparuerit* nobis Deus, *ſimiles ei erimus; quoniam videbimus eum ſicuti eſt.*

c 1.*Ioan.* 3.2

IV.

Deniqve ex prædictis actibus id efficietur, quòd, vt tres Diuinæ Perſonæ habent vnum *ſenſum*, & vnum *velle*,in omnibus quæ operantur, & ſimul ea faciunt in vtilitatem creaturarum ; ſic ego virtute huius internæ cum Deo communicationis , cum ipſo vnitus, lubens implebo eius *voluntatem* , & alijs benefaciam : qui verus eſt fructus orationis. Hinc verò intelligam , quòd exerceri in huiuſmodi *oratione* , non ſit eſſe otioſum ; ſed nobiliſſimam habere *occupationem* , quæ ſit poſſibilis ; & ad eius ſimilitudinem , quam Deus habet intra ſe ipſum; quamuis conſueuerit appellari *otium* , propter quietem , quam habet Mariæ contemplatio , qua differt ab ſtrepitu& ſolicitudine occupationis & vitæ Marthæ. Ob quam cauſam dixit ipſe Dominus per Dauid : d *vacate & videte* : *quia ego ſum Deus* : quaſi diceret; expedite vos à rebus alijs , vt poſſitis attendere contemplationi ; quia tunc videbitis, quòd ego ſolus ſim Deus,ob res glorioſas meę diuinitatis , quarum facio fidem internam ei,qui vacat,vt eas contempletur.

Oratio cur dicatur otium.

d *Pſa.* 45.11.

V.

e 1. *Ioan* 5.7

Ex his pergam vlteriùs ad contemplanda myſtica illa verba , quibus S.Ioannes hoc *myſterium* declarauit , dicens: e *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo* : Pater, Verbvm, & Spiritvs Sanctvs; *& hi tres vnum ſunt*: *Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra* : Spiritvs *&* Aqva, *&* Sangvis ; *& hi tres vnum ſunt*,in teſtimonio ferendo.

Circa quæ verba perpendam,quòd *tres* Diuinæ *perſonæ* , tamquam legitimi *teſtes*,qui ſunt in numerò ternario , pleniſſimum dant teſtimonium rerum omnium,quæ ad illos ſpectant,idq́ue ſumma conformitate; eò quòd ſint *vnus idemq́ue* Deus : & ita reipſa teſtimonium reddiderunt in mundi creatione,& præcipuè hominis,quem f *fecerunt ad imaginem & ſimilitudinē ſuam*: Et in g *Baptiſmo* & h *Transfiguratione*, idem teſtimoniū reddiderunt de ſua diuinitate.Et poſtea dederūt teſtimoniū de veritate ſuę *doctrina*, de ſāctitate ſuę legis,& de efficacitate ſuę *gratia* veniēte ad id

f *Gen.* 1. 27

g *Mat.* 3. 16

h *&* 17 5

S. Thom. 3. p. q 93 a 5.

Spi-

Spiritu S. ſicut ſuprà eſt dictum. Sed in particulari reddunt teſtimonium magnitudinum & perfectionum ſuarum, in ipſis iuſtorum cordibus, admirandis ſuæ Diuinitatis indicijs. Propter quam cauſam dixit idem S.
i 1. Ioan. 5. 10 Ioannes: i *qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe*; quod (teſte
k Rom. 8. 16 Sancto Paulo) proprium eſt ſpiritus Diuini. k *Spiritus enim ipſe* (inquit) *teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij* DEI. Sed vltimum teſtimonium clarum & euidens reddent beatis in gloria; vbi omnes videbunt Tres diuinas Perſonas; quia eſt impoſſibile vnam ſine altera videre: & hac omnium trium *viſione* manebunt ſaturi per totã ęternitatẽ. O Trinitas beatiſſima, & Vnitas glorioſiſſima, quid tibi reddam pro clariſſimis adeo teſtimonijs, quæ de te nobis reddidiſti, & etiamnum reddis, reddeſque inceſſanter! Quod ego deſidero, eſt, tria illa amplecti, quæ teſtimonium dant in terra, *ſpiritum*, videlicet, *aquam*, & *ſanguinem*, adorans, amans, & imitans Spiritum Chriſti Domini mei, lauantis me aqua, quæ ex pretioſo illius latere fluxit; & meditantis ſanguine, quem ex Diuinis ſuis venis effudit. O vtinam mihi daretur ſpiritus *amoris*, aqua *lacrymarum*, & ſanguis *pœnitentiæ*, quibus teſtimonium redderem, quam multis ſim tibi obſtrictus, vt ſic fierem *vnum* tecum *vnione charitatis*, ad te laudandum & glorificandum in æterna tua gloria, Amen.

Diuinæ perſonæ ſeorſim nõ videntur.

Oratio.

MEDITATIO V.

DE INFINITA DEI PERFECTIONE.

S. Thom. 1. p. q. 4. a. 1. & 2.

PERFECTVM illud vocamus, quod habet in ſe omnia, quæ poteſt & debet habere iuxta naturam ſuam; ita vt nihil nec minima quidem pars deſit: Nam quidquid illorum illi deſit, aliquam illi imperfectionem adfert. Hoc idem appellatur PVLCHRVM, quatenus recreat corporis & animæ aſpectum. Appellatur etiam BONVM, quatenus mouet, afficit, trahitq́; ad ſe voluntatem aſpicientis. Ideoq́; tria hæc nomina & epitheta in ſcriptura Diuina tribuuntur Deo, eiuſq́ue operibus, propter integritatem & plenitudinem, quam habent in omnibus, quæ eorum natura poſtulat, & debet habere. Hac præmiſſa nominum interpretatione, rem ipſam ſignificatam declarabimus.

S. Thom. 1. p. q. 5. a. 4. ad 2.

* * *

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM primò, quòd prima & ſuprema *perfectio* noſtri magni DEI Trini & Vnius, ſit, eſſe adeò perfectum, vt in propria ſua natura includat omnes *perfectiones* & *excellentias* poſſibiles abſque vlla prorſus imperfectione; ita vt nihil omninò illi deſit eorum, quæ in Deum cadere poſſint; nec ſit poſſibile imaginari veram aliquam perfectionem, cuius DEUS ſit capax, quæ non ſit in illo in omnibus perfectionis gradibus, quos poſſibile eſt illam habere, abſque vllo termino aut limite. Quamobrem dicit Scriptura: a *magnitudinis eius non eſt finis*; & quòd: b *ſpiritus Domini continet omnia*; & quòd: c *ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*, cum infinito *perfectionis* exceſſu, abſque admixtione imperfectionum, quas habent in ipſis creaturis. Ideoque ingenti admirationis & gaudij affectu dicam DEO DOMINO noſtro: *Deus meus & omnia.* O DEVS meus, DEUS infinitæ Maieſtatis, firmiſſimè credo, te eſſe omnia, quatenus cum infinita *eminentia*, in te complecteris omnium *perfectionem*; quia omnia accipiunt à te perfectionem, quam in ſe habent. Tu etiam es omnia, quia es principium & finis, idea & exemplar perfectionis, quam à te accipiunt, quæ perfectio, quò magis ad tuam accedit, eò illa ſunt perfectiora. Tu es mihi omnia, quæ deſiderare poſſum; tu meæ diuitiæ, meæ deliciæ, mei honores & dignitates, primigenia mea iura, & theſauri infiniti; in te ſolo, ſine vllis alijs rebus, omnia habeo; quæ tamen omnia, ſine te, erunt mihi quaſi nihil. O Anima mea, ſi *perfectionem* quæris, amplectere DEUM; & in eo inuenies illam puriſſimam, abſque vllius imperfectionis commixtione; Si cupis *pulchritudinem*, reſpice & contemplare DEUM; quia in illo eſt tota, abſque vllius deformitatis mixtione; Si *bonitatem* diligis, dilige DEUM; in quo illa ſummè reſplendet, nulla admixta malitia. O *DEVS meus, & omnia mea*, quando veniam, vt te clarè videam in tua gloria, vbi operaris omnia in omnibus, in ſecula, Amen.

S. Dionyſ. de Diuin. nomin. c. 5.
S. Auguſt. in Manu. c. 12.
Deus perfectiſsimus.
a Pſal. 144. 3
b Sap 1. 7.
c Rom 11. 36
Oratio.
S. Aug. Medit. c. 12.

HOC verbum copioſiſſimam Meditationis materiam continet, maximè ſi ei adiungatur, quod Pater Filij prodigi ſuo maiori natu filio dixit: *omnia mea tua ſunt.* Quare, vt, quæ in eo continentur, altiùs penetremus diſcurrendum eſt per omnes gradus *perfectionis* ESSENDI, qui ſunt in rebus creatis, reducendo illos ad quatuor vel quinque, vt in ſubiectis punctis apparebit.

PVNCTVM II.

I. In Deo eminenter perfectiones creaturarum.

SECVNDO eſt conſiderandum, quòd in Deo Domino noſtro ſint eminenter omnes *perfectiones* creaturarum *primi ordinis, & gradus*, ſcilicet corporalium vita carentium, *cælorum* inquam & eius ſtellarum, & planetarum; quatuor item *elementorum*, & omnium *mixtorum*, quæ ex eis generantur; & *metallorum* omnium, auri, argenti & lapidum pretioſorum; nam hæc omnia creauit Deus, deditque illis pulchritudinem & ſplendorem, quem in ſe habent; & proprietates ac virtutes, quibus res ſtupendas operantur: quorum omnium perfectiones ſunt in ipſo DEO, alio modo infinitè perfectiori. nam quod in creaturis ipſis, ob imperfectionem ipſarum vita caret, in ipſo Deo habet *vitam*: iuxta illud: a *quod factum eſt, in ipſo vita erat*: quod ſcilicet factum eſt, antequam re ipſa fieret, in Deo erat *vita*; quia Deus habebat intra ſeipſum valde eminenter viuam perfectionem, quam ſuis creaturis erat daturus, & *viuam* illarum *Ideam*, ſicut artifex habet in ſe Ideam rei, quam eſt facturus.

a *Ioan.* 1. 3.

S. Auguſt. & Beda, & alij.

II. HINC fit, quòd poſſit Deus Dominus noſter abſque his creaturis facere, quod illæ faciunt: verbi gratia, illuſtrare mundum ſine *ſole*, calefacere ſine *igne*, refrigerare abſque *vento*, humectare abſque *aqua*, & producere abſque *terra*, quod cum illa producit: quia habet in ſe virtutem & perfectionem horum omnium: quòd ſi his creaturis vtitur, id prouenit, non quòd illis indigeat, ſed vt infinitam ſuam bonitatem oſtendat, vt poſteà videbimus.

III. HINC eſt etiam, quòd Scriptura ſacra, ad perfectiones Dei nobis declarandas, tribuat Deo nomina harum creaturarum, appellans illum *ſolem* iuſtitiæ, *ſtellam* matutinam, *ignem* conſumentem, *fontem* aquæ viuæ, *ſpiritum*, qui vbi vult ſpirat: Diuitias verò eius gratiæ & gloriæ declarat nominibus *auri, argenti, & lapidum pretioſorum*: ex quarum rerum pulchritudine & elegantia, & admirandis earum proprietatibus, aſcendit ad contemplandam pulchritudinem & elegantiam DEI, & ſublimes eius proprietates.

IV. ITA tamen hæc nomina DEO tribuuntur, vt quidquid in rebus his creatis conſpicitur, ſit vmbræ inſtar aut figuræ, & quaſi nihil; ſi cum eo, quod eſt in DEO, conferatur; cuius comparatione *cæli* non ſunt mundi, *ſol* non ſplendet, *luna* non eſt pulchra, & omnis *pulchritudo* eſt deformitas. Singulis hiſce conſiderationibus debeo cor meum excitare ad affectus admirationis, amoris, laudis, & gaudij, quòd habeam DEUM adeò pulchrum, & in omnibus adeò perfectum.

Eius pul- O DEVS infinite, gaudeo quòd ſol & luna tuam *pulchritudinem* miren-

rentur, agnoſcentes nullam eſſe, quam ipſi habent, ſi cum plurima tua conferatur. O Dilecte cordis mei; ſi ita me oblectat pulchritudo, & perfectio harum creaturarum, cur me non amplius oblectat pulchritudo & perfectio tua, ex qua illæ proceſſerunt! Diligam te præ omnibus, qui infinitè pulcher es, & perfectus præ omnibus; nec illas diligam, niſi propter te, à quo illæ accipiunt, quidquid perfectionis in ſe habent. chritudinē ſol & luna mirantur.

V. Relinquere Deū ſummæ amentiæ.

Hinc etiam intelligam, quanta ſit amentia, Deum qui infinitè perfectus eſt, relinquere, vt harum creaturarum perfectione & pulchritudine fruar, propter delectationem aut emolumentum, quod ex earum poſſeſſione mihi poteſt obuenire: ſiquidem Scriptura teſte: a *omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum*, & omnes diuitiæ quaſi nihil reputantur. Oblectatio autem, quæ ex ijs procedit, eſt ſicut aqua, quæ fluit in b *ciſternas diſſipatas*, cuius cauſa *malum eſt derelinquere fontem aquæ viuæ*, & infinitum eius perfectionis theſaurum. a *Sap.* 7. 9. b *Iere.* 2. 13.

VI.

Denique in id incumbam aliquando, vt diſcurrens per proprietates aliquarum creaturarum, intelligam *perfectiones*, quæ ſunt in ipſo Deo, qui cum illis comparatur: ſicut fecit Sanctus Dionyſius, computans triginta quatuor ferè *ignis proprietates*, per quas tanquam per quædam veſtigia, inueſtigabat *proprietates* quæ ſunt in Deo, qui vocatur c *ignis conſumens*: id quod faciam gaudens, quòd Deus totum illud habeat, & multò plus; & quòd per ſe ipſum poſſit, quod facit per ſuas creaturas. *Lib. de Cæleſt. Hierarchia c.* 15. c *Deut.* 4. 24.

Pvnctvm III.

I.

Eodem modo conſiderandum eſt, quòd in Deo Domino noſtro ſunt etiam eminenter *perfectiones ſecundi gradus* creaturarum corporearum, quæ ſcilicet vitam habent vegetatiuam; aluntur & creſcunt, ſibique ſimiles generant: quales ſunt *arbores, plantæ, herbæ, & flores* odoriferi, quorum proprietates nobis manifeſtantur per fructus, folia, & ſemina, quæ producunt per *virtutem* à ſuo Creatore illis *inditam*, in quo illæ ſunt cum infinita excellentia; de qua ipſe gloriatur, dicens: a *pulchritudo agri mecum eſt*, arborum videlicet omnium, plantarum, herbarum, & florum, qui ſunt in hortis, & campis huius vniuerſi; & ob eam rem modò appellatur lilium, modò vitis, modò arbor vitæ: ex quibus eliciendi ſemper ſunt aliqui affectus; vt in proximo puncto eſt dictum. a *Pſal.* 49. 11

II. Eodem modo ſunt etiam in Deo *perfectiones* omnium viuentium, quæ etiam ſentiunt; quales ſunt animantes terræ, aues aeris, & piſces maris, quæ ſunt innumerabiles & admirandæ. Nam in quibuſdam eminet magnitudo, in alijs fortitudo, in alijs velocitas, in alijs pulchritudo, in alijs aſtutia & ſagacitas: quæ omnia inueniuntur in Deo, *cum exceſſu infinito*. Et ita in Diuina ſcriptura comparatur cum his animantibus, vt ex earum perfectionibus aſcendamus ad eas cognoſcendas, quas in ſe ipſe habet. Vocatur enim *Leo* ob fortitudinem; *Agnus*, ob manſuetudinem; *Ceruus*, ob velocitatem; & *Aquila* propter pietatem. Ita tamen horum perfectiones ſunt in Deo, vt non ſint ſimul imperfectiones, quas habent in ipſis creaturis. Eſt enim in Deo fortitudo leonis, ſed nulla ibi eſt crudelitas; eſt Agni manſuetudo, ſed non eſt eius ſimplicitas; & ſic de cæteris.

Ex quo conſtat, poſſe me ex ſingulis, quæ video, vbi eſt perfectum & imperfectum; bonum & malum; pulchrum & deforme, intelligere infinitam Dei perfectionem, remouendo ab eo, quidquid eſt mali, imperfecti, & deformis; & ſolùm in eo collocando, quod bonum eſt, perfectum & pulchrum, & alio modo perfectionis excellentioris. O dilecte mi, ſicut *ſeparo* in te *pretioſum à vili*; vt te cognoſcam: ita deſidero ſeparare in me pretioſum à vili; vt tibi placeam. Concede mihi, Domine, vt per tuam gratiam particeps ſim altiſſimæ huius diuiſionis, quam tu habes per naturam; vt liber ab imperfectionibus, purus maneam, & perfectus in virtutibus.

Oratio. *Ierem.* 15.19

Pvnctvm IV.

Qvarto conſiderandum eſt, etiam eſſe in Deo omnes *perfectiones creaturarum* intellectualium, tam *hominum*, quàm *Angelorum*, quos ipſe ad imaginem & ſimilitudinem ſuam condidit; quibus dedit Eſſe ſpirituale, quod habent; memoriam, intellectum, voluntatem & liberum arbitrium; artes, ſcientias, virtutes, gratias, poteſtatem & excellentiam, quæ in omnibus & ſingulis relucent. Ex quo fit, vt omnes hę perfectiones ſint in Deo, cum infinitè maiori excellentia: ac propterea dixit ipſe in quodam Pſalmo: a *qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat? qui docet hominem ſcientiam*, erit eius ignarus? & qui dat virtutem & ſanctitatem, ea carebit? & qui dat poteſtatem, quam ipſi habent, ſpoliabit ſe illa? Quare, cũ videbo hominum ingenia, in artibus & artificioſis operibus, ad inuenienda habitãdi ædificia, ad conflanda vitra, ad cartã conficiendam, telã texendã, picturã, muſicã, & ſimilia; ſtatim cõſcendã ad conſiderandã infinitam Dei *ſapientiam*, ex qua tamquam *fonte*,

a *Pſal.* 93.9.

Quomodo per opera Deus cognoſcatur.

& *origine*, omnes hæ inuentiones proceſſerunt: &, quando videbo prudẽtiam, & prouidentiam Regum & Gubernatorum in ſua gubernatione, & virtutes altiſsimas, quæ reſplendent in ſanctis & viris perfectis, leuabo oculos ad conſiderandam infinitam excellentiam Dei, in hiſce omnibus rebus, eum propterea laudando, glorificando, ac diligendo.

I. Exemplar omnis perfectionis.

Ex quo deducam primùm, Deum Dominum noſtrum, eſſe infinitum *exemplar omnis perfectionis*, quod ſemper reſpicere debeam, tum vt infinitas eius perfectiones admirer, in quibus nullus poſsit illum imitari; tum vt exciter ad eas imitandas, in quibus licet eum imitari; iuxta illud quod Redemptor noſter ſuis diſcipulis dixit: b *eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*: quaſi dixerit; contendite, vt nulla perfectio virtutis vobis deſit ex omnibus quas poteſtis obtinere; ſicut Pater veſter ita eſt in omnibus *perfectus*, vt nulla illi deſit. O Pater perfectiſsime, à quo omnis perfectio procedit, da mihi, quam habere me iubes; quò ſic habeam, quam tu vis me habere.

b *Mat*. 5. 48.

II. Ex fructibus arbor cognoſcitur.

DEDVCAM deinde, quòd ſicut arbor ex fructibus cognoſcitur; nam arbor bona fructus bonos facit: ita Dei *perfectio* ex eius operibus deprehenditur; dicente ſcriptura; c *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona &* d *perfecta*. Nec ſolùm id apparet in rebus magnis, quales ſunt cœli & elementa; ſed etiam in minimis, quales formicæ, & vermes. Ad eius itaque imitationem ſtudebo & ego eſſe perfectus, oſtendens perfectionẽ meam in rebus omnibus magnis & paruis: conando, iuxta conſilium Sapientis, e *in omnibus rebus præcellens eſſe*.

c *Gen*. 1. 31.
d *Deut*. 32. 4.
e *Eccl* 33. 23.

III.

DENIQVE ſicut res imperfectæ, pro perfectione, quæ illis deeſt, recurrunt ad perfecta in eo genere; ſicut cui deeſt calor, accedit ad ignem; ita ego cùm me videam imperfectum, ad eum meritò accedam, qui eſt infinitè *perfectus*, vt me perficiat, dando quod mihi deeſt. O Deus infinite, f *imperfectum meum viderunt oculi tui*; à te accepi, quod habeo: tu ergo mihi dabis, quod deeſt: perfice Domine opus, quod incepiſti, me ita perfectum faciens, vt nihil mihi deſit, Amen.

f *Pſal*. 138. 16.
Oratio.

PVNCTVM V.

I.
S. Thom 1 *p. q* 3. *a*. 7.

QVINTO conſiderandum eſt, omnes has *perfectiones*, quas in Deo eſſe diximus; quamuis ſint aliàs innumerabiles, quatenus in creaturis ſunt diſperſæ, in ipſo tamen Deo omnes eſſe *vnicam*, eamq́; ſimpliciſsimam, in qua omnes contineantur, ſicut multæ minutæ pecuniæ in vna aliqua maioris valoris; ſic inquam in Deo vna eademq́ue res eſt eius Sapientia, eius bonitas, charitas, miſericordia, omnipotentia, fortitudo, & reliquæ, abſque vllo compoſitionis, aut diuiſionis genere: nam ſingulæ

Vnitas perfectionum in Deo.

Digitized by Google

perfectiones reliquas omnes imbibunt, ita vt eius bonitas, ſit ipſa ſapientia, ipſa omnipotentia; & omnipotentia eius, ſit ipſamet ſapientia, ipſamet
a *Sap.7.22.* bonitas, & ſic de cæteris. Et propterea fortè dixit Sapiens: a *quòd Spiritus Dei ſit vnicus & multiplex: & qui capiat omnes ſpiritus.* Ex quo fit, vt non ſolùm in Vniuerſi huius machina, ſed in ſingulis etiam per ſe Dei *operibus*, reſplendeat coniunctio & *vnio* admirabilium eius perfectionum, ex qua cognoſcere liceat, eius Creatorem eſſe potentem, ſapientem, bonum, infinitum amabilem, &c.

I. Deſideriũ imitandi. HINC affectus duos & firma propoſita concipiam. PRIMVM eſt, intimum *deſiderium* imitandi infinitam hanc diuini Eſſe ſimplicitatem, in puriſsima intentionis meæ ſimplicitate & ſinceritate; ſtudendo, vt in omnibus meis actionibus, etiamſi plurimis, reſplendeat vna perfectiſsima intentio placendi ſoli Deo, quòd ipſe talis ſit, in quo continentur virtute magnæ perfectiones: cuius cauſa Chriſtus Dominus dixit: b *ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit.* O Deus perfectiſsime, illu-
b *Mat.6.22* *Luc.11.34.* Oratio. mina oculum *cognitionis* meæ, vt in creaturis omnibus, reſpiciam te earum Creatorem, à quo illæ ſuam perfectionem accipiunt: Purifica & oculum *affectus* mei, vt in illis omnibus, diligam te earum benefactorem, à quo illæ ſuam bonitatem accipiunt: Clarifica oculum *intentionis* meæ, vt in omnibus meis operibus purè ac ſincerè quæram te *vltimum* eorum *finem*, à quo acceptura ſunt ſuum ſplendorem, quo tu in eis glorificeris in ſecula. Amen.

II. Virtutes cõiungendo. ALTERVM propoſitum erit, coniungendi in ſingulis meis operibus *varietatem* principalium *virtutum*, quæ in eis poſſunt reſplendere; ita vt ſingula opera, ſint ſuo modo *vnum*, & *plura*, & complectantur multos ſpiritus & effectus Dei, nam ſi oro, aut ieiuno, aut Eleemoſynam facio, hoc opus poteſt habere adiunctos affectus amoris Dei, fiduciæ, obedientiæ, humilitatis, timoris filialis, & alios ſimiles. Et hac fortè de cauſa Chriſtus Dominus noſter, intentionem vocauit *oculum*; & eius opus, *corpus*; ſignificans, quòd ſicut corpus habet multa membra & partes; ita ſingula opera varia debent habere virtutum exercitia, omnia verò directa oculo ſimpliciſsimo puræ intentionis, ad gloriam ſolius Dei.

(***)

Digitized by Google

MEDITATIO VI.

DE SVMMA DEI BONITATE ac ſanctitate.

DVPLEX *eſt bonitatis modus in creaturis*: *nam* altera *eſt naturalis, in eo poſita, vt omnes partes habeat, quæ illi iuxta naturam ſuam conueniunt: quam ob cauſam dixit de illis ſcriptura*: a vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant VALDE BONA: *Altera eſt bonitas moralis; propria creaturarum intellectualium; quæ conſiſtit in cumulo omnium virtutum, & exercitationis earum, quæ illis conueniunt, iuxta ſingularem vitæ rationem: quæ bonitas alio nomine appellatur ſanctitas; & quamuis in creaturis ſeparata eſſe poſſint iſtæ bonitates, vt prima ſit abſque ſecunda, quia hæc dependet à libero arbitrio: in Deo tamen ſunt ſimul, quia æquè naturalis eſt ei ſecunda atque prima, licèt liberè exerceat actus prioris erga creaturas. Quare vtramque complectetur hæc Meditatio, ijs præmiſſis, quæ in proxima ſunt dicta.* S. Thom. 1. 2. q. 6. a Gen. 1. 31.

PVNCTVM I.

PRIMVM conſiderandum, Deum Dominum noſtrum eſſe infinitè *bonum*: ſummamq; eius bonitatem in *tribus* conſiſtere. Bonitas Dei in tribus.

PRIMVM, quòd ita in ſe claudat omnes gradus & rationes *bonitatis*, quæ in creaturis inueniuntur: vt nullam vel imaginari poſſimus *bonitatem*, quæ in Deo non ſit infinitè excellentior. Quamobrem Moyſi à Deo petenti: a *oſtende mihi gloriam tuam*, reſpondit Deus: *ego oſtendam tibi omne bonum*: ſignificans ſe eſſe *omne bonum*; & in ſe claudere quidquid bonum eſt. I. In creaturis a Exod. 33 19

SECVNDVM, in quo Dei bonitas conſiſtit, eſt, quòd totam illam bonitatem habeat ipſe Deus ita in ſua ipſius *eſſentia*; vt neque ab alio illam participet, neque diuinæ ipſius naturæ adiecta ſit, aut ita adiectitia, vt apponi & auferri poſſit, ſicut in nobis; ſed æquè illi naturale ſit bonum eſſe, ac ſanctum; atque eſſe Deum. Quam ob cauſam Chriſtus ipſe Dominus b *cuidam Principi dicenti*: *Magiſter bone*, (exiſtimanti IESVM eſſe purum hominem) *reſpondit*: *quid me dicis bonum?* NEMO BONVS NISI SOLVS DEVS: Nam ſolus DEVS eſt ipſamet bonitas per ſuam eſſentiam. II. In propria eſſentia. b Marc. 10. 18. Luc. 18 19.

TERTIVM, in quo DEI *bonitas* conſiſtit, eſt, quòd eius bonitas & ſan- III.

Ia excellētia. ctitas omnium creatarum rerum, & quæ creari poſſunt, bonitatem ad ò *excellat*; vt eius comparatione nec nomen bonarum illæ mereantur: nam earum bonitas cum Dei bonitate comparata, eſt atque ſi non eſſet: & ob hanc etiam cauſam idem Chriſtus Dominus dixit eidem Principi: (teſte S. Matthæo) nullum eſſe bonum, niſi ſolum Deum, & quòd c *vnus eſt bonus Deus*. Eodem quoque ſenſu Samuelis mater dixit: d *non eſt ſanctus, vt eſt Dominus: nec eſt alius extra te*: quaſi diceret, non eſt alius, qui vocari poſſit Sanctus, ſicut Deus: quia ille ſolus implet *nomen ſanctitatis*.

c Mat. 19. 17. d 1. Reg. 2. 2.

Inde humilitatis fundamentum. HINC deducitur fundamentum veræ ac profundæ *humilitatis*, quam habent ſancti in conſpectu Dei: Quæ humilitas innititur *duabus* his *rebus* poſtremis. Nam omnis hominum Sanctitas eſt adiecta ipſorum naturæ, ac de ſe mutabilis; & comparata ad ſanctitatem Dei, eſt quaſi nihil. Et ita quidam amicus Iob, conferens Angelos cum Deo: e *Ecce*, inquit, *inter ſanctos eius nemo immutabilis, & cæli non ſunt mundi in conſpectu eius*. O Deus ſanctiſsime, qui per excellentiā vocaris f *ſanctus ſanctorum*, eò quòd principium ſis, exemplar, & finis totius ſanctitatis, animo exulto, ob ſummam quam habes bonitatem & ſanctitatem, cum infinita in ea firmitate & ſtabilitate. Confiteor, Domine, me ſanctitatem nullam, niſi tu dederis, habere poſſe; nec in ea perſiſtere, niſi tu conſeruaueris: & quamuis plurimam mihi largiaris, ea tamen comparatione tuæ adeò erit exigua, vt faciem meam velans, præ pudore clamem, ſicut Seraphini, g *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*: Ter enim ſanctus es, ob tres excellentias ſanctitatis, quam habes: propter quam ſupplico, facias me in profunda hac humilitate fundari, vt fiam dignus qui ad altiſsimam ſanctitatem aſcendam.

e Iob. 15. 15. & 4. 18. f Dan. 9. 24. Oratio. g Iſa. 6. 3.

PVNCTVM II.

Virtutes Dei exemplares. DEDVCENDO quæ diximus ad magis particularia, ſecundò perpendam *infinitas* Dei Domini noſtri *virtutes*, ob quas eſt ille infinitè bonus, & ſanctus; quarum aliquas *excellentias* expendam.

I. Excellentia plenitudo virtutum. PRIMA, quòd Deus Dominus noſter cum *infinita eminentia* habet omnes virtutes, quæ in ſanctis ſunt diuiſæ ſiue hominibus, ſiue Angelis, idq; ſine imperfectionibus & limitationibus, quas in ipſis habent. Habet itaque infinitam prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam; infinitam charitatem, liberalitatem, & miſericordiam; infinitam manſuetudinem, clementiam, patientiam, & omnes reliquas, ita vt nulla illi deſit earum, quæ non ſupponant imperfectionem aliquam in ſubiecto, in quo ſunt. Ac propterea ore pleno appellatur a *omne bonum, & Deus*, & b *Dominus virtutum*; in quo ſcilicet non vna & altera, ſed omnes omninò virtutes

a Exod. 33. 19. b Pſal 23. 10. & 45. 8. & 79. 5.

ſunt;

Digitized by Google

ſunt; quia omnes pertinent ad infinitam bonitatem & ſanctitatem Dei; & ſingulæ ſecum tanquam concatenatas adferunt reliquas, à quibus procedunt. Nam hæ virtutes, cùm ad ſuam perfectionem peruenerunt, quaſi annulis inter ſe ſunt colligatæ, ſicut ſunt in Deo; quem in hoc imitari ſtudebo, contendens non ſola vna excellere, ſed in omnibus, dicens: Deus *virtutum*, fac me tibi ſimilem in omnibus eis. S. Thom. 1. 2. q. 65. a. 1.

II. Idea reliquarum.

Secvnda excellentia eſt, quòd virtutes Dei Domini noſtri, ſunt *Idea* & *exemplar* quoddam infinitum *omnium* earum, quæ ſunt aut eſſe poſſunt in ſanctis; quorum virtutes eò ſunt magis aut minùs perfectæ, quò magis aut minùs diuinas referunt, & illis ſunt ſimiles: quæ tamen adeò ſunt infinitæ, vt alius quàm ipſe Deus comprehendere illas nequeat. Sed earum tamen immenſam magnitudinem ſenſim licebit veſtigare ex ijs, quæ ſunt in Sanctis. Ad quam rem iuuerit conſiderare *quatuor genera* virtutum, quas verbis grauiſsimis & maximè ſpiritualibus proponit S. Thomas. Et vt ab inferioribus incipiamus, *Prima* virtutes ſunt *Politicæ* & *Morales*, illorum hominum propriæ, qui vitam ſuam inſtituunt iuxta dictamen & regulam rationis; & ita ſuarum paſsionum impetum moderantur, vt à rationis regula non declinent. Quatuor genera virtutum. 1. 2. q. 61. a. 1. 1.

2\. Aliae ſunt virtutes adſpirantium ad *ſimilitudinem diuinam*, & illam requirentium; qui præſtare deſiderant, quod Chriſtus Dominus dixit: e *eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*; qui virtute *Prudentia* contemnunt res omnes huius ſeculi, contemplantes diuinas; ad quas omnes cordis ſui cogitationes dirigunt: virtute *Temperantia*, relinquunt quod appetit corpus, quantum vita ipſa ferre poteſt, & natura permittit; *Fortitudine*, non terrentur; eò quòd à corpore ſeparentur, aut quòd magis appropinquent ad æterna; *Iuſtitia*, efficiunt, vt anima tota, cum ſuis potẽtijs ac ſenſibus in hanc vitæ rationem conſentiat. c Matt. 5, 48.

3\. Aliae ſunt virtutes eorum, qui *diuinam* aliquam *ſimilitudinem* iam ſunt conſecuti, quorum prudentia ſolùm reſpicit res diuinas; *Temperãtia*, non ſentit cupiditates terrenas; *Fortitudo*, iam non experitur animi perturbationes; & eorum *Iuſtitia* fœdere quodam perpetuæ amicitiæ eſt cũ Deo coniuncta, quem pro viribus æmulatur. Quæ virtutes ſunt propriæ beatorum, ac aliquorum huius vitæ perfectiſsimorum. Quæ diximus ferè ſunt verba S. Thomæ.

4\. Hinc aſcendam ad contemplandas *virtutes* ſupremas, quę *exemplares* appellantur; & propriæ ſunt Dei ſolius, *amuſsis*, & *exemplar* omnium, quas retulimus; ſed cum adeò infinito exceſſu, vt reliquæ omnes, harum comparatione, obſcuratæ videantur, & quaſi non eſſent; vt ſimpliciter Deo dicere poſsimus, quod ait Eccleſia; *tu ſolus Sanctus* & *non eſt alius extra te*: tu ſolus *prudens*, tu ſolus *modeſtus*, tu ſolus *fortis*, tu ſolus *iuſtus*, & non eſt In Cantico Gloria in excelſis.

inter Deos aut inter filios Dei,qui tibi poſsit æquari,aut de ſe præſumere.

Oratio. O Domine Deus virtutum,ſummo exulto gaudio,ob infinitam excellentiam,qua in illis polles; tu es ipſa *prudentia,* cognoſcens quod in te habes; tu ipſa *temperantia*, tibi ipſi te conformans; tu ipſa *fortitudo,* adhæreſcens tuæ immutabilitati; tu ipſa *iuſtitia,* ſeruans tuam æternam legem; tu ipſa *charitas,* tuam diligens charitatem,& per eam eos etiam,qui eius ſunt participes. O ſi mihi daretur aliquid participare tuarum virtutum, vt illis te glorificarem! O Dulciſsime IESV, qui hortatus es: *eſtote perfecti,ſicut Pater veſter perfectus eſt*; & tu ipſe, quà homo es, ſupremam virtutum perfectionem es aſſecutus,& ſummam quæ in eiſdem eſſe poteſt cum Deo ſimilitudinem: Concede mihi, vt eas imiter, quas in tua ſacra humanitate exercuiſti;vt etiam illas æmuler, quæ relucent in ſuprema tua diuinitate, Amen.

HINC ergo decet concipere ingenua quædam propoſita & deſideria, vt non velim eſſe contentus virtutibus politicis;ſed eas quærere,in quibus maior eſt cum Deo ſimilitudo; & contendendo omnibus meis viribus eas conſequi.

III. Deus proprium principium virtutum.

Ex his oritur alia excellentia Dei in his virtutibus; quòd ſcilicet ſit *principium* & *cauſa reliquarum*; à quo propterea tanquam à proprio Domino ſunt petendæ:ipſius enim eſt,illas nobis communicare, & eaſdem conſeruare,augere,ac in ſuis gradibus perficere: ac propterea vocatur *Dominus virtutum.* Quare Deus eſt Dominus fidei,timoris, & ſpei; Dominus caſtitatis,humilitatis,obedientiæ, & charitatis, cum ceteris gratijs ac donis,quæ illam ſequuntur. Et gloriatur ipſe in hoc, quòd ſit earum Dominus. Quod ipſum quaſi titulum & cauſam adhibebo, ad has *virtutes,*& reliqua eius gratiæ *dona* impetranda, dicens cum Dauide; d *Deus virtutum conuerte nos,& oſtende faciem tuam,& ſalui erimus.* O Rex *virtutum,* illas mihi concede,in quibus regnum tuum conſiſtit; vt per eas in me regnes.

d *Pſal.* 79.8.

IV. Deus ob virtutes laudandus.

CONFICIAM denique *canticum laudis* DEO DOMINO noſtro, propter eius virtutes,inuitans & prouocans omnes, ad eundem propter illas laudandum:imò & ipſas,vt & ipſæ DEUM laudent,dicens cum DAUIDE: e *Laudate Dominum in ſanctis eius,laudate eum in firmamento virtutis eius: laudate eum in virtutibus eius,laudate eum ſecundùm multitudinem magnitudinis eius.*

e *Pſal.* 150.1.

Laudate eum omnes Angeli; & omnes *virtutes* eius laudate eum,
laudet eum eius miſericordia; laudet ac glorificet
eum ipſa eius ſanctitas.
Amen.

PVN-

PVNCTVM III.

TERTIO, conſideranda eſt infinita *puritas* & *ſanctitas* Dei in omnibus ſuis *operibus*, in quibus vtramque illam ſanctitatis & iuſtitię partem patefacit, quam Dauid appellat; a *declinare à malo, & facere bonũ*: Carere ſcilicet omni malo; & poſsidere omne bonum. a *Pſal.* 36.27

NAM primùm ipſæ Dei Domini noſtri *virtutes*, adeò ſunt *mundæ*, vt ſit impoſsibile contrarium aliquid admittere aut defectum: aut quod vel in puncto degeneret ab infinita eius perfectione. Quare in Deum nec vitiũ, nec peccatum, nec defectus aut imperfectio aliqua cadere poteſt: Et tam eſt proprium bonitatis Dei, quòd ſit impeccabilis; atque quòd ſit Deus. Non eſt poſsibile illum peccare ex ignorantia boni: quia nouit omnia; neque ex obliuione, aut inaduertentia: quia omnium eſt memor; non ex imbecillitate: quia omnia poteſt; non ex perturbatione, quæ illum abripiat: quia omnia præuenit; non ex timore: quia neminem timet; non ex malitia: quia ipſe eſt ſumma bonitas & regula prima, à qua diſcedere non poteſt. Quare impoſsibile eſt, in Deum cadere mendacium, infidelitatem, dolum, fraudem, impatientiam, tyrannidem, aut aliud peccatum, aut eius vmbram, quia b *mundi ſunt oculi eius, ne videant malum; & reſpicere ad iniquitatem non poſſunt*, eam videlicet approbantes.

I. Virtutes Dei puriſſimæ.

b *Habac.* 1. 13.

HINC fit, vt non ſolùm Deus per ſe peccare non poſsit; ſed neque eſſe cauſa, quòd alij peccent; eos videlicet ad id mouens aut inclinans: hoc enim alienum eſt ab *infinita* eius *puritate*; eſſetque ipſe ſibi contrarius, & ordini infinitæ ſuæ *ſapientiæ* ac *bonitatis*. Fit item, quòd quamuis Deus ſuſcipere poſsit naturam humanam, omnibus huius vitæ pœnis ſubiectam; nõ eſt tamen poſsibile, eam accipere ſubiectam peccato.

II. *S. Thom.* 1. *p.* q. 49. *a.* 1. & 1. 2. q. 79. *a.* 1. *S. Thom.* 3 *p.* q. 15. *a.* 1.

Ex quo concludo, quòd infinita Dei bonitas & ſanctitas reſplendeat in *puritate & ſanctitate operum* eius, & quòd eius virtutes non ſint in eo otioſæ; ſed, quandocunq; ille operatur, manifeſtari eas in ipſis eius operibus; ideóque dixiſſe Dauidem: c *fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis: & iuſtus in omnibus vijs ſuis: & ſanctus in omnibus operibus ſuis*. Et hoc vltimũ bis repetit; in quo vult, vt homines ſtrenuè ipſum imitentur: ideoq; populo ſuo dixit: d *nolite contaminare animas veſtras, nec tangatis quidquam*, ex quo *immundi ſitis*; d *ſed ſancti eſtote: quia ego ſanctus ſum*. & eiſdem verbis exhortatur S. Petrus oẽs fideles, vt e *in omni conuerſatione ſint ſancti*. O Deus ſanctiſsime, qui ſola tua bonitate *nos* f *elegiſti, vt eſſemus ſancti & immaculati in cõſpectu tuo*; fac me talẽ eſſe, vt omni culpa reiecta, virtute omni, & ſanctitate exorner. O cœleſtes Seraphini, qui Deũ veſtrũ nomine Sãcti, quo ipſe

III.

c *Pſal.* 144 13. 17

d *Leuit.* 11. 43.

d & 16 2.

e 1. *Pet.* 1. 16

f *Epheſ.* 1 4

g *Iſaiæ 6.6.* tantoperè delectatur, laudauiſtis; venite ex iſto cœlo, & g *calculo* ſiue *pruna* amoris purificate *labia mea*, ſicut Iſaiæ, & ſimul cor meum, vt ſim totus purus ac ſanctus in conſpectu Domini mei.

Imitandus Deus in puritate. Ex hac conſideratione præcipuè concipiam magnum *propoſitum* diſcedendi ab omni genere culpæ grauioris, imò & leuioris, & cuiuſcunque defectus, imperfectionis, quin etiam omnis, vt ſic dicam, odoris eius, quãtum mihi poſſibile erit; memor illius quod dixit Deus populo ſuo: h *perfectus eris & abſque macula cum Domino Deo tuo*: & ſtudebo, etiam in terra imitari puritatem, quæ eſt in cœlo, vbi i *Eccleſia* (vt ait Apoſt.) *erit glorioſa, non habens maculã aut rugam, aut aliquid huiuſmodi*: quod, pro meo modo, præſtare etiam poſſum in hac vita; ſi adhibeam ſtudium ac diligentiã, vt etiam leuiora deuitem: &, ſi quando, vtpote imbecillis, lapſus fuero, vt ſtatim me ab eis purgem; vt ſaltem aliqua hora & parte diei poſſit dicere Deus animæ meæ; k *tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*. Ac denique firmiter ſtatuam, non gloriari in hac vita de honoribus aut genealogijs, dignitatibus, ingenio, eruditione alijſue talentis; ſed præcipuè de virtute & ſanctitate; memor quòd Deus Dominus noſter de ijs potiùs gloriari voluerit, quàm de reliquis ſuis attributis erga nos. Nam cùm non eſſet nomen proprium, quo tertia perſona SS. Trinitatis appellaretur, ei tanquam proprium attribuit nomen *bonitatis* & *ſanctitatis*: non enim appellauit ſpiritum æternum, aut immenſum; ſed Spiritum S. & Spiritum *bonum*. Et eodem nomine vult ipſe Deus ab hominibus appellari, ſicut à Seraphinis.

h *Deut. 18.13*

i *Ephe. 27.*

k *Cant. 4.7.*

Oratio ad S. Spiritum. O diuine Spiritus, qui nomen SANCTI tibi vt proprium aſſumpſiſti, quia plurimùm de ſanctitate gloriaris; concede & mihi de eadem, præ rebus omnibus creatis gloriari; procurando *eam* mihi, tanquam propriam ſolicitè applicare, vt conſtanter ac firmiter ſim ſanctus in tuo conſpectu, in æternum. Amen.

MEDITATIO VII.

DE SVMMA PROPENSIONE BONITATIS Dei ad communicandum ſe omnibus, præcipuè verò hominibus; ac de ratione ſe communicandi per innumera beneficia.

HAEC *Meditatio erit fundamentum omnium diuinorum beneficiorum, quæ ab infinita Dei bonitate, tanquam à fonte procedunt: qui Deus in ſua*

Digitized by Google

quidem æternitate neceſſariò communicauit totam ſuam diuinitatem per cognitionem *Filio;& Spiritui S.per amorem;poſtea verò extra ſe,non neceſſariò, ſed liberè ſe communicat omnibus modis poßibilibus , vt in ſubiectis punctis conſtabit.*

PVNCTVM I.

CONSIDERANDA primùm eſt ſumma *propenſio bonitatis* Dei, ad ſe communicandum & benefaciendum alijs. nam (vt S. Dionyſius ait) *bonum eſt diffuſiuum ſui*; cuius eò maior eſt ad id inclinatio, quò ipſum bonum eſt maius; & quò idem ſe poteſt ampliùs communicare. Et quoniam Deus eſt *ſummum bonum*, ideò eius propenſio, ad ſe communicandum omnibus, quibus poteſt modis, eſt ſumma. Et in hac communicatione magnas oſtendit excellentias. *Cap. 4. de diuin.nomin. S.Thom.3. p.q.1.a.1.*

I. Ex communicatione bonitatis Dei quæ prouenîāt.

PRIMA excellentia eſt, quòd non neceſſitate, coactè, aut violenter; ſed ſola ſua *bonitate* & libera *voluntate* ſe communicat, quia *bonus* eſt, & propenſionem illam ſuæ bonitatis ad benefaciendum , vult ſequi : quo valdè me obſtringit, ad ipſum eadem ratione amandum & illi ſeruiendum. Quare meritò dicam cum Dauide : a *voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine:quoniam* bonum *eſt.* a *Pſal.53.8.*

II.

SECVNDA excellentia eſt, quòd, dum ſe communicat, non proprium *emolumentum*, ſed *noſtrum* quærat. nam ex eo quòd alijs ſe communicet, nihil boni illi accedit : tam enim erat beatus, antequam conderet mundum, atque nunc eſt:& ita dixit Dauid; b *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*; ſubditque fructum, quem ex hac conſideratione hauriebat, dicens : *Dominus mirificauit omnes voluntates meas in ſanctis, qui ſunt in terra eius*; quaſi diceret, quoniam meis operibus fructum tibi adferre non poſſum, hanc gratiam mihi feciſti, vt voluntates ac deſideria mea dirigantur ad benefaciendum ſeruis tuis; & hac ratione pro bono, quod in me confers, reſpondeam, alijs benefaciens. b *Pſal. 15*

III.

TERTIA excellentia eſt, quòd non ſinat illam ſuæ bonitatis *propenſionem* eſſe *otioſam*; ſed maximè exerceat, communicans illam omnibus modis, quibus erat poſſibile, etiam ſummo. Nam, quia bonum eſt ſui ipſius diffuſiuum, Deus ipſe diffudit ſe, quantum iuxta infinitæ ſapientiæ ſuæ ordinem potuit : qua ratione me etiam obligat, vt in eius *obſequium*, & in bonum proximorum, me ipſum diffundam, faciens quidquid potero boni; idque maxima, quæ poſſibilis erit, perfectione. Quare dum oro, c *effundam*, ſicut Anna illa, *animam meam in conſpectu Domini*, aut ſicut Dauid: d *effundam in conſpectu eius orationem meam*, faciēs extremum quod potero, *donec deficiat ex me ſpiritus meus*. Et quando diligo, e *effundam co-* c *1.Reg.1.15.* d *Pſal 141.3* e *Pſal. 61 9*

Oratio excitans ad amorē Dei.

ram illo cor meum, & *affectus* meos, vt omnes in eo amando occupentur. O ſummum bonum, quod ſummè appetis communicari: nam, ſi tu non te communices, impoſſibile eſt, aliud eſſe bonum extra te. Fac me participem harum excellentiarum, quibus te communicaſti, vt amem te, & ſeruiam, ac obediam tibi, non coactus aut ex timore, ſed lubens & ex amore; non ob emolumentum meum proprium, ſed ob tuum ſolum ſeruitium; non animo parco & contracto, ſed liberali & generoſo, faciens ſummum, quod potero, in gratiam proximorum & tuam, ſicut tu feciſti in meam.

PVNCTVM II.

Bonitas Dei creaturis dedit eſſe & bonū naturale.

VT veniamus ad particularia huius communicationis bonitatis diuinæ, conſiderandum eſt ſecundò, quòd eadem *bonitas* communicauerit *eſſe* & *bonitatem* naturalem *creaturis*, diuidens in illis quatuor gradus magnæ pulchritudinis & perfectionis, quos Meditatione quinta inſinuauimus. Nam quibuſdam creaturis dedit ſolùm Eſſe *corporeum*, licèt cum magna perfectionis varietate; ſicut cernere licet in cœlis, elementis, & mixtis; alijs dedit vitam *vegetantem*, quales ſunt arbores, plantæ, & flores; alijs etiam dedit ſentientem *vitam*, quales ſunt animantes, aues, & piſces; alijs dedit Eſſe *ſpirituale*, & vitam intelligentem, quales ſunt Angeli trium Hierarchiarum; quos omnes gradus ſimul colligens dedit homini, ex corpore & ſpiritu compoſito: dedit enim illi Eſſe ſicut cœlis & elementis; vitam ſicut plantis, ſenſum ſicut animalibus; & intellectum ſicut Angelis: quamobrem homo appellatur, a *omnis creatura*, & mundus abbreuiatus. Quare iſti quatuor gradus Eſſe & perfectionis, ſunt inſtar b *quatuor illorum fluuiorum, qui egrediebantur ex fonte paradiſi*, qui fons eſt infinita Dei bonitas, & fluuij rigant per diuerſas partes terram & cœlum: & tandem omnes quatuor ſeſe recipiunt in hominem, quē propterea ſimillimū faciūt paradiſo, ex quo fluxerūt. Ex quo magnos eliciā affectus admirationis & gaudij gratitudinis & amoris ob admirādū hunc modum, quo ſe Deus hominibus cōmunicauit: admirans videlicet infinitam eius *ſapientiam*, quam oſtendit in hac communicatione; gaudens de eius *omnipotentia*; gratias agens pro tanta *liberalitate*; & amans *infinitam* ipſius *bonitatem*. O ſumma & ſuprema bonitas, quas gratias tibi reddam pro hac perfectionum varietate, qua naturam meam exornaſti! Iam aduerto, quàm meritò iubeas, vt quatuor his circumſtantijs te diligam, c *ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus meis viribus, & ex tota mente mea*. rectum eſt ſiquidem, vt totum, quod à tua bonitate accepi, occupetur in eadem ſine fine diligenda. Diligam ergo te ex toto *corde*, ob Eſſe

a *Mar.* 16. 15 *S. Gregor. Homil.* 29. *in Euangel.* b *Gen* 2. 6.

S. Thom. 2. 2. q. 44. a. 4. & 5.

c *Luc.* 10. 27 c *Mar.* 12. 30

cor-

Digitized by Google

corporeum, quod mihi dediſti; diligam ex tota *anima* mea, propter donatam mihi vitam, qua per illam viuo; diligam te omnibus *viribus* meis, ob communicatos mihi ſenſus & potentias, quibus vtor; ac demum te diligam ex tota *mente* mea, ob ſpiritum & intellectum mihi communicatos. O ſi egrederentur ex meis viſceribus quatuor d *flumina aquæ viuæ*, feruentium ſcilicet affectuum, amoris, gaudij, gratitudinis, & laudis, ob quatuor beneficiorum fluuios, quibus me totum adeo benignè aſperſiſti. d *Ioan.7.30.*

PVNCTVM III:

PRAETEREA conſiderandum, quòd bonitas diuina non ſibi ſatiſfecit prædicto modo *communicationis*; ideoque excellentiſſimum alium elegit, in quo etiam ſunt quatuor gradus, qui tamen omnes prædictum Eſſe naturale excellunt. Quatuor excellentiores gradus gratiæ.

PRIMVS gradus eſt Eſſe *ſupernaturalis gratiæ*; per quod homines & Angeli eo vſque perueniunt, vt efficiantur a *Diuinæ conſortes naturæ*, filij & amici Dei. Huic Eſſe coniuncta eſt *charitas*, & reliquæ ſupernæ *virtutes*, & Spiritus ſancti *dona*. I. a 2. *Pet.1.4.*

SECVNDVS gradus eſt Eſſe *gloriæ*, quo iuſti b *efficiuntur* in perpetuum *ſimiles Deo*, in glorioſis, quas ille habet, regnantes cum eo in ipſius regno. II. b 1. *Ioan.3.2.*

TERTIVS & ſupremus gradus eſt Eſſe *perſonale ipſiuſmet Dei*, quod communicauit ſecunda perſona Sanctiſſimæ Trinitatis humanæ naturæ. Etſi fuiſſet conueniens, vt æternus Pater, aut Spiritus ſanctus, propria ſua Eſſe perſonalia alicui alteri naturæ communicarent; aut, vt ipſe Filius pluribus naturis perſonale ſuum Eſſe communicaret, neque huic communicationi defuiſſet Diuina bonitas, nec infinita propenſio eius ad ſe communicandum creaturis. *De qua communicatione fuſiùs diximus in ſecunda parte huius operis.* III.

QVARTVS gradus eſt etiam admirandus: nam, cùm non eſſet conueniens, vt filius Dei ſuum Eſſe perſonale communicaret pluribus naturis humanis; Diuina bonitas ipſum eò inclinauit ac deduxit, vt illud Eſſe diuinum, cum duabus eius naturis *diuina* & *humana* communicaret omnibus hominibus in ſanctiſſimo *altaris Sacramento*, coniungens illas ineffabili quodam modo cum ſpeciebus panis & vini, cum quibus totus ipſe Chriſtus, verus Deus & homo, ſeſe nobis communicat. IV. *S.Thom.3. p.q.4. & 5.*

IN his quatuor beneficiorum gradibus, ſunt perpendenda duo valde eminentia. Conſiderāda duo.

I. Infinita propenſio Dei erga homines. c *Heb* 2.16. d *Prou* 8.31.

PRIMVM eſt, quòd infinita Dei bonitas voluerit explere *infinitam* ſuã *propenſionem communicandi* ſe hominibus, quatuor prædictis modis; in quorum duobus poſtremis ſoli homini, non verò c *Angelis* ſe communicauit. Quo facto ſatis apertè oſtendit: d *delicias eius eſſe cum filijs hominum*; quos non ſolùm fecit ad ſuam imaginem & ſimilitudinem; ſed effecit etiam, vt vnus eorum eſſet ipſummet *verbum*, quod eſt ipſamet *imago* & *ſimilitudo* infinita Patris, & vnus cum illo DEVS. O Bonitas infinita DEI & ſupremi noſtri DOMINI, ſi adeò tibi homines ſumus obſtricti, quòd in nobis coniunxeris quatuor beneficiorum fluuios in Eſſe naturali; quantò erimus tibi obſtrictiores, quòd in eadem noſtra natura coaceruaueris quatuor alios fluuios incomparabilium beneficiorum in Eſſe ſupernaturali. Et ſi deuinxiſti nos, dans nobis Eſſe creatum; quantò magis deuincti erimus, quòd etiam dederis ipſum Eſſe increatum! parum tibi viſum eſt, DEVS meus, communicaſſe nobis bona, quæ ſunt extra te: ideoque ijs adjcere voluiſti, vt te ipſum communicares! ô ſi quis mihi daret eiuſmodi bonitatem, quæ vehementer inclinaret ad communicandum tibi quidquid habeo, totum illud exponendo in dilectione & obſequio eius, qui tantis me bonis affecit! Et, ſi quidem e *omnia flumina, quæ exeunt ex mari, ad mare reuertuntur, vnde exierunt*; æquum eſt, vt omnia flumina, quæ ex immenſo tuæ bonitatis mari ſunt egreſſa, ad eandem redeant, per gratitudinem: & attribuamus ſoli tuæ infinitæ *bonitati*, quidquid boni eſt, quod in noſtra natura inuenitur.

e *Eccl.* 1.7.

II. Erga omnia.

SECVNDVM in eiſdem beneficijs perpendendum eſt, quòd, cùm infinita DEI bonitas aduerteret, non decere, vt eſſe illud diuinum omnibus naturis creatis communicaretur; quò infinitam ſuam ad ſe communicandum propenſionem expleret, elegit communicare illam tali *vni naturæ*, in qua omnes eſſent; & omnes quatuor gradus eſſendi, qui in omnibus mundi creaturis ſunt diſtributi; ideoq; dicendus eſt ſe *omnibus* communicaſſe, & omnes honoraſſe eo modo, qui maximè conueniebat. Nam omnes corporeas naturas honore affecit, cum noſtro corpori Diuinum ſuum Eſſe communicauit; & omnes ſpirituales naturas nobilitauit, cùm ſe ſpiritui noſtro coniunxit: ac propterea gratias illi debeo immenſas: & par eſt, creaturas omnes ad eum laudandum inuitare, propter eam partem, quam & ipſæ in hoc ſupremo beneficio habent: & meipſum animare, vt bonus ſim & ſanctus f *corpore & ſpiritu*; ſiquidem infinita Dei bonitas adeò voluit vtrumque in me honorare & exaltare.

f 1 *Cor.* 7.34.

ALII modi, quibus Dei bonitas ſe nominatim communicat ſuis electis, exprimentur in ſequentibus meditationibus.

Digitized by Google

MEDITATIO VIII.

QVAM SIT AMABILIS DEI BONITAS, & quàm digna, quæ ſummo amore diligatur, tum propter ſe ipſam, tum propter innumera bona, quæ nobis communicat, & infinitas delicias, quas in ſe continet, & ab ipſa procedunt.

PRAECIPVA *bonitatis* proprietas *eſt, eſſe amabilem, & per eam Philoſophi deſinierunt* Bonum, *dicentes*: bonum eſt quod omnia appetunt: *nam bonum mouet voluntatem & noſtras appetitiones, vt illud ament & appetant. Tituli & motiua, cur* bonitas *ſit* amanda, *ad tria veluti capita referuntur.* In primis *enim eſt amabilis propter ſe ipſam & perfectionem, quam in ſe habet.* Deinde *eſt amabilis, quia eſt nobis vtilis; & propter bonum, quod nobis confert:* ac Denique, *quia eſt delectabilis, magnamquê adfert iucunditatem & delectationem eam poſſidenti: & hæc vna cauſa eſt, cur vulgo & communiter diuidatur* bonum *in* honeſtum, vtile *ac* delectabile *ſiue* iucundum. *Vtile vocant non id ſolum, quod medium eſt ad finem conſequendum, ſed etiam quod eſt cauſa cuiuſcumque noſtri boni & commodi. Hi tres tituli eminent infinitè in Dei bonitate, vt ſit infinitè amabilis; ſicut in ſubiectis punctis apparebit.* S. Thom. 1. p. q. 5. a. 6.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM primò, quòd *bonitas* Dei ſit ſummè *amabilis* propter ſe ipſam, & propter infinitam pulchritudinem & perfectionem, quam in ſe habet: & quoniam, quò bonitas & pulchritudo rei maior eſt, eò eſt amabilior: ideo bonitas, & pulchritudo infinita, erit infinitè amabilis propter ſe ipſam: ipſa enim eſt *finis vltimus*, ad quem omne, quod bonum eſt, ordinatur; ipſa autem ad nullum alium finem, niſi ad ſe ipſam. Bonitas Dei ſummè amabilis.

I. HINC primò efficitur, quòd ſolus Deus poſſit amare ſuam *bonitatem*, quantùm illa poteſt, & meretur amari; quia illam amat amore infinito, complacens ſibi in ea, & infinito gaudio ſeſe cum ea oblectans. Et ego debeo etiam propterea gaudere, exultans plurimum, quòd Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus impleant totum *amorem*, quem infinita eius *bonitas* poſtulat; & quòd adeò illa ſit infinita, vt nullus homo aut Angelus, tanto amore poſſit illam amare, atque ipſa digna eſt: & admirabor atque ob-

ſtupeſcam tantam eius immenſitatem : nam etiam eſt quidam modus amoris, cùm ita me dedo; vt fatear, me non poſſe tantùm amare Deum, quantùm ipſe meretur. O Deus amabiliſſime, ſi poſſem ita amare te atq; tu es amabilis, & amari mereris! O ſi anima mea capax fuiſſet amoris infiniti, vt cum bonitati tuæ infinitæ totum tribuerem. O ſi a *amore languerem* ſicut Sponſa, ac deficerem præ deſiderio amandi, & languerem, quòd non poſſim tantùm amare, atque meum eſt deſiderium.

a *Cant.* 2.5. & 5.8.

II. Hinc fit ſecundò, quòd plus debeam *amare* infinitam hanc Dei *bonitatem*, quàm me ipſum, & quàm reliqua omnia amabilia huius vitę: & quò maiori amore mihi erit poſſibile. Nam licèt non poſſim tanto amore illam amare, atque illa digna eſt; iuſtiſſimum eſt tamen, vt toto quo poſſum amore illam amem, nec vno quidem pilo ſubtracto. Et hoc eſt quod quærit Devs Dominus noſter, cùm tot verbis repetitis iubet, vt ipſum b *diligamus ex toto corde noſtro, ex tota anima, & ex tota virtute, & ex omnibus viribus, & ex tota mente*, hoc eſt, vt ſummo amore, & conatu nobis poſſibili illum amemus, & pluris æſtimemus, quàm quidquid creatum eſt, & creari poteſt. O ſumma bonitas, da mihi ſummum amorem mihi poſſibilem, vt toto illo te amem! O ſi amor omnium Angelorum, & Seraphinorum & omnium Sanctorum, qui ſunt in cœlo, & adhuc in iſta terra, in corde meo reponeretur, vt tantùm ſolus amarem, atque amant ſimul omnes: Quamuis nec ſic ſatiarer: nam reſpiciens tuam infinitam bonitatem, non poteſt terminum habere charitas erga illam: nec c *ignis* amoris *dicere* vmquam poteſt, *ſufficit*; quia tua bonitas ſemper illum fouet, materiamq; miniſtrat, vt ſine termino creſcat.

b *Deut.* 6.5 *Matt.* 22 37. *Marc.* 12 30. *Luc.* 10 27

c *Pro.* 30.16

III. Tertio hinc etiam deducam, quòd præcipuum *amoris* mei *motiuum* eſſe debeat ipſa *Dei bonitas* propter ſe ipſam; quia illa eſt vltimus finis & amoris motiuum: eſſetque magna inordinatio, illam amare præcipuè, ob aliquid extra ipſam, quod ab eius puritate degeneret. Licet tamen in eadem bonitate ratiocinando, infinitos deprehendere titulos, propter quos Deus ſit amabilis, & propter quos poſſim ego ac debeam eum amare. Hi tituli tot erunt, quot ſunt perfectiones Dei, in quibus eius bonitas eſt immerſa. Et ideo eius ſapientia eſt infinitè amabilis, & ſimiliter eius omnipotentia, eius immenſitas, liberalitas, & miſericordia, propter bonitatem & perfectionem, quæ in eis reſplendet: ac propterea de ſuo dilecto dixit ſpóſa, quòd ſit d *totus deſiderabilis* & amabilis. Nihil in Deo eſt odioſum, omnia ſunt amabiliſſima: etiam ipſa iuſtitia vindicatiua, qua peccatores caſtigat, ob ſua illorum ſcelera: deſiderabilis eſt & amabilis: quia etiam in ea elucet ipſa Dei bonitas; ſiquidem abſque iuſtitia non fuiſſet integrè & plenè bonus. Quare etiam de hoc gaudere debeo & exultare, quòd vlciſcatur Deus iniurias, & pœnis illas afficiat in hac &

Omnia in Deo amabilia.

d *Can.* 5 16.

in

Digitized by Google

in futurâ vita;& quòd ſit infernus & purgatorium, ſicut eſt cælum & paradiſus: quia totum hoc pertinet ad integram eius perfectionem. O Dilecte animæ meæ, totus mihi es amabilis: quia totum eſt bonum, quidquid eſt in te. O ſi etiam tibi eſſet amabile, quidquid eſt in me: aufer, Domine, ab anima mea omne genus culpæ & maculæ, vt e *tota ſit pulchra* in oculis tuis, & amabilis cordi tuo. e *Cant* 4. 7.

HINC tandem concludam, quàm ſit odioſum ac deteſtandum, odiſſe DEVM adeo *bonum*, & bonitatem adeò amabilem: vt propterea condolendum & compatiendum ſit cæcitati & impietati peccatorum, qui DEum oderunt, vel quòd prohibeat malas voluptates, vel quòd iuſtitia ſua illos caſtiget; ſiquidem etiã propter hoc ipſum eſt dignus, qui ametur; ideoq; meritò Chriſtus DOminus dixit: *impij oderunt me, & Patrẽ meum* GRATIS, hoc eſt, ſine vlla cauſa aut ratione. O ſumma *bonitas*, quæ mereris infinito amore, & ab infinitis amantibus (ſi tot eſſent) diligi; ne permittas vllum eſſe hominem qui te non amet; aperi oculos odientium te: ſi enim viua te fide cognoſcerent, numquam odiſſent. O ſi adeſſet iam dies, in qua te clarè viderem, vt ſummè diligerem: quia non eſt poſſibile te videre, & non amare.

IV. Deteſtandum odiſſe Deum.

f *Ioan*.15.25

PVNCTVM II.

DEINDE conſiderandum, quòd *bonitas* diuina, non ſolùm propter ſe ipſam ſit infinitè *amabilis*; ſed etiam propter ſummam propenſionem ſuam ad benefaciendum nobis; & propter innumera & infinita bona, quæ nobis contulit.

Cur amabilis bonitas Dei?

PRIMVM eſt amabilis ob *quatuor gradus* Eſſe naturalis, quos, vt ſuprà diximus, communicauit creaturis; & omnes coniunxit in homine, tanquam in *abbreuiato* mundo: Et quoniam hæ perfectiones ſunt innumeræ; innumeros licebit mihi titulos & motiua ex eis deducere, ad amandam bonitatem illam amabiliſſimam, à qua illæ proceſſerunt, in bonum & commodum meum. Quare, cùm video quamcunque creaturam, exiſtimare debeo, (vt ait Hugo de S. Victore) quòd Chriſtus DOminus noſter hæc duo verba per eam mihi dicat: *accipe & redde*, aut illa, quæ habet Sapiens; a *da & accipe, & iuſtifica animam tuam*: quæ verba hoc ſignificãt; accipe à DEO *bonum*, quod tibi dat; da verò illi propterea tuum *amorem*; accipe eius *donum*, & redde *gratitudinem*; accipe *beneficium*, & redde *ſeruitium*; accipe *benignitatem* à DEO, & redde illi *charitatem*. hæc ſi dignè fecero, iuſtificauero animam meam, faciens quod debeo: nam vt DEus vult accipere gratitudinem meam, pro bono quod mihi confert; ita ego debeo dare gratitudinem, propter bonum quod accipio. Audi, ani-

I.

Lib. de arca morali, c. 4. *in* 2. *Tom*

a *Eccl*.14.16

b *Eccl. 4. 36* ma mea, harum creaturarum voces, & Sapientis conſilium dicentis: b *non ſit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* Et ſiquidem c *Pſ. 103. 28.* Deus, c *manum ſuam aperit*, vt te, & *omnia*, quæ in mundo ſunt, *impleat bonitate* ac benedictione; tu quoque aperi cor tuum, vt amore repleatur; os tuum, vt laudibus; & manus tuas, vt diuinis obſequijs & gratitudine repleantur, ob innumera beneficia accepta: caue ſis ingrata; ſi enim tu contraxeris manum tuam à dando, quod petit à te Deus; & ille colliget ſuam, ne tibi det bonum, quod ab illo petis.

II. Ex hoc pergam, ad æſtimandum quàm ſit amabilis Dei *bonitas*; ob innumera beneficia gratiæ & gloriæ, quæ ab illa proueniunt; & quantò ſit amabilior, ob ſummum beneficium *incarnationis* verbi Diuini, qua vltimum fecit, quod potuit, ad nobis reipſa manifeſtandum, quàm ſit eius *Pſal. 144. 1. &c.* bonitas d gna, quæ ametur. O DEVS amabiliſſime, ſi adeo es dignus qui ameris, quòd tot naturalia bona nobis ſis largitus, quantò eris dignior, quòd tot ſupernaturalia addideris! &, ſi adeo ſum obſtrictus, ad te propter peritura bona diligendum, quantò obſtrictior ero propter æterna! Et, ſi es ſummè amabilis, propter bona quæ ſunt extra te; quantò eris amabilior, quòd te ipſum nobis des! O ſi mihi daretur cor nouum; anima noua, & ſpiritus nouus, noua virtus, & vires nouæ, vt nouo feruore perfectiſſimè implerem præceptum amoris, diligendo te, ſicut tu vis diligi. O Anima mea, conijce oculos fidei ad omnia bona gratiæ, quæ accepiſti, & quotidie accipis; aperi aures, vt dilecti tui vocem audias dicentis tibi, *accipe & redde; da & accipe.* Accipe meam gratiam, & redde aliquod obſequium. O Dilecte mi, fiat ita, ſicut iubes; verumtamen adiuua me, ne laxitas mea impediat, quod tua bonitas tam liberaliter offert.

HVIVSMODI *affectus* ſunt mihi exercendi, cùm Sacramenta confeſſionis & communionis accipio, cùm ſacro Miſſæ interſum, & concionem audio; ac denique cùm particeps efficior boni alicuius ſupernaturalis, cogitans, dici mihi à DEO, *accipe & redde; da & accipe, vt iuſtifices animam tuam*, nouiſq; ſanctitatis augmentis eam ſanctifices.

III. DENIQVE perpendam, quòd *bonitas* DEI etiam ſit amabilis, eò quòd in ſe contineat omnem rationem BONI VTILIS, quod vel cogitatione aſſequi poſſimus, abſque vlla imperfectionis admixtione. Nam in DEO DOMINO ſunt eminenter res omnes, quæ media ſunt ad finem noſtrum d *Ioan. 14. 6.* vltimum conſequendum; & ipſemet eſt d *via, veritas, & vita*: quatenus dat media, per quæ ambulantes, veniamus ad videndam ſummam *veritatem*, & obtinendam *vitam æternam*, quæ eſt ipſemet. Et propterea dixit DAe *Pſal. 83. 12.* uid: e *gratiam & gloriam dabit Dominus.* Et præterea omnia bona, quæ in hac vita ſunt media ad bonum aliquem finem conſequendum, ſunt

Digitized by Google

etiam eminenter in ipſo Deo, & ab ipſius bonitate procedunt, ac propterea dignus eſt qui ametur. Nam ſi amo cibum, quia conſeruat meam vitam; & medicamenta, quia reſtituunt me ſanitati; & pecuniam, quia ea mihi comparo id, quo indigeo; multò magis teneor amare Deum, à quo procedit hoc totum: non quòd præcipuum huius mei amoris motiuum ſit, vt talia mihi det; ſed ipſa eius bonitas, quæ emicat in eo, quòd mihi talia, & tanta liberalitate largiatur. Quare ex omnibus his rebus, quæ mihi ſunt vſui, accipere debeo motiua, ad cognoſcendum, quàm ipſe amabilis ſit; & ad eundem propterea diligendum, ſicut eſt dictum. cogitans etiam in his mihi dici verba illa: *accipe, & redde; & da, & accipe.*

PVNCTVM III.

TERTIO conſiderandum, quàm ſit etiam amabilis Dei *bonitas*, ob tertiam illam rationem BONI, quod appellamus DELECTABILE, quod eſt quies quædam, & pax cordis in poſſeſsione rei amatę, & in expletione eius quod deſiderat, quod alio nomine gaudium & lætitia appellatur. PRIMVM, Deus Dominus noſter eſt amabilis, ob infinitum *gaudium* & *voluptatem*, qua intra ſeipſum fruitur. nam vt eſt ipſamet bonitas, ita eſt ipſamet voluptas, & omnes perfectiones, quas habet, ſunt illi motiua infiniti gaudij, quia illas videndo & amando, infinitè oblectatur. DEINDE, amabilis quoque eſt, propter infinitam *oblectationem*, qua omnia ſua opera facit: oblectatur enim in creatione cœlorum, & ceterarum rerum, iuxta illud Dauidis, a *lætabitur Dominus in operibus ſuis.* IV. Bonitas Dei amabilis propter delectabile. 1. Ratione gaudij. 2. Oblectationis.

TERTIO eſt amabilis, quia eſt *cauſa* omnium bonorum *delectabilium* huius vitæ. Nihil enim poteſt ſenſus noſtros, aut etiam interiores facultates delectare, niſi propter Eſſe, quod recipit à Deo: neque anima noſtra delectationem aliquam habere poteſt, niſi Deus det illam. Quare in ipſo Deo ſunt eminenter res omnes delectabiles, & omnes deliciæ, quas poſſumus deſiderare. Et quamuis reipſa nos delectet ſuis creaturis; poteſt tamen ipſe ſine illis dare nobis delectationem, quam illæ adferrent, & aliam incomparabiliter maiorem. Et in hoc fundatur illa eius promiſsio dandi centuplum ei, qui propter ipſum, b *Patrem aut Matrem, aut agros,* & cetera *reliquerit*; quia dat illi incomparabiliter maiorem ſpiritualem lætitiã, eò quòd aliquid reliquerit, quàm habuiſſet, ſi retinuiſſet. Denique amabilis eſt propter ſingularem oblectationem, qua afficitur, agendo & conuerſando nobiſcum. nã propterea dicit Scriptura de Sapientia increata, c *delectabar per ſingulos dies, ludens in orbe terrarum,* gaudens videlicet & ſe oblectans in rebus, quas faciebat in orbe terrarum, ſed *deliciæ meæ* (inquit) *eſſe cum filijs hominum*; agendo videlicet, & conuerſando cum illis. a *Pſa* 103.31. Cauſæ delectabilitatis. b *Mat.* 19.29. c *Prou* 8.31. In Hebræo habetur *deliciæ meæ filij hominum.*

Digitized by Google

Intentio Dei.

Ex omnibus prædictis ſequitur, Deum hoc requirere, vt ipſi cum lætitia ſeruiamus, & conuerſemur ac tractemus cum ipſo magna animi oblectatione. Quia enim quiſque amat ſibi ſimile, ipſe verò adeò eſt lætus, vt in omnibus, quæ faciat vehementer lætetur; ita vult omnes ſuos electos viuere in eius obſequio lætos, & illi ſeruire in lætitia; iuxta illud Dauidis: d *Iubilate Deo omnis terra, ſeruite Domino in lætitia, & introite in cõſpectu eius, in exultatione.* Quò autem magis nos ad id animet, promittit in præmium, *gaudium* ipſum, quo ipſe fruitur, dicens fideli ſeruo: *intra in gaudium Domini tui.*

d Pſal. 99. 2. e Matt. 25. 21.

SINGVLIS harum quinque conſiderationum excitabo in me magnos *affectus amoris & gaudij*, in ipſa *bonitate* Dei; ſtudendo exultare in ſolo Deo: ſiquidem in ſolo illo inueniam omnes rationes & cauſas gaudij & delectationis, quam poſſum optare. Vt quid, anima mea, delicias mendicas à creaturis; ſiquidem in ſolo Deo inuenies infinitè maiorem voluptatem, quàm in illis omnibus? Fac cum lætitia opera, quæ ad eius obſequiũ pertinent: ſiquidem ſummo ipſe gaudio facit, quæ tui ſunt commodi; da illi quidquid habes, f *non ex triſtitia aut ex neceſſitate; hilarem enim datorẽ diligit Deus*, redditque centuplum in parato vt dicitur, cum lætitia. Gaude, cum illo conuerſari; qui in delicijs habet, conuerſari tecum; implens te ipſo gaudio ſuo: g *Non enim habet amaritudinem conuerſatio ipſius, nec tædiũ conuictus illius ſed lætitiam & gaudium*: quod incipit quidem in hac vita, ſed implebitur in futura, tranſeundo à gaudio temporali ad ſempiternum.

f 2. Cor. 9. 7. g Sap. 8. 16.

Tranſitoria voluptas deteſtanda.

DENIQVE hinc intelligam, quàm ſit deteſtandum, *amare* aliquam *voluptatem*, quam Deus noſter prohibuerit, contemnendo videlicet voluptates cœleſtes, vt fruamur terrenis; & abijciendo infinitum & æternum gaudium, pro aliquo limitato & temporali. dolebo igitur eorum vicem, qui in talem incidunt inordinationem; & quòd ego in eandem inciderim: ſtatuam verò firmiter, me ſeriò emendare: Neque enim (Iob teſte) h *potero in omnipotente delectari*, ſi ab eius ſeruitio receſſero.

h Iob 27. 10.

MEDITATIO IX.

DE INFINITA DEI CHARITATE & amore.

S. Thom. 1 p. q. 20.

AMOR *eſt complacentia quædam in bono: propterea quòd noſtræ naturæ ſit conueniens. Eius præcipui actus ſunt tres.* PRIMVS *eſt generalis, & vocatur* beneuolentia, *hoc eſt, benè alteri velle, complacens mihi in bono, quod*

iam habet; aut optans, vt habeat . SECVNDVS *eſt amor, quem vocamus* Concupiſcentiæ, *quo aliquid amamus ob vtilitatem propriam noſtram, aut alterius; ſicut amamus pecuniā, cibum, & ſeruū.* TERTIVS *eſt actus amoris, qui dicitur* Amicitiæ, *inter duas perſonas, quæ ſe inuicem diligunt propter bonum, quod in ipſis eſt; agnoſcentes quòd ſe ament: & quando tale bonum eſt ſupernaturale, talis amicitia appellatur* CHARITAS. *Ex his tribus actibus amoris oritur quidā alius exterior, qui vocatur* BENEFICENTIA *qua benefacio ei, quem diligo: His præmiſſis, aggrediemur meditari, quidquid complectitur infinita Dei charitas & amor, tam erga ſeipſum, quàm erga omnes creaturas; ſed præcipuè erga homines, & inter hos ſpecialiter erga iuſtos: ſuppoſitis præterea multis alijs, quæ in præcedentibus Meditationibus dicta ſunt, pertinentibus ad charitatem Dei, propter connexionem, quam cum ipſius bonitate habent.* S. Thom. 1. 2. q 26. a. 1. & 4 & 2. 2. q 27. a. 2 q 23. a. 1. q 31.

PVNCTVM II.

I. De amore Dei ad ſeipſum. a 1. [illegible] 4. 8.

CONSIDERANDVM primò, quòd DEVS Dominus noſter *amat ſeipſum*, & infinitam ſuam bonitatem amore infinito: & ſicut Eſſentialiter eſt ipſamet bonitas, ita Eſſentialiter eſt ipſemet amor & *charitas* ſua; complacens ſibi de ipſo ſuo bono, ac de omnibus perfectionibus quas habet, de ſua ſapientia, omnipotentia, & cæteris. Et hic amor ordinatiſsimus eſt ac ſanctiſsimus, & conſentaneus, ac debitus infinitæ ipſi bonitati, ſanctitati, & pulchritudini Dei; ideoq; multum diſtat ab eo, quē hic vocamus *amorem proprium*, quo quis amat ſeipſum adeò inordinata proprietate, vt excludat amorem rebus alijs debitum.

II.

SED vlteriùs pergam, perpendendo, quòd in Deo Domino noſtro ſit infinitus *amor amicitiæ & charitatis*: quia inter ipſas tres diuinas perſonas inueniuntur cum infinita excellentia, omnes perfectiones perfectæ amicitiæ: *æqualitas* videlicet perſonarum, *coniunctio* voluntatum, & *communicatio* rerum omnium; quæ vult & cupit amicus amico Eſſe, & vitam, & omnia bona; & communicat illi, quæ ipſe habet conuerſando cum illo intimè, & lætiſsimè, aperiens illi omnia ſua ſecreta, & præ cæteris, antiquitas & conſtantia in amore, ac denique vt ſit inter paucos. Quæ omnia (vt ſuprà Meditatione quarta eſt dictum) inueniuntur inter Patrem, & Filiū, & Spiritum S. quia omnes tres ſunt æquales, & quidem æqualitate infinitę perfectionis, & ſunt ſummè vna res in Eſſentia, & vnitate voluntatis in rebus omnibus: Habent etiam infinitam communicationem, & omnia, quę in ea ſunt, communia ſunt; nec eſt vllum ſecretum inter ipſas: amor illarum eſt æternus, ſemper fuit, eſt, & erit ſemper; eſt denique inter paucos, quia non ſunt niſi tres; nec erat poſsibile, infinitam illam amicitiam ad plures perſonas ſe extendere. Ariſt. 8. & 9 Ethic. S. Thom. ſuprà & 2. 2. q. 25. a 7.

Digitized by Google

Cur gaudendum de amore Dei.

Ex hac conſideratione magnos hauriam *affectus gaudij*, & *fiduciæ*, ob multos titulos & cauſas.

Primvm gaudebo, quòd ſe ipſum Deus diligat, quantũ poteſt, & quãtum diligi meretur, ita vt eius bonitas & amor ſimul & pariter currant; neque amor maiorem optet bonitatem, qua alatur; nec bonitas optet aliũ amorem, qui plus illam amet. Et ſiquidem ego amo Deum, æquum eſt, me gaudere, quòd videam expletum deſiderium amandi, quo charitas illa tenetur; & quod bonitas habet, vt ametur.

2. Deinde gaudebo, quòd *infinitus amor*, quem Deus habet erga ſe ipſum & Bonitatem ſuam, cauſa ſit & origo amoris, quem habet ad creaturas: & amicitia, quam tres diuinæ perſonæ habent, ſit cauſa & exemplar amicitiæ, quam habet cum Angelis & hominibus. Et hic diuinus amor, eſt ſolicitator & excitator continuus in ipſo Deo, vt nos amet. Quamobrem magnam poſſum habere fiduciam, quod ſemper me diliget, quia amat ſeipſum; & propterea vult amare me, & quidquid aliud amat. Quòd ſi Apoſt. de ſe fatetur, *Charitas Chriſti vrget nos*; quaſi diceret, charitas & amor, quẽ erga Chriſtum habemus, calcar nobis addit, & vrget, vt noſtros etiã proximos diligamus; quantò magis charitas & amor, quem Deus ad ſuam bonitatem habet, vrgebit illum, vt ſuas creaturas amet, ſicut in ſubiectis punctis apparebit.

Deus amat nos quia ſe amat. 2. *Cor.* 5. 14.

Pvnctvm II.

Amor Dei erga homines.

Deinde conſiderandus eſt magnus amor Dei domini noſtri erga omnes ſuas creaturas, perpenſis rebus aliquibus inſignioribus.

I. Prima eſt, differentia inter noſtrum & dei amorem, ſicut S. Thomas ait, dicens, quòd amor noſter præſupponit, eſſe bonum id, quod amat; aut ſaltem imaginatione apprehendit, quod habeat Eſſe & bonitatem: in qua ſibi complacet: dei verò amor, eſt cauſa boni, quod amat. Quare in deo ſimul ſunt duo illi actus amoris, qui dicuntur *beneuolentia*, & *beneficentia*; *velle* ſcilicet *bene*, & *facere bene*. Nam deus videns in ſua æternitate, & infinita ſua ſapientia, *bonitatem creaturarum*, quas creare poterat, cùm illæ omnes ipſi viderentur bonæ, amauit & voluit efficaciter *bonum* aliquarũ, ſtatuens illis dare Eſſe & perfectionem, quam habere poterant, & ita bene volens cœlis, ſtellis, & planetis, dedit illis totum eſſe, & bonum quod habent; & volens *benè* creaturis terrenis & homini, eas condidit in ea *pulchritudine & elegantia*, quam habent ſingulæ, deum verò illas amare, eſt, *velle* & *facere* omne bonum & perfectum, quod eſt in eis, iuxta illud dauidis: a *ſaluum me fecit, quoniam voluit me*. Et ita licebit mihi dicere: deus

1. *p. q.* 20. *a.* 2.

a *Pſal.* 17. 16.

mihi

Digitized by Google

mihi dedit hoc corpus,& hanc animam, & creauit me ad imaginem & ſimilitudinem ſuam,quia voluit me: Deus me conſeruat & gubernat, mihique dat bona quibus vtor,quia vult me:& velle mihi benè,eſt dare mihi hæc bona,quæ reipſa dat;idq; facit ex mera ſua gratia,ſolùm quia vult me amare;iuxta illud quod ipſe per Oſeam dixit: b *diligam eos ſpontaneè*. O dilecte animæ meæ,gratias tibi, quòd hac ratione tuas diligas creaturas, & me cum eis:fateor impoſſibile eſſe,vt ego eo modo te diligam, quo tu me:nam ego poſſum tibi benè velle:ſed nō poſſum benefacere,aut aliquid dare,quod tu non habeas:volo tamē eo modo,quo potero,tibi dare quod mihi das;tibi ſeruiens,& pro omnibus gratias agens:& quod tibi dare nō poſſum,dabo meis proximis,amore tui. b *Oſeæ* 14.5.

II. *S.Thom.*1. 2 q 27.a.3. Deus plus hominem quam alia amat.

Deinde perpendam, quod Deus Dominus noſter incomparabiliter *plus amet hominem*, quàm cæteras creaturas huius mundi ſpectabilis:quia ſimilitudo in bono,eſt cauſa amoris;& quò ſimilitudo eſt maior, eò vehementior eſt amoris propenſio:nam qui ſunt ſimiles, ita aſpiciunt ſeſe, atque ſi eſſent vna eademq; res quæ ratio vnitatis vtrumq; inclinat ad ſe amandum.Cùm autem reliquę creaturę,tantùm ſint quaſi veſtigium quoddam ipſius eſſe Dei,*homo* verò ſit *imago* & ſimilitudo *ipſius*,capaxq; eius amicitiæ,& familiaritatis cum eo; fit, vt Deus Dominus noſter plus amet hominem,quam reliquas omnes creaturas viſibiles;ob ſimilitudinē prædictam,quam cum illo habet:& ideo reliquas creaturas ad hominem,tanquam ad vltimum earum finem deſtinauit.

Ex hoc intelligam, quanta obligatione tenear Deum diligere: ſi enim ſimilitudo cauſa eſt *amoris*,quātum teneor diligere eum;qui me creauit ad ſuā imaginē & ſimilitudinē? c *ſi omne animal diligit ſimile ſibi*, & vnaquæq; res gaudet coniungi ſibi ſimili,quomodo non diligam ego Deum,& gaudebo illi coniungi qui tanto amore fecit me ſibi ſimilem? O Deus Trine & Vne,qui in creatione hominis oſtendiſti ſigna infinitæ amicitię & vnitatis,quam habes intra te ipſum,dicentibus tribus perſonis:d *faciamus hominem ad imaginē & ſimilitudinem noſtram*:concede, vt *eo* te *amore* diligā, quo omnes facultates animæ meæ conſpirent, & vniantur, ad amandum & glorificandum te,ob ſimilitudinem, quam mihi dediſti; & amorem, quem eam ſimilitudinem mihi dando oſtendiſti. c *Eccl.*13.19. d *Gen.*1.26.

III. Deus omnia propter hominem amat.

Hinc naſcitur tertia excellentia,quæ eminet in hoc amore;quòd ſcilicet Deus Dominus noſter,amet creaturas ſpectabiles huius mundi præter hominem,non amore amicitiæ,cuius illæ non ſunt capaces;ſed ſolum *amore concupiſcentiæ*, quia vult illis bonum quod habent, non propter ſuū emolumentum; qui vt dixit Dauid, e *bonorum meorum non eget*; ſed propter vtilitatem hominum, ad eorum ſcilicet vitæ conſeruationē, delicias, oblectationem,& alias commoditates, quas creaturæ aliæ nobis adferūt: *S.Thom.*1. p.q.2.a.2. e *Pſal.*15.21.

nam quòd illæ non poſſent Deum amare, nec laudare, ob accepta ab eo beneficia, voluit omnes illas deſtinare in vſum & vtilitatem alterius creaturæ, quæ earum in hoc defectum ſuppleret, ipſum Deum amãdo & glorificando, quod reliquis creaturis dederit tale eſſe. Ex quo magnum *admirationis affectum* concipiam, ac dicam cum Dauide: f *quid eſt homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quoniam viſitas eum: gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi, volucres cœli, & piſces maris: Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!* O Deus animæ meæ, non eſt nomen tuum minùs amabile quàm admirabile: quidquid enim admirabile feciſti cum homine, id fuit, quia illum amaſti; & vt ille viciſſim te amaret, cui manifeſtaſti, te ſummè eſſe amabilem. Ex hoc pergam ratiocinando, & infinitos inquirendo *titulos* amandi ipſum Deum, ob infinita opera amoris, quę accumulat in meipſo. nam amans Deus innumeras creaturas, amat me in omnibus illis; & ab eis tranſit eius amor in me: ſicut parens amans veſtem, cibum, mancipium, & cætera pro filio ſuo, in illis omnibus amat filium: nam præcipua ratio, qua mouetur ad illa amãda, eſt ipſe filius; ita Deus hic, & Pater amantiſſimus amans cœlos, ſtellas, & planetas, me quoque amat. nam quod illa amet, & quod illis det bonum, id totum vult propter meam vtilitatem. Et eadem ratione amans elementa, mixta, plantas, & omnes animantes, ſimul me amat, quia amat illa pro me; & benè illis facit, vt mihi benefaciat. Et ſiquidem Deus amat me in omnibus creaturis prædicto modo, æquum eſt vt ego eundem in illis omnibus amem; amans ipſas creaturas, propter *bonum*, quod ipſe illis dedit; & ad illius gloriam, qui illud eis dedit: nec vtẽs illis, niſi ob ipſius amorem & obſequium. O Deus æterne, amator & benefactor omnium creaturarum, confiteor me mille nominibus teneri, amare te ex toto corde meo. & ſiquidem tu diligis innumeras creaturas, quæ non poſſunt tibi reddere amorẽ pro eo, quem erga illas habes, obſtrictus ego ſum, ad te, pro omnibus illis amandum. O ſi tot haberem corda, quot mihi creaturas dediſti, vt illis omnibus te diligerem & glorificarem, reddens tibi debitum, quod illæ reddere non poſſunt, & cuius ego ſum reus, illarum cauſa.

f Pſal. 8. 5.

Tituli amoris.

Pvnctvm III.

TErtio conſideranda eſt *vniuerſalitas* huiuſmodi *amoris Dei*, à quo nulla creatura excluditur, eo ipſo quod habet Eſſe, iuxta illud Sapientis: a *diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti. neque enim odiens, aliquid conſtituiſti aut feciſti. Quomodo autem poſſet aliquid permanere,*

a Sap. 11. 25.

Digitized by Google

manere, niſi tu voluiſſes? Quamuis itaque Deus peccatū oderit, & peccatorem quà malus eſt; non tamen odit eius naturam, neq; bonum, quod ipſe illi contulit. Et quamuis ingratus ille ſit, nec agnoſcat ſuum benefactorē; non tamen ille ab eo, tanquam ſua creatura, amando hoc amoris genere, deſiſtit; ſed communicat illi naturalia bona, quæ ſolet ingratis.

Tria documenta. TRIA hinc documenta diſcam. PRIMVM eſt hoc nomine, quod Deus me amet, ob *naturale bonum* quod mihi dedit, petere ab illo, vt remoueat à me quidquid mali ego adieci: adferāq; opportunè illud Iob: b *manus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me totum in circuitu, & ſic repentè præcipitas me?* O conditor & formator mi, ne patiaris me ruere in talia peccata, quę te prouocent ad me præcipitandum in infernum: deſtrue, Domine, quod ego mea culpa feci, propter amorem illum, quo proſequeris id, quod in me propter tuam bonitatem feciſti.

I.

b *Iob* 10.8.

SECVNDVM eſt firmo ratoq; animi decreto ſtatuere, *non odiſſe rem vllam* earum omnium, quas Deus amat, ſed amorem meum omninò cum ipſius amore conformare: ideoq; licèt hoſtis mei ſcelus oderim, nunquam tamen eius perſonam: ſed eam potiùs amabo, ſicut Deus illam amat; deſiderans illi bona omnia, quæ Deus illi confert, & conferre cupit; eroq; memor eius, quod ipſe Chriſtus iuſſit: c *diligite inimicos veſtros, benefacite ijs qui oderunt vos, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolē ſuū oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos*, in ſignum quòd illos amet.

II.

S. *Thom.* 2.2 q.25 a 6.

c *Mat.* 5.44.

DENIQVE quoniam hic amor Deum in omnibus ſuis operibus vniuerſim comitatur; iuxta illud Sapientis: d *neque odiens aliquid conſtituiſti aut feciſti.* & illud S. Dionyſij: amor eſt cauſa omnium rerū, quas facit qui amat: ſi ego Deum amore feruenti diligo, conabor illum in hoc imitari, vt *amor* hic *principium* ſit *medium*, & *finis* meorum *operum*; ita vt omnia illa incipiant cum amore, & pergant cum amore, eaq; faciam propter amorem magni huius Dei, qui adeò me amat; & tunc amabo illū e *ex toto corde meo, tota anima mea, ſpiritu & viribus*, vt præſcribit præceptum amoris. O dilecte mi; ſiquidem ſemper amas, & cum amore operaris: nec ceſſas amare aut operari, (ſi enim tu ceſſares, omnia deſinerent eſſe) concede mihi, ne vnquam ceſſem te amare, aut propter amorem tuum operari, ſed f *faciam* (quod tuus Apoſtolus iubet) *omnia opera mea in charitate*: nam ſi hæc ceſſat, & ego eſſe deſinam in tuo conſpectu. nam Apoſtolo teſte, g *ſi charitatem non habuero, nihil ſum*, nihil valeo, nihil mereor; & ſi quid habeo, id eſt ex amore tuo.

III.

d *Sap.* 11. 25.

Cap 4. *de diuin. nom.*

S *Thom* 1.2. q.28. a.6.

e *Deut.* 6 5.

Oratio pro amore Dei impetrādo.

f 1. *Cor.* 16.

g 1. *Cor.* 13.2.

PVNCTVM IV.

QVARTO conſideranda eſt *magnitudo charitatis*, & amoris Dei *erga homines*, cum quibus deſiderat veram amicitiam inire, in omni

Amicitia Dei cum hominibus

ea perfectione, quam poteſt habere amicitia inter creatorem & creaturā, eſt ergo diſcurrendum per præcipuas eius proprietates ſuperius inſinuatas.

I. AEqualitas amicitiæ. PRIMA proprietas amicitiæ eſt, vt ſit inter aliquo modo *æquales*, ſiue omnimoda ſit *æqualitas*, qualis eſſet inter duos ciues intimè coniunctos; ſiue cum aliqua proportione, habita ſcilicet ratione excellentiæ ſtatus alterius partis; qualis eſſet inter Regem & eius familiarem, inter Patrem & Filium. Ex quo prouenit, vt quando alter amicorum eſt altero multò excellentior; hic illum eleuet ad maximam quam poteſt excellentiam, & ita dixit S.Hieron. *Amicitia pares accipit, aut facit*. Et huius generis eſt amicitia; quam habet Deus cum hominibus. Videns enim magnam inæqualitatem noſtri Eſſe naturalis ad ſuũ, voluit ex infinita ſua bonitate nos eleuare ad excellentiſsimum aliud Eſſe, ſupra totam noſtram naturam: cui inniti poſſet vera amicitia, *donans nobis* (vt ait S.Petrus) *maxima, & pretioſa promiſſa* gratiæ, *vt per hæc efficiamur diuinæ conſortes naturæ*, maxima, quæ creaturæ ſit poſsibilis, conformitate; non ſolùm nos in amicos accipiens, ſed filios etiam ſuos faciens, hæredes regni ſui, & beatos ſicut ipſe eſt; adeò vt b *dixerit ipſe: Dij eſtis & filij excelſi omnes*; noſtraſq; animas acceperit in ſuas ſponſas, idque totum ex mera gratia, & quia ipſe bonus eſt; & oſtēdit infinitam ſuam bonitatem; dum admittit creaturas ſuas, & mancipia ſua, vt fiant participes infinitæ amicitiæ, qua tres ipſæ diuinæ perſonæ ſunt coniunctæ. Et quamuis non ſit poſsibile, æqualitatem habere cũ infinita eius excellentia; eius tamen affabilitas infinita, hanc ſupplens diſtātiam, nos vocat *nominibus æqualitatis*, vt apparet in Canticis canticorum, vbi ipſe appellat animam, c *ſororem & ſponſam*; eademq; ipſe tribuit animæ Epitheta laudis, quæ illa ipſi. O Deus *dulciſsime*, amabilis ſuper omne, quod cogitari poteſt; magnum ſatis illud fuit beneficium, quod me ad imaginem & ſimilitudinem tuam condideris; ſed infinita tua charitas, adhuc me voluit ad altiorem maioremq; ſimilitudinem eleuare, vt maiora oſtenderes mihi amoris indicia. Iam non eſt cur mirer ſicut Dauid, quod *me conſtitueris* in Eſſe naturali, *ſuper omnia opera manuum tuarum* naturalia, & terræ huius: ſiquidem dignatus es eleuare me ad quoddā Eſſe ſupernaturale, illi par, quod eſt ſuper cœlos. In primo illo eſſe *minuiſti me paulò minus ab Angelis*: quibus tamen in ſecundo hoc Eſſe me parem feciſti, & ſimilē tibi Creatori & ſanctificatori omnium ſanctorum, vt te amem, & ſanctificem nomen tuum in terra, ſicut illi faciunt in cœlo.

Ariſt. 8. Ethic c. 10. — *S. Hieron. in Mich. 7.* — a *2. Pet. 1. 4.* — b *Pſal. 81. 6.* — c *Cant. 4. 9.* — Oratio.

II. Omnia optare. Ex prima hac perfectæ amicitiæ proprietate, oritur SECVNDA, quod ſcilicet amicus amico ſuo velit & optet *Eſſe*, & *vitam*, & *omnia bona*, quæ illi dare poteſt, communicet liberaliter propter amorem, quem habet ergà illũ. in qua proprietate eſt eminentiſsimus magnus noſter amicus Deus:

S. Thom. 2. 2. q. 27. a. 5.

nam

nam præterquam quod nobis bene velit & benefaciat, dans nobis Eſſe & vitam naturalem; vult etiam nobis Eſſe ſupernaturale, vitam gratiæ & gloriæ æternam, cum innumeris bonis quæ illam comitantur, vſque ad illud verbum: d *omnia mea tua ſunt*, quia *amicorum omnia ſunt communia*, & quod Deus habet, vult pro amicis ſuis. O e *dilecte & amice noſter*, quàm abundè exples hanc legem perfectæ amicitiæ; dum propria tua bona facis tuis amicis communia. Et quomodo ego eandem legem implebo, qui propria bona nulla habeo, quæ facere poſſim communia? f *Omnia ſunt tua, & quæ de manu tua accepi, hæc dabo tibi*, propriam meam voluntatem, & amorem proprium faciam communem; exequens quidquid tu volueris, & amans quod tu amaueris, nihil proprij mihi ipſi volens, ſed totum tibi.

d Luc 15.32.
e Cant 5.16.
f 1. Paral. 29.14.

III. Vnio animorum.

Hinc oritur Tertia proprietas perfectæ amicitiæ, *vnio* videl. cuius cauſa dicitur, quod *amicus ſit alter ego*, & quod *amici* ſint *vna anima* in duobus corporibus; & quod anima plus ſit vbi amat quam vbi animat; ideoque veri amici vehementer deſiderant eſſe ſimul, & mutuò conuerſari. Quæ proprietas multò amplius reſplendet in amicitia Dei noſtri: efficit enim vt g *qui* amore *adhæret ipſi*, *vnus ſpiritus ſit* cum eo. Et ponit nos intra ſeipſum, ſicut eſt pupilla intra oculum, iuxta illud h *qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei*: Habetque in i *delicijs eſſe cum filijs hominum*, & familiariter cum illis agere, ſuaque ſecreta illis aperire, iuxta illud Chriſti ad ſuos Apoſt. k *iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius; vos autem dixi amicos*, & tali vos loco habui, *quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis*: Ac denique eos deducit in cœlum, vbi hæc communicatio familiarior erit ac ſtrictior; quia continuè erunt in eius præſentia, immerſi in eius *diuinitatem*; aſpicientes eum facie ad faciem, & ſic conſeruantes intimam cum eo familiaritatem. O Deus amantiſſime, nunc aduerto, quam optimo iure voceris *ſponſus* animarum noſtrarum, quas & tu *ſponſas* tuas appellas; vt qui ſis vnus ſpiritus & cor vnum cum illis, adeò tenerè amanterque cum illis agens, quali numquam ſponſus aliquis egit cum ſibi dilecta ſponſa. Quis vnquam credidiſſet talem *modum* amoris, niſi tu eum reuelaſſes; & quis eam conuerſandi *formam* aſſequi potuiſſet, niſi quem tu participem eius faceres. O dilecti mi, l *quid eſt homo, quia ſic magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum*? Pone Domine cor meum intra tuum, & oſtende mihi tui amoris magnitudinem, faciens me vnum tecum, vt te diligam ſicut me diligis. ſitque amicitia etiam ex mea parte perfecta, ſicut ex tua eſt perfectiſſima.

S. Thom. 1. 2. q. 28. a. 1. & 2.
S. Aug. 4. Confeſſ. c. 6. & 2. Retr. c. 1.
g 1. Co 6.17.
h Zach. 2. 8.
i Prouer. 8 31.
k Ioan. 15. 14.
In Cant. ſæpè.
Oratio.
l Iob 7.17.

Ex his veræ amicitiæ proprietatibus, magnum concipiam *deſiderium* oſtendendi amicitiam & charitatem, quam habeo erga Deum Dominum

Digitized by Google

noſtrum, in ſimili amicitia & charitate erga meum proximum, propter ipſum Deum; ita vt æqualem me illis, & humanum præbeam, eoſque qua ratione mihi licebit exaltem, communicans illis corporalia & ſpiritualia bona mea; & faciens me vnum cum omnibus, amanter cum illis agens, eo fine, vt ament Deum, & ſic ille multos habeat amicos, in quibus glorificetur in æternum, Amen.

MEDITATIO X.

DE QVATVOR SINGVLARIBVS EXCELlentijs infinitæ charitatis & amicitiæ Dei erga homines, & qua ratione poſſimus illas imitari.

I. EXCELLENTIAE *charitatis Dei erga homines hactenus indicatæ, pro fundamento habent* proprietates *perfectæ amicitiæ, quæ inter homines eſſe conſueuit: Alias nunc ita ſingulares indicabimus, vt non niſi in ipſa Dei amicitia inueniri poſſint; quæ quòd ex parte ſua ſit infinita, adeo eſt ſingularis & excellens, vt nulla alia par illi eſſe poſſit. Hæ autem* proprietates, *ad quatuor illas reducuntur, quas recenſet Apoſtolus*, a Latitudinem & Longitudinem, & Sublimitatem, & Profundum. LONGITVDO *eſt* duratio æterna *abſque principio & fine*; LATITVDO *eſt* extenſio & dilatatio *ad omnes homines, qui amicitiam cum illo contrahere volunt*: SVBLIMITAS *eſt* excellentia bonorum cæleſtium, *ad quæ percipienda illos extollit*: PROFVNDVM *ſunt* ſecreta & occulta *huius* amicitiæ; *quæ talia ſunt, vt nemo illa poſſit penetrare; & quamuis horum aliquid in præcedentibus Meditationibus ſit poſitum, eadem tamen fuſiùs in hac proponentur, per ſubiecta puncta.*

a *Eph.* 3. 18. *Et S. Thom ibid. lect.* 5.

PVNCTVM I.

I. *AEternitas amoris Dei.* PRIMA excellentia ſingularis charitatis Dei erga homines eſt, quòd ſit AETERNA, adeò videlicet antiqua, atque eſt ipſe Deus; quià ſua æternitate decreuit amare homines, & amicitiam cum illis cōtrahere, nec ſolùm in genere, & confusè, ſed in particulari vnumquemque; cognoſcens, &, quod in ſe eſt, volens illi dare omnia bona gratiæ & gloriæ, in quibus ipſa amicitia fundatur; quamuis adhuc particulariùs eos amauerit, quos prædeſtinatos vocamus; ita vt liceat mihi applicare, quod ipſe Deus dixit per Ieremiam: a *in charitate perpetua dilexi te*, quaſi diceret, à quo ſum Deus, te diligo; à quo meipſum diligo, etiam te amo: Ita æternus eſt amor, quem erga te habeo, atque ſum ego æternus, & amor quo

a *Ierem.* 38

Digitized by Google

meipſum diligo. O *Amator* æterne, quis non te inceſſanter diligat? vtinã ſemper te dilexiſſem, ex quo ſum homo, ſiquidem tu me dilexiſti ex quo es Deus! ne differas, anima mea, Deum diligere: nam etiam ſtatim diligens, adhuc moras trahere videberis: incipe ſtatim diligere eum, qui te ſemper dilexit: *ama amorem ab æterno te amantem.* Si amicus, vt bonus ſit & fidelis, debet eſſe antiquus: quis antiquior amicus eſſe poteſt, quàm qui eſt æternus? Amplectere Sapientis conſilium dicentis: b *ne derelinquas amicum antiquum: nouus enim non erit ſimilis illi.* ne derelinquas amicitiam Dei pro hominum amicitia: hæc enim non erit ſimilis illi: & quantùm æternum excedit temporaneum, tantùm amicitia illa hanc excedit. Hæc & ſimilia animi *propoſita*, & *affectus*, ex hac conſideratione concipiam, gratias Deo agens, quod me ab æterno dilexerit; & optans ſemper ipſum dilexiſſe, ex quo cœpi habere vſum rationis; cõfidens amico adeò antiquo; ac dolẽs, quòd illum dereliquerim, vt nouas amicitias cum creaturis contraherem; ac denique ſtatuens non ampliùs illum relinquere.

Oratio ad amandum Deum.

b *Eccl.* 9. 14.

II. Charitas Dei prior noſtra.

Ex hac conſideratione aſcendam ad perpendendum, quòd *charitas* & *amor Dei* ſemper ſit *prior noſtro*, quia ſuo amore nos præuenit; iuxta illud Sancti Ioannis, c *in hoc apparuit charitas Dei in nobis, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.* Præſtantia charitatis Dei ex hoc maximè deprehenditur, quòd prior nos diligat, quàm nos illum diligamus. Hoc enim eſt *ſignum*, quod non propter ſuum emolumentum, aut propter noſtra merita nos diligat; ſed gratis, & quia ipſe bonus eſt; & vt amore ſuo ad ſe noſtrum attraheret, & ad redamandum prouocaret. Et ita concludit idem Sanctus Ioannes: *nos ergo diligamus Deum; quia ipſe prior dilexit nos.* O anima mea, ſi quod quis amet, in cauſſa eſt, vt idem ametur, vrgeat te talis amor, & talis Dei; vt diligas te adeò diligentem, & ſuo amore te præuenientem. O amator æterne, ſi poſſibile id fuiſſet, vt prior ego te diligerem, quàm à te diligerer, iuſtiſſimum fuiſſet, vt amor meus tuum ſolicitaret, & ſupplex ego orarem, vt me redamare dignareris. Sed quoniam amor tuus meum ſolicitat & vrget, ex nunc illum tibi offero, ex intimo deſiderio te diligendi, quia tu me diligis; & in dies magis amandi, vt & tu pergas, me ampliùs amare & amoris tui dona in me augere.

c 1. *Ioa.* 4. 9.

Suſpirium amantis animæ.

III. AEterna Dei charitas.

Tertio perpendam *charitatem* Dei eſſe *æternam*, quoad durationem futuram, cum magna ſtabilitate & firmitate, per totam æternitatem: Sicut itaque illa nullum habuit principium; ita, quod in ſe eſt, nec finem eſt habitura erga homines; ideoque poſſum conſiderare, quòd magnus hic Deus, & æternus amator, ſemper me dilexerit, ac porrò diligat, & dilecturus me ſit, quamdiu ipſe erit Deus, niſi ego ipſe deſim. Nam amor eius, ſicut & d *miſericordia*, quæ ab ipſo procedit, *ab æterno* eſt *vſque in* d *Pſ.* 102. 17.

ater-

æternum, nec vlla eſt res creata, quæ amorem hunc Deo poſſit auferre, & hoc modo intelligi poteſt, quod ait Apoſtolus, e *Quis nos ſeparabit à charitate Christi?* quaſi dicat: quis efficere poterit, vt Deus deſinat nos amare per Chriſtum? nam *in omnibus* laboribus, & tribulationibus *ſuperamus, propter eum qui dilexit nos*, & propter virtutem, quam efficit in nobis amor, quem ipſe erga nos habet. Et adeo progreditur *ſtabilitas* huius *amoris*, vt quando nos culpa noſtra hanc amicitiam rumpimus, & eius inimici efficimur, ipſe infinita ſua charitate firmus ſemper perſeuerat, optans, vt in eandem amicitiam & gratiam redeamus: paratus nos denuo ita admittere in gratiam, vt etiam iniuriæ obliuiſcatur, ſi culpam deprecemur: quaſi nobis dicens illud Ieremiæ, f *tu fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, & ego ſuſcipiam te.* O Amator æterne & immutabilis, da mihi *amorem* tuo *ſimilem*, à quo nihil me poſſit ſeparare. Si tu amorem tuum à me non ſeparas, quis meum poterit à te ſeparare? g *An tribulatio, an anguſtia, an fames, an gladius?* nihil horum ad id potens eſt: nam amor, quem mihi dederis, facilè vincet omnia, in virtute illius, quem tu erga me habes: h *nec aqua multa poterunt extinguere charitatem hanc, nec flumina obruent illam*, ſi tuæ ſit ſemper coniuncta: nam tua eſt ignis infinitus, qui in momento illa omnia abſumet. Ne permittas, amator æterne, vt ego amicitiæ tuæ filum abſcindam culpa mea. quòd ſi tanquam imbecillis aliquando abſcidero, excitet me amor tuus ac præueniat, vt redeã ad te: imple in me *propenſionem charitatis* ad numquam deficiendum, (ſiquidem i *ipſa numquam excidit*) vt me illam conſtanter in temporali hac vita ſeruante, illa perduret vſque ad æternam, Amen.

e Rom. 8. 35. Tolet. ibid.

f Ierem. 3. 1. Oratio, ne Deus deſerat.

g Rom. 8. 35

h Can. 8. 7.

i 1. Cor. 13. 8.

PVNCTVM II.

I. Latitudo charitatis.

SECVNDA charitatis Dei excellentia, eſt eius LATITVDO, quæ eſt infinita; quia, quòd in ſe eſt, complectitur omnes homines cuiuſcunque ſint ſtatus & conditionis; omnes cupiens ad gratiam & amicitiã admittere, nullo excluſo, qui velit admitti, vt locum hic habeat, quod Sapiens dixit cum Deo loquens: a *diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam; diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti*, ac porrò nullum hominem odiſti tanquam inimicum, niſi ob culpam, quam pœnitentia non deleuit. Et quamuis verum ſit, quod ſpeciali amore diligat prædeſtinatos, in quo ſenſu dicitur b *Iacob*, hoc eſt, Prædeſtinatos *dilexi*; *Eſau autem*, hoc eſt, Reprobos, *odio habui*, quia non æquè hos atque illos dilexit: abſolutè tamen, quod in ſe eſt, omnes amat charitate infinita, & c *vult omnes homines ſaluos fieri*, & ſibi eſſe amicos; nec ceſſat magna amoris blandimenta illis oſtendere; (ſicut oſtendit Iudæ falſo diſcipulo

a Sap. 11. 24.

b Rom. 9. 13.

c 1. Tim. 2. 4

Digitized by Google

ſuo) vt eos ad ſuam reuocet amicitiam; hac ratione d *carbones ignis congerens ſuper caput ſui inimici*, vt faciat amicum. Et ita paterno hoc amore effecit, vt filius eius, qui eſt e *ſol iuſtitiæ*, *orirettur ſuper bonos & malos*; & *pluuia* doctrinæ eius *efferretur iuſtis & iniuſtis*, & ros cæleſtium donorum deſcenderet ſuper omnes, quotquot illum vellent ſuſcipere. O *immenſitas* charitatis Dei, quæ omnes amplecteris, & numquam tamen expleris; quòd ſemper *latitudo* ſuperſit ad plures recipiendos! Exulta anima mea, ob *immenſam* huiuſmodi charitatem, & confide, te fore eius participem. O Amator *immenſe*, cuius infinita charitas tam habet latos ſinus; admitte omnes mortales intra illos. Occlude, ſi fieri poteſt f *Inferni os, quod abſq; termino ille aperuit*, vbi te omnes oderunt, vt nullus eò deſcendat; aperi verò cæli ſinus, vbi omnes te diligunt; vt omnes eò conſcendant, & in amore tui ac laudibus in æternum occupentur, Amen.

d *Pro.* 25. 21. *Rom.* 12. 20.
e *Mat.* 5. 4
Oratio.
f *Iſai.* 5. 14.

II. Inexplebilis Dei charitas.
8. *Ethic.* c. 6.

DEINDE perpendam, hoc etiam ſingulariſſimum eſſe *in hac charitate* Dei, quòd licèt ad plurimos ſe extendat, idem tamen illi ſit, atque ſi ad pauciſſimos ſe extenderet; ideoque *nihil* propterea *perfectionis* illi *decedat*. Inter homines quidem arcta & perfecta amicitia (teſte Ariſtotele) debet eſſe inter paucos, eò quòd ſit perrarùm multos inueniri, qui ſimul ſint fideles, & quibus confidi poſſit: at Deus noſter infinita ſua charitate amicitiam contrahens cum multis, facit illos amicos fideles, dans illis veram charitatem: & quamuis dilectiſſimi ſint multi, ita tamen ſingulis eſt familiaris, atque ſi vnus eſſet ſolus. Multitudo itaque amicorum DEI non impedit familiarem eius cum illis communicationem; vt apparet in cœlo, vbi hæc amicitia eſt perfectiſſima. Et hanc ob cauſam, cùm in Canticis Canticorum tria genera animarum ſponſus retuliſſet, quæ apud ipſum manerent, concludit dicens: g *vna eſt columba mea, perfecta mea*; quaſi diceret; omnes ſimul animas, quæ vnam Eccleſiam conſtituunt, ita diligo, atque ſi omnes vna eſſent, & ad vnum finem, æternam ſcilicet earum beatitudinem & gloriam meam. O Dilecte mi, gratias tibi pro hac voluntate, qua cupis amicitiam habere cum omnibus; & ita cum ſingulis arctam, atque ſi eſſet vnus ſolus. O ſi anima mea adeo eſſet felix, vt eſſe poſſet vna ex his tuis ſponſis, cui dixiſti, *vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt Matri ſuæ*; fac me quæſo columbam tuam per innocentiam; perfectam tuam per h *charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis*; & concede, vt te in militanti hac Eccleſia diligam, ſicut te diligit mater noſtra Eccleſia, iam triumphans in cœlo.

g *Cant.* 6. 8.
Oratio.
h *Col.* 3. 14.

Ex duplici hac conſideratione, *duplex propoſitum* concipiam, vt poſſim Dei charitatem imitari. PRIMVM erit, *neminem odiendi* aut pro inimico habendi; ſed *amandi vniuerſos*, laxando ſinus charitatis, qui omnes homines capiant, bonos & malos, perfectos & imperfectos; omnib. præ-

Duplex propoſitũ imitandi charitatem Dei.
1.

Digitized by Google

2. ſtando amicì opera, in quibus potero. SECVNDVM propoſitum eſt, *reducendi amorem omnium ad vnum ſolum*, qui eſt Deus, ita vt licèt plures diligam, non tamen vt plures, ob particulares ſcilicet ſingulorum reſpectus id faciam; ſed ob vnum ſolum præcipuè motiuum, & propter vnum ſolum amicum, qui eſt Deus, cuius ſunt omnes.

PVNCTVM III.

Sublimitas charitatis.

TERTIA excellentia eſt SVBLIMITAS diuinæ charitatis, quæ apparet in excellentia beneficiorum & donorum, quæ ab ea procedunt; quæ adeo ſunt ſublimia, vt maiora eſſe non poſſint; imò oſtendunt, altitudinem & ſublimitatem ſuam eſſe infinitam.

I. PRIMVM, quia nos eleuant ad ſublimitatem & ſupremam *dignitatem* filiorum Dei, & hæredum regni eius; propter quam cauſam dixit

a 1. *Ioan.* 3. 1.

Sanctus Ioannes: a *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus.* quaſi diceret; contemplamini & perpendite ſublimitatem, ad quam peruenit charitas Dei, & admirandos affectus & effectus quos produxit; ſiquidem nos eleuauit, vt eſſemus fi ij Dei, idque cum omnibus *excellentijs*, quas habere debent filij talis Patris. Quæ excellentiæ quales ſint, non eſt poſſibile in hac vita aſſequi, ideoque adiunxit: *nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* In cœlo itaque deprehendetur ſublimitas huius dignitatis filiorum Dei, & charitatis eius, quæ nos ad eam exaltauit. Gratias tibi, Pater amantiſſime, pro *charitate* quam exhibuiſti mihi, accipiendo me in filium; clarifica oculos animæ meæ, vt cognoſcam qualis hæc ſit charitas; vt ea indutus, te diligam tamquam Patrem, conando eſſe tibi ſimilis in amore, vt poſtea ſim etiam ſimilis in gloria, Amen.

Gratiarum actio.

II. DEINDE apparet quoque diuinæ *Charitatis ſublimitas*, *quòd* nos adeò *dilexerit*, vt Redemptionis noſtræ cauſa hominem vnum naturæ noſtræ adeò exaltauerit, vt eſſet filius Dei; non adoptiuus, ſed ipſemet filius Dei naturalis, propter *vnionem* Incarnationis: ita vt *vnus* ſit realis homo & verus filius Dei, æqualis æterno Patri, & *vnus* cum illo DEVS. Adeoque altè charitas Dei hîc eſt progreſſa, vt altiùs non potuerit. quamobrem dixit ipſemet CHRISTVS Dominus noſter; b *ſic DEVS dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Et Sanctus Ioannes adiecit: c *in hoc apparuit Charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum vnigenitum miſit DEVS in mundum, vt viuamus per eum.* Cum hoc *homine cæleſti* contraxit DEVS excellentiſſimam amicitiam, quæ eſſe poteſt, poſt infinitam illam, quæ eſt inter tres diuinas perſonas: Nam, vt hæc fundatur in *vnitate* Eſſentiæ, ita

b *Ioan.* 3. 16.

c 1. *Ioa.* 4. 9.

Amicitia Dei cum homine cæleſti Chriſto.

illa

illa fundatur in *vnitate* vnius eiuſdemque perſonæ, æqualis ipſi Deo: Et huic vnitati innititur firmitas & ſecuritas illius, quam DEVS habet nobiſcum, qui diligit nos propter CHRISTVM filium ſuum: d *quem dum nobis dat, omnia cum illo nobis donat.* O altitudo bonitatis & charitatis Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt opera tua, & inueſtigabiles viæ tuæ! O amor ineffabilis, qui, vt perfectam amicitiam cum homine contraheres, illum ad Dei æqualitatem eleuaſti! O amator altiſſime, quas tibi referam gratias pro tam altis & præſtantibus amoris operibus? & quomodo te dignè laudare potero propter illa? laudet te Domine ipſamet charitatis tua; ac benedicant opera, quæ ab illa proueniunt: & præ omnibus te glorificet ipſemet Filius tuus, verus Deus & homo, in quo diligimur omnes tam alta & ſuprema charitate. Aſpice in faciem huius tui dilecti amici, antiqui, & noui; antiqui quidem, quà eſt Deus; noui autem, quà eſt homo: per eum, Domine, ſupplex oro, vt me facias amicum tuum, renouans me ſecundùm imaginem huius noui hominis, vt per eum viuam, & conſequar vitam æternam, Amen.

d *Rom.* 8. 32.
Oratio.

De hac conſideratione plura ſunt dicta in 2. part. Medit. 2.

III.

LICET etiam *altitudinem* eiuſdem diuinæ *charitatis* perpendere in myſterio Sanctiſſimæ Euchariſtiæ: in qua idem ipſe CHRISTVS, DEVS & homo verus, ſpeciebus panis & vini tectus, ad nos ipſos ingreditur, vt hanc charitatem in nobis conſeruans, & augens intimè ſecum nos vniat, vt in 4. p. Medit. 11. perpendimus, & fuſiùs adhuc inferiùs expendemus Medit. 42.

VLTIMO perpendam eiuſdem diuinę *charitatis ſublimitatem*, ex ſublimitate infiniti doni, quod nobis largitur, dans nobis ſpiritum S. qui eſt fons amoris, vt proxima Meditatione apparebit.

IV.

Ex his omnibus generoſum quoddam concipiam *deſiderium*, imitandi hanc diuinæ charitatis ſublimitatem, ita eam amando, vt ſemper in eius obſequio res altas & grandes perquiram, cum alta ſemper intentione eius maioris gloriæ, cum alta ratione & contemplatione *myſteriorum* eius, & excelſa imitatione virtutum; implens quod dicit Apoſtolus: e *hoc oro, vt charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu ſpirituali: vt probetis potiora, vt ſitis ſinceri, & ſine offenſa, repleti fructu iuſtitiæ, per Ieſum Chriſtum in gloriam & laudem Dei, Amen.*

e *Phil.* 1. 9.

* * *

Pvnctvm IV.

I. Profunditas amoris Dei. QVARTA excellentia eiuſdem *charitatis* Dei, eſt eius PROFVNDITAS: quæ apparet *primùm* in profundis DEI humiliationibus, quas hominum gratia ſuſcepit: quia, cùm Diuinum verbum eſſet æquale Patri, a *exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens: & humiliauit ſe factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* vt quoniam perfecta amicitia exigit amicorum æqualitatem, & ipſe DEVS adeo erat ſublimis & altus, voluit ſe inclinare, & induere hominum naturam: *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, vt ſic fraternè illis conuiuens ſicut homo, b *per omnia fratribus ſuis aſſimilaretur.* Præterea ſicut perfecta *charitas*, non ſolùm oſtenditur benefaciendo amico, ſed etiam pro eodem labores ſuſtinendo: quia c *maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*; voluit infinita Dei charitas etiam hæc amoris indicia præbere. Sed quia in propria ſua natura diuina, nec pati poterat, nec mori; aſſumpſit humanam, in qua labores grauiſſimos, contemptus, & ignominias maximas, ac denique mortem crudelem pro ſuis amicis pateretur! Et quid dico pro amicis? in hoc maximè d *commendat charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt*, vt faceret amicos: & pro ijs qui ipſum oderant, vt amicos faceret & induceret ad amandum. O *immenſam abyſſum* charitatis Dei! O *altiſſimam* & *profundiſſimam* charitatem, quæ hominem extuliſti ad altiſſimum quod eſt in Deo: Deum verò humiliaſti ad profundiſſimum & abiectiſſimum quod eſt in homine. e O *patientem* & *benignam* charitatem, quæ non contenta, ex maxima benignitate nobis benefacere, voluiſti etiam plurima pro nobis patientiſſimè perpeti! O Dilecte animæ meæ, oſtende mecum hanc charitatem, talem aliam mihi donando, quæ me inclinet ad humiliandum vſque ad profundum mei nihili, & excitet ad toleranda quæuis vſque ad ipſam mortem pro gloria tua. Idem licet perpendere circa myſterium Euchariſtiæ, in qua etiam apparet profunditas eiuſdem caritatis Dei, adinuenientis media profundæ adeò humilitatis ad honorandum & indulgendum amicis, qui vera charitate illum amant.

a Phil. 2. 7.

b Heb. 2. 17.

c Ioan. 15. 13.

d Rom. 5. 8.

e 1. Cor. 13. 4.

ETIAM apparet *profunditas* caritatis Dei in abyſſo *ſecretorum iudiciorum* Diuinæ ſapientiæ, erga ſuos amicos, vt eis benefaciat. Nam vt ait Apoſtolus: f *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, tribulationes, afflictiones, tentationes & miſeriæ, tam propriæ quàm aliorum; imò & ipſi defectus & culpæ, in quas ex debilitate labuntur, etiam illis co-

f Rom. 8. 28.

operantur in bonum: quia Deus ea occaſione vtitur, ad magis eos radicandos & perficiendos in amore. Incomprehenſibilis itaque *profunditas charitatis* Dei reſplendet in omnibus operibus iuſtitiæ, & vindictæ, quam ſumit de impijs, in vtilitatem bonorum; & in bonis ad maiorem eorũ profectum: Ad inueniens mille media, & vias occultas, natas ex abyſſo æternæ prædeſtinationis, in ſalutem ipſorum prædeſtinatorum.

Hae ſunt quatuor *excellentiæ infinitæ charitatis* Dei, quas licebit cognoſcere & ſentire, non tam prolixis Meditationibus, quàm editis intenſis charitatis actibus: vt profundas in ea radices faciam, ſequens Apoſtoli cõſilium dicentis: g *radicamini & fundamini in charitate*, vt experientia *poſſitis comprehendere* proprietates & excellentias infinitæ charitatis Dei, per quã agnoſcatis & comprehendatis *charitatẽ longam* in duratione, quæ duret vſque ad vitam æternam; *latam* in extenſione, quæ complectatur omnia opera amoris & omnes perſonas, quæ amari poſſunt; *ſublimem* in intẽtione, & deſiderio, quod non ſe dimittat ad res terrenas, ſed deſiderio conſcendat ad cœleſtes: *Et profunditatem* in humiliatione: ſuſtinentes omnes labores & contemptus, qui vobis euenerint, eò quòd veſtro dilecto fideles fueritis. O Dilecte cordis mei, da mihi charitatem, tuæ in his quatuor proprietatibus ſimilem, vt tali ſpiritu te in hac vita diligens, perueniam ad te fruendum, & te amandum in altera, in æternum, Amen.

III. Charitatis noſtræ perfectio.

g *Ephe*.3.17.

Oratio.

MEDITATIO XI.

QVOD DEVS DESIDERET AB HOMINIBVS amari, de quo etiam præceptum ſtatuit, & auxilia, ac præmia offert.

QVAMVIS ex D. *Thomæ ſententia, magis proprium ſit charitatis*, amare, *quàm* amari: *nihilominus infinita Dei charitas non eſt contenta, ſi ipſa nos amet; ſed ſummè deſiderat, à nobis amari; non ſui emolumenti, ſed noſtri potiùs causâ: ideoquè, vt iam diximus, præuenit nos amando, vt nos ad redamandum prouocet: quia amare eſt efficax motiuum redamãdi. Hoc deſiderium, eiuſquè efficacitas & excellentia apparet in rebus aliquibus, quas in ſubiectis punctis indicabimus.*

2.2.q.27.a.1.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM primò, quòd Deus Dominus noſter deſiderans ab hominibus amari, ſingulare *præceptum* ea de re ediderit,

Deus amãdus, ex præcepto.

a *Deut.* 6.5. *Matt.*22.37. mandans: a *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua,*
ex tota mente tua, ex tota virtute, & ex omnibus viribus tuis, cum omni vide-
*S.Thom.*2.2. licet perfectione, ipſis poſsibili, nullâ appoſitâ menſurâ amoris. Nam *mo-*
*q.*44.*&* q. 24.*a.*5. *dus amandi* DEVM, eſt amare eum ſine modo & termino aliquo; tantoque
amor erit melior, quantò fuerit maior. Ex quo apparet, quàm ſit Dei a-
Ex S.Bern. de diligendo Deo. mor erga nos infinitus. qui enim cupit amari ſine menſura, idque, vt facia-
mus, præcipit; ſignum eſt, ipſum in amore ſuo, & in benefaciendo nobis,
b *Prou.*8 17 terminum non habere. b *Deus enim diligentes ſe diligit*; & quò quis magis
eum diligit, & ipſe illum; eò maiora bona illi confert. nam omnia donâ
cœleſtia procedunt ab amore Dei erga nos: ad quæ recipienda diſponi-
mur per amorem, quem erga illum habemus. O Amator dilectiſsime, ſi-
quidem adeò cupis, vt te ſine modo amem: da mihi quod iubes, vt imple-
re poſsim quod deſideras. *Diligam te, ſicut diligor à te*; diligam te, ſicut vis
diligi; & diligam, ſicut iubes diligere. Hinc magnam concipiam huius
c *Mat.*22.37 *præcepti* de amore opinionē, quam ipſe Chriſtus inſinuauit ſe habere, cum
*Mar.*12.30. illud appellauit, c *primum & maximum mandatum*, idque multas ob cauſas.
1. PRIMVM eſt, quia ponitur tanquam fundamentum reliquorum, eſtque
Cauſæ amoris. verè *ſpiritualis vitæ fundamentum*, & radix omnis perfectionis: & propterea
dixit Apoſtolus, vt d *eſſemus fundati, & radicati in Charitate.* ITEM eſt pri-
2. mum dignitate, quia iubet ſupremum actum virtutis, quæ eſt in vita Chri-
d *Ephe.*3.17. ſtiana, hoc eſt, e *Charitatis, quæ maior eſt quàm fides, & ſpes,* & ceteræ virtu-
e 1.*Cor.*13. 3 tes, quæ abſque hac ſunt velut mortuæ, iuxta illud Apoſtoli, *ſi Charitatem*
3. *non habuero,* etiamſi habeam reliquas virtutes & ſcientias, *nihil ſum.* ITEM
eſt primum hoc præceptum, quod attinet ad *meritum*: quia Charitas eſt
prima cauſa noſtrorum meritorum coram Deo: ſine qua nullum opus no-
f 1.*Cor.*13.3. ſtrum aliquid meretur apud Deum, dicente Apoſtolo, f *etſi diſtribuero in*
cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita vt ar-
deam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt, ad meritum ſcilicet
4. vitæ æternæ. EST quoque primum in *ſuauitate & dulcedine*; nam ex cha-
g *Matt.*11.30 ritate oritur omnis *ſuauitas* g *iugi Dei, & leuitas oneris* legis ipſius; propter
h 1.*Ioan.*5.3. illam h *eius mandata grauia non ſunt*: eſtque proprius eius effectus *gaudium*
5. in Spiritu Sancto. EST etiam primum in *efficacitate*, quia eſt cauſa obſer-
uationis reliquorum præceptorum; & propterea dixit Chriſtus Domi-
i *Matt.*22.40 nus noſter, ab eo i *pendere vniuerſam legem & Prophetas,* & Apoſtolus dicit:
k *Ro.*13.10. k *plenitudinem legis eſſe dilectionem. Denique* etiam eſt primum in *intentione.*
l 1.*Tim.*1.5. Propter quod Apoſtolus dixit: l *finem præcepti eſſe charitatem*; quia omnia
præcepta ad charitatem tendunt, ad quam tota noſtra intentio eſt dirigē-
da, & illa debet omnia opera noſtra comitari, iuxta Apoſtolum dicentē,
m *omnia veſtra in charitate fiant,* vt eorum bonitas ſit perfecta. Propter has
m 1.*Cor.*16. 14. & alias cauſas magni oportet facere hoc *præceptum,* quod CHRISTVS

Do-

Digitized by Google

Dominus noſter grauiſsimis verbis ſæpè nobis commendauit; ideoque par eſt, me ad *perfectam* eius *obſeruantiam* ſeriò excitare: quæ obſeruantia *in duobus* conſiſtit: in remouendo ſcilicet quocunque amore, & re quauis, quæ charitati aduerſetur, aut illam remittat; & in applicatione ſeria, ad exercenda quæcunque illam augent & promouent. O *amator* æterne, fac vt *te ex toto corde* diligam, mortificans in eo quidquid eſt amoris proprij; vt ſolus remaneat amor tuus; diligam te ex *tota voluntate* mea, negans illi quidquid illa vult; vt expleam, quod tu vis; diligam te ex *tota anima* mea, refrenans omnes paſsiones mearum appetitionum, vt omnes eius affectus eant poſt te; diligam te *tota mente* mea, abnegans iudicium meum proprium, & captiuans intellectum meum in obſequium tuæ fidei, & executionem tuæ voluntatis; diligam te ex *omnibus viribus* meis, mortificans ſẽſus meos, & applicans facultates animæ meæ ad legis tuæ obſeruationem. Et ſiquidem tua mandata non ſunt impoſsibilia, da mihi vires ad te diligendum eo modo, quo tu vis diligi, & redde mihi iucundum & facile per tuam gratiam, quod eſt impoſsibile per meam debilem naturam. *Quidquid in hoc colloquio poſuimus, neceſſarium eſt ad explendum perfectè hoc præceptum; ad quod iuuat, quod eſt dictum in Introductione huius partis, & in Medutat. 8.*

Quæ Charitati obſtẽt.

Oratio.

PVNCTVM II.

DEINDE conſiderandum, quòd DEVS Dominus noſter, cupiens à nobis diligi, cùm præceptum ea de re conſtituiſſet, *vires* quoque & *efficacitatem*, ad id exequendum, nobis præbet, excellenti quodam & admirando modo. Nam PRIMVM infinitus hic noſtri *amator*, deſiderans amicitiam nobiſcum contrahere, & amicitiam ex vtraque parte eſſe perfectam, infundit nobis liberaliter charitatem, qua illum diligamus; ipſumque amorem, quo diligimus; ſuggerit internas inſpirationes, quibus nos iuuat, vt illum amemus; & ita obſtringit nos, vt ea charitate vtamur, a *quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris*, ad varios actus amoris, & eius augmentum, & ad nouas vires acquirendas, quibus ſemper in amore proficiamus: & ob hanc cauſam S. Ioannes dixit: b *Chariſsimi, diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo eſt*, qua videlicet nos inuicem diligimus; & par eſt nos eadem vti, ad ipſum amandum, ſicut ipſe vult amari.

Charitas Dei eſt cauſa noſtræ.

I.

a Rom. 5. 5.

b 1. Ioan. 4. 7

SED vlteriùs pergit infinita Dei Charitas, qui his non contentus, ipſũmet Charitatis creatæ fontẽ, qui eſt c *Spiritus S.* Charitas increata, Charitas viua, & amor viuus, nobis donat; vt nobis internè aſsiſtat, vt noſtram Charitatẽ cõſeruet, vitã illi det, illã dirigat, & ad producẽdos amoris actus

II.

c Rom. 5. 5.

d 1. Ioan. 4. 13. 16

excitet. Quamobrem S.Ioannes ait: d *cognoſcimus & credimus charitati, quã habet Deus in nobis, quia Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo; & in hoc cognouimus, quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis.* Qui itaque habet *virtutem* charitatis *infuſam* in anima ſua, habet ipſammet charitatem viuam & infinitam, ipſum videlicet Deum, in quo ipſe eſt, & Deus in eo *mutuo* inter ſe *amore* coniuncti. Nec ſolùm habet Spiritum ſanctum, ſed Patrem etiam & Filium, iuxta illud, quod ipſe Chriſtus dixit: e *ſi quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Ex quo fit, vt intra hominem iuſtum tres diuinæ perſonæ maneant, quæ ſunt viua charitas, fons, & exemplar eius quam ipſe habere debet; adiuuans illum ad exactè ſeruandas omnes veræ amicitiæ leges, ſicut ipſe Deus illas ſeruat. O ineffabilis ſublimitas charitatis Dei! ô fons aquæ viuæ; qui manens in corde terreno, illud ad tertium vſque cœlum eleuas, & beatiſsimæ Trinitati coniungis! O Trinitas beatiſsima, quæ non ſolùm tuos electos diligis, ſed etiam amoris nomen tibi attribuis; vt ipſemet CHARITAS voceris, quò omnes de ea gloriemur. O anima mea, exulta & exili præ lætitia, quia Deus tuus Charitas eſt. Si Deus Charitas eſt, quid ea poteſt eſſe melius? ſi is qui eſt in Charitate, eſt in Deo, quid poteſt eſſe ſecurius? & ſi DEVS in eo eſt, quid poteſt eſſe lætius? Quid itaque diligis, ſi talem Charitatem non diligis? Et ſiquidem hic DEVS Charitatis vult intra te manere, & te intra ipſum, vt te *totam Charitate* repleat; intra & tu in te ipſam, & aſpice infinitum *exemplar* huius *Charitatis*, quam habes intra te; ac dilige DEVM tuum Trinum & Vnum, ſicut ipſe diligit ſeipſum; & coniungas te illi per *Charitatem*, ſicut ipſæ diuinæ Perſonæ vnitæ ſunt per Eſſentiam; quia omnes Tres ſunt *vna* eademque *Charitas*. O DEVS meus, oſtende mihi *Charitatem* tuam, & *amorem* tuum da mihi; f *diligam te Domine fortitudo mea, refugium meum*, & conſolatio mea! Diligam te, ſicut tu me diligis; & ſicut tu vis amari in ſecula, Amen.

Quomodo Deus in nobis.

e Ioan. 14. 23

Oratio iaculatoria.

S. Bern. & S. Thom. in 1. Ioan. 4.

f Pſal. 17. 1.

HAE iaculatoriæ orationes & aliæ ſimiles, ſunt frequenter repetendæ, vt breui obtineatur *Charitas*, nunc eam petendo, nunc eam exercendo; neque enim aptius vllum & efficacius eſt medium ad obtinendam Charitatem, quàm diligere & orare, modo prædicto.

PVNCTVM III.

Amantis præmia.

TERTIO conſiderandum, quòd infinita DEI Charitas, quæ adeò cupit à nobis amari, etſi ſatis fuiſſet iuſsiſſe, vt ipſum amaremus, imò etiam, nullo adhibito præcepto, debuiſſemus meritò illum amare; nihilominus ipſi præcepto addere voluit ingentia *præmia temporalia &*

ſpiritualia, temporalia & æterna, vt magis adhuc nos *ſui amore* obſtringeret & ad ſe alliceret:& ideo in Deuter. cùm iuſsiſſet populo ſuo, vt ipſum amaret, adiecit, a *vt benè ſit tibi*? quaſi diceret, non tibi mando, aut à te peto, vt me ames ob commodum, quod ex tuo amore ego expecto; ſed propter *bonum*, quod tu accipies, ſi me dilexeris: quantum autem ſit hoc *bonum*, ex tribus aut quatuor capitibus deprehendi poteſt. a *Deut* 10.13

PRIMVM, quia *præmium vitæ æternæ* datur propter *amorem*, ita vt ad charitatis menſuram, reddenda ſit gloria. Et quamuis aliquis præſtiterit opera ex ſe inſignia, conuerterit plures animas, paſſus fuerit magnas aduerſitates; ſi tamen non peruenerit ad tantam *charitatem* atque alter, qui talia non fecerit, quia non potuit, non habebit parem huic gloriam. Et ita ipſe Chriſtus Dominus dixit: b *qui diligit me, ego diligam eum & manifeſtabo ei meipſum:* quaſi diceret, propter *amorem*, quo me amat, faciam illum beatum, ad claram ſcilicet mei viſionem illum deducens; & quò ampliùs me dilexerit, eò videbit clariùs; & gaudebit in me, & altiorem in regno Patris mei thronum habebit. I. Vitæ æternæ acceptio. b *Ioan*.14.21

DEINDE *dona & fauores cœleſtes*, quæ præmium ſunt huius vitæ, etiam ad amoris menſuram communicantur, qui diſponit ad ea recipienda: vnde ſapientia diuina de ſeipſa dicit: c *in vijs iuſtitiæ ambulo; in medio ſemitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam.* O Sapientia æterna, quæ iuſtitiam tuam & rectitudinem oſtendis in *reddendo* præmio & *fauendo* ijs, qui te diligunt; dirige & adiuua me, vt ambulem per vias iuſtitiæ, & per ſemitas perfectionis, te viribus meis omnibus diligendo; vt efficiar dignus, quem cœleſtibus tuis diuitijs dites, & mea deſideria impleas theſauris tuorum æternorum bonorum. II. Dona & fauores. c *Prou* 8.20 Oratio ad Deum.

PRAETEREA amantiſsimus hic DEVS *philtri* loco innumeris beneficijs vtitur, vt nos præueniens, d *trahat* ad ſuum amorem & ſeruitium, *in funiculis Adam & in vinculis charitatis*; fouens ignem amoris, lignis donorum, & flatu ſuarum inſpirationum: quia eius in mundum aduentus fuit, e *vt ignem mitteret, cuius deſiderium erat, vt arderet*; vt ſic haberet etiam in terra Seraphinos, ſicut habet in cœlo. O cœleſtes Seraphini, qui *igne amoris* ardetis, orate Deum veſtrum, vt iſto *igne* me inflammet, itaque illum foueat, vt ſemper ardeat in hac vita, donec vobis coniungar in æterna, Amen. III. d *Oſeæ* 11. 4. Funiculi amoris. e *Luc*.12.49. Oratio ad Sanctos.

DENIQVE, vt ex omni parte vincti teneamur, & ligati ipſius amore; *minatur* nobis horrenda *ſupplicia*, ſi tranſgrediamur præceptũ, ipſũ diligendi. nam, deficiente amore, deficit vita gratiæ, & deficiet æterna gloriæ; & loco eius ingreditur mors, & infernus; & propterea dixit S. Ioan. f *qui non amat, manet in morte* animæ, & æternùm permanebit in morte æterna, & Apoſtolus dixit: g *ſi quis Dominum* IESVM *Chriſtum non diligit, ſit* IV. Minæ. f 1.*Ioan*.3.14 g 1.*Cor* 16. 22.

anathema, maranatha;& in die iudicij ſeparetur à bonis, qui illum amant; & mittatur ad ignes æternos, qui comburent eum odientes. *Ex his* omnibus cognoſcam *obligationem*; qua teneor Deum Dominum noſtrum *amare*, præcipuè propter *ſeipſum*, propter *bonitatem* ſuam infinitam, & propter *amorem*, quo me proſequitur; accipiens hoc (vt ait S. Thomas) pro *motiuo* proprio *amoris* mei; qui, teſte Sancto Bernardo, quando eſt purus, quamuis non ſit mercenarius, non caret tamen mercede; ſed potiùs tantò maius præmium conſequetur, quantò minus illud quærit: Nihilominus, vt ille conſeruetur & augeatur; vti poſſum tribus illis rebus, quas hic poſuimus: *præmijs* videlicet, quæ ſpero; *bonis*, quæ accipio; & *ſupplicijs*, quæ timeo; conficiens ex tribus his rebus h *funiculum triplicem*, quo me fortiùs cum hoc *amore* conſtringam; ne tres hoſtes mei, mundus, caro, Dœmon præualeant cõtra me, aut ſeparare me poſsint à *charitate* Chriſti.

Obligatio noſtra.

2.2.q 7 .. Serm 38 in Cant. & tr. B de diligent Deo § dicto proind

h Eccl. 4. 12.

O Chriſte amantiſsime & benigniſsime, benedictus ſit, eritque, *qui te diligit*; maledictus autem eſt, & erit, quicunque te odit. Quis te non diligat, Deus meus, qui tot benedictiones effundis ſuper te diligentem? & quis te oderit, ſiquidem tot maledicta deſcendunt ſuper te odientem? Eleua, anima mea, alas cordis tui ſupra omnia creata, & ſuper te ipſam; tranſcende quidquid eſt præmium, & pœna, & emolumentum tuum, & vola velociter ad intimum & ſupremum, quod eſt in tuo Creatore, dilige illum propter ſeipſum & infinitam eius bonitatem & charitatem; dilige illum, quia te ipſe diligit, & quia cupit à te amari; gratificare illi in eo, quod à te petit, ſiquidem illud petit commodi tui cauſa: lauda & glorifica illum, quia iubet, vt illum ames, vireſque concedit ad implendum, quod eſt dignatus mandare. O Dilecte mi, quid ad te, quòd ego te diligam? aut quid tua refert, vt ego tecum amicitia coniungar? mea certè refert Domine, & non tua; ſed infinita tua charitas ita id vrget, atque ſi ita tua intereſſet, atque mea. O ſi in hoc poſſem tuum amorem imitari, mei omninò oblitus, vt te ſolùm, vnicum, & ſummum bonum meum diligerem! cui ſit honor, & gloria, & laus continua in ſecula.

Amen.

Oratio ad Chriſtum.

Bern lib. de diligen. Deo § felix qui meruit.

MEDI-

MEDITATIO XII.

DE INFINITA DEI *Miſericordia.*

PVNCTVM I.

CONSIDERANDA primùm eſt *excellentia miſericordiæ* diuinæ, cum eius iuſtitia comparatæ, præmittendo quòd hæc duo attributa appareant in omnibus donis, quæ à Deo accipimus; Iuſtitia in eo, quòd illa diſtribuat iuxta ordinem infinitę ſuę ſapientię, & iuxta id quod cuiuſque rei natura, & cuiuſque perſonæ merita exigunt; *Miſericordia* in eo, quòd per ea nos liberet à defectibus & miſerijs, quas patimur, ſiue ob naturæ noſtrę imperfectionem, ſiue ob liberę voluntatis culpam, id quod facit *duplici* ratione; vel *præueniendo* ipſam miſeriam, vel ab ea, poſtquam in eam incidimus, *liberando*: & *iuſtitiæ* Dei proprium *opus* eſt, caſtigare eos, qui miſericordiæ fructus reijciunt. S.Thom.1 p. q.21.a 3 In omnibus donis Dei miſericordia & iuſtitia.

HIS pręmiſſis, conſiderandum eſt, quòd quamuis diuinę perfectiones, quæ in Deo ſunt, omnes ſint æquales; in ordine tamen ad effectus, qui in eis reſplendent, altera alteri præeminet. Et in hoc eminet maximè *miſericordia*, de cuius operibus magis gloriatur Deus, quàm de operibus iuſtitię; & ita dixit ſanctus Iacobus: a *miſericordia ſuperexaltat iudicium*, & ſupereminet *iuſtitiæ*. Quod ita expendi poteſt, vt dicamus, miſericordiam præcedere, comitari, & ſequi iuſtitiam in omnibus ſuis operibus. a Iac.2.13.

PRIMVM ſemper *miſericordia* præcedit: nam omnia opera iuſtitiæ præſupponunt aliquod opus miſericordiæ; in quo fundantur; & priuſquā Deus per iuſtitiam caſtiget peccatores, exhibet illis infinitas miſericordias, nam remiſit ſæpiſſimè lapſis, monet, vt ſe emendent, & eius iuſtitiam timeant. Hinc eſt, quod *miſericordia* & venia oriuntur à ſolo Deo, qui ſola ſua infinita bonitate vult nos à noſtris miſerijs liberare; at *iuſtitia* in pœna inferenda, non à ſolo Deo procedit, ſed etiam à noſtris peccatis, quæ illum ad id prouocant. Nam eius propenſio fuiſſet potiùs non habere occaſionem exercendi ſuam iuſtitiam punientem: ideoque per ſuum Prophetam Ezechielem dixit: b *nunquid voluntatis mea eſt mors impij? & non vt conuertatur à vijs ſuis, & viuat?* & Sapiens: c *quoniam Deus mortem non fecit, impij autem manibus & verbis accerſierunt illam.* O Deus miſericordiſsime, ſiquidem *non lætaris in perditione viuorum,* I. Miſericordia omnia præcedit. S.Thom.1 p. q.21.a 4. b Ezech 18 23. & 33. 11. c Sap. 1.13 Oratio pro miſericordia.

ſed gemis potiùs, cùm caſtigas; lætaris autem, cùm reddis præmium: præueni tua miſericordia culpas noſtras, ne illæ tuam iuſtitiam cogant inferre ſupplicia.

II. ...omitatur ...era iuſtitiæ. DEINDE *miſericordia* etiam *comitatur opera iuſtitiæ*, quæ nunquam ab ea nuda ſunt: nam in medijs ſupplicijs, quæ infert, multas inſerit miſericordias, iuxta illud Dauidis: d *num obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas?* quaſi diceret: etiamſi valdè iraſcatur, non obliuiſcetur miſericordiæ ſuæ, ſed hanc cum ira miſcebit. Et ſimile quid dixit Habacuc Propheta; e *cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis*; id quod facit *monendo* ſuos inimicos, vt eius caueant pœnam, & *offerendo* illis veniá; *temperando* etiam plurimùm pœnam, quam eorum culpa exigebat. In ipſo etiam inferno diuina ſe oſtendit miſericordia. Nam (teſte S. Thoma) dánatos caſtigat citra condignum, minùs ſcilicet quàm potuiſſet caſtigare, iuxta grauitatem peccatorum eorum.

d Pſal.67.10. e Hab 3.2. ...q.12.a.4. ...1.

III. ...inis eſt iuſtitiæ. Ex quo fit, vt *miſericordia* ſit tanquam *finis iuſtitiæ*: cuius pœnæ eò diriguntur, vt caſtigatus emendetur, & capax fiat miſericordiæ DEI: quòd ſi is noluerit ſe emendare; alij ſaltem, occaſione ſumpta ex pœna illi illata, recurrant ad diuinam miſericordiam; quæ emineat magis ac reſplendeat in bonis, cùm ponitur è regione iuſtitiæ, quæ exercetur in malos. Et hanc ob cauſam dixit Apoſtolus, f *Deum in multa patientia ſuſtinuiſſe vaſa iræ*, reprobos ſcilicet, *vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ, in vaſa miſericordiæ*, hoc eſt, in electos, in quibus manifeſtatur magnitudo miſericordiæ Dei, qui eos liberauit ab ea miſeria, in qua ſunt reprobi.

f Rom.9.22.

IV. Dat veniã. DENIQVE multò excellentiora opera Deus fecit, vt *veniam* per miſericordiam *daret*, quàm vt caſtigaret per iuſtitiam, vt mox videbimus. Et ideo dixit Dauid: g *miſerationes eius ſuper omnia opera eius.*

g Pſa.144.9.

Ex omnibus his conſiderationibus magnos deducam *affectus* gaudij, *fiduciæ, & amoris*: ſiquidem ex dictis conſtat, quamuis magna habeamus *motiua* timendi iuſtitiam Dei; maiora tamen eſſe, quæ habemus, ſperandi eius miſericordiam. Et quamuis vtramque oporteat amplecti, ne vel ſola iuſtitia tantum mihi metus incutiat, vt deficiam; vel ſola miſericordia tãtam adferat fiduciam, vt præſumam: ſemper tamen adhærebo magis miſericordiæ. Et in omnibus meis miſerijs & lapſibus, licebit (teſte Sancto Thoma) à tribunali iuſtitiæ ad miſericordiæ tribunal prouocare, tanquã ab inferiori ad aliquo modo ſuperius, ſicut eſt dictum: & h *adire* (vt ait Apoſtolus) *cum fiducia ad thronum gratiæ eius: vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus, in auxilio opportuno*, quò ſcilicet in tempore, ad id conſtituto, liceat operari. O Deus æterne, gaudeo quòd ſimul ſis i *iuſtus & miſericors*; k *iuſtus, quia iuſtitiam diligis, & æquitatem* ſemper *videt vultus tuus*; miſericors, quia etiam iniuſtorum miſereris, condonans illis

In cap. 2. Epiſt. S. Iacob. h Heb.4.16. i Pſal.114.5. k Pſal.10.8. Oratio.

iniu-

iniuſtitias, vt bonitatem amplectantur: ſed profuſior tamen es in miſericordia quàm in iuſtitia, nam, etſi l *viſites iniquitatem Patrum in filios*, qui eos ſcilicet imitantur, *in tertiam & quartam generationem eorum, qui te oderunt; miſericordiam tamen facis*, non in quartam, ſed *in mille* etiam *generationes ijs, qui diligunt te.* Venerer ego Domine tuam *iuſtitiam*, eiuſque iuſtiſſimæ correctioni me ſubijcio; cupio tamen præualere in me tuam *miſericordiam*, quæ me ſuum vas & inſtrumentum efficiat, vt tu in me glorificeris, & ego cantem miſericordias tuas in ſocietate tuorum electorum, in æternum, Amen. l *Exod.* 20.5

Pvnctvm II.

Magnitudo & latitudo miſericordiæ.

DEINDE conſideranda eſt *magnitudo & latitudo miſericordiæ* Dei erga omnes creaturas & omnes earum miſerias, quę eſt infinita, quia fundatur in eius *omnipotentia*, iuxta illud Sap. a *miſereris omnium, quia omnia potes.* Gaude, anima mea, quòd Deus tuus *æquè* ſit *potens*, atque eſt *miſericors*; & quòd poſſit eius omnipotentia certum remedium adferre cuiuis miſeriæ, cuius miſericordia eius compaſſione mouebitur. O Miſericordia omnipotens, & omnipotentia infinitè miſericors; quam commodè cōuenitis in noſtrum remedium: altera *voluntatem*, altera *poteſtatem* conferente, & vtraque noſtram perfectionem efficiente! ſi miſericordia eſſet abſque omnipotentia; quomodo poſſet mihi remedium adferre? &, ſi omnipotentia eſſet abſque miſericordia, quomodo inclinaret ad ſubueniendum? Attende propterea, anima mea, quod dixit Dauid: b *ſemel locutus eſt Deus*, & tamen *duo hæc audiui*, quæ dixi: *quia poteſtas Dei eſt, & ei* competit *miſericordia.* O Deus animæ meæ, hæc duo, quæſo, intra cor meum firmiter, valdè, efficaciterque loquere: & hanc tuæ miſericordiæ cum omnipotentia *coniunctionem* ſuperna tua luce mihi reuela: vt omnipotenti tuæ miſericordiæ confidens tibi ſeruiam cum lætitia.

a *Sap.* 11.24

Oratio ad miſericordiam.

b *Pſal.* 61.12

I. Miſericordia vbique.

HINC poſſum ratiocinari de *magnitudine & multitudine* miſericordiarum Dei, capita quædam perpendendo. PRIMVM, quòd, vt ait Dauid: c *miſericordia Dei plena ſit terra*; quia omnes creaturæ, quæ in ea ſunt, alicui miſeriæ ſunt ſubiectę, aut ob naturę defectum, aut ob voluntatis propriæ malitiam: & ſolus Deus eſt, qui & ſubuenire poteſt, & reipſa ſubuenit: ideoque licet totum terræ orbem aſpicere, tanquam vas quoddam capaciſſimum, miſericordijs Dei repletum: & quidquid in ea videro, incitamentum mihi eſſe poterit ad laudandam eius miſericordiam.

c *Pſal.* 32.5. & 118.64.

II.

Ex quo fit, vt *miſericordia* eius tanta ſit, quæ etiam *ad beſtias & brutas*

 ani-

d Pſal. 35.1. *animantes* ſe extendat; iuxta illud Dauidis : d *homines & iumenta ſaluabis Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus:* quaſi diceret, ô quantum Domine multiplicaſti miſericordiam tuam : ſiquidem non ſolùm vitam & ſalutem hominibus, & remedium eorum neceſſitatibus adfers, ſed ipſis etiam iumentis! Gratias tibi pro miſericordia, quam il-
e Pſa.146.9. lis exhibes, eam non cognoſcentibus: & qui e *pullis coruorum te inuocantibus das eſcam*, quando eorum neceſſitas clamans illam petit: multò magis compatieris filijs hominum, quorum gratia beſtias condidiſti! Vbi licet
f Ionæ 4.10. perpendere, quod ipſe Dominus dixit Ionæ: f *tu doles ſuper hederam, quæ perijt; & ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua ſunt plus quàm centum viginti millia hominum, qui neſciunt quid ſit inter dexteram & ſiniſtram ſuam, & iumenta multa.* Quaſi diceret: graue tibi eſt, ſi creatura illa deſtruatur, quam tu non feciſti; & vis interim, vt ego deſtruam, quas feci? tu doles ob iacturam vnius hederæ, quæ vnius noctis ſpatio nata eſt, ac perijt; & non dolebo ego, quòd pereant tot vitæ, quæ ex miſericordia mea tot annis perdurarunt.

Lavdet te, Deus meus, infinita tua miſericordia, quæ incomparabi-
g Pſal. 62.4. liter maior eſt omnibus rerum vitis, g *melior enim eſt miſericordia tua ſuper vitas.* ſiquidem illa eſt, quæ viuentibus omnibus vitam largitur; & ſine ea,
h Pſ.118.77. nec vlla vita eſt, nec vllum medium eam conſeruandi: h *veniant mihi miſerationes tuæ Domine, & viuam:* vt propter eas glorificem nomen tuum in æternum. Amen.

III. Fiducia de miſericordia.

Ex his concipiam *fiduciam* magnam *de miſericordia* Dei, quòd miſerebitur mearum miſeriarum: & perpendam, eas non poſſe eſſe aut numero tot, aut tam graues, ſiue ſint corporis incommoda, ſiue animi afflictiones, ſiue pœnæ & aduerſitates quæcumque, à quibus Dei miſericordia non poſſit & velit, quantum in ſe eſt, liberare, quando mihi expediet. nam ſi miſeriarum mearum non eſt numerus, multò minùs erit miſericordiarum eius.

Pvnctvm III.

Miſericordia Dei erga peccatores.

Tertio perpendenda eſt in particulari infinita Dei miſericordia erga peccatores; de qua dixit Sap. a *miſereris Domine omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis*
a Sap.11.24. *enim omnia quæ ſunt, parcis autem omnibus: Quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas.* Hinc deducemus proprietates infinitæ miſericordiæ Dei.

I. Prima proprietas eſt, quòd ſe extendat *ad vniuerſos* homines cuiuſcumque ſint ſtatus & conditionis, nullo prorſus excluſo: ideo enim dicitur: *miſereris omnium*, ſiue magni ſint, ſiue parui; nobiles, ſiue ignobiles, li-

Digitized by Google

beri,ſiue mancipia:quia vniuerſalis huius regulæ nulla eſt exceptio, cuius duas adfert Sapiens rationes. PRIMA eſt, quoniam omnes *peccatores*, DEI *opus* & *factura* eius *omnipotentia* ſunt;cui omnipotentiæ, miſericordiam coniunctam eſſe diximus. SECVNDA ratio eſt, quia Deus *animas amat*:ex amore autem oritur commiſeratio miſeriarum,quibus res amata premitur. His *duabus rationibus* ſiue titulis frequenter mihi vtendum eſt, tam ad fiduciam diuinæ miſericordiæ in me excitandam; quàm ad petendum à Deo,vt eandem erga me exerceat. O anima mea, ſi culpa, quam ſpontè admiſiſti,te deijcit; animet ad confidentiam id quod fecit Deus ſua omnipotentia. Si tu vis pœnitentia delere malum,quod feciſti; certiſſimum eſt, DEUM ſua miſericordia reparaturum bonum, quod ipſe fecerat;nec miſericordiam eius defuturam operi, quod ex eius prodijt omnipotentia.O animarum amator,qui & meam amas, quia eam feciſti, (*neque enim odiens aliquid feciſti*) ſi enim illam odiſſes, numquam feciſſes;remitte mihi culpam,quam ego feci:ne quid in me ſit, quod tu oderis. Aſpice,quòd,quam amas,ſit plena miſerijs;oſtende erga eam tuam copioſam miſericordiam.

II. SECVNDA proprietas infinitæ DEI *miſericordiæ* eſt, quòd ſe extendat *ad omnia peccata*, quamuis plurima illa & grauiſſima ſint:nullum enim peccatum adeò graue eſſe poteſt, quo DEI miſericordia non ſit infinitè maior,ad illud remittendum; nec eſſe poſſunt peccata adeo innumera, quibus DEI miſericordiæ non ſint incomparabiliter magis innumeræ. Quæ *duo* tanquam *titulum* & *cauſam* adhibere poſſum, ad impetrandam meorum peccatorum veniam; dicens cum DAUIDE: b *Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam:& ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum,dele ſtatim iniquitates meas.* O DEUS miſericordiſſime: c *citò anticipent nos miſericordia tua,quia pauperes facti ſumus nimis*, & multæ magnæque ſunt noſtræ miſeriæ. b *Pſal.* 50.3. c *Pſal.* 78. 8.

III. *Miſericordia expectat pœnitentiam.*

Ex his oritur tertia proprietas *miſericordiæ* DEI, quæ eſt *expectare peccatores*,vt *pœnitentiam* agant;quib. & veniã offert,& reipſa dat facillimè, cùm eam petunt;nec ampliùs peccatorum recordatur, quàm ſi illa non admiſiſſent. Hoc eſt enim quod Sapiens dixit, *diſſimulare Deum peccata hominum propter pœnitentiam*;quaſi fingentem, ſe illa non noſſe, quoad pœnam inferendam,ſed expectare illorum pœnitudinem : quamprimum autem pœnituerit illos, ita peccata diſſimulare,atque ſi non ſciret,illa fuiſſe admiſſa, & d *projicere*,vt ait quidam Propheta, *in profundum maris omnia peccata noſtra* : & e *quantum diſtat ortus ab occidente* (ait DAUID) *longè facere à nobis iniquitates noſtras.* Nam,vt eſt impoſſibile duo hæc extrema coniungi:ita fieri non poteſt,vt culpa, quam ſua miſericordia DEUS ſemel remiſit, iterum ei coniungatur,qui eius veniam obti- d *Mich.*7.19 e *Pſ.* 102.12.

nuit.

nuit. Et quod maximè hanc proprietatem extollit, illud eſt: quòd non poſuerit terminum, aut numerum, quoties condonare velit peccata; ſed, poſtquam ſemel multa & grauia condonauerit, remittit ſecundò totidem & multò plura, idemque facit tertiò, nec ſolùm f *vſque ſeptuagies*, ſed etiam vſque *ſeptuagies ſepties*, hoc eſt, ſine numero. Quod totum præſtat miſericordia Dei, non vt ex eo, liberiùs eum offendendi, occaſionem ſumamus; ſed g *vt nos ad pœnitentiam adducat* (vt dixit Apoſt.) culpæ, ſi in eam inciderimus, ne de obtinenda venia deſperemus, quotieſcumq; eam petiuerimus ex corde. O miſericordiſſime Deus, quas gratias & laudes pro infinita tua miſericordia tibi reddemus! h *minor ſum cunctis miſerationibus tuis*. Quomodo ergo debitas pro illis gratias reddam! illæ ipſæ te laudent & benedicant in æternum. Confugiam ergo ad canticum illud dulciſſimum Dauidis, quod repetam frequentiſſimè: i *Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius*, quæ facit *filijs hominum*.

f Mat 18.22. g Rom. 2. 4. h Gen. 32. 10 i Pſ. 106. 15.

Parabola de prodigo vtilis.

Ad magnificandam diuinam miſericordiam conferet multum Parabola *filij prodigi*, & aliæ plures, quarum *Medit. poſitæ ſunt in 3. parte*: Ex quibus omnib. conſiderationibus firmum animi decretum eſt concipiendum, imitandi miſericordiam Dei; vt ſicut ipſe erga me eſt miſericors, ita ego ſim miſericors erga proximos: nam & hæc eſt alia diuinæ miſericordiæ proprietas, vt maximè compatiatur ei, qui ipſam æmulatur. nam propterea Chriſtus Dominus noſter dixit: k *Beatos eſſe miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*.

k Matt. 5. 7.

PVNCTVM IV.

Dei miſericordia erga iuſtos. a Rom. 9. 23

PErpendenda eſt præterea Dei *miſericordia erga iuſtos*, ipſum diligentes, eique ſeruientes; & erga electos ſuos, vt ſint, iuxta Apoſtolum, a *vaſa miſericordiæ*, inſtrumenta videlicet, in quibus oſtenderet abyſſum miſericordiarum ſuarum, & omnes excellentias, quas continet hoc eius attributum, de quo ipſe tantoperè gloriatur.

I.

Primvm miſericordia Dei *erga* ſuos *electos* eſt æterna, nec principiũ habens, nec finem; nam à quo Deus eſt Deus, miſericordiam habuit erga illos: quæ miſericordia tam diu perdurabit, atque ipſe Deus: id enim voluit Dauid, cùm dixit: b *miſericordia Domini ab æterno vſque in æternum ſuper timentes eum*: ſicut ſuprà diximus de eius amore, quòd eſſet æternus: quia ab ipſa æternitate illos prædeſtinauit Deus, ac decreuit liberare ab omnibus eorum miſerijs, & nominatim à ſumma miſeria, quæ eſt æterna damnatio, dareque illis ſupremam felicitatem, quæ eſt beatitudo æterna: Et, quantum in ſe eſt, eius miſericordia, idem ſemper habuit deſiderium erga omnes homines. Quare, antequam ego eſſem, Deus eſt miſertus mei;

b Pſ. 102. 17.

& præ-

Digitized by Google

& prævidens miſerias, in quas eſſem deuenturus, decreuit me ab eis liberare; ſi vellem ego ipſi obedire, animo & voluntate in ea miſericordia perſeuerandi in æternum. Ex quo ardentiſſimum concipiam affectum laudandi & glorificandi Deum, ob æternam hanc eius miſericordiam, conficiens canticum laudum, ſimile illi Dauidis, qui ad ſingulos verſus repetit illa verba: c *Quoniam in æternum miſericordia eius. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius. Confitemini Deo Deorum, & Domino Dominorum, quoniam in æternum miſericordia eius; qui facit mirabilia magna ſolus, quoniam in æternum miſericordia eius, &c.* O Anima mea, lauda, glorifica, & benedic Deum tuum, quia ſummè bonus eſt; & quia nec principium habuit, nec finem habitura eſt eius miſericordia. Gaude ſummo gaudio, eò quòd Deus bonus ſit; & eius miſericordia, erga eos qui illi ſeruiunt, æterna. O Deus æterne: d *legem tuam cuſtodiam ſemper, in ſeculum & in ſeculum ſeculi*: ſiquidem tua miſericordia æterna mihi eſt in omnia ſecula.

c *Pſal.* 135. 1. *&c.*

d *Pſal.* 118. 44.

II. Præuenit & ſequitur iuſtum.

DEINDE *miſericordia* Dei, ſtatim atque Electus incipit eſſe, illum *præuenit*, ſemper *comitatur*, & vſque *ad mortem ſequitur*: Nam miſericordia, quæ illum ab æternitate e *prædeſtinauit*, ſenſim illum poſtea *vocat*, vt *iuſtificet*; iuſtificat, vt exaltet ac *glorificet*: ideoque dixit per Ieremiam, *charitate perpetua dilexi te*: f *ideo attraxi te miſerans tui.* Si mortuus iaceo in culpa, miſericordia Dei præuenit me ac vocat, vt reſurgam ad nouam vitam; ſi dormio in torpore & ignauia, Dei miſericordia accedit, excitatque me; vt eam ignauiam excutiam; Si aliquid ſum facturus, quod Deo placeat, g *eius miſericordia me præueniens*, inſpirat, & ad illud faciendum inducit; ſi in bono, quod cœpi, ſim perſeueraturus: h *miſericordia eius ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ*; per eam ſuperabo tentationes omnes; & vltimam conſequar victoriam, & æternam vitam. i *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius; qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; & ſanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, & coronat te in miſericordia & miſerationibus.* Eius miſericordia eſt tua corona, qua victoriam conſequeris: in hac vita coronat te bonis operibus, & in altera coronabit ingentibus præmijs.

e *Rom.* 8. 30.

f *Ierem.* 31. 3

g *Pſal.* 58. 11.

h *Pſal.* 22. 6.

i *Pſal.* 102. 1.

III. Miſericordia extollit ad gloriā.

HINC tertiò fit, vt miſericordia Dei ſit erga electos *altiſſima*; quia eos extollit ad altiſſima bona, quæ ipſe habet, ad bona ſcilicet gloriæ. Et ideo iure optimo dixit Dauid: k *magna eſt* l *in cælo, & ſuper cœlos miſericordia tua*: ibi enim ea maximè explicatur erga electos. imò etiam in hac vita, eſt Dei miſericordia erga eoſdem altiſſima; quia eos extollit ſupernis bonis gratiæ ac protectionis ſuæ. Et ideo dixit idem Dauid: m *ſecundùm altitudinem cœli à terra corroborauit Deus miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe*: & ſicut cœlum ſemper durans, terram ſemper cooperiet; ita Dei

k *Pſa* 107. 5.

l *Pſal.* 35. 6.

m *Pſ.* 102. 11

miſericordia durabit ſemper, & proteget ſemper eos, qui illum amant: & quantò cœlum altius eſt terra, eò miſericordia eius maior eſt, quàm noſtra miſeria. n *quomodo miſeretur Pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum*, ſuppletque defectus eius, & magnam noſtræ naturæ imbecillitatem magnitudine ſuæ miſericordiæ. O DEVS meus, & gloria mea, quid dicam de *miſericordia* tua! quomodo te ob eam laudabo? quomodo eius *vas & inſtrumentum* eſſe potero? miſericordia tua compaſſa mihi eſt, antequam ego eſſem; illa me creauit vt eſſem; illa me præuenit, vt operer; comitatur, dum operor; & ſequitur, donec perficiam opus; illa me circumdat benedictionibus magnis, coronat victorijs, & magnam ſpem facit obtinendi æterna. O *Deus meus miſericordia mea*! Tu es ipſa *miſericordia*, & tua eſt omnis miſericordia, quia ex natura tua habes quòd ſis *miſericors*: ſed eſt etiam mea; nam miſericordia non eſt pro te, qui miſerijs cares; ſed pro me, qui illis abundo, quibus tu ſolus potes ſubuenire. O miſericordia mea, coniunge me tibi in tua æterna gloria, vbi ſemper ſis mea, vt tua fruens beatitudine, liber ſim ab omni miſeria in æternum, Amen.

n *Pſal.* 102. 13.

Oratio de miſericordia.

o *Pſal.* 58. 18

PVNCTVM V.

Signa miſericordiæ.

VLTIMO perpendenda ſunt *indicia*, quæ dedit Deus, ſuę erga homines *miſericordia*. eam enim manifeſtauit exactiſſimo, qui poſſibilis erat, modo, in quo infiniti modi miſericordiæ continentur.

I. S. *Thom.* 1. *q.* 21. *a.* 3. Quomodo Deus triſtari potuit.

NAM imprimis miſericordia in nobis *duplicem* habet *effectum*; *alter* eſt, triſtari de malo proximi; *alter*, eundem ab illo malo liberare. Et quoniam Deus, quà Deus eſt, non erat capax primi effectus, quia non poteſt cadere in eum triſtitia; voluit tamen infinita eius miſericordia ſibi non deeſſe talem effectum, eo modo, quo erat poſſibilis: ideoque factus eſt homo verus, vt contriſtari poſſet de noſtris miſerijs; & veram earum compaſſionem ſentire, atque ſi eius eſſent propriæ. quare a *debuit* (ait Apoſtolus) *per omnia fratribus ſimilari, vt miſericors fieret*; quodam ſcilicet nouo modo accipiens compaſſionem & triſtitiam, quas antea non habebat; quarum teſtes ſunt lachrymæ, quas fundebat, videns miſerias noſtras; & optans nos ab eis liberare. Gratias tibi, ô miſericors Deus, ob *nouum* hunc *modum*, quem adinueniſti, vt eſſes erga hominem miſericors. O lætitia infinita, cur vis capax fieri triſtitiæ, quæ abundè potes miſeriæ meæ ſuccurrere, etiam ſi non triſteris de ea! laudetur, Deus, miſericordia tua, propter has inuentiones, quæ ab illa proceſſerunt:

a *Heb.* 2. 17.

Oratio.

pro-

propter quam ſupplex oro, vt me iuues eam in hac vita æmulari; vt fiam dignus eandem in altera obtinere.

II. Sed vlterius progreſſa eſt *miſericordia* Dei. Nam non ſatis habens, triſtitiam & compaſſionem interiorem ſuſcepiſſe, *accepit* etiam *miſerias* omnes noſtras *& pœnas* (excepta culpa) vſque ad ipſam mortem: vt hoc ipſo experimento diſceret *nouam* rationem miſerendi. Quamobrem dixit Apoſtolus: b *non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris; tentatum autem per omnia pro ſimilitudine noſtra, abſque peccato*: quaſi diceret: Pontifex, quem habemus, non erit ita ſeuerus, vt ſola iuſtitia nobiſcum agat; ſed compatietur ex magna miſericordia; quia expertus in ſe ipſo eſt labores & tentationes, quas nos homines patimur; quamuis abſque peccato: Nam in eo quod paſſus eſt, didicit compati & miſereri eorum, quæ nos patimur. O Pontifex miſericordiſſime, etſi expertus non es miſerias, quæ ſunt culpæ, expertus es tamen pœnas, quas culpæ promeruerunt: & ſiquidem paſſus es, vt ab vtriſq; me liberares, libera à culpis, ne incidam in æternas pœnas. b *Heb.* 4. 15. Oratio.

III. Sed neque hîc ſubſiſtit infinita Dei *miſericordia*. adinuenit enim nouam aliam rationem exercendi *opera miſericordiæ* erga nos; *in* ſanctiſſimo ſcilicet *altaris Sacramento*, factus cibus eſurientibus, potus ſitientibus, medicina ægrotantibus, pretium redimendis captiuis, ſacrificium remittendis peccatis, adiutor & remedium omnibus noſtris neceſſitatibus. Ideoque non abſque myſterio Dauid hoc opus tribuit miſericordiæ Dei, dicens: c *memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe.* O Deus miſericordiſſime, nouo nunc titulo licebit te miſericordiam meam appellare: vt qui non ſolùm ſis miſericors, vt meæ neceſſitati ſubuenias; ſed ipſemet ſis remedium eius, & ipſa miſericordia, qua illi ſubuenis. d *Confiteantur tibi Domine miſericordia tua & mirabilia tua,* quæ feciſti *filijs hominum: quia ſatiaſti animam inanem, & animam eſurientem ſatiaſti bonis.*

Miſericordia in Sacramento altaris. c *Pſal.* 110. 4. Oratio. d *Pſ.* 106. 9.

Ex his conſiderationibus diſcam, quàm ſint *innumerabiles* miſericordiæ Dei, & quàm *immenſa*; ſiquidem in ſingulis his rebus tot ſunt miſericordiæ, vt non poſſint comprehendi. Sed ex omnibus concipiam magna deſideria, eas imitandi in bonum proximorum; ſiquidem ipſe Chriſtus exhortatus eſt nos, e *vt ſimus miſericordes ſicut Pater noſter cœleſtis miſericors eſt*, & benignus, etiam erga ingratos & malos. Quare aſpiciens exemplar diuinæ *miſericordiæ*, quod quinque præcedentibus punctis propoſitum eſt, diſcã ſimilem miſericordiam; vt ſcilicet cupiam, occurrere mihi occaſiones eam exercendi: dicens, quod alia mente dixit Dauid: f *numquid ſupereſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam Dei?* miſericordiam videlicet altiſſimam, ei ſimilem, quæ eſt Dei; quę ad amicos &

Documenta miſericordię. e *Luc.* 6. 36. f 2. *Reg.* 9. 3.

inimicos ſe extendit, concedens omnibus altiſſima & ſuprema bona, qui-
g 2. *Cor.* 1. 3. bus liberentur ex abyſſo malorum. O DEVS æterne, cuius nomen valde
proprium eſt g *Pater miſericordiarum*, oſtende nobis miſericordiam tuã,
faciens nos tibi ſimiles in ea; vt te tanquam filij imitantes in terra, conſe-
quamur æternam hæreditatem in cœlo.

MEDITATIO XIII.

DE INFINITA DEI ERGA HOmines liberalitate.

PVNCTVM I.

I. PRIMO conſiderandum, quòd infinita Dei LIBERALITAS in eo
S. Thom. 1. p. conſiſtat, vt innumerabilia & excellentiſſima dona largiatur ſuis
q. 21. a. 3. & creaturis, non quòd ad id teneatur, aut quòd propterea retributio-
2. 2. q. 117. a. nem, aut emolumentum aliquod proprium ab eis expectet. Quamobrem
6. ad 1. dixit S. Iacobus: quòd a *Deus dat omnibus affluenter, & non improperat.* Li-
a 8. *Iacob.* 1. 5 beralitas itaque Dei noſtri relucet in conferendis nobis donis, quæ ab
eius bonitate & charitate procedunt, cum quibus magnam hoc attribu-
Liberalitas tum habet affinitatem, quæ *liberalitas* in *quinque* potiſſimùm rebus ap-
Dei in paret. PRIMVM, in *donis* innumeris *naturæ & gratiæ*, quæ ipſa confert
quinque iuxta capacitatem ſuarum creaturarum. DEINDE, quòd ipſa dona
rebus. ſint *infinitæ excellentiæ*; ſiquidem eò vſque progreditur liberalitas eiuſdem
1. Dei, vt tradat ſeipſum, ſicut indicatum eſt in myſterijs Incarnationis,
2. Paſſionis, Euchariſtiæ, & aduentus Spiritus S. TERTIO, quòd illa *con-*
3. *ferat omnibus*, abſque acceptione perſonarum; bonis & malis; ingratis &
tenacibus, & ſuis denique inimicis. QVARTO, quòd ea *conferat nihil de-*
4. *bens*, & ſolùm quòd bonus ſit, & ad donandum propenſus: niſi enim libe-
ralitas ab eo incepiſſet; nemo alius potuiſſet eſſe liberalis. Et ideo ipſe di-
b *Iob* 41. 2. xit Iob: b *Quis antè dedit mihi, vt reddam ei?* Et Apoſtolus: c *Quis prior*
c *Rom* 11. 35 *dedit illi, & retribuetur ei?* QVINTO, quòd det *ſua*, non ſpe-
5. rans, aut quærens à creaturis retributionem aut emolumentum
d *Pſal.* 15. 2. aliquod pro ſe ipſo: d *quia bonorum noſtrorum non eget.* Et, ſi requirit grati-
tudinem & obedientiam ſuis legibus, id facit, quoniam liberalitas non
aduerſatur iuſtitiæ: & cùm ipſe ſit legiſlator ſupremus ac iuſtiſſimus, tra-
dit præcepta & leges de ijs, quæ ex noſtra parte tenemur præſtare: & in
hoc ipſo ſuam etiam liberalitatem oſtendit. nam quidquid nobis iubet,

aut

Digitized by Google

aut à nobis petit, eò totum tendit, vt occaſionem habeat plura nobis conferendi, & reddendi noſtris obſequijs noua præmia. Quare ſimpliciter & ore pleno licebit dicere, ſolum Deum eſſe liberalem; nec vllum alium liberalem eſſe, niſi Deum, ſicut etiam dicimus, & ipſe dixit, e *nemo bonus niſi ſolus Deus:* Et liberalitas noſtra ad ipſius liberalitatem comparata, non eſt liberalitas: nam (vt ait Scriptura) f *quæ de manu eius accepimus, ea illi damus*: & quicquid ei damus, mille titulis illud eidem debemus. O Deus *liberaliſſime*, gratias tibi, ob tot inſignia opera tuæ infinitæ liberalitatis, qua infinitam tuam beatitudinem manifeſtas: ſiquidem tu dixiſti, g *beatius eſt magis dare, quàm accipere.* Concede mihi, Domine, vt ſim liberalis in reddendo tibi, quod à te accipio, vt fruar tua beatitudine in æternum, Amen.

e *Luc.* 18. 19.

f 1. *Paral.* 29. 14.

Oratio.

g *Act.* 20. 3.

II. Deſideriũ liberalitatis.

MAGNVM hinc deſiderium concipiam, vt quomodo licebit, ſim erga Deum Dominum noſtrum liberalis, offerens ei quidquid à me deſideret, & petat, ſiue ſuis præceptis magnis, & paruis; ſiue conſilijs Euangelicis, & regulis aut legibus ſtatus mei religioſi; ſiue per ſuperiores Eccleſię, meęq; religionis; ſiue per quemuis alium, qui poſſit mihi aliquid imperare; aut ſecretis ſuis inſpirationibus; aut denique ore pauperum & meorum proximorum, qui neceſſitate aliqua corporis aut ſpiritus premuntur, quibus ego poſſim ſubuenire: quod totum Deo offeram, h *non ex triſtitia aut neceſſitate*, ſicut faciunt ſubditi, & ruſtici, cùm tributa & vectigalia ſoluunt, quia aliter non poſſunt, & quia timent & pœnam, & violentam exactionem; ſed ex hilaritate & libentiſſimè, ſicut nobiles, qui dãt ingenuè quod debent, & vltrà etiam dant aliquid, quàm debeant ex iuſtitia, vt ſuam ingenuitatem & liberalitatem oſtendant: *hilarem enim datorem diligit Deus*, & in eo ſibi complacet. Denique quod obtulero Deo, aut pauperibus dedero, non id faciam præcipuè ob i *retributionem*, aut aliquod emolumentum, quod inde expectem; ſed ex puro *amore*, vt ſic, quatenus licebit, æmuler infinitam creatoris mei bonitatem & liberalitatem, dans illi quod ipſe maximè optat, dicens: k *præbe fili cor tuum mihi.* O Pater amantiſſime, & liberaliſſime, tuum eſt cor meum, ſiquidem illud mihi dediſti: recipe ergo illud, ſiquidem petis: & quoniam ego non poſſum ita liberaliter & perfectè tibi tradere, ſicut deſidero, tu ſupple defectũ meum, vt ita tibi tradam, ſicut tu deſideras. *Pater mi accipe cor meum tibi,* quia melius & ſecurius apud te erit, quàm apud me. Ex nunc, Domine, tibi offero deſideria mea, & affectiones meas, actiones meas, & omnia mea: l *omnia poma noua & vetera, dilecte mi, ſeruaui tibi*; quæ liberaliter tibi trado, vt eis veſcaris: quia maius reputo beneficium, quòd ea velis accipere; quàm ſit obſequium meum, quo tibi ea trado.

h 2. *Cor.* 9. 7.

i *Luc.* 14. 12.

Oratio.

k *Prou.* 23. 16

l *Cant.* 7. 13.

Digitized by Google

PVNCTVM II.

Liberalitas Dei erga liberales relucet in rebus quinq;. a *Luc.*6.38.

CONSIDERANDA eſt deinde infinita Dei noſtri *liberalitas* erga eos, qui cum ipſo ſunt *liberales*: nam, qui adeò eſt liberalis erga parcos, quantò decet eſſe liberaliorem erga ſecum liberales; cùm ipſe dixerit: a *qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Et quò vos eritis liberaliores mecum, eò etiam ego ero liberalior erga vos. Hæc liberalitas relucet in rebus ſubiectis.

I. PRIMVM, quòd *liberalium orationes* & petitiones *citò & facilè exaudiantur*; & quod petunt, concedatur eo modo, & ea opportunitate, quæ magis illis expedit. nam, quò citiùs promptiuſque Deo damus, quod ille à nobis petit; eò ipſe citiùs dat nobis, quod petimus.

II. *S. Greg.*3. *Dial c.*16. *ad finem.* b *Rom.*8.26.

IMO ſi nos incurij ſimus, & obliuiſcamur petere, quod nobis conuenit, b *ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,* inſpirans nobis, & vrgens vt petamus; quia ipſe deſiderat id nobis dare. Quare Spiritus S. munus eſt, orationem nobis inſpirare, vt ſuæ liberalitatis nobis præbeat indicia.

III. TERTIO valde eminet hæc liberalitas, cùm ea dat, quibus illi ipſi in Deum ita liberales indigent, etiam cùm non petunt: quia illorum *orationem & deſideria preuenit* illo dono, quod ipſi erant deſideraturi & petituri. Neceſsitas enim eius, qui erga Deum eſt liberalis, etiam ipſo tacente, clamat pro illo, & vrget Diuinam liberalitatem, vt ſubueniat; ideoque dicit ipſe, c *antequam clament, ego exaudiam.*

c *Iſa.*65.24.

IV. QVARTO apparet hęc liberalitas in *abundantia conſolationum* ſpiritualium, quas adeò inſignes illis communicat, vt in centuplum excedant ea, quæ Deo illi obtulerunt. Quam liberalitatem præ alijs experiuntur Religioſi, qui ita fuerunt liberales, vt d *omnia ſua propter Chriſtum reliquerint, & pauperibus dederint,* ideoque Chriſtus eſt cum illis liberaliſsimus, reddens illis centuplo amplius quàm reliquerint. Et, proportione quadam, eădem liberalitatem experitur, quicunque animo generoſo offert Deo aliquid, quod charum & iucundum habet.

d *Matt.*19. 24.

V. DENIQVE innumera ſunt dona & gratiæ, quas diuina liberalitas illis impertit, qui liberaliter cum ipſo agunt: *accipit* enim illos *ſub protectionĕ*, & prouidentiam ſuam, cuius effectus experiuntur apertè in ſuis tentationibus, & periculis; adhibet illos vt inſtrumenta ad opera grandia; auget virtutes & merita, quibus poſtea reddit præmia copioſiſsima, liberaliter implens, quod promiſit, cùm dixit: e *date & dabitur vobis: menſuram bonă & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.* Nam dona liberalitatis Diuinæ excedunt infinitè ea, quæ noſtra liberali-

e *Luc.*6.38.

tas poteſt offerre. Lætare anima mea, quòd habeas Deum non minùs liberalem, quàm opulentum: ſi opulentus fuiſſet, non verò liberalis, parum tibi profuiſſent eius diuitiæ; quòd ſi liberalis fuiſſet, non tamen opulentus, parum vtilitatis tibi eius liberalitas attuliſſet: ſed in vtroque infinitus, & vtrumque in tuum expendit commodum. Eſto tu liberalis cum eo, qui eſt adeo liberalis erga te. quamuis enim multa illi obtuleris, multò plura ab eo recipis; f *non ergo ſit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* ſi enim tu manum comprimas, vt ne des Deo quod petit; & ipſe contrahet ſuam, ne tibi det quod petis. Porrige ergo manum tuam, vt ei des quidquid habes, & ipſe g *aperiet ſuam, vt impleat te bonitate &* h *benedictione.* f *Eccl.* 4.36. g *Pſ.* 103. 28. h 144.16.

Pvnctvm III.

EX præcedentibus intelligam, quanta fuerit mea parcitas erga Deum, qui adeò ſe liberalem exhibuit erga me; cogitans quòd ſicut Chriſto Domino noſtro, in medijs ſuis calamitatibus & afflictionibus bis ſitienti, denegatum eſt quod cupiebat, ſemel ſcilicet, cùm fatigatus ex itinere peteret à Samaritana *bibere*, ſecundò, cùm pendens in cruce dixit, *ſitio*; ita ego ſim parciſsimus erga ipſum: quia vel illi denego, quod petit, ſicut illa Samaritana; aut offero potum aceti, cum inſipido Hyſſopo, ſicut Iudæi. Nam operibus, quæ illi offero, tot admiſceo defectus, vt oblata valdè diſpliceant, nec acceptet: quod licebit perpendere, ſi diſcurram per quinq; illa, quæ Deus à me petit, & poſita ſunt in *primo puncto*. Nam valdè ſum parcus in cuſtodiendis eius *præceptis*: &, ſi maiora fortè cuſtodio, multa ex minoribus contemno; & multa eius *conſilia* negligo: *ſtatus* verò mei leges valdè imperfectè, & claudicando, & cum multis imperfectionibus ſeruo; ſæpè repugno ijs, quæ mei *ſuperiores* mihi præſcribunt: ſuffoco etiam diuinas *inſpirationes*, & ita denego Deo, quod per illas à me petit: ſicut etiam facilè denego meis *proximis*, in neceſsitate conſtitutis, ſubſidium corporis vel animæ, quod illis exhibere poſſem. I. Parcitas noſtra erga Deum. 3. *par. Med.* 26. 4 *par. Med.* 49. Parcitas noſtra in quibus.

II. QVARE hac mea *parcitate*, quantum in me eſt, comprimo diuinam liberalitatem; & dignum me reddo, erga quē Deus ſit etiam parcus in illis quinq; rebus, in quibus liberalem ſe oſtendit erga liberales. Si itaque Deus non me exaudit, ſi non conſolatur, ſi dona ſua nō largitur ea liberalitate, qua alijs; id mea culpa promeretur: & mihi licebit applicare ſententiam illam Prophetæ: i *nunquid abbreuiata & paruula facta eſt manus mea, vt non poſſim redimere?* Quaſi diceret, non mea manus abbreuiata eſt, aut liberalitas; & omnipotentia mea aliquod detrimentum eſt paſſa, vt nō poſsim vos liberare, & vt conſueuerā, benefacere; nō, inquit, ita eſt, ſed culpę veſtrę, & parcitas manuū veſtrarū, meas i *Iſa.* 50. 2. & 59. 1.

manus

manus contraxerunt,& effecerunt,vt mea iuſtitia liberalitatem retinuerit & anguſtauerit.
III. VERVM in hoc ipſo oſtendit ſe Deus *liberaliſſimum*, cui graue eſt ac permoleſtum,videre ſe ita conſtringi,& à ſua iuſtitia,propter noſtra ſcelera,quodammodo cogi,non vti profuſione conſueta ſuorum donorum erga nos. O liberalitas infinita, reijce miſericorditer à me omnia impedimenta,quæ oppono deſiderio tuo; remittens mihi peccata, vt tuorum donorum capax efficiar.Amen.

MEDITATIO XIV.

DE IMMENSITATE DEI, ET EIVS PRAEſentia in omni loco, & rebus omnibus.

S.Thom. 1.p. q.8.1. a.

HAEC Meditatio magni eſt momenti, quia eſt fundamentum orationis & contemplationis, & vnionis illius, quæ finis eſt harum Meditationum ad viam VNITIVAM *pertinentium.*

PVNCTVM I.

I. Deus vbiq; præſens. a Ierem. 23. 24. b Sap 1.7.

CONSIDERANDVM eſt primò,quòd Deus Dominus noſter, Trinus & Vnus ita eſt *immenſus*, vt dixerit per Prophetam: a *nunquid non cælum & terram ego impleo?*& de eius ſpiritu dicit Sap.b *quoniam ſpiritus Domini repleuit orbem terrarum*; ita vt nullus ſit angulus,in quo non ſit Deus; &, vt eſt purus ſpiritus,etiam omnia corpora penetrat, & eſt intra illa; eſt intra ipſa corpora cœleſtia, intra mare, intra ipſum cor terræ; nec eſt poſsibile vel imaginari locum aliquem,aut punctum,in quo nō ſit Deus.Et ideo quocunque iuero, cogitare debeo, me ire intra ipſum Deū, ſicut piſces ſe mouent intra aquam,& aues intra aerem; dicamq; cum Dauide:
c Pſal.138. 8. c *ſi aſcendero in cælum,tu illic es: ſi deſcendero in infernum,ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo & habitauero in extremis maris, illuc manus tua deducet me:& tenebit me dextera tua.* Non eſt itaque mihi poſsibile,Deum effugere,aut ab eo me abſcondere:nam in ipſa via,per quam fugio, ipſe eſt; & in loco,vbi abſcondere me voluero,illum inueniam.
II. VERVM multò adhuc amplius habet eius *immenſitas*:nam ita cælum & terram, & totum hoc vniuerſum implet,vt non ſit huic loco alligatus aut conſtrictus; ſed ſimul eſſe poteſt in aliorum mundorum millionibus, quos poteſt creare, ſupra hos cælos. Et totus locus,quem nunc implet,eſt inſtar puncti,ſi cōferatur cum immenſo loco, quem poteſt implere: & ideo dixit Salomon,

loquens

Digitized by Google

loquens cum Deo: d *cæli cælorum te capere non poſſunt.* d 3. Reg. 8. 27.

Hæc conſideratio eſt *ſementis* magnorum affectuum & virtutum, ſi fiat, vt oportet, excitando in nobis fidem *præſentiæ* Dei vbique exiſtentis, ad imitationem Moyſis; de quo ait Apoſtolus, quòd e *inuiſibilem tanquam videns ſuſtinuit*: ita ſcilicet cum Deo inuiſibili agens, atque ſi reuera eum videret. Ita ego aſpiciam Deum fide, cum quo loquar in oratione, ſperabo ab eo auxilium, conſulam illum, meaque omnia ita agam, atque ſi corporis oculis mihi aſsiſtentem viderem: nam etſi his videri non poſsit, reuera tamen ibi eſt, vbi ego ſum: debentque oculi luminis ſupernaturalis & fidei hunc oculorum corporis defectum ſupplere. Ex quo fit, vt omnis locus mihi poſsit eſſe locus orationis; ſiquidem Deus eſt in omni loco, cum quo tanquam præſente liceat loqui, iuxta illud Apoſtoli, f *volo viros orare in omni loco.* Refert autem hoc multum ad vſum orationum iaculatoriarum.

1. Conſideratio immenſitatis Dei vtiliſsima.

e Heb. 11. 27.

2.

f 1. Tim. 2. 8.

3.

Excitata hac ratione fide, prorumpam in *affectus admirationis*, & *gaudij*; admirans ſcilicet tantam Dei immenſitatem; & gaudens, quòd adeò ſit immenſus, vt neque orbis vniuerſus illum capiat, & dicens cum Propheta: g *O Iſrael, quàm magna eſt Domus Dei, & ingens locus poſſeſsionis eius. Magnus eſt & non habet finem; excelſus & immenſus.* O Deus immenſe, h *cuius ſedes eſt cœlũ, terra autẽ ſcabellum pedum eius*: quem tamen nec vtrũque poteſt cõprehendere, quia i *excelſior cœlo es*, k *& ſuper ſtellarum verticem ſublimaris, eſque profundior inferno*, longior terra, menſura tua eſt latior mari! Gaudeo de tua immenſitate, cum tanta ſimul gloria coniuncta, vt nihil vtilitatis ei adferat loci abiectio. Clarifica, Domine, internos oculos meos; vt certiùs te videam, quàm ſi te viderem externis.

g Baruch. 3. 24.
h Iſai. 66. 1.
i Iob 11. 8.
k 22. 12.

PVNCTVM II.

Deinde conſiderandum, quomodo Deus Dominus noſter ſit in *omni loco*, & in rebus omnibus creatis; per *Eſſentiam* ſcilicet, *præſentiam*, *& potentiam.*

Deus quomodo in omni loco.

Primvm Deus eſt in rebus omnibus per ſuam Essentiam, quia verè ac realiter eſt in illis, ſecundũ totam ſuam diuinitatem, cum omnibus quæ habet & operatur intra ſe: quia & inuiſibilis eſt, & inſeparabilis. quare credendum mihi eſt, quòd hic, vbi ego ſum, eſt totus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus S. *Hic* Pater eſt generans filium; & Pater ac filius *hic* ſunt, producentes Spiritum S. *Hic* eſt infinita eius bonitas, charitas, miſericordia, & iuſtitia. *Hic* eſt ſapientia eius, omnipotentia, & reliquæ excellentiæ, ac perfectiones diuinitatis eius. Et idẽ, qui *hic* eſt, eſt etiã in cœlo, qui creauit mundũ, qui illum gubernat. Et ſi *hic* haberẽ lumẽ ad ipſum videndũ,

1. Per eſſentiã

hic me faceret beatum. O Anima mea, ſi fidem tuam acueres, cùm es ſola: videres, te non eſſe ſolam, ſiquidem tecum ſunt tres diuinæ perſonæ. Si ſola exiſtens, vis tuas omnes facultates optimè occupare; *hic* habes ſummam bonitatem, quam poſsis diligere; infinitam maieſtatem, quam debes adorare; ſupremam ſapientiam, cum qua liceat conuerſari; Diuinam omnipotentiam, cui poſsis confidere; infinitam lætitiam, in qua poſsis exultare. Gaude cum præſentia talis Patris, conuerſare cum Filio, loquere cũ Spiritu ſancto, ingredere intra ipſam indiuiduam Trinitatem, & *immenſam* diuinitatem, attendens, quòd ex omni parte te ambiat; & hac ratione fiet, vt ſemper ſis cum Deo; & omnis locus erit tibi inſtar aulæ cæleſtis. ſiquidem vbi diuinus hic eſt Rex, etiam eſt eius aula. O Rex immenſe, qui in toto tuo regno ita es per *Eſſentiam*: vt totus aſsiſtas cuilibet parti: concede mihi, vt ego totus coram te aſsiſtam, tibiq; ſeruiam, ſicut tantus Rex dignus eſt, cui ab omnibus in eius conſpectu ſeruiatur.

Oratio.

II. Per præſẽtiam.

DEINDE eſt Deus in omni loco, & *in omni re*, per ſuam PRAESENTIAM; cernens & cognoſcens quidquid eſt in ſingulis. Non itaq; eſt Deus hic, ſicut eſt homo in aliquo loco dormiens, aut ſenſibus ſuſpenſus, aut diſtractus, qui non aduertit vbi ſit; nec eſt Deus in hoc mundo, ſicut eſt anima noſtra in corpore noſtro, quæ non videt quid intra illud fiat: quia vbi ipſe eſt, videt & cognoſcit locum, & domum totam, vbi eſt; ita vt nihil poſsit ipſum latere. Et quamuis locus alias ſit obſcuriſſimus, Deo tamen ipſi eſt clarus, a *quia tenebræ* (vt ait David) *non obſcurabuntur ab ipſo, ſed nox potiùs ſicut dies illuminabitur.* Quare, reſpice, anima mea, & attende, quòd hic ſit Deus, quod te hic aſpiciat. Si vis orare in occulto, Deus ibi eſt, b *qui te videt in abſcondito,* & attendit orationi tuæ, vt illam exaudiat; Si tentatio te vexat, attende, quòd te Deus reſpiciat: c *cuius oculi ſunt mundi; ne videant malum, & reſpicere ad iniquitatem non poſſunt*, & d *ſimiliter odio ſunt Deo impius, & impietas eius*; Si te videris afflictam, cogita, quod DEVS tuam afflictionem aſpiciat, & quod nouerit tempus opportunè illi ſubueniendi; Si aliquod bonum opus vis facere, ne attendas, quod te homines aſpiciant, ſed quod te aſpiciat Deus, qui videt plus quàm omnes homines, & multò plura ipſe ſolus videt, quàm omnes illi ſimul. Huic ergo ſoli deſidera placere, ſiquidem ipſe ſolus te iudicaturus eſt ex his; quæ videt in te. O Deus immenſe, qui es e *in omni loco* plenus oculis, quibus *contemplaris bonos & malos*, clarifica aſpectu tuo oculos meos, vt attendens, quod me aſpicias, vitam ducam ſicut tu vis, nihil faciens indignum tua præſentia, vt perueniam ad fruendum clara tua viſione. Amen.

a *Pſa.* 138.12.
b *Matt.* 6. 6.
c *Mal.* 1.13.
d *Sap.* 14. 9.
Oratio.
e *Prou.* 15. 3. & 16.2.

III. Per potentiam.

TERTIO eſt Deus in *omni loco,* & in ſingulis rebus, per POTENTIAM: quia non ſolùm eſt aſpiciens quid ibi ſit; ſed etiam ſua *omnipotentia* dat rebus eſſe, quod habent; & iuuat facere quidquid illæ faciunt iuxta illud

Apo-

Apoſtoli: f *non eſt procul ab vnoquoque noſtrum: quia in illo viuimus, mouemur, & ſumus.* Non itaque locus Deum ſuſtinet ſicut me; ſed Deus ipſe locum ſuſtinet, & res omnes conſeruat, vbicunque ſunt; & ſi viuunt, id fit, quia Deus eſt in illis, vitam eis tribuens; ſi mouentur, id eſt, quia Deus eſt in illis, dans eis motum; ſi habent Eſſe, id eſt, quia Deus in illis exiſtens, dat vt ſint, & in eo illas conſeruat; & ſtatim, atque ſubtraheret ſe Deus ab aliquo loco, aut re aliqua, illa deſineret eſſe. f *Act.* 17. 27.

QVARE aſpiciens ego res omnes mundi, *in omnibus* attendam eſſe DEVM per ESSENTIAM, PRAESENTIAM, & OMNIPOTENTIAM, in illis & per eas operans. Et ſicut aſpiciens hominem, per externa & viſibilia, quæ in eius corpore cerno, tranſeo ad id quod interiùs eſt inuiſibile, animam ſcilicet, quæ corpori dat eſſe, vitam & motum, quem habet: ita aſpiciens omnes creaturas penetrare poſſum oculis fidei ad id, quod in eis eſt, Deum videlicet, non tanquam earum animam aut formam, ſed excellentiſsimo quodam alio modo; quo illis dat eſſe, & quidquid habent & faciunt. Conſideratio in rebus mundi.

Ex his concipiam *affectus amoris, gaudij*, & *laudis*, gaudens quod videam talem Dei cum ſuis creaturis coniunctionem, & modum quo eſt intra illas; & ita quæ pulchræ ſunt, non me trahent poſt ſe, vt inordinatè illas diligam; & quæ ſunt horrendæ, non me adeò terrebunt, vt multum illas fugiam; & cùm videro me eſſe prope aliquas feras, aut inimicos meos, poſſum ac debeo credere me eſſe coniunctum Deo, qui eſt in rebus omnibus: ex quo magnum reſumam animum; dicens illud Iob: g *pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me.* O Deus omnipotens, h *etiamſi conſiſtunt aduerſum me caſtra inimicorum, nõ timebit cor meum.* Certus ſum enim, quod ſim prope te; abſque cuius voluntate nec mouere poterunt manum ſuam. Semper te ante oculos meos collocabo, & i *prouidebo te in conſpectu meo ſemper; quoniam à dextris es mihi, nè commouear.* g *Iob* 17. 3. h *Pſal.* 26. 3. i *Pſal.* 15. 8.

PVNCTVM III.

TERTIO, magis adhuc in particulari obſeruandus eſt *modus* & *ratio*, quâ Deus eſt intra me, & ego ſum, viuo, & moueor intra ipſum Deum. Quomodo Deus intra nos.

I. PRIMVM, quia Deus me *circumdat*, & ambit ex omni parte, ſicut aqua maris piſcem, qui in eo eſt; & ſicut pupilla eſt intra oculum, ita ego ſum intra ipſum DEVM, & ipſemet dixit; a *quod nos portet in vtero ſuo, & geſtet in vulua ſua,* ſicut mulier, quæ concepit, geſtat infantem intra ſe ipſam; cui illa & domus eſt, & lectica, & murus, & alimentum, & reliqua quæ ſunt illi vſui. Quomodo non exultas, anima mea, & præ gaudio non exilis,

aſpiciēs te ipſam hoc modo intra Deū tuum! ille eſt *domus* tua, de qua nō potes exire; & intra quam ſemper es victurus, & opera omnia facturus; il-
a *Iſa.* 46. 3. le tuus eſt *lectus*, in quo debeas requieſcere, extra quem requiem nullam inuenies: ille tua eſt *lectica*, in qua geſtaris, quocunque ſit tibi eundum. niſi enim ille te geſtet, non poteris te mouere. ille tuus eſt *murus*, qui te circumdat, ſine quo non habebis ſecuritatem; eſt tuum *nutrimentum*, & *vita*, quia verè in eo illam habes, & ab eo illā accipis multò veriùs, quàm infans, in vtero matris manens, ab illa recipit vitam. O Deus amantiſſime, mater dulciſſima, quæ quocunque iuero, me geſtas, in tuis viſceribus, concede mihi, vt & ego ſemper te geſtem intra mea, per *cognitionem* & *amorem*; agnoſcens ſcilicet bonum, quod mihi confers; & amans te ob amorem, quo me proſequeris. Sum intra tuam bonitatem, transforma me in eam; viuo intra tuam charitatem, eadem me inflamma; intra tuam omnipotentiam ambulo, illâ, quæſo, me adiuua. Et ſiquidem totus ſum intra te, transforma me totum in te, vt non ampliùs mihi, ſed totus tibi viuam in æternum. Amen.

Oratio.

Conſideratio attributorum Dei. b *Deut.* 4. 24

HANC conſiderationem licet ad particularia applicare, ratiocinando per diuina *attributa*. nunc enim licet cogitare, quòd b *Deus ſit ignis* quidam *conſumens*, & quòd totus hic mundus hoc igne ſit plenus; intra quem ego viuo: admirans verò, quomodo non ardeam, & quomodo non conſumat in me quidquid eſt mali; vtrumque hoc attribuam magnæ frigiditati meæ, quæ plurimùm illi reſiſtit. Aliàs cogitabo, Deum eſſe tanquam *lucē* quandam infinitam, quæ ſe per totum vniuerſum extendat; & ſicut ſapientiam & pulchritudinem immenſam; cuius gloria & ſplendore ſit tota terra plena; me ipſum verò intra hanc lucem & pulchritudinem verſari, & orabo ſupplex, vt eius me participem faciat, & ſic licebit de reliquis attributis cogitare.

II. DEINDE DEVS Dominus noſter eſt intra me ipſum, mihi multò magis coniunctus, magiſque intimè vnitus, quàm ipſa anima ſit intra ipſum corpus; quamuis modus ſit magis eleuatus, per *Eſſentiam*, *Præſentiam*, & *Potentiam*, ſicut iam declarauimus. Intra me itaque eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tota diuinitas verè ac realiter, ex quo fit, vt infinita eius *bonitas* mecum coniuncta, communicet mihi Eſſe, & vitam, quam viuo; eius *ſapientia* det mihi lucem, & cognitionem quam habeo; eius *omnipotētia* facultatibus meis coniuncta illas adiuuet in ſuis actionibus; coniuncta oculis illos iuuet, vt videant, coniuncta auribus iuuet, vt audiant, coniuncta pedibus, vt ambulent; coniuncta memoriæ, & intellectui adiuuet, vt recordentur, & intelligāt, cōiuncta voluntati & appetēdi facultatibus iuuet, vt velint, & ſuos actus eliciant. Et ita poſſum ac debeo aſpicere Deum intra me ipſum præſentiſſimum; atque ſi ego eſſem domus, & habitatio

eius

eius, vbi ille eſt; & facit, quidquid ego ſum, habeo, & facio : abſque cuius præſentia ſtatim ego deſinerem eſſe. nam hic habitationem ſuam conſeruat, quam ſi deſerat, mox illa conuertetur in nihilum. Ex quo magnos concipiam affectus gaudij, admirationis, fiduciæ, & amoris, quòd me videam Deo coniunctum.

Sed nominatim operam dabo, vt cor meum ſit *conclaue*, & *receſſus*, ad quem ego me recipiam ad orandum, & conuerſandum cum Deo meo: ſiquidem ipſe eſt intus, & videt, auditque quod oro & peto; & ibi quoque eſt potens illud mihi concedere. Et hac ratione intelligunt multi Sancti, quod dixit Christus, c *cùm oraueris, intra in cubiculum tuum*, ſcilicet in cor tuum, *& clauſo oſtio* tuorum ſenſuum, *ora Patrem tuum* cœleſtem *in abſcondito*, &c.

c *Matt.* 10 6 *S. Aug. conc* 2. *in illud Pſal.* 33. *Exquiſiui Dominum, & illud Pſal* 100. *Perambulabam in innocentia cordis mei.*

Stvdebo etiam aſſueſcere, vt quæram Deum intra me ipſum: ſiquidem enim intra me eſt; cur defatiger quærere illum tantùm extra me? ad hoc autem conabor animam meã purgare ab omni eo, quod poteſt Deo diſplicere, qui intra ipſam præſens eſt, conabor etiam ita vitam meam inſtituere, vt nihil admittam quod Deum offendat, aut quod me prohibeat illum videre, cognoſcere, & actuali amore me illi coniungere.

III. Deus intra nos.

Alias, vt ait S. Thomas, conabor frui hac Dei *præſentia*, & infinito *theſauro*, quem *intra me* ipſum habeo, ſicut ſolet amicus amici præſentia gaudere; debilis præſentia fortioris, qui illum iuuet; & pauper præſentia diuitis miſericordis; & ſicut artifex adhibet ad opera ſuæ artis inſtrumenta quæ domi habet, nec exit aliò, vt illa quærat; & diues vtitur ſua pecunia & theſauro, quem in ſuis ciſtis reconditum habet; & famelicus cibis, quos habet in ſuo promptuario. O Anima mea, intra te ipſam habes omnia bona, cur non illis frueris? intra te ipſam eſt ſummus tuus amicus & Pater, gaude quòd illum tecum habeas, coniungere illi intimè, tradens ei totum cor tuum. Si es *pauper*, tecum habes Deum, qui diues eſt in miſericordia: accede, vt ſuarum diuitiarum te participem faciat. Si *debilis es* ac puſillanimis, tecum habes Deum, qui eſt ipſa fortitudo; cui ſi coniungaris, omnia, eius virtute, præſtare poteris. quid anxiè nimium extra te quæris auxilia Creaturarum, habens intra te Creatoris omnipotentiam? O Creator meus, & Deus meus, & omnia mea, perfice in me hanc coniunctionem, quam mecum habes; addens perfectiſſimam vnitionem gratiæ, vt & ego perfecta charitatis vnitione tibi coniungar.

* * *

PVNCTVM IV.

Modi quibus Deus in locis eſt. CONSIDERANDI præterea ſunt particulares quidam *modi*, quibus Deus eſt in locis,& rebus aliquibus.

I. In Cœlis. PRIMVM eſt ſpecialis modus,quo Deus eſt in COELIS.nam in reliquis locis ita latet;vt nō niſi per fidem videri poſſit: at in cœlis eſt reuelatus,vbi clarè & apertè diuinam ſuam eſſentiam beatis omnibus manifeſtat, reſque glorioſiſſimas in illis operatur, qui ipſum aſpiciunt;& hanc ob cauſam cœleſtis Ieruſalem appellatur a *tabernaculum Dei cum hominibus*,in quo Deus ſimul habitat, & eius electi cum eo, *& ipſi populus eius erunt,& ipſe Deus cum eis erit eorum Deus*. O DEVS altiſſime,qui in altiſſimis habitas,deduc me ad iſtud tabernaculum,in quo cum tuis electis maneã, videam,fruarque infinito bono, quod hic quidem habeo; ſed quia non video, eo non fruor.

a *Apoc.* 21.3

II. In Terra. DEINDE Deus Dominus noſter eſt ſpecialiter in illis TERRAE locis,in quibus aliquod ſingulare *indicium* dare ſolet ſuæ præſentiæ,dum aliqua in illis admiranda efficit: ideoque cùm *Iacob* in ſolitudine b *vidiſſet in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram,& cacumen illius tangens cœlum,& Dominum innixum ſcalæ,dicentem ſibi: ego ſum Deus Abrahã Patris tui: cùm euigilaſſet Iacob de ſomno ait: verè Dominus eſt in loco iſto,& ego neſciebam pauenſque: quàm terribilis eſt, inquit,locus iſte! non eſt hic aliud,niſi domus Dei & porta cœli*.Hoc modo eſt Deus Dominus noſter c *in templis, & oratorijs*, locisque alijs,orationi & contemplationi deſtinatis;& in quauis ſolitudine, vbi ſolet Deus gratias & fauores particulares erga nos oſtendere, propterea ſiquidem dixit: d *ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius*. Hoc ergo affectu & reuerentia eſt mihi ad huiuſmodi loca accedendum,reuerendo præſentiam Dei, qui ſe in illis manifeſtare conſueuit.

b *Gen.* 28.12.
c 3. *Reg.* 8.29
d *Oſeæ* 2.14.

III. In Iuſtis. TERTIO, Deus Dominus noſter eſt ſpeciali quodam modo in IVSTIS; per *fidem* ſcilicet & *gratiam*, faciens in illis, & cum illis opera ſupernaturalia, digna vita æterna. Quamobrem dixit S. Ioan. e *qui manet in charitate,in Deo manet,& Deus in illo*.qui enim amat, manet in re amata;& quando duo ſe inuicem amant, etiam manent inuicem,alter in altero.Et ita qui Deum diligit,in Deo eſt: & quoniam Deus eundem diligit,eſt etiam Deus in illo.Præterea iuſtus eſt in Deo, quia eſt intra ipſius viſcera circumdatus,& protectus ab ipſius protectione;& Deus eſt in ipſo,aſſiſtens intra eius animam,dans illi quòd ſit,quòd viuat, & opera faciat gratiæ & charitatis. O Deus immenſe, cuius charitas adeò eſt immenſa,vt cupiat ſuam immenſitatem in eo manifeſtare, vt per ſuam gra-

e 1. *Ioã.* 4.16
IV.

tiam

tiam ſit in omnibus, qui eius ſunt capaces, iuxta illud Apoſt. f *qui vult omnes homines ſaluos fieri*; Remoue à me omnia impedimenta gratiæ tuæ, vt permaneas in me, & ego in te in æternum, Amen. f 1.Tim.2.4

IV. In Colloquijs.

PRAETER hæc omnia eſt Deus Dominus noſter quodam alio modo maximè ſingulari intra aliquos ſuos AMICOS; in intimo & profundo ſpiritus eorum; vbi ſe illis manifeſtat *illuſtrationibus & colloquijs* internis, reuelans illis myſteria ſuæ diuinitatis, magnis teſtimonijs ſigniſque ſuæ præſentiæ. Ex quo magna in illis prouenit magnanimitas, & fiducia; ingens ſecuritas, pax & gaudium internum, cum certo æternæ beatitudinis pignore, qua vehementer delectantur; aduertentes luce illa accepta ſe eſſe intra illam Dei immenſitatem, & Deum ſuum immenſum ſibi tali modo præſentiæ, & amoris vnitum.

Vbi videtur facie ad faciem.

QVARTVM hunc modum demiſsè uereri oportet, *tertius* autem eſt ſolicitè quærendus, & omnibus noſtris viribus perficiendus: commiſſis interim diuinæ prouidentiæ reliquis extraordinarijs, quæ ipſe voluerit in nobis operari; ſatis nobis eſſe exiſtimantes, ſpem eundi tandem eò, vbi videtur ipſe facie ad faciem, & eſt totus intra omnes, & omnes intra eum, immerſi in æterno Domini ſui gaudio.

MEDITATIO XV.

DE INFINITA SAPIENTIA & ſcientia Dei.

PVNCTVM I.

Deus ſe & omnia cognoſcit. S.Thom 1.p. q.14.a.2. & 3.

CONSIDERANDVM primò, Deum Dominum noſtrum infinita ſua ſapientia *cognoſcere & comprehendere ſeipſum*, diuinam ſuam eſſentiam, ſuas perſonas, bonitatem, omnipotentiam; & omnes infinitas ſuas perfectiones: Item omnes actus ſuos, intentiones, decreta, diſpoſitiones, & reliqua omnia, quę ſtatuere & facere poteſt, ita vt nihil poſſit eius *cognitionem* effugere, ſed ſatiet impleatque infinitam diuini ſui intellectus inclinationem & capacitatem, idque ſumma ſua voluptate. nihil itaq; aut deſiderat aut ſcire poteſt, quod nõ ſciat. Et in hoc cõſiſtit beatitudo Dei; quãuis nõ propterea ſit beatus, quòd res extra ſe cognoſcat, ſed quòd cognoſcat ſeipſũ qui fons eſt & principiũ earũ. *Ex his* magnũ concipiã gaudiũ, ob ſapientiã, quã habet Deus; & beatitudinẽ, gaudumq; , S.Thom.1.p. q.26.a.2.

Digitized by Google

quo ex ea afficitur, magnum item deſiderium alicuius eius partis conſequendæ; beatitudinem meam, non in cognoſcendis creaturis, ſed in ipſo Deo, cæleſti hac & ſuaui ſapientia cognoſcendo collocans. hac enim cognitione, a *ſatiabor*, & omnia mea ſciendi deſideria explebo. nam, *quid* (inquit S. Gregorius) *non videt, qui videntem omnia videt?* Si tanto deſiderio teneris, anima mea, ſciendi, expone tuum ſtudium in ſciendo Deo; quem ſtatim atque cognoueris, omnium tuorum votorum compos fies. Si deſideras eſſe ſicut Deus: qui b *ſcit bonum & malum*, ſtude Deum cognoſcere, & illi ſeruire; ſic enim id aſſequeris; magnam ſcilicet partem boni cognoſcens, & nullam mali. Et quamuis omnia noueris, ſi Deum non ſcias, quid tibi proderit? O Deus ſapientiſſime, & ſapientiæ totius fons, nouerim te ipſum, & quod à me requiris; & hęc mihi cognitio ſufficit, adiuuante me gratia tua, vt quod cognouero, diligam; & faciam, quod intellexero.

a *Pſal* 16. 15. *Lib.* 4. *Dia.* c. 33.

b *Gen.* 3. 5.

PVNCTVM II.

Deus habet omnia per eſſentiam ſuam.

DEINDE conſiderandum eſt, quòd Deus Dominus noſter eam *ſapientiam* habeat *per* ipſammet ſuā *eſſentiam*; & per eam tanquam in nitidiſſimo ſpeculo videat & comprehendat res omnes, quas per ſe ipſum diſponit & ordinat; ideoque nec accepit ſapientiam ab alio; nec habuit aut habere potuit Magiſtrum, aut conſiliarium, nec extra ſe ipſum librum alium aut exemplar habuit, in quo videret, aut diſceret, quod ſcit; ſed hoc totum habet à ſe ipſo, & in ſua eſſentia; quæ (ſi ita loqui licet) eſt illi inſtar Magiſtri, conſiliarij, eſt ipſius ſpeculum, ipſius exemplar, & Idæa ad totum id quod diſponit & exſequitur, & ad quidquid poſſibile eſt ipſum ſcire. Ex quo fit, vt ſolus Deus ſit *eſſentialiter* ſapiens, & *infinitè* ſapiens, abſque vllo ſapientiæ termino, & ſicut dicitur: quòd a *nemo ſit bonus, niſi ſolus Deus*; ita dicere poſſumus, neminem eſſe ſapientem, niſi ſolum Deum; quia omnes reliqui natura ſua ſunt ignari, nec ſcientiam vllam habent, niſi à Deo illam accipiant; & illa, quam habent, eſt intra certos limites & terminos, adeoque exigua, vt cum ſapientia infinita Dei comparata, ſit quaſi nihil. Et ſupra hoc principium fundari debet humilitas & propria cognitio, quando agitur de ſcientia, vt dicatur cum Salomone: b *ſtultiſſimus ſum virorum, non didici ſapientiam.* Si enim aſpicio tempus natiuitatis meæ, deprehendam me nullam ſcientiam habuiſſe; &, quam ab eo tempore didici, adeò eſt exigua, atque ſi non eſſet, neque rem vllam didiciſſem. Quamobrem, cum Deo comparatus, dicam, quod Socrates aliquando: *Hoc vnum ſcio, me nihil ſcire*: &: c *omnis homo* (ait Ieremias) *ſtultus factus eſt* & ignarus *à ſcientia*, comparatus videlicet cum

Infinitè ſapiens.

I.

a *Luc.* 18. 19.

b *Prou.* 30. 2.

c *Hier.* 10. 14. & 51. 17.

Deo, qui eſt ipſa ſcientia. Hac conſideratione reprimere licebit affectus vanæ complacentiæ, inanis gloriæ, & arrogantiæ, ſiue præſumptionis, collocando me in vltimo loco mei nihili, & meæ omnimodæ ignorantiæ.

Quorſum conducat Dei Sapientia.

II. Impenetrabilis.

HINC etiam ſit, vt maximæ ſit arrogantiæ & ſtultitiæ, penetrare velle & comprehendere infinitam hanc ſapientiam, vt quæ infinitè excedat omnem capacitatem hominum & Angelorum: & vt ait Apoſt. d *quæ Dei ſunt nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei*; Et Eccleſiaſticus: e *ſapientiam Dei præcedentem omnia quis inueſtigabit? radix ſapientiæ cui reuelata eſt? & aſtutias eius quis cognouit? multiplicationem ingreſſus illius quis intellexit?* Et f *abſcondita* (inquit Iob) *eſt* ſapientia *ab oculis omnium viuentium, volucres quoque*, Angelos ſcilicet, & ſpiritus cœleſtes *latet*. O Deus ſapientiſſime: g *qui aſcendis & volas ſuper Cherubim*, (qui ſunt ſcientiæ plenitudo) quia omnes volatu tranſgrederis, nec vllus poteſt eò peruenire, vt intelligat quidquid tu ſcis. Ego veneror ſecreta & h *abſcondita* infinitæ tuæ ſapientiæ; precorque humiliter, vt eius partem oſtendere mihi digneris, quæ mihi expedit, vt tibi ſeruire teque amare poſſim, Amen.

d 1 *Cor.* 2. 11. e *Eccl.* 1. 6. f *Iob* 28. 21. g *Pſa.* 17. 11.

Oratio ad cognoſcendam ſapiētiam.

h *Eccl.* 3. 22.

PVNCTVM III.

Inuentrix rerum.

TERTIO conſiderandum, quòd ſapientia diuina ſola, & abſque alterius adminiculo, ſit prima *inuentrix rerum* omnium, quæ fuerunt in mundo; & ab ea procedunt omnes ſcientiæ, & artes, & inuentiones, in cœlo & in terra; quia a *eam effudit Deus ſuper omnia opera ſua*; Et ideo dicit Iſaias: b *quis adiuuit ſpiritum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit, & oſtendit illi* aliquid noui? *cum quo iniit conſilium, & inſtruxit eum, & docuit eum ſemitam iuſtitiæ, & erudiuit eum, ſcientiam & viam prudentiæ oſtendit illi?* c *O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* Gaudeo Deus meus, quòd tu ſis Magiſter & conſiliarius omnium; nullus autem eſſe poſſit tuus; eſto tu ſemper meus, vt ſciam tibi in omnibus placere, Amen.

a *Eccl.* 1. 10. b *Iſa.* 40. 13. c *Rom* 11. 33.

I.

HINC deſcendam ad conſiderandum magis in particulari admirandas *inuentiones & diſpoſitiones*, quæ ex infinita Dei *ſapientia* proceſſerunt, d *meditādo* (vt ait Dauid) *in omnibus operibus eius, & exercendo me in adinuentionibus eius*, per affectiones admirationis & gaudij, credens (vt ait Apoſtolus) fide, e *verbo Dei aptata eſſe ſecula, ita vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent*, ex inuiſibilibus ſcilicet, quæ intra ſeipſum æterna ſua ſapientia diſpoſuerat. Hoc autem licebit facere primùm diſcurrendo per *ſex dies* Creationis mundi, perpendendo admirandam ſapientiæ Di-

d *Pſal.* 76. e *Hebr.* 11. 3.

uinæ in ſingulis eorum adinuentionem, vt fuſiùs dicetur inferiùs.

II. Diſpoſitio ſapientiæ Dei in ſex diebus Creationis. f *Gen.* 2.7. g 1. *Reg.* 2.3.

Aspiciam deinde hanc Diuinæ ſapientiæ inuentionem in *creatione hominis*, in qua terreno corpori, f *ex limo terræ formato*, coniunxit ſpiritum immortalem. & hic perpendam varietatem vultuum, & propenſionum, & ingeniorum, quæ eſt in hominibus; & inuentiones, quæ ab illis prodierunt; verbi gratia conficiendi vitra, pannum, telam; & reliquas artes, & artificiata, ac ſcientiæ, quas adeò videmus in mundo florere; quæ omnes ducunt originem ab infinita Dei ſapientia. quamobrem mater Samuelis Deum appellauit, g *ſcientiarum Dominum*, quia ipſe omnes habet & ab eo procedunt, quæ in creaturis inueniuntur.

III. Hinc aſcendam ad conſiderandas Diuinæ ſapientiæ inuentiones, circa Eſſe *gratiæ*, quam communicauit hominibus; præcipuè verò illam ſupremam inuentionem, qua naturam humanam cum Diuina coniunxit, in vnitate perſonæ in Chriſto Domino noſtro; & illam, qua ſe in altaris Sacramento collocauit; & innumeras alias rationes & modos, quos quotidie adinuenit in ſuis electis, vt illos à periculis eruat, in virtutibus promoueat, ac deducat in cœlum, vbi ſunt ſtupendæ adinuentiones, quas ille excogitauit, ad perfectam eorum beatitudinem.

IV. Ex his colligam diuinam ſapientiam eſſe, quæ deducat & comitetur *opera*, in quibus relucent Diuina eius *attributa*, opera ſcilicet bonitatis eius, charitatis, miſericordiæ, & iuſtitiæ: cum ſapientia enim bonitas communicatur, charitas amat, miſericordia compatitur, & iuſtitia præmia reddit, & pœnas. Et ita dicit Eccleſiaſticus: quòd h *effuderit Deus ſapientiam ſuper omnia opera ſua*. Et Dauid dicit: i *omnia in ſapientia feciſti, Domine.*

h *Eccl.* 1.10. i *Pſ.* 103.24.

Hoc totum debet in me affectus magnos excitare admirationis & gaudij, vt ſcilicet nominatim gaudeam, quòd habeam Deum *adeò ſapientem*, qui nouerit mille modos & vias adinuenire, vt fines ſuos aſſequatur, ad me eripiendum à malis, & bona communicanda, quæ deſiderat, naturæ, gratiæ, & gloriæ. Diſcam verò hinc, magnam in Deo *fiduciam* habere, etiam in occaſionibus, quæ videntur deſperatæ. vbi enim ego nec medium nec remedium inuenio, poteſt Diuina ſapientia media & remedia innumera adinuenire. Pro gratiarum verò actione conabor & ego cum ipſius gratia & lumine, nouos modos adinuenire me mortificandi, & in virtutibus omnibus exercendi, & huic Deo placendi: ſiquidem k *iuſtus fructum adinuentionum ſuarum comedit*: & quotidie l *cantabo Domino canticum nouum*, propter nouas eius adinuentiones, ad bene mihi faciendum. m *O Deus & Domine ſcientiarum,*

k *Iſai.* 3.10 l *Pſal.* 95.1. m 1. *Reg.* 2.3

Digitized by Google

rum, gaudeo de Dominio, quod ſuper omnes habes tanquam *principium*, à quo omnes oriuntur. Da mihi, Domine, ſcientiam Sanctorum, vt modum illum aſſequar tibi ſeruiendi in iuſtitia & ſanctitate.

PVNCTVM IV.

QVARTO conſiderandum eſt, quòd infinita Dei ſapientia omnes res mundi a *diſpoſuerit in* NVMERO, PONDERE, & MENSVRA, comprehendens *numerum* rerum omnium, quæ fuerunt, & futuræ ſunt; & omnium earum partium, membrorum, officiorum & operum; *pondus* quoque vniuſcuiuſque earum, in quantitate ſiue pondere propenſionum & affectionum naturalium & ſupernaturalium; *menſurā* denique vniuſcuiuſque in latum, longum, altum, & profundum; imò & menſuram perfectionis, talentorum, & facultatum earum: & obſtupeſcam, quòd tanta ſit in omnibus proportio, & admirāda diſpoſitio, quanta in ſingulis & in omnibus ſimul emicat; ob infinitam ſapientiam eius, qui illas ordinauit tali modo & tali ordine bonitatis & perfectionis. Diſpoſuit omnia in numero, pondere & menſura. a *Sap.* 11. 21. *S. Thom.* 1. *p.* q. 5. a. 5. I.

Hoc deprehendi poterit ratiocinando per aliquas ex ijs rebus, quas diuina ſcriptura extollit, attribuitque ſoli DEO & infinitæ eius ſapientiæ.

II. Aſtra. b *Pſa.* 146. 4.

DEINDE, ſicut ait DAVID, b *Deus numerat multitudinem ſtellarum*, & pondus inclinationis illarum, ad influendum in terram, & menſuram magnitudinis & perfectionis earum: Ac propterea addit: & *omnibus eis nomina vocat*: quaſi diceret, quidquid in vnaquaque eſt, nouit. Et eodem modo nouit DEVS c *numerum motuum*, & circulos, quos cæli perficient vſque ad finem mundi: Et porrò etiam annorum & dierum, quibus eſt duraturus, & vltimi diei, in quo hic *ordo & concentus cæli dormiet*, ceſſabitque in æternum. quod, vt ipſe Chriſtus dixit: d *neque Angeli cælorum ſciunt, niſi ſolus Pater*: quia videlicet res hæc ſoli ſcientiæ DEI reſeruatur. c *Iob* 38. 33. 37. d *Matt.* 24. 36.

Et inferiùs deſcendendo ad ea, quæ in aere geruntur, DEVS habet in numerato omnes cometas, fulmina, tonitrua, & guttas pluuiæ, & floccos niuis, numerum ventorum & grandinum; quorum omnium & pondus, & vim, atque ſingulorum inclinationem probè tenet; quia e *fecit ventis pondus* proprium; & eadem ratione dedit pondus niui, grandini, fulmini, quæ omnia ex diſpoſitione ſapientiæ DEI, vt ait Iob, exeunt, illo ſuo pondere, quo DEVS f *illa mittit*, & in eum finem, in quem mittuntur. Quare magna mihi eſſe debet fiducia in DEVM, cùm huiuſmodi aliquæ Sublunaria. e *Iob* 28. 25. f *Iob* 38. 35

tempeſtates ingruunt, memoria tenenti, quòd illæ omnes à Diuina ſapientia in magnos & optimos fines deſtinentur.

III. Aquæ, aues. g Iſaiæ 40 12.

Mox perpendam, quòd idem Deus Dominus noſter ſua ſapientia g *metitur pugillo aquas, & cœlos palmo ponderat, & tribus digitis molem terræ appendit*; & ita nouit latitudinem, & longitudinem, altitudinem, & profunditatem, quam habent, & grauitatem ac pondus ſingularum rerum. nouit quoque numerum rerum omnium, quæ intra hæc elementa continentur, & ſupra ipſam terram, etiam numerum arenarum maris, & auicularum, ac h *paſſerum*; ſiquidem *nec vnus ex illis cadet ſuper terram* abſq; prouidentia Dei.

h Mat. 10. 29.

IV. Homines. i Pſal. 38. 6. k Iob 14. 15. Pſal. 138. 4. l Mat. 10. 30. l Luc. 12. 7. m & c. 21. 18 n Iob 14. 16.

Magis etiam in particulari perpendam, quæ pertinent ad homines; quorum *numerum* ab Adamo vſque ad finem mundi in promptu habet: annos quoque, i *dies*, & horas, quas quiſque eſt victurus; & horam illam, k *qua eſt moriturus*. Item omnia oſſa & l *capillos habet numeratos*, ita vt nec m *vnus* abſque Diuina ſapientia & prouidentia *ſit periturus*: Item n *omnes hominum greſſus dinumeratos habet*, o *viæ* & actiones omnes eorum, bonas & malas, præteritas & futuras; pondus item & propenſionem cuiuſque, talentum & facultatem, menſuram & perfectionem naturalem & ſupernaturalem, quam habet in anima ſua, & in actionibus ſuis: nam infinita eius ſapientia hæc omnia diſtribuit in *pondere & menſura*, quia etiam o *ſpirituum Ponderator eſt Deus*, & operum quæ faciunt: quia & pondus & valorem ipſorum nouit.

o Prou 16. 4

Ex hac conſideratione, conijciam me in manus Dei, & infinitæ eius ſapientiæ, quæ infallibilis eſt, & certa: ſtatuam verò non fidere meis phantaſijs & apprehenſionibus, circa numerum annorum, dierumque vitæ; nec in æſtimatione talentorum, aut facultatum naturalium, aut donorum gratuitorum, aut menſuræ meorum meritorum & virtutum: ſed certò ſtatuam; id quod ſum in oculis Dei omnia videntis, id me eſſe, nec ampliùs.

V. Spiritus cœleſtes.

Vltimo aſcendam ad conſiderandum, quæ ſunt ſuper cælos: perpendens quòd Diuina ſapientia etiam diſpoſuerit quidquid ibi eſt, cum *ordine, pondere, & menſura*. quare numerus Angelorum, qui ſunt in omnibus Choris & Hierarchijs; & omnium beatorum, qui iam ſunt; & poſtea futuri ſunt, notus eſt illi: nouit quoque pondus & menſuram perfectionum naturalium & ſupernaturalium eorum, quibus munia diſtribuit, iuxta *ordinem & decretum* Diuinæ ſuæ ſapientiæ, & menſuram gloriæ & meritorum illorum. Quæ omnia perpendens; prorumpam in vehementis admirationis & ſtuporis affectus, ob infinitam Dei Sapientiam, idque multò magis quàm Regina Saba, p *cùm vidit ſapientiam Salomonis, & diſtributionem, & ordinem rerum*

p 3. Reg. 10. 4.

domus eius: ideoque affectu magis accenſo dicam, quod illa dixit: *Verus eſt*, DEVS meus, *ſermo, quem audiui de* infinita *tua ſapientia*; *& maior eſt ſapientia & opera tua, quàm ſit rumor, quem de eis audiui: beati viri tui*, ciues, *& ſerui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam*. O ſapientia infinita, quæ ſtatuis & diſponis omnia in numero, pondere, & menſura; eâdem, quæſo, ratione diſpone res omnes animæ meę, augens in ea numerum operum bonorum, pondus feruentium affectionum, & menſuram tuarum gratiarum, mihi concedens q *confertam & coagitatam*; *& ſupereffluentem menſuram* gloriæ tuæ, Amen. Oratio. q *Luc.* 6. 38.

PVNCTVM. V.

QVINTO eſt conſiderandum, quòd infinita Dei *ſapientia* ſit æterna, & immutabilis, profundiſsima & euidentiſsima, & tota ſimul, vnico enim & ſimplici aſpectu attingit ab vna ad alteram æternitatem, videns *vnico intuitu*, quidquid eſt poſsibile, vt videatur & cognoſcatur. Quare à quo Deus eſt Deus, ita ſcit quidquid ſcit, vt nihil de nouo ſcire poſsit: quia ipſi nihil poteſt eſſe noui: nam omnia præterita, præſentia, & futura, & quæ modo aliquo ſunt poſsibilia, omnia diſtinctè cognoſcit, ſummaque euidentia, nulla dubij vel ſpecie admixta, aut opinione, aut perplexitate: in Deo itaque nec ignorantia eſſe poteſt, nec error, nec dubium, nec deceptio in re aliqua, quæ ſciri poſsit: & ita dicit Eccleſiaſticus: a *Oculi Domini multò plus lucidiores ſunt ſuper ſolem, circunſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſsi, & hominum corda, intuentes in abſconditas partes. Domino enim Deo antequam crearentur, omnia ſunt agnita*, etiam poſtquam trãſierunt; & iterum: b *à ſeculo vſque in ſeculum reſpicit*, & ab vna æternitate ad alteram. Sapientia vnico intuitu omnia videt. a *Eccl.* 23. 28. b *Ecc* 39. 25.

I. HAEC *veritas* eſt ad noſtram vtilitatem trahenda; & ratiocinandum magis in particulari per res præteritas, præſentes, futuras, & poſsibiles. PRIMVM enim DEVS Dominus noſter, infinita ſua ſapientia agnoſcit *res* omnes *præteritas*, à principio mundi vſque ad hoc momentum præſens; habetque illas ita ſibi *præſentes*, atque ſi reuera non tranſiuiſſent. quare impoſsibile eſt obliuiſci Deum eorum, quæ ſemel nouit; aut operum bonorum & malorum, quæ vidit; neque alicuius hominum, ſiue boni ſiue mali; quamuis aliter meminerit horum, quàm illorum: improborum enim recordatur, vt illos caſtiget, propter ipſorum ſcelera, quorum nunquam obliuiſcitur Deus; bonorum autem eſt memor, vt reddat illis præmia, propter opera bona, quorum ſemper habet recentem memoriã. quamuis dicatur impiorum obliuiſci, quia illos non curat, vt illis benefaciat, in pœnam ſcilicet ſcelerum ipſorum. Et hoc ipſum in me conuertẽs, Agnoſcit res præteritas. Quomodo Deus obliuiſcatur impiorum.

debeo credere Deum recordari mei;& rerum mearum ita diſtinctè,atq; ſi ſolus eſſem in mundo:ſemper enim præſentem me habet in ſua memoria,& ſapientia æterna,nunquam ab ea me delens:ideoq; cogitabo, illum mihi dicere,quod aliquando dixit ciuitati Sion: c *nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum,vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit,ego tamen non obliuiſcar tui. Ecce in manibus tuis deſcripſi te, muri tui coram oculis meis ſemper*. Ne obliuiſcaris Dei, anima mea, quem ſcis non obliuiſci tui; ſcribe illum in tuis manibus,ſiquidem te ipſe ſcriptam habet in ſuis;pone ante oculos tuos ea,quæ ſunt eius ſeruitij,ſiquidem habet ipſe in ſuis,quę ad tuam pertinent vtilitatem.

c *Iſai.* 49.15.

II. Cognoſcit res præſentes.

DEINDE, Deus Dominus noſter,infinita ſua ſapientia *cognoſcit*, quidquid in *hoc die*, & in hoc momento, *in toto fit vniuerſo*; ita vt nulla res poſſit ipſum latere: quia etiam ſecreta cordis cuiuſque hominis penetrat; quamuis occultiſsima; imaginationes, cogitationes,deſideria & propoſita, bona & mala, & quidquid nec homo nec Angelus cognoſcere poteſt, niſi c *idem ſpiritus, qui illa cogitat*, & multò adhuc plura,quàm homo cogitet,aut ſibi fingat, nulla ſuper ea facta reflectione, penetrat & comprehendit Deus; ad quem ſolum ſpectat talis comprehenſio, ſicut dixit Ieremias,& Apoſtolus amplius declarauit, dicens: d *viuus eſt ſermo Dei & efficax,& penetrabilior omni gladio ancipiti,& pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus; & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius*. Quare, ſiquidem oculi Dei ſemper aſpiciunt, quæ tu,anima mea,facis: e *videant oculi tui* ſemper *recta,& palpebræ tuæ præcedant* ſemper *greſſus tuos*, aſpicientes primò, vbi figas pedem tuum, quia Deus te aſpicit; reijce ex ore tuo verba hominis veteris, quia f *Deus eſt ſcientiarum Dominus, & penetrat ponderatque cogitationes cordis*.

c 1.*Cor*.2.10.
d *Ier*.17.10.
d *Heb*.4.12.
e *Prou*.4.25.
f 1.*Reg*. 2.3.

III. Futuras.

TERTIO, Deus Dominus noſter infinita ſua ſapientia nouit omnes *res futuras*,& euenturas per totam æternitatem, quamuis à libero noſtro arbitrio dependeant:habetque ſibi eas adeò præſentes, atque ſi iam fuiſſent,aut nunc fierent;& interdum eas ſuis amicis reuelat:eſtq; impoſsibile non euenire,quod ipſe reuelat euenturum, ita enim intuetur,ſicut ſuccedet,atque ſi iam reuerà ita eſſet; idq; eſt adeò proprium Diuinæ ſapiētię,vt neq; homo,neque Angelus ita cognoſcere poſsit.quamobrem dixit Iſaias: g *annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dij eſtis vos*. quaſi diceret proprium eſt *ſignum* diuinitatis, res futuras & quæ à libero hominis arbitrio dependent,cognoſcere.

g *Iſai*.41.23

IV. Poſsibiles.

SED vlteriùs adhuc progreditur hæc infinita Dei ſapientia; quia non ſolùm cognoſcit quæcunque homines & Angeli ſunt facturi, ſed illa etiam,quæ vtentes libertate ſua & auxilijs, quæ ipſe illis dare voluerit ex

gratia

gratia ſua, facere poſſunt. Et infinitâ hac ſapientiâ, profundiſsima, & occultiſsima diſponit ac dirigit, aut certè permittit ea, quę eueniunt; relictis alijs, quæ aliàs euenire potuiſſent. in qua re demiſsè debeo ſecreta eius iudicia venerari, dicens cum Apoſtolo: h *O altitudo diuitiarum, ſapientiæ, & ſcientiæ Dei; quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius & inueſtigabiles viæ eius*: i *Mirabilis facta eſt*, Domine, *ſcientia tua, confortata eſt*, & ita ſupra me eleuata, *vt non poßim ad eam* aſcendere. Veneror itaque illam cum animi demiſsione: & ſupplico, vt vitam meam ita illâ dirigas, vt æternam obtineam gloriam, Amen. h Rom 11.33 Oratio. i Pſal. 138.6.

PVNCTVM VI.

VLTIMO tandem eſt conſiderandum, quòd infinita Dei ſapientia *comprehendat* & complectatur res omnes, quæ cadunt ſub diuinam Omnipotentiam, & ſunt *poßibiles*, quamuis *nunquam* ſint *euentura*: quæ tot ſunt numero ac perfectione, vt quaſcunque hactenus commemorauimus, earum comparatione, ſint quaſi vna gutta aquæ cum toto Oceano comparata: cognoſcit enim Deus infinitos Angelos, & cœlos, ac mundos infinitos, & infinitas alias diſpoſitiones, valde ab his diſtantes, & cum alijs perfectionibus multò maioribus; ita vt, ſi mundus iſte duraret per vnum millionem annorum, cognoſcat Dei ſapientia, ſe poſſe ſingulis diebus mundum alium creare, hoc perfectiorem; & his omnibus creatis, eſt adhuc infinitum, quod cognoſcit ſe poſſe creare. O *abyſſus* incomprehenſibilis! ô *pelagus* immenſum, & *theſaurus* infinitus ſapientiæ Dei! Gaudeo, Domine, te adeò eſſe ſapientem, vt comprehendas quidquid ſciri poteſt, ita vt nihil te lateat. Gaudeo etiam de ea delectatione, quam in hac cognitione ſentis, qua ſimul teipſum agnoſcis, in cuius Omnipotentia hoc totum continetur. Nunc, Deus meus, fateor, ſcientiam noſtram nihil eſſe, ſi ad tuā cōparetur: a *& cùm vix paruam ſtillam ſermonis tui audire* & intelligere *poßimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri*, aut cognoſcere? & ſi quod de tua ſapientia reuelaſti, non eſt niſi vna gutta, quanta erit immenſitas eius, quod in illa latet! b *Magnus es* in omnibus, & magnitudo tua *vincens ſcientiam noſtram*; eſt tamen gloria noſtra, quod à te vincamur, à quo & ſcientiam & magnitudinem, quam habemus, accipimus. Poſsibiles nō futuras. a Iob 26. 14 b Iob 36. 26.

Ex dictis concludam; quòd infinita Dei Domini noſtri *ſapientia* ſit *infinitè liberalis* in ſe c *communicando ſine inuidia*; quia potiùs oblectatur communicando ſe hominibus, Angelis, Cherubinis, Seraphinis, & omnibus ſpiritibus beatis: præ omnibus verò animæ Chriſti Redemptoris & Domini noſtri, d *in quo ſunt omnes theſauri incomprehen-* Infinitè liberalis. c Sap 7.13. d Coloſſ 2.3

ſibilis

ſibilis ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Sed quamuis ei communicauerit *cognitionem* rerum omnium præteritarum, præſentium, & futurarum per totam æternitatem, vt ait S. Thomas; multò tamen infinities plura communicanda ſibi retinuit, eò quòd ſit impoſsibile id totum puræ creaturæ communicari. Ex hac liberalitate occaſionem ſumam ſupplicandi, vt eam ſapientiam mihi communicet, e *docens me vtilia* ad ſaluationem meã. O Deus ſapientiſsime, f *mitte ſapientiam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret, vt ſciam quid acceptum ſit apud te omni tempore*: præcedat illa omnia opera mea, ſicut tua præcedit; comitetur me in omnibus quæ fecero, ſicut te eſt comitata in omnibus quæ feciſti; ſitque illa *finis vltimus* meorum deſideriorum, ac eò deducat, vbi te clarè videam, lumine quod ab illa procedit in ſecula, Amen.

S.Thom. 3.p. q.10.a.2.
e Iſai 48. 7.
f Sap 9.10.
Oratio.

MEDITATIO XVI.

DE OMNIPOTENTIA DEI.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM eſt primò, quòd Deus Dominus noſter Trinus & Vnus, eſt *infinitè* potens, ad faciendum quidquid voluerit, ſine *termino* aut limite aliquo; quo ad numerum, magnitudinem, & perfectionem: quamobrem appellatur a OMNIPOTENS; cuius Omnipotentia in eo conſiſtit, vt facere poſsit res omnes, quas infinita ſua ſapientia videt eſſe poſsibiles, in quibus non ſit repugnantia aut aliqua contradictio, ſi fiant. Et in hoc ſenſu dixit Angelus Beatiſsimæ Virgini: b *non eſſe impoſsibile apud Deum omne verbum*; omnis ſcilicet & quæcunque res, quam homo, & Angelus, & ipſemet Deus intellectu ſuo concipere poſsit; ſi quòd talis res ſit, nullam implicet contradictionem. Et ipſemet Deus dixit per Ieremiam: c *nunquid mihi difficile erit omne verbum?* quaſi diceret, nihil mihi erit difficile, ſed omnia poſsibilia ſunt, & facilia ad faciendum.

S.Thom 1.p. q.25.
Deus ſine termino omnipotẽs.
a Exod.15.3.
b Luc.1.37.
c Ier.32.17.
c Mat.19.26
c Marc.10.27

TRES circa hoc perpendi poſſunt excellentiæ.

Tres excellentiæ Omnipotentiæ.
I.

PRIMA eſt, quòd Deus Dominus noſter poſsit de nouo facere *infinities plures res*, quàm fecerit, nam quidquid factum eſt, quaſi nihil eſt, ſi cum eo conferatur, quod facere poteſt; & poſtquam totum, quod factum eſt, videro, licebit cum Eccleſiaſtico ei dicere: d *multa abſcondita ſunt maiora his, pauca enim vidimus operum eius*. O DEVS Omnipotens, gaudeo de hac tua grandi omnipotentia, qua potes infinities plura facere, quã vel cogitatione ego poſsim aſſequi: & ſi adeò es mirabilis in operibus, quæ feciſti,

d Eccl 43.36.

quantò

quantò eris mirabilior in ijs,quæ facere potes: *Glorifica anima mea,* e *Deũ* e Eccl.43. 32.
tuum *quantumcunque potueris,qui* propter ſuam Omnipotentiam , *ſuper-*
ualebit adhuc;& benedic eum,& exalta illum quantum potes : quia propter
ſuam Omnipotentiam,*maior eſt omni laude*

SECVNDA excellentia eſt,quòd poſſit Deus facere *quidquid voluerit* II.
in rebus,quas iam fecit,mutans illas & tranſmutans,& pro libitu ſuo eas S.Thom.1.p.
inuertens.nam vt idem Sapiens ait: f *Ipſe eſt omnipotens ſuper omnia opera* q 105. a.6.
ſua;quia poteſt facere plura , quàm fecerit;& in ijs,quæ iam fecit, facere f Eccl.43. 30.
poteſt quod voluerit.Poteſt enim efficere,vt *Sol ſubſiſtat* , vt tempore Io-
ſue;& vt *retrocedat*,vt tempore Ezechiæ;& ne *det lumẽ* ſuum, vt tempore
Paſſionis Chriſti:poteſt facere quod voluerit in mari,ventis,in terra , &
in omnibus viuentibus;ſicut fecit in lege veteri per Moyſem , & in lege
noua fecit Chriſtus Dominus noſter, dum viueret in hac vita mortali,
& quotidie noua edit miracula:poteſtque maiora facere,quàm fecerit;& g Eccl. 43. 31.
hæc perpendens,dicere poſſum,quod addit Eccleſ.g *Terribilis eſt Dominus,*
& magnus vehementer,& mirabilis potentia ipſius,ac propterea digniſſimus
eſt , cui fides adhibeatur,& vt omnes credamus,quidquid fides de ſtu-
pendis eius operibus & miraculis nobis reuelat.

TERTIA excellentia eſt , quòd poſſit Omnipotentia Dei exequi, III.
quidquid eius *voluntas poſſit velle* ; nam ſi Deus aliquid efficaciter vellet,
quod efficere non poſſit,eſſet miſerabilis,& non Deus.Ex præteritis li-
cet colligere futura & poſſibilia:nam,vt h *omnia quæcũque voluit Deus fe-* h Pſal. 113. 11.
cit,ita faciet,quæcunque voluerit;& facere poterit , quæcunque poteſt
velle,iuxta illud Sapientis: i *ſubeſt enim tibi,cùm volueris poſſe* :quaſi dicat, i Sap.12 18.
habes poteſtatem faciendi quæcunque volueris, & ſtatim atque volueris
aliquid,non tibi deeſt potentia,ad illud faciendum. Ex quo prouenit,
vt quando mihi conſtiterit de voluntate Dei, non mihi liceat de eius
Omnipotentia dubitare;& quando non conſtiterit,quid velit;dicam il-
li quod leproſus dixit Chriſto Redemptori noſtro:k *Domine,ſi vis, potes.*
O DEVS Omnipotẽs, corã tua Omnipotentia effundo animam meam, k Mat.8.2. Oratio.
cum omnibus eius neceſſitatibus & miſerijs , & cum omnibus deſiderijs
& affectionibus eius.Tua voluntas eſt iuſta,& noſti quid mihi magis ex-
pediat;*ſi vis,potes*,ſi vis me ſanare à meis infirmitatibus, facillimè id mihi
præſtare potes;ſi vis mihi dare quod peto,è veſtigio dare potes: gaudeo,
quòd tua omnipotentia conſtituta ſit in manibus iuſtæ & beneuolæ
voluntatis tuæ:nam quod ex tali voluntate & potentia pro-
ceſſerit,bonum erit & vtile mihi,tibi verò glorio-
ſum,cui ſit honor & gloria in æ-
ternum.Amen.

Digitized by Google

PVNCTVM. II.

Tres aliæ excellentię. DEINDE conſiderandum, quòd hæc Omnipotentia ſolius DEI ſit *propria* (quamuis liberaliter faciat ſuas creaturas eius participes. In quo tres aliæ excellentiæ ſunt perpendendæ.

I. PRIMA eſt, quòd ſolus Deus *natura ſua*, & *eſſentia* habeat potentiam, nulla verò creatura, niſi participatam à Deo & propterea Apoſtolus de eo dicit, quòd ſit a *ſolus potens*: nam ceteri ex nobis ipſis ſumus non potentes: quia b *non ſumus ſufficientes* vel cogitare *aliquid à nobis, quaſi ex nobis*; *ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*: quidquid enim poſſumus, ab eo habemus.

a 1. Tim. 6. 15.
b 2 Cor 3. 5.

II. SECVNDA excellentia eſt, quòd *ſolus* Deus per ſuam Omnipotentiã facere poſsit opera ſua, *abſque* alterius *auxilio*; ceteræ autem creaturæ omnes nihil facere poſſunt, niſi Dei Omnipotentia cum illis operetur. neque Sol illuminabit, neque ignis calefaciet, nec homo ſe mouebit, aut aliud quid faciet, niſi Dei Omnipotentia illos iuuet, & cum illis operetur. Ideò .n. dixit Iſai. quòd c *Deus omnia opera noſtra operatus ſit in nobis*; & ipſe Chriſtus Dominus dixit: d *ſine me nihil poteſtis facere*. Ex vtraque hac conſideratione intelligam, quantam dependentiam habeam à Dei omnipotentia; vt ſic in profunda humilitate proficiam, ſciens me ſine ea nihil facere poſſe; & infinitas gratias agam, propterea quòd in omnibus meis actionibus tam fideliter adſiſtat, vt fuſiùs inferiùs perpendemus.

c Iſa. 26. 12
d Ioan. 15. 5.
Medit. 23.

III. TERTIA excellentia eſt, quòd *non ſibi* omninò *retineat* Deus ſuã Omnipotentiam, ſed faciat ſuas creaturas eius participes, ita vt vnaquæq; facere poſsit, quæcunq; ſuæ naturæ propriæ conueniunt; addit verò præterea hominibus & Angelis excellentiorem aliam & altiorem potentiam, quam habeant per ſuam naturam, quia illos adhibet, vt inſtrumenta, & coadiutores, ad res multas ipſius Omnipotentiæ proprias: quamobrem Apoſtolus eouſq; progreſſus eſt, vt diceret: e *omnia poſſum in eo qui me cõfortat*. Simul itaque coniunctus cum Dei Omnipotentia ſum potens ad res omnes, quas voluerit Deus in me & per me facere, & honori ſibi ducit Deus, ſi hoc de ipſo credamus & ſperemus; cui fidei & confidentiæ tribuit ipſe huius rei experientiã: ita enim Chriſtus Dominus dixit cuidã: f *ſi credis, omnia poßibilia ſunt credenti*; & vt ait S. Bernardus: nihil adeò Dei Omnipotentiam illuſtrat ac extollit, atque quòd faciat Omnipotentes prædicto modo eos, qui in eum confidunt. O Deus Omnipotens, gratias tibi quantas poſſum ago, propter eam partem ſupremæ tuæ Omnipotentiæ, quam ſeruis tuis communicas. in ea Domine confido: ſiquidem tu ita vis; & per eam faciam quidquid mihi faciendum iubes. Elige, anima mea, in amicũ eum, qui eſt Omnipotens, cum quo & tu eris Omnipotens; ſiquidem iuxta legem amicitiæ, *quod per amicos poſſumus, per nos poſſumus*.

e Phil 4. 13.
f Mat. 9. 23
Serm 85. in Cant.

PVNCTVM III.

TERTIO conſiderandum, quaſi pro hactenus dictorum Epilogo, quòd Dei Omnipotentia ſemper ſe occupet in benefaciendo nobis; ſitque *principium* & *fons*, vnde proueniunt nobis omnia diuina beneficia, quibus gaudemus; ſimul cum ipſa ſapientia, bonitate & charitate Dei: hæc enim tria Dei attributa ſunt illi a *tres digiti, quibus Deus appendit molem terræ*, vt dixit Iſaias Propheta; quibus etiam digitis appẽdit cœlos, & Angelos, homines, & ceteras vniuerſi creaturas, illis .n. eas creauit, ſuſtentat, gubernat, adiuuat, & ad vltimum ſuum finem perducit. *Sapientia* enim cognoſcit ac diſponit quidquid eſt facturus; *bonitate* & *charitate* vult facere, quod cognoſcit; *Omnipotentia* denique illud exequitur; & cum omnibus tribus occupatur in conferendis nobis magnis bonis. Pater ipſe Omnipotentia, quæ illi quaſi propria attribuitur, Filius ſapientia, & Spiritus ſanctus bonitate, & omnes tres perſonæ cum his tribus perfectionibus; quia vnaquæque habet illas omnes tãquam *vnam*; in Deo enim omnes illæ ſunt *vnum* & idem. Fontes diuinorum beneficiorum. a *Iſa*.40 12.

Hoc ſpiritu ſubſequentes Meditationes aggrediar, quę ſunt de diuinis beneficijs, quæ inceperunt ab ipſa mundi creatione: dandaque eſt opera, vt tota vitæ meæ *ſtructura* & mearum conſiderationum innitar præcipuè tribus his digitis SAPIENTIAE, OMNIPOTENTIAE, & BONITATIS DEI, quibus reſpondeant actus & affectiones trium Theologicarum virtutum *fidei, ſpei, & charitatis*. FIDES enim reſpondet ſapientiæ; SPES Omnipotẽtiæ; CHARITAS bonitati DEI; quãuis oẽs tres virtutes & earum actiones reſpiciant tria attributa ſimul. O Deus Trine & Vne, æquè ſapiens, ac potens, & æquè potens ac bonus, & in omnibus infinitus, illuſtra meum intellectũ diuina tua ſapientia: allice voluntatẽ ſuprema tua bonitate, conforta omnes facultates meas admiranda tua potentia, vt agnoſcens innumera & ſuprema beneficia, quæ à te prouenerunt, te propter illa feruenter diligam, tibique ſeruiam, & fortiter obediam in ſæcula, Amen. Oratio.

MEDITATIO XVII.

DE OMNIPOTENTIA DEI IN CREATIONE mundi, & de magnitudine huius beneficij.

PVNCTVM I.

PRIMO conſiderandus eſt *principalis articulus* noſtræ fidei, quo cõfitemur, quòd Deus Domin' noſter potẽtia ſua infinita, a *in principio* *S. Thom*. 1. p. q. 44. a *Gen*. 1. 1.

b Pſa.145 6. b Apoc.14 7. c.Coloſ.1.10. d Ioan.1,3.

*creauit cœlũ & terrã,*b *mare, & omnia quæ in eis ſunt* c *viſibilia & inuiſibilia;* ita vt nulla ſit res,ſiue magna,ſiue parua,quæ non habuerit originẽ & initium ſuum à Deo,iuxta illud S.Ioannis de verbo diuino;d *omnia per ipsũ facta ſunt,& ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt;*ac propterea & ego ſum *factura* Dei,& ab eo accepi eſſe,quod habeo.

I. Extra Deũ omnia habent principium.

In hoc articulo eſt Primo perpendendũ,quòd omnia quæcunque ſunt,extra Deum habuerint *principium*,& reipſa inceperint eſſe,cùm antea non eſſent.quare,ante creationem mundi,quam refert ſcriptura, nihil prorſus erat extra Deum,ſed Deus ſolus erat,à quo res cæteræ omnes acceperunt eſſe,quod habent;ac propterea ſi ego me intuear in mea origine,ſum verè nihil,non ſolùm quoad animam,ſed etiam quoad corpus. nam id,ex quo ſum conditus,aliquando verè fuit nihil. Ex quo excitabor ad infinitas Deo gratias reddendas, qui ſua omnipotentia eduxerit me ex abyſſo nihili;iaciamque fundamentum in profunda hac humilitate,dicens cum Apoſtolo:e *O altitudo ſapientiæ* & Omnipotentiæ *Dei, quis prior dedit illi,& retribuetur ei,* ipſe enim eſt primus,qui omnibus dedit quod habent;& cui omnes gratias agere tenentur propter ea, quæ poſſident,*quoniam ex ipſo,& per ipſum,& in ipſo ſunt omnia;ipſi gloria in ſecula. Amen.*

e Rom.11 35.

II. Deus liberè creauit omnia.

Deinde perpendendum, quòd Deus Dominus noſter *liberè* & ex mera atque gratuita ſua voluntate res omnes creauerit, nemine illum cogente:nam non coegerunt ad id faciendum merita creaturarum, quia nullæ erant;nec coegit *neceſſitas* aut aliquod *emolumentum*, quia ſine ſuis creaturis & beatus erat,& nulla earum indigebat; nec *bonitas* creaturarũ, quæ eſt valdè limitata,& neminem cogit ad ipſam amandam,quantò minùs coget Deum?quare à ſola ſua bonitate & miſericordia motus, f *vniuerſa propter ſemetipſum creauit* & operatus eſt *Dominus:* Lauda & glorifica, anima mea,tuum Creatorem propter adeò ſupremum beneficium,quod tibi contulit,educens tot res,& te cum illis ex abyſſo nihili, vt hoc tibi daret eſſe,quod habes:& quandoquidem & illas,& te libera ſua voluntate creauit,quia erat bonus,expende totum tuum eſſe, & quidquid habes,vt ſpontè & libenter illi ſeruias,propterea quòd ipſe bonus ſit,teque nullis tuis meritis creauerit.

f Pro.16 4.

III. Fuit ſibi ipſi exẽplar.

Tertio perpendendum,quòd Deus Dominus noſter in hoc creationis opere nullum aliud habuerit *exemplar*,quàm *ſeipſum:* ipſe itaque ſolus fuit cauſa efficiens,quæ res omnes condidit;& vltimus *finis*,propter quem eas fecit;& *exemplar* ſiue Idæa,ad quam reſpexit,dum illas conderet;quia prçuidens infinita ſua ſapientia res omnes, quas facere poterat, & earum diſpoſitionem & ordinẽ,elegit libera ſua voluntate ordinem hunc creaturarum,quæ ſunt in vniuerſo; & Omnipotentia ſua ita rem

eſt

Digitized by Google

eſt executus,&,quod hinc efficitur,ſicut tunc, relictis infinitis creaturis in abyſſo nihili,elegit eas, quas creauit;ita,relictis infinitis animabus etiã in abyſſo nihili,elegit inter alias quas creauit etiam meam,quam tempore ſuo crearet. Quamobrem infinitas illi debeo gratias, memor illius, quod ipſe dixit Iob,g *ſciebaſne*,quando ego mundum creabam,*quòd naſciturus eſſes,& numerum dierum tuorum noueras*?quaſi diceret, tu id ſcire non poteras;ſed ego ſciebam,& ex bonitate mea id facere decreui. O Deus ſapientiſſime & potentiſſime,quid in anima mea vidiſti, vt eam potiùs creares,quàm innumeras,quas in abyſſo nihili reliquiſti? O finis vltime omnium creaturarum,cur hanc miſeram creaſti potiùs, quàm multas alias,quę meliùs quàm ego te glorificaſſent?O exẽplar rerum omniũ,quæ creari poſſunt;cur potiùs me creare voluiſti quàm alios multò meliores, quorum etiam es exemplar?nulla huius rei cauſa eſt, Deus meus niſi mera tua & ſancta voluntas,ſecundùm quam me creauit tua Omnipotentia,deditque eſſe quod habeo.Et quandoquidem adeò liberalem te erga me exhibuiſti,ſeruiam ego tibi ſemper,quia ita tu vis. Tu eris meus vltimus finis in omnibus rebus meis,quia tu ita iubes; & aſpiciã te tanquam exemplar & delineationẽ,cui vitam meã conformẽ,quia ita tu ſtatuiſti. voluntas tua Domine erit ſemper mea;ſiquidem à tua prouenit meum eſſe,& quidquid ego habeo.

g *Iob* 38. 21.

Oratio.

PVNCTVM II.

DEINDE conſiderandæ ſunt res illæ,in quibus Dei Omnipotentia relucet in hoc opere Creationis vniuerſi, quas ad tres quatuorue magis præcipuas reuocabimus.

S. Thom. 1. *p.q.*45. Ex quatuor relucet Omnipotentia.

PRIMA res,in qua hæc *Dei Omnipotentia* reſplendet,eſt, quòd non opus habuerit vlla materia ad fabricandum hunc mundum, ſicut Angeli & homines indigent pro ſuis fabricis & operibus artificialibus: ſed ex *nihilo* fecit præcipuas partes vniuerſi,dans illis totum & integrum Eſſe, nulla eorũ parte præcedente & ſic creauit cœlũ & terrã,& ſubſtãtias ſpirituales,quales ſunt Angeli & animæ noſtræ; quæ non poſſunt fieri niſi ex nihilo; vt ſic agnoſcam omnimodam obligationem,qua tenentur Deo Domino noſtro ſeruire,cum omnibus,quæ ſunt & habent;& pro omnibus gratias agere,nihil ſibi arrogantes. O Creator Omnipotens, rectum omninò eſt, vt *anima* mea,quam ex *nihilo* eduxiſti, tota & fideliter tibi ſeruiat. Æquum eſt,vt te diligam ex *toto corde* meo,ex *tota mente*, & ex *tota virtute*:ſiquidem tu id *totum* mihi dediſti,vt *toto* te amarem. a *Quid habes anima mea, quod non acceperis*? quòd ſi *totum* à Deo accepiſti,

I. Ex Nihilo.

Oratio.

a 1.*Cor.* 4.7.

ob *totum* da gloriam Deo;& ſi ex te nihil habes,ne glorieris, niſi in tuo
nihilo. Colloca totam fiduciam tuã nõ in te,quæ nihil potes;ſed in Deo,
qui omnia poteſt,b *qui vocat ea quæ non ſunt,tanquam ea quæ ſunt*, educens
b *Rom*.4. 17. ea ex nihilo, vt Eſſe habeant & facultatem ad illi ſeruiendum,& in ſecu-
la glorificandum.

II. Res alias ex alijs fecit. SECVNDVM,in quo DEI Omnipotẽtia relucet,eſt, quòd fecerit *res
alias ex alijs*,ſicut ipſe voluit, nam etſi potuiſſet ex nihilo facere omnia
viuentia,voluit tamen ſuam potentiam oſtendere,faciendo ex *aqua* piſ-
ces,& aues;& ex *terra* plantas & animantia,vt intelligatur habere plenũ
dominium,& poteſtatem ſuarum creaturarum, quas & mutare poteſt,
& has in illas pro libitu conuertere;vt ex hoc diſcam ego,eius dominio
me ſubijcere,& gaudere quòd habeam tam potentem Dominum, cuius
voluntati res omnes ſubijciantur.

III. Solus omnia fecit. TERTIVM,in quo eadem Omnipotentia emicat,eſt,quòd hoc opus
creationis vniuerſi fecerit *ſolus*,nullum habens adiutorem;c *ego*(inquit)
c *Iſai* 45 7 12. *Dominus faciens omnia hæc*,ego d *extendi cœlos ſolus*,c *ego feci terrã*, *& manus*
d *Iob*. 9 8. *meæ tetenderunt cœlos*,& nullus alius mecũ. Et quãuis poſtquam Angelos
S. Thom 1.p creauiſſet,potuiſſet eorum opera vti ad res aliquas corporeas faciendas,
q.65 a 5. nullũ tamen adhibuit,ſed ſolus totũ hoc primũ opus peregit:(iuxta illud
e *Iſa*.40 13. Iſa.e *Quis adiuuit ſpiritũ Domini?*)vt homines,propter quos illud faciebat,
ipſi ſoli ſubiectos nos eſſe agnoſceremus,ſolũ adoraremus,& ſoli ſeruire-
f *Apoc*. 4 11. mus tãquã Creatori,& rerũ omniũ effectori,dantes ei propter omnia
gloriã,ſicut ſeniores illi Apocalypſis dicebant:f *Dignus es Domine Deus no-
ſter accipere gloriã,& honorẽ,& virtutẽ,quia tu creaſti omnia,& propter volũ-
tatem tuam erant*,& perſeuerarunt,ſicut per eandem creata fuerunt.

IV. Facilitas in creando. QVARTVM,in quo reſplendet eadem Omnipotentia Dei; eſt *faci-
litas*,qua res oẽs fecit,ſolùm quia voluit,& dixit,aut iuſsit;quia omnia ſi-
ne vlla reſiſtentia aut mora illi obtemperarunt,eodem enim momento,
g *Gen* 1.3. quo dixit vt fierent,facta erant:dixit Deus,g *fiat lux,&* in momento *fa-
h *Pſa*.148.5 cta eſt lux*;& Dauid ait,h *quia ipſe dixit,& facta ſunt:ipſe mandauit,& crea-
ta ſunt*. Ex quo *ex parte vna* agnoſcã cum magno ſtupore Omnipotentiã
Dei,cuius efficaci voluntati nullus poteſt reſiſtere:ex *altera* verò firmum
faciam animi decretum obediendi Deo,abſque vlla cõtradictione,mo-
ra,aut tergiuerſatione in omnibus,quæ mihi mandauerit,ex obedientia
prompta,ad nutum,in momento & exactiſsima. Cur te non ſubijcis,ani-
ma mea,imperio & mandato tam potentis Dei?cur ſola reſiſtis ei,cui o-
mnia obtemperant?ipſe dedit tibi libertatem volendi & nolendi; renũ-
cia ei parti,quam habes ad reſiſtendum,& vtere ſemper illa,quam habes
Oratiuncula. ad parendum. O Deus Omnipotens,ita efficaciter,quæſo, mihi impera
quod vis,vt nunquam ei contradicam,quod iuſſeris.

Digitized by Google

PVNCTVM III.

TERTIO conſideranda eſt *ratio* & *modus*, quem Dei Omnipotentia in rerũ *creatione* adhibuit, illas paulatim ordinans atque perficiens, nam, etſi potuiſſet in momento, cum omni perfectione eas creare, id tamen non fecit, ſed paulatim ſpatio a *ſex dierum*, ob aliquos *fines*, in vtilitatem noſtram directos. S. Thom. 1 p. q 74. Modus in creatione. a Gen 1 31.

PRIMVS finis fuit: vt meliùs ac diſtinctiùs ſapientiæ diuinæ diſpoſitionem, in mundi creatione intelligeremus; ac diſceremus eam meditari, non ſimul, & confusè, ſed paulatim & per partes, & gratias conditori & benefactori noſtro agentes, ob *noua beneficia*, quæ in nos quotidie conferebat. I. Tres fines creationis.

SECVNDVS fuit finis, vt meliùs intelligeremus, quãta eſſet neceſſitas rerũ, quas creabat; attẽdẽtes in *primo* die, quã eſſent neceſſariæ res, quas creauit in *ſecũdo*; & in hoc, quas creauit in *tertio*; & ita excitaremur ad maiorẽ amorẽ & gratitudinẽ propter vnũquodque horum beneficiorũ. II.

TERTIVS denique finis fuit, vt in hoc primo ipſius opere, creatione ſcilicet aduerteremus, quòd idem Deus Dominus noſter *eundem ſtylum* & ordinem ſeruet in opere noſtræ ſanctificationis & perfectionis, quam communicat, non totam ſimul aut ſemel, ſed per ſuas partes & gradus; primùm per vnum gradum, deinde per alterum, per totum ſcilicet decurſum *ſex dierum*, qui nobis ſignificant *ſpacium totius vitæ* noſtræ, vſque ad *ſabbathum æternæ quietis*, in quo opus eſt iã perfectum, & fruimur præmio laboris. Hoc totum ſigillatim in ſubiectis Meditationibus perpendemus. III.

MEDITATIO XVIII.

QVID DEVS CREAVERIT IN PRIMO inſtanti, aut in principio temporis.

FINIS *& ſcopus huius Meditationis & ſequentium eſt, vt conſideremus ea, quæ Deus creauit ſtatim in exordio huius mundi, & in* ſex primis diebus: *vt horum beneficiorũ conſideratione, ad amorẽ & obſequiũ authoris ipſorum prouocemur, meditãtes aliquoties in* ſingulis *hebdomadæ diebus opera,*

quæ Deus in illis fecit. Præmoneo tamen, me opus illud declaraturum, quod ſacer ipſe contextus in ipſo, vt dicitur, cortice præfert, ſcholaſticis Theologis relinquẽs diſputationem ſenſus illius, quo dicuntur res aliquæ tali die factæ, aut omninò, aut ex parte. Ad finem enim harum Meditationum parum refert hoc ſcire.

PVNCTVM I.

a *Gen.* 1. 1.

IN PRINCIPIO *creauit* DEVS *cœlũ & terrã. Terra autem erat inanis & vacua: & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.*

I. Creatio Cœli. b *Iſa.* 40. 12.

PRIMO conſiderandũ, quòd in principio, temporis videlicet, Pater æternus per *Principium*, qui eſt eius FILIVS, ſimul cum ſuo SPIRITV, S. videlicet, initium dederit rebus omnibus; *creans* ex nihilo *cœlum* in tota ſua magnitudine & rotunditate: quod quamuis ſit tantum, b *Deus* tamen (vt ait Iſaias) *palmo* illud *ponderauit*. Et quamuis adeo ſit rotundum & ſphæricum, nullo tamen Deus opus habuit fulcro, vt immenſam hanc teſtudinem, quæ totam terram ambit, faceret aut ſuſtineret; vt ſic Omnipotentiã ſuã manifeſtaret. Sed nominatim creauit tunc ſupremũ cœlum, quod Empyreum appellamus, quaſi ſplendẽs ſicut *ignis*, vt totã ſpectabilis huius mundi machinam intra ſe contineret; & vt curia eſſet, thronuſque regni ipſius, & perpetua beatorum tam Angelorũ, quàm hominum habitatio. Ex quo magnos cõcipiã admirationis, laudis & gaudij affectus, ex machinæ huius, lociq; admirandi *magnitudine*; & ſupplicabo Deo Domino noſtro, vt ad eũ me deducere dignetur, ſiquidẽ illud pro me creauit. O Deus Omnipotens, qui ſupremũ cœlorum ex nihilo creaſti, conſtituens in eo ſpecialem habitationem tuam, c *terram* relinquens *filijs hominum*, vt in ea aliquam habitationem huius cœli promererentur; concede mihi ita in hac lacrymarum valle vitam ducere, vt tandem perueniã ad tecum conuiuendum in iſto paradiſo deliciarum. O Cœlum glorioſiſsimum, lauda & benedic Creatorem tuum; & habitatores tui eundem glorificent, ob magnitudinẽ & pulchritudinẽ, quã tibi impertiuit, d *beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.*

S *Thom.* 1. *p.* *q.* 66. *a.* 3. & 4.

Oratio. c *Pſ.* 113. 16. *Deut.* 12.

d *Pſal.* 83. 5

II. Angelorũ creatio. S. *Thom.* 1. *p.* *q.* 61 *a.* 3. & 4.

DEINDE conſiderandum, quòd Deus Dominus noſter non creauerit hoc *cœlum* habitatoribus vacuum, ſicut terram, ſed innumeris *Angelis* refertũ, in tres Hierarchias & nouẽ choros diſtributis. quibus omnibus in eodem momento dedit omnes perfectiones naturæ & gratiæ, quę vnicuique conueniebant, iuxta Diuinæ ſapientiæ diſpoſitionem & decretũ. O quàm pulchrum & admirandũ manſit cœlũ cum hoc cęleſtium agminũ exercitu, adeò perfectè compoſito, & ordinato: quàm etiam contenta ipſa Trinitas Sanctiſsima, cùm vidit tres illas Hierarchias, & in ſingulis tres

choros,in quibus referebantur excellentiæ trium diuinarum perſonarũ! O quã fuerint contenti lætique noui iſti milites,mutuò ſe,& quiſque ſeipſũ aſpicientes ornatos tot perfectionib.& ornamentis! O qualẽ iubilum in primo illo inſtanti ſenſerunt,agnoſcentes Creatorem, à quo tantum bonum accepiſſent. Hác cõſideratione prouocabo Angelos,qui perſeuerarũt,ad glorificandũ nunc deũ iiſdem laudibus,quibus glorificarunt in principio: de quibus gloriatur deus,dicens Iobc *vbi eras,cũ me laudarent ſimul aſtra matutina,& iubilarent oẽs filij Dei?* O *Angeli* ſupremi, qui fuiſtis primitiæ operũ dei,creati primo mane & diluculo huius mundi,laudate & benedicite illum,quia ſimul fuit veſter Creator & Pater,dans vobis eſſe naturæ,& adoptionem filiorum dei per ſuam *gratiam*;& quoniã paulò pòſt etiam propter merita veſtra dedit Eſſe æternum ſuæ gloriæ, glorificate eũ magnis lætitiæ iubilis,propter nouum illud beneficiũ; & orate vt in ſocietate veſtra faciat me eius participem. Amen. c *Iob* 38.7. Oratio ad Angelos.

In hac *conſideratione* licebit excurrere per *choros* Angelorũ, Archangelorũ,Principatuũ,Poteſtatũ,Virtutũ,dominationũ, Thronorũ, Cherubinorũ,ac Seraphinorũ,ſingulos *choros* inuitando ad laudandũ deũ;& gaudẽdo de bono,quod in ſua creatione,& poſtea in glorificatione accepêrũt,iuxta ea,quæ in alijs locis diximus,& adhuc fuſiùs dicetur inferiùs. 1 p *Medit.* 35.

Pvnctvm II.

Deinde conſiderandum,quòd eodem ipſo inſtanti creauerit Deus *terram*, collocans eam tanquam *centrum*,in media concauitate cœli;in tanta tamen magnitudine,a *latitudine & longitudine*, vt nullus mortalium eam poſsit certò cognoſcere aut metiri;quod ſe poſſe facere gloriatur deus,vt ſacræ Scripturæ frequenter teſtantur. Terræ creatio. a *Iob* 38.5. 18. a *Eccl.*1.2. I.

Sed in eo maximè dei Omnipotentia relucet,quòd rẽ adeò immenſi ponderis ſuſtentet in *vacuo*,abſq; fulcro aliquo corporali, cui innitatur; idque tanta firmitate,vt dixerit dauid: quòd b *fundata ſuper ſtabilitatem ſuã non inclinabitur* ad vnã vel alterã partẽ,*in ſeculũ ſeculi*. Adeoque facilè eam ſuſtentat,teſte Iſaia,vt c *tribus digitis molem terræ appendat* : atque ſi quis paruam aliquam rem tribus ſuis digitis appenſam teneat. Sapientia enim ſua,bonitate,& Omnipotentia firmiſsimè illam in eodem loco ſuſtinet,& ideò dixit Iob, quòd deus d *appenderit terram ſuper nihilũ*. Hinc colligã,quàm par ſit,me conſiderare dei Omnipotentiæ;ſiquidẽ ſolo ſuæ voluntatis nutu poteſt me confirmare,& æternùm ita ſtabilire in bono; vt ad neutram declinem partem. Nam,quamuis onus corporis ſit graue, virtus tamen Dei ita poteſt illud ſuſtentare,vt animam meam nõ opprimat,opprimet autem,niſi demiſsè innitar fundamento ſuper *nihilũ* meũ, b *Pſa.*103.5. c *Iſa.*40.12. d *Iob* 26. 7.

Digitized by Google

Oratio ad Deum. & me proijciam vniuerſum in manus Domini. O Devs Omnipotens, qui totam terræ molem appendis, nulli rei extra te innixus, concede, vt mihi *nihilum* meum verè agnoſcenti, tu ſolus mea ſis firmitas, & in te ſecura ſit virtus mea, Amen.

II. Status hominis per nebulam ſignificatur. Deinde perpendam *abyſſum aquæ* ſiue nebulæ, qua Deus terram texit, ſtatim atque illam creauit, ita vt non poſſet videri. in qua re attendam naturalẽ ordinem, quem duo hæc elementa exigunt, quo ſignificatur ſtatus hominis terreni, cooperti miſerijs & calamitatibus, per aquam ſignificatis. qui homo adeò eſt fœdus & miſer, vt ſit indignus, qui videatur, donec Deus infinita ſua miſericordia operculum illud remoueat; in quo confidam, quòd ſit tempore me liberaturus, dicens cum Propheta Iona, c *circumdederunt me aquæ vſque ad animam: abyſſus vallauit me* ex omni parte, *pelagus operuit caput meum: ſed tu, Domine Deus meus, ſubleuabis de corruptione* & periculo *vitam meam.*

c Ion. 2. 6.

Pvnctvm III.

Tertio conſiderandum, quòd *terra* (in eo inſtanti) *erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Totum itaque ſpatium inter cœlum & terram, ſiue illud eſſet aqua, ſiue nebulæ, ſiue aer, totum erat tenebroſum & abſque luce.

S. Thom. 1. p q 66. a 1. & q 68 a 7. ait per tenebras ſignificari aërem, qui eſt ſubiectum luminis.

I. Ruditas terræ & aquæ. In quo eſt primò perpendenda *ruditas* quam tunc temporis habebãt *terra & aqua.* nam terra erat inanis, quia carebat proprio fine ſuæ creationis, & vacua ab arboribus & habitatoribus, & tota in tenebris, ob defectũ lucis. Si itaq; terra & aqua intellectũ habuiſſent, & linguã, clamaſſent ad ſuum Creatorem, petentes dari ſibi perfectionem, quæ tunc deerat: Et in hoc toto licet meipſum conſiderare, hominem terrenum & miſerum, & in peccato conceptum, ob Adami lapſum; qui propterea initio meæ creationis *inanis* eram & *vacuus*; fraudatus à fine, in quẽ fui creatus; vacuus à gratia & virtutibus, tectuſque totus horrendis *tenebris culpæ & ignorãtiæ*: quam eandem miſeriam incurro, quoties lethalem culpam admitto. Qui igitur mentem & linguam habeo, meritò clamabo ad meum Creatorem, vt me à culpa liberans, perficiat opus mannum ſuarum. Præterea quamuis ſanctiſsimus ſim, licet conſiderare, me ex meipſo inſtar eſſe terræ *inanis & vacuæ*, & abyſſi *tenebris* coopertæ: quare memor illius temporis, quo talis fui: debeo ſemper clamare ad Deum, à quo mea perfectio dependet, vt eam conſeruet & promoueat, donec ſuum finem conſequatur.

Oratio. O Creator mi, terra ſum ab omni bono vacua, fructu bonorum operum nuda; & fine eo carens, quem per illa poſſum conſequi; & ſuper alias meas miſerias, ſum etiam tenebris plenus, & ſine luce,

qua cognoſcere poſſem mala mea,& eorum remedium. adſis,Domine, tua miſericordia,vt eruas me à tanta miſeria: & qui mihi dediſti Eſſe, quod habeo,da etiam perfectionem,qua careo; vt opus tuum maneat ſemper perfectum, Amen.

DEINDE perpendam myſticas cauſas huius *differentiæ* inter creationem *terræ* & *cæli* Empyrei. Quarũ vna eſt,quòd terra ſignificet id, quod homo habet ex miſera ſua natura,iuxta illud Dauidis: a *vniuerſa vanitas omnis homo viuens*,& vacuus ab omni bono: At cœlum Empyreũ ſignificat id,quod habet homo ex gratia Dei; quòd videlicet ſit *igneus* & luce diuina ſplendens,*igne* charitatis ardens,& virtutibus plenus. DEINDE, Empyreum *cælum* creatum eſt, vt ſit *ſedes* beatorum & perfectorum,qui vltimum ſuum finem ſunt conſecuti;& ideò creatum eſt in tota ſua perfectione,& plenum innumeris habitatoribus;*terra* verò creata fuit, vt eſſet *habitatio* bonorũ & malorum & imperfectorum; nec vt eſſet perpetua,ſed tanquam tranſitus,& in qua pergatur ad vltimam perfectionem & præmium,quod datur in cœlo:ad id ergo ſignificandum, fuit creata imperfecta,vacua habitantibus & inanis,non habens ſcilicet ſuum finẽ. EX QVO intelligam,quòd exiſtens ego inter cœlum & terram,ad vtrũque debeam intendere;quid ſcilicet ex meipſo habeam; & quid per diuinam gratiam,& ad ſtatum præſentem,qui eſt peregrinantis in terra;& ad ſtatum æternum,quem exp.cto in cœlo. Conſiderans ergo meam imperfectionem,conabor pergere,b *aſcenſiones diſponens* (vt ait Dauid) *in corde meo*,& progreſſus meos in hac valle lachrymarũ, & *in loco*, in quo me Deus *poſuit*,pergens *de virtute in virtutem*, *donec perueniam* ad arcem ſupremam *Sion*,& ad locum mihi à Deo præparatum in ipſo cœlo Empyreo. O DEVS æterne,ſiquidem c *oculi tui imperfectum meum viderunt*, adiuua me,vt illud exuam,dum viuo in hoc loco,in quo me poſuiſti; vt à te perfectus,perueniam ad eum,quem mihi præparaſti, in æternum, Amen.

II. Conſideratio terræ & cœli.
a Pſal. 38. 6.
b Pſal. 83. 6.
c Pſal. 138. 6.
Oratio.

PVNCTVM IV.

QVARTO conſiderandum eſt illud,quòd *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.*

ET perpendendum primò, quòd is eſſet *Spiritus ſanctus*, qui ambulãs *ſuper aquas*,etiamſi tenebroſas, imperfectũ hoc opus perficeret, imprimens illis virtutẽ & efficacitatem ad illa opera & res,quæ ex eis erãt producendã,ad exornandã & condendã terrã. In quo ſignificatur nobis eſſe Spiritui S.familiare,in neceſſitate conſtitutis ſubuenire,etiãſi in tenebris,& in vmbra mortis exiſtentibus,&plenis multis imperfectionibus; inſpirationibus & inſtinctibus ſuis internis imprimendo

I. Spiritus S. ſuper aquas.
S. Thom. 1 p. q. 66 a. 1 ad 2. & q. 74 a. 3. ad 4.

illis virtutem & efficacitatem, qua conuertantur ad Deum, & capaces fiãt *lucis & donorum* eius, vt apta ſint inſtrumenta ad opera grandia, quæ ipſe ſit in eis operaturus. Significatur etiam (vt ait Eccleſia) *efficacitas & virtus ſanctificationis*, quam erat aquis communicaturus, ad nos per illas purgandos à peccatis. Quare magno affectu ſupremum hunc ſpiritum inuocabo, dicens: O diuine Spiritus, qui ferebaris ſuper aquas, etiamſi tenebroſas; veni in meam animam valde tenebroſam, & imprimens illi impetum Sanctæ inſpirationis tuæ, illam diſpone ad recipiendam ſupremam tuam lucem, donaque gratiæ & charitatis tuæ. Amen.

In benedictione fontis Baptiſmatis. Oratio ad Spiritum S.

II. DEINDE perpendendum eſt myſterium, quod in verbo illo FEREBATVR, latet: ambulabat ſcil. & mouebatur ſuper aquas, ad ſignificandum, quòd ſpiritus hic diuinus quamuis in ſeipſo ſit immutabilis: & in cœlo, qui eſt locus triumphi & præmij, quieſcat, videndum & fruendum ſe præbens in æterna *requie*; in hac tamen vita in continuo ſemper eſt *motu* ſuper homines viatores, inſpirans illis, eoſque mouens ad virtutem & perfectionem, adiuuans etiam illos *calore* & *protectione* ſua, donec fructum proferant, quem ipſe in eis deſiderat. nam eius ambulatio & motus nec fit gratis, nec otioſus eſt, ſed ex ſe efficax: nõ quòd ille ſeipſum moueat, ſed quòd nos ipſe excitet, ad torporem, & otioſitatem noſtram excutiendam, & pergendum in via ad cœlum; & hoc præſtat erga ſuos dilectos filios, de quibus ait Apoſtolus, a *qui ſpiritu Dei aguntur*, & impelluntur, *hi ſunt filij Dei*. O Supreme Spiritus, ambula ſemper ſuper me, animans, & impellens ad ſequendam tuam voluntatem, vt b *vbicunque fuerit impetus ſpiritus, illuc gradiar, nec reuertar* ab inceptis.

a *Rom.* 8.14. b *Ezec.* 1.12.

III. PERPENDAM quoque idem verbum, *ferebatur*, notare *continuationẽ*, & *aſſiſtentiam* diuini huius ſpiritus ſuper aquas: quod declaratur illa cõparatione, qua vtuntur Sancti & ipſa Eccleſia, cùm dicunt; quòd ſicut gallina incubans ouis, ſuo calore illa viuificat, vt producantur pulli; ita Spiritus S. ſua virtute aſsiſtebat aquis, vt viuentia ex eis produceret. Et ita aſsiſtit, ſuaque protectione præſidet ſuper animas, vt gratia ſua illas viuificans, fructus illæ proferant operum viuorũ. Nec ſe vnquam ab eis ſubtrahit, niſi illæ eum à ſe repellant: & tunc nobis euenit, quod ouis, quæ gallina deſerit, vt irrita & ſterilia maneant, nec ad aliud valeant, quã vt mittantur in ſterquilinium. Attende itaque anima mea, quid agas, quid cogites, ne diuinus hic Spiritus ſe ſubtrahat; in cuius præſentia tua conſiſtit *vita*; & ex cuius abſentia *mors* tibi eueniet: attende igitur magna continuatione & ſollicitudine eius ſeruitio, vt ille conſtanter aſsiſtat tuo remedio. O Spiritus diuine, à te incipere debet bonum meum, quia tu præſides ſuper omne quod bonum eſt; ne permittas, vt ego à te recedam, ne tu vnquam à me recedas, Amen.

S. Baſil. hom. 2. Examer. Eccleſia ſuprà Tu ſuper aquas fotus eas ferebaris.

Oratio ad S. Spiritum.

VLTIMO perpendã, quibus nominibus diuina Scriptura hic appellet Creatorem, Principium videlicet, Deum, Spiritum & Dominum. Eſt enim PRINCIPIVM, quia rebus omnibus dat eſſe; eſt DEVS, propter auctoritatem & poteſtatem, qua omnes gubernat; eſt SPIRITVS, quia illas perficit, datque vitam iis, quæ eius ſunt capaces; eſt DOMINVS, quia illas creauit.

IV.
S. Thom. 1. p. q. 43. a. 6. & q. 74. a. 3. ad 2.

PRAETEREA, cùm tota Sanctiſsima Trinitas hoc opus perfecerit: FILIVS ſignificatur nomine c PRINCIPII, quia diuina ſua ſapientia dedit initium, delineando omnia quæ creata ſunt. PATER retinet nomen DEI propter omnipotentiam, quam habet à ſeipſo, non acceptam ab alia perſona: SPIRITVS S. appellatur SPIRITVS, propter officium, quod præſtitit; viuificando videlicet & perficiendo ſua bonitate creaturas: quamuis omnes tres perſonæ totum fecerint, & omnibus conueniat nomen Domini, propter Dominium quod habent ſuper creaturas, nomine & titulo creationis: ideoque tunc (*teſte ſancto Thoma*) Deus accepit nomen Domini, & poſſeſsionem ſui dominij, nam tunc cœpit habere creaturas, ſeruos & famulos, quorum eſſet dominus, & quibus poſſet imperare. Gratulabor itaque illi de nouo hoc nomine, ex toto corde gratitudinis pleno. O deus æterne, cuius dominium quoad poteſtatem, eſt æternum; gratias tibi, quòd fueris dignatus tot creaturas creare, quarum eſſes legitimus dominus. Gaudeo domine, quòd noſter ſis dominus, dominus omnium dominorum, & vnicus dominus, à quo procedit omne dominium. Siquidem igitur meus es dominus, gere curam mei, creaturæ tuæ: accipe poſſeſsionem mei, ita vt ego tanquam ſeruus fidelis tuo ſemper ſeruitio attendam in ſecula, Amen.

c *Ioan. 8. 28. Textus Hebræus habet;* In principio Dij creauit, *vt notetur Trinitas perſonarum, & vnitas in Eſſentia & virtute ad operandum.*
1. p. q. 13. a. 7.
Oratio.

MEDITATIO XIX.

DE IIS, QVAE PRIMO DIE CREAVIT Deus.

PVNCTVM I.

DIXIT DEVS: *fiat* LVX. *Et facta eſt lux: & vidit Deus lucem, quòd eſſet bona: & diuiſit* lucem à tenebris: *Appellauitq;* lucem diem, *&* tenebras noctem.

Gen. 1. 3.

PRIMO conſiderandum, quòd deus dominus noſter, vidẽs, in quibus tenebris mundus eſſet; vt illum perficeret, creauerit ante omnia *lucẽ*, ſicut qui facem accenderet in obſcura aliqua domo; vt homines ingredi eam

I.
Lux corporalis.

poſſent. Perpendam ergo, quàm fuiſſet verè miſer hic mundus abſque hac luce corporali; & quanta bona illa ſecum adferat. nam illa manifeſtat opera Dei; & res pulchras ac ſpectabiles, quæ ſunt in mundo: ſine ea nec videre poſſemus, nec ambulare, nec præſtare aliquid operibus corporalibus accommodatũ; eſt cauſa magnæ lætitiæ omnibus viuentibus; per eandẽ multæ deſcẽdũt influentiæ & virtutes, quib. mundus conſeruetur. propter quæ, dũ videret Deus lucẽ, dixit, illã eſſe bonã, & valde conformẽ fini ipſius vniuerſi, & vtilẽ omnibus viuentibus. Et hoc mihi erit motiuũ, gratias Deo agendi pro hoc lucis beneficio; & quotidie, cũ ſol oritur, ac recèns lucem adfert, Deum propter illam laudabo; & quòd oculos mihi

b Tob. 5. 12. dederit, vt illam viderem, & ea fruerer; & ob lætitiam, qua afficior ex ea; reuocãs in memoriam, quod Tobias dixit, b *quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumẽ cœli non video?* Proponam etiã firmiter hac *luce* vti in finem à Deo conſtitutum, ad videndum ſcilicet Dei opera, & eundem propter ea glorificandum: dolens etiã vicem peccatorum, qui rem adeo bonam oderunt, vt liberiùs peccare poſsint, ſicut ipſe CHRISTVS dixit,

c Ioan. 3. 20. c *qui malè agit odit lucem, vt non videantur opera eius.*

II. De luce ſpirituali. SECVNDO ex hoc aſcendam ad conſiderandam *excellentiã lucis ſpiritualis*, qua Deus perficit animas in tenebris, in obſcuritate & in vmbra mortis exiſtentes, quæ ex ſe aliud nõ habent, quã tenebras ignorantiæ & culpæ quã lucẽ Deus libentiſsimè communicat. Delectatur .n. quòd ab omnibus cognoſcatur, & quòd oẽs glorioſa ipſius opera videant, & per eandẽ, quid ſibi ſit agendũ, qua ratione Deo ſeruiendũ & ad vitã æternã

d Pſal. 4. 7. properandũ, cognoſcãt, iuxta illud Dauidis: d *ſignatum eſt ſuper nos lumẽ vultus tui Domine.* Per illud enim lumen nobis communicat cœleſtes influentias gratiarum & virtutum, impletque corda magna lætitia. Quamobrem videns Deus etiam hanc lucem, dixit eam eſſe bonã, & quidem eminenter bonam in omni genere boni, honeſti ſcilicet, vtilis, & delectabilis. eſt enim conueniens valde & conformis ſupernaturali fini gratiæ; eſt principium virtutum; vtilis ad omnia opera bona; ac delectabilis in eorum exercitatione. Quòd ſi tantas debeo gratias Deo, propter lucem

e Iacob 1. 17. Oratio. corporalem; quantò debebo maiores propter hanc ſpiritualem, quæ incomparabiliter eſt melior? e *O Pater luminũ*, à quo lumina omnia procedunt, gratias tibi propter duplicẽ hanc *lucẽ*, quã ad illuminãdũ corpus & animã meã condidiſti: millies ſis benedictus Deus, propter lucẽ *corpo-*

f Pſ. 17. 29. Eccleſia in Hymno Matutino. g Eph. 5. 8. *ralẽ*, qua video res omnes viſibiles; & millies millies ſis glorificatus, propter *ſpiritualẽ*, qua video inuiſibilia. Aſpice Deus meus, animæ meæ obſcuritatem, compatere illi; & ſiquidem tu fons es luminis, f *eo illumina tenebras meas.* O *ſplendor* gloriæ Patris, *lux*, a qua procedit lumen, *lumẽ* de lumine, *fons* luminis, & *dies* diem *illuminans*, educ me e tenebris, in quibus

verſor,

verſor,& fac me g *lucis* perfectum *filium*: conuerte noctem meā in diem, h *Pro.* 4. 18.
vt currens pergam, ſicut h *lux* matutina *ſplendens*, *quæ procedit & creſcit*
vſque ad perfectam diem tuæ æternitatis, Amen.

Ad ſimilitudinem huius colloquij, quod ex parte acceptum eſt ex quodā hymno Eccleſiæ, inſtitui poſſunt alia etiam ex hymnis, qui dicuntur ad matutinum, & ad laudes, & ad veſperas feriarum, qui pleni ſunt affectibus & laudibus huius lucis.

PVNCTVM II.

DEINDE conſiderandus eſt *modus*, quo Deus hāc LVCEM creauit. Tria expē-
In quo ſunt tria perpendenda. PRIMVM, quòd fecerit LVCEM denda in
prima die: nā lux *corporalis* præſentia ſua facit diem, & ſine ea non luce.
eſt dies: Et ſimiliter lux *ſpiritualis*, eſt prima perfectio, & veluti primitiæ I.
Chriſtianæ perfectionis; ſine qua nec ad vnum paſſum progredi poſſumus,
dicēte Dauide: a *vanū eſt ante lucē ſurgere*: & ita curæ eſt Deo Domi- a *Pſ.* 126. 3.
no noſtro, in initio vitæ noſtræ, & quando ſumus in tenebris, præuenire
nos illuſtratione aliqua & radio ſuæ clariſsimæ lucis, vt poſsimus ambu- b *Ioan.* 1. 9.
lare, & pro ipſius ſeruitio laborare. b *O lux vera, quæ illuminas omnem ho-*
minem, qui per vſum rationis *venit in hunc mundum*; præueni me tua luce, c *Sap.* 16. 28.
vt te cognoſcam & amem; & te adiuuante, c *præueniam ſolem ad benedi-* d *Pſal.* 5. 5.
ctionem tuam, d *ad te de luce vigilans*, vt expendam primam diei partem, & 62. 1.
& ortum lucis, te adorando, & benedicendo ob magnitudinem tuarum mi-
ſericordiarum, quibus me præuenis, vt meis miſerijs ſubuenias.

DEINDE perpendendum, quòd Deus Dominus noſter hoc PRIMO II.
die LVCEM tantùm effecerit, quamuis multa alia potuiſſet: ſed ſatis
bene collocatum *hunc diem* exiſtimauit in hac lucis productione, & vt
ſuum illa curſum perageret per totum huius mundi hemiſphærium, te-
nebras depellens, & integrum faciens diem. Hac ratione nobis manife-
ſtans, quanti ipſe lucem æſtimaret; & quanti nos debeamus facere ſpiri-
tualem, occupantes nos omninò in ea nobis procuranda; & interdum in-
tegrum diem, vel certè aliquam eius horam expendentes, vt in hanc rem
ſolam incumbamus: occupationibus alijs interim reiectis, donec penſum
illud noſtrum integrè expleamus, & in eadem exercitatione ad finem
vſque vitæ conſtanter perſeueremus, ſicut curſus huius lucis continuè d *Eccl.* 24. 5.
diebus omnibus perſeuerat. d *O Sapientia diuina, quæ ex ore altiſsimi pro-* Oratio.
diſti, primogenita ante omnem creaturam, quæ effeciſti in cœlis, vt oriretur lumē
indeficiens, largire mihi partem aliquam ſupremi illius tui luminis, quod
ita firmiter in me maneat, vt nunquam deficiat; donec plenum recipiam
in æterna gloria, Amen.

III. S. Thom 1. p. q. 22 a. 2. ad 3 & q 74. a 3. ad 3. TERTIO perpendendum, quòd tota ſanctiſsima TRINITAS, beneuolo, & omninò iucundo ſuo imperio, magnaque ſua oblectatione, hanc LVCEM creauerit: & ſibi in ea cõplacuerit: quod indicant ipſius Scripturæ verba illa, *dixit Deus, fiat lux*, Pater videlic. per ſuũ filiũ, qui eſt æternũ eius verbũ, dixit *fiat* LVX, & in momento facta eſt LVX. Videns autem Sapientia ſua, quòd *lux* eſſet bona, approbauit illam ſpiritu ſui amoris, & in ea ſibi complacuit. & quoniam Bonitatis eſt proprium ſeipſam communicare; voluit, vt facta hæc lux ſenſim cõmunicaret ſe toti huius mundi hemiſphærio, vt dictum eſt. O Trinitas beatiſsima, ex corde gaudeo, quòd tibi complaceas in luce creata, propter oblectationem, quã adfert tibi lux increata! O Pater ſupreme, propter amorem, quem geris erga tuũ Filium, ſupplico humiliter, vt intùs dicas animæ meæ, fiat lux, in ipſa ſcil. anima mea: quia ſtatim id fiet. ea verò ratione eam fac, Domine, vt me ſanctificet; & Spiritus ſanctus, ſimul veniens, habitet in hac domo lucis in æternum, Amen.

Oratio pro illuminãdo animo.

PVNCTVM III.

Diuiſio lucis à tenebris.

TERTIO eſt conſiderandum, quòd diuiſerit Deus *lucem à tenebris*; & lucem appellauerit diem, & tenebras noctem: hac ratione volẽs, vt in hac terra eſſet ſucceſsio lucis & tenebrarũ, dierũ & noctiũ; vt homines in die & cũ lumine operarentur; nocte verò & in tenebris, requieſcerent, & à labore ceſſarent, vt hoc leuamen defatigato corpori adhiberetur. in qua re ſatis apparet ſuauis prouidentia huius Domini, qui ita prouiderit de ijs, quæ noſtris corporibus conueniebant. Quamobrem gratias illi debeo tam propter lucẽ, quàm propter tenebras, vtraſq; inuitans ad benedicendũ Deum verbis illis cantici, a *Benedicite lux & tenebræ Domino, benedicite nox & dies Domino: Laudate & ſuperexaltate eũ in ſecula.*

a Dan. 3. 71

I. Triplex diſcrimen inter lucẽ & tenebras. SED aſcendens hinc ad contemplandum ſpirituale illud, quod hic latet, perpendã, quid inter Deũ & homines interſit; & quid inter cœlum & terram. nam b *Deus* Dominus noſter, vt ait S. Ioan. eſt ipſamet *lux*, & c *tenebræ in eo non ſunt vllæ*; & beati in cœlis, propter participationẽ gratiæ eius, ſemper ſunt etiam lux ſine admixtione tenebrarum. Et in cœlo; (vt habetur in Apoc.) non eſt ſucceſsio noctium & dierum. d *nox enim non erit illic*: at in terra viciſsitudo eſt & ſucceſsio. Nam in primis *aliqui ſunt boni*, qui ſicut filij lucis ambulant, ſicut qui ambulat in die; *alij ſunt improbi*, qui viuunt ſicut filij tenebrarum, ſicut qui ambulat in nocte, & vnus atque idem aliquando eſt filius lucis, & aliquando tenebrarum: & hos etiam diuidit Deus, alios approbans, alios reprobans: nam (vt ait Apoſt.) e *Quæ ſocietas eſt luci ad tenebras*? quaſi dicat, nulla: quia non poſſunt

b Ioan. 1. 9. c 1. Ioan 1. 5. d Apoc. 21. 25.

e 2 Cor 6. 14.

cohære-

cohærere. Quare diligentiùs attende, anima mea; quomodo vitam tuam ducas; accede ad partes filiorum lucis, vt cùm ſupremus iudex aduenerit, ad ſeparandos illos à filijs tenebrarum, felix tibi ſors contingat, vt cum filijs lucis gaudeas in æterna gloria. Amen.

II. PRAETEREA in terra magna eſt *diuiſio lucis* & tenebrarum, dierum & noctium, in varijs hominibus etiam iuſtis, & in vno eodemque diuerſis temporibus; quia modò eſt in proſperitate, modò in aduerſitate; nunc in honore, nunc in infamia; nunc in deuotione ſpiritus, nunc in ariditate cordis; nunc magnas habet internas illuſtrationes, nunc magnas tenebras & obſcuritates. Hanc diuiſionem Deus dirigit, ad electorum ſuorum exercitationem & probationem; oblectatur enim ea, propterea quòd talis ſucceſſio lucis & tenebrarum non parum conferat ad ſalutem animarum eorum, ideoque eadem ſucceſſione & ego gaudebo, gratias pro vtroque agens; ſiquidem diuina eius prouidentia ita eam ſucceſſionem diſpoſuit, vt hac via æternam lucem in ſua beatitudine mihi largiretur. (Oratio.) O Pater ſupreme, f *qui dixiſti de tenebris lucem ſplendeſcere*, eaſque ſeparaſti, illumina corda noſtra, ita vt *illuminationem* conſequamur *ſcientiæ & claritatis tuæ*, quæ reſplendet *in facie* Filij tui CHRISTI IESV, vt imitantes hîc claritatem eius vitæ, fruamur poſtea eius gloria.

f 2.Cor.4.6.

III. DENIQVE perpendam, quòd cùm DEVS luci & tenebris indiderit *nomina*, lucem appellans diem, & tenebras noctem, tenear ego ea nomina amplecti, quæ à tali ſapientia prodierunt; iudicans lucem & diem, virtutē, ſanctitatem, & proſperitatem, quidquid DEVS tale eſſe iudicat, & tali nomine compellat, eademque ratione iudicans tenebras & noctem, vitium, culpam, & aduerſitatem, quidquid DEVS hoc nomine compellat; ne horrendæ illæ minæ me comprehendant Prophetæ dicentis: g *væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.*

g Iſa.5.20.

(Oratio.) O LVX immenſa, illumina corda noſtra h *luce ſcientiæ, & claritatis, quæ illucet in facie* CHRISTI IESV, vt noſtrum ſentire, loqui, & operari; ſit ipſi omninò conforme, i *qui enim eum ſequitur, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ*, ſimulque cum ipſo fruetur æterna gloria. Amen.

h 2.Cor.4.6.
i Ioan. 8.12.

MEDITATIO XX.

DE IIS, QVAE DEVS FECIT Secunda die.

a Gen.1.6. D. Thom.1. p.q.64.

DIXIT *Deus: fiat* FIRMAMENTVM *in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis: & factum eſt ita, vocauitque Deus* FIRMAMENTVM COELVM.

PVNCTVM I.

Aeris elementum.

PRIMVM eſt conſiderandum, quòd ſecundo die Deus Dominus noſter fecerit, ſiue perfecerit FIRMAMENTVM, hoc eſt, quidquid nunc interiacet inter terram cum aqua, & cœlum, quod fuit creatum in initio, quod minimùm eſt tota *regio aeris.*

I.

IN quo eſt perpendenda *magnitudo* huius *beneficij*, propter ingentia bona, quæ nobis adueniunt ex aeris Elemento, quia *illo* reſpiramus & viuimus, intra *ipſum* ambulamus, *per ipſum* veniunt ſpecies rerum, quas oculis videmus; ſoni, & muſicæ, quas aures percipiunt; ſuaues odores, quos percipit odoratus. Per *aerem* lux deſcendit de Cœlo, & influentiæ planetarum, pluuiæ, niues, & ros; per *aerem* mouentur venti, & nubes; & ex *eo* fiunt multa, quæ ſunt noſtræ *vitæ* neceſſaria. Propter quod totum gratias Deo agam magno affectu; & quoties reſpiro, recentem attrahens aerem, deberem quoque affectum alium laudis, & amoris reſpirare.

QVARE nunc prouocabo oculos, aures, odoratum, cor & viſcera mea, vt propter hoc beneficium, quo fruuntur, & per quod viuunt, & actiones ſuas perficiunt, Deum laudent; Nunc verò ipſum *aerem* inuitabo, & res omnes, quæ per eum viuunt & mouentur, vt ſuum glorificent Creatorem.

II.

b Iob 37.18. Cur aer dicatur firmamentum.

LICET quoque perpendere ſecretum huius nominis FIRMAMENTVM. nam quòd Cœli ipſi *firmamentum* appellarentur, mirum non fuiſſet, de quibus dicitur in libro Iob, quòd ſint b *ſolidiſſimi, & quaſi are fuſi.* Sed cùm aer facillimè omnium, quæ ſunt in terra, moueatur & alteretur: ad manifeſtandam tamen diuinam Omnipotentiam, vocatur FIRMAMENTVM; propter firmitatem, & ſtabilitatem, quam habet in præſtãdis munijs, ad quæ illum Deus creauit, vt aquas diuideret, vacua omnia repleret, nobiſque vitam conſtanter conſeruaret nunquam deficiente aere

ad re-

Digitized by Google

ad reſpirationem. O Devs omnipotens, gaudeo, quòd ita manifeſtes ſtupendam tuam omnipotentiam, in coniungenda tanta mutabilitate, cũ tanta firmitate. Coniunge, Deus meus, cum mutabili meâ natura *firmitatem*, quæ procedit à tua diuina gratia, vt perſeuerans in explendo, quod mihi mandas, perueniam ad præmium, quod mihi promittis, in æternum. Amen. Oratio.

Pvnctvm II.

Deinde conſiderandum, quòd Deus Dominus noſter *diuiſerit aquas, quæ erant ſub firmamento, ab his, quæ erant ſuper firmamentum*; ſiue, ſint aliquæ a *aquæ*; quas Devs ſeruat *ſuper Cælos*, in aliquos fines æternæ ipſius ſapientiæ notos: ſiue ſint *vapores*, aut *aquæ nubium*, quæ mouentur in hoc firmamento, & regione aeris, & poſtea conuertuntur in pluuias. Et nominatim de his loquendo, quas percipimus ſenſu, ad æſtimandum ingens beneficium, quod in nubibus nobis confert Deus, perpendam eius prouidentiam, quæ in multis hîc relucet. Nubes. a *Pſa.* 148. 4 *Dan.* 3. 60. Beneficia ex nubibus.

I. Primvm apparet eius prouidentia in hoc, quòd videns eſſe neceſſarium diuidere aquas, quæ terram operiebant, vt eius pars appareret; & ſicca exiſtens fieret habitatio hominum & animantium; voluit ſecundo hoc die aliam priùs facere aquarum diuiſionem, relinquens craſsiores magiſque terreſtres ſupra ipſam terram, & ex eiſdem eleuare alias ſubtiliores, ac delicatiores ad regionem aeris, quæ ſunt nubes, vt illæ ſiccam terram in tempore humectantes, fœcundam redderent ad b *herbas virentes* fructuſque producendos. b *Iob* 38. 27.

II. Hinc eſt, quòd ſua prouidentia Devs illas gubernat, & diſtribuit eas pellens per aerem, quocunque voluerit, in bonum hominum; vtens hac miſericordia in tempore, quo hominum neceſsitas pro ea obtinenda clamat. Ac propterea dicitur apud Iob, quòd *frumentum deſiderat nubes, quæ luſtrant per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præceperit illis ſuper faciem orbis terrarum; ſiue in vna tribu*, hoc eſt, in aliqua regione, *ſiue in terra ſua*, vnde fuerunt eleuatæ, *ſiue in quocunque loco*, etiam remoto, *miſericordia ſua eas iuſſerit inueniri*: eſtque tanta eius miſericordia, & amor, quem in hoc oſtendit, vt ipſemet voluerit d *pluuiæ Pater & roris genitor appellari*, quia paterno amore pluuiam mittit ſuper terram, in illorum commodum, qui illam incolunt. c *Iob* 32. 12. d *Iob* 38. 28.

O Misericordiarvm Pater, immenſas tibi gratias ago, quòd te etiam *pluuiarum Patrẽ* appellas, illas diſtribuens amore paterno; non ſolùm ſuper terrã e *iuſtorum*, ſed etiã *ſuper illas*, quas poſsident iniuſti. Oratio ad impetrandã gratiam. e *Matt.* 5. 45

Effunde ſuper animam meam pluuiam gratiæ tuæ, ne tantæ miſericordiæ ingratus inueniar, ſed te laudem, diligam, atq; idcircò ſeruiam, Amen.

TERTIO in eo emicat Omnipotentia, & prouidentia Dei, quòd ſuſtentet in aere tantam immenſitatem nubium, quæ ſunt aqua plenæ; & cũ decidunt, non vno impetu, ſed paullatim, & ſenſim diſſolutæ deſcendãt; vt irrigent terram, & in ea imbibantur, quia (vt ait Iob) f *Deus ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum, & cùm* g *vehementiſſimus imber* impetu deſcendit, Deus etiam dat *illi curſum*, & cùm ſenſim, guttatimque deſcendit, Deus h *pluuiæ guttas dinumerauit*, & locum præſcripſit, in quem deflueret. O Omnipotentia ſapientiſsima, & ſapientia omnipotentiſsima, laudent te nubes, & pluuiæ; & guttæ roris te glorificent in æternum, propter naturam quam illis dediſti; & ordinem, quo eaſdem diſtribuis ſuper terram! Et quandoquidem id totum dirigis in hominum commodum, illi etiam te glorificent, tibiq; ſeruiant, pro tanto hoc beneficio, quod à te accipiunt. Amen.

f *Iob* 26. 8.
g *Iob* 38. 25.
h *Eccl.* 1. 2.

IV.

DENIQVE perpendam, eaſdem nubes ex prouidentia diuina nobis eſſe pro *vmbraculo*, vt temperent ſolis ardorem, & ſplendorem, quando in ſe recipiunt lumen, quod nobis temperatiùs, & moderatiùs communicant: Et propterea apud Iob dicitur; quòd i *frumentum deſiderat nubes; & nubes ſpargunt lumen ſuum*, & pluuiam, qua temperant ardores, & calores terræ. Omnia hæc beneficia initium habuerunt in his, quæ fecit Deus hac *ſecunda die*, quæ cùm quotidiè recentia accipiamus, eiſque fruamur, par etiam eſt, quotidie eum laudare, eique propter illa fideliter ſeruire.

i *Iob* 37. 11.

PVNCTVM III.

S. Thom 1. *p. q.* 68. *a.* 4. Firmamẽtum cœlũ.

TERTIO eſt conſiderandum, quòd Deus Dominus noſter totum *firmamentum* appellauerit *Cælum*, etiam qua parte aerem complectitur, propter ſimilitudinem, quam cum Cœlis habet, quia aer eſt eleuatus ſuper nos, eſt tranſparens & ſubiectum, in quo recipitur lux, & aliæ qualitates, quas Cœli efficiunt.

I. Anima eſt cœlum.

ELEVANS tamen ſpiritum ad contemplanda myſteria operum *ſecũdæ* huius *diei*, conſiderabo in eis proprietates animæ, quam Deus Dominus noſter ſuum facit *Cælum*, ob ſanctitatem; quæ poſtquam ab eius omnipotentia lumen accepit, quo perficitur intellectus, accipit etiam firmitatem, & ſtabilitatem gratiæ, virtuteſq; cœleſtes, quibus perficitur voluntas, & cor: ita vt qui priùs naturæ conditione erat inſtabilis, firmus ſit, & conſtans, propter Dei protectionem.

II.

HINC prouenit diuiſio aquarum, affectionum videlicet, & propenſionum;

ſionum; quæ erant permixtæ, & confuſæ; diuina tamen gratia ſecernuntur, & ſeparantur, ita vt affectiones rerum terrenarum maneant in loco inferiori ſubiectæ ſpiritui: affectiones verò rerum cœleſtium aſcendant ad locum ſuperiorem, vt carni præſint. Et quamuis pugna ſit inter carnem, & ſpiritum, iuxta illud Apoſtoli: a *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem*; vincit tamen ſpiritus, manetque in loco ſuperiori; quia DEI gratia eſt eius firmamentum, & fortitudo, quæ diuidit firmiter haſce affectiones: ex aquis autem ſuperioribus ſpiritus deſcendunt interdum pluuiæ, quæ carnis terram ſiccam & ſterilem rigantes, efficiunt, vt bonorum operum fructus producat, & b *vt cor, & caro exultent in Deum viuum*, à quo vtriuſque prouenit bonum. O DEVS æterne, quomodo non te diligam ob tot bona, quæ à te accipio! c *diligam te fortitudo mea, refugium meum, & firmamentum meum*: ſit mihi gratia tua *firmamentum*, quo firmiter ſciam d *ſeparare pretioſum à vili, vt ſim quaſi os tuum*, amicus, & familiariſſimus tibi. Mitte de Cœlo pluuiam cœleſtis tuæ doctrinæ, & rorem dulcis tuæ ſapientiæ, vt ſupremam hanc rigationem imbibens, fructus feram operum ſanctorum, quæ permaneant in vitam æternam.

Diuiſio aquarum eſt diſcretio carnis & ſpiritus. a *Gal. 5. 17.* b *Pſal. 83. 3* Oratio. c *Pſal. 17. 2* d *Iere. 15. 19*

III. Deus perfecta laudat. 1. *q. 74. a. 3. ad 3.*

VLTIMO perpendam, quæ fuerit cauſa, cur Deus non laudauerit opus huius diei, dicens; quòd eſſet bonum: ſicut laudauit diei præcedentis, & ſequentium. Præcipua autem cauſa fuit, quòd Deus non laudet aut omninò approbet *opera*, donec ſint *perfecta*, & abſoluta: cùm autem aquarum diuiſio inceperit quidem hoc die, non tamen perfecta fuerit vſque in ſequentem, ideò non dixit hodie, quòd eſſet bona vſque in diem tertium, quo fuit abſoluta. Hoc facto me admonet, vt ſtudeam *integritati*, & *perfectioni* vitæ, & actionum mearum. ſiquidem apud ipſum non iudicatur bona, & perfecta actio, quæ tantùm habet bonum principium, ſi ſit exitus malus: nec ſaluabitur, qui benè cœpit, ſed qui benè finijt. nam ipſe Chriſtus dixit: e *qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.*

e *Matt. 10. 22.*

HOC ipſum licebit exactiùs perpendere, ſi admittatur, quod aliqui doctores dicunt: hac *ſecunda die*, feria ſcilicet ſecunda, *peccauiſſe malos Angelos*, ideoque Deum illos à bonis ſeparaſſe, bonos ſuper firmamentum relinquens, malos verò proijciens in abyſſum, f *gementes ſicut Gigantes ſub aquis*, & propter hanc cauſã dicunt Deũ DOMINũ noſtrum non appellaſſe bonum, quod hoc die erat factum, videns iniquitatem, & peccatum, quod illo die à dœmonibus accepit initium, qui benè incipientes malum exitum habuerunt: quia g *in veritate non ſteterunt*, & in luce, quã acceperant. Ex hoc exemplo documentum accipiam, timendi imbecillitati meæ, ſi malos Angelos aſpiciam; & confidendi virtuti Dei, ſi aſpiciam bonos. Et magno affectu laudabo Deum noſtrum, ob collatum il-

Albert. in 2. d. 5. Dionyſ. Carthuſ. ib. q. 6. Mag hiſt. ſuo Gen. c. 4. dicit eſſe traditionem Hebræor. f *Iob 26. 5.* g *Ioã. 8. 44.*

Digitized by Google

lis perſeuerantiæ beneficium; & illis congratulabor de gloria, quam ſunt conſecuti; & orabo eoſdem, vt me à dæmonibus tueantur, & mei ſint apud Deum aduocati, vt ille ſit fortitudo mea, perſeuerantia, & corona mea in ſæcula. Amen.

Etiam licebit aliud quid myſticum hîc perpendere, quòd non dederit Deus ſuam benedictionem ſecundæ diei, eò quòd eſſet *principium diuiſionis* dierum, ac propterea ſignum diſſenſionis, & diſiunctionis, quæ aduerſatur vnitati, & coniunctioni, quæ propria eſt charitatis, & plurimùm ipſi Deo placet, & effundit ſuam benedictionem in eos, qui illam amplectuntur, quam benedictionem denegat illis, qui vnionem horrentes, ab ea ſe ſeparãt, & ita dixit Dauid: h *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum: quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in ſeculum.*

S. Thom. ſuprà.

h Pſal. 132. 1

i Luc. 10. 42

k Pſal. 83. 11.

Qvod cùm ita ſit, rationi conſentaneum eſt, me illud i Vnvm eligere, quod Christvs dixit eſſe *neceſſarium*, vt perueniam tandem ad fruendum vnico illo die, de quo Dauid: k *Quia melior eſt dies vna in atrijs tuis*, & domo tua, *ſuper millia*, extra eam: ac propterea fugiam omnem fraternam diſſenſionem, & diuiſionem, quæ diuinam benedictionem expellit.

MEDITATIO XXI.

DE IIS, QVAE TERTIA DIE fecit Deus.

Pvnctvm I.

a Gen. 1. 9.

Dixit Devs: *congregentur* aquæ, *quæ ſub Cœlo ſunt, in locum vnum, & appareat arida. Et factum eſt ita. Et vocauit Deus* aridam, *Terram, congregationeſque aquarum*, maria. *Et vidit Deus, quòd eſſet bonum. Et ait: germinet terra* herbam *virentem, & facientem* ſemen, *&* lignum pomiferum *faciens fructum, iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram. Et factum eſt ita.*

De aquis maris.

Consideranndvm eſt primùm, quòd Devs Dominus noſter aſpiciens tertia die terram aquis coopertam coniunxerit aquas, quæ ſunt ſub Cœlo in vnum locum, oſtendens ſuam omnipotentiam in multis rebus admirandis.

Omnipotentia in 4. apparet.

I.

Primvm apparuit Dei omnipotentia in eo, quòd cùm eſſent

aquæ

Digitized by Google

aquæ immenſæ, in momento, aut tempore breuiſſimo, *ſolo* ſuo *imperio*, omnes collegerit ad vnum locum ampliſſimum, & latiſſimum, quod diuiditur in alia plura loca, quæ appellantur *maria*, quæ omnia à Dei omnipotentia deducta, vnumquodq; in ſuum locum celerrimè ſe colligit, obediens abſq; vlla reſiſtentia imperio diuino. In imperio

Et ita dixit David: b *Abyſſus*, ſcilicet aquarum, terram cooperiebat, *ſicut veſtimentum, & amictus eius*; ſed *ab increpatione*, & imperio tuo fugerunt, & *à voce tua*, tanquam tonitru perterritæ *formidarunt*: Quid fuiſſet videre in hoc die, immenſitatem aquarum, incredibili celeritate fugientem in locum ſibi à Deo deſtinatum! *alia* enim ad Oceanum, *alia* ad Sur, *alia* Mediterraneum, & *alia* ad alia maria confugerunt. O Deus Omnipotens, ſiquidem adeò eſt potens imperium tuum, collige *aquas* mearum affectionum, & cogitationum, quæ ſunt per totam terram diſperſæ & ſtatue illis certum locum, in quo ex voluntate tua conſiſtant, nec ad alium diuagentur. b *Pſal*. 103. 6. Oratio.

Sed & in hoc Dei Omnipotentia apparet, quòd cùm aquæ ex naturali ſua propenſione ſoleant eſſe ſuper terram, tanquam in loco ſuo naturali, ex omni parte eam ambientes, ſicut aer & terram & aquam ambit; nihilominus ſtatim, atque diuinum *imperium* audiuerunt, deſerto naturali ſuo loco, receperint ſe ad *concaua*, & *profunda* loca à Deo ſibi conſtituta, in quibus propter commune & vniuerſale cæterarum creaturarum bonum manet abſque vlla repugnantia, commune bonum, vt proprium reputantes, & in loco à Creatore ſibi conſtituto, ob eam cauſam, permanentes. II. In obediĕtia.

Disce, ô anima mea, Creatori tuo obedire, ex nobiliſſimo hoc alterius creaturæ exemplo. Abnega propriam etiam *naturalem inclinationem*, vt diuinam expleas voluntatem; contemne *proprium emolumentum* temporale, vt communi fratrum tuorum bono conſulas. O Devs animæ meæ, conſtitue me in quouis loco, pro tuo libitu, in ipſo enim conquieſcet cor meum. Si mihi abſtuleris amplum, & altum locum, quem priùs conſtitueras, & iuſſeris me ad anguſtum alium, & abiectum me colligere, id ipſum ego complectar: quia gratum mihi eſt propriam inclinationem deſerere, vt voluntatem tuam ſequar; quæ tua voluntas, erit & ſemper mea. c *Non volo quærere, quod mihi vtile eſt, ſed quod multis*. & lubens cedam iuri meo, propter bonum fratrum meorum, quorum commodum etiam erit meum, ſi tibi obediam, cuius *factura* omnes ſumus. Perfectæ obedientiæ exemplar. Oratio. c 1. *Cor*. 10. 33.

Tertio altiſſimè eminet Omnipotentia Dei in eo, quòd eaſ- III.

dem

In conſtitutione. d [illegible] e Pſal. 103. 9

dem aquas maris in loco à ſe conſtituto tam exactè contineat: ita d *circundans mari terminum ſuum, & legem ponens aquis, ne transire poſſint fines ſuos* Et quamuis habeant ingentia augmenta, & detrimenta, & inundationes, admirandos fluxus, & refluxus, horrendos fluctus, & tempeſtates, hæc tamen omnia continentur intra terminos arenæ, quos Devs illis conſtituit. Et de hoc ipſe Devs gloriatur dicens apud Iob: e *Quis* alius præter me *concluſit oſtijs mare, quando erumpebat, quaſi de vulua,* abyſſo ſcilicet meæ Omnipotentiæ *procedens: circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem & oſtia, & dixi: vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.*

e Iob 38. 8.

Ex hac conſideratione non ſolùm admirationem concipiam de Omnipotentia Dei, ſed magnum etiam timorem eum offendendi, memor illius, quod ipſe dixit per Ieremiam: f *Me non timebitis, dicit Dominus, & à facie mea non dolebitis,* de mala veſtra vita, *qui poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum, quod non præteribit? & commouebuntur* aquæ *& non poterunt* contra illud: *& intumeſcent fluctus eius, & non tranſibunt illud.*

f Ierem. 5. 21

Oratio.

O Devs Omnipotens, quis non timebit offendere te? & quis non dolebit, quòd toties te offenderit? circunda Domine hoc *mare* cordis mei muro tuæ protectionis, & occlude eius *portas* ſeris tui ſancti timoris, vt numquam tranſgrediar præcepta, quæ mihi impoſuiſti, nec *fluctus* mearum perturbationum extrahant illud extra locum à te mihi conſtitutum.

IV. In conſeruatione. g Iſa. 40. 12.

Concipiam quoque magnos affectus confidentiæ de omnipotentia Dei, qui, vt ait Iſaias, g *Menſus eſt pugillo aquas,* eaſque intra deſignatum terminum exactè continet, etiamſi ſint lubricæ, & iuxta aliquorum Sanctorum ſententiam mare ſit in aliquibus locis altius, quàm terra. vt ego confidam, quamuis ex me ſim aquæ inſtar lubricus, & carnis meæ propenſio impellat me, vt tranſgrediar limites mihi ab ipſo conſtitutos, ipſum tamen conſeruaturum me & intra illos ita retenturum, vt ſemper eius impleam voluntatem.

Pvnctvm II.

Montes ac valles.

Deinde conſideranda ſunt mirabilia, quæ Deus fecit hodie in terra, vt aquas ſecerneret, illamque redderet aptam vſui viuentium.

I.

Primvm enim, *imperio* ſuo ita in momento magnam terræ partem, quæ ſphærica erat, euoluit, & commouit, vt profundiſſimas faceret concauitates, in quibus aquæ reciperentur; & altiſſimos erigeret *montes*, qui inſtar murorum eſſent: & admirandam *varietatem planitiei, collium, val-*

Digitized by Google

lium, & *portuum* efficeret, quæ nunc viſuntur: obediente ipſa terra nutui
diuini imperij. Quamobrem ait Dauid: g *Aſcendunt montes, & deſcendunt* g *Pſal.* 103.8
campi in locum, quem fundaſti eis. Ex quo eoſdem affectus concipiam ad-
mirationis, obedientiæ, timoris, & fiduciæ, tremens ob tantam huius
Domini potentiam: h *qui* (teſte Iob) *tranſtulit montes, & neſcierunt ij,* h *Iob* 9.5.
quos ſubuertit in furore ſuo, qui commouet terram de loco ſuo, & columnæ eius
concutiuntur, & fundamenta; ſed non minùs tamen confidam verbo eiuſ-
dem potentiſſimi Dei, qui dixit: i *Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis,* i *Matt.* 17.
dicetis monti huic: tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis:
nam Dei omnipotentia, quæ montes in ſuis locis collocauit, facillimè
poteſt ad alia transferre.

II.

DEINDE perpendam Dei Omnipotentiam in eo, quòd terram a-
deò ſiccam reliquerit, vt illam appellauerit k *Aridam*, non hærendo dies k *Gen.* 8. 14. Arida.
multos, vt id faceret, ſicut tempore diluuij; nec adhibito l *vento vehe-* l *Exo.* 14.20
menti, & vrente, qui tota nocte terram verteret in ſiccam, ſicut quando filij
Iſrael tranſiuerunt locum maris rubri: nam Dei virtus per ſeipſam, in *ictu*
oculi, exſiccauit, & arefecit eam. O *Spiritus* diuine, m *qui es ignis conſu-* m *Deut.* 4. 24.
mens, & ventus vrens, conſume in carne mea *humores* mearum *affectio-*
num terrenarum, & vre cor meum amore tuarum virtutum cœleſtium, Oratio.
ne Dæmon: n *qui ambulans per loca arida, quærens requiem, non inuenit*, ſed n *Matt.* 12. 43.
o *dormit ſub vmbra in ſecreto calami*, & libenter *in locis humentibus* o *Iob* 40.16
verſatur, locum inueniat in anima mea, eiuſque poſſeſſionem acci-
piat.

III.

TERTIO perpendam, quòd Deus Dominus noſter mirabili ſua pro- Fontes.
uidentia ita collegerit aquas ad mare, terramque aridam reliquerit, vt
ſimul reliquerit in terra multas *aquas* dulces *fluminum*, & *fontium*, in
varia loca diſtributas, faciens ad id foſſas, & canales, & quaſdam veluti
venas, intra ipſius terræ viſcera, per quas aqua tranſiret, quæ exiret ex
mari. Nam (vt ait Eccleſiaſtes) *omnia flumina intrant in mare, vt iterum* Admiranda quædã.
fluant. In qua re aliqua ſunt admiranda, & notatu digniſſima. PRIMVM 1.
eſt, quòd ſit tanta fluminum, fontium, & puteorum *multitudo*, quæ ſunt
paſſim in omnibus terræ locis eius vſibus valde accommodata, etiam
in montibus altiſſimis, & rupibus, ex quibus diſtillant, & fluunt ad val-
les. SECVNDVM eſt, quòd eadem flumina ſint *perpetua*, & *continua*: nam 2.
ſemper fluunt, idque per tot annos; nec defecerunt hactenus, nec de-
ficiet noua aqua, quæ ſemper fluat, & numquam ceſſet. TERTIVM eſt, 3.
ipſa aquarum *dulcedo*, cùm tamen aqua maris, ex quo plurima illorum
oriuntur, ſit amariſſima, & ſalſiſſima. nam Omnipotentia Creatoris
colans aquas per poros terræ, conuertit earum amaritudinem in dul-
cedinem, vt hinc appareat, quàm ſit facilè Deo mutare vnum contra-

Digitized by Google

rium in alterum;& quod amarum eſt conuertere in dulce ei, qui fideliter ipſi ſeruit. QVARTVM eſt, ingens *vtilitas* harum aquarum ad rigandam, & fœcundandam terram, ita vt habeat illa aquam de Cælo, & aquam ex fontibus, & puteis, qui ſunt in ipſa; hominibus quoque & alijs viuentibus ſunt valdè neceſſariæ ad bibendum, & conſeruandam vitam; ad ſe lauandum, balneandum, & nimio ignis calori reſiſtendum, præter alias admirandas proprietates, quas aquæ multorum fontium habent, ad ſananda corpora ab infirmitatibus. Hoc totum fecit magnus Deus noſter hoc die prouidentia paterna; quapropter continuas ei gratias agere debemus, quoties hoc beneficio vtimur, & inuitare p *mare & terram*, *montes*, *& colles*, *flumina*, *& fontes*, vt factorem ſuum laudent, & glorificent.

4.

p *Dan.* 3. 73.

IV. De Fodinis & Metallis.

QVARTO perpendendum eſt, quòd Deus Dominus noſter in hoc ipſo die ita diſpoſuerit terram, vt quædam eius pars pinguis eſſet, ad plantas, & arbores producendas, & ſuſtentandas accommodata: altera verò pars eſſet tanquam *fodina*, & *vena*, in qua generaretur aurum, argentum, ferrum, æs, & alia metallorum genera, & mixta ad hominum vſum, & ſeruitium neceſſaria, diſtribuens huiuſmodi fodinas per diuerſa terræ loca ad hæc diſpoſita iuxta illud Iob: q *Habet argentum venarum ſuarum principia: & auro locus eſt, in quo conflatur*. Eſt verò fas credere, Deum hæc ab initio feciſſe: quamobrem magnas Creatori debeo gratias, quòd fuerit illi curæ, nobis de rebus hiſce prouidere, ſine quibus graue omninò fuiſſet tranſigere vitam. Quare quoties illæ mihi ſunt vſui, meritò earum largitorem glorificabo.

q *Iob* 28. 1. *S. Thom.* 1. *p. q.* 69. *a.* 2. *ad* 3. *quia ſunt velut pars quædã terræ.*

Cur nulla mentio in Scriptura metallorũ. *S. Thom. ſuprà.*

EST tamen aduertendum, quòd Scriptura diuina non faciat mentionem *creationis* horum *metallorum*, ſicut nec rerum aliarum occultarum, cuius ea fortè eſt myſtica cauſa, vt homines doceret DEUS, parui facere diuitias temporales, comparatione æternarum, attendentes quòd res iſtę ſint quædam pars terræ, adeoque paruæ æſtimationis, vt earum Creator eas res numerans, quas creauerat, noluerit has inter illas referre; & qui nimium eas æſtimant, incident in maledictionem, quam prædixit Dauid in impios dicens: r *Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum: de abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum*: quaſi diceret; ſepara illos à numero electorum tuorum, quia ſuam cupiditatem expleuerunt theſauris, quæ tu creaſti in abſcondito terræ. O DEUS æterne, qui aurum, argentum, & reliqua metalla in vſum meum, & vtilitatem creaſti, ne permittas me ijs abuti in meum detrimentum, ne ad te offendendum adhibeam, quod eſſe debet inſtrumentum ad tibi ſeruiendum, & ad te laudandum.

r *Pſal.* 16. 14

Oratio.

Digitized by Google

PVNCTVM III.

TERTIO conſiderandum, quòd DEVS Dominus noſter, cùm aquas à terra ſeparaſſet, eamque ſeparationem, vtpotè abſolutam, & perfectam, approbaſſet; ſtatim dixit: a *germinet terra herbam virentem, &c.* In qua re *duo* eminent *ſingularia.* Plantæ & Arbores. a Gen. 1. 11.

I.

PRIMVM eſt, quòd quamuis videretur ſufficiens opus pro tertio die ipſa aquarum à terra ſeparatio; quia tamen vidit Deus terram ab aquis diſcoopertam manere turpem, valdeque imperfectam, noluit eam tota illa die in tanta imperfectione, & fœditate permanere, ſed quamuis integram eius perfectionem, & pulchritudinem in diem ſequentem diſtulerit, hoc die tamen incœpit illam ornare, & veſtire eo ornamento, quo indigebat. In qua re commendatur nobis Dei *prouidentia* erga ſuas creaturas, & propenſio ad eas perficiendas. Nam ſicut abſtulit ipſi terræ veſtem illam, aut operculum, quo deturpabatur, & occultabatur; vt videri non poſſet; dedit verò illi aliam veſtem, qua pulchra appareret, & elegans, non paſſus, vt vel ad breue tempus ita nuda, & turpis remaneret; ſic etiam cupit ipſe exui nos veſtibus hominis veteris, quæ valde nos deturpant, & indignos reddunt, quos ipſe, & eius Angeli aſpiciant: ſed ſtatim tamen vult, nos induere nouam veſtem ipſius gratiæ, & virtutum, vt pulchri ſimus, eiuſque oculis placeamus; ac deſiderat, ne ex parte noſtra aliquę ſint moræ; ſed ſtudeamus, ne in craſtinum differamus, quod hodie facere poſſumus. Prouidentia Dei erga creaturas.

II.

SECVNDVM eſt, quòd non voluerit ex nihilo creare *plantas*, & *arbores*, quæ terram exornarent, quamuis id facere fuiſſet ipſi facillimum; ſed voluit, vt ipſamet terra cooperaretur, ideoque dixit: *germinet terra herbam virentem*, & factum eſt ita. Cùm enim Deus eſſet principalis effector, ipſe enim b *fecit omne virgultum agri, & omnem herbam regionis*, terra illi dedit, quod habebat, ſeipſam videlicet, vt ex ipſa tanquam ex materia fierent *plantæ*, etiam cum aliqua ipſius terræ corruptione. In quo facto perfectiſſimè nobis proponitur, quòd Deus Dominus noſter, quamuis ſummè deſideret noſtram perfectionem, eam tamen ſolus facere noluit, ſed vt nos ad id iuuemus, & cooperemur diuinæ ipſius gratiæ, offerentes quæcumque habemus, nos ipſos videlicet, cor noſtrum, & libertatem noſtram, vt eius diuina maieſtas faciat in nobis, & de nobis diſponat pro libitu, quamuis cum alicuius noſtræ rei iactura, propriæ ſcilicet voluntatis, & terrenorũ deſideriorum, quæ ſunt mortificãda, & mala quę fecimus diſſoluenda. Quare nos ipſi eius gratia adiuti debemus (vt ait Apoſt.) c *expoliare nos veterem hominẽ, cum actibus ſuis, &* b Gen. 2. 1. c Coloſſ. 3. 9.

Oratio. *induere nouum*, & actus eius. O Deus perfectiſſime, omnis perfectionis fons,& origo,qui vt hominis honori magis conſulas, eiuſque libertatem ſuauiùs conſerues,non vis illum ſanctificare, aut perficere, niſi in propriam ſuam ſanctitatem,& perfectionem ſuam ipſe partem conferat. Ecce,miſericordiſſime Domine,me, tanquam deformem terram, tibi offero paratum,ad plantas,& virtutes cœleſtes recipiendas;ad te, Domine, pertinet,eas efficere tua omnipotentia,ego verò gratia tua præparatus,conſenſum meum ad eas recipiendas præbeo, etiam quibuſcumque ex rebus meis ad id expenſis:da mihi Domine,quod peto,vt ſeruire tibi poſſim,ſicut debeo.

III. PRAETEREA ſingillatim ſunt conſideranda, quæ Deus fecit ex terra,hoc ſuo imperio;& expendendæ *quinque excellentiæ*, quæ manifeſtant eius omnipotentiam,& prouidentiam erga viuentia, & nominatim erga homines,in quorum commodum illa omnia dirigebantur.

1. V. Excellentiæ omnipotentiæ ac prouidētiæ Dei. PRIMA excellentia eſt, quòd fuerit *innumera multitudo* herbarum, plantarum,florū,& arborum,quam fecit Deus hoc die, diſtribuens illas in diuerſas terræ partes, iuxta ſingularum qualitatem, & clima, quia aliquæ plantæ exigunt terram frigidam, aliæ calidam, aliæ temperatam, & in illis omnibus eas plantas produxit, quæ iuxta ſuam naturam poſſent in illis conſeruari, quia prouidentia diuina in omnibus ſuis operibus oſtendit magnam ſuauitatem, ideoque etiam dona ſuæ gratiæ attemperare, & accommodare ſolet cum bono noſtræ naturæ, quò gratia,& natura ſimul maiori ſuauitate operentur, ac diutiùs perdurent.

2. SECVNDA excellentia fuit illa *facilitas*,& *acceleratio*, qua omnes has plantas effecit in vniuerſa terra,quæ per tot millia milliariorum extenditur,& tot plantis eſt referta:ſiquidem ſtatim,atque dixit, *germinet terra: factum eſt ita*,& euaſit tota veſtita tanta varietate,& pulchritudine, vt ipſe Deus, qui illam creauit, de ea glorietur dicens: c *pulchritudo agri mecum eſt*.

c *Pſal.* 49. 11

3. HVC accedit TERTIA excellentia,quòd fecerit Deus has plantas,& arbores in ea *magnitudine*,& *perfectione*,quam habere poterant. Nam arbor,quæ naturæ curſu annos aliquot conſumit in iaciendis radicibus,in creſcendo,& producendo folia,& fructus,in vno momento prodijt perfecta in his omnibus: quia Dei opera ſunt perfecta; & quod homines paulatim faciunt, & magno labore, hoc ipſum Deus ſubitò in magna perfectione, & abſque vllo labore efficere poteſt. Gratias tibi, Creator omnipotens, & perfectiſſime, ob celeritatem, & perfectionem, qua hoc die tot res,& tantas perfeciſti; vt etiam tempus ſuperfuerit ad

multò

Digitized by Google

multò plures efficiendas, ſi id tibi placuiſſet. Oſtende, quæſo; iſtā erga me omnipotentiam, accelerante diuina tua gratia, quod mea imbecillitas retardat: f *facilè eſt enim in oculis tuis ſubitò honeſtare pauperem.* f Eccl. 11. 23.

4. Qvarta excellentia complectitur *magna, & innumerabilia commoda,* quæ ex hoc opere proueniunt hominibus, ad conſeruationem vitæ, & *ſenſuum* oblectationem. *Oculi* enim recreantur florum pulchritudine, & nemoribus, quæ Deus extruxit; *odoratus* recreatur ſuauiſsimo odore, qui ex eiſdem exhalat; *guſtatus* oblectatur tot fructuum; & olerum ſapore, quorum alia alijs palato ſunt gratiora; ex quibus corpus ipſum creſcit, impinguatur, nutritur, & vires recipit. Et quamuis ad vitæ *conſeruationem* ſufficiſſet, ſi Deus *triticum* creaſſet, ex quo panis conficeretur; & *vites*, ex quibus proueniret vinum: voluit tamen eius prouidentia eſſe liberaliſsima, magnam creando plantarum *varietatem*, ad ſuſtentationem, & delectationem noſtram, vt faſtidium varietate rerum impediret, tum vt diuerſa palata proportionatos cibos, ſaporeſque haberent, quibus recrearentur. Multis præterea harum rerum virtutes admirandas indidit, vt eſſent in noſtrorum corporum morbis medicamenta, quæ priſtinam reſtituerent ſanitatem. Et ne quid nobis deeſſet, arbores illæ, quæ fructus non proferunt, ſunt etiam vſui, vt ex eorum lignis domus conſtruantur; & alia inſtrumenta, quibus ad multa vtimur; & denique ex eis habemus ligna ad fouendum ignem, quo calefiamus, præter alias vtilitates, quas longum eſſet referre. Sūma Dei liberalitas.

5. Deniqve, vt hæc omnia perpetuò durarent, *virtutem* dedit plantis, & arboribus, quas fecit hoc die, vt ſemina producerent, ex quibus ſimiles aliæ prouenirent; ſicut quotidiana experientia ad oculum docet.

Qvinqve his conſiderationibus, & ſingulis earum cor meum eleuabo, ad glorificandum Deum, ob creatas omnes res iſtas ad conſeruationē, & delitias vitæ meæ, & animalium, quæ illis veſcuntur, mihique ſeruiunt. Nam, ſi ego non veſcor herba, ea paſcitur ouis, & bos, quibus ego veſcor: & quamuis hordeum non ſit meum nutrimentum, eſt tamen nutrimentum equi, quo ego vtor, ideoque iure optimo dixit Dauid: g *Deum producere fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum*. O vitā viuentium, g *omnia te aſpiciunt, & à te exſpectant, vt des illis eſcam in tempore* opportuno, qua vitam ſuam ſuſtentent; & *aperiente te manum tuam omnia implētur bonitate*. Gratias tibi quantas poſſum, ob *liberalitatem*, quâ manum tuā hoc die aperuiſti, vt terram adeò eleganter exornās, animalibus paſtum, & hominibus alimentum, & delicias præparares. & quandoquidem quotidie pergit tua profuſio continuans beneficia, quotidie etiam perget mea gratitudo continuans obſequium, quod propterea tibi debeo. g Pſal. 103. 14. g 27.

PVNCTVM IV.

Paradiſus Terreſtris. S. Thom 1. p. q 102. a. 1. ad 5. a Gen. 2. 8.

QVARTO conſiderandum eſt, quòd DEVS Dominus noſter hoc eodem die ſingulari ſua prouidentia in optima terræ parte plantauit hortum excellentiſsimum, & amœniſsimum, & talem, qui per excellētiam appellaretur a *Paradiſus voluptatis*, in quo collocaretur homo, cui præparault DEVS habitationem, antequam ipſum crearet.

Excellentię paradiſi. 1. Temperies. 2. Copia arborum. 3. Arbor vitæ. S. Thom. 1. p q. 79. a. 4. 4. Aquę dulces. 5. Capacitas loci.

PARADISI huius excellentię erant præcipuè quinque. PRIMA, quòd haberet optimam totius mundi temperiem, tam ex parte terræ, quàm aeris, ſine nimio frigore, ſine nimio calore; abſque nubibus, abſque tempeſtatibus, & pœnis, quas modò experimur. SECVNDA excellentia, quòd haberet magnam *copiam arborum* omnis generis viſu pulcherrimarum, & guſtui delectabilium, quæ miro ordine, ac diſpoſitione erant conſitæ, quarum fructuum ſapor, & guſtus tantus erat, vt nunquam homo carniū, aut piſcium vſum eſſet deſideraturus, qui poſteà fuit illi conceſſus. TERTIA erat, quòd in medio huius paradiſi ſita eſſet *arbor vitæ* pulcherrima, & ſuauiſsima, cuius fructus præſeruaret à morbis, à ſenectute, & corruptione; & produceret vitam temporalem, donec Deus vellet transferre hominem ad vitam æternam: QVARTA erat, quòd in eo eſſet *flumen* copioſiſsimum *aquarum dulcium* & ſalubrium, ad rigandum paradiſum, & vt præberet homini hauſtum ſaluberrimum & gratiſsimum: qui fluuius in quatuor alios diuidebatur ad rigandam reliquam vicinam terram. QVINTA excellentia, quòd eſſet *locus amplus* & *capax* multorum hominum, ita vt, quamuis eſſet hortus, extenderet ſe tamen in latitudinem magnæ alicuius prouinciæ, Hiſpaniæ v. g. aut Galliæ. Et denique omnes horti, & viridaria, quæ mundi monarchæ aliquando plantarunt, nullo modo poſſunt cum hoc conferri, quem Deus beneuola ſua prouidentia plantauit, vt eſſet habitatio non proborum, & improborum, ſicut alij illi horti fuerunt, ſed proborum tantùm.

ILLVD tamen præ omnibus perpendam, quantum beneficium acceperim ego à Deo in hoc Paradiſo. Nam eius voluntas fuit illum condere non pro ſolo Adamo, ſed etiam pro eius poſteris, & pro meipſo, ſi Adamus non peccaſſet; quare, quantum in ipſo Deo fuit, etiam mihi illum dedit. Gratias tibi, ô ſupreme Pater, propter voluntatem, qua voluiſti homini duplicem dare Paradiſum, in quo habitaret; vnum terrenum, & alterum cœleſtem, vt ab vno ad alterum tranſiret, ſi in tuo obſequio perſeueraret. Peto Domine, vt, quandoquidem primum illum terrenum amiſi, propter peccatum Adami, ne proprijs meis peccatis ſecundum amittā. Et ſiquidem Originalem culpam in Baptiſmo mihi condonaſti, etiam

Oratio.

alias

alias culpas meas per pœnitentiam remittas. Conſerua me ſemper in terreno paradiſo Eccleſiæ tuæ, dans mihi fructum arboris vitæ, quam in illa habes in cibum, vt morte ſuperueniente transferas me ad paradiſum Cœleſtem tuæ gloriæ, Amen.

PVNCTVM V.

QVINTO conſiderandum, quòd Deus Dominus noſter, perfecto *tertij* huius *diei* opere, viderit quòd eſſet bonum, eò quòd nihil illi deeſſet, quod ad finem ſuæ creationis pertineret.

CIRCA quod eſt primùm perpendendum, quòd *res omnes*, quas Deus ad noſtrum nutrimentum creauit, ſint *bona*, & nulla earum naturâ ſuâ ſit mala; quamuis vſus alicuius malus eſſe poſsit, eò quòd Deus illum nobis prohibuerit, ſicut a *prohibuit* noſtris primis parentibus *comedere de ligno ſcientiæ boni, & mali*, etiamſi b *pulchrum eſſet oculis, aſpectuque delectabile*: quod fecit Deus, vt eorum *obedientiã* exerceret, ac probaret. Et nunc idẽ Deus per ſuam Eccleſiam prohibet *vſum* aliquorum ciborum; & viri perfecti aut vi voti, aut pietatis ſpiritu ſibiipſis interdicunt vſum rerum aliquarum delicatarum, vt carnem ſuam mortificent. Ex quo firmiter ſtatuam, his rebus vti cum animi gratitudine, & temperantia. Si enim res, quam Deus creauit, eſt bona, non decet, vt propter meam gulam vſus eius reddatur malus; potiùs ſequar Apoſtoli Conſilium dicentis: c *Quia omnis creatura bona eſt, & nihil reijciendum* (quaſi malum ſit) *quod cum gratiarum actione percipitur: ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem*: nam diuinum verbum illud tanquam bonum approbat; & oratio, quæ, dum ſumitur, adhibetur, illud ſanctificat.

I. Omnes res bonæ.
a *Gen.* 2. 17.
b & 3. 6.
Vſus rerum malus.
c 1 *Tim.* 4. 4.

DEINDE perpendendum eſt, quòd quidquid Deus *hoc die* creauit, fuerit *bonum*, etiamſi inter res alias ſpinas quoque condiderit, & plantas aliquas, & herbas venenatas. Nam etſi hæc hominibus ſint noxia, aliquibus tamen animantibus ſunt vtilia; aut pertinent ad alios fines Vniuerſi; imò & ipſi homini aliquando vtilitatem adferunt, tanquam antidota, & amuleta alijs rebus permixta. Et, ſi Adamus non peccaſſet, nihil horum ei nocuiſſet. ac denique eædem res inſtrumenta ſunt diuinæ iuſtitiæ, ad caſtigandos eos, qui rebus alijs abutuntur. Et vel hoc ſufficeret, vt res illæ optimæ cenſerentur, ſiquidem etiam rebus vtiliſsimis vtitur aliquando Deus ad malos, & ingratos caſtigandos. Aqua enim, quæ quoſdam refrigerat, alios ſuffocat; & ignis calefacit quoſdam, qui alios comburit. Ex quo colligam quanta cura vtendũ ſit mihi his creaturis in obſequiũ Creatoris, cogitans, omnes has creaturas mihi dicere tria illa verba, quæ ponit

II.

Tria verba L.b.de Arca morali c. 4. item 2. ſu pra Medit. 8 punct. 2.

Hugo de S. Victore: *Accipe, Redde, Fuge: Accipe beneficium, Redde debitum, Fuge ſupplicium*: quaſi diceret: ſi non vis Deo ſeruire propter *beneficium*, quod ab eo accipis, ſeruias illi ſaltem ob *ſupplicium*, quod poteſt inferre. Quia creatura, quam in tuam vtilitatem creauit, conuertetur in carnificem, & cruciatum tuum. Hoc idioma, & hanc phraſim audiam, & intelligere curabo, cùm videro creaturas, quibus vti volam, conijciens oculos in Deum, à quo omnes procedunt, & per quas ea mihi verba proponit.

Oratio. O ſummum bonum, à quo quidquid procedit, eſt bonum, concede mihi ea bonitate, & animi gratitudine eo vti, vt & ſupplicium euadam, & præmium obtineam fruendi tuá ſumma bonitate in æternum, Amen.

MEDITATIO XXII.

DE IIS, QVAE DIE QVARTA Deus fecit.

PVNCTVM I.

a Gen. 1. 14. S. Thom. 1. p. q. 70. Eccleſia in Hymno ad Veſp. Fer. 4

DIXIT DEVS: a *fiant luminaria in firmamento Cœli, & diuidant diem, ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos: vt luceant in firmamento Cœli, & illuminent terram, & factum eſt ita; fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt praeſſet diei: & luminare minus, vt praeſſet nocti: & ſtellas, &c.*

Sol. CONSIDERANDA primùm eſt magnitudo beneficij, quod nobis cõtulit DEVS creando luminare *maius*, Solem videlicet: perpendendæ ſunt autem eiuſdem luminaris excellentiæ, & commoda, quæ ex eis nobis proueniunt.

Commoda ex Sole.

I. PRIMA eſt, *magnitudo lucis*, quam tanquam eius fons habet, cuius ſplẽdor tantus eſt, vt ſtatim atque oritur mundo, obſcuret omnes ſtellas, quæ in eius præſentia ſunt, atque ſi non eſſent.

II. SECVNDA eſt, huius *lucis perpetuitas*, & conſtantia, vt quæ nec ad momentum vnquam decreuerit, aut in ſe fuerit turbata.

III. Perer. in Gen. TERTIA excellentia eſt, *magnitudo* ipſius corporis, cuius cauſa appellatur *luminare maius*. Nam ſexies millies maius eſt, quàm luna & cẽties maius, quàm tota terra.

IV. QVARTA excellentia eſt, *magna efficacitas* eius in toto mundo illuſtrando, & communicanda ſua luce liberaliſsimè in momento, abſq; vlla reſiſtentia corporum, quæ eius ſunt capacia; & ita præſidet tanquam Rex

diei, quem velociſsimo ſuo motu ab *Oriente in Occidentem* facit, ſecundùm Pſalmiſtam. *Pſal.18.6.*

V. Habet præterea admirandam virtutem, & efficacitatem ad *calefaciendum*, emittens ex ſe radios tanquam igneos; & ſimul habet virtutem influentiarum mittendarum, quæ viuificent, & creſcere faciant plantas, & cætera viuentia, adiuuans eadem etiam in conſeruatione vitæ.

VI. Sexta excellentia eſt, quòd motu proprio, qui hoc die quarto cœpit, efficit temporum *diuerſitatem*; ſcilicet Ver, Hyemem, Aeſtatem, & Autumnum. *Diuerſitatem* quoque dierum, vt alij alijs ſint longiores, in diuerſis temporibus, & locis: facit etiam *multiplicationem annorum*, nam integer eius proprius motus eſt, quem appellamus annum. In hos ergo fines eum creauit Deus, oſtendens Omnipotentiam ſuam, creando pulchram adeò, ingentemque creaturam in vno momento ſola ſua voluntate; & propterea Sapiens illum appellat, c *Vas admirabile*, & per excellentiam *opus Excelſi*. (c *Eccl.* 43.1.) Quotieſcunque ergo ſol oritur, gratias meritò agam eius Conditori, admirans tantam huius creaturæ pulchritudinem, & conſtantiam, quam in ortu ſuo, & curſu oſtendit, iuxta illud Dauidis: d *Tanquam ſponſus procedit de thalamo ſuo, exultat vt Gigas ad currendam viam, à ſummo Cælo egreſsio eius, & occurſus vſque ad ſummum eius.* (d *Pſal.*18.6.)

Oratio. O Deus Omnipotens, gaudeo de *gloria*, quam pulcherrima hæc creatura tibi adfert: millies te laudo propter *bonum*, quod per eam quotidiè nobis largiris. Iuſtum eſt Domine, vt quando ſol oritur, ego etiam exultem vt *gigas, ad currendam viam*, & curſum illius diei, in ſancto ſeruitio tuo, incipiens ab eius ortu, & feruenter perſeuerans vſque ab eius occaſum.

Ex hoc pergam ad contemplandum, quòd Sol ſit *ſymbolum diuinitatis* Dei, ex quo diſtinctiùs, quàm ex alijs creaturis, homines illum cognoſcũt: & propterea dixit Dauid, quòd e *Deus in ſole poſuerit tabernaculum ſuum*, in quo operatur res ſtupendas, & in eo inueniet illum, qui quæſiuerit, meditando, quas retulimus ſex eius proprietates, quæ tamen ſine comparatione excellentiùs ſunt in ipſa diuinitate, à qua illæ proceſſerunt. (Sol Symbolum diuinitatis Dei. e *Pſal.*18.6.) O Deus æterne, Sol *iuſtitiæ*, lux *inacceſsibilis*, in cuius præſentia nõ ſolùm ſtellæ, obſcurantur, ſed ipſe quoque ſol; tu es fons luminis, fons perpetuus, qui exhauriri non potes: tu homines illuminas, tuos præcipuè electos, quibus luce tua vitalem das calorem, & influentias cœleſtes: tu præſides Soli, & Diei; præſides temporibus, & annis, quia tua voluntate ſunt diſtributa eo ordine, & forma, quam nunc habent. Laudent te, Domine, Sol, & Dies, Hyems & Ver, AEſtas, & Autumnus, & res omnes te glorificent, ob eam gloriam, quam in hac creatura nobis manifeſtas. Ex hoc diſcam etiam imitari pro facultate mea *proprietates Solis*: ſiquidem anima perfecta dicitur, quòd ſit *electa, vt Sol*, ob ſingularem videlicet ſanctitatem, quam (*Cant.*6.9.)

Digitized by Google

habet,& in qua conſtanter,& ſine vlla mutatione perſeuerat,reſplendens bonis operibus ad gloriam Dei. Homo enim ſanctus, ait Sapiens,in Sapientia manet ſicut Sol, vt lucem, & calorem Spiritus etiam proximis communicet.

Pvnctvm II.

Luna cum ſuis excelletijs.

DEinde conſideranda eſt magnitudo beneficij,quod nobis contulit Deus creans luminare minus,*Lunam* videlicet, cuius excellentias ad noſtram etiam vtilitatem perpendemus.

I. Prima excellentia eſt;eius magnitudo,pulchritudo,& elegātia,quā habet,dum à Sole recipit lumen, quod non recipit, vt ſibi tantùm retineat,ſed vt terram noctu illuminet,*cui præſidet,expellens* partem tenebrarum,quas adfert abſentia Solis.

a *Pſal.*135.9.

II. Secvnda eſt *æquabilitas*,qua ſequitur ſolem,ita,vt qua parte rectà illum reſpicit,ſemper illuſtretur;cùm in altera (vt ait Eccleſiaſticus) b *minuatur in conſummatione; creſcens mirabiliter in conſummatione*: hoc eſt,decreſcit,donec conſummetur;& mox iterum creſcit,donec ſit plena: perueniens in vtroque incremento ſcilicet, & decremento, vſque ad ſummum.

b *Eccl.*43.8.

III. Tertia eſt,*magna vis* quâ pollet ad influentias,& ſtupendos effectus in mari, & in viuentibus, quos experimur, quamuis plurimos non aſſequamur noſtra intelligentia.

IV. Qvarta eſt, quòd etiam proprio ſuo motu ſit ſignum aliquorum effectuum,quos efficit,& *varietatu temporum* anni,& præcipuè, vt ait Eccleſiaſt.motu ſuo proprio cauſa eſt b *menſium*, quia plus minus per integrum durat menſem.

b *Eccl.*43.8.

His conſiderationibus acuere debeo in me affectus laudis, & gratitudinis erga Deum Dominum noſtrum, ob creationem adeò pulchræ huius creaturæ,& ob commoda,quæ reliquæ ex ea percipiunt.

Luna ſymbolum animarum.

Pergens verò vlteriùs,contemplabor, quòd luna ſit *ſymbolum*, ſignumque pulchritudinis *animarum ſanctarum*, quas Deus appellat c *pulchras vt lunam*,quarum pulchritudo, vt ſplendor conſiſtit in aſpiciendo ſemper infinitum ſolem diuinitatis,& in accipienda ab eo luce, & ſplendore diuinæ ipſius gratiæ, donorumque ac virtutum eius; procurando proficere tum in decremento ſuo, per vilem ſcilicet ſui æſtimationem, donec perueniat ad cognitionem nihili illius, quod ex ſe habet, & propriæ obſcuritatis; tum etiam in augmento virtutum vſque ad plenitudinem gratiæ,& conſummationem,ac perfectionem in ea. O Sol iuſtitiæ,à quo lunæ pulchritudo dependet, da mihi tali feruore te ſequi, vt ſemper

c *Cant.* 6. 9.

Oratio.

creſcam augmento tuæ gratiæ,& profunda cognitione meæ miſeriæ: Ne permittas me lunam imitari, d *ſicut ſtulti,qui vt illa mutantur* à ſplendore virtutis, ad vitij obſcuritatem ; ſed vt cum Sole manens in hoc conſtans muter ſemper de bono in melius,e *aſcendens de virtute in virtutem,* donec perueniam ad immutabilem gloriæ tuæ ſtatum, vbi te videam, te fruar ſine fine,Amen.

d *Eccl.*27.12
e *Pſal.*83. 8.

PVNCTVM III.

Stellæ, & excellētiæ.

TERTIO conſiderandum eſt magnum *beneficium*, quod nobis contulit Deus *in creatione ſtellarum* , perpendendo earum excellentias, & admirandos eff.ctus.

I.

PRIMA excellentia eſt earum *multitudo*, quæ apud homines eſt innumerabilis,ſicut arenæ maris, quamuis Deus ipſe glorietur ſe earum numerum noſſe,& nomina tenere, iuxta illud Dauidis,a *Qui numerat multitudinem ſtellarum,& omnibus eis nomina vocat*; & cùm tot ſint, adeoq; pulchræ, & aliquæ earum ingentis magnitudinis, in vno tamen momento omnes creauit,& firmamento infixit, miro ordine,& diſpoſitione; ſicut eſſe ſolet exercitus militum,& *acies caſtrorum* ordinata.Et ideo ſcriptura *acies cæleſtes* appellat,quia vnaquæque locum,& ſtationem ſuam conſtãtiſsimè ſeruat,b *nec in ſuis vigilijs deficiunt,* conſtituentes inter ſe admirandas figuras,alijs cum alijs c *ordine* (vt ait Iob) ab earum Creatore diſpoſitis,de quo ipſe gloriatur.

a *Pſa.*146.4
*Ierem.*31.22
b *Iob* 38. 31. 33.
c *Eccl.*43.11.

II.

SECVNDA excellentia eſt,quòd ſimul cum luna *præſint* (vt ait Dauid) *nocti*,& nos illuminent,ſintq; ie duces itinerum , & nauigationum , exornentque vehementer ipſum Cœlum, cùm apparent in obſcuritate noctis, iuxta illud Eccleſiaſtici; *ſpecies Cæli,gloria ſtellarum,mundum illuminans in excelſis Dominus.*

d *Pſal.*135.9
e *Eccl.*43.10

III.

TERTIA excellentia eſt; quòd omnes, & ſingulæ earum mirabiles demittant *influentias* in terram,in viuentia,& in homines.Quę influentię, quamuis nobis ſint occultæ, non tamen propterea deſinunt eſſe vtiles, atque idcircò ita gratias Deo debemus propter occultas, ſicut propter manifeſtas,quia vtraſque ad noſtrum commodum direxit.Ideo aitEccleſiaſticus,quòd *ſtent ad iudicium*,& obediant *verbis ſancti*, vt faciant, quæ illis ſunt præſcripta, quia nunquam dormiunt, *nec deficient in vigilijs ſuis.* Et Baruch Propheta addit,quòd *vocatæ* à Deo *dicunt:adſumus, & lucent cũ iucunditate,* in obſequium eius,*qui fecit illas.*

f *Eccl.*43.11.
Baruch 3. 5.

HOC totum occaſionem & cauſam mihi præbet Deum laudandi , vt prorumpam in gratiarum actionem pro hoc *beneficio* , ſimulque ſtudebo prædictas ſtellarum proprietates imitari , quia ſunt ſymbola animarum

Digitized by Google

iuſtarum, illarum præcipuè, quæ vitæ exemplo & verbo doctrinæ alios
Dan. 2.3. virtutem docent. iuxta illud Danielis; *Qui ad iuſtitiam erudiant multos,*
Oratio. *quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates fulgebunt.* Gratias tibi, Creator amantiſſime, ob pulchritudinem innumeris ſtellis communicatam, quas in Cœlo admirabili ordine diſpoſuiſti, dans ſingulis proprium locum, proprium ſplendorem, & proprium officium. O quanto erit admirabilior exercitus ſtellarum, quas habes in ſupremo Cœlo, quas eodem ordine, & diſpoſitione collocas, locaque ſua ſingulis diſtribuis, iuxta merita, quæ habuerunt in terra. Concede mihi, Domine, eſſe *ſtellam* in Eccleſia Militanti, cuſtodientem ſtationem meam, ſicut decet fidelem militem, non deficientem in vigilijs meis, ſed tuis præceptis cum lætitia parentem, vt lucens hîc ad tuam gloriam magnum promerear locum in Eccleſia Triumphante, tecum regnans in æternum. Amen.

PVNCTVM IV.

QVARTO eſt conſiderandum, quòd Deus Dominus noſter, poſtquā erat factum hoc opus, vidit quòd eſſet bonum, & complacuit ſibi in eius perfectione.

ET perpendendum, quòd, cùm eſſet tanta elegantia, & pulchritudo ſolis, lunæ, & ſtellarum, homines rudes eò peruenerunt, vt a *exiſtimarent eſſe*
a Sap. 13.2. *Deos, & rectores orbis terrarum,* iudicantes tantam bonitatem, & perfe-
Effectus ex conſideratione aſtrorum. ctionem non niſi in Deo eſſe poſſe. Sed hoc ipſum ad duos excellentes effectus nos permouere debet.

I. PRIMVS eſt admirationis de *omnipotentia magni* huius *Dei* noſtri. nam qui pulchras adeò efficere potuit creaturas, erit ſine dubio incomparabi-
b Sap. 13.3 liter pulchrior, & admirabilior illis: & vt ait Sapiens, *Si harum ſpecies* ad-
c Iob 31.26. eò nos *delectat,* multò magis delectare deberet ſpecies, & pulchritudo ipſius Creatoris, ſi per eas eum cognoſceremus. O Deus ſupreme, b *ſpeciei*
d Pſa. 18.1.6 *generator,* ne permittas ita homines excæcari ſplendore ſolis, c *cùm eum vident fulgere; aut lunã, cùm vident incedentem clarè; vt oſculentur manũ ſuam ore ſuo;* in ſignum *adorationis, quæ eſſet iniquitas maxima, & negatio contra te Deum altiſſimum.* Aperi Domine illorum oculos, vt intelligant, illa omnia eſſe d *opera manuum tuarum, quæ enarrant, & annuntiant gloriam tuam; & ſolem eſſe tabernaculum tuum,* in quo te debeant inuenire, vt laudent & glorificent, tanquam DEVM, à quo & ſol ipſe, & reliquæ proceſſerint.

II. Vſus Creaturarum. SECVNDVS affectus erit *amoris* magni erga eum, qui nobiles adeò & pulcherrimas creaturas in vſum noſtrum creauit, quæ opera ſua,

Digitized by Google

inſtar famularum, aut ancillarum, nobis ſeruirent; ita enim Moſes dicebat populo; *e attende, ne fortè eleuatis oculis ad Cœlum, videas Solem, & Lunam, & omnia aſtra Cœli, & errore deceptus, adores ea, & colas, quæ creauit Dominus* DEVS *tuus in miniſterium cunctis gẽtibus, quæ ſub Cœlo ſunt.* O Deus Omnipotens, & amantiſſime, quis te non diligat ex toto corde, propterea quòd excellentes adeò creaturas creaueris, & ad obſequium adeo abiectarum gentium deſtinaueris? neque enim ad Regum tantùm obſequium, ſed viliſſimorum etiam mancipiorum, & quod maximum eſt, etiam peccatorum, & hoſtium tuorum eas addixiſti. O Deus altiſſime, qui quod in firmamento cœli collocaſti, ad vſum gentium, quæ ſub illo degunt, deſtinaſti: concede mihi, vt propter hoc beneficium adeò ſeriò te diligam, vt numquam in tuo ſeruitio deficiam in æternum. Amen. e Deut. 4. 19. Oratio.

PVNCTVM V.

QVINTO conſideranda eſt admiranda Dei prouidentia in creatione elementi *ignis.* quamuis enim S. Moyſes huius elementi mentionem non fecerit, quia ſolùm res corporeas, quæ ſunt ſpectabiles, retulit; hoc autem elementum in ſphæra ſua talis non ſit; commodè tamen perpendemus hîc magnitudinem & magnificentiam beneficij, quod accepimus in hoc igne viſibili, quo vtimur, qui Soli eſt valdè ſimilis. Creatio Ignis.

NAM primùm ignis ſupplet vicem Solis, & Lunæ, noctu intra domos noſtras, & in ipſis penetralibus præſtat officium Solis, luce ſua nos illuminans, qua facere ſub noctem poſſumus, quæ in die lumine ſolis faceremus. I. Beneficia ex igne.

DEINDE etiam ſupplet *ſolis diſtantiam* in hyeme, quia ſuo calore ad ſe accedentes ita calefacit, vt frigus expellat, & corpus, frigore quaſi emortuum, viuificet. II.

TERTIO communicat ſe etiam inſtar *ſolis* liberaliter; & facilè, nulla diminutione ſui, vt apparet in lumine candelæ, quod plures alias accendit, & accedentes etiam calefacit. III.

QVARTO eſt vniuerſale *inſtrumentum*, & valdè efficax *ad coquendum*, & condiendum cibos, quibus veſcimur; ad purificanda item, & aptanda metalla. Idem ſiccitate ſua humiditatem conſumit; emollit, & liquefacit res duriores, alioſque admirandos effectus producit, in noſtrum commodum; propter quæ glorificandus eſt Creator, & agendæ illi gratiæ ob ſuam prouidentiam, qua prouidit adeò accommodato medio neceſſitatibus noſtris, cuius miſericordiæ infinitæ attribuenda ſunt omnia opera quartæ huius diei, ſicut fecit Dauid, dicens: a *Confitemini Domino, quoniam* IV. a. Pſ. 135. 1. 7.

bonus, quoniam in æternum miſericordia eius: qui fecit luminaria magna. Solem in poteſtatem diei; quoniam in æternum miſericordia eius. Lunam, & ſtellas in poteſtatem noctis; quoniam in æternum miſericordia eius: & ignem, vt ſuppleret abſentiam ſolis, & lunæ, & pro eis luceret nobis in nocte, quoniam in æternum miſericordia eius, quæ in ſuis electis eſt ſine fine duratura, Amen.

5.p. Med 21. HINC pergam conſiderare, quòd etiam *ignis*, ſicut ſol, *ſymbolum* ſit *diuinitatis*; ſicut perpendimus in meditationibus de Aduentu Spiritus S. nunc verò addemus, quàm ſit familiare, & proprium noſtri Creatoris ſupplere defectus creaturarum, & ſubuenire auxilio ſuo diuino, quando recedit, & deficit nobis humanum; & quàm liberaliter communicet ſe ipſe, inſtar *ignis* omnibus ad ſe accedentibus. quamobrem dixit David:

b Pſal. 33. 6. b *Accedite ad Deum & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.* Gra-

Oratio. tias tibi, ô *ignis* infinite, ob duplicem ignem, corporalem, & ſpiritualem, quibus & corpora noſtra, & animas recreas. Accende, quæſo, meam igne tui amoris, vt inſtar ignis aſcendat in altum diuinitatis tuæ, cui perfecta vnitione coniungatur in æternum, Amen.

MEDITATIO XXIII.

DE IIS, QVAE FECIT DEVS die quinta

PVNCTVM I.

a Gen. 1. 20. DIXIT DEVS, *producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram, ſub firmamento cæli.*

Piſces. PERPENDENDVM primò, quòd Deus Dominus noſter voluerit hac die 5. maria & flumina exornare magna in eis habitantium copia, multorum & magnorum ſcilicet *piſcium*, ad oſtendendam ſuam Omnipotentiam & prouidentiam in vtilitatem hominum. In quo PRIMVM

I. perpendam, quòd Deus Dominus noſter voluerit aquas habere ſuam cooperationem in formandis piſcibus, qui eſſent in ea victuri; ſicut ter-

Medit. 21. punct. 3. ra fuit particeps formationis plantarum, propter rationem ibi allatam. Quare in virtute illius verbi, *producant aquæ*; omnia maria & flumina maiora materiam præbuerunt, ex qua Deus piſces formauit, qui in aquis verſarentur.

II. DEINDE ingentem fecit *copiam piſcium*, cum magna varietate ſpecie-

rum,

rum, figurarum, & proprietatum, & inter alios b *creauit Deus Cete grandia*, & alios ingentis magnitudinis, ſine comparatione maiores, quàm ſint animalia terrę, quibus omnibus dedit ſuas ſquamas, pinnas, & alia membra apta ad natandum magnaque facilitate ac celeritate diſcurrendum per ſpatioſum mare, & omnes ſinus eius. b Gen. 1. 21.

III.

TERTIO *benedixit illa dicens, creſcite & multiplicamini, & replete aquas maris*. Et quoniam Dei benedictio eſt efficax, cùm illis benedixit, ſimul virtutem dedit ad generandos ſibi ſimiles in maxima copia, quæ ſuperat incomparabiliter aues & animalia terreſtria. De illis enim dixit Dauid c *illic reptilia, quorum non eſt numerus*. & cùm ſint tot, omnibus tamen prouidentia ſua prouidet alimenta conuenientia intra ipſum mare, quod inſtar matris illos alit ac nutrit, & veluti geſtat in vtero ſuo. Ex hac benedictione, (quę omnium eſt prima) qua Deus piſcibus benedixit, adeoque fœcundos illos reddidit, apparet, quàm ſit efficax & copioſa Dei benedictio in ſuis creaturis, præcipuè verò in hominibus. c Pſal. 103. 23.

IV.

DENIQVE hanc piſcium multitudinem fecit Deus in bonum & vtilitatem hominis, quem fecit, vt d *præeſſet piſcibus maris*; cui etiam artem dedit & induſtriam ad eos piſcandos, quos e *omnes ſubiecit pedibus eius*, non ſolùm paruos, ſed etiam magnos, & poſt diluuium dixit Deus Noe & filijs eius: f *omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt, eruntq; vobis in cibum* & in delicias aliaſque magnas vtilitates. His conſiderationibus excitabor ad glorificandum Creatorem, admirans non ſolùm eius Omnipotentiam, quam oſtendit faciens in momento & ſolo verbo tantam creaturarum multitudinem & earum molem; ſed etiam paternam prouidentiam, quam erga nos oſtendit, replens maria & flumina tot & delicatis adeò piſcibus, ad noſtrum nutrimentum ac delectationem: vt dicere liceat cum Dauide: g *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine! omnia in ſapientia feciſti: impleta eſt terra poſſeſſione tua*, & rebus quas condidiſti. *hoc mare magnum & ſpatioſum manibus*, plenum eſt *reptilibus, quorum non eſt numerus, animalia puſilla cum magnis* illic habitant. *Draco iſte* ſiue Cetus, *quem formaſti*, omnes diſcurrunt ac ludunt per illud, in quo maiores capientes minores ad ſuſtentationem & alimentum; ſed & homines ex diuina tua prouidentia, *nauibus illic pertranſeunt*, deambulant, ludunt & piſcatione horum & illorum piſcium, in eſcam, & ſolatium ſuum oblectantur. O gloria mea, effunde ſuper me copioſam benedictionem tuam, vt te laudem, ac tibi ſeruiam propter innumera bona, quæ cum illa nobis largiris, ſint luſus mei, te diligere; ac deliciæ meæ, tibi ſeruire; ſolatium meum, piſcari in mari huius mundi animas multas, quæ tuo ſeruitio ſe addicant & mancipent in ſecula, Amen.

d Gen. 1. 26. e Pſal. 8. 9. e Iacob. 3. 7. f Gen. 9. 2. g Pſ. 103. 25.

Oratio.

PVN-

PVNCTVM II.

Aues.

I.

S. Aug. de Gen. ad literam 3. S. Thom. 1. p. q. 71. a. 5.

DEINDE conſiderandum eſt, quòd Deus Dominus noſter hoc ipſo die aerem exornauerit, producens ex aqua magnam *auium* multitudinem, & ſpecierum diuerſarum. Vbi *primùm* perpendendum eſt, quòd Omnipotentia Dei ad creandas aues vſa fuerit aqua tanquam materia, præcipuè ſubtiliori, quæ in vaporibus ac nubibus continetur; vt aer quoque concurreret ad formationem eorum, quæ ipſi ornamentum erant allatura. Et ita in diuerſis mundi regionibus creauit auium multitudinem; in ſingulis eas, quæ iuxta ſuas qualitates meliùs poſſent conſeruari: omnibus autem benedixit, ſicut piſcibus, vt multiplicarentur, & ſua prouidentia dedit omnibus conueniens alimentum, quibuſdam in ipſa terra, alijs in aere, alijs denique in aqua natantibus. in quem finem & alas, & roſtra, & vngues apta & proportionata dedit.

II. Bona ex piſcibus

DEINDE perpendam huius beneficij magnitudinem; diſcurrens per ea bona, quæ illud complectitur. nam quædam aues ſuis carnibus delicatè nos nutriunt, aliæ dulci ſuo concentu recreant, aliæ plumis ſuis ornant; aliæ etiam docent, quid facere debeamus, induſtria ſua in conſtruendis nidis, nutriendis pullis, obſeruanda temporum mutatione, & alijs modis; à quibus multas ſimilitudines accipit Deus, ad nos inſtruendos. nam interdum ſe comparat a *Aquilæ prouocanti ad volandum pullos ſuos*, interdum b *gallinæ, ſuos congreganti ſub alas*, interdum noſtram ignorantiam condemnat, dicens: c *miluus cognouit in cælo tempus ſuum, turtur, & hirundo & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui: Populus autem meus non cognouit iudicium Domini.*

a *Deut.* 32. 11 b *Matt.* 23. 37. c *Iere.* 8. 7

III.

DENIQVE omnis *auium opera*, cum ſuis omnibus propenſionibus, & induſtrijs dirigitur in oblectationem, & vtilitatem noſtram. nam aliquibus earum, alias venamur, has dimittendo in aerem, vt illas capiant, noſque recreant, qui obſeruamus, qua aſtutia & ſagacitate prædam capiant; ſibique ſubijciant: ipſa etiam d *apis breuis* (vt ait Sapiens) *in volatilibus eſt, & initium dulcoris habet fructus illius* ad delicias hominum, vnde etiam cera, ex qua fiunt candelæ; & aliæ multæ res magnæ vtilitatis: pro quibus omnibus magnas gratias debemus Creatori & benefactori noſtro, agnoſcentes in auibus domeſticis, in ſilueſtribus, in ouis, calamis, & plumis, & in reliquis earum ſpolijs paternam Dei prouidentiam, quæ tot delicias & ſolatia pro ſuis filijs prouidit. O Pater dulciſſime & amantiſſime, qui tuam charitatem, & miſericordiam, & admirandam maximamque prouidentiam in *auibus* adumbraſti, quas hodie condidiſti; eandem quæſo in me liberaliter oſtende, ſolicitum me reddens in tuo obſequio,

d *Eccl.* 11. 3.

Oratio incitans ad laudē Dei.

quio,

Digitized by Google

quio, ſicut tu fuiſti prouidus in varijs mihi delicijs prouidendis. Sint mihi aues Magiſtræ, vt ex eis diſcam ſummo diluculo laudes tuas cantare; ſint & motiua virtutum, vt volem celeriter in rebus tui ſeruitij & renunciem ſuperfluis corporis delicijs, quas propter earum renuntiationem ſentiam in meo ſpiritu, Amen.

PVNCTVM III.

TERTIO eſt conſiderandum, quòd Deus Dominus noſter, videns quidquid hoc die feciſſet, *totum* approbauerit, quia totum erat perfectiſſimum, & fini, in quem illud deſtinauerat, omninò conueniens.

NOMINATIM autem eſt perpendendum, fuiſſe valde conueniens, vt eodem die *aqua* exornaretur & *aër*, quia hæc duo ſunt inter ſe *ſymbola* valdeque affinia, præcipuè aqua & aeris regio illi propinqua, in qua ſunt vapores & aqua nubium: quo nobis ſignificatur, Deum Dominum noſtrum delectari benefaciendo ijs, qui ita ſibi inuicem coniunguntur, & mutuò ſe iuuant, facit enim illos pares in gratijs & fauoribus ſuis, ſicut illi pares ſunt & charitate coniuncti. Sed eleuato tamen altiùs ſpiritu, perpendam quod dicit Eccleſia in hymno veſperarum huius feriæ, *qui ex aquis*, inquit, *ortum genus, partim remittis gurgiti, partim leuas in aera*; ſignificans, eos, qui Baptiſmi aqua ſunt regenerati, in duas viuendi rationes diſtribui: quoſdã enim manere ſeculares, alios fieri Religioſos; quoſdam ſequi vitã actiuã, qui per piſces ſignificantur, eò quòd in mari huius mũdi occupentur in operibus virtutũ, ſed miſcendo tamẽ aliqua negotia & curas ſeculares: alios verò vitam ſequi contemplatiuam, qui ſignificantur per aues, vt qui alis contemplationis à terrenis volent ad cœleſtia, habeantque ſuam conuerſationem in cœlis. I. Vita actiua & contẽplatiua.

PRIMI ſequuntur partem Marthæ, cui dixit Chriſtus Dominus, a *ſolicita es, & turbaris erga plurima*, eò quòd huiuſmodi viuant in mari tempeſtuoſo & turbato huius mundi, quia multa in eo ſunt, quæ nos turbant, animaſque noſtras reddunt inquietas. Alij Mariæ ſororis eius rationem amplectuntur, quæ melior eſt pars; quia fruuntur quiete, ſicut illi, qui eleuantur à terrenis, & ſuper ſeipſos, vt ſe Deo coniungant. & hoc eſt illud *vnum neceſſarium*, ad quod reliqua omnia dirigi debent, ſicut ſuo loco eſt dictum. Vtrique quidem ſunt boni, quia vtrumque ſtatum fecit Deus, & vtrumque ſanctificauit aqua Baptiſmi, & lauat aqua pœnitentiæ & lachrymarum; ideoque de vtroque intelligitur, quod ſcriptura dicit; *vidit Deus quòd eſſet bonum*, ſed cum aliquo diſcrimine. nam piſces producti ſunt ex aquis terreſtribus, quæ in mari ſunt amaræ; ideoque exer- II. Seculares. a *Luc.* 10. 40 Religioſi. *Introduct.* 3. *&* 5. *part.*

citia pœnitentiæ & lachrymarum in ſecularibus & actiuis admixtum habent dolorem & amaritudinem cordis, ob culpas, in quas ſunt lapſi, & præ imbecillitate ſua labuntur: lachrymæ verò Religioſorum & contemplantium ſunt aquæ dulces & delicatę, ſicut vapores cœleſtes, ex quibus factæ ſunt aues. ſunt enim lachrymæ amoris & deuotionis, expreſſæ à deſiderijs & ſuſpirijs vniendi ſe cum Deo.

III. PRAETEREA quamuis eodem die facti fuerint piſces & aues, priùs tamen refertur piſcium formatio, qui ſunt imperfecti; & poſtea auium, quæ in naturali ſuo Eſſe maiorem habent perfectionem. nam hic eſt mos DEI Domini noſtri, vt ab imperfecto aſcendat ad perfectum, ad ſignificandum, actiuam vitam eſſe priorem contemplatiua, & priùs nos debere exerceri in deflendis amarè noſtris peccatis, quàm aſcendamus ad dulcedinem contemplationis: ſicut b *Lia* prior fuit quàm *Rachel*, & Iacob priùs duxit Lia & poſtea Rachelem; nam ab actiua vita, quæ eſt imperfecta, aſcenditur ad contemplatiuam, quæ eſt perfectior & melior.

b *Gen.* 29.16

IV. DENIQVE *benedixit* DEVS *piſcibus* & *auibus*, dans illis virtutem ad ſe multiplicandum; vt ſignificet ſe vtrique horum iuſtorum generi copioſam benedictionem impertiri, vt generent ac multiplicent multitudinẽ bonorum operum, quæ ſunt fructus ventris ipſorum; generent etiam filios ſpirituales, lucrando multas animas Deo. Et ſicut vnumquodque generat ſibi ſimile, ita etiam inclinat illud ad exercitia ſuarum virtutum: quamuis piſces quidem ſint auibus fœcundiores; ad ſignificandum quòd vita actiua eſt ſicut Lia, Rachele fœcundior, gignitque plures filios ſpirituales Chriſto, quàm contemplatiua: ſed hoc de ea vita actiua eſt intelligendum, quæ in ſuo genere eſt perfecta, datque partem aliquam etiam contemplationi, ex qua haurit, quid debeat alios docere, & quid prædicare: ſed & ipſa contemplatiua eſt fœcunda, ſicut aues; & generat filios, licèt paucos, perfectos tamen, ſicut illi Rachelis ſunt.

CONSIDERANS hæc omnia, animabo me ipſum ad exercitia vtriuſque huius vitæ; coniungendo illa in eodem die, ſicut Deus coniunxit creationem duarum iſtarum rerum in eodem die; petamque demiſsè gratiam & auxilium ad id præſtandum.

Oratio. O Creator rerum omnium, qui in hoc *die quinto* has duas creaturas condidiſti, quæ has duas vitas referunt, ad vitam & ſuſtentationem hominum; ſupplex oro, vt quotidie concedas animæ meæ paſtum actionis & contemplationis, ad eam ita conſeruandam & ſuſtentandam, vt ex tua miſericordia obtineam æternam, in qua laudem & glorificem te in æternum, Amen.

Digitized by Google

MEDITATIO XXIV.

DE IIS, QVAE FECIT DEVS die ſexta.

PVNCTVM I.

DIXIT a *quoque* DEVS, *producat terra animam viuentem in genere ſuo*, iumenta *&* reptilia, *&* beſtias *terræ, ſecundùm ſpecies ſuas; & factum eſt ita, &c.* a Gen. 1. 24. S. Thom. 1. p. q. 72.

PRIMO eſt conſiderandum, quòd Deus Dominus noſter voluerit *die ſexto* ornare terram habitatoribus; animalibus, ſcilicet variarum ſpecierum iumentis, ſerpentibus, & alijs beſtijs; in quo ſuam Omnipotentiam patefecit, faciens in momento tantam multitudinem animalium in diuerſis orbis partibus; & in vnaquaque ea, quæ ibi poſſent conſeruari, præbente terra materiam, ex qua illa fierent, & obediente abſque reſiſtentia imperio diuino. Ex qua conſideratione eos affectus concipiam, qui ſuprà ſunt indicati. I. Animalia terreſtria.

POST hæc perpendam *multitudinem & varietatem* animalium, quæ Deus creauit, & ſcriptura hic reducit ad *tria genera*; quædam enim appellat iumenta, *domeſtica* ſcilicet animalia, propterea ſic dicta, quòd hominem adiuuent: alia, quæ ſerpunt per terram, quæ generali nomine *reptilia* aut *ſerpentia* vocamus; alia denique vocat *beſtias*, quæ ſunt ſilueſtria ſiue feræ. Et in ſingulis his generibus varias fecit ſpecies, cum ſtupendis figuris, proprietatibus, & naturalibus inclinationibus; quibus omnibus admiranda prouidentia proſpicit de alimentis conuenientibus, tribuens vnicuique apta inſtrumenta ad illud ſibi procurandum. Et ſimul dat arma offenſiua & defenſiua, & aſtutias magnas, vt ſe ab alijs tueantur, & alia inuadant, vt ſic aſſequantur quod quærunt. De quibus omnibus gloriatur Deus, loquens cum Iob, referens illi in quatuor capitibus ſtupendis proprietates, quas dedit his animalibus; & prouidentiam, quam de omnibus habet: propter quæ omnia gratias illi agam; confidens, quòd qui talem habet circa animalia prouidentiam, multò maiorem ſit habiturus circa homines, vt poſtea dicemus. II. Tria genera animalium. A cap. 38. vſque ad 41.

TERTIO perpendam magnum beneficium, quo nos DEVS affecit, dum hæc animalia creauit: nam quædam nos nutriunt delicatè ſuis carnibus, alia lana ſua nos induunt; alia ex corio ſuo præbent calceamenta, vermes etiam ſericum conficiunt, quo nos ornamus: III. Beneficia ex terreſtribus animalibus.

alia iuuant nos in itinere; alia portant onera; alia cuſtodiunt noſtras domos & nos ipſos; alia nos recreant, & ſua generoſitate etiam nobis adferunt honorem, ſeruiunt nobis in pace & in bello; alia nos docent ſuas aſtutias & ſagacitates; ipſa etiam formica eſt pigrorum Magiſtra, ad quã eos mittit Spiritus ſanctus dicens: b *Vade ad formicam ô piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam.* Denique tot ſunt commoda ex his animalibus, vt numerari non poſſint: ſed quoniam illa quotidie experimur, toties deberemus Deum laudare, & infinitas creatori gratias agere, *duplici nomine*; tum propter bonum, quod ipſis creaturis confert, etiam non agnoſcentibus authorem, à quo illud accipiunt, quorum ignorantiam ego mea ſcientia & cognitione ſupplens, gratias pro illis agere debeo: tum propter bonum, quod mihi per eadem animalia confert: ſiquidem quidquid illa habent, eſt in meum vſum, & plus mihi ſeruit quàm ipſis. O Deus liberaliſſime, qui tot nobis dediſti ſubſidia ad hanc vitam commodè tranſigendam; adiuua nos tua gratia, vt ita tranſeamus per hæc bona temporalia, vt non amittamus æterna, Amen.

b *Prou.* 6.6.

Oratio.

PVNCTVM II.

I. DEINDE conſiderãdum, quòd aſpiciens DEVS hoc opus ſuum, *viderit eſſe bonum*, & approbauerit tria genera animalium, quæ condiderat, non ſolùm domeſtica & cicura, ſed etiam ſerpentes & feras; quamuis & ſerpentes ſint venenatæ, & feræ magna ſæpe damna hominibus adferant, ob rationes ſuperiùs inſinuatas; nominatim verò quòd prouidentia Diuina voluerit hîc ſuam miſericordiam & iuſtitiam ſimul manifeſtare. *Miſericordiam* quidem, quia feras & ſerpentes ita ſubiecit homini, vt, ſi ipſe non peccaſſet, non potuiſſent illi nocere: *Iuſtitiam* verò, quia eaſdem poſt peccatum, tanquam inſtrumentum adhibet Deus ad corrigendum peccantem, vt ſe emendet; &, niſi voluerit, caſtigetur propter peccatum: item etiam propterea illas fecit, vt iuſti Deum glorificent, attendentes, ſe à Dei prouidentia ita protegi, vt huiuſmodi animalia ipſos non lædant, niſi cùm ad maius ipſorum bonum Deus id permittit; quod Sapiens perpendit dicens: a *Creatura tibi factori deſeruiens, exardeſcit in tormentum aduerſus iniuſtos: & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt.* O Deus æterne, cuius prouidentia *omnes creaturæ deſeruiunt omnium nutrici gratiæ tuæ*, & obediunt tuis præceptis, ad conſeruationem tuorum electorum; ſuſcipe me ſub tuam protectionem; & adiuua, vt & ego tibi ſeruiam & obediam; cùm enim tuæ creaturæ adeò promptè obediant

Medit. 21. *punct.* 5.

a *Sap.* 16. 24.25.

Oratio.

Digitized by Google

tuæ voluntati, nullæ mihi nocebunt, ſi ego eidem me totum ſubiecero.

DEINDE perpendendum, quòd eadem animalia etiam appellentur *bona*, eò quòd occaſioni ſint nobis exercendi virtutes, & fugiendi vitia, excitentque tam mei timorem, quàm de eius miſericordia fiduciam; quæ ſuis quoque naturalibus propenſionibus nos monent eorum, quæ facere debeamus. Et ita Chriſtus Dominus noſter dixit: b *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*. Ex quo diſcam modum quendam, fructum capiendi ex his creaturis in Meditatione. eſt enim in illis aliquid boni & vtile, quod imitari poſsimus ex ea parte, quâ illæ in ſuo genere ſunt perfectæ; eſt tamẽ in eiſdem aliquid imperfectum, quod fugiamus; ex ea parte, quâ cum hominibus comparatæ, ſunt imperfectæ. A iumento diſcam ſubiectionem & obedientiam ad Deum, & ad onus legis eius, cum proprij iudicij reſignatione, dicens cum Dauide; c *vt iumentum factus ſum apud te*; ſed non imitabor eius ignorantiam & ruditatem, ne illud de me dicatur, d *homo, cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. O Deus æterne, ne patiaris homines rationis capaces fieri e *ſicut equum & mulum, quibus non eſt intellectus*; refrena illorũ paſſiones freno ſancti tui timoris, vt ſeruantes hominum dignitatem, imitẽtur bonum, quod tu in his beſtijs poſuiſti; & non ſequantur malum aut imperfectum, quod in eis eſt, Amen.

II.

b *Mat.* 10. 15.

Documẽta ab animalibus.

c *Pſa.* 72. 22.

d *Pſal.* 48. 13. 21.

Oratio.

e *Pſal.* 31. 9

PVNCTVM III.

TERTIO conſideranda eſt cauſa, cur Deus Dominus noſter non benedixerit animalibus terræ; ſicut quinta die benedixerat piſcibus & auibus, dicens; *creſcite & multiplicamini*: neque enim id myſterio caret.

Vide cur Deus non benedixerit terreſtribus

Et quamuis huius rei cauſa fuerit, quòd hoc eodem die paulò pòſt erat benedicturus homini, in quo virtute benediceret etiam his animalibus, cum quibus homo in corporea & ſenſitiua natura, loceque habitationis conueniebat: aſcendendo tamen ex hac litterali cauſa ad myſticam, voluit Deus noſter benedictionem horum animalium, quaſi ſuſpẽſam eſſe, vt homines intelligeremus, eorum benedictionem aut maledictionem, multiplicationem aut diminutionem, dependere à *meritis* hominũ, quorum cauſa Deus illa creauerat: nam in præmium iuſtorum, qui fideliter ipſi ſeruirent, promittit benedictionem & multiplicationem animalium hominibus vtilium, dicens populo Iſrael: a *ſi audieris vocem Domini Dei tui, vt facias & cuſtodias præcepta eius, benedictus erit fructus ventris tui, fructus terræ tuæ, fructuſque iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ouium tuarum*. Contrà verò in pœnam peccatorum eiuſdem populi, mi-

I.

a *Deut.* 28. 1. & c.

natur maledictionem eorundem animalium, dicens: *ſi audire nolueris vocē Domini Dei tui, vt cuſtodias omnia mandata eius, maledictus erit fructus vētris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum; & greges ouium tuarum*, & minatur, quòd eadem illis auferentur & deſtruentur. & ſimiliter minatur, ſe multiplicaturū aduerſus eos venenata & fera animalia; quod pertinet non ad benedictionem, ſed ad maledictionem hominum, & pœnā, ac ſupplicium eorum ſcelerum, propter quæ ſerpentes multiplicantur, locuſtæ, leones, & aliæ beſtiæ, vt conſtat ex plagis AEgypti, & alijs pœnis ac ſupplicijs, quæ refert Scriptura. Ex quibus concipiam deſideria feruētia, tali Domino ſeruiendi, à quo tales benedictiones proueniunt; & timorem eundem offendendi; ſiquidem tales propter offenſam inferūtur pœnæ & maledictiones. O Pater miſericordiſsime, à quo omnes benedictiones procedunt cæli & terræ; concede fidelibus Eccleſię tuæ ſeruis ita fideliter tibi ſeruire, vt ſicut alter Iacob, mereantur obtinere conuenientem benedictionem bonorum temporalium, & multò copioſiorem æternorum.

b *Deut.* 32. 24. *& aliàs ſæpè.*

Oratio ad impetrandam benedictionem.

III. HINC pergam ad perpendendum, quòd *beſtiales* noſtræ carnis *paſsiones* multiplicentur & creſcant, in pœnam rebellionis noſtræ voluntatis contra Deum; & contrà, debilitentur & minuantur in præmium ſubiectionis, & conformitatis noſtræ voluntatis cum Diuina; ob quam eædem paſsiones rationi & voluntati ipſi ſubijciuntur, cum quibus pacem colunt: nam in ordinem redactæ multiplicantur & creſcunt, ex Dei benedictione; & ipſi appetitionum ſenſuum affectus iuuant ipſam voluntatem, *vt cor, & caro*, & ſpiritus, *exultent in Deum viuum*, & ſecundo vento nauigent in eius ſeruitio. O Dilecte cordis mei, opto, vt *anima mea in te ſitiat, & caro mea quàm multipliciter tibi*, & obſequio tuo. Effunde ſuper vtramq; tuam benedictionem, vt caro mea multiplicet affectus tibi placentes, quibus anima ipſa vtatur & iuuetur ad tibi ſeruiendum magis feruenter in ſecula, Amen.

Pſal. 83. 3.

Oratio. *Pſal.* 62. 2.

a *Gen.* 1. 26.

MEDITATIO XXV.

DE CREATIONE HOMINIS.

PVNCTVM I.

Creatio hominis tria proponit.

AIT DEVS, *faciamus* hominem *ad imaginem & ſimilitudinem noſtrā, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs, vniuerſaquè terræ, omniquè reptili, quod mouetur in terra.*

CONSIDERANDVM eſt primò, quòd eodem die ſexto, quo Deus

fecit

fecit animalia terreſtria, voluit etiam *hominem* facere. circa quod tria ſingularia ſunt expendenda.

I.

PRIMVM quòd particulari myſterio noluerit integrum diem hominis creationi aſsignare, ſicut formationi lucis conſtituit; ſed eodem ſexto die illum creauit, quo alia animalia terreſtria, quia cum eis in parte corporis & ſentiente conueniebat; vt ſic *fundamentum* iaceret *humilitatis*, agnoſcens *vilitatem*, quam hoc nomine haberet. cùm enim Deus eſſet hominem ad magnas excellentias euecturus, expediebat *vilitates* aliquas illi admiſcere, quæ illum, ne euaneſceret, continerent: quam rationem ſemper Deus Dominus noſter ſeruauit, vt ijs, quæ extollere poſſunt, admiſceret aliquid, quod ad ima deprimeret; vt fundaremur in humilitate, ſine qua nulla altitudo ſecura conſiſtet.

II.

SECVNDVM eſt, quòd Deus creauerit hominem poſt cetera animalia, nam vt in creatione viuentium ab imperfectioribus incepit, & aſcendit ad perfectiora, primò enim fecit *plantas*, deinde *piſces*, mox *aues*, poſtea *animalia terrena*, ac denique *hominem*, qui eſt perfectiſsimus; ita vult ſeruos ſuos, in ſuis actionibus, procedere; à minoribus ſcilicet ad maiora, & quotidie creſcere in perfectione; vt ſecunda die agant perfectiùs quàm prima, & in tertia perfectiùs quàm in ſecunda, & ita quotidie aſcendant de virtute in virtutem, donec ad perfectionis culmen perueniant, cùm ſingulis item horum ſex dierum fecerit Deus res aliquas nouas, aliam aliâ præſtantioré; aut perfecerit, quas antea fecerat: ita cupit, vt eius electi ipſi a *cantent* CANTICA NOVA *& ſpiritualia, cantantes & pſallentes in cordibus ſuis Domino, gratias agentes ſemper pro omnibus*, & vt NOVA illi offerant obſequia, nouo feruore, nouo ſpiritu, & nouitate affectuum internorum circa eius magnitudinem & maieſtatem, & quoniam aduertis, anima mea, Deum b *nouam* tantùm *creaturam magni facere*, ſtude diligenter, noua quotidie pia opera exercere; nõ tamen tibi illa attribuẽs, ſed ei, qui ea in te c *creat*, per merita *Chriſti* IESV, *in operib. bonis*, cui debes pro illis gloriã.

a *Epheſ.5.19*

b *Gal.6.15.*

c *Eph.2.10.*

III.

TERTIVM eſt, quòd omniũ *rerum vltimũ* creauerit Deus *hominem*, in quo omnia creationis opera ſex horum dierum finem habuerint: vt intelligeretur, ipſum eſſe omnium illarum *finem*, in quo tanquam in paruo mundo omnia colligerentur; & totum ædificium ornatumq; huius mundi viſibilis fuiſſe deſtinatum, vt eſſet ipſius domus & habitatio. Quod totum paterna prouidentia præparauit & prouidit, antequam hominem ipſum crearet; vt ſtatim atque ipſe creatus eſſet, recreare poſſet ſuos *oculos* pulchritudine rerum, quas videret; *aures* muſicâ & concentu auium, quas audiret; & *guſtatum* oblectare ſapore ciborum, qui appoſiti erant in menſa, à Deo ipſi præparata: & ſic de ceteris. O Pater amantiſsime, ſi antequã me creares, tot bona mihi præparaſti in hoc mundo inuiſibili, vbi

S. Ambroſ. Epiſt. 38. ad Horantium.

Oratio.

mea

mea habitatio breuis eſt futura, quantò maiora præparaueris in mundo inuiſibili, in quo habitatio mea eſt futura æterna! Gratias tibi quantas poſſum ago pro his & illis, & ſiquidem, Domine, priora mihi præparaſti, quæ me iuuarent ad ſecunda peruenire, concede mihi ita viuere in hoc mundo viſibili, vt aſcendam poſtea ad inuiſibilem, vbi ſemper te fruar, Amen.

PVNCTVM II.

CONSIDERANDVM deinde eſt altiſsimum ſanctiſsimæ Trinitatis *conſilium* circa hominis creationem; quod inſinuatur primis illis verbis; a FACIAMVS HOMINEM. In quibus latent magna myſteria, quæ ſunt hîc perpendenda.

a *Gen.* 1. 26. Myſteria. I.

PRIMVM eſt, quòd non dixerit Deus de homine, quod de alijs rebus; *fiat homo*, aut: *producat terra hominem*; vt ſignificaret hominis excellentiā, qui propter partem eius nobiliorem, ſcilicet animam, nec potuit produci à terra, neque ab aqua, ſed à ſolo Deo, cœli & terræ Conditore; vt intelligamus nos teneri ad ipſum ſuper omnia diligendum, tanquam vnicum noſtrum *principium*, à quo noſtrum omne bonum procedit, & ei ſoli ſeruiendum, & ab eo petendum, vt nos perficiat, cui dicamus, b *O Deus virtutum, reſpice de cœlo, & vide, & perfice vineam hanc* animæ meæ, *quam plantauit dextera tua.*

b *Pſal.* 19 15

II. DEINDE dixit in plurali, FACIAMVS *hominem ad imaginem* NOSTRAM; quo notitiam aliquam myſterij ſanctiſsimæ Trinitatis inſinuauit, & quòd omnes tres perſonæ ad hominis creationem concurrerent, cum maiori ſingularitate, quàm aliarum rerum, vt ei communicarent imaginem & ſimilitudinem ſuam. Item, vt ſignificaretur, quòd tres Diuinæ perſonæ, opus hoc aggrederentur matura deliberatione & conſilio; & quaſi inuicem ſe ad eius executionem exhortantes. nam cùm totum rei exitum ante ſe haberent; viderentque, hominem futurum Creatori ſuo ingratum, & ipſius legem tranſgreſſurum; & porrò caro ſibi conſtiturum, remedium ex rigore iuſtitiæ adhibere; & arduum, eundem lapſum iuſtificare, & efficere, vt *finem* ſuum *vltimum*, in quem illum creabant, conſequeretur: His tamen difficultatibus nihil obſtantibus, dixit Pater, Filio, & vterque Spiritui S. & omnes tres magna reſolutione dicunt; FACIAMVS *hominem ad imaginem & ſimilitudinem* NOSTRAM. O amantiſsime & miſericordiſsime Creator, quid te permouit ad eam creaturam creandam, quæ tuę bonitati adeò eſſet ingrata! cur ei dediſti eſſe, qui adeò malè eſſet illud collocaturus? quomodo ad tuam *imaginem & ſimilitudinem* illum creaſti, qui ſuis peccatis eandem erat obſcuraturus?

S Greg. lib 9 *Moral. c.* 27.

facilè

Digitized by Google

facilè quidem tibi fuit illum creare; valde tamen laborioſum & carum erit eundem reparare. & nihilominus certo decreto dicis; *faciamus hominem.* O dilecte animæ meæ, quid tibi reddā pro adeò beneuola tua deliberatione? cupio & ego aliam huic ſimilem facere, ſtatuens ſtrenuè vincere quamcunque difficultatem, quæ me à tuo ſeruitio retardet; ſi quidē tu adeo beneuolè me creare decreuiſti.

Hinc etiam diſcam, ad imitationem Creatoris, antequam res arduas & graues aggrediar, conſultare circa eas, & maturum adhibere *conſilium,* prætogitareque, quid illud ſit, quod facere aggredior, ne quod poſtea euenerit, vt nouum mihi accidat, & feciſſe me pœniteat, iuxta illud Eccleſiaſtici; c *fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis:* d *Conſiliarius* autem *ſit tibi vnus de mille,* Deus ipſe videlicet Trinus & Vnus, vt e *conſilium meum* ſemper ſint *iuſtificationes* eius, quas in ſua lege nobis propoſuit. III. c *Eccl 32. 24.* d *Eccl 6 6.* e *Pſal 118. 24.*

Denique perpendam, Deum dixiſſe verbum illud: Faciamus; ad ſignificandum, ſe creare hominem, cum quo familiariter poſſet conuerſari, eò quòd rationis & amicitiæ ſuæ faceret illum capacem, atque ſi diceret: Inter omnia viſibilia, quæ creauimus, non eſt cum quo poſsimus conuerſari, *faciamus* itaque *hominem,* qui noſtræ communicationis & cōuerſationis ſit capax. O ſapientia æterna, cuius f *deliciæ* in exordio Creationis mundi fuerunt, creare *filios hominum,* & *eſſe cum illis;* ſiquidem me tuæ conuerſationis capacem creaſti, imple finem huius creationis, familiariter mecum agens. IV. f *Prou. 8. 31.*

Pvnctvm II.

Tertio conſiderandum, quòd Deus Trinus & Vnus ita hominē ad ſuam imaginem & ſimilitudinem creauerit, vt animam (in qua præcipuè hæc imago conſiſtit) dederit ſibi ipſi ſimilem in ſupremo gradu Eſſe intellectualis, & in excellentiſsimis diuinitatis ſuæ perfectionibus, quæ poſſunt creaturis communicari. Quas excellentias reducemus ad ſex, & in ſingulis perpendemus præſtantiam huius beneficij. *S Thom. 1. p. q 93.*

Prima excellentia animæ noſtræ, per quam eſt a *imago Dei & gloria* eius, ea eſt, quòd ſicut Deus eſt purus ſpiritus, ac propterea carnis oculis inuiſibilis, & in loco, in quo eſt, indiuiſibilis; nam in quacunque eius parte eſt eminentiſsimè totus, illum conſeruans, danſque eſſe, vitam & motum rei, in qua eſt, eo modo, quo illa eius eſt capax; ita anima noſtra eſt purus ſpiritus, & inuiſibilis oculis corporis, niſi quod ex effectibus, quos habet in corpore, in eo illa eſſe deprehenditur: in quo tamen eſt indi- Excellētia. I. a *1. Cor. 11. 5.* *S Thom 1 p q 75 a. 1.*

inuiſibiliter,ita,vt tota ſit in oculis,tota in auribus,tota in manibus, & in ſingulis partibus ac membris,dans vnicuique eſſe,& modum vitæ,ac mo-
b Pſ.103.29. tum,& officium,quod in eo habet. Et ideò b *auferente* Deo (vt ait Da-
uid) *hunc ſpiritum hominis, deficit ille, & in puluerem ſuum* corpus *reuertitur.* Propter quod totum par eſt, noſtrum ſpiritum, cum omnibus membris,in quibus eſt,glorificare Devm,& adhibere illa omnia tamquam linguas,quæ illum benedicant. O Spiritus infinite,qui varios ſpi-
c Ioan.4.23. ritus in cœlo & in terra creaſti,c *qui te adorarent in ſpiritu,& veritate,quia tu,*cùm ſis *ſpiritus,tales quæris adoratores.* Ego te adoro & glorifico, prop-
d Rom.8.13 ter Spiritum,quem mihi dediſti,ego cupio tibi ſeruire & eo d *ſpiritu facta carnis mortificare,*vt ſpiritus meus tibi ſoli viuat,& tuus in meo in æternum.

II. Secvnda excellentia eſt,quòd ſicut Deus eſt immortalis; & quam-
e Pſal.101. 27. uis in mundo hoc ſit,non tamen ab eo dependet:& ſi mundus,& e *cælum & terra perirent, Deus tamen permaneret* in ſeipſo, *idemq; ipſe eſſet;* ita anima noſtra,etiamſi ſit in mortali hoc corpore,eius tamen eſſe à corpore non
S. Thom.1.p. q.75 a.6. dependet:& quando corpus moritur,& f *in puluerem reuertitur, ex quo fuerat ſumptum,* non tamen moritur *ſpiritus,* ſed permanet, *reditq; ad Deũ,*
f Eccl.12 7. *qui dedit illum,*vt ab eo deſignatum locum accipiat,in quo viuat iuxta ſua
Oratio. merita. g O *Rex ſeculorum immortalis & inuiſibilis,* h *qui ſolus habes immor-*
g 1.Tim.1, 17 *talitatem,* per tuam eſſentiam,gratias tibi,quòd per participationem etiã
h c.6.16. dederis animæ meæ *immortalitatem,*à tua voluntate dependentem, ſine qua etiam eſſe deſineret,& cum qua ſemper illam retinebit;ſupplico humiliter,vt quando illa ex corpore hoc mortali exiuerit, ſicut ei dediſti immortalitatem naturæ,ita concedas immortalitatem gratiæ, vt libera ab immortali morte inferni,vitam viuat immortalem in cœlo in æternum,Amen.

III. Tres potẽtiæ animæ. Tertia animæ excellentia eſt,quòd cùm ſit in vna; *tres* habeat nobiliſsimas *facultates,* cum tribus nobiliſsimorum actuum generibus, Intellectvm videlicet,quo res cognoſcit,tam corporales,quàm ſpirituales,& ratiocinatur de omnibus creaturis, cœleſtibus & terrenis; &
S. Thom.1 p. q.93.a.5. Memoriam,qua recordatur rerum,quas intellexit,& præteritas tãquã præſentes habet;ac denique Volvntatem,qua vult,diligit,aut deteſtatur quod cognouit. Ex quo procedit,vt anima noſtra non ſolùm in ſe habeat *imagine diuinitatis,*ſed etiã Trinitatis Sanctiſsimæ,nam vt Pater æternus ſe intelligens,producit verbum, ſcilicet filium,& hi duo ſe intelligentes,producunt amorem,qui eſt Spiritus S. ita anima noſtra ſuis
a 7.& 8. potentijs reſpicere poteſt Deum; & intellectu producit intra ſe quoddam verbum, & conceptum ei ſimilem, qui eſt Deus; & voluntate producit alium amorem ſanctum Dei, qui ipſam faciat ſanctam, & in

hoc

hoc (ait S.Thomas) eſt præcipua excellentia animæ noſtræ, qua eſt imago ſanctiſsimæ Trinitatis.

QVARTA excellentia, quæ ex proxima oritur, eſt, quòd habeat *liberum arbitrium*, diuino ſimile, adeò generoſum ad volendum aut nolēdū quod illi placet, vt non ſit poſsibile illam cogere contra ſuam propenſionem: nec vllus homo aut Angelus aliquam illi poteſt neceſsitatem inferre, quia ſolùm eſt ſubiecta ſuo Creatori, qui i *reliquit hominem in manu conſilij ſui*, & in eius voluntate *poſuit vitā & mortē, bonū & malū, vt ad quod voluerit, porrigat manū ſuā.* O Creator Omnipotens, qui gloriaris, te habere creaturas aliquas liberas, libertate ſcilicet, quam tu illis impertiris, en reddo tibi, quam mihi dediſti, optans ſemper illa vti ad id ſolùm amplectendum, quod tu volueris, eò enim perfectius erit liberum meum arbitrium, quò tuo erit conformius. IV. Liberum arbitrium. *S.Thom 1.p. q.83.& 1.2. q.6 a.4. & q.9.a.6. i Eccl 15 14. i Deu.30.15.*

QVINTA animæ excellentia, quæ ex vtraque præcedente oritur, eſt, quòd ſit capax ſapientiæ, & ſcientiæ, virtutis & gratiæ, beatitudinis & gloriæ, & omnium donorum naturalium & ſupernaturalium, quę poteſt illi DEVS dare. Habet enim tantam capacitatem, vt ſolus ipſe Deus ſatiare illam poſsit; & quamdiu non videt & poſsidet DEVM, non eſt poſsibile illam eſſe ſaturā. In qua re valde emicat *imago* DEI in ipſa; ſiquidem vt DEVS non poteſt ſatiari vlla re alia, niſi ſeipſo; ſic animę capacitas & deſiderium non poteſt impleri, niſi ipſo DEO. O DEVS infinite, ſiquidem infinitam mihi capacitatem dediſti, ne permittas illam eſſe in me vacuam, & quia in te ſolo ſunt omnia bona, te ipſe imple me, tu enim ſolus mihi ſufficis. V. Subiectum virtutum & gratiarū anima.

SEXTA excellentia eſt, quòd ſicut Deus eſt Dominus *ſupremus* rerum omniū, quas eminenter in ſe continet, & habet imperium & poteſtatem ſuper illas; eſtque *finis vltimus*, in quem cẽt diriguntur; ita homo, ratione præcipuè animæ ſuæ, eſt ſupremus omnium creaturarum viſibilium corporearum, nam & cœli, & ſtellæ, vt ſuprà dictum eſt, ſunt illi ſubiectæ, & in eius miniſterio occupantur. In ſeipſo includit gradus omnes rerū, corporum, plantarum, animalium, & Angelorum; & tanquam *abbreuiatus mūdus* & contractus, continet, quidquid eſt in explicato hoc & extenſo mundo, & præſidet cum magna poteſtate rebus omnibus, quæ ſunt in terra, vt in 5. puncto dicetur. VI.

Ex his ſex conſiderationibus ſequitur, quòd eſſe factum *ad imaginem* DEI, ſit excellentia ſingularis, & propria hominis inter creaturas corporeas, quæ non ſunt imago, ſed veluti quædā *linea* aut *veſtigium* magnitudinis Dei & eius Trinitatis. Ideoque meritò animā meam excitabo, vt nobilitatem & ingenuitatē ſuam agnoſcens, ab ea nō degeneret; ſed totam ſe tradat Deo, reuocans ſibi in memoriam, quòd Chriſtus Dominus *S.Thom 1.p. q.45.a.7.& q.93.a.2.*

k Mat. 22. 20. Marc. 12. 16. Luc. 20. 24.

minus dixit k *interrogantibus, nũ liceret cenſum dare Cæſari, an non: cuius, inquit, eſt imago hæc & ſuperſcriptio? & dicentibus, eſſe Cæſaris, ait ipſe: reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Atque ſi diceret; ſiquidem imagine huius denarij, quo vtimini, proteſtamini vos ſubditos eſſe Cæſaris, reddite ei, quod huius ſubiectionis nomine debetis; quia id pertinet ad ipſum: ſed reddite quoque Deo, quod ei debetis. Ingredere, anima mea, & rationes ipſa pone tecum, atque interroga te ipſam, cuius hæc eſt imago, quæ eſt intrà te & in te? num eſt imago Cæſaris? an mundi? an carnis? an alterius rei creatæ, maioris te aut melioris? Agnoſce tuam excellentiam: nam iſta imago non alterius eſt quàm ipſiuſmet Dei, qui ſua infinita liberalitate creauit te ad imaginem ſuam: da itaque Deo, quod eſt Dei; agnoſce per hanc imaginem ſubiectionem, quam illi debes; redde ei *tributum*, quod tibi impoſuit. Et ſiquidem tu ipſa es *denarius* huius tributi, in quo tui Regis imago eſt expreſſa, trade te totã eius obſequio, quia totam te debes ei, qui tibi dedit, quidquid es.

HAC ratione licebit diſcurrere per ſex prædictas excellentias, in quibus huius imaginis ratio elucet, interrogãdo me ipſum; tuus ſpiritus cuius imago eſt? ſi eſt imago ſpiritus Dei; da illum totum Deo, & fac, vt ſis vnus ſpiritus cum eo; anima tua cum tribus ſuis facultatibus cuius eſt? ſi eſt imago Trinitatis ſanctiſſimæ, da Trinitati, quod eſt Trinitatis, vt ſeruias ei, qui vnus eſt & Trinus in æternum. Amen.

PVNCTVM IV.

S. Thom. 1. p. q. 93. a. 9. S. Baſil. Ambroſ. & alij.

QVARTO eſt conſiderandum, quòd Deus Dominus noſter non ſolùm creauerit hominem ad imaginem ſuam, ſed etiam *ad ſimilitudinem*; ita vt imago eſſet perfectiſſima, & exemplari ſimilis, ex quo erat deſumpta. quare non contentus, quòd hominem creaſſet ad ſuam imaginem, ſecundùm naturam, vt dictum eſt; creauit etiam Adamũ ad ſuã ſimilitudinẽ, dans ei ESSE *gratiæ & iuſtitiam originalem.* quamobrem dixit Sapiens, l *quòd fecerit Deus hominem rectum*, quia opera Dei ſunt perfecta, & nunquam inania aut vacua ab illa perfectione, quam pro eo tempore habere poſſent, iuxta finem, in quem creantur. & quoniam Adamus factus ad imaginem Dei, capax erat eius gratiæ & amicitiæ, voluit cùm hac perfectione creare, incipiens implere illam eius vacuitatem & capacitatem, quam ex natura ſua habebat ad dona ſupernaturalia.

I. l Eccl 7. 30. 1 p. q. 59 a. 1.

II. q. 95 a. 3.

HINC etiam prouenit, vt *ſimilitudo in eſſe gratiæ*, quã Deus dedit Adamo, fuerit perfectiſſima; quia non ſolùm animam ſanctificauit, rectificauit, & ſibi conformem fecit, ſed etiam plenum imperium & poteſtatem illi dedit ſuper omnes ſuas paſſiones, ita vt *libera* ſua *voluntate* appetenti-

bu;

bus facultatibus imperaret;& illæ actus ſuos elicerent tanto tempore, & tanta intenſione,ſicut ipſa *voluntas* vellet;nulla contra rationem vel tētata rebellione,vel pugna & contradictione,qualis nunc eſt m *inter carnē & ſpiritū*;& ad eiuſdem Dei ſimilitudinem habebat pacem in regno ſuo interno,ita vt nihil in eo eſſet,quod eius liberæ voluntati reſiſteret. m *Gal.*5. 7.

III.

HINC etiam prouenit,vt imago & ſimilitudo Dei,quæ præcipuè eſt in anima,deriuetur etiam ad corpus,non ſolùm propter rectitudinē, quā habet,dū incedit erectū,& ad cœlum eleuatum;ſed etiam propter participationem *immortalitatis*,quam anima illi communicauit,in cuius poteſtate erat nunquam mori,ſicut reuera nunquam fuiſſet mortuum, niſi ſuperueniſſet peccatum. 1 *p.q* 67.*a*.1.

HAC ratione Deus creauit Adamum & Euam,ad imaginem & ſimilitudinem ſuam,qui quamuis ſoli hoc *vltimum bonum* ſupernaturale habuerint,quia ſua culpa illud ſibi & ſuis poſteris perdiderunt;voluntas tamen & propoſitum Dei fuit,illis & eorum poſteris illud dare, ſi ipſius mandatis obedirent.propter hanc ergo eius volūtatem meritò Deo gratias egā & in meis debitis ponā tria hæc bona & beneficia,quæ Deus cōtulit primis parentibus,atque ſi mihi contuliſſet,& ſupplicabo,vt quandoquidem illam ſimilitudinem amiſi,dignetur ipſe illā ſua gratia reparare.O verbum diuinum,n *imago inuiſibilis* æterni Patris,qui in hūc mūdum veniſti ad resarcienda damna hominis, quem ad tuam imaginem creaſti,ad reparandam ſimilitudinem in Eſſe gratiæ,quam ſua culpa ſibi & omnibus amiſit,reſpice oculis miſericordiæ pauperem animam meā; recognoſce quam feciſti,quamuis defœdatam ijs,quæ ego feci ; & ſiquidem ego illi abſtuli ſplendorem gratiæ,quam in baptiſmo ei dediſti,reſtitue illam pœnitenti,deleaturque malum,quod ego in ea feci, vt ſuum habeat ſplendorem imago,quam tu creaſti. O Pater miſericordiarum, qui tuos o *Electos prædeſtinaſti conformes fieri imagini Filij tui*; & me quæſo ita illi cōforma in ſanctitate,vt p *cùm apparuerit*,perfectè ſimilis ei ſim in gloria, Amen. n *Col.*1.15. Oratio. o *Rom.*8 29 p 1.*Ioan*.3 2.

PVNCTVM V.

QVINTO eſt conſiderandum, quòd Deus Dominus noſter fecerit hominē etiam,a *vt præeſſet piſcibus maris & volatilibus cœli & beſtijs, vniuerſæq; terræ,omniquè reptili,quod mouetur in terra*. a *Gen*.1.26. *S.Thom* 1.*p q* 36.

CIRCA quod perpendenda primùm eſt hominis excellentia, quatenus factus eſt ad *imaginē Dei*. Ex quo prouenit,quòd vt Deus eſt omnium creaturarum ſupremus Dominus,ita homo ſit ei ſimilis in eo,quòd ſit ſuperior omnibus creaturis terræ, habeatque plenum earum dominium, Excellentiæ hominis I.

vt eis ad ſuum obſequium vtatur, & poſsit abſque iniuria illas occidere,
ſuæ recreationis aut ſuſtentationis cauſa: quare vehementer admirans
b Pſal. 8. 5. infinitam Dei erga nos liberalitatem, dicam cum Dauide: b *quid eſt homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? minuiſti enim eũ paulò minùs ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum; & conſtituiſti eum ſuper opera manuũ tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues, & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi: Volucres cœli, & piſces maris qui perambulant ſemitas maris. Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!* Admirabile quidem eſt, quòd cùm tu ſis, qui es, memor ſis tamen rei adeò abiectæ, atque eſt homo; Eſt quoque *admirabile* nomen tuũ, quòd eundem tãto *honore & gloria coronaueris*, vt ad imaginem & ſimilitudinem tuam feceris: nec minùs *admirabile eſt*, quòd imperium illi & dominium tradideris ſuper omnia opera manuum tuarum. Et quandoquidem tantum mihi bonum contuliſti; æquum eſt, me prædicare admirabile tuum nomen, per vniuerſam terram, & deſiderare, vt omnes illud in ſummo honore habeant, & venerentur.

II. Deinde perpendenda eſt prouidentia Dei Domini noſtri, tam erga animalia, quàm erga homines in hac re. nam videns Deus res omnes, quas in terra creauerat, ob defectum rationis indigere aliquo gubernante, creauit hominem ad ſuam imaginem & ſimilitudinem, vt omnibus illis præſideret, proſpiciens ſimul ipſi homini de ſolatio & delicijs ad vitam tranſigendam neceſſarijs; ſicut ad oculum videmus, quòd qui paſcit oues
c Gen. 2, 19. ſuas; & illis bene facit, & ſibi quoque ex eis prouidet. Hanc ob cauſam, c *adduxit Deus ad Adamum vniuerſa animantia terræ, & volatilia cœli*, vt illa agnoſceret, *& videret, quid vocaret ea*, hoc eſt, nomen illis imponeret, & dominij ſui ſuper omnia poſſeſsionem acciperet; & omnia illum tanquã ſuum Dominum ſuo modo recognoſcerent, ſubijcientibus ſe illi ſerpentibus, & feris, inſtar manſuetorum agnorum. Et hic *fauor* non ipſi ſo-
d Gen. 1. 28. li exhibebatur, ſed eius quoq; poſteris. Vnde poſtquã Adamũ & Euam creaſſet, dixit: d *creſcite & multiplicamini, & replete terrã, & ſubijcite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram*; & quod conſequens erat, mihi quoque in ipſo Adamo idem fauor fuit exhibitus, & eodem iam gauderem, niſi ille peccaſſet,

Verum adhuc poſt peccatũ Adami relucet hæc *miſericordia* & pro-
III. uidentia Dei erga hominem, nam, vt conſtat ex ijs, quæ ipſe dixit Noe, reliquit illi plenum *dominium* & *vſum* omnium animalium, quæ illi poterant eſſe vſui: & adhuc *præſidet piſcibus*, ſerpentibus, & feris, quas induſtria ſua & arte piſcatur, & ſibi ſubijcit non ſolùm paruos piſces, ſed cete etiam grandia, & venatur omne genus auium & animalium, etiam ſæuiſ-

ſimorum

ſimorum,&,vt ait S.Iacob. s,c *omnis natura beſtiarum,& volucrum,& ſerpentium,& cæterorum domantur,& domita ſunt à natura humana.* Ex quo duplex mihi oritur cauſa & ratio laudis & gratitudinis erga Deũ,propter hoc beneficiũ,vt eam gratitudinẽ oſtendã, præſidendo & domando beſtiales meæ carnis appetitiones, quas ſignificant quatuor illa genera animaliũ,quæ Deus nobis ſubiecit; paſsiones ſcilicet *appetitionis carnis,* per piſces ſignificatas;paſsiones *ſuperbiæ* & *ambitionis*,per volatilia; paſsiones *cupiditatis* rerũ terrenarum,per ſerpentes;ac denique *iræ* & *vindictæ* perturbationes,ſignificatas per feras & crudeles terræ beſtias. O Deus omnipotens,qui dediſti homini dominium & induſtriam ad quatuor animalium genera perdomanda; da mihi copioſam tuam gratiam, vt meas paſsiones & naturæ propenſiones,per ea ſignificatas, domare & ſubijcere poſsim: f *linguam nullus hominum domare poteſt* per ſeipſum, quia omnes quatuor paſsiones ad illam irritandam conueniunt: ſed gratia tamen tua facile fiet,quod nobis eſt difficillimum:doma tu illam Domine Omnipotentia tua,vt ex nunc non occupetur in alijs, quàm in tuis laudibus,ob innúmera beneficia in æternum. Amen.

c *Iacob.3.7.*

Oratio.

f *Iacob 3.8.*

MEDITATIO XXVI.

QVA RATIONE DEVS HOMINIS CORPVS formauerit,animam ei infuderit,Euamque ædificauerit.

PVNCTVM I.

FORMAVIT *igitur Dominus Deus hominem de limo terræ,& inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ,& factus eſt homo in animam viuentem.*

PRIMO conſiderandum,quòd Deus Dominus noſter voluerit ſeorſim ac diſtinctè referri formationem *corporis* & *animæ* Adami;& quidem priùs corporis,quod eſt ignobilius,vt intelligeretur,corpus & animã hominis non eſſe ſicut cæterorũ animalium;illorum enim & corpora,& animæ fuerunt ex terra factæ:ſed hominis nõ niſi corpus fuit ex terra formatum:anima enim ab extra venit. Et in hac fide fundabimus totius vitę noſtræ decurſum,tractantes corpus pro meritis,& locũ illi ſuum ita aſſignantes,vt non ſolùm non præcedat animam, ſed nec illi æquetur: & propterea aliqui ex ſanctis Patribus affirmant,Deũ formaſſe corpus Adami aliquanto tempore antè quàm infunderet animam, quò faciliùs cognoſceretur, quid illud haberet ex ſuo; & quàm illi eſſet neceſſaria anima,

a *Gen.2.7.*
I.
S Thom 1 p q 91 a.1.
Formatio corporis ante animam.
4 lib. Eſdr. c.3 Genad. S.Chryſ. Toſtat.& alij in c. 2.Gen. contra S. Thom 1 p. q.91. a 4 ad 3.

anima, quantumque bonum ex ea illi accederet. Sed ad noſtrum inſtitu-
tum ſatis eſt, illud imaginari ſine anima, ſicut nunc manet cadauer poſt
mortem & in tali exemplari contemplari licet, quantum ei debeamus,
qui dat nobis animam, qua viuimus.

II. *Septuaginta vertunt: Formauit Deus hominē puluerem accipiens è terra.*

Deinde perpendam, quòd Deus Dominus noſter altiſsima ſua ſapiē-
tia non voluerit corpus Adami ex *nihilo* creare, ſed formare ex terra, &
ex eius puluere aqua permixto, ſicut figulus lutum facit, ex quo format
vaſa; vt ſic homo profundiùs in humilitate fundaretur, videns vi-
lem & abiectam ex hac parte originem, & naturæ ſuæ fragilita-
tem agnoſcens; & porrò mortalitatem, quæ ex hoc principio illi pro-
uenit.

1. In hac conſideratione, ad reprimendum in me ſpiritum *ſuperbiæ*, vtar
interdum ſententia illa Sapientis: b *quid ſuperbis terra & cinis?* O ſuperbe
b *Eccl. 10. 9.* & arrogans, ex quo ſuperbis? num ex terra & puluere, quem ventus au-
fert? humiliare vſque ad terram, ſiquidem terra es.

Interdum verò ad reprimendas *querelas*, quæ exſurgunt in corde
2. aduerſus iudicia Dei, eò quòd mihi non concedat, quæ peto, dicam illud
c *Rom. 9. 20.* Apoſt. c *O homo, tu quis es, vt reſpondeas*, & conquereris de Deo? *nūquid dicit
figmentum ei qui ſe finxit: quid me feciſti ſic? an non habet poteſtatē figulus luti,
ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?*
d *Iſa. 45. 9.* & illud Iſaiæ: d *væ qui contradicit fictori ſuo, teſta de ſamijs terræ.* Dedas te
ergo, anima mea, factori tuo, qui non faciet tibi iniuriam, ſi de te pro li-
bitu diſpoſuerit, & cùm ſit iuſtus, nihil faciet in tuum detrimentum, ſi tu
non te ſubtraxeris eius ſeruitio.

3. Alias vt ſpiritum accipiam, & ad fiduciam meipſum excitem in
Deum, qui me de luto formauit, dicam illud Iſaiæ: e *& nunc Domine pa-
e *Iſa. 64. 8.* ter noſter es tu; nos verò lutum: & fictor noſter tu, & opera manuum tuarū om-
nes nos. Ne iraſcaris Domine ſatis*, vt vas confringas, quod formaſti; qui non
feciſti illud, vt in rigore confringeres, ſed vt integro vtereris in rebus ob-
ſequij tui.

4. Aliqvando etiam, vt meipſum libenter & cum voluptate manibus
Dei committam, gloriamque dem ei pro omnibus donis, quæ in me ſunt,
f *Iere. 18. 6.* reuocabo in memoriam, quod dixit Ierē. f *ecce ſicut lutum in manū figuli,
ita vos in manu mea, dicit Dominus.* O Creator pijſsime, gaudeo vehemēter,
me eſſe in manibus tuis: nam quidquid ab eis prouenerit, iucundum mi-
g *2 Cor. 4. 7.* hi erit: gaudeo quòd poſueris g *theſauros* gratiæ tuæ *in vaſis fictilibus, vt
ſublimitas* & gloria *ſit virtutis tuæ, & non ex nobis.*

5. Deniqve ad omnia peccata vitanda cogitabo, illa eſſe, quæ vas hoc
luteū confringunt, & in puluerem conuertunt, ex quo fuerat aſſumptū:
quæ eſt ſentētia Dei Domini noſtri, contra Adamū lata, eò quòd peccaſ-

ſet:h *quia puluis*, inquit, *es, & in puluerē reuerteris*: quaſi diceret, propterea te ex terra & puluere formaui, vt intelligeres, quòd niſi legem meam ſeruares, eſſes rediturus in terram & puluerem, ex quo te formaui, æquum eſt enim, vt qui contemnit extrahentem ipſum ex luto, in idem recidat, ex quo fuit extractus. O Pater amantiſsime, qui tanta prouidentia corpus meum è terra condidiſti, concede mihi, vt ea accipiam documenta, quæ hoc tuo facto mihi tradidiſti, vt corpore meo in terram reuertente, aſcendat anima ad te in cœlum, Amen. h *Gen.* 3. 19. *Medit.* 11. 1. *part.* Oratio.

Pvnctvm II.

Deinde conſideranda eſt Omnipotentia Dei, qua ex vili & craſſa materia rem fecerit adeò pretioſam, atque eſt corpus hominis: diſcurrendo autem per huius operis excellentias, ad quatuor illas reducemus. Excellentię corporis.

I. Prima eſt, quòd tot habeat partes, & membra adeò varia atque diſtincta, quæ omnia ex eodem *luto* fuerunt fabricata; & nunc fiunt etiam ex eadem materia, etiam viliori quàm luto; niſi quòd nunc ea varietas & diſtinctio fiat paulatim, & vna poſt alteram: Deus verò tunc omnes ſimul, & in magna perfectione confecit. propter quod ingentes ei gratias agam, obſtupeſcens eius Omnipotentiam, & dicens cum Dauide: Omnia oſſa mea dicent: a *Domine quis ſimilis tibi?* O Deus potentiſsime, oſſa mea & caro mea, venæ & arteriæ meæ, & omnia membra corporis mei, vocem extollunt, & clamant, *Domine quis ſimilis tibi* in poteſtate? quis niſi tu, formare potuiſſet in vtero vnius fœminę corpus tot oſsibus compactum? Audi, anima mea, excellentiſsimæ illius matronæ verba ad filios ſuos Machabæos: b *neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis: neque enim ego ſpiritum & animam donaui vobis & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi: ſed enim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit* ac dedit *originem*. O ſi omnia oſſa mea luxarentur, & martyrio afficerentur, ſicut Sanctorum illorum Machabæorum, pro gloria & honore eius, qui illa mihi dedit? a *Pſal.* 34. 10 b 2 *Mach.* 7. 22. c *Eccl.* 11. 5.

II. Secvnda excellentia eſt *pulchritudo & magnitudo*, ac delicata huius corporis conſtitutio, cùm factum ſit ex re quadam turpi & craſſa adeoq; exigua, atque eſt parua luti portio. Auget verò admirationem, quòd nunc triginta annos tradat corpus, vt perueniat ad debitam magnitudinem & pulchritudinem: cùm in Adamo totam habuerit in vno momento; quia cum fecit Deus in ætate viri perfecti, vt appareat, quòd d *oculus Dei, quem reſpicit, erigit ab humilitate, & exaltat caput eius, & facilè eſt in oculis Dei ſubitò honeſtare pauperem*, & quod naturæ ordine & curſu multorum annorū d *Eccl.* 11. 13. 23.

tempus requirit, id poteſt Deus in vno momento præſtare.

III. S. Thom. 1 p. q. 93. a. 3. Tertia excellentia eſt *figura* eius adeò nobilis & recta, cùm cætera animalia omnia prona incedãt in terram; vt ex hoc intelligeremus, quòd quamuis facti fuerimus ex terra, finis tamen noſter non ſit res terrena, ſed cœleſtis, vt eò & aſpectus & cor noſtrum dirigantur. Erubeſce anima mea, quòd tuis affectionibus inclines ad terram, exiſtens in corpore ad cœlum erecto. O Saluator mi, c *qui ſoluiſti filiam Abrahæ à vinculo, quo eam alligauerat Satanas decem & octo annis, & erat inclinata ad terram, nec poterat ſurſum reſpicere*: diſſolue & animam meam, quam à tot annis Satan alligatam traxit, & inclinauit ad res terrenas, vt ex nunc reſpiret & erigatur ad res cœleſtes.

c Luc. 13. 16.

IV. Qvarta excellentia eſt *perfectio omnium rerum*, quibus indiget, in ordine ad animam, quæ illud informat, ſupplente ipſa animâ ſuâ ratione defectus, qui oriuntur ex delicata eius *complexione*. quamuis enim alia animalia excedãt nos in acumine videndi, & olfaciendi, in celeritate motus, & quod veſtita & calceata naſcantur, imò & armata varijs armis offenſiuis & defenſiuis; hoc tamen totum in illis prouenit ab eorum ruditate & craſsitie complexionis & naturæ, quæ delicatæ noſtræ conſtitutioni apta non erat. anima tamen lumine rationis ac prudentia ſenſus corporis acuit, ac perficit; induit veſtes & calceos; & armat ſuum corpus meliùs quàm animalia; proſpiciente Diuinâ prouidentiâ ac ſupplente in his omnibus defectum noſtrum, ne deeſſet hominibus, quod beſtijs non deeſt. Propter has omnes cauſas gratias teneor agere Creatori, qui tanta ſuauitate diſpoſuit *fabricam* mei *corporis*, vt eſſet meæ animæ habitatio. quare illum laudabo, quòd *oculos* mihi dederit ad videndum, & *palpebras* ad illos claudendos; & *caput* in altum erectum, cum *capillis*, quibus ornaretur; & ſic de ceteris corporis membris.

Pvnctvm III.

S. Thom. 1. p. q. 90. I. Tertio eſt conſiderandum, quòd Deus Dominus noſter animam primi hominis ex *nihilo* creauerit, cuius creationem verbis illis expreſsit; a *inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*, ad ſignificandum, quòd nec ipſa anima, nec vita, quam corpori impertiebat, procederet e terra, ex qua illud erat formatum; ſed eam ab extra venire per Omnipotentiam Creatoris. nam vt ſpiritus procedit ab homine, cum reſpirat, eſt enim aer quidam ab interiori hominis parte per os procedens; ita anima noſtra procedit à Deo, cum magno eius amore, vtpote qui ex ſuis viſceribus eam per ſuum os, hoc eſt, per ſuum imperium educit, volens, vt ita ſit, nullo ei reſiſtente. in quo apparet animæ noſtræ ingenuitas & ſimili-

a Gen. 2. 7. Creatio animæ ex nihilo.

tudo cum ſapientia Diuina, quę, vt ipſamet dicit, b *ex ore altiſſimi prodiui.* O anima mea, quæ ſolius Dei es opus, lauda & glorifica eum, qui tibi Eſſe, quod habes, adeò amanter dedit. A Deo exijſti: contende ergo ad eundem redire, & intra eius pectus ingredi, diligendo toto corde tuo eum, qui te dilexit. b *Eccl.* 24. 5.

II. DEINDE perpendendum, quòd vocet Deus animam *ſpiraculum vitæ*, ſpiritum ſcilicet aut reſpirationem, quæ vitā dat rei, in quam ingreditur; ad ſignificandum, quòd vita corporis in eo conſiſtat, vt Deus creet, coniungatq; animam corpori, & vt ſemper ipſum reſpiret, quò poſsit conſeruari, ac propterea dictum eſt, quòd inſpirauerit in faciem eius, in qua præcipui ſunt ſenſus vitę, *viſus* videlicet, *auditus*, *odoratus*, & *guſtatus*, & ſenſus interni, & aliqua reſpirationis inſtrumenta ad vitæ conſeruationem. Ex quo colligam, quòd Deus vocauerit animam reſpirationem vitæ, id dictum eſſe ad me excitandum, vt quoties reſpiro, Creatoris ſim memor, qui animam mihi dedit; & maximi beneficij, quo me, illam dando, affecit; & credam, quòd ſicut vita corporis pendet à reſpiratione animæ, ita vita & Eſſe ipſius animæ pendeat ab inſpiratione & virtute Dei: niſi enim ipſe eam conſeruet, ſtatim illa reuertetur in nihilum; ideoq; par eſt interdum ad ſingulas reſpirationes aliquos elicere actus amoris, aut laudis, aut gratitudinis pro hoc beneficio, vt ſuperiùs fuit dictum.

III. HINC vlteriùs pergam ad perpendendum horum verborum myſterium: nam vt corpus ſine anima, caret vita naturali; ita anima ſine gratia Dei, caret vita ſpirituali; & ſicut Deus inſpirans in faciem Adami, infudit illi animam, qua dedit illi vitam naturalem; ita inſpirans Diuinam & efficacem inſpirationem, infundit animæ ſpiritum gratiæ & charitatis, qua illi dat vitam ſupernaturalem; & vtramq; hanc vitam infudit Deus ſimul primo homini, cùm illum creauit. Ac propterea fortè ſcriptura in originali lingua ait: *inſpirauit in faciē eius ſpiraculum vitarum*; quia non ſolùm dedit animam excellentiſsimam, à qua procedit vita *vegetatiua*, vt creſceret, ſicut plantæ; & *ſenſitiua*, vt ſentiret ſicut animalia; & *intellectiua*, vt intelligeret ſicut Angeli; ſed etiam dedit Spiritum Sanctum, à quo procedit vita *gratia*; cum varijs exercitijs vitę, quę ſunt in illa & ſimile huic eſt, quod Chriſtus Dominus noſter alia c *inſufflatione* vel inſpiratione *dederit ſuis Apoſtolis Spiritum ſanctum*, vt ſuo loco expendimus. O Pater æterne, qui per os filij tui flatum producis Spiritus ſancti, cuius præſentia animæ culpâ mortuæ viuificantur, renoua quæſo meam eodem afflatu, frequenter me inſpirationibus tuis viſitans, vt viuam nouam gratiæ tuæ vitam, & in ea permaneam vſque in æternum, Amen. c *Ioan.* 20. 22. 5. *part Med.* 9. Oratio.

PVNCTVM IV.

Introductio Adami in Paradiſum. a Geneſ. 2. 8 S. Thom. 1. p q. 102. a. 4.

QVARTO eſt conſiderandum, quòd Deus Dominus noſter paulò pòſt quàm Adamum creaſſet, cum deduxerit a *in paradiſum voluptatis, quem* tertia die *plantauerat à principio*, vt eſſet eius habitatio. vbi perpendere licet, quàm tenera piaq; ſenſa habuerit Adamus, quando ſciētiā à Deo ſibi datā, cognouit tot & tāta beneficia, quæ ab eo acceperat.

I. PRIMVM, in primo illo temporis momento, quo aperiens ſuos oculos, vidit *pulchritudinem* cœlorum cum ſuis ſtellis & planetis; & terræ *elegantiam*, cum arboribus, & plantis; auesq; & animalia, quæ in ea verſabantur: manſerit proculdubiò ſuſpenſo animo ad rerum adeò admirabilium nouitatem; ſicut aliquis homo, qui à tempore ſuæ natiuitatis incluſus fuiſſet in aliqua profunda ſpecu; in qua nihil vnquā vidiſſet; & poſt triginta tandem annos, ex illa clauſura egreſſus, videret quæ ſunt in hoc mundo, fieret extra ſe præ admiratione, tot mirabilium; & laudaret glorificaretque earum Creatorem.

II. QVID verò fecerit paulò pòſt, cùm videret ſe ab ipſo Deo deduci ad hortum, & *paradiſum deliciarum*, cumq; ſibi dari in propriam habitationē cum plena poteſtate veſcendi fructibus innumerabilium arborum, quæ in eo erant ſitæ, vnicâ tantùm exceptâ? Nimirum agnoſcens, hunc eſſe nouum erga ſe fauorem, nullis ſuis meritis præcedentibus, nec naturæ ſuæ debitum, ſed ex mera & ſola gratia Creatoris, admirans eius bonitatem & liberalitatem locique elegantiam, proruperit ſine dubio in nouas laudes, pro ſingulari hoc beneficio ſibi collato.

III. VIX finem Deum laudandi fecerat, cùm vidit eundem Deum, ſuorū Angelorum miniſterio, conſtituiſſe in ipſius conſpectu innumeram multitudinem auium, beſtiarum, & ſerpentium, vt aſpectu tantæ varietatis & pulchritudinis creaturarum recrearetur. nam ſi adeò delectat vel vnum Elephantem videre, aut aliud animal nunquam priùs viſum; quid effecerit videre tot ſimul, & agnoſcere, quid in vnoquoque eſſet? cumque videret omnia illa ſibi eſſe ſubiecta, ſeq; omnibus eſſe ſuperiorem, totum proculdubiò ſe conuerterit in ſui Creatoris laudes ob immenſam eius in ſe liberalitatem.

HAS omnes conſiderationes licet mihi ipſi applicare, vt eleuans ſpiritum à terrenis ad cœleſtia, glorificem Deum, ob res in hoc *mundo inferiori* creatas ad vſum meū ac delicias & aſpiciens eaſdē nouo & recenti quodam aſpectu, atq; ſi omninò nouæ mihi eſſent, noua cantica laudum propter illas cantabo; b *quoniam* (vt ait Propheta) *videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum*. Mox etiam contemplabor tenerrimū illum *amorē*, quo

b Pſal. 8. 4.

Domi-

Dominus Deus noſter ſenſim me ad cœleſtem paradiſum deducit, deſiderans illum mihi in perpetuam habitationem dare. expendam autem admirationem illam & animi iubilos, quos primo illo noui & ſuperioris mundi aſpectu perſentiam. O Deus animæ meæ, nunc aſſequor, quod per tuum Prophetam dixiſti, c *in funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*: funiculi Adam fuerunt innumera illa *beneficia naturæ & gratiæ*, quibus illum ligaſti, & ad te diligendum tibique ſeruiendum obligaſti, & ijſdem me hodie ligas & obligas; vt ego etiam diligam te, ac tibi ſeruiam: *funiculi* ſunt Adami cœlum cum ſuis ſtellis, mare cum ſuis piſcibus, aer cũ auibus, & terra cũ plãtis & animantib. *funiculi* ſunt Adami corpus, quod mihi dediſti, cũ omnib. ſuis mẽbris ac ſenſibus; & anima, quã ad tuã imaginẽ creaſti, cum omnibus ſuis potentijs. Vincula charitatis ſunt gratiæ, ſacramenta, inſpirationes, & ipſe paradiſus, quem mihi promittis. O ſi me ardentiſſimo amore conſtringerem ei, qui tales funiculos & vincula adinuenit, quibus me ad ſe amandum attraheret, ita vt nunquam illa rumperem. Oratio. c *Oſeæ* 11.4.

Qui funiculi Adam & quales.

PVNCTVM V.

QVINTO eſt conſiderandum, quòd Chriſtus Dominus noſter, quamuis in auibus & animalibus terræ ſimul creauerit vtrumque ſexum; id tamen in homine non fecit, ſed priùs creauit *virum*, & poſtea a *eius coſtam ædificauit in mulierem*; vt intelligeremus, hominem non fuiſſe præcipuè creatum, vt generationi vacaret, ſicut reliqua animantia: nam licèt hoc opus in matrimonio ſit bonum, & fuerit tunc neceſſarium ad multiplicandum genus humanum; eſt tamen opus valde abiectum, & homini cum beſtijs commune: ideoque ſolùm ipſum creauit, & poſtmodum mulierem; vt intelligeret, præcipuum ſuum finem eſſe, Deo vacare, illum contemplari ac diligere, & ſeorſim cum eo opera illa exercere, quæ ſunt Angelorum propria: Quin etiam cùm eius *coſtam* Deus *ædificauit in mulierem*, ipſe dormiebat, raptus magna extaſi contemplationis, vt ex hoc etiam diſceret, nec ipſum Matrimonium debere impedire orationis & contemplationis vſum, ſed facere, quod poſteà dixit Apoſtolus, vt b *qui habent vxores, tanquam non habentes ſint*, ne negligant vacare orationi. Et poſtquam mundus eſt ſatis propagatus, meliùs eſt ei, qui ad id vocationem à Deo habet, ſine vxore viuere ſolum, quàm cum tali comite.

Creatio viri prior, & quare. a *Gen.* 2.22. I. b 1.*Cor.* 7. 29.

ALIA quoque huius rei cauſa fuit, vt nos ad mutuam *vnionem* per amorem excitaret, videntes quòd Creator noſter, vt ait Apoſtolus: c *Ex vno fecit omne genus hominum*; vt qui non habent niſi Patrem vnum in cæ- II. c *Act.* 17.26

Digitized by Google

lo, & alterum in terra, mutuò ſe diligant ſicut fratres, iuxta illud Malachiæ: d *numquid non Pater vnus omnium noſtrûm? numquid non Deus vnus creauit nos? quare ergo deſpicit vnuſquiſq. noſtrûm fratrem ſuum?*

d *Malach.* 2. 10. *Matt.* 23. 9.

III. Alia cauſa myſtica fuit, ad ſignificandum, quod ſicut *vnus homo* ſolus fuit *caput generis humani* in Eſſe naturali, de cuius coſta dormientis ædificata fuit Eua; ita ſolus vnus homo nouus Chriſtus Iesvs, erat futurum caput omnium hominum in Eſſe gratiæ, è cuius latere dormientis ſomno mortis in cruce fluxit *aqua & ſanguis*, figura Sacramentorum, quibus ædificatur & conſeruatur *ſponſa eius Eccleſia*, quæ eſt congregatio omnium fidelium. Et hæc ratio multò efficaciùs illos permouere deberet ad colendam vnionem charitatis: ſiquidem habent vnum ſolum creatorem, & vnum Patrem in natura, & vnicum etiam Patrem in Eſſe gratiæ, qui eſt vnicus ipſorum Redemptor & Reparator omnium malorum, quæ, propter peccatum naturalis Patris, incurrerunt. O dulciſſime Creator & Redemptor noſter, qui expenſis tui Sanguinis ædificaſti e *Eccleſiam, vt exhiberes illam tibi glorioſam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi* imperfectionis: Applica Redemptionem tuam, & miſericordiam infinitam ijs, quos ſuprema tua Omnipotentia creaſti, vt omnes ea fruantur, & fiat ex ijs vna Eccleſia ſponſa tua; f *tota pulchra*, in qua *nulla ſit macula*, ſed tu in ea regnes in æternum, Amen.

Oratio.

e *Eph* 5. 27

f *Cant.* 4. 7.

MEDITATIO XXVII.

DE REFLEXIONE, QVAM DEVS FECIT ſuper opera horum ſex dierum, qua declarauit ea eſſe valde bona: ac de ſanctificatione diei ſeptimæ.

Pvnctvm I.

Consider andvm primò, quòd Deus Dominus noſter in fine diei ſextæ, poſtquam res omnes creaſſet, a *vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.*

a *Gen.* 1. 31.

Reflexio Dei ſuper opera ſua.

Circa quod perpendam, quòd tribus temporibus legamus Deum Dominum noſtrum feciſſe reflexionem ſuper ſua opera, & vidiſſe, quod eſſent bona; ipſo videlicet die, quo illas creauit; deinde ſi in eodem die plura creauit, poſt creationem cuiuſque: denique in fine ſextæ diei, poſtquam omnia creaſſet, faciens reflexionem ſuper omnia ſimul: & tunc

non

non ſolum dixit, quòd eſſent bona, ſed *valde bona*, valdeque perfecta: quia vnaquæque res habebat bonitatem ſibi conuenientem, tam quoad ſeipſam, quàm in ordine ad commune bonũ Vniuerſi, quod erat perfectum in omnibus ſuis rebus, quoad numerum, durationem, pulchritudinem, & proportionem omnium ſuarum partium; in quibus nihil erat malum aut noxium, ſicut in præcedentibus Meditationibus perpendimus. Simul tamen perpendam, quòd ſolius Dei, ratione infinitæ ſuæ bonitatis, ſit, vt aſpiciens omnia ſua b *opera*, dicere poſſit, ea eſſe valde bona *& perfecta*, ita vt nulla in illis ſint mala aut imperfecta. idem verò etiã conuenit Chriſto Domino noſtro, propterea quòd ſit Deus & homo; de quo fuit dictum, c *bene omnia fecit.* Et idem ſpeciali priuilegio fuit conceſſum Sacratiſſimæ Virgini eius Matri. ceteri omnes homines, etiamſi fuerint ſanctiſſimi, facientes reflexionem ſupra ſua opera, inuenient ex lege ordinaria culpam aliquam aut imperfectionem in aliquo illorum; ſiquidem, teſte S. Iacobo: d *in multis offendimus omnes.* incumbit tamen nobis diligenter contendere, vt quantum poterimus, ad Dei perfectionem accedamus, procurantes pro viribus noſtris, vt talia ſint opera noſtra, quæ reſpiciens Deus, dicere aliquo modo poſſit, ea eſſe *valde bona.* Ad hanc operum noſtrorum perfectionem obtinendam conducet multum *triplex* inſtituere *examen operum* noſtrorum, facta ſuper illa reflexione.

b *Deut.* 32. 4

c *Mar.* 7. 37.

d *Iacob.* 3. 2.

Triplex examen actionum noſtrarum.

PRIMVM examen eſt faciendum *veſperi*, reflectendo ſuper omnes actiones noſtras illius diei, & obſeruando, num ita ſint diuinæ voluntati conformes, vt Deus illas bonas iudicet, approbetque, delendo interim contritione eas, quæ tales non fuerint. ſicut ſuo loco eſt dictum.

I. Veſpertinum.

Part. 1. Meditat. 28.

SECVNDVM examen, quod iuuat magis ad comparandam perfectionem, fit *abſoluto* quocunque *opere* alicuius momenti, faciendo reflexionem ſuper illud, ſicut fecit Deus ſexto & tertio die: nec ad hoc examen expectandus eſt finis diei; ſed opere illo abſoluto ſtatim atque licebit, eſt inſtituendum. quòd ſi deprehendero totam illam actionem fuiſſe bonam, nulla ad id circumſtantia deficiente, gratias Deo propterea agam; ſin actionem quidẽ bonam fuiſſe, admixtas tamen habuiſſe imperfectiones aliquas, aut incuriam; ſeparabo pretioſum à vili, & aurum ab eius ſcoria, conſumendo igne amoris & doloris quidquid malum eſt & imperfectum; & ſtatuendo eandem actionẽ aliàs ita facere, vt videns eam Deus, dicere poſſit, quòd ſit bona. Quòd ſi totam actionem malam fuiſſe deprehendam, erubeſcam, quòd expenderim malè diem, quem Deus mihi ad benefaciendum conceſſit. Hoc examen propterea inſtituendũ eſſe diximus, abſoluto aliquo opere, aut negotio alicuius momenti, quia vt ait S. Dorotheus, *peccamus multum & obliuiſcimur citò*; quare *neceſſe*, inquit,

II. Poſt opus.

Serm. 11.

eſt,

Digitized by Google

Serm. 10. *eſt, frequentiſsimè ac ſingulis horis, nos ipſos exquirere, rimari, ac perſcrutari diligentiſsimè, imò & per qualibet temporum momenta*; aſpicientes quomodo

e Pro. 24. 14 ſingula expenderimus, ſiquidem e *iuſtus* (vt ait Sapiens) *ſepties in die cadet*, hoc eſt, ſæpiùs, *& reſurget*, non expectans finem diei, vt ſimul ab omnibus reſurgat. Et ſicut homines mundiciei valde ſtudioſi, ſi ſæpe maculantur, aut inficiuntur, ſæpè etiam ſe purgant, contractamque maculam eluunt; ita viri puritatis animæ ſuæ amantiſſimi, ſtatim atque culpa aut imperfectione aliqua ſe maculatos aduertunt, ita ſe purgant ac purificant; vt aſpiciens Deus illorum animas, pro eo tempore dicere poſſit: f *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.*

f Cant. 4. 7.

III. In fine hebdomadæ.

TERTIVM examen eſt ad *finem hebdomadæ* faciendum, ſicut Deus reflexionem fecit ſuper opera ſua horum ſex dierum, conferendo in die ſexta diem vnum cum altero; & obſeruando, num ſtuduerim quotidie animam meam nouis virtutum ſplendoribus exornare? num creuerim & profecerim quotidie in earum perfectione? num integrè ſatisfecerim obligationibus proprijs & communis boni; & ex omnibus bonis, quæ inuenero, vnum quaſi corpus efficiens, Deo illud offeram; gratias ei pro

g Pſ. 144. 2. omnibus agens, explens illud Dauidis: g *per ſingulos dies benedicam tibi*: Ex malis verò, quæ deprehendero, faciam etiam aliud corpus, vt eum dolore cordis confitear, & hac puritate me præparem ad feſtum ſeptimo die celebrandum: ſiquidem quicunque creſcere cupit in perfectione, ſingulis hebdomadis confiteri deberet, & communicare, vt eam poſſet obtinere.

In fine anni. Hoc ipſum *examen* & reflexio fieri deberet *in fine* cuiuſq; *anni*, faciendo generalem confeſſionem omnium peccatorũ toto illo admiſſorum; & conferendo annum vnum cum altero, vt erubeſcam, ſi tardiori & remiſſiori paſſu hucuſq; perrexerim: vrgeboq́; me ipſum ad celeriorẽ pro-

In fine vitæ. greſſum. Ac deniq; in *fine* totius *vitæ*, quæ hiſce ſex diebus ſignificatur, (modò per morbum liceat, & ſpeciale aliquod impedimentũ non obſit) bonum eſt aliud examen inſtituere & confeſſionem, vt omne malum,

h Ioa. 14. 30. quod fecerimus, aboleatur; ita vt Princeps huius mundi tunc veniens h *nihil quod ſuum ſit, in nobis inueniat*; Princeps verò cœleſtis, quidquid habuerimus, approbet, & iudicans eſſe bonum, deducat nos ſecum ad æter-

Oratio. nam requiem, per diem ſeptimum ſignificatam. O ſummum bonum, & omnis boni principium, cuius opera ſemper fuerunt bona, & vt talia approbaſti, quæ his ſex diebus feciſti; concede mihi per tuam gratiam, partem aliquam huius bonitatis, quæ propria eſt tuæ Diuinæ naturæ, vt in vltimo totius vitæ meæ examine, quod inſtitues, nihil inuenias mali, quod ego fecerim, ſed bonum tantùm, quod gratia tua mecum effecit, propter quod me in ſanctum tuum regnum admittas, Amen.

PVN-

PVNCTVM II.

DEINDE conſiderandum, quòd Deus Dominus noſter a *die ſeptimo*, perfecto opere, *requieuerit ab vniuerſo opere quod patrauerat, & benedixit diei ſeptimo.* a Gen. 2. 2. Benedictio diei ſeptimæ.

I.

VBI eſt perpendendum *primùm*, quòd Deus Dominus noſter *die ſeptimo* ceſſauerit res nouas facere, non quòd ei deeſſet ad nouas faciendas omnipotentia, ſi ita voluiſſet, aut fini ſuo, noſtroque commodo expediuiſſet; ſed quòd eæ, quæ factę erant, ſufficerent ad perfectionem huius fabricæ, quam deſignauerat, quare non dicit ſcriptura, quod perfecerit Deus quidquid facere poterat, ſed quòd *compleuerit opus quod fecerat*, & quidem in omni perfectione; & tunc requieuerit, non in creaturis, quibus ad ſuam requiem & beatitudinem nō indigebat; ſed quieuit ceſſando ab opere, ſicut diximus, & in ſe ipſo gaudendo, quòd expleuiſſet id, quod ab æterno facere ſtatuiſſet, nunc verò in lætitia eſſet executus. Ad eius imitationem quæram ego meam quietem, non in creaturis, ſed in ipſo Creatore, ſicut enim Deus quieſcere non poteſt niſi in ſeipſo, ſic nec ego potero veram requiem inuenire, niſi in ipſo. Et quamuis gaudendum ſit mihi de operibus, quæ Deus facit (ſicut ipſemet (teſte Dauide) b *lætatur in operibus ſuis*) iuxta illud: c *quia delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo*: Id tamen ita mihi eſt faciendum, vt non ſiſtam in rebus ipſis creatis, ſed in earum Creatore. O *gloria* & *requies* mea, gaudeo, quòd tantam in te ipſo habeas *requiem*, vt neque aliquid facias cum labore; nec in tuis operibus aliquid tibi de tua *requie* decedat: Id mihi concede, vt eam mihi reputem *requiem*, ſi ſtrenuè laborem in tuum obſequium. nam ſine te omnis *requies* eſt inanis & peritura; in te autem ſolo plena eſt & ſempiterna. b Pſ. 103. 31 c Pſal 91. 5 Oratio.

II.

DEINDE perpendam, quòd Deus Dominus noſter c *benedixerit diei ſeptimo*, & eum ſanctificauerit. Et quoniam benedictio Dei eſt efficax; quod illi benedixerit, ſignificat ſe eodem, quamuis à rebus nouis creandis ceſſaret, incipere nouo alio modo iam creatis benefacere, beneficio ſcilicet CONSERVATIONIS & GVBERNATIONIS, & ipſas creaturas etiam incipere re ipſa executioni mandare acceptā benedictionem, attendentes ſuæ multiplicationi; & hoc inſinuat ſcriptura, cùm ait, quia in ipſo die ceſſauerat ab omni opere ſuo, quod creauit Deus, *vt faceret*; vt ſcilicet id quod creauerat, operaretur, & multiplicaretur in mundo: quaſi diceret, non illud creauit, vt otioſum permaneret, ſed vt vnaquæq; res faceret, quod ad ipſam ſpectaret, vt finem ſuum aſſequeretur: & hominem ipſum etiam creauit; *vt faceret*, vt ſcilicet operaretur, & con- c Gen. 2. 3.

Digitized by Google

tenderet conſequi ſanctitatem & quietem illam ac requiem, quæ habetur in ſolo Deo, ideoque ipſi homini præcipuè benedictus eſt, ac ſanctificatus dies ſeptimus. O Deus æterne, qui creaſti me in CHRISTO IESV Filio tuo, vt in bonis operibus ambularem, & tenderem ad tuam æternam beatitudinem; effunde ſuper me copioſam tuam *benedictionem*, vt ex nunc ſtatim benè operari incipiam, & proficere in iuſtitia & ſanctitate, omnem meam requiem collocando in placendo tibi in æternum, Amen.

Oratio.

PVNCTVM V.

Myſterium ceſſationis ab opere.

TERTIO eſt conſiderandum *myſterium*, latens in eo, *quòd ceſſauerit Deus à ſuis operibus*, & benedixerit, ac ſanctificauerit diem ſeptimũ.

Quo ſpiritu feſta ſint celebranda.

Perpendendum ergo, quòd Deus Dominus noſter præceperit populo Iſrael, dicens: a *Memento vt diem ſabbathi ſanctifices*, idque in memoriam & gratitudinem huius beneficij, creationis mũdi & rerum, quas hiſce ſex primis diebus fecit: & in figuram quietis, qua fruuntur iuſti tam in hac vita per gratiam, quàm in futura per gloriam. quamobrem Iſaias illos appellat: b *Sabbathum delicatum, & ſanctum Domini glorioſum*. Huic Sabbatho ſucceſſit in lege noua dies Dominicus, nõ ſolùm in memoriam & gratitudinem beneficij creationis mundi, ſed multò ampliùs ob memoriam & gratitudinem Redemptionis eius & renouationis, quam attulit Chriſtus in die ſuæ Reſurrectionis; & in memoriam quietis, quam ſua gratia nobis attulit; & quam nobis promittit futuram in glorificatione animæ, & Reſurrectione corporis. ex quo fit, vt multò pluribus nominibus teneamur diem Dominicum ſanctificare, quàm populus Iſraeliticus teneretur diem Sabbathi.

S. Thom. 2. 2. q. 122. a. 4
a *Exo* 20. 10
b *Iſai* 58. 13.
S. Thom. vt ſuprà ad 4.

S. Thom. 2. 2. q. 107. a. 1.
Notanda quatuor.

AD hanc obligationem perfectè implendam, reiecta omni ingratitudinis nota, quatuor ſunt præſtanda.

I. PRIMVM eſt, *ceſſare ab operibus ſeruilibus*, ſicut Deus *ceſſauit ab opere ſuo*, modo explicato: vt expediti ab huiuſmodi operibus, Deo in *quiete* vacare poſſimus: ac porrò etiam eſt ceſſandum à peccatis, quæ ſunt opera magis ſeruilia, quàm hæc externa, quæ præſtant ſerui. nam vt ait S. Ioannes: c *qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati*; quod peccatum maximè nos impedit, quò minùs Deo vacemus; eſtque *ſupremus gradus*, qui poteſt eſſe *ingratitudinis*, benefactorem ipſum noſtrum offendere eo tempore, quod ipſe conſtituiſſet ad gratiarum actionem; & profanare noſtra culpa diem, quem ipſe ſanctificaſſet tanta magnificentia.

c *Ioan.* 8. 35.

II. SECVNDVM eſt, *vacare Deo cum exercitijs orationis* & contemplationis, perpendendo præſtantiam beneficiorum, in quorum memoriam

dies

dies hic feſtus eſt inſtitutus; eaque meditando per puncta ſuperiùs diſtinctè poſita. & hac ratione euitatur *ſecundus gradus* ingratitudinis, qui eſt obliuio ipſius benefactoris, & beneficij ab eo accepti. *In Introd. huius ſextæ part.*

Tertium eſt, *laudare etiam Deum voce*, cantando hymnos & Pſalmos in gratiarum actionem, ob accepta beneficia; id quod fit in Eccleſia, vt eò conueniant fideles, & audientes muſicam moueantur ad glorificandum Deum; d *cantantes*, vt ait Apoſtolus, *in cordibus ſuis, & gratias agentes Deo & Patri miſericordiarum per Chriſtum*, propter collata nobis beneficia. & ſic euitatur *tertius gradus* ingratitudinis, qui conſiſtit in eo, quòd nec verbo quidem gratiæ aguntur, ob accepta beneficia. III. d *Col.* 3.16.

Quartum, quod in die feſto eſt præſtandum, eſt *offerre Deo ſacrificia*, ad exhibendum cultum ei debitum eo nomine, quòd ſit noſter Creator & ſanctificator; & in gratiarum actionem, ob tot in nos collata beneficia, & ad impetranda alia recentia, quibus magis adhuc illi placeamus. Ad hos tres fines offertur ſacrificium Miſſæ (vt ſuo loco eſt dictum) cui intereſſe debent Chriſtiani omnes diebus omnibus Dominicis & Feſtis, & offerre illud ſimul cum ipſis Sacerdotibus, & per ipſorum manus, reddentes quoque e *ſacrificium ſpiritus contribulati & cordis contriti & humiliati* : & f *ſacrificium iuſtitiæ*, exercentes varia opera pietatis & charitatis. neque enim ab operibus ſeruilibus abſtinemus, vt de cætero otioſi ſimus; ſed vt ea opera exerceamus, quæ tunc magis Creatori placent, per quæ *quies* obtinetur & ſpiritus ſolatium. V. 4 *p. Med.* 15. e *Pſ.* 50.19. f *Pſ.* 4.6.

Denique, vt nos ad hoc totum Deus animaret, voluit benedicere & ſanctificare *diem ſeptimum*, reddens ijs, qui prædicto modo eundem ſanctificauerint præmium ſuæ benedictionis, replendo illos ſanctitate: nam propterea dies appellatur ſanctus & benedictus, quia eum elegit Devs, in quo repleret nos benedictionibus cœleſtibus; &, quando id expediret, etiam temporalibus, multiplicans bona temporalia eorum, qui in eo die ſanctificando occupantur. O Deus liberaliſſime, gratias tibi propterea quòd tempus certum conſtitueris, in quo pro beneficijs acceptis te laudarem, & ſic dignum me redderem, qui alia recentia acciperem. Libera me Domine ab ingratitudine, quæ inſtar vrentis venti virtutes conſumit, & tuarum miſericordiarum fontē exſiccat. *Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* ſit *requies tua* illum laudare toto tempore huius vitæ, vt tandem peruenias ad æternam *requiem* in futura, Oratio. *Auguſt. in Soli. c.* 18. *Bern. cōt. vitium ingratitudinis.* g *Pſa.* 114.7

Amen.

MEDITATIO XXVIII.

DE BENEFICIO CONSERVATIONIS MVNdi, & quòd res omnes à Deo dependeant in Eſſe, & in Operari.

Pvnctvm I.

I. S.Thom.1. p.q.104.a.1. Omnes res dependent à Deo. Consideran dvm primò, quòd omnes res, quas Dominus noſter creauit in exordio mundi, & ſex primis diebus, vt prædictum eſt, & reliquæ omnes, quæ per eas ſunt multiplicatæ ab eo tempore, dependeant in conſeruatione ſui Eſſe ab ipſomet Deo. nam Conservatio nihil eſt aliud, quàm quædã continuatio operationis; qua Deus facit rem aliquam: quare ſicut res omnes fecit *tribus digitis* manus ſuæ, Bonitate ſcilicet, Sapientia, & Omnipotentia, vt ſuprà eſt dictum: ita eiſ-

Medit.16. a Iſai 48 6. b Heb.1.3. dem ſuſtentat eas & conſeruat: quod ſignificauit Iſaias dicens: a *conſeruata ſunt & nunc creata ſunt, & non ex tunc*: & Apoſt. fatetur b *Deum portare omnia verbo virtutis ſuæ*. Quid ergo admirabilius aut glorioſius eſſe poteſt, quàm totius huius Vniuerſitatis machinam videre reipſa pendere à voluntate & potentia Dei, multò magis quàm ipſa lux aeris illuminati dependeat à Sole. Sicut enim occidente Sole lux hæc omninò deſinit eſſe, ita eo momento, quo Deus vellet ſubtrahere ſuum concurſum, vniuerſa hæc machina diſſolueretur in *nihilum*. quod ipſe poteſt vel in vno momento facere. Ex quo varios concipiam affectus ad vitam & perfectionem meam ſtabiliendam, nunc ſcilicet *affectum fiduciæ* in eum Deum, qui tantum poſſit, & è cuius nutu omnia dependeant; concipiendo ac ſuperando timores omnes creaturarum hac Omnipotentia Creatoris.

c Mach. 8.18. ſicut ſtrenuus ille Machabæus, qui dixit: c *nos autem in Omnipotenti Domino, qui poteſt & venientes aduerſum nos, & vniuerſum mundum vno nutu delere, confidimus*.

II. Alios etiam concipiam *affectus* magni *timoris* de iuſtitia Dei, quæ tantæ omnipotentiæ eſt coniuncta; ſupplicans Deo, vt illam dignetur

d Ier.10.24. moderari ſua miſericordia; dicamque cum Ieremia: d *corripe me Domine, verumtamen in iudicio: & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me*, iuxta merita mea. Sed multò adhuc magis timebo eum Dominum offendere, à quo actu & reipſa totum meum eſſe, & quidquid ego habeo, dependet; ſicut timerem eum hominem offendere, qui tribus ſuis digitis me teneret ſuſpenſum ex altiſſima aliqua turri, in cuius

volun-

Digitized by Google

voluntate omninò eſſet poſitum ex manu ſua me dimittere præcipitem.

INTERDVM etiam concipiam *affectus humilitatis* profundiſsimæ, demiſsè agnoſcens intimam hanc mei eſſe à Deo dependentiam, in omnibus, quæ ad eius conſeruationem ſunt neceſſaria: coniungam nihilominus humilitati *affectus charitatis*; nam aſpiciens, quòd hoc meum Eſſe non poſsit ſine Deo conſeruari, debeo me ſubmittere, & pro nihilo in eius conſpectu reputare: attendens verò quòd idem Deus me conſeruet, diligere debeo tantum meum benefactorem. & hac ratione humilitas acuit charitatem; & ipſa cognitio mei *nihili* magnum gignit amorem erga eũ, qui me ex illo *nihilo* eductum conſeruat ſemper in eo Eſſe, quod mihi dedit. III.

PVNCTVM II.

DEINDE conſideranda eſt ſupremi huius beneficij CONSERVATIONIS pręſtantia, ob innumera illius bona, quæ mihi ipſi applicabo, & quiſque poteſt ſibiipſi. Beneficia ex conſeruatione rerum.

NAM PRIMVM res omnes quas Deus in exordio mundi, & ſex primis eius diebus creauit, & quæ virtute earum per tot millia annorum fuerũt multiplicatæ, & quæ nunc ſunt in hoc mundo, quæ ſunt quaſi infinitæ, omnes inquam illæ aliquo modo ſpectant ad hoc *beneficium*; quibuſdam earum adiuuantibus, vt ego generarer; *alijs*, vt conſeruer in Eſſe, quod habeo; quibus ipſe Deus vtitur in hunc finem. *Cœli* enim cum omnibus ſuis motibus; *Angeli*, qui illos mouent, cum innumeris influentijs, quas diſtribuunt per totum Vniuerſum, ad res inferiores conſeruandas, ſunt beneficium meum neceſſarium, vt ego conſeruer. *Elementa* & *viuentia* omnia, quæ in eis verſantur, & *multitudo* auium, ouium, vel piſcium, quę toto hoc tempore præceſſerunt, & ſucceſsione ſua effecerunt, vt produceretur hęc auis, hic agnus, aut piſcis, quibus ego nunc veſcor, *beneficia* ſunt mea, quia ſine eis non fruerer ego his, quibus nunc fruor. Et idem eſt de *plantis*, ex quibus proceſsit hoc pomum, hic botrus aut vinum, quo nunc nutrior. Et, ſi vtor *vaſculo* aliquo aut poculo aureo, aut argenteo, cogitabo in eo includi innumera beneficia, propter innumera quę Deus fecit, & conſeruat ad hoc vſq; momentum, quo ego tali poculo aut vaſculo vtor; *influentias* videlicet cæleſtes, quę aurum illud vel argentum produxerunt; *terram*, quæ in ſuis viſceribus illa concepit; *aquam* vel pluuiam, vel glaciem, quæ ad id iuuit; *homines*, qui in quærendis & inueniendis fodinis laborarunt, & in eruendis eius venis, in purificanda materia, & in ipſo poculo elaborando & formando; inſtrumenta item ferrea & lignea, quibus illi homines fuerunt vſi, & quidquid fecit Deus, vt ferrum illud aut lignum I. Vtilitatis noſtræ.

Digitized by Google

crearet, donec fierent inſtrumenta ad hoc opus apta, & alia innumera, quę concurrerunt, vt ex remotis regionibus in meam poteſtatem poculum illud perueniret; omnia inquam ſunt beneficia Dei, quę in re adeò exigua continentur, qua ego nunc vtor. Similem diſcurſum licet facere de bolo panis, quo nunc veſcor; de veſte lanea, qua nunc vtor; de calamo, de carta, in qua ſcribo, & ſic de reliquis: quia vnaquæque res, etſi in ſe eſt tantùm vna, includit tamen modo prædicto alias plurimas; ac propterea pro ſingulis meritò agendæ mihi eſſent infinitæ gratiæ huic tanto benefactori.

Gratiarum actio.

O DEVS infinite, benefactor immenſe, dator & conſeruator omnium bonorum; quas gratias tibi reddam etiam pro minimo bonorum, quod mihi largiris, ſiquidem in eo adeò innumera multitudo beneficiorum includitur! ſi tanta creaturarum multitudo tecum conuenit, qui communis es omnium Creator, ad me conſeruandum; cur ego non me coniungã illis omnibus, ad te glorificandum! o ſi ego & illæ omnes conuerteremur in linguas, ad te laudandum & benedicendum, propter bonum, quod per earum ſingulas mihi largiris; vt ſic partem aliquam redderem plurimorum, quæ tibi propter illas debeo.

II. Charitatis Dei. 1. p. q. 104. a. 4. a Gen. 6. 7. b Sap. 11 24. 26.

DEINDE in eodem beneficio perpendam *infinitam charitatem Dei*, quæ in eo elucet; quòd cùm ſua omnipotentia annihilare poſſet quamcũque ex rebus creatis; nunquam tamen, teſte S. Thoma, aliquam redegerit in nihilum aut omninò deſtruxerit: ſed quandocunque vnam deſtruit, aliam producit, & quandocunq; vna corrumpitur, alia generatur. Et quãuis tempore Noe hominum malitia eò peruenerit, vt Deus dixerit, a *pœnitet me feciſſe eos,* noluit tamen ad nihilum eos redigere, ſicut nec ipſos dæmones, nec alios magnos peccatores. nam potiùs (vt ait Sapiens) multis conſeruat vitam, & b *diſſimulat peccata eorum,* expectans vt conuertantur *ad pœnitentiam*, idq; ſolum, quòd velit illis hoc bonum conferre. nam alioquin mox perirent: quia (ait idem Sap.) *quomodo poſſet aliquid permanere niſi tu voluiſſes, aut quod à te vocatum non eſſet, conſeruaretur?*

III. Beneficia occulta. *S. Chryſ. l. 1. de prouid.*

TERTIO perpendenda ſunt innumera beneficia *occulta*, quæ in hac conſeruatione continentur. nam me inſcio, auertit Deus innumeras res, quæ illam impedirent; & præſeruat etiamnum ab innumeris periculis ignis, aquæ, corrupti aeris, ferarum, latronum, morborum, & alijs occaſionibus mortis. Et quoniam nullum malum aliquis hominũ patitur, quod non poſſit alius æquè pati, ex pluribus incommodis, quibus video alios homines affici, conijciam à quot incommodis Deus me liberet. Et quamuis tot ſint adeòque magna hæc beneficia, vult tamen eadem eſſe nobis *occulta,* vt agnoſcamus, eum non ob iactantiam nobis benefacere, aut ex deſiderio humanæ laudis, ſed purè & merè propter ſuam bonitatem & miſericordiam, non tamen propterea negligam ego ipſum propter illa

laudare, quamuis non conſtet mihi, quot illa ſint. O ſupreme hominum benefactor, quantas poſſum tibi gratias agō; quia ſpiritu paterno innumera nobis confers beneficia, manifeſta & occulta: manifeſta quidem, vt nos prouoces ad ea æſtimanda, & gratias agendas propter bonum, quod ex eis nobis prouenit; *ſecreta* verò, vt nos doceas occultare bona, quæ obſequij tui cauſa præſtamus, vt non quæramus vanam laudem: vtriſq; autem nos allicis ad te amandum tanquam parentem, qui omnia circumſpicis in commodum tuorum filiorum: concede mihi, Domine, vt tibi ſeruiam tanquam filius, mea ſeruitia eodem ſpiritu exhibens, quo tu mihi innumera confers beneficia. Amen.

De hac re plura M. d. 3. punct. 4.

Oratio.

PVNCTVM III.

TERTIO conſiderandum, quòd omnes res creatæ pendeant à Deo Domino noſtro, non ſolùm in ſuo eſſe, ſed etiam in *ſuis actionibus*, ita vt ipſe Deus eas adiuuet in quacunque actione, quàm etiã conſeruat toto tempore, quo illa durat. quòd ſi Deus ſuum cócurſum ſubtraheret, nihil prorſus efficere poſſent, nec vti ſuis viribus, aut facultatibus. Vnde & quod facere incipiunt Deo adiuuante, eiuſdem etiam auxilio perficiunt; quo ceſſante, actio quoque ipſa ceſſaret.

S. Tho. 1. p. q. 105. a. 5.

Res in actionibus ſuis à Deo dependent.

I. CIRCA quod perpendenda eſt infinita Dei Omnipotentia, in *aſſiſtẽdo* per hunc ſuum concurſum & auxilium tot actionibus creaturarũ huius vniuerſi, Cælorum, elementorum, hominum, & Angelorum; ita vt nulli eorum deſit, nec defatigetur, aut tædio afficiatur, nec plùs occupetur omnibus aſsiſtendo, quàm ſi aſsiſteret vni ſoli. Laudabo itaq; & glorificabo ipſum Deum ob talem eius omnipotentiam, gaudens in meipſo de illa, & inuitans omnes creaturas ad ipſum laudandum, ob concurſum & auxilium, quod ab eo habent ad omnia, quæ faciunt.

II. SED hoc totum mihi ipſi applicando, perpendam innumera beneficia, quæ in hoc Dei *concurſu* continentur, quibus ego quotidie fruor, omnibus horis & momentis: nam Deus actu concurrit cum meis *oculis*, quandocunq; vident; cum ipſis *coloribus*, vt ſpecies ſuas ad eos mittant, quibus videre poſsint: concurrit cum meis *auribus*, vt audiant, & cum ipſis *rebus*, à quibus procedit ſonus, muſica, aut verba, quæ ſum auditurus; concurrit cum *ore* meo & *guſtatu* ad comedendum & guſtandum, & cum ipſis *cibis*, vt ſuum mihi ſaporem impertiant: & dum ego dormio, adiuuat, vt ſumptus cibus concoquatur & incorporetur, & vt reſpirem: cum meo etiam *intellectu* & *voluntate* concurrit ad omnes eorum actiones: & vniuerſim concurrit cum illis omnibus, qui in reliqua me adiuuant, nam vt ait Iſaias: a *omnia opera noſtra operatus eſt nobis*; & ipſe Chriſtus Dominus

a *Iſa. 26. 12.*

dixit,

Digitized by Google

b Ioan. 5. 17 dixit, b *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor.* O Trinitas beatiſſi-
Oratio. ma, quæ cum rebus omnibus ad earum actiones operaris, gratias tibi pro innumeris beneficijs, quæ ſingulis earum in ea cooperatione confers. Fac Domine ſemper in me, quod tibi placet, vt *concurſus* tuus cedat ſemper in meum commodum, & in tuam gloriam in æternum. Amen.

III. Lex concurſus Dei. 1 p. q. 105. a 6. PERPENDENDA præterea eſt lex infallibilis & immutabilis, qua Deus ſtatuit cum ſuis creaturis concurrere; nam cùm ipſe ſit liber, & cõcurrat ſpontè, quia ita vult, adeò eſt tamen certum, illum non defuturũ, atque ſi aliud facere non poſſet; niſi miraculo aliquando concurſum huiuſmodi ſubtrahat, ad gratiæ & gloriæ ſuæ manifeſtationem, & in bonum ſuorum Electorum, ſicut fecit in fornace Babylonica, ne tres pueros
c Dan. 3. 50 c *tangeret omninò ignis: nec contriſtaret, nec quicquam moleſtiæ inferret,* & in ſimilibus alijs miraculis. Eſtque tanta ſupremi huius Creatoris bonitas, & fidelitas, vt quando homo peccare decreuit, & iniuriam aliquam ipſi inferre, non tamen ſuum hunc concurſum ſubtrahat; ſed potiùs, vt eius libertatem conſeruet; nec hanc cum eo concurrendi *legem*, quam ſibi ipſe poſuit, violet, ſed ad illam quoque actionem, in qua eſt peccatum, ſuum
Oratio. præbeat concurſum toto tempore, quo illa durat. O bonitas immenſa! ô infinita ſupremi noſtri Creatoris profuſio! quæ bonitas hac maior eſſe poteſt, vt re ipſa, & actu benefaciat ei, qui actu & reipſa abutatur eodem bono, vt iniuria afficiat ipſum benefactorem! ô dilecte mi, ne permittas abuti me tua omnipotentia, ad faciendum, quod tibi diſplicet; ne ſinas me abuti creaturis tuis, cum quibus tu ipſe concurris, vt me oblectent; &
d Act. 17. 28. mecum, vt ab eis delectationem accipiam. Et quandoquidem d *in te ſum, moueor & viuo*, omnes meę actiones tibi ſint dicatæ, in quibus ſolam tuam gloriam quæram in æternum.

IV. HINC tandem eoſdem deducam affectus, quos in primo puncto, pręcipuè *humilitatis*, perpendens, me nullas habere vires, ad aliquid per me
Med 1. p. 2. ipſum, abſque Dei concurſu faciendum, & quamuis Deus me conſeruaret in meo Eſſe, ſi tamen ad agendum non concurreret mecum, eſſem tanquã *truncus* & res prorſus *inutilis*; id enim eſt, quod dixit Apoſtolus: e *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed tota noſtra ſufficientia ex Deo eſt*, à cuius voluntate ſine detrimento tamen noſtræ libertatis,
f Ioan. 15. 5. dependemus in omnibus actionibus, ita vt f *ſine eo nihil* prorſus *facere poſſumus*, nec propterea de aliqua re gloriari, quaſi noſtra eſſet propria, &
g Iſa 10 15. non ab ipſius manu accepta; ſicut non poteſt g *gloriari ſecuris contra eum, qui ſecat in ea: nec ſerra exaltari contra eum, à quo trahitur*, vt ſibi ſoli ſecan-
h 1 Pet 5. 6. di actionem tribuat, & non artifici. Quare h *humiliare*, anima mea, vſque ad abyſſum huius nihili *ſub potenti manu Dei, vt te exaltet in tempore viſitationis* generalis, cùm venerit ad rationem exigendam operum tuorum,

Digitized by Google

quæ ipſo tecum concurrente feceris. O Iudex ſupreme, qui te adeò nunc liberalem præbes, ad concurrendum cum omnibus hominibus, in omnibus actionibus, quas libera ſua voluntate efficere volunt: *incipias* quæſo per gratiam tuam in me omnia *opera*. quæ fecero, & *perfice*, quæ incepero, *vt in die* Iudicij CHRISTI IESV ſine pudore compaream coram te, dignuſque ſim, qui tecum exalter in regno tuæ gloriæ. Amen. Oratio. i Phil. 1. 6. & 2. 13.

MEDITATIONES DE PROuidentia Dei.

QVAMVIS *in præcedentibus Meditationibus multa ſint dicta, quæ* diuinam prouidentiam *concernunt, quatenus illa in omnibus operibus elucet, quæ procedunt à bonitate, charitate, miſericordia, ſapientia, & omnipotentia Dei, & in creatione mundi; nunc tamen magis in particulari de ijs agemus, quæ ipſius* diuinæ prouidentiæ *ſunt* propria, *circa gubernationem ſuarum creaturarum, & nominatim hominum; de qua re inſtituemus aliquot Meditationes, in quibus meritò ſe exercebunt omnes, qui deſiderant aſſequi perfectionem; & quicunque alij, qui vitam hanc cupiunt tranſigere cum aliquo profectu & conſolatione tam animæ quàm corporis. nam ad hoc totum ita notabiliter hæc res eſt adiutura, vt ego non poſſim aſſequi, quomodo poſſit in hac vita quietem, & pacem, & verum cordis ſolatium habere, qui non ſit in diuina hac* prouidentia *bene fundatus: nec ſcio qua ratione poſſit quis dolori nimio, aut turbationi, aut deſolationi, quæ diu duret, dare locum, propter rē vllam creatam, niſi propter culpam, ſi fide viua ad ſecreta* prouidentiæ diuinę *profundè penetret, ſicut apparebit in ijs, quæ de ea ſubijciemus.* S. Thom. 1. p. q. 22.

MEDITATIO XXIX.

IN QVO CONSISTAT PROVIDENTIA DEI erga ſuas creaturas: & de innumeris beneficijs, quæ ab ea nobis proueniunt.

PVNCTVM. I.

PRIMO conſiderandum, quid ipſa ſit *prouidentia diuina*, ex huius enim cognitione proueniet illius æſtimatio, amor, fiducia, veneratio, & ſubiectio, quam illi debemus. Prouidentia, teſte Sancto Tho- S. Thom. 1. p. q. 22. a. 1.

Quid ſit prouidentia. ma, eſt quædam diſpoſitio & ordo mediorum omnium, quæ Deus conſtituta habet, vt fines ſuos aſſequatur; & ſimiliter mediorum omniũ, quæ prouidet ſuis creaturis, vt & illæ fines ſuos aſſequantur, in quos fuerunt creatæ. In qua re tria præcipua ſunt perpendenda, excerpta ex Meditationibus præcedentibus.

I. *Medit. 5.* PRIMVM eſt, quòd Devs dominus noſter diuino ſuo intellectu à diuina ſapientia ſua illuſtrato, ab æterno cognoſcat & comprehendat omnes *fines*, quos obtinere & quærere poſſunt ipſius creaturæ; & omnia *media* neceſſaria & conuenientia, quæcunque ſunt & eſſe poſſunt ad eos fines conſequendos; & ſimiliter nouerit omnia *impedimenta*, quæ poſſunt euenire, & *media*, quibus illa tollantur, aut præueniantur, ita vt reipſa Devs ipſe intentum ſuum finem aſſequatur, & creaturæ eo modo aſſequantur ſuum, quo ipſe Devs voluerit. Ex quo efficitur, vt prouidentia Dei non poſsit ob alicuius rei ignorantiam deeſſe aut deficere, ſicut euenit prouidentiæ hominum, de quibus ait Sapiens: a *Cogitationes mortalium timidæ* ſunt ac dubiæ, a *& incerta prouidentia noſtra*. (a *Sap. 9. 14.*) Propter exiguam enim noſtram ſcientiam, magnam verò ignorationem, facilè hæremus, verumne ſit an falſum, quod cogitamus, & num ſit bonum futurum an malum, tutum an periculoſum, quod prouidemus.

II. *S. Thom 1. p. q. 103 a. 2.* SECVNDVM eſt, quòd Devs dominus noſter diuina ſua voluntate, plena infinita bonitate & charitate, ex omnibus *finibus* ac *medijs*, quæ diuina ſua ſapientia cognouit; voluit & reipſa elegit altiſsima & ſuprema ſuiſque creaturis maximè proportionata, iuxta vniuſcuiuſque naturam & capacitatem.

1. PRIMVM enim, omnes illas voluit ad ſeipſum dirigere, ob ſuam gloriam, & ad reuelandam bonitatem & perfectionem ſuam; qui ſupremus eſt finis omnium, qui eſſe poſsint, iuxta illud Sap. b *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* (b *Pro. 16. 4.*)

2. *1. p. Medit. 1.* PRAETEREA *vnicuique* creaturarum *ſpeciei* proprium aliquem conſtituit *finem, mediaq́ proportionata*, quibus illum conſequeretur: ſed præ omnibus tamen creaturis exaltare voluit Angelos & homines, ad altiſsimum & ſupremum finem poſsibilem, incomparabiliter maiorem, quàm eorum natura exigebat: vt eſſent videlicet beati, ſicut eſt ipſemet, c *videntes illum* clarè & *ſicuti eſt*; eumque diligentes ac fruentes eius gloria. (c *Ioan. 3. 2.*) Ad quem finem conſequendum, prouidit nobis de omnibus neceſſarijs & conuenientibus medijs in magna abundantia. nam cùm eius bonitas & charitas eſſet infinita, non voluit eſſe parca in eligendis & prouidendis ſufficientiſsimis medijs, ad finem tanti momenti conſequendum.

Tertivm eſt,quòd Deus Dominus noſter diuina ſua Omnipotētia, ab ipſo mundi exordio cœperit reipſa vti *medijs*,quæ elegerat, & eadem omnipotentia eiſdem nunc vti pergat,ac in poſterum ſit vſura;nec poſſit deficere in eorum vſu propter aliquem Omnipotentiæ ſuæ defectum, quæ terminũ non habet,ſicut noſtra potentia:Vt hinc conſtet, Dei prouidētiā tribus his Attributis præcipuè inniti;Sapiētiæ videlicet,Bonitati,& Omnipotētiæ,quæ ſunt fōs diuinorũ beneficiorũ,vt ſupra eſt dictũ. III.

Has tres conſiderationes accommodabo prouidentiæ,quam Deus de me habet,perpendens,quòd omnes meæ neceſsitates & miſeriæ ſint illi notæ,& bona,quæ mihi deſunt,tam corporis quàm animæ, noueritque omnia media,quæ conferre poſſunt ad eruendum me à malis, & largiēdā mihi bona;quia eſt infinitè ſapiens.Poteſt item eadem media, prout voluerit,executioni mādare,& adhibere;quia eſt *omnipotēs*.Deniq;,quia *ſummè bonus* & beneuolus pater eſt, vult ac deſiderat,vt ad vltimũ meũ finem perueniam : ideoque dat mihi media ad id conuenientia. quare certiſsimus eſſe poſſum,mihi,cum tali prouidentia,nihil defuturũ;quandoquidem nec ex ignorantia, nec imbecillitate, nec ex malitia defectus aliquis in ea inueniri poteſt.Lętare itaque anima mea,& animo exulta,quòd ſub adeò ſuprema & alta prouidentia vitam tuam ducas,d *omnem ſolicitudinem tuam proijciens in eum quoniam ipſi cura eſt de te*. Si tua prouidentia eſt incerta,Deus eius defectus ſupplebit;*ſapientia ſua* tuam ignorantiam;*ſua omnipotentia* tuam imbecillitatem; *ſua bonitate* tuam malitiam.Habeas tu curam Dei,& Deus geret curam tui.O Deus animę meæ,ineamus,quæſo,firmiſsimè hoc pactum,vt mei curam geras,& ego tui:& proculdubio tu eris mihi curæ,ſi ſpeciali tua prouidentia mei curā geſſeris.Ex nūc magno animi gaudio dicā,e *Dilectus meus mihi, & ego illi*: res meæ ſunt illi curæ,& res ipſius mihi;ille conſulet honori & commodo meo; & ego attendam diligenter gloriæ & obſequio illius in æternum,Amen.

Prouidētia Dei in tribus. *Medit.16.*

d *1.Pet.5.7.*

Oratio.

e *Cant.2.16.*

Pvnctvm II.

Ex hoc pergam ad conſideranda innumera & infinita bona, quæ in diuina prouidentia latent,vt ad eius amorem alliciar, & illi confidam.præmittemus verò quoddam eorum compendium; quæ poſteà fuſiùs expendemus.

Bona quæ latent in prouidētia.

Primvm itaque perpendam,quòd diuina prouidentia ſit *mater* mea, quæ dat mihi Eſſe,quod habeo,& a *portat me in vtero ſuo, & geſtat in vulua*;eſt mea *nutrix* quæ me nutrit ac ſuſtentat,& b *portat in brachijs ſuis*, tanquam infantem;eſt *pædagogus*,quia ſemper mihi eſt à latere, & me in

I. a *Iſa.46.3.* b *Oſee.11.3.*

c Sap 14.3. omnib. vijs meis comitatur; eſt c *regina* mea & *gubernatrix, quæ me gubernat*
d Iſa.48.7. in toto vitæ meę decurſu: eſt d *magiſter & cõſiliarius* meus, quia *docet me,*
quæ neſcio, cõſulit in dubijs ac ducit *gubernatq; in via*, & in rebus agẽdis,
ne aberrẽ; eſt *protectrix* in meis neceſsitatibus & periculis; quia in omnib.
adeſt mihi ipſius auxiliũ; eſt mea *conſolatrix* in affl ctionibus & triſtitijs,
quia ad omnia plurimas mihi adfert cauſas & rationes. Ac denique quotquot charitatis & miſericordiæ officia fingi poſſunt, omnia ſunt in Dei prouidentia, cum eminentia infinita, obit enim officium patris, amici, medici, iudicis, paſtoris, & reliqua. Ex quo intelligam, debere me erga diuinam prouidentiam omnes affectus elicere, amoris, fiduciæ, gaudij, & laudis, quos talia officia exigunt, eamque vt filium decet diligere, & ad illam tanquam ad matrem recurrere, comitemque illi me adhibere, directionem ab illa, conſilium, auxilium, remedium, & conſolationem petere.

II. DEINDE perpendam, quòd eadem diuina prouidentia ſit *primus fons bonorum* omnium corporis & animæ, temporalium & terrenorum, quæ
Serm.11. hactenus accepi, & accepturum me ſpero; & illorum omnium, quibus nũc fruuntur creaturæ reliquæ cœli & terræ. Quapropter dixit S. Dorothæus, Nihil ſine diuina prouidentia fieri, & *vbi prouidentia, ibi*, inquit, *omninò bonum eſt, & omnia ad vtilitatem animæ fiunt*: Omne ſcil. bonum, honeſtum, vtile, ac delectabile. Nam diuina prouidentia *fons* eſt *virtutum & gratiarum* cœleſtium, quæ faciunt nos iuſtos; & *bonorum temporalium*, quę nos iuuant ad vitam ducendam; & omnium *deliciarum* quæ proueniunt ab vtriſque. Per eandem quoque liberamur à contrarijs omnibus malis, vel quia illa nos ab eis præſeruat, ne incidamus; vel ab iiſdẽ, ſi incidimus, extrahit. nam in vtroque vult Deus prouidentiam ſuam varioſque modos, quibus eã nobis applicet, oſtẽdere. Quamobrẽ de diuina prouiden-
e Sap.6.17. tia dicitur, e *quòd dignos ſeipſa circuit quærens, & in vijs oſtendit ſe illis hilariter, & in omni prouidentia occurrit illis, & illis ſe prior oſtendit*, gerens illorũ omnem curam poſsibilem, & omnes adhibens modos prouidentiæ, qui
f Pſ.103.28. erga illos haberi poſſunt, ad eoſdem bonis omnibus replendos, vt iamiã aperiemus. O prouidentia ſuprema, quæ f *aperis manum tuam, vt omnia impleantur bonitate* g *& benedictione tua*; ego te adoro & glorifico tanquam reginam & matrem meam; ac ſupplico, vt facias mecum *matris & magiſtræ officium*, protectricis & conſolatricis meæ, & adiutricis vniuerſalis in rebus omnibus meis. Si enim te propitiam habuero, omnẽ bonum habebo, &, ſi tu me deſerueris, omnibus replebor malis.

PVNCTVM III.

TERTIO eſt conſiderandum, quòd diuina prouidentia in eo ſit tota, vt ſuarum creaturarum curam gerat. Curam gerit ſuorum.

SED perpendenda eſt PRIMVM *differentia* inter Deũ & homines. nam horum, qui alios gubernant & aliorum curam gerunt, opus habent ſui ipſorum curã gerere, & rerum propriarum; quæ adeò ſolẽt illos occupare, vt non relinquant illis locũ circũſpiciendi, quæ alijs eſſent neceſſaria; at Deus Dominus noſter (vt ait S. Thom.) non indiget vlla prouidentia ſuiipſius aut rerum ſuarum, quia intra ſeipſum habet omne bonũ, ita vt nihil ſibi deeſſe poſsit, neque aliquid aliunde ſibi acceſſurũ ſperare. Tota igitur eius *prouidentia reſpicit alios*, creaturas videlicet, quas creauit, vt haberet in quem ſuam prouidentiam exerceret: quæ, quòd ſit infinitè perfecta, magna perfectione prouidet, quidquid ipſi incumbit; quia ipſe voluit in ſe recipere talem prouidentiam. I. 1 p. q. 22. a. 1.

HINC eſt, quòd prouidentia diuina *ad omnes* omninò *creaturas* ita ſe extendat, vt nullã excludat; & ad omnes homines, ita vt nullius obliuiſcatur, etiam viliſsimi & abiectiſsimi. nam vt ait Sapiens: h *puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus*. Quare ne deficias, anima mea, aut amittas confidentiam tuam, cùm tuam paruitatem aſpicis. nam qualis qualis es, Deus te effecit; qui nunquam à *ſua prouidentia* excludit, quem ſua omnipotentia fecit; & qui non eſt dedignatus te creare, neque gubernare dedignabitur. II. S Thom. ſuprà a. 2. h Sap. 6. 8.

HINC etiam prouenit, vt ipſemet Deus per ſeipſum *ſuæ prouidentiæ* ſit *executor*. Licèt .n. per alias creaturas prouideat alijs, ipſe tamen per ſeipſũ omnibus aſsiſtit, in omni loco, & in omni tempore. nam (vt ſuprà eſt dictum) ipſe eſt in toto mundo, & in rebus ſingulis per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, ſciens quidquid fit, i *nam ipſe agnoſcit omnem operam hominis*, & adiuuat, vt fiant, & omnia prouidet admirãda ſua gubernatione: & quamuis k *Deus, qui hominem ab initio conſtituit, reliquerit illum* (vt ait Sapiens) *in manu conſilij ſui, & aquam & ignem appoſuerit ei, vt ad quodcũque voluerit, porrigat manum ſuam*; non propterea deſerit eorum prouidẽtiam, vel actionum eorum etiam liberarum: nam omnes eas aut dirigit is, aut permittit, ad fines, quos ipſe habet ſibi propoſitos. III. S. Thom. ſuprà a. 3. Medit. 14. i Eccl. 15. 20. k 15. 14.

HINC denique prouenit, vt nihil in hoc mundo eueniat *caſu*, reſpectu Dei Domini noſtri; quãuis reſpectu hominũ multa caſu eueniant. nã Deus infinita ſua ſapientia nouit quidquid euenit, antequam eueniat, & ſua prouidentia ita rem totam direxit & permiſit propter ſupremum finem ſuæ gubernationis, propter ſuam videlicet gloriam & manifeſta- IV. S. Thom. 1. p. q. 116. a. 1.

tionem ſuæ miſericordiæ, iuſtitiæ, & reliquarum ſuarum perfectionum; propter bonum quoque Iuſtorum & Electorum, quorum prouidentiam modo gerit excellentiori, l *conuertens* (vt ait Apoſtolus) *omnia quæ eueniunt, in bonum diligentium Deum.* Ex quibus omnibus hoc cōcludo, quòd vt fruar diuina prouidentia, ac diteſcam infinitis theſauris in ipſa incluſis, multùm iuuerit, altè de ea ſentire, & tribuere illi omne bonum, tanquam *fonti & principio*, vnde illud procedit; & credere viua ac certiſsima fide, quòd de ea hactenus diximus, & poſteà dicemus, eo modo, quo Deus illa reuelauit, & varijs experientijs manifeſtauit. Ex quibus magnam cōcipiam de prouidentia iſta confidentiam, & ſimul magnam reſignationem, eo modo, quo dicetur inferiùs.

l Rom. 8. 28.

Medit. 49.

Oratio.

Et ſuper omnia diligam ſummè Patrem ipſius prouidentiæ, qui tanto amore ſuis creaturis conſulit; reddamque illi amorem, & obſequia pro tanta prouidētia, quam de me & rebus omnibus gerit. O pater benigniſſime ac prouidentiſsime, qui prouidentia adeò admirabili proſpicis omnibus creaturis, & ijs multò magis, qui fide amore accenſa confidenter ſe proijciunt in manus tuas. quibus ego me Domine committo; ſiquidem m *in illis ſunt ſortes meæ*; dirige ergo tua prouidentia omnes actiones meas, vt ita oculis tuis placeant, vt felix mihi ſors contingat æternæ tuæ beatitudinis, Amen.

m Pſal. 30. 16.

MEDITATIO XXX.

DE PROVIDENTIA DEI IN GVBERnatione mundi & hominum.

PVNCTVM I.

Prouidētia in creatione.

Primo tanquam fundamentum huius Meditationis, conſideranda eſt altiſsima *prouidentia*, quam Devs Dominus noſter *in mundi creatione* erga homines oſtendit; & breuiter reſumenda ſunt, quæ in præcedentibus Meditationibus ſunt poſita.

I. Nam Primo Deus fabricauit domum, in qua homines habitarent, iaciens eius fundamenta, muros erigens, & teſtudinem ſupra conſtruens; Cœlum videlicet, Terram, & elementa, quæ inter vtrumque iacent.

II. Deinde tribus primis diebus fecit *diuiſiones & ſeparationes*, ſicut

qui in domo ſua diuerſa facit cubicula, atria & aulas, pro diuerſitate eorum, qui illam incolent. Simul quoque *plantauit* hortos, & domos recreationis, & loca, in quibus arbores confererentur, quarum fructus alimentum eſſent viuentium: & in *occultis* terræ *cauernis* poſuit *theſauros* auri & argenti, quibus homines diteſcerent: item *luminaria* adhibuit, quę die noctuque lucem ſuam darent.

POSTEA prouidit *habitatores* maris, aeris, & terræ, ſingulis communicans facultates & potentiam, vt in ſpecie ſua multiplicarentur, vt perpetua eſſet in ea ſpecie ſucceſsio, quamdiu mundus ſtaret. III.

VLTIMO tandem creauit *hominem*, quem conſtituit Dominum huius domus, & fortunarum eius, cum vſufructu omnium, ac dominio, non quidem abſoluto, ſed ipſius Dei dominio ſubiecto; & cum onere *reddendi ei rationem*, quomodo ſcilicet reliquis creaturis & fortunis ſibi traditis eſſet vſus, ſicut *œconomi* ſolent rationem reddere ſuis Dominis. IV.

HOC totũ modo ſuperiùs declarato eſt perpendendũ; & attendendũ, quàm integra fuerit & abſoluta prouidentia Dei in hoc opere Creationis; ſiquidem nullus paterfamilias aut princeps eſt, qui domum aut palatium ædificare poſsit cum tanta rerum omnium ad deſtinatos ſibi fines neceſſariarum prouiſione, atque Deus hanc huius mundi domũ pro nobis fabricauit. Quod totum mihi ipſi licebit applicare, expẽdendo quòd DEVS Dominus noſter, antequam ego naſcerer, deſignauit mihi ſua diuina prouidentia locum, *particularem domum*, & fortunas, quibus poſſum vitam meam tranſigere; & quæ mei maiores ſuo labore compararunt ijs, nunc ego cum quiete vtor. Propter quæ omnia ingentes ei gratias agam, ſtudens eius prouidentiam imitari in cura animæ meæ, ita vt antequam illa ex hoc *mundo* exeat, comparauerim ego illi bonis operibus domum, fortunas, & diuitias in *altero*. nam qui me abſque meis meritis mera ſua gratia in hoc viſibili mundo creauit, non vult me ad inuiſibilę transferre, niſi cum ipſius gratia mea etiam merita coniungantur, quod fiet, ſi vtar fideliter bonis & fortunis, quas mihi hîc dedit, vt a *faceremmihi amicos, qui, cùm defecero, recipiant me in æterna tabernacula.* O Creator amantiſsime, qui admiranda prouidentia, ab ipſo mundi exordio bona mihi præparaſti, quibus nunc fruor; concede mihi, quæſo, ita rectè ac fideliter illis vti, vt quando in fine mundi rationem à me exegeris, bonam reddere poſsim,

Amen.

Prouidentia Dei erga nos nondum natos.

a *Luc.* 16. 9. 3 p *Medit* 52.

Oratio.

PVNCTVM II.

Prouidentia in gubernatione rerum. a *Iob* 34. 13. b *Sap.*14.3. DEINDE conſiderandum, quòd Deus Dominus noſter, ſtatim atq; mundum creauit, ipſemet ex prouidentia ſua recepit ſe in eius gubernationem, vt teſtatur Iob dicens: a *quem conſtituit alium ſuper terram, aut quem poſuit ſuper orbem, quem fabricatus eſt?* Et Sapiens adiecit: b *Tua, Pater, prouidentia gubernat*, à principio ſcilicet omnia.

I. *S. Thom.* 1 *p. q.* 103 *a.* 1. CIRCA quod eſt perpendendum PRIMVM, quàm benè nobiſcum agatur, quòd vnus idemque ſit Creator & gubernator mundi, omniumq; noſtrûm: is enim nos tanquam rem propriam gubernabit, curamq; noſtri geret, tanquam operum manuum ſuarum: Et quoniam eius opera ſunt perfecta, & illa creauit, vt ſuam bonitatem oſtenderet; propter eandem cauſam decebat, vt ipſemet ea gubernaret, & ad eos fines dirigeret, & per ea media, quæ ad eos conſequendos ipſe conſtituiſſet. Oratio. O Deus amátiſsime, duplici titulo & nomine peto, vt me protegas ſemper, donec vltimum finem meum obtineam. *Alterum* eſt, quòd ſis meus Creator, *alterum* quòd ſis etiam Gubernator. Qui quamuis me ſine meo conſenſu creaueris, vis tamen gubernare abſque detrimento meæ libertatis. Ita ergo me, Domine, guberna, vt gubernationi tuæ non reſiſtens, finem tandem obtineam, in quem me creaſti.

II. *S. Thom. ſuprà a.* 3. DEINDE perpendam, quàm benè nobiſcum agatur, quòd ſupremus gubernator ſit *vnus*, cui cæteri omnes pareant, qui huius gubernationis partem aliquam ab ipſius authoritate ſibi commiſſam habent: ſi enim eſt *vnus* ſupremus, omnes creaturas diriget ad *vnitatem* & pacem, moderans earum diſcordias & diſſenſiones in commune bonum vniuerſi; ideoque omnes homines *vniri* poterunt, & eſſe inter ſe conformes, ſi gubernationi legibuſque *vnici* gubernatoris, qui omnium eſt finis *vltimus*, ſeſe accómodent. Quamuis, vt eorum conſulat libertati, non velit hic gubernator eos cogere, ſed tantùm inuitet, alliciatque verbis illis dulciſsimis, c *Iſa.* 48. 17. quæ dixit per Iſaiam, c *Ego Dominus Deus tuus, gubernans te in via qua ambulas*, in ratione ſcilicet vitæ quam ducis. *Vtinam attendiſſes mandata mea: facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris*. Oratio. O mundi gubernator vnice ac ſupreme, cuius nutui & gubernationi creaturæ oẽs rationis expertes, abſq; vlla reſiſtentia parent; ſiquidem adeo deſideras, vt & nos homines tibi obediamus: da nobis, quod iubes, vt impleamus, quod deſideras; & iuſtitiam pacemque conſequamur, quam nobis promittis, Amen.

III. TERTIO perpẽdẽda eſt infinita Dei *bonitas & liberalitas*, quæ in hoc ipſo apparet, quòd ita *per ſeipſum* gubernet ſingulos, attẽdens quid cuiq;

Digitized by Google

ſit neceſſarium, vt non ſibi *ſoli* totam gubernationem retineat, ſed aliquas creaturas eius faciat participes, hunc illis honorem deferens ac dignitatẽ, vt alias gubernent. ad quod præſtandum ſufficienter illas inſtruit, & ita vult homines eſſe ſubiectos ijs, qui talẽ authoritatem ab ipſo accepcrũt, & eius loco ac nomine eos gubernant, ita vt d *qui illis reſiſtat, Deo ipſi reſiſtere cenſeatur*, vt ait Apoſt. *quia omnis poteſtas* eorum eſt *à Deo*, qui ſua infinita prouidentia aſsiſtit ijs, qui eius nomine præſunt & gubernant, eorumq; defectus in gubernando ſupplet ac reparat, educens ex eorum erratis aliquid boni pro ſuis Electis. Gratias tibi, *gubernator* ſapientiſsime, pro ſingulari hoc tuæ *gubernationis* modo, ita tibi proprio, vt in alio nullo poſsit inueniri. *guberna* itaque Domine eos, qui nos tuo nomine gubernant, vt rectè id faciant; & nos quoque *guberna*, qui ab illis gubernamur, vt propter te illis ſubijciamur; confidentes tuæ prouidentiæ, quæ omnia conuertet in maius noſtrum bonum.

d *Rom.* 13.

Oratio.

PVNCTVM III.

TERTIO conſiderandæ ſunt admirandæ huius *gubernationis* DEI domini noſtri *excellentiæ*.

PRIMA eſt, quòd ſit gubernatio paterna. ſic enim Sapiens Deum appellat *Patrem*, cùm dicit: a *Tua, Pater, prouidentia gubernat*. ideoque gubernat ſuauiſsimè b *diſponens*, vt idem Sapiens dixit, *omnia ſuauiter*; dans vnicuiq; magnã propenſionem ad proprium ſuum finem, ad quem hæc gubernatio dirigitur. Et quoniam beneuolus hic Pater vidit hominem à natura ſua, propter ſpiritum ſibi inditum, inclinare ad virtutem; ſed à carne, cui ſpiritus erat coniunctus, aliquam ſuſtinere contradictionem, ita in initio diſpoſuit, dando illi donum Iuſtitiæ Originalis, qua efficeretur, vt caro omninò eſſet ſpiritui ſubiecta, vt propenſio ipſius ſpiritus præualeret: poſt peccatum verò originis dat nobis etiam ſupernas virtutes, quæ ſunt potentes & efficaces propenſiones ad reddendum c *iugũ legis* valde *ſuaue*.

I. Excellentiæ gubernationis.
a *Sap.* 14. 13.
b *Sap.* 8. 3.
c *Mat.* 11. 30.

SECVNDA excellentia eſt, quòd hæc gubernatio ſit etiam *efficax*, vt ſimul ſit ſuauis & fortis. ita enim Sapiens dixit: d *Sapientia diuina attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter*; quia omnia ſunt ipſi ſubiecta, e *nec eſt qui voluntati eius poſsit reſiſtere*: eſtque ideò potens, vt efficere poſsit, vt velimus quod ipſe vult, & quidem ita, vt in eo volendo delectationem & voluptatem ſentiamus: Id quod eſt proprium diuinæ ſapientiæ & omnipotentiæ.

II.
d *Sap.* 8. 1.
e *Eſter* 13. 9.
é *Rom.* 9. 19.

TERTIA excellentia eſt, quòd ea gubernatio ſit *iuſta*. nam etiamſi ipſe ſit DOMINVS abſolutus omnium, nec vlli redditurus ſit rationem corũ, quę facit, gubernat tamen cum omni rectitudine & iuſtitia, dãs vni-

III.

Digitized by Google

cuique rei, quod ſecundùm propriam naturam conuenit; & homines gubernat *promittendo* præmia, & *minando* ſupplicia, in quo etiam ſeruat iuſtitiam cum omnibus, quamuis paterna miſericordia plenam. minatur enim tanquã Pater, deſiderans, vt oẽs finẽ aſſequantur eius gubernationis.

IV. QVARTA excellentia eſt; quòd ſit gubernatio *vtiliſſima* omnibus, qui gubernantur. nam (teſte S. Thoma) gubernatio Dei tres habet in genere effectus, in quibus innumeri alij continentur. PRIMVS eſt, aſsimilari ſũmo bono, per participationem infinitæ ipſius bonitatis. SECVNDVS eſt conſeruatio in accepto bono, ne eo priuemur, aut illud imminuatur. TERTIVS eſt, fortiter & ſuauiter permouere nos ad eiuſdem boni augmentum & perfectam poſſeſsionem.

q 103. a 4. Tres effect⁹ gubernationis.

PERPENDENS itaque has quatuor diuinæ gubernationis excellẽtias debeo in vnaquaque earum lætari & exultare, ob infinitam bonitatem, ſapientiam, iuſtitiam, & omnipotentiam ſupremi huius gubernatoris, & felicem me exiſtimare, quòd ſim ſub eius gubernatione, gratiaſque agere etiam propter iſtum modum, quo me gubernat, ſupplicans demiſsè, vt me ita adiuuet, ne ab eius directione vnquam diſcedam. O anima mea, ſi neceſſe eſt te gubernari, quem præſtantiorem gubernatorem, & cõmodiorem gubernationem potes deſiderare? ſi tali gubernatori parueris, quid tibi deeſſe poteſt? *Dominus regit me*, ait Dauid, *nihil mihi deerit*, nec *vita* mihi deerit, nec *ſalus*, nec *honor*, nec *quies*, nec vllum temporale *bonũ*, quod ad æternum conſequendum vſui mihi eſſe poſsit, vnquam deerit; & multò minùs deerit virtus, gratia, ſapientia, & cœleſtia dona, quæ mihi ad æterna conſequenda erunt neceſſaria. Solùm mihi deerit, quod nihil eſt, ſcil. *peccatum*, ſi Dei gubernationi me ſubijcio. nam quidquid eſt aliquid, quod ad animæ meæ bonum conferat, id mihi ipſe dabit abundanter. O dilecte mi, *tu* me *rege*, & benè regar; *tu* me *guberna*, & gubernabor benè: ne quæſo ego meipſum gubernem, nec me gubernet mundus, nec caro, nec vllus alius, qui extra tuam ſit gubernationem, à qua totum meum remedium.

f Pſal. 21. 1.

Oratio.

Ex his conſiderationibus diſcam imitari hanc Dei gubernationem, cum *quatuor* his *proprietatibus*, quæ in ipſa Dei gubernatione relucent, ſi aliquos Deus mihi commiſerit gubernandos. eò enim perfectior erit humana gubernatio, quò erit ſimilior diuinæ, procurando (vt ait S. Petrus) g *ne ſit vt dominantes in ſubditis*, aut tyranni; nec coacta; *ſed volũtaria*, paterna & ſuauis; non remiſſa aut puſillanimis, ſed efficax & fortis; non iniuſta, ſed iuſta; non præcipuè ob *lucrum* gubernantis, ſed ob commodum eorum qui gubernantur, & pro gloria ſupremi gubernatoris & *principis paſtorum* ac gubernatorum mundi, & Eccleſiæ; vt *cùm ille venerit* ad rationem exigendam, & iudicium ferendum, digni illi gubernatores inue-

g 1 Pet. 5.

niantur, qui percipiant *immarceſsibilem gloriæ coronam.*

PVNCTVM IV.

QVARTO, alia quoque excellentia eſt conſideranda *gubernationis* Dei, quæ ſe ita extendit à fine vſque ad finem, vt omnes in vniuerſum creaturas complectatur cœli & terræ, à *ſupremo* ſcilicet Seraphino *vſque ad vltimum* & deſpectiſsimum vermiculum, circumſpiciens magna ſolicitudine omnia, quæ ad illas pertinẽt; atque ſi nihil aliud haberet quod ageret; & quod eſt conſequens, ſolicitiùs adhuc omnes homines, & eorum ſingulos gubernat. nam & h *capillos capitis ita numeratos habet*, vt i *nec vnus illorum pereat.* & quamuis homines ſint plurimi, ita tamen oẽs gubernat, atque ſi vnus eſſet ſolus. nec minorẽ nunc gerit curã innumerabilium hominum, qui nunc ſunt in mundo, quàm octo tantũ, qui erant in arca Noe, aut ſolius Adami; cùm ille eſſet in paradiſo; quia neque multitudo illum occupat, aut diſtrahit, neque paucitas animum illi aufert; quia ipſius bonitas, vt quæ eſt infinita, extendit ſe ad omnes k *puſillos & magnos*, multos & paucos: nam etſi omnes ad ipſius *magnitudinẽ* comparati ſint *parui*; ad *charitatem* tamen eius comparati, omnes ſunt *magni*: infinitæ autem ipſius ſapientiæ plurimi ſunt tanquam vnus. *Nam æqualiter cura eſt illi de omnibus.* quare licebit dicere cum S. Auguſt. *ô tu bone omnipotens, qui ſic curas vnumquemque noſtrûm, tanquam ſolum cures, & ſic omnes tanquam ſingulos.*

S. Thom. 1. p. q. 103 a 5. ex S. Aug 6. de Ciu. & q. 82. a 2.

h Mat. 10. 30.
i Luc. 21 18.
k Sap. 6 8.
Nota.
Lib. 3. Conf. c. 11.

Ex his colligã, gubernationem Dei *erga me*, habere omnes prædictas excellentias: eſt enim mihi gubernatio iſta paterna, eſt ſuauis, fortis, efficax, iuſta, & vtilis, vt non poſsim meritò de ea conqueri. Et propterea nõ ſine cauſa in ſcriptura ponitur in ſingulari, qui gubernatur, ſicut dixit Dauid, l *Dominus regit* ME, per Iſaiam dicit ipſe Dominus, m *Ego Dominus gubernans* TE, vt ego intelligam, ſeruare ipſum mecum ſuæ gubernationis perfectionem. Negari tamen non poteſt, quin ſibi chariores & electos maiori prouidentia gubernet, vt infinitam ſuam charitatem magis manifeſtet. Quò verò ego magis me faciam participem eius gubernationis, iuuerint tria media, in fine proximæ meditationis poſita, vt *credam, ſperem*, ac *diligam* ſupremum hunc gubernatorem. Gratias tibi Pater amantiſsime, ob curam, quam geris de me, atque ſi ſolus eſſem in mundo; qui tamen omnium ſum miſerrimus. Vtinam ego te ex corde laudarem ob ea bona, quæ omnibus largiris, vt omnes etiam te laudarent ob ea, quæ mihi præſtas, vt ego & omnes ſimul te fruamur in æternum. Amen.

l Pſal. 21. 1.
m Iſa. 48 18.
Tria media pro gubernat.

MEDITATIO XXXI.

DE PROVIDENTIA DEI CIRCA SVSTENtationem creaturarum & præcipuè hominum, in victu, & amictu, honore, & bonis fortunæ.

HAEC *meditatio habebit pro argumento admirandam* Chriſti Domini *noſtri* doctrinam de diuina prouidentia; *quare per partes illam accipiemus ex verbis ſacri textus.*

PVNCTVM I.

a Matt. 6. 25. Luc. 12. 22. DIXIT a IESVS *diſcipulis ſuis: ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro, quid induamini.*

CONSIDERANDVM primò, quam *ſolicitudinem* Chriſtus Dominus noſter his verbis prohibeat, quatuor ſunt enim, ob quæ illa poteſt eſſe vitioſa.

I. Nimia ſolicitudo. S. Thom. 2. 2. q. 55. a. 6. & 7 & 1. 2. q. 108. a. 3. ad 5. PRIMVM, ſi non ſit de rebus ad vitam neceſſarijs; aut ſtatui eius, qui eſt ſolicitus, conuenientibus; ſed de nimijs aut ſuperfluis; vt ſi quis cupidè terrena bona theſaurizet.

SECVNDVM, ſi ſit *ante tempus* & opportunitatem, vt cùm quis tales curas ſibi nunc ſumit, quæ non ad hoc tempus pertinent, ſed poſt multos dies.

TERTIVM, quia eſt ſolicitudo inordinata aut in *intentione*, aut in ordine, cùm temporalia bona priùs quæruntur, quàm ſpiritualia, aut cum horum detrimento, aut cùm per mala media, aut ob malos fines, aut in eis collocando vltimum finem & quietem.

QVARTVM, ſi ſit *nimium anxia*, etiam in rebus alioquin neceſſarijs, talis enim anxietas ſemper prouenit à nimio affectu ad rem ipſam temporalem, & à parua fiducia de prouidentia diuina, quaſi Deo nulla eſſet eius cura, ſed ego ſolus illam eſſem acquiſiturus. Immò propter eandem cauſam vitio tribuitur anxia ſolicitudo, etiā de bonis ſpiritualibus, qualis fuit Marthæ, quando Chriſto miniſtrabat cum *turbatione*; & aliquorū ſcrupuloſorum aut indiſcretorum, qui ſunt nimiùm timidi, & puſillanimes in negotio ſuæ ſalutis.

REFLECTENDO itaque me circa hæc *quatuor*, ob quæ ſolicitudo reprobatur, examinabo diligenter, num & ego in ea impingam, vt repellere ſtudeam; ne fortè dicat mihi Deus, quod illi diuiti nimiùm cupido, qui

b Luc. 12. 20. in eadē impingebat: b *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autē paraſti, cuius erunt?* quaſi diceret, quid tibi tanta ſolicitudo prodeſt, &

theſauri,

theſauri,quos congregas,ſi ſtatim animam tuam repetunt, vt tua vita finiatur,cuius gratia illos congregabas? Ex quo Chriſtus Dominus noſter doctrinam de *ſua prouidentia* intulit. *Ideo dico vobis,nolite ſoliciti eſſe*, &c. quia Deo cura eſt,vobis de omnibus prouidere. Sume,anima mea, in diuitis illius cupidi capite experimentum,deteſtans nimiā in his rebus ſolicitudinem,niſi velis pœnam etiam ſubire eius ſtultitiæ. Audi potiùs ſupremi tui Magiſtri lectionem dicentis,c *Omnem ſolicitudinem veſtram proijcientes in Deum,quoniam ipſi eſt cura de vobis.* 1 p. Med. 12. c 1. Pet. 5. 7.

DEINDE perpendenda eſt Chriſti Domini noſtri *charitas*,qua nimiā ſolicitudinem nobis prohibuit in noſtrum emolumentū,vt nos ſcil. ab ea moleſtia & labore expediret, qui illi eſt coniunctus:& ideo dixit: d *nolite ergo ſoliciti eſſe in craſtinum. Craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibiipſi. Sufficit diei malitia*,& moleſtia *ſua*:atq; ſi diceret:nolite hodie ſubire labores & curas,quæ pro hoc die nō ſunt neceſſariæ;ſed eas tantū hodie aſſumite,quæ hodierni diei ſunt propriæ;& cras ſuſcipietis eas, quæ erunt craſtinæ diei,cùm enim non cōſtet vobis quid ſit cras futurū,nec nū ſit futurū vobis cras,nolite ſuperfluam hanc curā de futuris ſuſcipere,quæ fortè non erit ad rem,committite hoc diuinæ prouidentiæ,quæ complectitur omnia tempora,& in ſingulis prouidebit,quod ſingulis expediet. II. d Mat. 6. 34.

SED his omnibus non prohibet Chriſtus Dominus noſter *ſtudioſam ſolicitudinem*,quæ procurat res præſentes,& moderata cura etiam præuenit futuras;quæ vocatur aliàs *diligentia*,quæ *quatuor* quoq; *cōplectitur cōditiones* ſuperiùs poſitis *contrarias*:quia eſt in primis de rebus neceſſarijs, aut conuenientibus corpori aut animæ & ſuo tempore,& cū ordinata intentione & modo in illis quærendis;cùm affectione etiā moderata, ſine turbatione & anxietate. Vbi enim hæ ſunt conditiones, non aduerſatur ſolicitudo prouidentiæ Dei,ſed eius potiùs eſt effectus, & medium ſiue inſtrumentum,quo vtitur ipſa prouidentia ad ſuū finem obtinendū. Et ita eam ſolicitudinem ac diligentiam commendat nobis ſcriptura ſacra, dicens,vt e *ſolicitè ambulemus cum Deo noſtro*;& vt f *ſoliciti ſimus ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis*:& vt g *ſolicitudine ſimus non pigri*,ſed ignauiam excutiamus,quæ omnia bona opera inficit. O Deus æterne,cuius prouidentia ſolicita eſt ſine anxietate,& curam ſuſcipit ſine turbatione, aufer à me ſolicitudinem,quā mihi prohibes,& concede,quā iubes, vt ſequens ordinē pacificæ tuæ plenæq; prouidentiæ, ſolicitus ſim de tuo ſeruitio,ſicut tu es de meo cōmodo. Curæ meæ in hoc die totæ in eo ſint, vt de meis præteritis peccatis doleam,& modum quæram,quo nunc tibi placeam,& quo declinem impoſterum peccata:nam omnis hæc cura & ſolicitudo pertinet ad hodiernum diem:confido autē in tua prouidētia, quòd ſis mihi gratia tua præſtò adfuturus,vt idem cras faciam.

Non omnis ſolicitudo prohibita.

e Mich. 6. 8. f Epheſ. 4. 3. g Rō. 12. 10.

Oratio.

Digitized by Google

PVNCTVM II.

Solicitudo pro anima præſtantiſſima.

PERPENDENDA eſt deinde efficaciſsima illa ratio, qua Chriſtus dominus noſter exhortatur nos ad cōfidendū ipſius prouidentiæ. Ait enim; a *Nonne anima plus eſt, quàm eſca, & corpus plus, quàm veſtimentum.*

a Mat 6. 25. Luc 12. 23.

I. In hac ſententia *tres* admirandæ, & vtiliſsimæ *veritates* proponuntur.

1 PRIMA eſt, quòd anima ſit melior & maioris multò valoris & æſtimationis quàm eſca; & corpus ſit multò pretioſius, quàm veſtimentum. Sub his autem duabus rebus complectitur omnes diuitias, & res pretioſas huius mundi deſtinatas ad ſuſtentandam vitam, & exornandum corpus ad habitationem, recreationem, & pompam externam.

2. SECVNDA veritas, quòd deus dominus noſter ex mera ſua *gratia*, nullis noſtris meritis, aut induſtria dederit nobis animam & corpus; ex quo efficitur, vt ex eiuſdem dei decreto, & diſpoſitione indigeamus eſca ad vitā ſuſtentādam, & veſtimento ad operiendam nuditatem, poſtquam Adamus veſtem amiſit innocentiæ.

3. TERTIA veritas eſt, quòd qui dedit nobis quod plus eſt & præſtantius, poterit, voletq; etiā adijcere quod eſt multò minus. Et qui animā & corpus ſubiecit neceſsitati alicuius rei minoris momenti, vt conſeruari poſsint, manifeſtè indicat ſe ſcire, poſſe ac velle etiam illud minus dare, quo melioris neceſsitati ſuccurratur. nā eadem ipſius bonitas, quæ impulit ad primū, permouebit etiam ad ſecundū. Ex hac itaq; ſententia infert Chriſtus dominus noſter, debere nos deponere nimiam ſolicitudinem circa *eſcā* & *veſtimentum*, & confidere diuinæ prouidentiæ, quæ cùm immeritis dederit res adeò pretioſas, animam ſcil. & corpus, datura ſit etiam eſcam & veſtimentum nec ſlarium, quæ multò sūt vilioris pretij. O Creator liberaliſsime, & Magiſter ſapientiſsime, quas tibi reddam gratias, pro excellenti adeò liberalitate? & quomodo pro tā alta doctrina me gratum exhibebo? credo, Domine, quod dicis, & ſpero à te, quod mihi offers: & confidens tuæ prouidentiæ, faciam quidquid mihi iubes, vt gratum me oſtendam propter ea, quæ mihi promittis.

Solicitudo pro eſca & veſtibus deponenda.

II. Ex hac Chriſti domini noſtri doctrina illud etiam colligam; quòd quandoquidem *anima eſt plus quàm eſca, & corpus plus quàm veſtimentum*; id tantùm ex vtroque ſumere debeam, quod animæ & corpori erit conueniens, ijs reiectis, quæ in eorum cederent detrimentum. Eſſet enim non tolerandus error, perdere quod plus eſt, pro eo quod eſt minus, animam ſcil. meam aut proximi, vt acquirere poſsim, quod eius reſpectu multò minus valet: quamobrem Apoſtolus admirandam illā edidit ſentētiam: b *Noli propter eſcam deſtruere opus Dei*, c *perdendo* ſcilicet *cibo tuo animam fratris tui, pro qua Chriſtus mortuus eſt.* O Redemptor dulciſsime, quando-

b Rom. 14. 20. c 1. Cor. 14. 6 d Mat 16. 26.

quidem dixiſti:d *quid prodeſt homini ſi mundum vniuerſum lucretur, anima verò ſuæ detrimentum patiatur*, concede mihi pluris facere animam meã, quàm totius mundi dominium:& poſſeſſionem; & libenter me offerre ad iacturam faciendam omnium, quæ ſunt in mundo, ne illa pereat. Oratio.

III. Ex eadem altiſsima doctrina colligam vniuerſalem *regulam* confidentiæ in diuina prouidentia, quod ſcilicet quando donum aliquod grãde mihi largitur, ſit etiam daturus, quod minus eſt, ſi ad conſeruandum illud maius hoc fuerit neceſſarium aut conueniens:& huic regulæ innititur, quod ait Apoſtolus:e *Qui pro nobis omnibus filium ſuum tradidit, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* quia ſcil. omnia ſunt minus, quàm ipſe Filius, & diriguntur ad eiuſdem honorem & ſeruitium. Et qui cœlum & regnum ſuum nobis obtulit, media etiam neceſſaria ad illud obtinendum præſtabit. Et qui ad ſtatum perfectionis, aut Eccleſiæ ſuæ aliquam dignitatem vocauit, etiam ea dabit, quæ neceſſaria ſunt ad ſatiſfaciendum ſtatus, aut dignitatis obligationi. Denique qui proprium corpus, & ſanguinem ſuum in cibum tradit, ad animæ vitam ſuſtentandam, habebit quoque prouidentiam, vt reliquos det cibos ſine comparatione minores, & ad vitam corporis ſuſtentandam neceſſarios. O dator liberaliſsime, qui dans nobis, quod eſt plus, offers te ad dandum, quod eſt minus, vt illud conſeruetur: das autem mihi immenſa tua beneficia, da itaq; lucem & perfectam intelligentiam ad illa cognoſcenda, & vt par eſt æſtimanda, & ſimul da gratiam ad tibi ſeruiendum, & te propter illa diligẽdum, vt hac gratiarum actione id promerear, vt tua beneficia ſemper in me maneant. Amen.

e *Rom* 8. 32.

Oratio.

IV. Solicitudo Dei magna pro omnibus.

Vltimo perpendam, quòd Deus Dominus noſter, cùm ſignificat ſe habere prouidentiam de *eſca*, & *veſtimentis* nobis neceſſarijs, ſimul indicat eandem prouidentiam ſe habere de noſtris agris, vineis, oliuetis pratis, gregibus, lino, lana, ſerico, & vermibus, qui illud conficiunt, ac de rebus omnibus, quæ ad hanc ſuſtentationem ſunt neceſſariæ, & quod conſequens eſt, ab eiuſdem prouidentia deſcendunt pluuiæ, niues, veniunt venti, & bona temporis conſtitutio, quæ ad hoc iuuant, quare omnia ſunt Domini noſtri beneficia, & effectus illius curæ, quam de nobis gerit. quòd ſi illi fidamus, & ſeruiamus, omnia illa nobis dabit, qui dedit, quod illis omnibus maius eſt. Hac itaque confidentia deponenda eſt *anxia* illa *ſolicitudo*, quam adfert nobis pluuiarum defectus, aut ventorum, aut aliarum rerum, & conijcienda tota hæc cura, & ſolicitudo in ipſum Deum, ad quem res tota hæc tanquam propria ſpectat: ac dicemus; Deus, & Domine noſter, qui nobis animam, & corpus dediſti cum onere eſcæ, & veſtimenti; largire nobis hæc bona temporalia, vt maiori confidentia æterna procuremus, Amen.

Digitized by Google

PVNCTVM III.

a *Mat 6 26.* b *Luc 12.7.*

RESPICITE a *volatilia cœli*, b *& conſiderate coruos*, a b *quia non ſeminant, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cœleſtis paſcit illa: nonne vos magis pluris eſtis illis?*

I. *Gen 1.29.* Vt ſint vobis in eſcam &c.

CONSIDERANDA hîc primùm eſt ſtupenda DEI DOMINI noſtri *erga aues* prouidentia, quibus conueniens alimentum ſemper prouidet, non magnis tantùm, ſed etiam paruulis, nec ſolùm cicuribus, & quæ ſunt hominibus vtiles; ſed feris etiam, & inutilibus, & quas homines horrent, quales ſunt corui, adeoque gloriatur de hac prouidentia, vt dixerit Iob, a *quis præparat coruo eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eò quòd non habeant cibos*. quaſi diceret: egó ſum, qui prouidentia mea ſufficiens alimentũ præparo coruo, etiã voraci, & in ſpeciẽ parum vtili, & quando is ſuorum pullorum obliuiſcitur, ego tãquã Pater illos alo, audiens clamorem, quem eorũ neceſsitas ab eis exprimit. Si ergo Pater veſter cœleſtis, ait Chriſtus, paſcit aues, quarum non eſt aliàs Pater, ſed DOminus, quia illæ non ſunt capaces, vt ſint filiæ; quantò ergo magis vos, qui filij eius eſtis, & quos multò pluris, quàm illas facit, vos ſuſtentabit? & ſi Pater veſter crocitantes ad ſe coruos exaudit, & eorum neceſsitati quaſi condolet, quantò magis veſtros audiet clamores, famique veſtræ cõdolebit, quæ vel ſola erit inſtar orationis & clamoris, qui illum ad ſubueniendum, & præbendum alimentum permoueat. Laudent te, Pater amantiſsime, *aues cœli*, & *homines terræ*, ob hanc prouidentiam, qua illis de eſca proſpicis. *Aues* ipſæ ſuis concentibus, & *homines* verbis laudũ promulgẽt tuas miſericordias, propter curã, quã habes in ſubleuandis eorũ miſerijs.

a *Iob 38. 41.* b *Pſ.146.9.*

II.

DEINDE ipſe quoque *modus*, ſiue ratio eſt perpendenda, qua diuina prouidentia aues alit, quæ nullã habent ſolicitudinẽ ſeminandi, aut metẽdi; nec horrea habẽt, nec cellaria, quia ipſemet Deus eſcam præparat vnicuique earum neceſſariam, datque ingenium, & induſtriam, vt eam quærant, ac deferant ad ſuos pullos. Nam b *Aquila* (vt ipſemet DOminus dicit) *contemplatur eſcam, quam de longè oculi eius proſpiciunt*, quam vbi ad ſuos pullos detulerit, *pulli eius lambunt ſanguinem* ex ea eſca affluentem, quo aluntur. Hirundines ſuſtentat cyniphibus, aut culicibus, quos per aera volantes capiunt, & hoc cibo pingueſcũt, ſimul comedẽtes & ludentes, hilaritate magna vtentes eo alimento, quod author naturæ illis ſubminiſtrat.

b *Iob 39. 29.*

HINC colligit Chriſtus DOminus noſter, & exhortatur nos, vt nimiã illam ſolicitudinem deponamus ſeminandi, & metendi, & nimias prouiſiones in horrea & cellaria, ac diſpẽſas cõgregãdi: nã idẽ, qui auib. nihil

tale vel cogitantibus prouidet, multò meliùs nobis filijs ſuis prouidebit; ſi
vel moderatam curam, quam ipſe approbat, adhibeamus. Ceſſent itaque,
anima mea, ex nunc anxiæ illæ curæ, quibus patris tui cæleſtis prouiden-
tiam offendis; ſiquidem ipſe alit aues nihil ſolicitas, ac propterea etiam
te nutriet maiori propenſione, ſi & tu illi confidens eam ſolicitudinem
depoſueris. O Pater amantiſſ. ex nunc *tua prouidentia* erit mihi præcipua Oratio.
ſeminatio & meſſis; meum horreum, meum cellarium. nam ſine ea omnis
mea cura & ſolicitudo erit inanis, cum ea verò ſolicitudo moderata ad
rem erit, valdeque vtilis, quia prouidentia tua ſupplebit meæ ſolicitudi-
nis defectus.

TERTIO eſt perpendendum, quòd *eadem* Deus *prouidentiâ* prouideat III. Prouidētiâ vnâ eâdēq; Deus omnibus prouidet.
piſcibus maris, & animalibus terræ conueniens alimentum in magna ab-
undantia; ita vt ſuo tempore nunquam illis deſit, & propterea dixit Da-
uid; c *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore*
opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione: d *qui*
das iumentis eſcam ipſorum: e *& catuli leonum* exeunt de nocte *rugientes, vt* c Pſ. 144.15.
rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi. O Saluator dulciſsime; qui ore tuo ſan- d Pſa 146.9
ctiſsimo dixiſti; f *non eſſe bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*; e Pſa 103.21
Si tanta cura canibus alimentum præbes, quantò maiori illud præbebis e Iob 38.39.
filijs? ſi ferarum famem exples, quomodo non ſatiabis homines? g *Confi-* f Mat. 15.26.
teantur tibi Domine miſericordiæ tuæ, & mirabilia tua, quæ feciſti, filijs homi- g Pſa. 106.8.
num, quia ſatias animam eſurientem, & inanem reples bonis. h *Tu das eſcam om-* h Pſ. 135.25.
ni carni, quoniam in æternum durabit miſericordia tua. i *Iacta*, anima mea, iu- i Pſa 54.23.
xta conſilium Dauidis, *ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet: nec*
dabit in æternum, vt fluctues ab vna in alteram partem, eius enim prouidē-
tia erit *nutrix* tua, quæ te alet; erit *clypeus*, qui te proteget, *anchora*, quæ te
ſtabiliet; & *corona*, quæ te præmio afficiet in ſecula, Amen.

PVNCTVM IV.

QVIS *veſtrûm cogitans poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum?* a Matt. 6.27
b *Si ergo, neque quod minimum eſt, poteſtis, quid de cæteris ſoliciti eſtis?* b Luc. 12.26
Circa hanc ſententiam conſiderandum eſt, quòd prouidentia di-
uina ita de noſtri corporis ſtatura decreuerit, vt ſit impoſsibile, aliqua ſo-
licitudine, aut cura etiam maxima aliquid addere ei, quod Deus conſti-
tutum habet, iuxta cuiuſque complexionem.

Ex quo infert ipſe CHRISTVS Dominus, PRIMVM, quòd ſicut *pro-* I.
uidentia Diuina occultè noctu, dieque efficit, vt corpora noſtra creſcant, &
perueniant ad ſibi debitam, & conſtitutam *ſtaturam*, nobis non ſcienti-
bus, quomodo id fiat: ita etiam daturus ſit nobis nutrimentum ad id ne-

ceſſarium, & veſtimentum aptum illius menſuræ, ſiquidem qui dat, quod plus eſt, dabit etiam, quod eſt minus; ſi hoc ſit neceſſarium ad conſeruandum illud. Sæpè verò hæc largitur Deus medijs adeò occultis, vt nos illa non aduertamus, quò manifeſtiùs agnoſcamus eius erga nos curam; & diſcamus ipſius *prouidentiæ* fidere, eiq; diligentiùs ſeruire.

II. DEINDE infert idem Chriſtus Dominus; ſiquidem noſtra *ſolicitudo* non poteſt corpori noſtro cubitum vnum, imò nec digitum adijcere, ac propterea conatus eſſet inanis, id attentare, quod eſt impoſsibile, etiam eſſe iuſtum, nimiam ſolicitudinem deponere cibi, & veſtimenti, quaſi per noſipſos tantùm illa acquirere poſſemus, quia & hæc erit inanis ſolicitudo, quæ ſine Dei prouidentia id aſſequi non valebit; *Si*, inquit, *neque quod minimum eſt, poteſtis, quid de cæteris ſoliciti eſtis?* Siquidem ſine me vos aſſequi non poteſtis, & ego in me recipio vobis prouidere. O Pater cœleſtis, gratias ſupremæ tuæ *prouidentiæ* ago, quòd non ſolùm corpus mihi dederis, ſed augmentum quoque eius & perfectionẽ; & quamuis ego dormiam, aut vigilans alijs rebus occuper, tu ſemper huius curam geris; ſupplex ergo te oro Domine, vt eodem modo profectũ cures, & perfectionẽ ſpiritualem animæ meæ, quæ multò plùs valet quàm corpus: ſiquidem c *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed tu qui incrementum das Deus.*

c 1. Cor. 3. 7. Marc 4. 27.

III. Ex eadem hac veritate licet etiam cognoſcere, quàm deceat me eſſe contentum, quòd talem habeam *ſtaturam*, & membrorum *proportionem*, quæ mihi bona *ſorte* obtigit; ſiquidem hoc etiam à diuina prouidentia ob commodum meum prouenit, & ob eius gloriam, qui illam mihi dedit, qui æquè glorificatur paruo, ac magno, macro ac pingui; & quiſque gratias illi debet pro ea ſtatura, quam habet; nec qui magnam habet, debet ſe propterea inaniter efferre; nec qui habet, paruam, animum abijcere; veriſsimum eſt enim, quod dixit Dauid; d *ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Quod ſi ita eſt, quòd ipſe fecerit, e *quis dicere ei poterit, cur ita facis?* Sufficit mihi, Domine, quòd tu feceris vt eo ſim ego contentus: &, ſi in me eſſet poſitum, diſſoluere quod tu ſtatuiſti, id tamen tuæ omninò *voluntati* remitterem: nihil enim rectiùs mihi eſſe poteſt, quàm tuæ fidere *gubernationi.*

d Pſal. 99. 3. e Iob 9. 12.

PVNCTVM V.

a Matt. 6. 28. Luc. 12. 27. DE *veſtimento quid ſoliciti eſtis?* a *conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis. Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit: quantò magis vos, modicæ fidei?*

CIRCA

Digitized by Google

Circa cœleſtem hanc doctrinam conſiderandum primò, quòd prouidentia diuina omnibus rebus viuentibus prouiderit veſtimenta naturæ ipſorum accommodata. Nam piſcibus dedit *ſquamas*, auibus *plumas*, reliquis animantibus aut *lanas*, aut dura *coria*, arboribus aſperos & duros *cortices*. Sed cum homine viteriùs progreſſa eſt diuina prouidentia. nam cùm his omnibus natura ſua careret, mirabiliter illum induit *gratia* ſua, exornans illum in ſtatu innocentiæ Originali Iuſtitia, cuius virtute poterat vitam ducere abſque vlla veſte corporis; nec tamen vllum detrimentum pati, aut b *pudore* aliquo affici, propter *nuditatem*. Sed poſtquam Adamus, & Eua peccato ſuo hac veſte fuerunt ſpoliati, c *conſuerunt* quidem ſibiipſi aliam veſtem *ex folijs ficus*, vt nuditatem ſuam tegerent; ſed prouidentia diuina videns genus illud veſtimenti accommodatum non eſſe, ſtatim illis aliud melius prouidit, ex *pellibus* ſcilicet *animalium*, quod vel ipſe per ſe, vel per miniſtros Angelos adaptauit, tum vt præſenti eorum neceſsitati conſuleret, tum vt modum & formam ſe veſtiendi in futurum doceret, & potiſsimùm, vt illi, & nos intelligeremus, culpā illā non ſuffeciſſe ad hoc, vt omninò à Diuina prouidētia excluderemur, & ipſe Deus curā abijceret, nobis proſpiciendi de veſtimento, ſtatui noſtro peccatorū conuenienti, ſicut proſpexerat de alio conuenienti ſtatui iuſtorū. O Pater amantiſsime, & benigniſsime, quis te non diliget, laudabitq; pro adeo *beneuola prouidentia*, quam habes erga nos: non mirum erat, quòd qui omnibus animantibus apta veſtimenta prouidiſſes, etiā hominibus prouideres; ſed illud ſtuporem adfert, quòd cùm homines culpā ſua reddidiſſent ſe animantibus deteriores, eoſdē tamen diuina tua prouidentia non deſeruerit. Qui pretioſiſsimam Originalis Iuſtitiæ veſtē lacerauerat, dignus erat, qui nudus perpetuò remaneret, cum perpetuo tum corporis, tum animæ pudore; ſed infinita tua miſericordia induit eorum corpora *pellibus animalium* demortuorum, deſiderans gratia tua induere eorum animas per pœnitentiam. Laudent te, Domine, corpus meum & anima mea, ob ſolicitudinē, qua illis proſpicis de conuenienti veſtimento, & vtrumque omninò ſe mancipet tuo obſequio, ſi enim tantam geris curam peccatorum, qui te offendunt, multò geres maiorem iuſtorum, qui tibi ſeruiunt. I.

Mira Dei prouidētia.

b *Gen. 2. 25.*
c *Gen. 3. 7.*

Deinde conſiderandum, quòd Chriſtus Dominus noſter, vt nobis perſuaderet deponere nimiam ſolicitudinem de veſtimentis, adferat exemplum ſuæ prouidentię in veſtiendijs *lilijs*, & quidē nō ijs, quæ in hortis hominū induſtriā & arte creſcunt; ſed ijs, quæ naſcuntur in agris, quæ, vt Chriſtus dixit, *nec laborant, neque nent*; vt vel ſibi nendo, quemadmodum fœminæ, veſtē faciant; vel laborando ſicut viri veſtē ſibi comparent; ſed ſola prouidentia Creatoris naſcuntur veſtita, tāta iucunditate & pulchritudine, vt *nec Salomon in omni gloria ſua coopertus fuerit, ſicut vnum ex his.* II.

Lilia.

Digitized by Google

Qui igitur tantam curam gerit veſtiendi *lilia*, & fœnum, quod hodie eſt, & cras marceſcit,& in clibanum mittitur;quantò maiorem geret hominis, cuius vita diuturnior eſt, qui non fuit conditus, vt mitteretur in clibanum,ſed vt transferretur in Cœlum? O anima mea, ſi huius mundi principes,quamuis Salomone ſapientiores, & potentiores, non poſſunt tã
d *Pſal.*117.8 glorioſa veſtimenta ſibi comparare,ſicut Deus lilijs largitur, d *bonum eſt ſperare in Domino,quàm ſperare in principibus*:ſiquidem à Deo accipere poſſum,quod illi non poſſunt mihi dare.

Exemplum liliorũ cur adductum.

III. Tertio perpendam duplicem cauſam,ob quam Chriſtus Dominus noſter non attulerit pro exemplo ſuæ prouidentiæ *veſtimenta*,quæ dederit piſcibus,auibus,& animantibus;ſed quæ dederit lilijs, quæ hodie ſunt,
1. & cras in clibanum mittuntur. Prima enim cauſa fuit, ad oſtendendam ſuæ prouidentiæ liberalitatem, *prouidendo* nobis de neceſſario *veſtimento*, quod ſuffeciſſet etiam craſſum,& rude ex pellibus animalium; ſed etiam pretioſum, & ſplẽdidum proſpexit ad ornatum noſtrarum perſonarum, iuxta decentiam noſtri ſtatus. nam dedit nobis aureas telas, ſericas, & alias pretioſas, quibus tamen non ad vanitatem,ſed ad gloriam dantis eſ-
2. ſet vtendum. Secunda cauſa fuit myſtica, ad manifeſtandam *largitatẽ* eius *prouidentiæ in diſtribuendis* huiuſmodi pretioſis *veſtimentis*, non ſolùm iuſtis & electis ad cœlum;ſed etiam prophanis hominibus, qui ſunt tanquam *fænum*: & quamuis hodie ſplendeant in ſuis veſtimentis, cras tamẽ mittuntur in clibanum,& ignem Inferni. Vt hinc etiam appareat, quòd qui adeò eſt liberalis in reprobos,multò erit in electos liberalior; & qui tanta gloria eos veſtit,qui futuri ſunt fomentum ignis ſempiterni,quantò maiori gloria,& ſplendore veſtiet futuros ciues ipſius regni? O gloria mea,gratias tibi,ob adeò pretioſa veſtimenta,quę tuis creaturis largiris, ad oſtendendam prouidentiam,quam de illis habes. Lubenti omninò animo & tui amore renuncio veſtimentis gloriæ temporalis, optans à te indui pretioſa veſte tuæ gratiæ, & poſtea etiam veſte æternæ gloriæ, Amen.

Pvnctvm VI.

a *Mat* 6. 31. b *Luc*.12.29. Nolite a *ſoliciti eſſe dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur*: b *& nolite in ſublime tolli*, a.b.*hac enim omnia gentes* b *mundi quærunt*; *Pater autem veſter ſcit,quia his omnibus indigetis.*

I. Primvm eſt conſiderandum ingens *deſiderium* Chriſti Domini noſtri,vt eius diſcipuli deponant nimiam ſolicitudinem harum rerum temporalium,fidantq; Deo, illorum curam gerenti:hoc enim *deſiderium* aperit,cùm toties repetit,ne ſimus ſoliciti de cibo,nec de potu,qui adhuc eſt minus.Et S.Lucas addit:*nolite in ſublime tolli*;quo prohibet etiã nimiã ſoli-

Digitized by Google

citudinem de rebus aliquibus, quæ ipſius incumbunt prouidentiæ. PRIMVM ne ſoliciti ſimus de *gloria, honore*, & *fama*; nec de dignitatibus, officijs, & eminentiori loco in mundo. DEINDE ne extollamur de *bonis*, quæ Deus nobis eſt largitus, vt alijs præferri velimus, & c *ſublimè ſapere*, & inflari. TERTIO ne *altiora* nobis quæramus, & quæ facultatem noſtram, & merita excedunt, quærentes propterea locum altiorem, aut rem aliquam excelſiorem, quam noſtra paruitas mereatur, in quacunq; materia id ſit. QVARTO ne *elatis oculis* incedamus, curioſè aſpicientes ſigna Cœli, & planetarum, tanquam ab eis exſpectantes euentum rerum, quas deſideramus: d *nec ea timeamus, quia nec malè poſſunt facere, nec benè:* ſed à diuina prouidentia illa ſunt expectanda, ad quam hæc omnia ſpectant, & euentus cuiuſcunque rei magnæ, quam quærimus; ſiue hominum ſuffragijs res ſit decernenda, ſiue ſorte, ſiue voluntate regum, quia nihil horum caſu euenit, ſed à prouidentia Dei, e *in cuius manu ſunt ſortes noſtræ, quæ*, vt Sapiens ait: f *mittuntur in ſinũ, ſed à Domino temperantur: &* g *cor Regis* etiam ſuis affectibus indulgentis, *in manu eſt Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud.* Et ipſe eſt, qui largitur Imperia, Pontificatum, dignitates, Cathedras, Beneficia, & Officia honorata vtriuſque Reipublicæ, Eccleſiaſticæ, & Secularis. Et quamuis in huiuſmodi *prouiſionibus* miſceantur ambitiones, prenſationes, iniuſtitiæ, & alia peccata, quæ diuina prouidentia ob occultos fines permittit, ipſa tamen euentus dirigit ad ſuos ſupremos fines. Ex quo efficitur, vt magnam diuinæ prouidentiæ iniuriam irrogare cenſeatur is, qui in huiuſmodi rebus anxiè eſt ſolicitus, peruigil, & totus effuſus in excogitandis *medijs*, quibus talia poſſit obtinere: erit verò iniuria grauior, cùm *mala media* contra diuinam voluntatem adhibentur, nam (vt paulò pòſt dicemus) quatenus huiuſmodi euentus mihi expediunt, poterit diuina prouidentia efficere, & volet etiam, vt abſque huiuſmodi medijs mihi accidant ijdem, alijs licitis à me adhibitis medijs, aut ab eadem prouidentia, me quoque inſcio eò directis. Et ob hanc cauſam etiam, dixit Chriſtus Dominus noſter: *Nolite in ſublime tolli*, ſollicitè videlicet, & anxiè oculos in altum eleuantes, ſuſpirantes, gementes, vagantes ab vna in alteram partem, & quærentes vias, & modos, quibus voti compotes efficiamini. O Deus altiſſime, qui in altis habitans *prouidentia* tua rebus his inferioribus proſpicis, me totum, Domine, diuinæ tuæ *diſpoſitioni* ſubijcio, magnaque fiducia oculos in altum, vbi tu es, attollens, ſperabo inde mihi euenturum, quod maximè expedit, vt vitam meam ita in terra tranſigam, vt poſtea aſcendam ad te fruendum in cœlo.

CONSIDERABO deinde duplicem rationem à Chriſto Domino noſtro allatam ad remouendam à nobis nimiam ſolicitudinem. PRIMA

Margin notes: 1. — 2. — c 1. *Tim*. 6. 17. — 3. — 4. — d *Ier*. 10.5. — e *Pſal*. 30.16 — f *Prou*. 33. — g c. 21.1. — A Deo omnia. — *Ex Theophylact.* — Oratio. — II. Duplex ratio remouendæ ſolicitudinis. — 1.

Luc. 12.30 eſt. h *quia hæc omnia*,inquit,*gentes mundi quærunt*; quaſi diceret,res huiuſmodi tanta ſolicitudine, & per talia media quærere, eſt proprium gentium negantium (vt eſt apud Iob) diuinam prouidentiam, ac dicentium: i *Quid enim nouit Deus? nec noſtra conſiderat*; aut etiam hominum huius ſeculi, qui eandem prouidentiam ſuis operibus negãt: k *ac dicunt; quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo?* aut etiam hominum imperfectorum, qui ob ſuam exiguam fiduciam de Dei prouidentia anxij ſunt ſicut infideles. O Magiſter ſupreme,cuius doctrinam l *gentiles reputant ſtultitiam*,& huius mundi ſapientes m *eandem ignorantes blaſphemant*, non intelligentes altiſſimæ tuæ prouidentiæ ſecreta. Illuſtra, Domine, illos cœleſti luce tua,vt eam cognoſcant,& venerentur;& quandoquidem ego illam ex tua miſericordia credo, concede mihi, vt vitam meam ita illi conformem,vt admirandis effectibus, qui ab ea procedunt, frui poſſim.

Iob. 22 13. Pſal.72.11

Oratio.

1.Cor.1. 23. 1 Iudæ epiſt. 10.

2\. SECVNDA ratio,eaque indulgentiſſima eſt: *ſcit enim Pater veſter cœleſtis,quia his omnibus indigetis*.In quibus verbis deſcripſit Chriſtus Dominus noſter tria diuina *attributa*,quibus fiducia noſtra,quam de eius prouidẽtia habere debemus,innititur;*Sapientiam*, videlicet, cui omnes noſtræ neceſſitates ſunt notæ; *Bonitatem*,qua vult illis ſubuenire, quia Pater eſt; & *Omnipotentiam*,ad exhibendum remedium, quia & Pater eſt cæleſtis, & rerum omnium creatarum Dominus.Si igitur hoc totum ita ſe habet, certiſſimum eſt,Deum paterna ſua prouidentia proſpecturum nobis de omnibus,quantum conueniet.

1 tribus fiducia noſtra.

Ex his licebit inferre efficaciſſimam rationem ad pacem, & conſolationem habendam in rebus omnibus,quas obtinere deſidero,ita mecum ipſe loquens: Aut res hæc,quam deſidero & quæro,eſt mihi expediens, aut non eſt: Si mihi non expedit, quia erit mihi occaſioni maiorum incommodorum corporis & animæ,nolo illam habere,& ita ſpero Deum prouidentia ſua impediturum, ne eam obtineam; quod ſi mihi expedit illam habere,certus ſum quoque,eundem Dominum eadem ſua prouidentia effecturum,vt illam habeam,quia ipſe tanquam *Pater* cupit mihi bonum,& nouit tanquam *Sapiens* media,per quæ mihi det illud,poteſtque id ipſa præſtare,tamquam *Potens*. Qua conſideratione contentus omninò ero,quocumq; euentu rei,quam deſiderabam, & locum habebit in me illud Salomonis: n *Non contriſtabit iuſtum, quidquid ei acciderit*. quia nouit id prouenire à prouidentia Patris ſui cœleſtis.O Pater amãtiſſime,ex nunc cupio tibi ſeruire magna pace,& lætitia,quæ tuæ diuinę prouidentiæ innitatur:ſatis enim mihi eſt credere notas tibi eſſe omnes meas neceſſitates,vt certò ſperem earum remedium.

Nota.

Pro.12.21.

Digitized by Google

PVNCTVM VII.

DE PROVIDENTIA DEI ERGA QVAErentes primùm Regnum Dei.

QVAERITE *ergo primùm Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Admiranda hac ſententia exprimitur ordo, quem in quærendis rebus noſtris ſeruare debemus, vt ſimus digni, quorum diuina prouidentia curam habeat, vt eas obtineamus. Et quoniam ſingula huius ſententiæ verba proprium habent *myſterium*, ſingula ſeorſim expendemus. a *Matt. 6.33* *Luc. 12.31.* Myſteria verborum Chriſti.

I. PRIMVM ergo verbum eſt, *primùm quærite Regnum Dei*, hoc eſt, ante omnia, præ omnibus, & primo loco collocantes primam & præcipuam veſtram curam in quærendo regno Dei, conſtituendo illud tanquam vltimum *intentionis* veſtræ finem, ita vt nullam aliam rem pluris, nec tanti faciatis atq; illud Regnum; ſed nec tali *intentioni* aliquam aliam adiungatis, quæ ſit aliena ab eius præſtantia.

II. ET non dicit: eſtote ſoliciti, ſed QVAERITE, nam anxia ſolicitudo etiam in eo regno quærendo non placet Deo, vt ſuprà dictum eſt, propterea quòd talis anxietas plena ſit dubijs, & diffidentijs de eius prouidentia.

III. TERTIVM verbũ eſt, REGNVM DEI, cæleſte ſcilicet & æternum, in quo Deũ videatis, & cum eo æternùm regnetis. Idq; ſit primum, nõ ſolùm quia eſt veſtrũ bonum, ſed vt idem Deus in vobis regnet, eiuſq; regnum dilatetur per totum mundũ, & eius nomẽ ſanctificetur ab omnib. *Medit. 15. 3. part.*

IV. VERVM etiam quærite IVSTITIAM eius, iuſtitiam videlicet Dei, aut eius regni, quæ facit vos iuſtos, & complectitur omnes virtutes, & opera, quæ tituli ſunt, & media ad regnum illud, & coronam iuſtitiæ conſequendam Magno autem myſterio Chriſtus Dominus noſter non dixit, *quærite primùm regnum Dei*, ac deinde *iuſtitiam eius*; ſed ſimul, inquit, & primo loco vtrumque eſſe quærendum, quia non poteſt vnum abſque altero quæri. Et qui dicit ſe quærere regnum Dei, niſi etiam quærat iuſtitiam, & ſanctitatem, ſeipſum decipit; parum enim prodeſt deſiderare ire ad cælum, niſi ad id apta media adhibeantur. Nam vt prouidentia diuina non vult nos eſſe nimiùm ſolicitos, & anxios: ita etiam non vult eſſe remiſſos, ac torpentes. O Rex æterne, ſiquidem iubes, vt *quæram tuum regnum, tuamq; iuſtitiam*, præueniat, quæſo, me tua miſericordia, adiu- Oratio.

uans

uans me exercere illa media, quibus regnum tuum, & iuſtitia obtinentur.

V. VLTIMVM verbū eſt, ET HAEC OMNIA ADIICIENTVR VOBIS: quibus verbis Chriſtus Dominus noſter per modum promiſſionis ſecuros facit quærentes eius regnum, & iuſtitiam, quod ſpecialem ſit ipſorum prouidentiam habiturus, ac proſpecturus de rebus omnibus ad vitam hanc tranſigendam neceſſarijs, idque maiori ſuauitate, quàm gentibus huius mundi, qui adeò anxiè illas quærunt; iuxta illud Dauidis; b *Diuites eguerunt, & eſurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*: quaſi diceret: quamuis illi, qui in ſuis diuitijs confidunt, eò deueniant, vt multis tandem indigeant; at qui quærunt Deum, & ſpem ſuam in eo collocant, illis non deerit vllum bonum ſpirituale, aut corporale, modò ipſis ſit bonum. Quòd ſi quando cibus, aut veſtimentum corporis illis deerit, id cedet in maius bonum animæ eorum.

b Pſal. 33.11.

LATET tamen aliquod myſterium in eo, quòd Chriſtus Dominus noſter non dixerit, *quærite poſtea* huiuſmodi bona temporalia. nam quamuis licitum ſit moderata ſolicitudine illa quærere, id tamen vt facerent dicere noluit, vt remotiores nos à nimia ſolicitudine faceret, quæ facilè etiam moderatæ ſe inſerit: ideoque qui illa quærit, meritò ſequetur Apoſtoli conſilium dicentis, vt c *qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtentes ſint*. remouendo ſcilicet omnem turbationem, & occaſionem peccandi. nam illa hoc modo quærere, eſt quærere iuſtitiam, & regnum Dei; quia DEUS iubet nos adhibere media apta ad quærendum, quod ad mortem vitandam eſt neceſſarium. Nec dixit Chriſtus Dominus noſter: hæc omnia vobis dabuntur, ſed: *adijcientur*, vt intelligamus Deum non dare iuſtis huiuſmodi temporalia in præmium principale operum ipſorum, ſed tanquam additamenta, quatenus ſcilicet ad vitam ducendam tanquam media requiruntur. Ideoque in die, quo eſt præmia redditurus, non vult hæc magis poni in rationibus, quàm ſi illa non dediſſet: non enim honori ſibi ducit tam abiectis præmijs ſeruitia noſtra compenſare; & eadem ratione debeo ego abiectiſſimum reputare DEO propter illa ſeruire, aut illa quærere pro mercede præcipua meorum operum; ſed generosè quærere gloriam huius DOMINI, & regni eius, ipſius prouidentiæ committens, vt ex temporalibus ipſe adijciat, quod voluerit, parum, aut multum, ſtatuens apud me fideliter illi ſeruire, quocunque tandem modo me velit tractare. Qua via non ſolùm non perdam temporalia, ſed potiùs, ſi ita mihi expedit, eadem augebo, qui enim DEO ſeruit, eò magis emolumentum conſequitur, quò ipſe minùs quærebat proprium.

c 1. Cor. 7. 31. Quo fine temporalia quærenda.

PVNCTVM VIII.

AD præcedentium confirmationem eſt vltimò conſiderandum, quòd DEVS prouidentia erga ſuos electos adeò ſit beneuola, vt quando humana, & ordinaria media non ſunt poſſibilia, ad illis proſpiciendum de cibo, & veſtimento, & alijs ad vitam neceſſarijs, adinueniat ipſe media *extraordinaria* & *prodigioſa*, vt hæc omnia illis prouideat, ſicut fecit cum filijs Iſrael, a *qui comederunt manna quadraginta annis in deſerto*, mittens illud de Cœlo, & b *aquam deducens ex petra* prodigioſè. quo toto tempore c *non ſunt attrita veſtimenta eorum*, *nec calceamenta pedum eorum vetuſtate conſumpta ſunt*.

Prouidentia Dei in prodigioſis medijs.
a *Exo*.16.35.
b *c*.17.6.
c *Deut*. 29.5

NOMINATIM autem perpendam tria media *prodigioſa*, quæ prouidentia diuina oſtendit in ſuſtentando Elia. PRIMVM fuit, quòd mandauerit coruis, d *adferre illi panem*, *& carnes manè, & panem, & carnes veſperi*, qui etiamſi voraces eſſent, Dei tamen mandato parentes, ex ore ſuo dimittebant, vt Prophetæ traderent, in quo nobis proponitur, quòd magni peccatores per coruos ſignificati, quamuis ſint cupidiſſimi, ſolent tamen ex diuina inſpiratione ſuis facultatibus Dei ſeruos ſuſtentare. O Pater amantiſſime, quis tibi non obediat relinquendo amore tui etiam quód ſibi valdè placet, ſiquidem *corui* tibi parent, relinquentes palati ſui naturalem appetitionem, vt tuis amicis ſatisfaciant, quidquid mihi placet, exponam, Domine, tantùm vt tibi cum amore ſeruiam, firmiter fidens tuæ prouidentiæ, quòd vbi opus fuerit, ſi me homines deſeruerint, ipſæ feræ mihi miniſtrabunt.

I.
Eliæ ſuſtẽtatio.
d 3. *Reg*.17.6

SECVNDVS modus fuit per quandam pauperem *viduam*, quæ nihil habebat, quo vel ſeipſam ſuſtentaret, e *niſi quantum pugillus capere poterat farina in hydria, & paululum olei in lecytho*, cui præcepit Dominus, vt Eliam ſuſtentaret, multiplicando prodigioſè, quæ illa habebat, ita vt ſufficerent ad Prophetam, & ſeipſam, ac filium ſuſtentandos, vt ſic manifeſtaret prouidentiam, quam gerit de ſuis ſeruis per alios homines pios, & qui eleemoſynas libenter largiuntur, multiplicans illis bona, quæ habent in præmium eleemoſynæ, quam faciunt. Quamuis enim prouidentia diuina reuera prouideat omnibus, maiori tamen cura attendit ijs, quos accipit tanquam inſtrumenta ad ea præſtanda, quæ ipſe vult fieri, dans illis, quia & ipſi dant; & etiam vt plura dent ſeruis ipſius.

II.
Viduæ.
e 3. *Reg*.17

TERTIVS modus fuit per f *Angelum, qui illi appoſuit panem & aquam*, cùm ipſe dormiret, & omninò nihil ea de re cogitaret. Angeli enim ſunt *prouidentia* diuinæ *miniſtri* ad eius electos alendos tempore ne-

III.
f 3. *Reg*. 19. 6.

Digitized by Google

ceſſitatis, quando videlicet humanum ſubſidium illis deeſt: ſicut alter
c Dan. 4.35 c *Angelus apprehendit Habacuc, & portauit eum capillo capitis ſui, poſuitq; in Babylone ſupra lacum Leonum,* in quo erat Daniel, *& clamauit Habacuc dicens: Daniel, ſerue Dei, tolle prandium, quod miſit tibi Deus, qui Daniel,* admirans infinitam hanc Dei charitatem, & prouidentiam, *dixit; recordatus es*
Oratio. *mei Deus, & non dereliquiſti diligentes te.* O Deus animæ meæ, infinitas gratias ago tibi, ob memoriam, quam retines tuorum ſeruorum, protegens, & ſuſtentans ſperantes in tua miſericordia, nec fuiſti contentus obturare ora famelicorum leonum, ne ſeruum tuum deuorarent, ſed etiam aufers prandium meſſoribus eſurientibus, vt illud mitteres ſeruo tuo. Benedicta ſit adeò benigna prouidentia tua, & laudent te propter illam & Angeli, & homines. Auge Domine in corde meo eiuſdem prouidentiæ *fidem,* atque *fiduciam,* vt hac diſpoſitione faciens quod mihi iubes, re ipſa experiar quod mihi promittis.

Collat 19. c.5.9. & 8. *Hac doctrina conſolari ſe ipſos poſſunt religioſi, qui, teſte Caſſiano, res omnes à ſe abijcientes, vt à curis anxijs ſint expediti, ſe ipſos diuinæ prouidentiæ committunt, vt perfectiùs Chriſtum ſequantur.*

MEDITATIO XXXII.

DE PROVIDENTIA DEI CIRCA RES HVius mundi aduerſas, ac de omnibus malis culpæ, & pœnæ.

PVNCTVM I.

S.Thom.1. p q 22. a.2. ad 3. & 4. & q 103.a.7 CONSIDERANDVM primò, quòd prouidentia diuina complectatur ſub ſua gubernatione res omnes aduerſas, quæ in hac vita eueniunt, & miſerias omnes, quas homines ſuſtinent in corpore & anima, diſponens & ordinans *omnia mala,* quæ *non* ſunt *peccata*; permittens verò ipſa peccata ob altos, & ſecrétos ſuæ gubernationis fines in bonum ſuarum creaturarum, & nominatim hominum ad cælum electorum.
Ench.c.1. 10.3. Quamobrem dixit S. Aug. Deum omnipotentem nullatenus conceſſurum aliquod malum in ſuis operibus, niſi adeò ipſe potens & bonus eſſet, vt benefaceret etiam de malo, imò de vno ſolo malo multa bona, quæ ad tria genera reuocari poſſunt.

Cur nobis aduerſa obtingant. I. PRIMVM eſt ad manifeſtandum *bonitatem & omnipotentiã* ſuam, *iuſtitiam,* & *miſericordiam* aliaq; attributa, & perfectiones ſuas, quarum

opera in his miſerijs exercentur,& elucent valdè in ijs, quæ fiunt ad eas auertendas & remedium eis adferendum.

II. SECVNDVM bonum eſt *conſeruatio totius vniuerſi*, quod ita eſt conſtitutum,& talibus rebus conſtat, vt conſeruari non poſſit, niſi aliquæ deſtruantur, & corrumpantur, vt aliæ generentur,ac ſuſtententur, ex quo oritur naturale odium,& inimicitia, quam animaduertimus inter aliqua animalia,piſces,& aues aduerſus alia, quia illorum quædam cedunt in aliorum nutrimentum.

III. TERTIVM bonum eſt *commodum ipſorum hominum* tam naturale, quàm ſupernaturale, quia vtrumque horum commiſcentur multis miſerijs,quibus ipſa tamen perficiuntur.nam virtutes exercent ſuas actiones cum magno ſui ſplendore circa miſerias corporis,& animæ proprias, vel alienas.

Nota. SVB his tribus bonorum generibus innumera alia continentur, quæ diuina prouidentia eruit ex noſtris *malis*, vt apparebit in ſequentibus punctis,in quibus diſcurremus per omnia genera malorum, & laborum, quos patimur. Obſeruandum tamen mihi erit pro mea conſolatione, vt ſemper oculos conijciam non tam in *malum* ipſum quod patior,quàm in *bonum* illud quod prouidentia diuina ex illo malo deducere intendit, & gaudeam, quòd habeam tam bonum & potentem Deum, qui ex malis meis eliciat bona;nec permiſſurus eſſet malum, niſi ſciret, vellet ac poſſet aliquod bonum ex eo elicere. (Oratio.) O *bonum infinitum*, gratias tibi ago ob eam bonitatem, quam oſtendis deducendo bona ex noſtris malis,& permittendo noſtram miſeriam,vt emineat magis infinita tua miſericordia,oſtende, quæſo in me huiuſmodi prouidentiam, vt omninò intercludam malum culpæ, conuertam verò in bonum quodcumque malum pœnæ.

PVNCTVM II.

DEINDE eſt conſideranda mirabilis illa prouidentia, quam Deus habet circa *afflictiones* & tentationes, quæ nobis *à Dæmone* proueniunt.Circa quod tria præcipuè ſunt perpendenda. (Dæmonis tentationes.)

I. PRIMVM quòd Deus Dominus noſter prouidentia ſua poteſtatem facit Dæmoni,vt nos vexet, ſine qua nec pilum quidem veſtis tangere poſſet, a *nec in porcos intrare*, etiamſi ſint vilia animalia; ſemper tamen Deus eam poteſtatem concedit cum certo limite, & termino, ac deſignatis certis rebus, in quibus nos vexet, & numero & intenſione

a *Matt*.8.31.

tentationis,ac tempore, quo illa ſit duratura; ita vt nec punctum, nec momentum amplius poſſit, quàm Deus permiſerit.

II. SECVNDVM eſt, quòd quamuis eius voluntas adeò ſit peruerſa, vt tentandi poteſtatem petat ad noſtram ruinam, diuina tamen prouidentia non annuit, ſed eius malitia vtitur in noſtrum commodum, intendens his tentationibus, & afflictionibus exercere nos in mortificatione, humilitate, oratione, ac cæteris virtutibus, tentatoris voluntati contrarijs. Nam ſi Dæmon tentatione obiecta contendit me impellere in *luxuriam*, eadem tentatione Deus vtitur, vt magis perficiat in virtute *caſtitatis*; & ſi vult, calamitatibus mihi inflictis, ad impatientiam me permouere ac deſperationem, eiſdem calamitatibus Deus vult me magis conſolidare in virtute patientiæ, & confidentiæ.

III. TERTIVM eſt, quòd prouidentia diuina metiatur ſemper, & attemperet noſtras afflictiones, & tentationes viribus noſtris tam naturæ, quàm gratiæ, quam nobis concedere ſtatuit, ita vt b *non patiatur*, ſicut ait Apoſtolus, *nos tentari*, aut vexari *ſupra id, quod poſſumus: ſed faciet etiam cum tentatione prouentum*, & profectum, ad quod præſtandum nobis multa, & accommodata media offert; ſiue per Confeſſarios, & bonos Conſiliarios, ſiue per ſanctos Angelos, qui Dæmonibus reſiſtunt, ſiue etiam per occultas inſpirationes aſſiſtens ipſemet, vt nobis ſubueniat, ita vt poſſimus conſequi finem ipſius prouidentiæ, niſi ipſi velimus nobis deeſſe.

b 1. Cor. 10. 13.

5. p. Med. 27.

Duo documenta egregia.

Ex his conſiderationibus *duo* magni momenti *documenta* accipiam, vt in huiuſmodi calamitatibus, & afflictionibus conſolationem habeam.

1. PRIMVM *documentum* eſt, vt non conijciam oculos in Dæmonem, qui me vexat, ſed in Deum, qui id permittit, ipſamque afflictionem aſpiciam, tanquam ab eius manu venientem, ſiquidem cùm illam poſſet impedire, non impedit; quare dicam cum ſancto Iob: *Si* c *bona accepi de manu Domini, quare non ſuſtineam hæc mala?* Deus prouidentia ſua dedit mihi ſanitatem, facultates, honorem, pacem, & lætitiam: quę eadem prouidentia mihi abſtulit dans Dæmoni ad id licentiam. ſatis mihi eſt, quòd ipſe eam dederit, vt ego eam approbem & bonam iudicem, ſit nomen eius benedictum, quia dedit; & ſit benedictum, quia abſtulit in æternum. Amen.

c Iob 2. 10.

2. SECVNDVM *documentum* eſt, vt oculos conijciam, non in ea mala, quæ Dæmon mihi minatur, ſed in bona, quæ Deus per meam illam exercitationem intendit, confidens in eius prouidentia, quòd ſit futura potentior in obtinendo eo, quod intendit, quàm Dæmon, quod ipſe deſiderat, ideoque oculos auertam à mea imbecillitate, ne deficiam; &

à Dœmonis feritate,ne eum timeam;conijciam verò eos in Dei omnipotentiam,& gratiæ eius efficacitatem demiſsè ſupplicans, vt prouidentia ſua adeò efficacia mihi applicet media, vt finē illum conſequar,quem ipſe amanter intendit.

Pvnctvm III.

Tertio eſt conſideranda Dei prouidentia circa *perſecutiones*, quæ nobis ab alijs hominibus excitantur,ſiue tyranni illi ſint publici,ſiue hoſtes priuati,ſiue amici ficti, ſiue falſi fratres. Circa quod eſt Primo perpendendum, quòd prouidentia diuina omnium horum hoſtium manus ita ligatas habeat, vt ſine ipſius facultate nec pilum vnum capitis auferre nobis poſsint. ſicut Chriſtus Dominus noſter dixit ſuis diſcipulis:a b *Nonne* b *quinque paſſeres veneunt* b *dipondio:& vnus ex illis non* a *cadet ſuper terram, ſine Patre veſtro*,b *nec eſt in obliuione coram Deo, ſed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere, multis paſſeribus* a *meliores,&* b *pluris eſtis vos.* Quibus verbis duplicem rationem iucundiſſimam,& ſuauiſsimam diuinæ prouidentiæ inſinuat Chriſtus Dominus noſter.

Perſecutiones ab hominibus.

I.

a Matt. 10. 29.

b Luc.12. 6.

I.

Prima ratio eſt, quòd Pater noſter cæleſtis curam habeat vitæ *paſſerum*, etiamſi viliſsimorum,& nec minimi illorum obliuiſcatur, adeò vt nullus eorum capiatur,aut mortuus in terram cadat abſque ipſius prouidentia;multò igitur maiorem curam noſtri habebit, qui paſſerum non Pater eſt,ſed Dominvs; noſtri verò & Dominus eſt & Pater, & Pater ille,cui cùm curæ ſit ſalus, & vita ſeruorum,multò magis erit filiorum.Et qui non obliuiſcitur viliſsimi paſſerculi, aut auiculæ, non obliuiſcetur vnius hominis,maximè amici ſui,quia pluris eſt vnus homo infinitis auiculis; quòd ſi venator nec venari poteſt, nec occidere vnam auiculam ſine voluntate Dei,qui id ita permittat,multò minùs tyrannus vexare poterit,aut interficere iuſtum abſque licentia, & permiſsione cœleſtis eius Patris.

2.

Secvnda ratio eſt, quia Deus omnes *capillos noſtri capitis numeratos habet*,& curam illorum gerit, ſicut homines magnam rationem habent rerum,quas habent in numerato, quare nullus abſque Patris cœleſtis licentia poteſt vel vnicum capillum ex hoc numero nobis auferre; qui igitur tantam habet meorum capillorum prouidentiam, quæ res eſt hominis viliſsima,minimique momenti,quòd ſit vnus plus,aut minus,quantò maiorem prouidentiam habebit meæ ſalutis,vitæ,& honoris, rerumque aliarum grauiorum,quæ me concernunt? quòd ſi hoſtes mei nec vnicum

capillum ſine cœleſtis Patris licentia auferre mihi poſſunt, multò minùs poterunt auferre ſalutem, honorem, aut vitam.

Hac confidentia decet me viuere valdè contentum, ac ſecurum, tanquam ſub protectione Domini adeò potentis, ac beneuoli conſtitutum, qui ait; c *qui tetigerit vos* vel in vno pilo capitis, *tangit pupillam oculi mei*. O
Oratio. c *Zac.2.8.* d *Pſal.16.8* dilecte mi, d *cuſtodi me ſicut* homines cuſtodiunt *pupillas oculorum* ſuorum, *ſub vmbra alarum tuarum protege me*, vt ſolent aues pullos ſuos ſub alis ſuis collocare; & tuere me *à facie impiorum, qui me afflixerunt*, ſicut illę ſuos defendunt à miluis.

II. Ex his aſcendam ad conſiderandum ſecundò, quòd prouidentia diuina permittit, vt mali homines nos perſequantur, quia magna nobis ex hoc bona proueniunt; non enim eam licentiam noſtris hoſtibus dediſſet niſi per eoſdem tanquam per inſtrumenta quædam illa bona noſtra ipſe intenderet; ſicut permittit tyrannos, vt ſint aliqui clariſsimi Martyres, in quo duo facit præclariſsima.

1. Primvm eſt, quòd ex huiuſmodi perſecutionibus eliciat ipſe *bonum*, è diametro contrarium malo, quod hoſtes noſtri per illas intendebant, adeò vt interdum eadem media, quæ illi adhibent, vt nos perſundent, accipiat Deus, vt nos exaltet.

2. Secvndvm eſt, quòd ipſam perſecutionem conuertat Deus in *bonum* noſtrorum *hoſtium*, benè ſcilicet eis faciendo, eadem via, qua ipſi nobis nocere voluerunt. Vtrumque hoc emicuit in perſecutione Ioſephi, quem Deus eò eleuauit, vt eſſet Prorex AEgypti, per eadem media, quæ fratres eius ad illum perdendum adhibuerant: & per eadem omninò media ipſis fratribus Deus in neceſsitate conſtitutis ſubuenit, vt ipſemet Ioſeph declarauit dicens illis; e *Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in*
e *Gen.50.20* *bonum, vt exaltaret me*, veniq́ue in AEgyptum, non tam veſtro conſilio,
f *c.45.5.* quàm Dei voluntate, f *qui pro ſalute veſtra miſit me ante vos in AEgyptum, vt ſaluos faceret multos populos*. Hac conſideratione meipſum ſolabor, cùm
g *Pſal.38.10* aliquis me perſequetur, dicens cum Dauide: g *obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti*, & tua ordinatione, ac permiſsione euenit mihi hæc calamitas: quia ergo tu feciſti, non decet, vt ego conquerar. Et ipſe-
h *2. Reg.16.10.* met Dauid, cùm ei malediceret Semei, dixit ſuis ſeruis: h *Dominus præcepit ei, vt malediceret Dauid: & quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic fecerit? dimitte eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini: ſi fortè reddat mihi Dominus bonũ pro maledictione hac hodierna*. Sic, inquam, mihimet ipſi dicam; ne cogita, caſu aduenire tibi maledictionem, aut calamitatem, quæ te premit; quia nullus poſſet dicere, aut facere malum contra te, niſi Deus ad id licentiam daret; ne cogita datam eſſe licentiam in tuum damnum: propterea enim dicitur, quòd *mandet*, quia ad tuum commodum illud permittit: quòd ſi

hoc

hoc nomine ille id mandat, quis poterit iure ab eo quærere, cur ita mandet? ſatis mihi eſt, Domine, quòd tu ita mandes, vt ſit benè mandatum, quia ſemper eſt recta, & iuſta tua gubernatio.

PVNCTVM IV.

QVARTO eſt conſideranda paterna Dei prouidentia circa *aduerſitates corporis*, ſiue illæ ſint communes, ſiue priuatæ; ſiue oriantur à ſolis cauſis naturalibus, ſiue ab aliqua malitia, aut incuria hominũ, quales ſunt tempeſtates, & inundationes, bella, peſtes, morbi, ac dolores corporis, & innumeræ aliæ miſeriæ, quibus affligimur, quæ omnes ſubſcriptione diuinæ prouidentiæ veniunt firmatæ, & munitæ, ſine qua nec vna ſola eueniſſet, ac propterea quidam Propheta dixit: a *non eſt malum in ciuitate quod Dominus non fecerit*. — Aduerſitates corporis

SED in particulari perpendam, quòd prouidentia diuina minutiſsimè decretas habeat omnes *infirmitates & morbos*, qui mihi eueniunt, meis viribus eos accommodans, quoad numerum, qualitatem, intenſionem, & durationem eorum, ita vt humor, qui vexat caput, non poſsit ad alteram partem tranſire, nec creſcere, aut plures horas durare, quàm decreuerit Deus. Et ſimiliter eadem prouidentia diuina euẽtus curationis diſponit, & vt medici, quid ſit faciẽdum, intelligant; aut non ſatis aſſequãtur, & errent: & quòd pharmaca apta, aut inepta exhibeãtur, & opportunè, aut importunè, ita vt horũ nihil à caſu ſiat reſpectu Dei, qui his omnibus rebus, & circumſtantijs vtitur, vt quod intẽdit aſſequatur. nam vt ait Sap. b *à Deo eſt omnis medela*, & eius euentus; & c *vita, & mors à Deo ſunt*, & ſanitas, & infirmitas, qui & ſua prouidentia d *percutit & ſanat*; *mortificat, & viuificat, deducit ad ſepulchrum, & reducit*. Ex quibus diſcam, quòd quamuis in ſimilibus caſibus poſsim, ac porrò debeam humana media adhibere apta, & accommodata, vt ab his miſerijs eripiar; ſed præcipua tamen mea fiducia non ſit in illis collocanda; ſed in Deo, ad quem ſit confugiendum per orationes. nam eius prouidentiæ eſt felicem exitum medijs à me adhibitis dare, aut meliora adhibere. — a *Amos* 3. 6. I. Morbi. b *Eccl*. 38. 2. c *Ibid. c*. 11. 14. d *Oſee*. 6. 2. e 1 *Reg*. 2 6.

DEINDE perpendam, quòd prouidentia diuina dirigit, aut permittit huiuſmòdi morbos & alias corporis miſerias in bonum animæ, vt per eas purificetur à culpis; vincat ſuas paſsiones; exerceat virtutes, & earum cõſequatur perfectionem: f *nam virtus* (dixit ipſe Dominus Apoſtolo) *in infirmitate perficitur*. Quare eam aſpiciens, non quà corpus affligit, ſed quà à Deo deſtinatur in meum commodum, debeo ex ea gaudere, dicens cum eodem Apoſtolo: *libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti*. Quòd ſi caro tales refugiat labores, dicam illi in — II. Morbi in bonum animæ. f 2. *Cor*. 12. 9.

Digitized by Google

g *Ioan* 18.11. feruore ſpiritus illud Chriſti ad Petrum: g *calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Hæc infirmitas, & labor hic cum omnibus amaritudinibus illi adiunctis calix, & potio eſt, à prouidentia Patris cœleſtis præſcripta, ac porrò valdè vtilis. Satis itaque eſt quòd ipſe præſcripſerit, vt ego illam acceptem, & amplectar. Si itaque ipſe præſcripſit, vt hauriam, volo omninò bibere, vt faciam, quod ipſe vult; nec recedam ab eo, quod ipſe præſcribit, ac mandat.

PVNCTVM V.

Animi miſeriæ duplices.

I. Inuoluntariæ

a *Gal.* 5. 17. b *Rom.* 5. 2. & 8. 13

QVINTO conſideranda eſt prouidentia Dei Domini noſtri circa miſerias noſtræ animę, quę ſunt duplices. ALIAE *inuoluntariæ*, quę nos etiam inuitos, & nolentes vexant, & affligunt, quales ſunt rebellãtis a *carnis aduerſus ſpiritum pugnæ*, & perturbationes; imaginationes, vagationes, & diſtractiones, & ſimiles alij defectus, qui ex originis peccato prouenerunt, quos diuina prouidentia in nobis reliquit, non in detrimentum, ſed in exercitationem, ob ingentia bona, quæ ex *hac pugna* ſequuntur eos, qui ſtrenuè in ea ſe gerunt. ideoque Deus Dominus noſter paterna ſua prouidentia vim, & violentiam tentationum internarum ita moderatur, vt nos non ſuffocent, datq; nobis ſufficientem gratiam, vt in eo conflictu victores euadamus.

II. Voluntariæ.

ALIAE ſunt miſeriæ *voluntariæ*, ab inordinata videlicet libera noſtra voluntate venientes, quales ſunt culpæ, & peccata, quæ nullo modo à diuina prouidentia intenduntur. potiùs enim extra ipſius ordinem veniũt, & aduerſantur præcipuo ipſius gubernationis fini, quæ eſt ſalus noſtra, ad ipſius gloriam. Permittit ea tamen, vt hominis libertas conſtet, & ſarta tecta ſeruetur, ex quibus nihilominus bonitate ſua infinita, & altiſsima prouidentia magna elicit bona, nunc ipſius, qui illa commiſit, quem ex ea occaſione reddit humiliorem, ſibi diffidentem, in poſterum cautiorẽ, & in ſeruitio diuino feruentiorem; nũc aliorum, quia crudelitate, & malitia impiorum exercet, perpolit, ac perficit bonos; ſemper verò ex ipſis peccatis manifeſtat ſuam bonitatem, aut quia expectat peccatorem, & benignè redeuntem excipit eaq; ei remittit, aut quia ſeuerè ſua iuſtitia illa caſtigat, c *omnia* autem (teſte Apoſt.) *diligentibus Deum* conuertuntur, *& cooperantur in bonum.* Qui, ex diuina prouidẽtia, etiam ex proprijs peccatis humilitatem hauriunt, & ex alienis cautelam, & ex obtenta venia amorem, & gratitudinem erga diuinam miſericordiam, & ex ſupplicio, & pœna illata, timorem, & reuerentiam erga diuinam iuſtitiam.

c *Rom.* 8. 28.

Oratio.

O Deus ęterne, cuius prouidentia Adami culpam conuertit in bonum vniuerſi; occaſionem ex ea accipiens dandi nobis Filium tuum in Redemptorem.

Con-

Conuerte ex tua miſericordia in bonum meum, quod ego miſer feci in malum meum. O Redemptor mundi, qui redimis à peccatis, ea remittés, & ab eis præſeruans; remitte quæſo, quæ hactenus commiſi, & præſerua me ab ijs, quæ impoſterùm committere poſſum, applicans mihi benigna tua prouidentia omnes hos copioſæ tuæ redẽptionis eff.ctus, Amen.

VLTIMO perpendam innumera *occulta beneficia*, quæ ab eadẽ prouidentia diuina in prædictis omnibus rebus proueniũt, intercludit enim & auertit innumera *corporis*, & *animæ* mala particularia & generalia, quæ euenirent in hoc mundo, & quorum ego nominatim, niſi Deus præueniret, particeps eſſem. Propter quæ (vt ſuprà eſt dictum) debeo illum laudare; & vt orans peto: d *ab occultis meis munda me Domine*, (nam etſi mihi occulta nunc ſunt, Deo tamen non ſunt, & aliquando etiam mihi erunt manifeſta) ita debeo illi gratias agere pro beneficijs occultis, etſi enim occulta ſint, non propterea deſinunt eſſe grandia, & aliquando mihi patefient, & valdè erubeſcerem, niſi gratias etiam pro illis egiſſem. Gratias tibi benefactor ſupreme, propter bonum, quod mihi confers, occultè me liberans à malis, quæ facerem, & miſerijs, in quas inciderem, niſi ea auerteres. Perge Domine in ſupremo hoc beneficio, vt tali prouidentia, certa ſit mea perſeuerantia in gratia tua, & coronam obtineam gloriæ, Amen.

III. Beneficia occulta. *Medit. 28. punct. 2.*

d *Pſal. 18. 13.*

Oratio.

MEDITATIO XXXIII.

DE PROVIDENTIA DEI IN EXAVDIENDIS noſtris Orationibus, & tempore expediendis: & quantum hoc ſit beneficium.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM primò, quòd prouidentia diuina acceperit ORATIONEM tanquam inſtrumentum & medium præſtantiſsimum, ad ea exequenda, quæ ipſe circa hominum gubernationem deſignauit, tam in rebus de quibus hactenus diximus, quàm in alijs de quibus poſtea dicemus. Nam videns ipſe quàm multa dona nobis deſint corporalia & ſpiritualia, temporalia & æterna, & multitudinem malorũ, quibus ſubijcimur in corpore & anima; nec nobis ſuppetere vires ad conſequenda bona, & nos expediendos à malis; ſtatuit ORATIONEM eſſe medium ad vtrumq; impetrandum aptiſsimum, promittens nobis ſe daturum

I. Oratio medium impetrandorum. *S. Thom. 2. 2 q. 38. a. 2. & 1. p. q. 23. a. 8.*

turum quidquid peteremus, ſi tamen adſint circumſtantiæ, quas adeſſe oportet. & ita dixit Chriſtus Dominus noſter: a *petite & dabitur vobis, petite* ſcilicet quod vobis deeſt, *& dabitur vobis. Omnis enim qui petit accipit.* circa quod illud perpendam, quòd ORATIO ſit ad hoc totum efficaciſſimum medium, ſuauiſsimum, & vniuerſaliſsimū. *Efficaciſſimum* eſt, quia vt aliàs dictum eſt, innititur verbo & promiſsioni Dei, qui non poteſt deeſſe, quia eſt ſummè fidelis in implendo quod dicit; & ſimul omnipotens, ad præſtandum, quod promittit. Eſt medium *ſuauiſſimum*, quia nihil ſuauius aut facilius eſt, quàm quod mihi deeſt, petere ab eo, qui me amat, & iubet vt petam: magiſq; optat ipſe dare mihi quod peto, quàm ego cupiam illud accipere. Eſt etiam *vniuerſaliſſimum*, quia valet ad impetranda omnia bona, quæ mihi expediunt; & liberandum me ab omnibus malis, quæ mihi nocent.

a *Mat* 7.7. a *Luc*.11.10. *Part*. 4. *Medit*.18.& 19.

II. DEINDE eſt medium diuinæ prouidentiæ, ad exequenda opera, quæ proueniunt ab attributis & perfectionibus diuinis ſuperiùs poſitis. Eſt enim medium, per quod *bonitas* diuina ſe nobis communicat; eius *charitas* nos amat; eius *miſericordia* nobis ſubuenit; *iuſtitia* præmium reddit & mercedem; & *omnipotentia* eius exequitur, quidquid eius *ſapientia* deſignauit, & intendit: imò, ſi id opus erit, etiam mutabit & inuertet ordinem rerum naturalium, editis videlicet prodigijs & miraculis. ORATIO enim impetrat à diuina omnipotentia lumen cæcis, vitam mortuis; cœloſque à ſuo curſu ceſſare facit, & res has in alias conuerti.

III. DENIQVE *Oratio* eſt prouidentiæ diuinæ medium, ad *ornandum* & *perficiendum* creaturas, quas fecit in exordio mundi, in vtilitatem hominum. Nam mediante oratione fœcundat terram, pluuiam de Cœlo mittit, pecora multiplicat & animalia vtilia; deſtruit verò noxia, cicurat fera, aufert peſtes, aeres purificat multaque alia præſtat, quæ ſunt propria omnipotentiæ Dei, qui hoc medio & via communicat, eo modo, quo fieri poteſt, ipſam ſuam potentiam ijs, qui ſine eo nihil poſſent. O DEVS omnipotens, gratias tibi maximas, propter omnipotentiam ORATIONI communicatam, ad impetrandum à tua bonitate & miſericordia, quidquid ſuprema tua prouidentia diſpoſuit. Allice me, Domine, ad hanc ſanctam exercitationem: certus ſum enim, ſi ego non b *amouero à me* feruentem *orationem*, nec te *miſericordiam tuam amoturum*.

Oratio. b *Pſa*.63.20.

PVNCTVM II.

Dei liberalitas in exaudiendis Orationib. I.

DEINDE conſiderandum, quòd prouidentia diuina liberaliſsimè nobis concedat quod petimus, ſi nobis ſit vtile; magna verò charitate neget, quod nobis eſt noxium: quia vult Orationem eſſe me-

Digitized by Google

lium nobis vtile, non pernicioſum. Hanc veritatem patefecit Chriſtus Dominus noſter ſuis Diſcipulis, hac Parabola: a. b. *Quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, nunquid lapidem porriget ei? aut ſi piſcem petierit, nunquid ſerpentem porriget ei? aut ſi petierit ouum, nunquid porriget ei ſcorpionem? ſi ergo vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris, quantò magis Pater veſter, qui in cœlis eſt, dabit bona, & de Cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?* a *Matt.* 7.9. b *Luc.*11.13

In qua Parabola Chriſtus Dominus noſter nos docet, quòd ſicut Pater petenti filio aliquid ad comedendum, non dat ei *lapidem*, quia nō poteſt comedi, nec *ſerpentem* aut *ſcorpionem*, quia ſunt noxia: Ita quando ego à Deo peto ſanitatem, bona fortunæ, honorem, delicias aut rem aliam tẽporalem; ſi ipſe nouit, id non fore animę meæ vtile, ſed potiùs noxiū, non mihi dabit illud; quia, ſicut Pater, me diligit, & paterno more denegat filio, quod eſſet illi futurum *lapis ſcandali*, in quem offenderet; & *ſerpens*, qui malitiâ illum inficeret; & *ſcorpio*, qui eius conſcientiam aliquo peccato morderet. Et talia mihi petenti denegare, eſt orationem meam exaudire. par eſt enim, quando tale quid peto, eam adhibere in petendo conditionem: ſi illud ſit mihi futurum vtile & non pernicioſum. 1.

Et eadem ratione, ſicut parens petenti filio aliquid ad comedendum, dat illi quod eſt neceſſarium & conueniens, panem videlicet, oua, piſces, & ſimilia: ita Devs Dominus noſter dabit nobis quod petiuerimus; nec ſolùm quod eſt neceſſarium, ſicut eſt *panis*, ſed etiam quod eſt decens & cōueniens, ſicut ſunt *piſces* & oua. Si enim, inquit, vos à natura in malū propenſi, in hoc tamen bonum inclinatis, vt filijs veſtris communicetis bona, quæ à Deo recepiſtis; quantò magis Pater veſter cœleſtis, qui natura ſua bonus eſt, & ad benefaciendum omnibus propēſus, dabit ſua bona, ea petentibus; præcipuè verò ſuum *ſpiritum bonum*, eum ſcilicet, quo nos reddimur boni & ad Spiritum ſanctum recipiendum diſponimur, à quo bonitas omnis procedit, & cum quo vniuerſa, quæ nobis ſunt bona, adueniunt. Gratias tibi, Pater amantiſsime, ob eam prouidentiam, qua mihi petenti denegas quod nocet; concedis verò quod eſt vtile: & æquè te laudo pro vtroque, ſiquidem vtrumque ab ęquali tuo procedit amore. concede ergò mihi, Domine, ſemper à te petere, quod tibi placet; vt mihi ſemper des quod peto pro tua gloria & meo commodo, Amen. 2. Oratio.

Deniqve perpendam infinitam ſupremę huius prouidentiæ *liberalitatem*, quæ in eo deprehenditur, quòd non dimittat orationem filiorum ſuorum vacuā, quando ex ignorantia petunt, quod ipſis eſſet noxium. nā ita denegat quod petitur, vt eius loco det aliud, ipſis multò vtilius; ſicut Apoſtolo ter petenti, vt c *ſtimulus carnis, qui ipſum colaphizabat, à ſe diſcederet*, quāuis id denegauerit, dedit illi tamen rem multò meliorē, *ſuam* vi- II. Liberalitas in largiēdo. c 2.*Cor.*12.8.

delicet *gratiam*; ne ille ſtimulus illi noceret, ſed potiùs prodeſſet, ipſum impellendo ad ſuam quærendam ſalutem. quamobrem S. Bernardus dixit: Nemo ſuam orationem contemnat; quia Deus ipſe non contemnit; & antequā prodeat ex ore noſtro, ſcriptam ille habet in libro ſuo, & indubitanter alterum è duobus poſſumus ſperare: aut enim dabit, quod petimus, aut quod nobis nouerit eſſe vtilius. O Deus animæ meæ, non volo meam orationem vili pendere, quam tanti tu facis. Et quamuis parum valeat, quatenus à me prodit, valebit multùm, quatenus tibi innititur: in quo confido, quòd nunquam à tua præſentia diſcedet inanis; ſed aut dabis quod peto, aut quod meritò fuiſſet petendum.

Serm. 5 in Quadrag.

Pvnctvm III.

I. Opportunitas.

Tertio eſt conſideranda Dei prouidentia, quoad *opportunitatem* largiendi, quod petitur, quādo ſcilicet magis expedit ad ipſius gloriam & ad noſtrum bonum; quam opportunitatem neque præuenit, neque differt, ſed omninò tunc quando oportet: propter quod fortè dixit ipſemet Deus: a *in tempore accepto exaudiui te*, quando videlicet res mihi accepta magis erat & placebat. Et Sancti, qui aliquid de tali opportunitate nouerunt, petunt à Deo ſuarum neceſsitatum remedium: b *Orabit* (ait Dauid) *ad te omnis Sanctus in tempore opportuno.* Et quando premi ſe vident, ſupplicant Deo, ſicut idem Dauid, vt tempus illud, quo orant, opportunum ſit, in quo exaudiantur: *Ego*, inquit, c *orationem meam ad te* dirigo, *Domine*, ſit, quæſo, hoc *tempus beneplaciti tui, in multitudine miſericordia tuæ; exaudi me in veritate tuæ ſalutis*, quam ſeruare ſoles in tuis promiſsis. Ex quo intelligam, Deum ſtatim dare quod petitur, ſi ita expedit; & ſi petatur ſicut decet; & niſi obicem ponat qui accepturus eſt. Et hoc præcipuè nobis euenit, quando petimus ab eo veniam peccatorum; ad quam obtinendam omne tēpus eſt opportunū. & in his occaſionibus locū habet, quod dixit Iſaias: d *Tūc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: ecce adſum.* & vlteriùs adhuc dicit: e *antequam clament, ego audiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Aliàs verò, etiamſi audiat, noſtraſq; petitiones intelligat, & ſtatuat petitioni annuere, differt tamen executionē in aliud tempus magis conueniens; aut quòd alius iuſto nomine contrarium petat; ſicut euenit Danieli petenti liberationem ſui populi; quem etſi audiuit ſtatim Deus, diſtulit tamen *viginti vno diebus* illi reſpondere, eò quòd alter Angelus contrarium peteret in bonum Perſarum, qui populum captiuum habebat; aut etiam differt, propter aliquod ex parte noſtra impedimentū, culpæ v. g. ingratitudinis, aut tepiditatis in petendo, aut remiſsioris deſiderij: qua dilatione remouetur noſtrum impedimentum,

a *Iſai.* 49. 8. 2. *Cor.* 6. 2.
b *Pſal.* 31. 6.
c *Pſa.* 68. 14.
d *Iſaiæ* 58. 9 & c. 65. 24.
Cur Deus differat exaudire.
Dan. 10. 13.

mentum, quia augetur deſiderium, & reddimur digni, qui accipiamus, quod petimus: ex quo apparet id totum in bonum noſtrum dirigi. Laudetur, Pater mi, paterna tua prouidentia, tam quòd petita concedas, quàm quòd concedere differas. Certus ſum Domine, te etſi audire differas, non tamen tardare: nam etſi g *moram facias* iuxta meum deſiderium, *non* tamen *tardas*, iuxta id quod mea exigit neceſſitas. g *Habac.* 2.3

Deinde perpendam magni huius Domini *liberalitatem*, etiam cùm prouidentia ſua differt dare nobis quod petimus. nam perſeuerantibus in petendo compenſat illam moram, largiendo *multò plus*, quàm petamus. Hoc monuit nos Chriſtus Dominus, in parabola hominis h *media nocte accedentis ad amicum ſuum, vt peteret accommodari ſibi tres panes*, qui etſi ſatis ſiccè primùm à ſe repulit petentem; perſeueranti tamen ad eius portam, amicus victus eius importunitate, *dedit illi* non ſolùm tres panes, quos petebat, ſed etiam *quotquot habuit neceſſarios*, eoſque non accommodatos, ſed donatos. Ita qui ad portas Dei, qui eſt verus noſter amicus, accedit, quocumque tempore & hora id faciat, eius oratio auditur; quia Deus numquam dormit; quamuis interdum inſipidum det reſponſum, ſicut i *Cananea*, vt fidem noſtram & perſeuerantiam probet. quòd ſi conſtanter perſeueremus, dabit nobis multò plus, quàm petiuerimus. Dat enim nobis tres panes, *Fidem* videlicet, *Spem*, & *Charitatem*, addens reliquas virtutes neceſſarias & conuenientes noſtræ perfectioni; dat etiam tres panes quotidianos, *Corporalem*, quo nutritur corpus; *Spiritualem* gratiæ ſuæ, & ſanctiſſimi *Sacramenti*, ad animæ contritionem. Accede, anima mea, confidenter ad portas Dei, qui tuus eſt verus amicus; pulſa inſtanter & perſeueranter. non enim defatigatur ab eo, qui petit importunè, ſed ab eo, qui languidè ac tepidè petit. quòd ſi fingat interdum, ſe dormire, id facit, quia delectatur audire te pulſantem cum maiori feruore, vt, k *quod petis, det tibi ſuperabundanter*.

II. Maxima liberalitas.

h *Luc.* 11. 5.

i *Matt.* 15.26

Tres panes

k *Eph.* 3.20

Pvnctvm IV.

Qvarto conſiderandum, quòd prouidentia Dei, hoc medio Orationis, ad vniuerſos homines ſe extendat, nemine excluſo. generalis eſt enim, & ad omnes pertinet illa ſententia Chriſti Domini noſtri, a *petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis. omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulſanti aperitur.* in qua promiſſione mirum in modum relucet immenſa *largitas*, & omnipotentia magni noſtri Dei, nam cùm in hoc vniuerſo innumeri ſint homines, qui habeant innumera deſideria, & innumeris premantur neceſſitatibus; accedentibus tamen etiam continuè pro remedio ad eius

I. Largitas Dei ad omnes.

a *Mat.* 7. 7 *Luc.* 11. 9.

portas,omnibus attendit, omnium audit petitiones, atque ſi ſolus vnus eſſet,qui peteret;nec defatigatur vnquam, aut afficitur tædio, propter multitudinem petentium, aut rerum etiam interdum in ſpecie contrariarum,& quæ cum magna importunitate petuntur, quin potiùs hac vtraque multitudine delectatur. Manifeſtat autem hanc ſuam delectationem,repetitione horum trium verborum,quæ aliàs idem ferè ſignificāt; *Petite*, *Quærite*,*Pulſate* : quaſi diceret,attendite quàm ego vehementer cupiam,vt à me petatis,*Petite*,*Petite*,*Petite*. O Charitas immenſa! ô *largitas* infinita! quid tua refert Deus meus, vt homines aliquid à te petant, quòd tanto affectu eos exhorteris vt petant? Principes huius mundi defatigantur & ægrè ferunt, quòd aliquid ab ipſis petatur : tibi graue eſt quòd non petatur:illi non admittunt ad ſe niſi Primates aliquos,aut nobiles regni ſui; tu etiam viliſſimos & abiectiſſimos totius mundi ad petēdum admittis:illi ſæpè nolunt,aut non poſſunt dare, quod ab eis petitur; tu ſemper vis dare quod conuenit,quia bonus es; & ſemper dare potes, quia es omnipotens. Et quandoquidem omnes gaudent copioſa hac tua liberalitate, laudent omnes te propterea & glorificent in æternum, Amen.

S. Aug. lib. 1. Retract. c. 19

Oratio.

II. Feruēs noſtra ſit petitio.

DEINDE conſiderandum eſt deſiderium,quo tenetur Deus D.N. vt nos magno deſiderio & *feruore* ab ipſo petamus; ita vt noſtrum deſiderium,& feruor in petendo ſit ſimilis ei, quo ipſe tenetur ad nobis dandum; ideoque repetitione eorundem trium verborum,Petite, Pulſate, & Quærite,docet nos petere inſtanter & feruenter:atque ſi diceret : petite in fide & fiducia;quærite valde diligenter, & pulſate perſeueranter, nec à petendo deſiſtite,donec accipiatis quod petitis: quia b *oportet ſemper orare,& non deficere.*

b *Luc. 18. 1.*

III. Exaudiuntur & peccatores.

TERTIO eſt perpendendum,quòd non ſolùm *iuſti*, ſed etiam *peccatores* hac prouidentia gaudeant,& exaudiantur in ſuis orationibus; modò quod bonum eſt,& in finem bonum, & bono etiam modo adhibito, & cum perſeuerantia petant,obicemque remoueant impedientem accipere quæ petuntur;niſi audire velint illud Iacobi Apoſtoli; *Petitis,& non accipitis,eò quòd malè petatis.* Et Chriſtus Dominus reſpondebit,quod aliquando filijs Zebedæi: c *Neſcitis quid petatis.* O Deus miſericordiſſime, qui magna tua voluptate, d *voluntatem timentium te facis, & deprecationem eorum exaudis*; concede mihi ita ſemper tuam facere, vt efficiar dignus,cuius tu voluntati annuas, quatenus illa tuæ erit conſona. procura,anima mea, e *ne cor tuum te reprehendat*, ob aliquam culpam, vt tua fiducia creſcat,& digna ſis exaudiri: f *ne declines aures tuas ab audienda lege, & g ab audiendo clamore pauperis*:ne Deus obturet aurem ſuam, *vt non audiat orationem tuam.*

c *Matt. 20. 22.*
3. Part. Medit. 23.
d *Pſ. 144. 19*
e *1. Ioa. 3. 21.*
f *Prou. 28. 9*
g *& c. 21. 13.*

DENI-

Digitized by Google

IV.

Deniqve perpendam Diuinæ prouidentiæ *ſuauitatem* in hoc *medio adhibendo*: non enim contentus eſt exhortari omnes ad orandum, & præſcribere ipſam rationem orandi, ſed hoc ipſum facit in particulari cum vnoquoque, *occultu* ſuis inſpirationibus nos impellendo ad id, quod petere debeamus; imprimens nobis deſiderium obtinendi, & feruorem petendi, & ipſas rationes & titulos, quos poſſimus allegare ad id obtinendum; iuxta illud Apoſtoli, h *Quid oremus ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Et quando hoc modo oramus, indicium eſt, quòd velit nobis Deus dare quod petimus. nam à deſiderio, quod ille habet illud nobis dandi, orta eſt *inſpiratio*, quæ ſuggerit, vt tali modo petamus. Ideoque diuina prædeſtinatio (ait S. Gregor.) vt ea, quæ intendit, eueniant, vtitur *medio perfectæ orationis*. O Spiritus diuine, cuius prouidentia me gubernat, gratias tibi ob curam, quam de me geris, ne orationem prætermittam. Si non ſcio quid petere debeam, tu me doces; ſi obliuiſcor, tu mihi ſuggeris; ſi laxor, tu me excitas; ſi deficio, animum addis; ſi deſiſtere cogito, tu me perſeuerare facis, vt petam, quæram, & pulſem, donec accipiam & inueniam quod deſidero. O Pater amantiſſime, oſtende erga me ſupremam hanc tuam prouidentiam, dans mihi talem in oratione ſpiritum, vt poſſim te vocare Patrem, & à te obtinere quidquid mihi eſt neceſſarium, vt ſim tuus perfectus filius in æternum, Amen.

h *Rom.* 8. 26.

Lib. 1. *Dialog. c.* 8. Oratio.

MEDITATIO XXXIV.

DE PROVIDENTIA DEI, QVA NOBIS Cuſtodes Angelos aſſignat: & quanta bona hoc beneficium complectatur.

Pvnctvm I.

Conſiderandvm primò, prouidentiam diuinam ſtatuiſſe, vt omnes homines haberent ſuos Angelos *cuſtodes*, qui ipſos cuſtodirent, & ad finem æternæ ſaluationis dirigerent: perpendendæ verò cauſæ, quæ Deum ad hoc faciendum induxerint.

Cauſæ huius Prouidentiæ.

I. Amor Dei.

Prima cauſa fuit, vt magnum ſuum *amorem* erga homines oſtenderet, quantique faceret, ac deſideraret eorum ſalutem: ſiquidem ſtatuit, a *omnes illos eſſe adminiſtratorios ſpiritus, in miniſterium miſſos* è Cœlo *propter eos, qui hæreditatem caperent ſalutis*. Ita vt non ſolùm omnes creaturæ cœli

a *Heb.* 1. 14.

Digitized by Google

& terræ homini ſeruirent, ſed etiam quæ ſunt ſuper Cœlum, & maiores in ſua natura, quàm ſit homo, illi tamen miniſtrarent, illumque adiuuarent. & ob eam cauſam dixit Chriſtus Dominus noſter: b *ne contemnatis vnum ex his puſillis, quia Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei.* Quaſi diceret: tanti illos Pater meus facit; vt Angelos eis deſtinauerit, qui ſemper tibi aſſiſtunt in cælis. Gratias tibi, Pater æterne, ob amorem hunc & æſtimationem, qua nos tanti facis, vt familiares & domeſticos tuos, cuſtodes noſtros adhibeas. Iam non miror Domine, ſicut Dauid, quòd c *omnia ſubieceris ſub pedibus* meis, ac *minueris paulò minus ab Angelis*; ſiquidem eoſdem Angelos conſtituis, vt mihi amore tui miniſtrent. Seruiam ego tibi, Domine, ſicut illi ſeruiunt, in gratiarum actionem, ob illa bona, quæ mihi propter te faciunt.

b Mat. 18. 10.

c. Pſal. 8. 8.

II. Imbecillitas & infirmitas noſtra.

SECVNDA cauſa, cur Angelos cuſtodes diuina prouidentia nobis adhibuerit, ea eſt, quòd videret noſtram *imbecillitatem*, & magnas *neceſſitates* ac pericula, quibus in hac vita ſubiecti ſumus, & quamuis potuiſſet per ſeipſum hoc fauore erga nos vti; voluit tamen Angelorum opera ad id vti, commendans illis, vt diligentem curam noſtri gererent, iuxta illud Dauidis; d *Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo: quoniam Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus ſuis portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.*

d Pſa. 90. 13

1\. Quibus verbis inſinuat Dauid tres Dei magnos in me fauores. PRIMVS eſt, quòd Deus non vni ſolùm, ſed pluribus Angelis mei curam demandauerit, quo inſinuat multos eſſe, qui curam mei gerant, vt mox videbimus.
2\. SECVNDVS fauor eſt, quòd me cuſtodiant *in omnibus vijs meis* & greſſibus, in quacunque mundi parte verſer, terra marique, & in omnibus negotijs quæ tracto, & operibus quæ facio.
3\. TERTIVS eſt, quòd me *portent in manibus ſuis*, ne offendam; & præſeruant ab occaſionibus, in quibus offendere, & periclitari poſſem; ita vt eius manus, inſtar mihi ſint vehiculi aut lecticæ, quæ me portat, protegit, & à terra eleuat, defendens me ab iniurijs aeris & ab offendiculis terræ.

Oratio.

O prouidentia, amore & ſuauitate pleniſſima, Patris noſtri cæleſtis! quas tibi gratias reddere potero, ob hanc tuam curam, qua tali via meæ imbècillitati ſubueniſti! vtinam tam eſſet mihi curæ tibi ſeruire, quàm eſt Angelis me protegere; vtinam in meis omnibus vijs & greſſibus illis parerem, vt etiam placerem tibi: vtinam ſinerem me portari manibus eorum, vt numquam tu me à tuis dimitteres. O Angeli beatiſſimi, ſemper mei curam gerite, vt nec malum mihi appropinquet, nec pœna proſternat, nec deſiſtam ab eius obſequio, qui numquam deſiſtit à mea protectione.

III. Inſidiæ dæmonum.

TERTIA cauſa fuit, quòd videret Deus Dominus noſter, malos angelos, qui è cælo repulſi erant, tentaturos & perſecutores homines, in-

genti

genti *rabie* & *inuidia*, ideoque benigna ſua prouidentia de bonis Angelis, qui in cælo remanſerunt, nobis proſpexit, qui à malis Angelis defenderent; & haberent homines ſpiritus, inuiſibiles protectores, ſicut habebant inuiſibiles impugnatores. Et ita in ipſo quoque ſtatu Innocentiæ, ſicut fuit vnus Dæmon, qui primos noſtros Parentes tentaret; ita etiam fuit Angelus, qui eos cuſtodiret ac protegeret: & ſi Eua attendiſſet ad inſpirationes Angeli boni, non adhibuiſſet fidem verbis Angeli mali. Et ob eandem cauſam hoc ipſum ſtatuit diuina prouidentia, vt ſic defenderemur ab alijs hoſtibus viſibilibus quidem, ſed tamen occultis: neceſſe enim erat, habere etiam aliquem amicum occultum, qui eos agnoſcens nos ab eis liberaret. Ex quibus omnibus magnam concipiam fiduciam *depugnandi* aduerſus Dæmones, & cæteros occultos hoſtes: ſiquidem pro me ſunt Angeli, illis omnibus potentiores. O ſi tibi, anima mea, Deus aperiret oculos, ſicut c *aperuit puero Eliſei*, vt videres, quàm multi & meliores tecum ſint, & pro te pugnent, quàm contra te, magnum procul dubio animum acciperes ad pugnandum, & vincendi fiduciam. Lauda ergo & glorifica prouidentiam tui ſupremi Capitanei, qui tot adeoque ſtrenuos tibi dedit defenſores, contra tot & adeò potentes aduerſarios.

S. Thom. 1. p. q. 113. a. 4. ad 2.

c *4. Reg. 6. 17.*

PVNCTVM II.

DEINDE conſiderandum, quòd hæc ſuprema prouidentia ad *omnes* in vniuerſum homines huius mundi, admirando quodam modo ſe extendat.

1. p. q. 113. a. 4 Admiranda erga omnes Dei prouidentia.

PERPENDENDO primùm, quòd non ſolùm qui ſunt ad cœlum *prædeſtinati*, habeant ſuos Angelos, ſed etiam *reprobi*; nec ſolùm Iuſti, ſed etiam peccatores; nec ſolùm Chriſtiani, ſed etiam Gentiles, & omne genus infidelium, nemine prorſus excluſo vſque ad ipſum Antichriſtum; qui etiam habebit ſuum. quia enim a *Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, ita hoc medium adhibet ad eorum ſalutem; & ne quis ſuis meritis hoc attribuat, Angeli aſſignantur ſingulis ab eo tempore, quo anima creatur, & corpori vnitur, aut certè ab ipſo puncto natiuitatis. I.

a *1. Tim. 2. 4*

SED maiorem adfert admirationem, quòd cùm vel *vnicus Angelus* abundè ſufficeret ad multos homines, qui in eadem ciuitate vel regno habitant, cuſtodiendos; nihilominus ſtatuerit prouidentia diuina vnum ſolum Angelum deſtinare cuſtodiæ vnius ſolius hominis, in quacunque parte & loco mundi ille eſſet; & vt huic ſoli tanquam ſocius & pædagogus perpetuò attenderet, omnibus diebus vitæ eius, nec illum vnquam omninò deſereret, etiamſi omninò rebellem ſe exhibentem. O II.

Oratio

Digitized by Google

a Thom. ſupra a 6.
b Ephe. 2. 3.

Pater amantiſſime,quas gratias tibi referam pro tam excelſo beneficio; quo afficis homines,mandans Angelis amicis tuis, vt ſint pædagogi tuorum hoſtium. A ventre matris meæ,& b *natura eram filius iræ*; & tamen ex tunc mei curam commiſiſti ei, qui erat vas miſericordiæ, vt contenderet facere me ſibi ſimilem:ſeruiam ego tibi Domine,ſicut ille ſeruit,vt perueniam ad fruendum te,ſicut ille fruitur,Amen.

HINC magnum concipiam amorem & opinionem de quocunque proximo, etiamſi viliſſimo; ſiquidem etiam viliſſimo Deus conſtituit Angelum omninò eius cuſtodiæ addictum:& ideo Chriſtus D.N. dixit: c *Ne contemnatis vnum ex his puſillis*, quia Angelus maximus & potentiſſimus etiam puſillum cuſtodit.

c Mat. 18. 6.

QVOD ſi ego non auderem murmurare, aut detrahere alicui abſenti coram magno aliquo eius amico,nec præſentem afficere iniuria coram eius pædagogo, aut ſtrenuo eius cuſtode; conſentaneum quoque eſt rationi, vt nihil tale ego faciam in proximum meum, attendens quòd is Angelum habeat pædagogum & cuſtodem, qui meas audiat murmurationes,& videat iniurias,ſitque potens ad petendam à Deo iuſtitiam & vltionem de me,eamque exequi ſine mea reſiſtentia.

III. Cura Angelorum.

TERTIO perpendam, quòd prouidentia diuina non ſatis habuerit, *vnicuique* homini aſſignare *cuſtodem Angelum* ex vltimo Choro infimæ Hierarchiæ; ſed voluerit præterea Archangelos & Principatus deſtinare,qui Reges & Principes, Regna, & Ciuitates gubernent ac tueantur, Eccleſiam item vniuerſalem,eius Metropolitanas, Religiones,Prouincias,& Monaſteria earumque Prælatos, & perſonas in dignitate conſtitutos,quo per excelſos huiuſmodi ſpiritus mandentur executioni, cum maiori ſuauitate,diſpoſitiones ac decreta diuinæ gubernationis.Ex quo intelligam,me non habere vnum tantùm Angelum,qui me cuſtodiat,ſed etiam adeſſe mihi Angelum illum aut Principatum, qui regnum cuſtodit,& ciuitatem,in qua habito; & eum qui vniuerſalem Eccleſiam tuetur; & qui particularem,in qua ego maneo; & eum qui religionem & monaſterium,in quo dego;& eum qui ratione meæ dignitatis aut officij, mihi eſt aſſignatus. Præterea Angeli ſecundæ Hierarchiæ, Virtutes,& Poteſtates,qui poteſtatem habent Dœmones reprimendi, adiuuant me in tentationibus. Eſt etiam adeò ſuauis prouidentia diuina, vt intuitu hominis conſtituerit Angelos, qui attendant conſeruationi ſpecierum rerum corruptibilium, ne vnquam illæ deficiant, & homo fraudetur bono,quod ex eis percipit,nec illæ fruſtrentur fine, in quem Deus illas creauit.Quod totum mihi debet eſſe *motiuum* ad nouas laudes, vt gaudeam de amore,quem Deus nobis oſtendit in adeò beneuola prouidentia;& prouocem meum *Angelum cuſtodem*,& Archangelum, & Principa-

tum,

Digitized by Google

tum,& Poteſtatem,ſub quorum gubernatione dego, vt gratias pro me agant, & pro bono quod infidelibus largitur,qui ipſum nec agnoſcunt, nec gratias agere ſciunt.

PVNCTVM III.

TERTIO eſt conſiderandum, quanta animi voluptate & lætitia Angeli accedant ad officium hoc *cuſtodiæ* noſtrę ſibi commiſſæ exequendum; quos neque propria excellentia & nobilitas, nec paruitas & abiectio noſtra, ab eo præſtando remoratur: perpendam verò cauſas,cur illi in hoc munere exequendo adeò delectentur, eaſq; cauſas mihi accommodans,ſtudebo eos in illis imitari. Cauſæ cur delectentur cuſtodia noſtrûm.

I. Mandatum Dei.

PRIMA & præcipua cauſa eſt,quòd ita Deus illis *mandauerit*, quæ vel ſola ſufficit.cùm enim adeo illum diligant,ex intimo corde cupiunt opere exequi, quidquid ipſe illis mandat; nec aliquid reputant vile aut abiectum,quod Deus mandauerit; *cui ſeruire regnare eſt*. Ideoque cum tanta voluptate a *Raphael Angelus*, etiamſi eſſet *vnus ex ſeptem* præcipuis, *qui aſtant ante Dominum*, ſeruiebat Tobiæ, in itinere & in hoſpitijs, atque ſi Regnum aliquod gubernaret, aut ſtellatum cœlum moueret: quia non tam aſpiciebat rem ſibi commiſſam, quàm eum qui illam committebat: & ita oblectatur in ſuo munere Angelus mancipij cuſtos, atque Cæſaris cuſtos aut Pontificis.O b *Angeli Dei,potentes virtute ad faciendum verbum illius,& audiendam vocem ſermonum eius*, promptiſſimè exequentes quidquid ille vult:benedicite illi pro bono hoc affectu,quem vobis dedit; & orate eum,me vt iuuet ad vos imitandos, vt glorier in obediendo ei in omnibus,quæ mihi voluerit iniungere.

a *Tob.*12.15.

b *Pſ.*102.20

II. Charitas erga nos.

SECVNDA cauſa eſt *inſignis Charitas*, quam habent *erga homines*,tanquam erga ſuos proximos.Nam videntes quòd Deus illos diligat, non poſſunt ipſi illos non diligere,aduertentes etiam, Deum adeò illos dilexiſſe,vt fieret homo pro eis;& ipſi quoque adeò gaudent, eos diligendo, vt libenter fiant,tanquam ſerui,eorum cauſa: ideoque volens S. Ioannes vnum illorum adorare, ob inſignem eius excellentiam, c *Angelus* id prohibuit dicens: *Vide ne feceris: conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium* IESV.Quaſi diceret,non tanti æſtimo, quòd ſim Angelus, atque quòd ſim ſeruus IESV; cuius & tu & fratres tui ſerui eſtis,& propter quem gaudeo ego ſeruire, ſicut ſeruus; non adorari ſicut Dominus. Et eouſq; amor iſte progreditur, vt non ſolùm Dei ſeruos diligant, ſed etiam eius inimicos, cupientes ſcilicet bene illis faciendo, eos conuertere in amicos, ideoque magna eos voluptate cuſtodiunt.

c *Apoc.* 19. 10.& 22.9.

III. Deſideriũ implendi cælum.

Ex prædictis duabus cauſis oritur Tertia Deſiderium ſcilicet ingens, quo tenentur, vt cœli Sedes, quas eorum ſocij vacuas reliquerunt, nouis colonis repleantur; ideoque magnum ſtudium ponunt in procuranda noſtra ſalute, vt ad eas nos ſecum deducant. Ex quo prouenit, vt quando d *peccator* quiſpiam *pœnitentiam agit*, *gaudium ſit illis magnum in Cœlo*. Et ſi capaces eſſent triſtitiæ, e *Angeli pacis amarè flerent* in ruina iuſtorum, nihil enim æquè eos ad lachrymas permoueret atque hoc. Et ſic triſtantur de noſtro torpore, & exultarent de feruore; cupiuntque nos in omni virtute creſcere etiam ſupra illam, quam ipſi habent, tantum enim abſunt ab inuidia, vt exultent potiùs Angeli cuſtodes noſtri, ſi homines in cœlo ad altiorem locum, inter Cherubinos & Seraphinos euehantur. Quare agnoſce, anima mea, ardentiſſimam horum ſpirituum *charitatem*, & contende eam abſque inuidia æmulari; dolens vicem peccatorum, & exultans de bono eorum, qui iuſtificantur; gaudenſque de ijs, qui ad maiorem altitudinem, quam tua ſit, peruenerunt. Et ſiquidem tuus Angelus ſuam conſolationem in tuo profectu ponit, ne quid feceris, quo ille offendatur; aut prætermiſeris, quo ille lætetur, efferens gaudij materiam ei, qui tanta animi voluptate tuum procurat commodum.

d *Luc.* 15. 10.
e *Iſai.* 33. 7.

Pvnctvm IV.

I. Vigilantia Ang. erga nos

Qvarto eſt conſideranda prouidentia & *vigilantia* cuſtodum *Angelorum* erga nos, & ingentia bona ſpiritualia, quæ per illos nobis proueniunt: & Primvm perpendenda eſt cauſa huius tantæ corũ prouidentiæ, quam tetigit Chriſtus Dominus noſter, cùm dixit: a *Quoniam Angeli eorum ſemper vident faciem Patris veſtri qui in cœlis eſt*. Ex hoc enim aſpectu tres illis proueniunt proprietates neceſſariæ ad perfectam prouidentiam, quas ſuperiùs tetigimus, *Sapientia* ſcilicet, *Bonitas*, & *Potentia*, vt nimirum ſciant quid erga nos facere debeant, idque magna charitate velint, & ad exequendum habeant poteſtatem. Et quando illis non conſtat, quid Deus velit, quiſque eorum facit quod iudicat eſſe conueniens bono eius, cuius eſt cuſtos, licèt id aduerſetur ei, quod alter intendit; ſicut euenit b *Angelis cuſtodibus populi Iudæorum & Perſarum*: quamuis ſtatim atque Deus voluntatem ſuam illis reuelat, & prouidentiæ ſuæ ordinem ac diſpoſitionem, ſtatim ipſi ad eam exequendam conueniant. Et in hac fide curare debeo me benè radicare, reuocans mihi in memoriam quod dixit Eccleſiaſtes, c *Ne dicas coram Angelo: non eſt prouidentia: ne fortè iratus Deus contra ſermones tuos diſſipet cuncta opera manuum tuarum*. Quaſi dicat; attende, te eſſe coram Angelo

a *Mat.* 18. 10
b *Dan* 10. 13. *S. Thom.* 1. *p. q.* 113. *a.* 8.
c *Eccl.* 5. 5.

Digitized by Google

tuo:caue itaque in eius præſentia dicere,neque Deum, neque ipſum prouidentiam habere. id enim eſſet in cauſa, cur nullum ex ea fructum percipias,ſed potiùs pœnam tua blaſphemia dignam.

Hinc aſcendam ad perpendendos admirandos Angelicæ huius prouidentiæ affectus ſpirituales; eos reducens ad tres actus Hierarchicos, quos S. Dionyſius appellat, Pvrgare, Illvstrare, & Perficere,quos exercet ſuprema Hierarchia cum media,& media cum infima, & hæc cum hominibus, quamuis interdum extraordinariè etiam illi,qui ſunt ſupremæ Hierarchiæ,eos exerceant cum hominibus. II. Affectus Ang. cuſtodiæ tres. *Dion. tom. 4. cæl. ſt. Hierarch.*

Ivxta hoc itaque Angeli Primum nos *purificant* ab erroribus & peccatis,iuuantes nos ea deſerere,& ſuggerentes exercitia vitæ Pvrgativae,ſicut d *Seraphin,qui calculo ſiue pruna, tangens labia Iſaiæ Prophetæ dixit:Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* 1. d *Iſai.6.6.*

Iidem etiam *illuſtrant animas noſtras* veritatibus,& exornant virtutibus,quia internis ſuis illuſtrationibus manifeſtant,quæ non ſcimus,& alliciunt ad faciendum quod debemus: & hoc medio proficimus in via, quæ dicitur Illvminativa. Aliàs nobis inſpirant & inducunt, vt accedamus Magiſtros, qui docere nos & iuuare poſsint; & ipſis quoq; Magiſtris inſpirant,vt nos doceant & iuuent,ſicut accidit *Cornelio*,eo modo, quo ſuprà diximus. 2.

Tertio *perficiunt* nos Angeli in omni virtute & exercitijs coniunctionis cum Deo; & ita nominatim curam habent noſtrorum exercitiorum, *Orationis, Meditationis, & Contemplationis,* per quæ prædicti effectus obtinentur,& vt ait Dauid, *præueniunt* nos,vt oremus,ad id nos impellẽtes, & e *pſallentibus coniunguntur*, quietem nobis in oratione adferentes, quam magno feruore exacuunt. Et (vt ait Sanctus Ioannes in Apocalypſi) ſtatim atque illa finita eſt, eam Deo *offerunt*, & expeditionem eius procurant. quare cùm aliqua deſideria orandi repentè mihi incidere aduerto; exiſtimare licet, à meo Angelo illa prouenire, qui me inuitat ad orandum: quare par eſt,me illi obedire,& g *orare* (vt ait Dauid) *in cõſpectu Angelorum, pſallendo* Deo, *& adorando ad templum ſanctum eius, & cõfitendo nomini eius,* adhibens illos tanquam teſtes orationis meæ,ne in eorum conſpectu tale quid cogitem, quod erubeſcerem coram hominibus cogitare. Nam alioquin non offerent orationem illam coram Deo. O ſupreme Princeps,qui meæ aſsiſtis cuſtodiæ, *purifica* me à vitijs, *illuſtra* virtutibus,& *perfice* vnione charitatis; impelle me ad orandum; comitare, dum oro; accende ipſam orationem igne feruoris, vt per manum tuam aſcendat illa ad conſpectum Creatoris,vnde redeat benè expedita, 3. e *Pſal.67.26* f *Apoc.8.3.* g *Pſal.137.1.* Oratio.

iuxta meum deſiderium, quo teneor, ipſi me coniungendi in æternum, Amen.

4. Ang. obices remouent. h *Apoc.* 12. 7

Ab hac denique prouidentia oritur vt Angeli ſingulari ſtudio nobis *aſsiſtant*, ad impedimenta noſtræ ſalutis remouenda, qui (vt ait S. Ioan. in Apoc.) h *prœliantur* pro nobis *cum Dracone, & Angelis eius*; noſtriſq; pugnis & tentationibus aſsiſtunt, vt nos propugnent. Et ſi voluerimus illorum ſtrenuitatem & conſilia in pugnis noſtris ſequi, certa erit de noſtris hoſtibus victoria. Et eadem ratione nos defendunt à cæteris noſtris hoſtibus: idcircò enim dixit Dauid: i *immittet Angelus Domini in circuitu*, ad omnes ſcilicet partes *timentium eum, & eripiet eos* ab omnibus tribulationibus eorum, adducens ſecum militum cœleſtium exercitum integrum; qui Deum timentes in medio ſui accipient, & eos à ſuis hoſtibus defendent, vt accidit k *Eliſæo* Prophetæ. Gratias vobis, Spiritus beati, ob iſtam veſtram *diligentiam*, qua ad meam defenſionem accurritis. Certus ſum enim, vos non minùs vigilantes in mea defenſione futuros, quàm ſint Dæmones in mea impugnatione; nec minùs ſolicitam futuram veſtrã charitatem in meum bonum, quàm ſit malitia illorum in meam perniciem, & ſiquidem l *aduerſarius meus Diabolus, tanquam Leo rugiens, circuit quærens* opportunitatem, qua me *deuoret*: Venite & vos tanquam generoſi *leones*, & ex omni parte me circumdate, vt defendatis: in veſtrum ſiquidem honorem cedet, ſi veſtro auxilio ego victor euaſero.

i *Pſal.* 33. 8.

Oratio. k 4. *Reg.* 6. 17.

l 1. *Pet.* 5. 8.

PVNCTVM V.

I.

QVINTO eſt conſideranda prouidentia ANGELORVM circa *bona corporalia* in ordine ad ſpiritualia noſtræ ſalutis; cuius intuitu etiã attendunt vitæ noſtræ, ſanitati, honori, fortunis, eſcis, veſtibus & reliquis noſtræ conſeruationi, iuxta ſtatus noſtri rationem neceſſarijs; & ipſimet ſtatui noſtro conſulunt, quem amplecti nobis expedit, iuxta diſpoſitionem prouidentiæ diuinæ. Similiter nos adiuuant in morbis noſtris, triſtitijs, periculis, & miſerijs, quas patimur, aut nos ab eis liberãdo, aut illis moderando, & nos conſolando: aut inſpirando alijs, qui nos liberare & conſolari poſsint, & intercedendo pro nobis apud Deum: nihil prætermittentes eorum, quæ ad ipſorum munus pertinent, ſed magna charitate & ſolicitudine omnia præſtantes. ſicut fecit Angelus: a *Raphael cum Tobia*, quem *liberauit ab immani piſce eum inuadente*, ad deuorandum, & animum illi fecit, vt piſcem *apprehenderet, & ad ſe traheret*; cuius *carnes* pro ſuſtentatione in ſua profectione adhibuerunt, & eiuſdem *corde* ſuper carbones poſito vſus eſt ad fugandum Dæmonem Aſmodæum, qui eum

Ang. circa corpus ſolicitudo.

a *Tob.* 6. 4. & 6.

quærebat ſuffocare; ex felle verò medicinam parauit, qua Patri ſuo cæco lumen reſtituit:& idem Raphaël ita rem direxit, vt vxorem cum magno honore & diuitijs duceret,creditum pecuniæ pro ipſo recepit, bonis temporalibus ipſum repleuit;& inſignia conſilia dedit;antè & poſtquam vxorem duxit,donec diuitem illum,contentum, & proſperum in paterna domo reliquit.Et quod S. ille Angelus fecit viſibiliter coram Tobia, facit inuiſibiliter cum omnibus:ideoq́ue poſſum dicere meo,quod illi dixit Tobias: b *ſi meipſum tradam tibi in ſeruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ*: ecce me nihilominus tibi in ſeruum trado, perge porrò, quod in me cœpiſti,curam gerere tam corporis quàm animæ meæ,donec me conſtituas in domo Patris mei cœleſtis,diuitem & beatum in æternum. Amen. b *Tob.* 9. 2.

II. Officium noſtrum erga Ang. quale.

HINC pergam vlteriùs ad perpendendum, quid ego facere debeam erga ſanctum *Angelum* meum *cuſtodem*, in gratiarum actionem, ob eius erga me ſolicitudinem. Nam primùm par eſt,frequentem me recentemq́ue eius memoriam habere,& mihi præſentem tamquam vitæ meæ teſtem aſpicere; & cauere, ne quid ſeorſim & in ſecreto aut ſeparato domus meæ loco faciam, quod oculos tam boni amici offendat.Et vt ait Apoſtolus,c *mulier poteſtatem* & velamen *habere debet ſupra caput*, in Eccleſia, *propter Angelos*: ſic ego ſtudebo ſemper eſſe caſtus,modeſtus, temperans, & omninò compoſitus in omnibus meis actionibus publicis & priuatis,propter Angelum,qui adſtat mihi ad latus; cùm quo familiarem & frequentem inſtituam conuerſationem.nam vt ipſe erga me præſtat officium pædagogi,magiſtri,conſiliarij,gubernatoris,protectoris,amici, & ſocij;ita par eſt me illi correſpondere,& familiariter cum eo loqui; nunc tanquam à Magiſtro petendo *lucem* contra meas ignorantias; nunc tanquam à conſiliario petendo in meis dubijs *conſilium*;tanquam à protectore,*auxilium* in meis periculis;nunc denique tanquam ab amico, *ſolatium* in meis calamitatibus petendo;interdum *gratias* agam pro beneficijs,quę mihi confert; interdum etiam *congaudebo* & congratulabor illi de bonis, quæ ipſe poſsidet; & aliàs DEVM *laudabo* ob bona, quibus illum ornauit. Et quoniam interdum à me diſcedens,in cœlum conſcendit,quamuis inde me etiam aſpiciat,magnamq́ue mei curam gerat, ego tamen eum aduocabo, vt veniat, maneatq; mecũ ad latus meũ,qui,quòd adeò ſit comis ac beneuolus,annuet meæ petitioni,imò internũ dabit mihi indiciũ præſentiæ ſuæ;iubilos ſcilicet conſolationis,quos tunc experiar in corde.

c 1 *Cor.* 11. 10. 13.

S. Thom 1. *p.* *q.* 113. *a.* 6. *ad* 3.

III. Amicum facere.

PRAE omnibus autem conabor illũ mihi facere addictum & *amicum*, ad horã meæ mortis:nã cùm ipſe ſit *executor mediorum* noſtræ prædeſtinationis,quæ dependet ex noſtra perſeuerantia vſq; ad bonã mortem; in ea hora maiorẽ omninò adhibet diligentiam, vt ego conſequar ſalutem; ſicut Dæmon etiam eſt diligentior,vt ego peream. Et ſi quis cuſtodi ſuo

ANGELO in vita obediuerit & ſeruiuerit, magis propitium ſibique fauẽtem habebit in morte; ita vt nec ad momentum illum deſerat, donec deducat animam ſicut Lazari illius, in ſinum & æternam requiem gloriæ. Ad hæc totum conducet aliquale *obſequium*, aut orationem ſpecialẽ quotidie illi offerre: verbi gratia: Salue ANGELE DEI, Princeps nobiliſsime, mi cuſtos, & pædagoge amantiſsime, ſalue: gaudeo, quòd tantam tibi dederit DEUS excellẽtiam, & ſua gratia ſanctificauerit, in qua donec gloriam obtineres, perſeueraſti: Gratias ago omnipotenti Deo, propter beneficia in te collata, tibi verò propter ea, quæ mihi confers, & propter amorem & voluptatem, qua me cuſtodis: Ego tibi commendo hodie corpus meum & animam meam, memoriam, intellectum, & voluntatem, appetitiones meas & ſenſus omnes, vt me cuſtodias, dirigas, protegas, & gubernes, ac ſimul purifices, illumines, & perficias; ita vt omnibus bonis per te plenus, perſeuerem ſemper in gratia, donec ſimul tecum Deum videam, & eo fruar in gloria. Amen.

Oratio ad Angelum cuſtodem.

MEDITATIO XXXV.

DE PROVIDENTIA DEI CIRCA MVNDI REparationem per Incarnationem CHRISTI Domini Noſtri, & de eius admiranda gubernatione.

PVNCTVM I.

I. *S. Thom. 1 p q 95. a. 1 & 2. & q. 100. a. 1* Quibus orbatus Adam.

PRIMVM eſt conſideranda excellentiſsima prouidentia Dei D. N. circa *ſalutem hominum*, qui ob Adami peccatum perierant; conferenda verò eſt hæc cum ea, quam habuit erga ipſummet Adamum eiuſque poſteros, in ſtatu Innocentiæ.

NAM primùm creauit Deus Adamum in *gratia* & originali *iuſtitia*, tanquam caput totius generis humani cum tali pacto, vt ſi ipſe in eius ſeruitio & obedientia perſeueraret, omnes eius poſteri cum eadem gratia naſcerentur; in qua facilè poſſent tota ſua vita perſeuerare. Abſtulit enim illis DEVS tria maxima impedimenta perſeuerandi, quæ nũc ſuſtinemus, rebellionem ſcilicet carnis contra ſpiritum, & paſsionum contra rationem; Deinde mortalis corporis miſerias, quę pauperem animam grauãt; Perſecutiones denique & contradictiones malorum, qui bonos inficiunt ac perturbant. Si enim tunc aliquis fuiſſet malus, mox illum Deus à cæ-

S. Thom. 2. 2. q. 165.

Digitized by Google

teris ſeparaſſet. Et quamuis tentatorem vnum illis permiſerit, ſcilicet Dœmonem, facilè potuiſſent illum ſuperare, quia non potuiſſet tunc illos tentare, ſicut nunc; humores ſcilicet commouendo, paſsiones inordinatas excitando, aut imaginationes, ſed exteriùs tantùm proponendo quod volebat, vt eos deciperet: cuius fraudes facilè fuiſſet cognoſcere, ſi vti voluiſſent *ſcientia*, & *gratia* ſibi à Deo *infuſis*. Ex quo facilè intelligitur, quantoperè Deus deſideraret, Adamum & eius ſucceſſores perſeuerare in ipſius gratia; & gloriæ coronam obtinere. Et propterea debeo illi magnas gratias: quamuis enim non gaudeam in illa eius prouidentia; voluntas tamen eius ea erat, vt omnes Adami filij & poſteri ea fruerentur.

II. Quibus rurſum inſtructus.

Mox perpendam, quòd Deus Dominus noſter, etiamſi videret ob Adami peccatum diſſolutas eſſe diſpoſitiones prouidentiæ ſuæ, circa hominum ſalutem in illo ſtatu Innocentiæ, non tamen idcircò illos, vt commeriti erant, deſeruit; ſed ſtatuit aliam prouidentiæ rationem adhibere, vt lapſis remedium adferret, & multò quidem excellẽtiorem priori prouidentia. tanta eſt enim eius bonitas, vt non fuerit permiſſurus, Adamum peccare cum iactura totius generis humani, niſi potuiſſet, & voluiſſet, ex eo peccato maiora bona elicere, ſic manifeſtando infinitã ſuam charitatem & amorem erga inimicos, quod eouſque non fecerat. nam bona, quæ in mundi exordio Angelis & hominibus præparauerat, tametſi ea illi promeriti non fuerant, tamen nec malè meruerant; vt qui nec in rerum natura eſſent, ac proinde nec amici nec inimici: ſed Adamo peccante, etſi eum originali iuſtitia ſpoliauit, reliquit illi tamen viſibilis huius mundi *dominium*; & ſol, qui priùs bonis tantùm oriebatur, cœpit etiam oriri malis; & pluuia, quæ ſuper iuſtos tantùm deſcendebat, cœpit etiam deſcendere ſuper peccatores; & inde incepit eſſe DEVS benignus in ingratos, & ijs benefacere, qui malè ipſi ſeruiuiſſent, & ignoſcere inimicis, vt conuerſi fierent iterum amici.

III. Ex malo Adami remedium Chriſtus.

In eum itaque finem ex multis medijs, quæ accipere potuiſſet, (ſicut in principio *ſecundæ partis* eſt dictum) ex infinita ſua charitate glorioſiſſimum elegit, quod eius diuina ſapientia potuit excogitare, & omnipotẽtia exequi, & bonitas velle; ita rem diſponens, vt ex ipſis Adami, & Euæ poſteris alius homo naſceretur, qui ſimul eſſet DEVS; propter cuius merita peccatum Adami remitteretur, damnaque repararentur, quæ ex eo prouenerant. Non itaque ſolùm habere voluit quancunque prouidentiam hominum, qui perierant; ſed ipſemet DEVS ſuæ prouidentiæ executor eſſe voluit, & ineffabili quodam modo homo fieri propter illos. Et qui eorum erat gubernator & caput inuiſibile, fieri voluit etiam guber-

Digitized by Google

nator & caput viſibile, coniungens humanam naturam diuinæ ſuæ perſonæ; honorem hac ratione infinitè ampliorem hominibus adferens, quã habuiſſent ante culpam: quam infinitis miſericordiæ ſuæ modis reparauit: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem!* O felix fractura, quæ adeò admirabili prouidentia eſt reparata! O Pater cœleſtis, quò ampliùs potuit prouidentia tua peruenire, quàm vt filium tuum dares pro ſeruo redimendo! O fili Dei benedicte, quid ampliùs excogitare potuit Sapientia tua, quàm vt te indueres carne mortali, quò gratia tua carnem viuificares, quæ ob culpam erat mortua! O Spiritus ſanctiſsime, quod maius indicium infinitæ tuæ charitatis dare poteras, quàm infinita dona tua, ei conferendo, qui infinitè eſſet illis indignus! O Trinitas beatiſsima, ſiquidem voluiſti nos ita reparare, vt conformes fieremus imaginis IESV CHRISTI verè DEI & Hominis, oſtende mecum beneuolam tuam prouidentiam, reparando meæ naturæ imaginem culpâ deformatam, viua gratiæ tuæ ſimilitudine, Amen.

Eccleſia ex S. Greg.

Oratio.

PVNCTVM II.

Maior gratia poſt lapſum quã ante.

EX hoc pergam conſiderare in particulari, quòd ſicut ſecundus Adã Chriſtus infinitè excellit primum, ſic bona quæ per ſecundum nobis prou eniunt, excedunt incomparabiliter ea, quę per primum aduenissent, ſi ille non peccaſſet.

I. NAM primùm, etſi *filij Adami* nati fuiſſent in *gratia*, Ij tamen qui à Chriſto generantur per Baptiſmum, maiorem nunc recipiunt gratiam. nam illam Deus dediſſet infantibus ex ſua liberalitate; ſed hanc dat etiam eiſdem, propter infinita merita eius, qui paſsione & morte ſua eam illis comparauit.

II. DEINDE, quamuis filij Adami in illo ſtatu non habuiſſent *pugnam paſsionum*, nunc verò filij Chriſti illam ſuſtineant; hoc tamen ita diſpoſuit diuina prouidentia, vt eò victoria eſſet illuſtrior, quò pugna eſſet acrior; & illorum opera eò eſſent magis meritoria, quò maiores vincerent difficultates, ſuccurrente ipſo noſtro Redemptore copioſa ſua gratia filijs debilioribus.

III. TERTIO licèt filij Adami mortem non obiuiſſent, nec alias *corporis miſerias* fuiſſent experti, quas filij Chriſti Domini experiuntur, & ſuſtinent; ipſe tamen Chriſtus ita illas honorauit, cum in ſe illas ſuſcepit, vt felicitatis potiùs ſit eas & nos ſubire; eò quòd omnes ipſe conuertat in materiam & exercitationem *heroicarum virtutum*, quarũ excellentes actus

in eo ſtatu non fuiſſent, quia defuiſſent occaſiones paupertatis, patientiæ, martyrij, & dilectionis inimicorum, reſignationiſque in re adeò chara, qualis eſt ſalus & vita.

IV. DENIQVE miſericordiæ eius magnitudo infinitè vincit miſeriæ magnitudinem, quam attulit culpa Adami. nam vt Apoſtolus ait, a *non* tantam vim habuit *delictum, ſicut* habet *donum*; nec tantum nobis detrimentum potuit Adamus adferre, vt non potuerit Chriſtus maius bonum nobis communicare, condonando ſcilicet nobis peccatum, quod hæreditate ab eo accepimus, & quæ poſtea noſtra voluntate contraximus; totque fauoribus nos proſequendo, poſtquam fuiſſemus tot bonorum prodigi; vt, qui in illo ſtatu fuiſſent, poſſent nobis in multis rebus inuidere excellentias, ſacramenta, & ſacrificia, quæ in hoc ſtatu habemus propter merita noſtri Redemptoris. a Rom 5. 15

O Redemptor dulciſsime, gratias tibi quantas poſſum, pro paterna prouidentia tua erga nos, qua felicitatem ſtatus Innocentiæ nobis ſupples abundantia Diuinæ tuæ gratiæ, quam nobis communicas. meliùs Domine tecum viuere in ſtatu *pugnæ*, quàm ſine te in ſtatu pacis. pax enim ſine te vno die perijt; ſed pugna, cui tu aſsiſtis tua gratia, obtinebit pacem ſempiternam.

PVNCTVM III.

TERTIO conſideranda eſt ſuprema prouidentia, quæ relucet in gubernatione CHRISTI Domini noſtri cum eius proprietatibus & admirandis effectibus, quos ad quatuor ab Apoſtolo indicatos reducemus, cùm de Chriſto D.N. diceret: a *qui factus eſt nobis Sapientia, Iuſtitia, Sanctificatio, & Redemptio.* Effectus gubernationis Chriſti. a 1. Cor. 1.

I. PRIMVM, Chriſtus Dominus noſter eſt nobis SAPIENTIA, quia eſt gubernator ſapientiſsimus, b *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei*; qua ſine vllo errore, efficaciſsimè tamen & ſuauiſsimè gubernat & cognoſcit omnium propenſiones, & cuique offert gratiam & auxilium potens ad vincendas malas, & perfectè ſequendas bonas. quæ eius gubernatio eò tendit, vt nos faciat ſapientes, non c *ſapientia mundana* & terrena, ſed *cæleſti* ac diuina, d *quam* dat *omnibus* ſeruis ſuis *affluenter*. quamobrem dixit Iſaias, quòd tempore eius gubernationis e *terra eſſet repleta ſcientia Domini, & f vniuerſi filij docti à Domino*, g & rurſum: *omnes erunt docibiles Dei*: qui Dominus ſimul erit gubernator & magiſter, qui nos doceat veritates ad noſtram ſalutem neceſſarias; & ita gubernabit, vt illam b Coloſſ. 2. 3. c Rom 8. 7. d Iacob. 1. 5 e Iſaiæ 11. 9 f c. 54. 13. g Ioan. 6. 45

Digitized by Google

Oratio. conſequamur. O gubernator ſapientiſsime, qui cùm eſſes ſapientia Angelorum in cælis, factus etiam es ſapientia hominum in terris; proponens illis tuam vitam & doctrinam, tua exempla & verba tua, dirige quæſo me ſapientia iſta tua, ne defrauder à fine, quem tua intendit prouidentia.

II. DEINDE Chriſtus Dominus noſter eſt nobis IVSTITIA, quia eſt gubernator iuſtiſsimus, qui per excellentiam vocatur h IVSTVS, in quem nunquam potuit cadere iniuſtitia, ſemperque opera ſua rectificauit cum voluntate æterni ſui Patris: ac propterea eius gubernatio ſemper eſt in iuſtitia & æquitate, abſque vllius iniuria & *acceptione perſonarum*; neq; vnquam propter reſpectus humanos ab eo quod iuſtũ eſſet recedit, ſed cuiq; dat potiùs id, quod promeretur; præmium bonis, pœnam malis, tanquam *iudex vniuerſalis* omnium, tametſi deſiderium eius potiùs ſit ita gubernãdi, vt præmium dare poſsit coronam iuſtitiæ, quàm caſtigandi zelo vindictæ. quare eius gubernatio eò dirigitur, vt ipſe i *iuſtus iuſtificet multos* vera & ſolida iuſtitia, faciens eos coram Deo iuſtos, & mundos ab omni culpa, eaque pace eos implens, quæ comitatur iuſtitiam. quare dixit Dauid, quòd tempore gubernationis & k *in diebus eius orietur iuſtitia, & abundantia pacis*, & qui permittent ſe gubernari, & l *attendent mandatis eius*, (vt ait Iſaias) *fiet illis ſicut flumen pax eorum, & iuſtitia eorum ſicut gurgites maris*. O gubernator iuſtiſsime; tu es IVSTITIA mea, quia tua gratia me iuſtificas, quam mihi ex iuſtitia promereris; & adiuuas, vt ex iuſtitia promerear coronam gloriæ. Opera tua ſunt mihi iuſtitia, quia merentur veniam mearum culparum; ſunt *ſatisfactio* pœnarũ, quas debeo propter illa: ſunt titulus & nomen, vt orationes meæ exaudiantur; ac deniq; ſunt meũ ius ad regnũ cœlorum. propter eadẽ ipſa opera tua ſupplico; vt me adiuues ad ea imitãda; vt ſim ego in meis operibus iuſtus, ſicut tu fuiſti in tuis.

h *Iſaiæ* 33. 16. & 23. 6.

i *Iſaiæ* 53. 11.

k *Pſal.* 71. 7.

l *Iſaiæ* 48. 18

Oratio.

III TERTIO Chriſtus D.N. eſt nobis SANCTIFICATIO, quia eſt gubernator ſanctiſsimus, & m *Sanctus Sanctorum*; *in quo ſunt omnes theſauri ſanctitatis*, n *de cuius plenitudine accipiunt homines*, non ſolùm iuſtitiam, quæ mundat à culpa, ſed etiam ſanctitatem; magnum videlicet *augmentum* gratiarum, virtutum, & cœleſtium donorum, cum magna ſtabilitate. Et in hunc finem dirigitur ſanctiſsima eius gubernatio, continens ſanctas leges, conſilia, & exempla ſancta: & ideò omnibus dicit, o *Sancti eritis, ſicut ego Sanctus ſum*: &, p *eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. O gubernator ſanctiſsime, eſto mihi SANCTIFICATIO, ſanctificans me in veritate tuis clariſsimis virtutibus: ſiquidem q *tu ſanctificaſti teipſum, vt ego ſanctificarer in veritate*, & ad mortem te obtuliſti, vt tuis virtutibus me ornares.

m *Dan.* 9. 24

n *Ioan.* 1. 16.

o 1. *Pet.* 1. 16.

p *Mat.* 5. 8.

Oratio.

q *Ioan.* 17. 19

IV. QVARTO Chriſtus D.N. factus eſt nobis REDEMPTIO, quia eſt Gubernator, potẽs r *nos liberare à ſeruitute* Dæmonis & peccati, à carne & eius

r *Rom.* 6. 18. 22.

paſſionibus, & à mundo & eius tyrannide, conſtituens nos *in libertate ſpiritus*, quæ propria eſt filiorum Dei. eò etiam eius gubernatio dirigitur, quia ſimul eſt Redemptor mundi, redimit enim quos gubernat, & gubernat quos redimit, vt finem conſequantur ſuæ redemptionis, t *quæ eſt perfecta adoptio filiorum Dei*, qui ſunt liberi ab omni miſeria, propter hæreditatem gloriæ. O gubernator amantiſſime, gratias tibi, eò quòd ſis mihi REDEMPTIO, liberans *animã* meam ab inferno, & *ſpiritum* meũ à ſeruitute carnis ſuæ; *carnem* verò à miſerijs quas patitur: & ſuo tempore eam etiam liberabis à morte & corruptione. Applica mihi quæſo Domine fructum *copioſæ redemptionis* tuæ, vt per tuam gratiam redemptus, te fruar ſemper in gloria, Amen. s Galat. 5. 15. t Rom. 8. 15. Oratio.

HAS quatuor Chriſti D. N. *excellentias*, eo modo quo ſunt poſitæ, habere debeo ſemper in mea memoria, dicens illi frequenter & magno affectu: dulciſſime Ieſu, *eſto mihi ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio*, applicans mihi efficaciter, quod es pro omnibus ſufficienter.

QVOD reliquum eſt huius beneficij, fuſiùs eſt poſitum in Meditationibus ſecunda, tertia, & quarta partis præter alia multa, quæ inſinuauimus in hac parte, in Meditationibus de bonitate, charitate, & miſericordia Dei.

MEDITATIO XXXVI.

DE PROVIDENTIA DEI CIRCA SVAE Eccleſiæ fundationem, cum omnibus neceſſarijs medijs ad noſtram ſalutem; & quàm excelſa ſint hæc beneficia.

HAEC Meditatio habebit pro argumento ſententiam illam Sapientis: SAPIENTIA *ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem. Immolauit victimas ſuas; miſcuit vinum & propoſuit menſam ſuam. Miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis*: & eius nomine illis dicerent: *venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis.* Prou. 9. 1.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM eſt primò, quod Deus Dominus noſter infinita ſua ſapientia ædificauerit ſibi in medio huius mundi quandam a *domum*, *Eccleſiam* ſcilicet ſanctam, eamque admirabili Eccleſia. a 1. Tim. 3. 15

prouidentia omnibus medijs inſtruxerit ad ſalutē eorum, qui in illa viuerent, neceſſarijs; vt videlicet à duplici maxima miſeria, quæ eſſe poteſt in hac & in futura vita, liberarentur, *peccato* nimirum & *inferno*, & duplicem his miſerijs contrariam felicitatem conſequerentur, *gratiam* nimirum & *gloriam*.

Hvivs prouidentiæ magnitudo æſtimari primùm poteſt ex magnitudine finis, in quem domus hæc & Eccleſia dirigitur; qui finis eſt *gloria* ipſiuſmet Dei, & Iesv Chriſti Redemptoris noſtri, vt haberet domum *recreationis* in terra & ſpecialem habitationem, in qua habitans, *conuerſaretur cum filijs hominum*; & vt homines ſaluari, & æternam vitam conſequi poſſent: cùm autem finis ipſe omnium ſit altiſſimus, qui eſſe poſſit; & media erunt altiſſima, & prouidentia ipſa Dei, in illis ad talem finem diſponendis erit excelſiſſima. Si enim adeò eſt magna & admiranda prouidentia, quam habet de homine, quoad eius corporis naturalia, & temporalem vitam; quantò maior cenſenda erit & admirabilior, quam de eodem geret quoad ſupernaturalia animæ eius, & æternæ vitæ? & qui de tot medijs illi proſpexit ad vitam corporis, quæ hodie eſt, & cras finitur, conſeruandam, quantò magis proſpiciet de medijs aptiſſimis, ad comparandam & conſeruandam vitam ſpiritualem animæ, quæ nunquam eſt peritura. ita proculdubiò hæc prouidentia alteram excedet, ſicut ſpiritus excedit carnem, & quod æternum eſt ſuperat periturum; & vt Apoſt. ait, b *Numquid de bobus cura eſt Deo?* vt Scriptura dicat, *non alligabis os boui trituranti*; ſignificans, quod etſi Deo verè ſit cura boum, ea tamen ad homines dirigitur, quorum tantam curam gerit, vt, quam de alijs habet, cenſeatur quaſi non eſſe. ita ergo *omnis* cura, quam Devs gerit, de corpore & vita temporali, ac de medijs, quæ nobis ſua prouidentia ad eam conſeruandam proſpexit, tota dirigitur ad animam & ad vitam æternam: cuius prouidentiæ comparatione, altera illa eſt valde exigua cenſenda: & propterea Sapiens dixit, loquens de diuina ſapientia, quòd ſuis electis c *in omni prouidentia occurrat*, in qua tota eius perfectio continetur. Quamobrem maximas Deo gratias agam, agnoſcens meam indignitatem, & huius beneficij magnitudinem, dicenſque illi, quod Tobias Angelo, d *ſi meipſum tradam tibi in ſeruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ*. O Pater amantiſſime, verè non ero condignus prouidentiæ tuæ, etiamſi me tibi tradam in ſeruum, id tamen nunc facio, ſiquidem tu prouidentia tua me gubernas tanquam filium.

b 1. *Cor*. 9. 9.

Omnis Dei cura pro nobis.

c *Sap*. 6. 17.

d *Tob*. 9. 3.

(***)

Digitized by Google

PVNCTVM II.

DEINDE ſunt conſideranda *media* admiranda, quę prouidentia diuina in ſua Eccleſia poſuit, vt *ſalutem* noſtram conſequi poſſimus: quæ reducemus ad ſeptem, tanquam ad *ſeptem* fortiſſimas & pulcherrimas huius domus *columnas*. Media ſalutem conſequendi.

PRIMVM medium, ſiue prima columna eſt *vera* FIDES, & *cognitio* veri Dei, & Mediatoris, ac Redemptoris, quem dedit nobis, qui eſt eius filius, Ieſus Chriſtus; iuxta illud S. Ioannis: a *Hæc eſt vita æterna; vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* hæc enim cognitio principium eſt & fundamentum æternæ vitæ. nam *ſine fide* (vt ait Apoſtolus) *impoßibile eſt placere Deo:* c *nec aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* I. Vera fides. a *Ioan.* 17. 3. b *Hebr.* 11. 6 c *Act.* 4. 12.

SECVNDVM medium eſt LEX puriſſima & ſanctiſſima, in qua ſunt omnia mandata rerum neceſſariarum ad vitam æternam comparandam; & omnia conſilia, quę iuuare nos poſſunt ad eam ſecurè ac perfectè conſequendam. II. Lux ſancta.

TERTIVM eſt RELIGIO obſeruantiſſima cum ſacrificijs & cæremonijs externis ad veri Dei honorem & cultum directis. Et quamuis Eccleſia veteris legis templum haberet, & ſacrificia plurima, nunc Eccleſia plurima habet templa, ſed *vnicum* tantum *ſacrificium*, quod plus infinitè valet omnibus illis, in quo ipſiuſmet Redemptoris *corpus* & *ſanguis* offertur. III. Religio.

QVARTVM medium ſunt *ſeptem* excellentiſſima SACRAMENTA, in remedium & medicinam noſtrorum peccatorum directa; inter quæ vnum eſt Menſa optimi *panis* & *vini*, quod potuerit nobis Deus proponere ad noſtrum nutrimentum; & omnia ſeptem ſunt tanquam ſeptem columnæ externæ, quibus totius huius domus machina firmiter innititur. IV. 7. Sacramēta.

QVINTVM ſunt ſeptem veræ ac ſolidæ VIRTVTES, *Fides* videlicet, *Spes, & Charitas, Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, & Temperantia*, & ſeptem dona Spiritus ſancti, quæ ſunt inſtar ſeptem columnarum internarum, quibus innititur ſanctitas & ſpiritualis pulchritudo huius ædificij, cum admirabili ornamento operum ſtudioſorum erga Deum, & proximos, & noſipſos. V. Septem virtutes.

SEXTVM medium ſunt certiſſimæ & excellentes PROMISSIONES æternæ vitæ, & præſtantiſſimorũ præmiorũ, quæ in hac & in futura vita redduntur ijs, qui in virtutũ opera incũbentes habitãt in hac domo; & ſimul horrẽdæ Minæ Inferni & atrociſſimorũ ſuppliciorũ, quę in hac & in VI. Promiſſiones & Minæ.

futu-

futura vita ijs infliguntur, qui extra hanc domum habitant, aut in ea non ita viuunt, vt oportet.

VII. Scriptura.

SEPTIMVM medium eſt SCRIPTVRA *diuina*, in qua ſunt reuelata quæ hactenus diximus; & quæ eſt inſtar menſæ alicuius delicioſiſſimę panis & vini, ad nutrimentum animarum, quæ fide & veritatibus, in ea per Dei reuelationem ſcriptis, ſuſtentantur, conſolationem accipiunt & reſpirant, donec obtineant vitam æternam, quæ in illis continetur; iuxta illud Apoſtoli: d *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.*

d *Rom.* 15.4.

PERPENDENS itaque *ſeptem* hæc *media*, quæ diuina prouidentia ad noſtram ſalutem in Eccleſia ſua diſpoſuit, & meipſum intra eandem conſpiciens, tanquam eius habitatorem, qui omnibus illis frui poſſum ad ſalutem meam conſequendam, dabo gloriam huic Domino, pro beneficio adeò præſtanti, quod mihi contulit, dicens: ſepties millies, Domine, te laudent Angeli cæli, pro ſeptem his medijs, quæ in meam ſalutem direxiſti: & ſiquidem gratia tua feciſti me huius domus habitatorem; concede etiam eius bonis ita vti in hac vita, vt incola fiam domus, quam habes præparatam in Cœlo, Amen.

PVNCTVM III.

I. Vnica Eccleſia.

TERTIO eſt conſiderandum, hanc Eccleſiam & domum Dei non eſſe niſi *vnicam* in hoc mundo; in qua vt poſſunt ſaluari omnes, qui eius medijs vtuntur; ita qui ſunt extra eam, infallibiliter peribunt. nam vt tempore diluuij a *vnica* tantùm fuit *Arca*, in qua b *quicunque fuerunt, ſaluati ſunt; & quicunque extra eam remanſerunt, perierunt*; ſic nunc nō eſt niſi vnica Eccleſia, in qua eſt c *vnica fides*, vnica religio, vna lex, eadem Sacramenta & Sacrificia, *vna* Scriptura ſacra, & eadem media noſtræ ſalutis; ſicut non eſt niſi *vnus Deus*, vnus Creator & Sanctificator, vnus Mediator, *& vnus vltimus finis omnium*; & cùm ſit vnum tantùm caput, non poteſt ſub eo eſſe niſi vnicum corpus myſticum; congregatio videlicet fidelium, credentium & profitentium ſeptem illa quæ prædiximus. omnes verò reliqui vniuerſim, in quacunque ſecta & lege ſint, peribunt in æternum.

a *Gen.* 6. 14.
b *Gen.* 7. 23.
1. *Pet* 3. 20.
c *Epheſ.* 4. 5.

II. d *Gen* 6.16. Vnicum oſtium eius Chriſtus.

DEINDE ſicut Arca Noe non habebat niſi d *vnum oſtium*; ita ad ingrediendum in domum huius Eccleſiæ, *vnicum* eſt *oſtium* CHRISTVS Dominus noſter, & eius *fides*, quam in Baptiſmo profitemur; iuxta illud eiuſdem CHRISTI Domini: e *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur*: & illud, f *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*. Ex hac ergo conſideratione magis intelli-

e *Ioan.* 10 9.
f *Marc. vlt.* 16.

gam

gam huius beneficij magnitudinem, quod mihi Deus contulit, dum in hanc Arcam me introduxit; relictis interim innumeris infidelibus, qui pereunt in diluuio Infidelitatis; imò & inter ipſos Chriſtianos pereunt multi infantes, non obtento hoc beneficio, ſiue quòd moriantur in vtero, ſiue quòd nati etiam moriantur, antequam baptizentur; qui tamen non erant minùs innocentes quàm ego; nec ego magis hoc beneficium promeritus eram; quàm ipſi. voluit tamen diuina prouidentia me illa pericula euadere, & hoc beneficium baptiſmi ſuſcipere, neſcientem quid ſuſciperem; & facere me ex mera gratia filium ſuum, g *antequam ego ſcirem vocare eum Patrem.* O Pater amantiſſime, quas tibi gratias reddam pro adeò præſtanti beneficio. antè enim quàm ego h *ſcirem reprobare malum & eligere bonum*, abſtuliſti à me culpam, & tua gratia me iuſtificaſti, *vt ſcirem reprobare malum, & eligere bonum.* adhuc loqui non ſciebam, quando tua omnipotentia i *abſtulit fortitudinem Damaſci*, hoc eſt, Dœmonis, expellens eum à poſſeſſione, quam acceperat à die conceptionis meæ. Conſerua me Domine in Eccleſia tua militanti ita pugnantem, vt perueniam ad triumphantem, in qua te fruar in æternum, Amen.

g *Iſaiæ* 8. 4.
Oratio.
h *Iſaiæ* 7. 15
i *Iſaiæ* 8. 4.

MEDITATIO XXXVII.

DE VOCATIONE, QVA VOCAT DEVS ad Eccleſiam & ad Iuſtificationis gratiam.

CIRCA *altiſſimum hoc* VOCATIONIS *beneficium ſex ſunt perpendenda: in quo ſcilicet ea conſiſtat; quæ bona è Cœlo adferat; per quæ media dirigatur: ad quos ſe extendat; quamdiu duret; & quibus nominibus ad eam audiendam aſtringamur.*

PVNCTVM I.

PRIMVM ergo conſiderandum eſt, quòd VOCATIO ſit inſpiratio quædam & illuſtratio Spiritus ſancti, qua ille cor peccatoris tangit, & mera ſua gratia, abſque vllis meritis illum præuenit, excitat, adiuuatque, vt conuertatur, & gratiam iuſtificationis obtineat. ſine tali itaque vocatione non poteſt proprijs viribus aut Eccleſiam intrare, aut à peccato exire. quamobrem dixit ipſe Chriſtus: a *nemo poteſt venire ad me,*

Quid ſit vocatio diuina.
Trid. Seſſ. 6. c. 5.

a Ioan.6.44 *niſi Pater meus traxerit eum.* & ſicut Lazarus in ſepulchro mortuus perpetuò manſiſſet, donec in puluerem conuerteretur, niſi Chriſtus *voce* magna clamaſſet, dicens; b *Lazare veni foras*; ita ego æternùm manerem in meis peccatis, niſi me *vox* diuinæ inſpirationis vocaret, & iuuaret ab eis exire.

b Ioa.11.44

Ex hoc intelligitur, quòd *vocatio* & inſpiratio Diuina, ſit vnicum Spiritus S. inſtrumentum, ad amplectenda omnia media noſtræ ſanctificationis: Illa enim adfert nobis è cælo donum FIDEI, c *ſine qua impoſſibile eſt placere Deo*; & virtutem SPEI, per quam intrat ſalus (d *Spe enim ſalui facti ſumus*;) & ſpiritum TIMORIS, qui e *expellere* incipit *peccatum: nam qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari*; dolorem quoque & CONTRITIONEM, quæ cor frangit, ob Deum offenſum; & ignem CHARITATIS, quæ omnem culparum noſtrarum ſcoriam conſumit; ſplendorem denique Diuinæ GRATIAE, quæ ab eis nos purificat ac mundat. Illa eſt ſementis, qua generamur per Baptiſmum in Eſſe filiorum Dei: quod Eſſe ſi amittamus, etiam ipſa vocatio eſt ſementis ad illud per pœnitentiam recuperandum. Quod vocationis beneficium nobis abſque proprijs meritis datur; iuxta illud Apoſtoli: f *Qui nos vocauit vocatione ſua ſancta, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum & gratiam, qua data eſt nobis in Chriſto* Ieſu. O Deus æterne; gratias tibi pro immenſa beneuolæ tuæ prouidentiæ liberalitate, qua nobis mittis de cælo g *omne datum optimum & omne donum perfectum, quod deſcendit à te Patre luminum*; niſi tu me vocaſſes, numquam à morte reſurrexiſſem; & niſi tua inſpiratio me præueniſſet immeritum, iam ego meritas pœnas dediſſem. Qui igitur ſola tua miſericordia me vocaſti, per eam ſupplex oro, vt me adiuues, vt ſanctæ tuæ VOCATIONI dignè reſpondeam, Amen.

c Hebr. 11.6
d Rom. 8.24
e Eccl. 1. 27.
f 2. Tim. 1. 9
Oratio.
g Iacob 1.17

PVNCTVM II.

I. Media vocationis varia.
S Greg. homil. 36. in Euang.
S. Greg. Nazianz. in ſua vita, quam ſcripſit metricè.

DEINDE conſideranda ſunt aptiſſima illa *media* & admiranda, per quæ DEVS dirigit VOCATIONEM hominum, *quoſdam* enim vocat per Concionatores, aut Confeſſarios, aut per Colloquia & Conuerſationem cum pijs perſonis; *alios* per Lectionem piorum librorum; aut bona exempla, quæ in alijs vident; *quoſdam* trahit per aduerſitates & calamitates, *alios* per proſperitates & beneficia; *quoſdam* vocat per viam ordinariam, permittens rerum naturalem curſum; ex quarum exitu, occaſionem accipit ad eos vocandos & conuertendos; *alios* vocat per media extraordinaria & prodigioſa, adhibens ſuam omnipotentiam ad eos reuocandos. Sunt enim incredibiles amoris vires, cùm iungitur

Digitized by Google

potentiæ : & quoniam Deus homines diligit infinitè, amor omnipotentiam permouet, vt *miris modis* vocet eos, trahatque ad ſuum obſequium. *S. Aug. contra duas Epiſt. Pelag. ca.19.*

QVORVM omnium clariſſima ſunt exempla in ſcriptura *ſacra*, præcipuè in ſancto Euangelio, vt conſtat ex vocationibus & Parabolis, quæ in hunc finem fuerunt allatæ in Tertia & Quinta parte. Quæ omnia mihi ipſi applicans, attendam quantum fuerit Dei erga me beneficium, quòd lapſum in grauia peccata mille vijs ad pœnitentiam vocauerit: Nunc a *ſepiendo viam meam ſpinis*, & aduerſitatibus, vt *reuerterer ad virum meum* a *Oſeæ 2. 6.*
priorem, ipſum videlicet Dominum; nunc b *in funiculis Adam & in vinculis charitatis* & beneficiorum, vt me totum ſeruitio ipſius mancipare m; b *Oſeæ 11. 4.*
nũnc repentinis inſpirationibus reuocans mihi in memoriam mortem, iudicium, infernũ, gloriam, & alia innumera motiua, quibus cor meum continuè c *pulſabat*, vt ei *aperirem*. Et quamuis ſæpè cum indignatione c *Apoc. 3. 20.*
repulerim, & ſæpè aliàs, poſtquam admiſi, ex corde meo expulerim: ille *Cant. 5. 2.*
nihilominus pulſando perſiſtit, donec iterum illi aperiam, vt gratiam & amicitiam ſuam mihi tribuat. O Pater amantiſſime, quas tibi referam Oratio.
gratias pro hac tanta de me ſolicitudine! Benedicta ſit miſericordia tua, quæ prouidentiam tuam ita vrſit! per eam ſupplex te oro, vt pergas in incepto, vt vitam conſequar æternam, Amen.

SECVNDO perpendam, nullum eſſe in mundo hominem, quem Deus II.
Dominus noſter *vna* aut *alia via* non VOCET; quia omnes infideles cuiuſcunque ſectæ; & in quocunque ſint loco, ſiue angulo mundi, omnes Omnes vocat.
ſub eius prouidentia ſunt. Et quoniam *ſol iuſtitiæ* Chriſtus pro omnibus fuit ortus, eiuſque doctrina deſcendit de cœlo pro omnibus, & pro omnibus ædificauit domum Eccleſiæ ſuæ; in qua poſuit ſacramenta, idcircò vocat omnes, nunc per dictamen luminis naturalis, eos excitans ad vitandum malum, & ſequendum bonum; nunc ſpeciali ſua illuſtratione d *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*, per vſum rationis; d *Ioan. 1. 9.*
deſiderans, vt ipſius diuinam gratiam ſuſcipiat, & poſtea perueniat ad gloriam, vt oſtendit S. Petro in e *viſione lintei illius magni*, e *Act. 10. 11.*
quod ſubmittebatur de cælo, vt in quinta parte eſt explicatum. Quia verò *Med. 32.*
multi hoc beneficium non agnoſcunt, pro illis ego eum glorificabo, à quo ipſi illud accipiunt. O æterna ſapientia, quæ f *in plateis das vocem* f *Prou. 1. 20.*
tuam, in capite turbarum clamitas, in foribus portarum vrbis profers verba tua, dicens tranſeuntibus, vt ad domum tuam declinent, & g *panem tuum comedant, & vinum bibant*. Gratias tibi ob altiſſimam hanc prouidentiam, qua illos vocas, rationes adeò apertas illis adferens, g *ca. 9. 5*
vt eas intelligant; adeoque efficaces, quæ illos ad ingrediendum permoueant.

Digitized by Google

moueant. Vtinam omnes tibi obedirent, vt ſcholam tuam ingreſſi omnes, peruenirent ad æternam vitam, Amen.

III. Tertio perpendam, hanc prouidentiam erga omnes homines, perſeuerare toto tempore vitæ ipſorum, neminem ita omninò deſerens, vt neceſſaria ad eius ſalutem media illi denegat, quin potiùs tanquam bonus h *paterfamilias, primo mane* ſcilicet in iuuentute *exit, vt vnumquemque vocet*; quòd ſi reſiſtit, exit *hora tertia, ſexta, & nona; & ipſa etiam vndecima*; vt per omnes ætates vſque ad ſenectutem non ceſſet vnumquemque *vocare*, etiam cùm eſt proximus morti; in quacunque autem hora & puncto vocem clamantis audiuerit, ad ſuam eum amicitiam admittit. Et quamuis induratis in ſuo peccato denegare ſoleat ſpeciales fauores, quibus eorum corda emolliantur; & propterea dicatur eos deſerere; numquam tamen ſufficientem *vocationem* illis denegat, & media neceſſaria ad eorum iuſtificationem.

h *Mat.* 20.1. Inceſſanter vocat.

IV. Documentum non diffidendi.

Ex hoc accipiam documentum, numquam diffidendi de ſalute alicuius peccatoris, quantumuis improbi, & multò minùs de mea, quantumuis abiecto me videam animo; quia ego & omnes ſemper ſumus ſub diuina prouidentia, quæ nos ſub ſua protectione tenet: & qui hodie rebellis eſt, cras fortè tanta efficacitate vocabitur, atque latro bonus, vt ſiue ex cruce, ſiue ex lecto ſuo perueniat in Paradiſum. Nihilominus non debeo ita eſſe negligens & incurius, vt totum diuinæ prouidentiæ committam. Si enim nō coner diuinæ *vocationis* obicē remouere, deceptum me fortè inueniam, quamuis Deus non decipietur: nam ſemper aſſequetur finem principalem ſuæ gloriæ, aut me iuſtificando, ſi conſentio; aut caſtigando, ſi reſiſto.

Oratio. O Pater amantiſſime, cuius prouidentia duo habet ſuæ gubernationis *brachia*; alterum *miſericordiæ*, vt benefaciat ijs, qui ſe ipſi ſubijciunt ac dedunt; alterum *iuſtitiæ*; ad caſtigandos pertinaces; i *pone ſub capite meo leuam* tuæ iuſtitiæ; & *dextera tua amplexetur me*, *timore* tuorum ſuppliciorum me ita ſuſtentans, vt tibi non reſiſtam; animans verò *ſpe* tuorum donorum, vt obediam tibi, tuęque gubernationi me totum ſubijciam in æternum, Amen.

i *Cant.* 2. 6.

Pvnctvm III.

Cur ſit vocationi diuinæ acquieſcendum.

EX prædictis omnibus colligam varios *titulos* & *nomina*, quæ me obligant ad celeriter audiendam diuinam vocationem, quando me vocat Deus, vt exeam à peccato, & à tepiditate in agendo: quæ nomina reducam ad ſex.

I. Primvm eſt propter infinitam Vocantis me Domini ad ſibi ſeruiendum Excellentiam: non enim vocat, quòd me indigeat, ſed

quòd

quòd ego ipſo Domino indigeo, & quòd ipſe delectetur benè mihi faciendo, *quia ipſe bonus eſt*, & in ipſum confluunt omnes rationes, quæ obligare me poſſunt ad ipſius vocem audiendam; cùm nihil ſit æquius rectiuſque, quàm vt creatura ſuum audiat Creatorem, ſubditus Regem, ſeruus Dominum, filius Patrem, ægrotus Medicum, diſcipulus Magiſtrum, & captiuus ſuum Redemptorem.

SECVNDVS titulus aut nomen eſt, infinita penè VILITAS eius, qui VOCATVR; cui valdè eſt honorificum, quòd eum dignetur Deus vocare, & ipſius opera vti, qui potiùs dignus eſt, quem Deus deſerat ac patiatur in abyſſo ſuarum miſeriarum hærere. II.

TERTIVS titulus eſt propter infinitam PECCATI miſeriam, à quo Deus vult me liberare, & ex peiori ſtatu educere, quàm ſit ipſe *infernus*, quod attinet ad huius pœnam, vt ſuo loco eſt dictum. III.

QVARTVS eſt propter infinitam PRAESTANTIAM bonorum, ad quæ me Deus VOCAT: ſiquidem inuitat me ad recipiendam *vitam gratiæ*, pulchritudinem virtutum, & pacem, quæ exſuperat omnem ſenſum, dona & gaudia Spiritus S. & ipſummet Spiritum S. donorum largitorem, cum *arrha*, quòd poſtea me vocabit ad fruendum bonis æternis ipſius gloriæ. IV. *P.1. Med.6.* *P.5. Med.22.*

QVINTVS propter adeò BENEVOLVM modum, quo me VOCAT; vtens tot *medijs internis & externis*, quibus emollit cor meum, & allicit ad audiendum, atque ſi ſua referret, quod maximè refert mea. V.

SEXTVS titulus propter DAMNA grauiſſima, quæ euenire mihi poſſunt, ſi reſiſtam diuinæ vocationi. Si enim ſemper ei obſurdeſcam, erit certa mea æterna damnatio, ſicut fuit eorum, qui inuitati ad cœnam venire omninò recuſarunt; de quibus dixit, qui illos inuitauit, quòd a *nemo illorum eſſet guſtaturus* vnquam *eius cœnam*. VI. *P.3. Med.56.* a *Luc.14.24.*

IN eiſdem ſex *titulis* apparet manifeſtè huius beneficij præſtantia. Iidem autem tituli & cauſæ, quæ mouent ad audiendam diuinam vocationem, mouent quoque ad glorificandum Deum, ob gratiam hanc, qua me vocauit, & iuuit vt audirẽ. O Deus æterne, gratias tibi, ob adeò præſtans beneficium; quod tot nominibus eſt quaſi infinitum: benedicta ſit prouidẽtia tua, à qua illud prouenit; & tua omnipotentia, per quam adeò pręclara efficis. Voca Domine, ſãcta vocatione tua omnes homines, quos condidiſti, vt omnes ingrediantur ciuitatem Eccleſiæ tuæ, & aſcendant ad culmen perfectionis Chriſtianæ, & poſtea ad arcem æternæ tuæ gloriæ. Amen. Oratio.

MEDITATIO XXXVIII.

DE PROVIDENTIA DEI IN SEPTEM SAcramentorum inſtitutione, ad iuſtificationem & ſalutem hominum.

a Zach. 4. 2.

EXCELLENTIAM *ſupremæ huius prouidentiæ oſtendit Angelus Prophetæ Zachariæ, in figura* a aurei candelabri, *quod vniuerſalem Eccleſiam refert: &* lampas eius ſuper caput eius, *quod eſt* CHRISTVS *Dominus noſter, caput Eccleſiæ;* & ſeptem lucernæ *minores* ſuper illud *in circuitu, quæ ſignant multitudinem omnium fidelium, ad quas fouendas erant etiam* ſeptem infuſoria aurea, *ſicut vaſcula oleo plena, quæ repræſentant ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, tanquam ſeptem vaſcula, in quibus continetur oleum diuinæ gratiæ, in duplicem finem;* ad ſanandum *videlicet* nos *ab omni genere culparum, & morborum ſpiritualium,* & ad nos corroborandos, *& perficiendos in omni genere gratiarum & virtutum; ita vt ſimus tanquam lampades ſplendentes & ardentes coram Deo, in medio Eccleſiæ eius, propter merita Ieſu Chriſti Domini noſtri; à cuius vtraque natura, humana & diuina in vna perſona vnitis, fluit oleum gratiæ, quam habent* Sacramenta: *& vt hoc exprimeretur diſtinctiùs, vaſcula illa pendebant ex duabus oliuis ſiue roſtris lampadis maioris, quæ omnia in ſequentibus punctis expendemus.*

PVNCTVM I.

S. Thom. 3. p. q. 65. a. 1.

PERPENDENDI ſunt primò particulares fines, in quos diuina prouidentia inſtituit hæc ſeptem ſacramenta in domo Eccleſiæ ſuæ, per quorum ſingula breuiter diſcurremus.

I. Fines inſtitut. Sacrament. Baptiſmus. Oleum.

PRIMVM BAPTISMVS, eſt inſtar cuiuſdam *vaſis olei cœleſtis*, ad ſanandum vulnus peccati Originalis: & præterea regenerat nos in nouo eſſe gratiæ, vt nouam in CHRISTO vitam ducamus: in quem finem baptizati vnguntur oleo, vt ſint CHRISTO ſimiles, qui interpretatur vnctus.

II. Chriſma.

CONFIRMATIO dirigitur ad imbecillitatem noſtram curandam, & corroborandos nouos Chriſti milites in fide & gratia, quam receperunt: & *vnguntur Chriſmate,* quod conficitur ex oleo & balſamo; vt intelligatur, debere illos ſtrenuè pugnare aduerſus hoſtes ſui Regis, & legis eius, & eſſe bonum odorem ſuauitatis.

III. Euchariſtia

SACRAMENTVM EVCHARISTIAE dirigitur contra deprauatam *inclinationem amoris proprij,* qui ſenſim conſumit vitam ſpiritus. Ipſa autē

Digitized by Google

Euchariſtia cótinet in ſe ipſummet CHRISTVM, qui medicus eſt & medicina; vngitq́; nos *oleo deuotionis & lætitiæ ſpirituali*, ad conſeruandam, & perficiendam vitam ſpiritus.

SACRAMENTVM POENITENTIAE dirigitur ad curanda vulnera lethalia noſtrorum peccatorum actualium; & reparandam vitam gratię, quam per illa amiſimus. Vngit autem nos hoc Sacramentum ſicut pius Samaritanus, *vino & oleo*, vt noſtra vulnera maneant perfectè ſana. IV. Pœnitẽtia.

SACRAMENTVM EXTREMAE VNCTIONIS eſt *vas* quoddam *olei*, ad vngendum infirmum, curandumque à reliquijs peccatorum, & corroborandum ad pugnam contra Dæmonem in hora mortis; ac denique ad eum diſponendum ad ingreſſum in vitam æternam. V. Extrema Vnctio.

SACRAMENTVM ORDINIS *vngit* diuino hoc *oleo Sacerdotes*, & miniſtros Eccleſiæ, contra auerſionem exiguamque hominum propenſionem ad res quæ ſunt alijs cómunes. Quibus miniſtris dat gratiam, ad offerendum Sacrificium pretioſi corporis & Sanguinis CHRISTI Domini noſtri, pro peccatis viuorum & mortuorum, & adminiſtranda reliqua Sacramenta & remedia neceſſaria noſtræ ſalutis. VI. Ordo.

SACRAMENTVM MATRIMONII eſt *medicina debilium*, ad curandas concupiſcentias carnis; ita vt Coniuges charitate coniuncti, poſsint abſque detrimento animarum ſuarum generare filios; qui hæc ſacramenta ſuſcipiant; vt multiplicetur Eccleſia militans, & poſtea etiam triumphans. Diuinam hãc & altiſsimam diſpoſitionem perpendens, Deum glorificabo, quòd fuerit illi curæ, proſpicere nobis de tot remedijs, adeò facilibus & ſuauibus, adeoq́; proportionatis fini, in quem ſingula ſunt inſtituta; ac dicam, a *O Sapientia infinita, quæ attingis à fine vſque ad finem fortiter, & diſponis omnia ſuauiter*; gratias tibi, ob *ſeptem Sacramenta*, quæ in Eccleſia tua inſtituiſti; quibus faues, proſpiciſque mihi, à principio vitæ meæ, vſque ad eius finem; eam dirigens dulciter & efficaciter, vt perueniam ad æternam vitam. VII. Matrimonium. a Sap. 8. 1.

PVNCTVM II.

CONSIDERANDA deinde eſt *excellentia* ſeptem horum *Sacramentorum, quoad* ſuam *efficaciam*: nón enim ſunt ſicut Sacramenta Veteris legis, quæ a *infirma erant & egena Elementa*, & non faciebant quod ſignificabant; nam hæc ſunt plena oleo & gratia, quam & *ſignificant*, & *efficiunt* in eo, qui debitè illa recipit. Quare, dicente eo, qui baptizat; *Ego baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*; virtute huius Sacramenti manet anima illa mundata à peccato Originali, & à quocunq; alio, I. Efficacia Sacramẽt. S. Thom. 1. p. q. 62 a. 3. & 6. a Gal. 4. 9

quod

Trid ſeſſ. 7. can 6. quod antè feciſſet; & dicente Sacerdote; *Ego te abſoluo à tuis peccatis*, manet peccator ab eis liber, accepta gratia iuſtificationis.

II. PRAETEREA hæc Sacramenta *faciunt ex attrito contritum*; quia accipiens illa peccator, cum imperfecto dolore, qui dicitur *attritio*, per virtutem Sacramentorum accipit *gratiam*, ſupplente Sacramento defectum contritionis, qui eſt dolor *perfectus*. Imò etiam qui communicat cum ſola attritione, cogitans tamen & ſperans ſe eſſe in gratia, eam accipit per Sacramentum, & manet iuſtificatus. Trid. ſup. can. 8.

III DENIQVE omnia Sacramenta conferunt gratiam *ex opere operato*. Nam præter id, quod vnuſquiſque iuſtorum proprijs ſuis actibus poteſt promereri, recipit alios *gradus gratiæ*, virtute Sacramenti.

QVOD totum diuina prouidentia ita diſpoſuit, tum vt noſtram ſalutem redderet faciliorem, ſupplente Sacramento exiguas noſtras *diſpoſitiones*; quia multò plures damnarentur, ſi perfecta contritio, eſſet neceſſaria diſpoſitio ad ſuſcipiendum Sacramentum: tum vt nos abundantiori gratia & gloria ditaret, ſupplens his medijs defectus noſtrorum meritorum, quæ verè ſunt exigua. Ex quo facilè cernitur, quàm ſimus felices, qui viuimus in *lege gratiæ*, fruentes adeò beneuola & efficaci *prouidentia*; & quàm meritò me animare debeam, ad frequentanda ſæpiùs Sacramenta Confeſsionis & Communionis, quæ poſſunt pro libitu iterari. Accede anima mea, cum magno gaudio b *ad fontes Saluatoris, vt aquas haurias* gratiarum cœleſtium, quibus abluas tua peccata, & ſaties tua deſideria, donec c *fiat in te fons aquæ viuæ ſalientis* & trahentis te *in vitam æternam. Amen.*

b *Iſaiæ* 12. 3.

c *Ioan.* 4. 14.

PVNCTVM III.

Sacraméta pro omnib.

TERTIO conſiderandum, quòd prouidentia diuina offerat hæc ſeptem Sacramenta omnibus hominibus, in eo gradu & ſtatu, quo ſunt illis neceſſaria, aut expediunt ad eorum ſalutem & perfectionem.

I. NAM primùm omnibus peccatoribus *infidelibus* offert Sacramentum BAPTISMI; & peccatoribus aliàs fidelibus offert Sacramentum POENITENTIAE, nemine prorſus excluſo, & propterea Propheta quidam appellat hæc Sacramenta a *Fontes patentes in medio Hieruſalem*, hoc eſt, Eccleſię, *in ablutionem peccatoris*. Inuitat verò etiam omnes ad CONFIRMATIONEM, & ſacram EVCHARISTIAM: omnibus etiam infirmis in periculo mortis Extremam offert VNCTIONEM. Pertinet etiā ad prouidentiam diuinam, vt non deſit, qui ſuſcipiat Sacramentum Ordinis, quò ſint in Eccleſia Dei miniſtri ſufficientes; ideoque etſi ego Sacramen-

a *Zach.* 13. 1

Digitized by Google

tum illud non ſuſcipio; non propterea non eſt mihi vtile. nam, qui illud ſuſcipiunt, alij mihi poſtea Sacramenta adminiſtrant.

DEINDE perpendam, quòd hæc Sacramenta non ſint *vaſa* vitrea, vt frangantur; ſed *aurea*, ſolida, & pretioſa; quæ ad finem vſque mundi perdurabunt, nunquam deficiente *oleo*, & *gratia*, quam continent, quamuis innumeris hominibus conferantur: quia *fons*, ex quo manat illorum virtus & liquor Cœleſtis, eſt ipſe IESVS CHRISTVS Dominus noſter, cuius merita ſunt infinita, nec poſſunt exhauriri. Et ſicut *oleum* pauperis *Viduæ*, propter verbum Eliſæi, nunquam ceſſauit fluere, quamdiu fuerunt vaſa vacua, in quibus reciperetur; & in tanta copia fluxit; vt ſufficeret ad ſoluenda debita, & vt viueret ipſa de reliquo; ita *oleum diuinæ gratiæ* non ceſſabit ex his Sacramentis fluere, quamdiu erunt homines, qui recipere illã poſsint, ad ſoluenda debita ſuorum peccatorum, & ad conſequendam & conſeruandam vitam gratiæ. II. Durabunt ſemper.

Et in vno eodemque homine, cùm ea Sacramenta pergit frequentare, quæ iterari poſſunt, continuè ſemperque fluit ab eis, & augetur gratia, quamdiu vita eius durauerit, & vas animæ ipſius capax fuerit beneq; diſpoſitum ad augmentum illud recipiendum. Gratias tibi Redemptor benigniſsime ago, ob eam prouidentiam, quam de paupere anima mea habuiſti, tot debitis onerata; proſpiciens illi de vaſis adeò pretioſis, *olei* plenis, quibus ea ſoluere poſsim ita copioſè, vt etiam ſuperſit, quo diues fiam in virtutibus. Concede mihi ita illa ſuſcipere & frequentare, vt per ea obtineam vitam æternam. Amen. III. Semper cõferunt gratiam. Oratio.

DE BAPTISMO & POENITENTIA *non ſubijciemus hic meditationes, quia ſufficiunt poſita in* Tertia *&* *in* Quarta Parte.

MEDITATIONES DE SVPREMO BENEFICIO SANCTISSIMI SACRAMENTI ALTARIS.

PRAEMISSIS *Meditationibus de Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento, poſitis in Quarta parte, cùm ageretur de myſterijs Cœnæ Dominicæ; ſubijciã hic alias de eodem Sacramento, quà eſt præſtantiſsimum* medium diuinæ prouidentiæ *ad noſtrã ſalutem, & perfectionem, & quà eſt* ſumma *ſiue* memoriale excellentiarum Dei, *& beneficiorum eius: vt tam ſacerdotes, quàm reliqui frequenter communicantes, poſſint hac meditationum varietate ſe abſque faſtidio præparare, vt id cum fructu faciant.*

MEDITATIO XXXIX.

DE SINGVLARI PROVIDENTIA DEI D. N. in inſtitutione ſanctiſsimi Sacramenti ad ſuſtentationem animæ noſtræ.

PVNCTVM I.

Eminentia huius Sacramenti.

CONSIDERANDA primùm eſt ſingularis excellentia diuinæ prouidentiæ circa *ſuſtentationem animarum*, per ſupremum hoc Sacramentum; conferendo hanc cum ea, quam habuit de Adamo in ſtatu innocentiæ; ad cuius nutrimentum plurimas arbores fecit in Paradiſo, & inter alias etiam a *lignum vitæ*; cuius fructus, ſi interdum comederetur, ſufficeret ad conſeruandam vitam in perpetuum. Eodem modo diuina prouidētia, in Paradiſo Eccleſię, licèt varios poſuerit cibos, ad ſuſtentandas noſtras animas; ſuper omnes tamen conſtituit diuinum Sacramentum tanquam arborem vitæ, quia eſt verè b *panis vitæ* ſempiternæ; in quo infinitè excellit alterum illud *lignum vitæ*: nam illud erat terrenum, & è terra productum; hoc verò Sacramentum eſt cœleſte, & è cœlo deſcendit; illud vitam dabat corpori, hoc animæ; illud tantùm conſeruabat vitam viuentium, hoc interdum etiàm mortuis dat vitam, ſicut prædictū eſt. Quare multò meliùs hoc Sacramentum comparari poteſt cum altero illo c *ligno vitæ, quod eſt in paradiſo cæleſti*, de quo S. Ioannes ait, *quod adferat fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum*; ſiue ſint ſpecie diuerſi, quo eorum varietas delectet, ſiue vnus & idem duodecies in anno proueniens, vt recens ſemper recreet, & *folia illius ligni ad ſanitatē gentium*: ita diuinum hoc Sacramentum, in quo continetur ille Dominus, qui dixit: d *Ego ſum via, veritas & vita*, profert *duodecim fructus*, varietatē ſcilicet omnium virtutum in anima noſtra, quæ illam impellunt ad exercendos duodecim illos fructus, quos Apoſtol. appellat fructus ſpiritus, e *charitatem*, ſcilicet, *gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas*, quas renouat hoc Sacramentū, quoties debitè ſumitur, cuius folia, quę ſunt verba de illo ſcripta, potentia ſunt, ad perfectam ſanitatem hominibus adferendam. de illis enim dixit idem Dominus: f *verba, quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt*. O Pater amātiſsime, gratias tibi ob hanc prouidentiam delicijs pleniſsimā, quā erga nos habuiſti, dum talem *arborem* in medio tuæ Eccleſiæ plantaſti, quæ vitam æternam nobis adferret: Concede mihi, vt peccata & paſſiones meas vincere poſsim, & g *edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei*, quodque *vincenti* promiſiſti.

a *Gen. 2. 9.* *S. Thom. 1 p. q 97. a. 4.*
b *Ioan. 6. 35.*
c *Apoc. 22. 2*
d *Ioan. 14. 6.* Duodecim fructus Sacramenti Euch.
e *Gal. 5. 22.* *S. Thom. 1. 2. q 70. a. 3.*
f *Ioan 6. 64.* *Vide Meditat 50*
Oratio.
g *Apoc. 2 7.*

PVNCTVM II.

DEINDE conſideranda eſt excellentia eiuſdem prouidentiæ, eam conferendo cum illa, quam idem Deus D.N. habuit, ad ſuſtentandum populum Iſrael *Manna* illo, quod in quatuor præſtantiſsimis proprietatibus ſuis *figura* fuit diuini huius Sacramenti, eaſdem habentes, ſed infinitè excellentiores.

S. Thom. 3. p. q. 73. a. 6.

I. PRIMVM enim *Manna* erat a *panis de Cælo*, & Angelorum, quorum miniſterio in aeris regione conficiebatur, & *tanquam ros, minutum in ſimilitudinem pruinæ cadebat ſuper terram*: b *populus verò illud colligens, frangebat mola & pinſebat, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas ſaporis quaſi panis oleati.* Sed hic diuinus panis venit à ſupremo cœlo, non Angelorum operâ, ſed ipſius Spiritus S. cui diuini verbi Incarnatio tribuitur, quod verbum c *deſcendit* ſicut ros, & *ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram*, & coniunctum paruitati noſtræ humanitatis, fuit contritum *labore* corporis, & piſtum *aqua* afflictionum internarum, coctumque *igni* tormentorum, & affectuum maximæ charitatis: & hoc modo factum fuit cibus noſter, tectum accidentibus panis & vini, commutans illam pœnam, quam erat nobis minatus, cùm dixit, d *in ſudore vultus tui veſceris pane.* nam proprijs afflictionibus & ſanguineo ſudore comparauit nobis *panem*, quem ſine tanto labore nunc comedimus, iuxta illud ſapientiæ: e *paratum panem de cælo praeſtitiſti illis ſine labore.* O Pater amantiſsime, gratias tibi, quòd Filijs tuis præſtantem adeò *panem* dederis, *panem* verè *Angelorum*, quo & ipſi ſuſtentantur, quamuis alio modo, quàm homines: f *panis* eminenter VERVS; cuius comparatione, ille quem dediſti Hebræis, non verus fuit, ſed figura. & ſiquidem tot expenſis tuis ita illum præparaſti, vt & mihi liceret illum ſumere, meipſum, te adiuuante, ad illum ſumendum pręparabo, molens & conterens cor meum dolore peccatorum, & corpus pœnitentijs; pinſens & coniungens potentias meas cum viua aqua tuæ gratiæ; eaſdemq; condiens ardenti igne tuæ charitatis.

a Exod. 16. Manna Spirit. S. b Num. 11. 8. Pſal. 77. 24. Sap. 16. 20. c Pſal. 71. 6. d Gen. 3. 19. e Sap. 16. 20. f Ioan. 6. 32

II. DEINDE Manna erat *panis medicinalis*, qui à morbis præſeruabat: & quamdiu Iſraelitæ eo ſunt vſi, g *non erat* (vt ait Dauid) *in tribubus eorum infirmus*, quamuis multi interierint morte ſubitanea, in pœnam ſuorum ſcelerum, ac poſtea omnes tandem, ſaltem præ ſenio, mortui ſunt; At diuinum hoc Sacramentum ſanat morbos animę, pręſeruat à *morte* multorum peccatorum; & porrò ab æterna, in quam propter illa incideremus: Et ſuo tempore liberabit etiam ipſum corpus noſtrum à morte, iuxta illud noſtri Saluatoris: h *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.*

Panis Medicinalis. g Pſ. 104. 37 h Ioan. 6. 55

Oratio. O Saluator potentiſsime, *medicamentum*, & *medice* noſter, quàm fuit admiranda prouidentia tua, qua mortem, quam ob vnum cibum degustatũ incurrimus, ea vita deſtruxiſti, quam nobis præſtas per hũc cibum; ne patiaris, Domine homines ita irreuerenter illum ſumere, vt i *infirmi fiant & imbecilles, aut dormiant* ſomnum mortis, conuertentes cibũ à ſuâ in aconitum, quod tua miſericordia inſtitueras in antidotum.

i 1. Cor. 11.

III. k Sap 16.20. Cibus omnis ſaporis & dulcedinis.

Tertio ſicut Manna tantùm habebat ſaporem vnum naturalem, iuſtis tamen k *habebat omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuauitatem*, quia vnicuiq; ita ſapiebat, ſicut ipſe cupiebat: Ita diuinus hic cibus, quãuis tantùm habeat *ſaporem* vnum naturalem, ſpecierum ſcilicet *panis* & *vini*; pro iuſtis tamẽ omnes habet ſpirituales ſapores, quos quicunque illud ſumit, habere deſiderat; iuxta ſuam indigentiam, cõtinet enim in ſe fontẽ totius ſaporis & dulcedinis, l *quam in filios tuos oſtendis, deſeruiens vniuſcuiuſq; voluntati, vt ad quod quiſque voluerit, conuertatur*; nã ſumenti hoc Sacramentũ cum deſiderio obedientię aut patientiæ, adfert illi has virtutes, ita dulces eas reddens, vt in earũ exercitatione multùm delectetur; & dignè communicantibus det *ſaporem & ſuauitatem ſpiritûs*, qui eminenter continet in ſe ſapores earum rerum, quæ carnis guſtatum delectant. O Prouidentia dulciſsima! ô *fons* totius ſuauitatis! vnde mihi tantum bonum, vt meæ tu ſeruias voluntati? vtinam ſemper occuparer obſequendo tuæ, ita libenter eam in terra exequendo, ſicut Angeli exequuntur in cœlo.

l Sap. 16. 21.

IV. m Exod. 16. 18. Part. 3. Medit. 17.

Qvarto vnuſquiſq; ex m *Manna colligebat menſuram* conſtitutã, magnam aut paruam; quæ ita ſufficiebat eorum ſuſtentationi, vt *nec qui plus collegerat, haberet amplius, nec qui minus parauerat, repererit minus*; ſed ſinguli, eo quod collegerant, ſatiabantur: Ita hîc quamcunque menſuram quis ſumat huius Sacramenti, ſufficiet illi ad integrã ſuſtentationem ſpiritualem; quia totus Chriſtus eſt ęquè in parua hoſtia atq; in magna, & in qualibet eius minima particula, tantumq; recipit, qui mediam partem accipit hoſtiæ, atq; qui accipit integram; *& tantum accipit vnus, quantum mille*; nec mille plus accipiunt, quàm vnus: quia omnes & ſinguli eundem Chriſtum accipiunt, qui omnes abundè ſatiat. Et propter eandem rationẽ tantũ accipit, qui ſumit *ſolam hoſtiam*, atq; qui *hoſtiam ſimul* accipit *& calicem*; quia totus Chriſtus cum ſua carne & ſanguine, eſt ſub ſpeciebus panis, & totus ſimiliter ſub ſpeciebus vini. O Panis vitæ extremè parue, & extremè magne! quid enim magis paruum, quàm micula diuini huius *panis*! quid verò magis grande, quàm Deus & homo, qui in ea continetur! O Panis ſupreme, fac me paruum & magnum; *paruum* in meis oculis, & *magnum* in tuis.

Omnes in quauis parte totum Chriſtum ſumunt.

Oratio.

Et ſiquidem tu ſolus ſufficis pro millionibus animarum, ſatia deſideria animæ meæ, vt ex nunc omninò ſit tua in æternum.

PVNCTVM III.

TErtio conſiderandum, quòd prouidentia Diuina ſtatuerit, vt nos ipſi *cooperemur* in quærendo & guſtando hoc diuino pane, ſicut iuſſit Iſraelitas a *mane* diluculo colligere Manna, b *ante ortum ſolis: nam eo orto liqueſiebat*, in pœnam negligentium & pigrorum, vt omnes intelligerent, ſicut ait Sapiens, b *quoniam oportet prævenire ſolem, ad benedictionem tuam accipiendam, & ad ortum lucis te adorare*. In quo monemur, manè magnoque feruore ac diligentia ſurgere propter tres cauſas: PRIMA eſt, ad meditandas diuini huius Sacramenti excellentias, & colligendum Manna dulciſſimum deuotionis, quæ hauritur ex earum conſideratione, antequam *ſol* occupationum & tentationum, quæ die accedente eueniunt, nos diſtrahant, & exſiccent ſpiritum. SECVNDA ad laudandum & glorificandum Deum animo gratiſſimo, propter tantum hoc beneficium aſſiſtendo ſacrificio Miſſæ, quod in hunc finem celebratur; & continuam eius memoriam ſeruando. ſi enim Deus Dominus noſter adeò voluit retineri memoriam Mannæ, vt iuſſerit c *impleri menſuram Gomor ex eo, & cuſtodiri in futuras retrò generationes in ipſa arca teſtamenti, vt nouerint*, inquit, *panem, quo alui vos quadraginta annis in ſolitudine*; quãtò magis volet ſeruari apud nos memoriam perpetuam Diuini huius *cibi*, cum magna animi gratitudine? ſiquidem eo hactenus ſuſtentauit Chriſtianum populum vltra mille ſexcentos annos, & porrò ſuſtentabit vſque ad finem mundi. TERTIA eſt, vt nominatim ipſo die ſacræ Communionis ſuſcipiendæ mane ſurgentes, ad eam nos diligentiſſimè diſponamus, hanc accipientes tanquam *primam* & præcipuam illius *diei occupationem*; reuocantes in memoriam, quod Scriptura dicit, quòd cùm quotidie Manna colligeretur, d *ſexta tamen die colligebant cibos duplices per ſingulos homines*; quia die ſabbathi non inueniebatur; ideoque vexabatur fame, qui neglexiſſet, *feria ſexta duplicatam menſuram colligere*: ſic inquam ſi in ſex diebus huius vitæ non colligo fructus huius Sacramenti, non inueniam in ſabbatho vitæ futuræ, patiarque eſuriem perpetuam, nec erit mihi ſabbathum quietis ſed tormenti. Quare, anima mea, quò magis accedis ad finem vitæ, eò diligentius te præpara ad *duplicatam fructuum menſuram* colligendam, qua æternam ſaturitatem conſequaris.

a *Exo.* 16.21
b *Sap.* 16. 27.28.
Diligentia in hoc Sacram & iugis memoria.
c *Exod.* 16.32
d *Exo.* 16. 22

Ad bonam prædictarum trium rerum executionem multùm iuuerint ſubiectæ Meditationes.

(****)

MEDITATIO XL.

DE SANCTISSIMO SACRAMENTO, QVÆ eſt ſumma & memoriale excellentiarum, & ſtupendorum Dei operum in bonum hominum.

HAEC *Meditatio pro fundamento & veluti argumento habebit verſiculum illum Dauidis*: Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe. *Hæc mirabilia reducemus hic ad* ſeptem *vel* octo capita, *quæ poßint eſſe argumentum Meditationum per ſeptem dies hebdomadæ.*

*Pſal.*100 4.

PVNCTVM I.

PRIMVM itaque eſt conſiderandum, Sanctiſſimum hoc Sacramentum eſſe *memoriale* quoddam ſtupendarum *magnitudinum* Diuinitatis & Trinitatis, quæ in eo latent. Nam PRIMVM in eo eſt perſona verbi Diuini, ſacratiſſimæ ſuæ humanitati coniuncta: in qua, vt ait Apoſtolus, a *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*; & conſequẽter ſimul eſt ſanctiſſima Trinitas. impoſſibile enim eſt vnam eius perſonam ab altera ſeparari, quia omnes tres ſunt vnus idemque Deus: Et omnia opera, quæ in hoc ſacramento facit Filius, facit ſimiliter Pater, & Spiritus S. quamuis ſpeciali quodam modo Filio omnia attribuantur; quatenus eius perſona ſola ſuſtentat *carnem* & *ſanguinem*, quæ nobis in cibum dantur. Ex quo fit, vt etiam in hoc Sacramento ſint omnes perfectiones & attributa Dei, quandoquidem idem Apoſt. dixit: b *in Chriſto Ieſu eſſe omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditos*, & porrò etiam erunt theſauri bonitatis & charitatis, quæ in hoc opere mirabiliter eminent. SAPIENTIA eminet in eo, quòd tale medium adinuenerit, in quo verus Deus & homo fiat cibus & potus hominum; BONITAS eminet in eo, quòd adeò amanter & benignè ſeipſum communicet ſuis fidelibus; CHARITAS in eo, quòd vniatur & inuiſceretur cum ſuis amicis, nec inimicis ſe deneget; MISERICORDIA, quòd det ſe in cibum eſurientibus; & in potum ſitientibus; & quòd ipſemet per ſe ipſum veniat viſitatum & curatum infirmos; LIBERALITAS in eo, quòd gratis omnibus det nobis quidquid habet; OMNIPOTENTIA in faciendis tot prodigijs, ad horum omnium executionem. In ſingulis diuinarum harum perfectio-

In Euch. plenitudo diuinitatis.
a *Coloſſ.* 2. 9.
Omnes etiam perfectiones.
b *Coloſſ.* 2. 3.

fectionum longiores moras trahere licet; reuocando in memoriã, quæ de eis in hunc finem dicta ſunt in præcedentibus Meditationibus, & in 4. parte, hauriendo ex omnibus ingentem admirationem, propterea quòd videamus, Deum tanti nos facere. Quare dicemus illi cum Dauide: c *O Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra! Admirabile* enim fuit in *Creatione* hominis, admirabilius in eius *reparatione*, nec minùs admirabile in eiuſdem *ſuſtentatione*, in qua fecit ſummam quandam mirabilium ſuorum, vt eum aleret, qui eſt veluti ſumma omnium eius operum.

Medit 8. 11. & 13. & 4. Part. Medit. 11.
c *Pſal. 8.2.*

PVNCTVM II.

SECVNDO eſt conſiderandum, quòd hoc ſanctiſſimum Sacramentum ſit *memoriale* quoddã *mirabilium* operũ Omnipotentię Dei, quæ operatur hic multa magnaq; miracula, oculis quidẽ corporis inuiſibilia; admirãda tamen & ſtupẽda oculis animæ, qui lumine fidei illa cernunt.

I. Memoriale mirabilium S. Euchariſtia.

PRIMVM miraculum eſt, quòd Deus verbo ſuo diſſoluat *vnionem* illam & naturalem connexionem, quam habebant accidentia *panis* & *vini* cum ſua ſubſtantia, deſtruens ſubſtantiam omninò, & conſeruans accidentia ſine ſuo ſubiecto; ita vt quamuis oculis percipiam colorem, ſaporem, & odorem panis & vini, reuerà tamen non ſit ibi ſubſtantia panis & vini, ſed caro & ſanguis Ieſu Chriſti, in quæ fuit miraculosè conuerſa panis & vini ſubſtantia. a *O ſermo Dei penetrabilior omni gladio ancipiti*, qui vnico ſolo verbo ita diſſoluis connexionem accidentium cum ſua ſubſtantia; diuide quoq; animam meam à ſpiritu meo, vt viuens naturalem hanc vitam & externam, quam ſenſus percipiunt, non viuam internam, qualem hactenus, ſed tu viuas in me, ita vt dicere mihi liceat cum Apoſtolo: b *viuo iam non ego, ſed viuit in me Chriſtus.*

a *Heb. 4.12.* Oratio.
b *Gal. 2. 20.*

II.

SECVNDVM miraculum eſt, quòd adeò parua ſubſtantia panis & vini conuertatur in corpus adeò grãde & perfectum, quale eſt *corpus* Chriſti. nam ſub accidentibus quæ remanent, manet Chriſti corpus cum tota integritate ſua & gloria, quam habet in cælo. Ibi eſt ſacratiſſimum eius *caput* cum diuinis ſuis *oculis*, qui intuentium corda deprædantur, & c *diſſipant omne malum intuitu ſuo*; ibi benedicti *pedes* eius & *manus* cum vulnerum ſignis, quæ claui fecerunt; & *latus* cum vulnere à lancea inflicto; & *cor* ardentiſſimum ab igne amoris, qui illum permouit, vt tot vulnera acciperet; & ſimul *totum corpus* cum dotibus claritatis & pulchritudinis, quæ excedunt ſolem, lunam & ſtellas. Quid ergo poteſt eſſe admirabilius, quàm facere Deum in vno momento conuerſionem & mutationem adeò extraordinariam, rei vnius adeò paruæ, in aliam

c *Prou. 20. 8*

Digitized by Google

adeò magnam; rei adeò vilis in adeò pretioſam, idque ſolùm ad hominem ſuſtentandum? O gloria mea, muta me in alium virum, vt redderé tibi poſſim fidelia ſeruitia pro hac mutatione, quam in mei gratiam feciſti: & ſiquidem tu das mihi quidquid tu es pro meo nutrimento, volo & ego tibi dare quidquid ſum pro tuo ſeruitio; corpus meum & ſenſus meos, cor meum & quidquid habeo, expendam in tuo obſequio; ſiquidem tu omnia expendiſti pro meo nutrimento.

Oratio.

III. Tertium prodigium ſtupẽdum eſt, quòd ſit totum corpus Chriſti Domini in Sacramento inſtar *ſpiritus* indiuiſibiliter; ita vt totum ſit in tota hoſtia conſecrata, & totum in ſingulis eius partibus. ex quo efficitur, vt quamuis hoſtia ſacra frangatur ac diuidatur, Chriſtus tamen ipſe non diuidatur, ſed totus integer maneat in ſingulis eius etiam minimis particulis. Ex quo etiam prouenit, vt vita qua viuit Chriſtus in Sacramento non ſit vita carnis, ſed quaſi vita ſpiritus. nam etſi *pedes* ibi habeat, non tamen ambulat; & quamuis habeat *manus*, non tamen palpat; & quamuis habeat *linguam*, non loquitur: ſolumque vtitur facultatibus ſpiritualibus, quæ propriæ ſunt ſpiritus. O Dilecte mi, quas tibi gratias agere poſſum propterea, quòd diuinam tuam carnem adeò prodigioſo modo pinſueris, vt manens vera caro, habeat proprietates ſpiritus. O ſi quis mihi daret, vt d *in carne ambulans non ſecundùm carnem militarem*, & viuerem, ſed ſecundùm ſpiritum, exercendo huius opera; ea verò mortificando, quæ ſunt propria carnis. O ſi poſſem ſeruare integrum & abſque diuiſione cor meum, & interiora animæ, etiamſi externa corporis occupatio in multas partes diſtribueretur: fac, Deus meus, hæc mirabilia in me, pro quo eadem feciſti in te.

Oratio.

d 2. *Cor* 10. 3
d *Rom*. 8. 1.

IV. Quartum miraculum eſt, quòd manens Chriſtus D. N. in cælo Empyreo, locum occupans, quem diuina eius Maieſtas meretur, nec illum deſerens, deſcendat ad ſanctiſſimum Sacramentum, ſimulque ſit in diuerſis orbis partibus, vbicunque fuerit conſecratum, nullo excepto loco: adeoque vigilanter attendat conſecrationi cuiuſuis Sacerdotis, vt ſtatim atque ille dixerit, Hoc Est Corpvs Mevm, eodem momento efficiat verba illa eſſe veriſſima, & conſequi omnia miracula, quæ retulimus. O ſuprema Ieſu D.N. Omnipotentia, qui te ipſum ita extendis in vtilitatem hominum, vt offeras te ad collocandum tuum corpus in quocunque terræ loco, in quo illorum corpus eſſe poſſit; quid tibi Domine reddam pro adeò ſtupendo beneficio, niſi vt totum me dedicem in omni loco & tempore tuo ſeruitio.

Oratio.

Pvn-

Digitized by Google

PVNCTVM III.

TERTIO conſiderandum, quòd hoc diuinum Sacramentum ſit etiam *memoriale* omnium *munerum* & *officiorum*, quæ Chriſtus D. N. dum in mundo verſaretur, erga homines exercuit, omnia illa renouans in Sanctiſſimo hoc Sacramento erga vnumquemq; hominem in particulari. Quamobrem per ſingula horum officiorum diſcurrens, *tria* perpendam, *modum* videlicet, quo Chriſtus Dominus noſter illud exercuit in terra; & *modum*, quo idem exequitur in Sacramento; ac denique magnam *meam neceſsitatem*, qua indigeo, vt eadem officia mihi ipſe prę̃ſtet: quare accedendũ eſſe ad Sacram communionem cum hoc ſpiritu ac deſiderio, iuxta meam neceſſitatem. Memoriale munerum & officiorum D.N.

I. Officium Medici.

PRIMVM ergo perpendam, quòd Chriſtus D.N. dum viueret in carne mortali, fecerit officium MEDICI erga homines, dans viſum cæcis, ſanitatem ægrotis & vitam mortuis, idque nullis adhibitis *corporalibus medicamentis*, ſed ſolo ſuo verbo, aut tactu manus aut veſtium; & eadem ratione ſanabat morbos animæ, infinita virtute, quæ ab ipſo in commune omnium bonum prodibat. Mox perpendam, quòd ſe collocauerit in hoc Sacramento, vt eſſet *medicamentum* & *medicus* vniuſcuiuſque noſtrum, vſq; ad finem mundi. nam contactu corporis & ſanguinis ſui, per ſpecies ſacramentales ſanat ſpirituales morbos ſuſcipientium, curat vulnera, reprimit cupiditates, dat integram in ſpiritu ſanitatem, & interdum vbi ita expediuerit, dabit etiam in corpore. Conuertam verò ſtatim oculos in me ipſum, perpendens extremam neceſſitatem, qua laboro, vt ſupremi huius medici opera mihi adſit, eò quòd grauib. ac periculoſis morbis affligar; quos oẽs extollam, & minutim referam, ſicut ſolent qui corpore ægrotant; petamq; ſupplex, vt oẽs illos diuina ſua præſentia curare velit, ſiquidem eo fine me viſitat. O cæleſtis *Medice*, qui venis è cęlo, ad viſitandos ægrotos in terra degẽtes; in gloriam tuam cedet, ſi hunc ęgrotũ ad. ò miſerũ atq; ego ſũ, reddideris ſanitati: ſana ergo me Domine ab omnib. infirmitatib. meis, vt ſanus ſaluuſq; me occupẽ in te laudãdo, tibiq; ſeruiendo, ob illud bonum, quod in me cõfers, ab eis me liberãdo. Oratio.

Magiſtri Officium. II.

EADEM ratione licet etiam conſiderare, quòd Chriſtus Dominus noſter fecerit in hac vita officium MAGISTRI, ſicut aliàs perpẽdimus. Et eodem modo exiſtens in hoc Sacramento præſtat hoc officium erga communicantẽ. nam ſicut ipſe dixit, a *quamdiu ſum in mundo, lux ſum mũdi*; ita quamdiu eſt in paruo hominis mundo, eſt etiam lux eius mundi, quem internè illuminat; docens intus in corde veritates ſcriptas in Euangelio: attendens verò quantoperè indigeam hoc diuino Magiſtro, 3. *Part Medit*. 12. a *Ioan*. 9. 6.

magno illi affectu dicam: ô MAGISTER ſupreme, qui veniſti è cælo, vt me doceres viam perfectionis, repelle meas ignorantias, & illumina tenebras, vt anima mea ad præſentiam tuam repleatur veritatibus & virtutibus.

III. Officium Redemptoris & Paſtoris.

TERTIO, licet etiam conſiderare, Chriſtum D. N. officium peregiſſe SALVATORIS & REDEMPTORIS, quia multorum obſeſſorum corpora eripuit ex poteſtate & tyrannide Dæmonis; Et multorum peccatorum animas, vitam ſuam & ſanguinem cum ingentib. doloribus, & ignominijs in huius Redemptionis pretium offerendo. Similiter etiam geſſit officium PASTORIS gregis ſui, explens omnes partes boni Paſtoris, vſque ad ponendam vitam pro ouibus ſuis. Eadem verò officia facit in hoc Sacramento: præcipuè enim in eo venit, vt ſuæ copioſæ Redemptionis fructum nobis impertiat, eripiens nos à Dæmonis tyrannide, à ſeruitute carnis, Paſſionum eius, & aliorum vitiorum: facitq; officium PASTORIS, attendens vnicuiq; animæ; atque ſi ſola eſſet, & paſcens eam proprio corpore & ſanguine, ita vt non ſolùm ouis comedat ad menſam Paſtoris, ſicut b *Nathan Propheta dixit Dauid:* ſed ipſius Paſtoris carnem comedat; contrà quàm alij Paſtores terreni faciant, qui comedunt carnes ouium ſuarum. Mox autem me ipſum aſpiciendo, perpendam tyrannidem & ſeruitutem, cui ſubiectus viuo; & maxima pericula, quib. ſum expoſitus, fame ac debilitate pereundi, & deueniendi in manus luporum infernalium. & hoc ſenſu affectuq; clamabo ad Redemptorē & Paſtorē meum, vt mihi ſubueniat, dicens: O Redemptor benigniſſime Paſtorq; ſupreme, c *ſalua me ex ore leonum* & luporum infernalium; & ſiquidem d *paraſti in conſpectu meo menſam* hāc cæleſtē *aduerſus eos, qui tribulāt* & perſequũtur *me*: eâ quæſo ita me paſce & corrobora, vt victoriā hîc obtineā, & eâ poſtea menſâ fruar, quam mihi præparaſti in tua gloria, Amen.

b 2. Reg 12. 3

Oratio.

c Pſal. 21. 22

d Pſal. 22. 5

IN hunc modum conſiderari poſſunt alia officia, quæ Chriſtus Dominus noſter in terra geſſit, Aduocati, Conſolatoris, Protectoris, & Vniuerſalis omnium Patru.

PVNCTVM IV.

Memoriale virtutū.

QVARTO eſt conſiderandum, idem Sanctiſſimum Sacramentum eſſe *memoriale* clariſſimarum *virtutum*, quas Chriſtus Ieſus D. N. in terra exercuit, quas eaſdem & hîc exercet. ſicut itaq; venit in mũdum, vt vitæ exemplum nobis daret; & virtutum eſſet exemplum, quod omnes par eſſet imitari; ita etiam in hoc Sacramento venit, vt noua quotidie exempla earundem virtutum nobis præberet, earum præcipuè, quæ ſunt nobis ad ſalutem & perfectionem noſtram neceſſaria.

I. PRIMA eſt HVMILITAS, quam oſtendit velans infinitam ſuam

Maie-

Digitized by Google

Maieſtatem & ſplendorem vili figura, & velo *panis* & *vini*. ex quo prouenit, vt multi illum contemnant, & tanquam purum panem & vinum tractent.

Secvnda eſt Obedientia prompta, & ad nutum Sacerdotis, qui conſecrat; ſtatim enim atque ille profert conſecrationis verba, etiamſi ſit impius, & mala intentione aut fine illa proferat; vbicunque & quandocunque illa dixerit, abſque vlla replica aut mora, ſtatim ipſe adeſt. II.

Tertia eſt Mansvetvdo & Patientia admirabilis in omnibus iniurijs, quæ illi inferuntur, tam ab Hæreticis & infidelibus, quàm à peccatoribus, qui illum cum peccato ſumunt; aut etiam incuria negligentium Sacerdotum; nihil enim horum efficere poteſt, quò minùs ipſe ſit in *ſacra hoſtia* toto tempore, quo Sacramentales eius ſpecies durant. III.

Qvarta eſt Charitas & Misericordia, cum quibus venit ad Sacramentú, ad exercenda omnia opera miſericordiæ, cum omnib. hominib. magnis & paruis, *abſque vlla perſonarũ acceptione*, nihil aliud reſpiciens, quàm cuiuſque eum ſuſcipientis animæ bonum, tradens ſe vnicuique earum in teſtimonium, quod pro vnaquaque ſit mortuus. IV.

Qvinta eſt Perseverantia, tùm manendo in *hoſtia ſacra* & *calice*, vſque ad ſacramentalium ſpecierum conſumptionem: tùm in adimplendis omnibus, quæ diximus, vſque ad finem mundi, nullis peccatis impedientibus, quò minùs ipſe impleat quidquid promiſit. V.

Circa *vnamquamque harum quinque virtutum poſſunt fieri inſignes conſiderationes, ſicut in præcedentibus Meditationibus fuerunt habitæ.* *Med. 11. 15. & 16.*

Qvando autem acceſſurus ſum ad ſacram cómunionem, eaſdem virtutes ab ipſo D.N. petam, conijciens oculos fidei in ſigna *quinque vulnerum* eius, quæ etiam ibi habet in glorificato ſuo corpore, ac dicam illi: dulciſſime Iesv, ſiquidem venire dignaris ad pauperem domum meã cum *quinque* tuis vulneribus; per eadem ſupplico, vt *quinque* has virtutes mihi velis communicare; ob duo vulnera ſacrorum pedum, peto humilitatem, & manſuetudinem; per duo ſacrarum manuum, obedientiam peto & perſeuerantiam; ob lateris vulnus, imple me inflammata tua charitate, vt amans te, tibiquè conſtanter obediens, tandem obtineam coronam gloriæ. Amen. Oratio.

Pvnctvm V.

Qvinto eſt conſiderandum, quòd hoc altiſſimum Sacramentum, quà eſt *ſignum rei ſacræ*, habet ſpeciale quiddam ſupra reliqua Sacramenta, eſſe videlicet *ſignum*, & ſummum *trium* maximorum *beneficiorum*, quæ Deus vnquam fecerit, aut faciet hominibus, vnum quod iam tranſijt, *Redemptionis* videlicet beneficium; alterum eſt præſens, beneficium ſcilicet *Sanctificationis*; tertium eſt futurum, nempè *glorificationis*: Euchariſtia quale ſignum.

quod totum quodam modo maximè ſingulari nobis ſignificat,quia ipſemet Chriſtus D.N.exiſtens in Sacramento,id totum efficit, vt exprimitur in Antiphona illa, quam canit Eccleſia; *O ſacrum conuiuiũ,in quo Chri-* a Luc. 22. 19
ſtus ſumitur,recolitur memoria Paſſionis eius,mens impletur gratia , & futura a 1.Co 11. 24
gloria nobis pignus datur. De his tribus rebus agetur in proximis Medit. ad quas reuocabimus, quidquid ſupereſt dicendum de Venerabili hoc Sacramento.

MEDITATIO XLI.

DE SANCTISSIMO SACRAMENTO, QVAtenus eſt memoria paſſionis Chriſti D.N.

DESIDERANS *Redemptor noſter conſeruari in Eccleſia ſua perpetuam* memoriam *ſuæ Paſſionis & mortis,ac ſupremi beneficij per eam nobis collati;inſtituit Sanctiſsimum hoc conuiuium, in quo quotidie dat nobis in cibum & potum,corpus & ſanguinem ſuum,ſub accidentibus panis & vini.*

PVNCTVM I.

Eucharistia memoria paſſionis D. N.

CIRCA hanc fidei noſtræ veritatem perpẽdendæ primùm ſunt cauſæ,cur voluerit Chriſtus Dominus noſter paſsionis & mortis ſuæ ignominia & dolore pleniſsimæ *ſignum* & *memoriam* eſſe conuiuiũ ſuauitate & iucunditate pleniſsimum. Videtur enim aptius ſignum, & memoriam magis ad rem futuram fuiſſe aliquod Sacramentum, in quo nos ſanguinem noſtrum effunderemus,ſicut in circumciſione fiebat;aut cibum aliquem amarum comederemus,ſicut comedebantur lactucæ agreſtes cum agno Paſchali; & vt biberemus aliquid aceti in memoriam aceti & fellis,quod ipſe bibit:ſed nihil tale benigniſsimus Dominus hic voluit,eam eſſe memoriam,ſed ſpecies tantùm *panis* & *vini*,& quidem nõ panis hordeacei,quo ipſe alias veſcebatur, ſed panis triticei; nec aceti, ſed vini,non corrupti,cuius rei quatuor fuerunt præcipuæ cauſæ, eæque ſuauitate & dulcedine plenæ.

I. PRIMA cauſa fuit, vt nobis aperiret infinitam ſuam *bonitatem* & *charitatem*,ac dilectionem,qua nos tanquam pater proſequitur, vt qui ſibi ea elegerit,quæ pœnam doloremque ipſi inferrent;nobis verò ea dederit,quæ adferrent iucunditatem in memoriam pœnarum eius; quò fructum & vtilitatem,quæ ex eis prouenit,nobis applicaret. Eſt enim parẽtibus familiare & veluti proprium,aſpera & difficilia ſibi accipere, vt fi-

lijs dent ſuauia & iucunda; & hunc ſpiritum vult nos omnes filios ſuos habere erga noſtros fratres ac proximos.

SECVNDA cauſa fuit, vt ex hoc agnoſceremus, quanta ſua voluptate PASSIONIS ſuæ labores pertulerit, quatenus in noſtrũ commodũ & vtilitatem illi cedebant; quod etiam ſatis indicauit, cùm dixit: a *deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum*. Ideo igitur voluit ſui memoriã eſſe apud nos in ea re, quæ nobis eſſet ſuauis & iucunda, & in conuiuio magnæ exultationis; vt ſic maiori noſtra voluptate paſsionis eius recordaremur, & pro ea gratias ageremus. Sicut itaq; dies paſsionis eius fuit ipſi *deſponſationis* & *nuptiarũ* cũ Eccleſia ſponſa ſua; ita memoria eius meritò retinetur in conuiuio & gaudio, ſicut in nuptijs fieri conſueuit. II. a *Luc*. 22, 15

TERTIA cauſa fuit, vt agnoſceremus ſuauitatem *legis* eius, de qua ipſe dixerat, quòd eſſet b *onus leue & iugum ſuaue*; ideoque omnia eius Sacramenta ſuauia fuerunt, & hoc præ cæteris quod ex eius latere lancea perfoſſo effluxit. III. b *Mat*. 11. 29.

QVARTA cauſa, vt ſic nobis obligaret ad imitandas res *amaras* & ignominioſas paſsiones eius. nam quò ipſe liberaliorem ſe oſtendit in deſignanda re, quæ eius memoriam in nobis conſeruaret, in conuiuio tantæ ſuauitatis; eò magis nos obligat, vt lege gratitudinis eiuſdem paſsionis recordemur, amplectentes res aliquas amariſsimas, pœnitentiam ſcilicet, ieiunium, mortificationem, humiliationem, & quidquid Chriſto crucifixo deſpectoq; ſit magis conforme, dicentes cum Ierem. c *memoria memor ero* tui, *& tabeſcet*, areſcetque *in me anima mea*; mortificatione conſumens, quidquid me ſeparauerit à tuo obſequio, & ſpontè amplectẽs pœnas, quas tu mei amore pertuliſti. O dilecte cordis mei, quid ego pro te faciam, vt tantum beneficium rependam, & excellentem amorem quem erga me oſtendis? Si te aſpicio tanquam Patrem, es *amantiſsimus*; ſi tanquam Redemptorem, es *dulciſsimus*; ſi tanquã legiſlatorem, es *ſuauiſsimus*, ex omni d *me* parte *coronans in miſericordia & miſerationibus*, quæ ab illa procedunt. Cupio, Domine, amore tui, coronare me innumerabiliũ ſpinarum corona, reddendo tibi innumeros labores meos pro tuis innumeris tormentis, quæ plena fuerunt innumeris miſericordijs. IV. c *Thren*. 3. 20. Oratio. d *Pſal*. 20. 4.

PVNCTVM II.

DEINDE conſiderandæ ſunt cauſæ, cur voluerit Chriſtus D. N. ipſemet *realiter* & *verè* manere in hoc Sacramento, vt eſſet ſuæ Paſſionis memoriale: ad hoc ſiquidem ſuffeciſſet tantùm panis & vinum; ſicut aqua pura ſufficit ad Baptiſmum, qui etiam eſt figura eius a *mortis & ſepulturæ*. Cur D. N. in Sacramẽto realiter & verè. a *Rom*. 6. 4.

I [illegible]

II [illegible] Chriſti D.N. [illegible] & paſſionis repræſentatione. Et ſicut in Apoc. vocatur *Agnus occiſus ab origine mundi*, eò quòd mortuus [illegible] in figuris animalium, quæ in ipſius memoriam mactabantur, ita nunc poſſumus vocare Agnũ, *qui occiditur vſque ad finem mundi*, quia [illegible] modo moritur [illegible] in hac ſua mortis repræſentatione, quæ duratura eſt vſq; ad mundi finem. Et ſic nos obligat, vt [illegible] ipſi & vere [illegible] partem aliquã ipſius paſſionis & mortis [illegible] amoris [illegible] in bonum fratrum noſtrorum [illegible] Apoſt. c *ſemper mortificationem* IESV *in corpore noſtro circumferentes*; & d *propter te mortificamur tota die, & æſtimati ſumus, tanquam oues occiſionis*; & e *quotidie morior per veſtram gloriam fratres.*

b Apoc. [illegible]
1 Ioan. 3.
c 2 Cor. 4. 10
d Rom. 8. 36
e 1 Cor. 15. 31

III. TERTIA cauſa fuit, vt hac ſua reali præſentia *defectum* ſuppleret *gratitudinis* hominum, non ſolum beneficij cauſa Redemptionis, ſed etiam reliquorum beneficiorum à Deo acceptorum; quæ quòd ſint infinita, nõ poſſet pro eis pura creatura oſtendere ſe ſufficienter gratum; ideóq; ſe ipſemet voluit per ſeipſũ in hoc Sacramento exhibere ſe gratum pro his omnibus beneficijs; & ſicut Apoſt. dicit: quòd f *ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ſic liceat nunc dicere, quod Chriſtus D.N. in hoc Sacramento gratias agit, gratumq; ſe exhibeat pro omnibus his beneficijs, affectibus inenarrabilibus nos ipſos excitans ad eoſdem affectus magna virtute exercendos. ex quo prouenit, vt hoc Sacramentum appellaretur EVCHARISTIA; quod ſignificet gratiarum actionem. O Deus Amoris, quid hoc eſt quod facis, ô benefactor infinite, quid eſt quod ſtatuis tu pro gratiarũ actione, quam debeo beneficijs à te acceptis, nouũ confers adeò magnum beneficium atque ſunt reliqua omnia: quomodo ergo pro hoc nouo beneficio gratum me potero exhibere; lauda tu ipſe Domine te ipſum pro hoc & reliquis omnibus beneficijs; & hoc ipſum beneficium te laudet pro ſe & reliquis: ſiquidem g *confeſsio & magnificentia opus eſt* tuũ,

f Rom. 8. 26
g Pſal. 110. 3

cùm

cùm te ipſum das in cibum timentibus te: & quoniam nihil noui dare tibi poſſum, propter ingentia beneficia gratiaſq́; mihi collatas, h *calicem* hunc mei *ſalutaris accipiam, & nomen* ſanctum *Domini inuocabo*, & glorificabo. h *Pſa.*115.13.

Pvnctvm III.

Tertio conſiderandæ ſunt cauſæ, cur voluerit Chriſtus D. N. ſub *ſpeciebus panis* & *vini* eſſe *memoriale* ſuæ Paſsionis; quæ proculdubio aliquam habent cum ea ſimilitudinem. Cur ſub ſpeciebus panis & vini.

Prima enim cauſa fuit, vt ſignificaret, quòd ſicut in hoc Sacramento coniungitur Chriſtus cum ſpeciebus panis, qui conficitur ex multis frumenti granis fractis & contritis; & cum ſpeciebus vini extracti ex granis vuæ calcatis, & tanquam in torculari expreſsis; ſic ſacratiſsimũ Chriſti D.N. corpus fuit in paſsione ſua tortum, & flagellis, ſpinis, clauiſque contritum, & grauiſsimis ignominijs a *calcatum*, & eo vſque *in crucis torculari* expreſſum, vt *totus ſanguis* efflueret, & corpus ipſum ita ſine ſanguine relinqueretur, ſicut ſolet vua in torculari remanere. Quare propter has panis & vini ſpecies, vult nos eſſe memores dolorum & ignominiarũ, quas illæ nobis repræſentant; & ſicut ſacrum ipſum panem & ſanguinem comedimus & bibimus, ſic etiam comedamus & bibamus, nobiſq́; quodammodo incorporemus paſsionis eius & mortis pœnas. I. a *Iſai.* 63.2.

Verum vlteriùs progreditur charitas benigniſsimi huius Domini. nã b *qui baptizatur*, vt ait Apoſtolus; *in morte* & ſepultura *Chriſti baptizatur*; *quia cum illo conſepelitur per Baptiſmum in mortem*, dum aquis immergitur, ſicut ipſe Chriſtus fuit immerſus fluctibus c *profundi aquarum*, laborum ſcilicet & afflictionum, & tandem in ſepulchro ſub ingenti lapide collocatus. Verùm in hoc Sacramento ipſemet Chriſtus *mortem* ſuam & *ſepulturam* repræſentat, cùm comeditur, & quaſi dentibus teritur; & quando iã eſt ad ſtomachum tranſmiſſus, memoria eſt ſui ipſius contriti dentibus perſecutorum, & deuorati à morte, ac in ſepulchro collocati. Quibus omnibus ipſemet Dominus aſsiſtit, vt ea fiant pari ſpiritu & reuerentia, communicans ſuæ paſſionis & mortis fructus ei, qui ipſum ſumit. Recordare anima mea, cùm communicas, quòd ſis eiuſdem Chriſti D.N. *ſepulchrum*; quia illum recipis intra te viuentem quidem in ſe ipſo, ſed in repræſentatione mortuum. Attende, quòd d *eius ſepulchrum eſſet glorioſum*, e *nouum, & excauatum in lapide*; vt intelligas, te quoque debere eſſe glorioſam propter virtutes, nouam ob renouationem ſpiritus, & fundatam in imitatione viuæ petræ, quæ eſt Chriſtus. O Chriſte dulciſsime, ſanctifica hoc *ſepulchrũ*, quod iam ingrederis; vt, quamdiu in illo manſeris, digna ſit habitatio II. b *Rom* 61.8. c *Pſal.*68.15. d *Iſai.*11.10. e *Matt.*27.60. 4. p. *Med.*55. *punct* 3. Oratio.

tua.

tua. Et ſicut in tuo *ſepulchro* nullus fuit alius vnquam poſitus; ita ne quæſo, in hoc aliquid in poſterum ingrediatur, quod tibi diſpliceat, aut aliqua creatura, quæ illud profanet, ſed nouum ſemper conſerua & purum, ad gloriam tuam in æternum. Amen.

IN quarta parte Meditatione 13 *ſunt aliæ conſiderationes ad hoc propoſitum, quid videlicet ſit, quòd ſeorſim corpus conſecretur à ſanguine, & cur in diuerſis ſpeciebus panis & vini.*

MEDITATIO XLII.

DE SANCTISSIMO SACRAMENTO, QVA eſt cauſa gratiæ & ſanctificationis, in ipſa ſumptione: ac de admiranda illud ſumentis cum ipſo Christo Domino vnitione.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM primò, quòd cùm Chriſtus Dominus noſter decreuiſſet ſeptem Sacramenta inſtituere, quæ ſeptem eſſent gratiæ *ſigna* ſenſibilia, & ſeptem *inſtrumenta*, quibus paſsionis ſuæ fructum nobis communicaret, noſtram videlicet ſanctificationem; decreuit quoque, vt ex illis vnum non eſſet pura creatura, qualis pura aqua, purum oleum aut balſamum, aut merus panis, & merum vinum; ſed ipſemet Chriſtus verus Deus & Homo, voluit re ipſa & verè coniungi creaturæ, & miraculo occultare ſe ſub accidentibus panis & vini, vt ipſemet gratiam nobis daret, & ſuæ paſsionis fructum applicaret, ſic manifeſtans nobis infinitam charitatem & amorem, quo nos proſequitur; & quanti faciat noſtram ſanctificationem, & eius augmentum ac perfectionem. Id quod aliquibus exemplis poteſt exponi.

I. Vnitio D. N. ex exẽplis. PRIMVM: quia amantiſsimus noſter IESVS non eſt ſicut *medicus*, qui poſtquam medicamentum præſcripſit, committit infirmario, vt illud applicet ægroto: ipſe autem medicus nec tangit quidem ipſum ægrotũ; ſed potiùs ipſemet & medicus eſt, & medicina, & qui inuiſibiliter illam applicat, ingrediens tanquam cibus ad noſtra interiora, & gratiam communicans, qua noſter morbus ſanetur.

II. DEINDE non eſt Chriſtus Dominus noſter ſicut homo diues & potens, qui pretium offert, quo redimatur captiuus, iubetque famulo ſuo, vt illum redimat; ſed ipſemet eſt *redemptor* & *pretium noſtræ redemptionis*, & qui ſanguinis ſui pretiũ nobis applicat, ac per ſe ipſum tribuit perfectam libertatem gratiæ & adoptionis filiorum Dei.

III. Neqve eſt ſicut aliqua mater, quæ poſtquam cum dolore peperit filium, nutrici alicui tradit, eius lacte nutriendum; ſed *ipſemet* qui magnis doloribus in cruce nos genuit, *vult nos nutrire*, ſicut beneuola mater, proprio ſuo corpore & ſanguine. Nec eſt ſicut Rex, qui ſubditos inuitans, ſeruos ſuos iubet ad menſam illis miniſtrare; ſed ipſemet potiùs & *nos inuitat*, & *ipſum* eſt *conuiuium* & *miniſtrat* ad menſam, dans nobis ſe ipſum in cibum & potum. Et quamuis Sacerdotes ſint eius miniſtri ad communionem impartiendam, ipſe tamen reuera huic toti actioni aſſiſtit, ſpeciebus panis & vini vnitus. O Medice benigniſſime, Redemptor liberaliſſime, ô Rex pijſſime, & Mater amantiſſima! quid faciam obſequij, quò reſpondeam tantis, quæ in meum commodum præſtas! quomodo non eum diligam, qui me tantoperè diligit! quomodo non ęſtimabo meæ ſanctificationis gratiam, quam ipſe ſanctificator ſe ipſo mihi cõmunicat! quomodo non eſuriam ad præclarum adeò *conuiuium* accedere, in quo ipſemet Deus, qui me inuitat, eſt cibus ipſe, quem comedam, vt ex eo vitam recipiam! gratias tibi Pater amantiſſime ob ſupremum hoc beneficium; ne patiaris me eſſe parcum in reddendis gratijs, nec tepidum in accipiendo ex eo fructum, Amen. Oratio.

Pvnctvm II.

Considerandà ſunt deinde *dona*, quæ Chriſtus Dominus noſter animę largitur, quando in hoc Sacramento eam ingreditur. Hoc enim ingreſſu *mens impletur gratia*, & charitate, cæteriſque ſupernaturalibus virtutibus, & ſeptem donis Spiritus ſancti, multò abundantiùs & perfectiùs, quàm per reliqua Sacramenta; eò quòd in hoc ſit *fons gratiarum*, & ipſe earum largitor. Sicut quando Rex facit eleemoſynam per manum ſui Eleemoſynarij, ferendum eſt, etiamſi exiguam largiatur; at ſi propria ſua manu id faciat, decet donũ eſſe magnũ, ſicut donum Regium: ita quoniã in hoc Sacramento ipſemet Chriſtus per ſe ipſũ *gratiæ & virtutum eleemoſynam* elargitur, eam dat copioſam, & tanquã eleemoſynã, per manum ipſius Dei oblatã, implens hîc illud Dauidis, a *qui coronat nos in miſericordia*, & magnis *miſerationibus*, quæ ab ea procedunt, *replens noſtrum deſiderium* ingentibus *bonis*. Atq; ita licet cogitare, quòd quãdo per os meum ingreditur, mihi dicat illud Pſa. b *dilata os tuum, & implebo illud*: dilata & extende ſinus animæ tuæ, & cordis tui deſideria, quia eo animo venio, vt illos impleam, & hæc expleam. Audi, anima mea, vocem dilecti tui: & ſiquidem ipſe profuſus vult eſſe in communicandis tibi ſuis donis; ne ſis tu parca in te præparando ad illa ſuſcipienda, *dilata cor tuũ* ſpe, & extende charitate, exorna illud feruentibus deuotionis actibus, vt

I. Dona ex ſumptione Euch.

a *Pſal.* 102. 4

b *Pſal.* 80. 1.

cùm ingreditur, tuus dilectus repleat illud ſuis donis, & ſua copioſa benedictione. Amen.

II. Conuiuiũ ſpirituale. *Lib. 1. Mor. c. 25.*

Deinde perpendam *ſpirituale conuiuium*, quod nobis Chriſtus in anima noſtra exhibet tribuens illi in ipſo ſtatim ingreſſu ſpiritualem refectionem, quæ eſt huius Sacramenti propria, id quod intelligi poteſt eo modo, quo S. Greg. dicit, quòd virtutes & dona Spiritus S. ſignificata per *tres filias, & ſeptem filios Iob*, exhibeant ſolemne conuiuium animæ, cum exercitio ſuarum actionum, mouente ea Chriſto Domino noſtro ſua præſentia, vt magno iubilo huiuſmodi actiones exerceant. Exhibet etiam nobis conuiuium per *charitatem*, mouens eam ad exercendos actus dilectionis Dei, ſpiritualis gaudij, zeli, diuinæ gloriæ, & vehementis deſiderij ſe coniungendi ſuo dilecto; mouet virtutem *Religionis*, ad exercendos actus reuerentiæ, laudis, gratitudinis, aliosq; mille affectus orationis & deuotionis; mouet donum *Sapientiæ*, vt alta de Deo ſenſa proferat cum ſtupore magnitudinum eius, cum magna fide & luce veritatum, magno ſapore ac dulcedine perfectionum eius. eadem ratione permouet ipſam *fidẽ & ſpẽ, humilitatem, & obedientiam*, cum cæteris virtutibus doniſq; Spiritus S. cuius actus ſunt refectio, ſuſtentatio, & ſatietas ſpiritualis animæ.

III. c *Apo. 3. 20.*

Ex his concipiam intimum deſiderium ipſum inuitandi, ſicut ipſe me inuitat, vt c *meum cœnet, & ego cum eo*, excitãs me ipſum ad hos actus exercendos ex libero meo arbitrio eius gratia adiuto, quamuis arido & torpente. oblectatur enim Chriſtus Dominus noſter plurimùm hoc cibo, cœnando nobiſcum intra cor noſtrum. Ac propterea dicit Spiritus S. d *quando ſederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam, e ſciens quòd talia te oportet præparare*, vt ille comedat. O Princeps ſupreme, ingredere pauperem hanc domum ad cœnandum mecum; ſed tecum adfer cœnam, quâ oblectaris: ego, quod in me eſt, offero me ad illam præparandam omnibus viribus meis, contendendo vt faciã quidquid tibi placebit in illa.

d *Prou. 23. 1.* e *Iuxta LXX. Ex S. Aug. Tract. 47. & 84. in Ioan. S. Ambr. 1. offic. c. 13.*

Pvnctvm III.

Vnitio D. N. perpetua.

Tertio conſiderandum, quòd Chriſtus Dominus noſter nominatim diuinum hoc Sacramentum iuſtituerit, vt ſe nobis coniungeret *charitatis vnitione*, toto tempore huius vitæ. quod beneficium maximum eſt inter ea, quæ hîc ſuis confert Electis. Hoc ſignificauit ipſe cùm dixit: a *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*: quaſi diceret; *in me manet* per charitatem, ſicut qui amat eſt in re amata; *& ego in eo* per gratiam, communicans illi omnia bona, quæ ab ea procedunt. Hoc autem non ſolùm fit, quamdiu ſenſibilis hic cibus

a *Ioan. 6. 34.*

manet

manet in corpore, ſed permanenter. nam etſi Sacramentalibus ſpeciebus conſumptis, non ampliùs maneat nobiſcum Chriſtus, quà homo eſt; permanet tamen, quà eſt Deus nobis coniunctus, & nos illi amore amicitiæ mutuæ; ipſe nos amans & nos ipſum, facientes reipſa quod S. Ioannes dixit: b *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* b 1. Ioa. 6. 4.

Nam Chriſtus, quà Deus, eſt ipſa *charitas* per eſſentiam; & per hoc Sacramentum oritur in nobis charitas participata; & ideò qui illum ſumit, manet charitati coniunctus: & ita eſt in Deo tanquam in ſua domo refugij; & Deus eſt in eo, tanquam in ſuo templo & horto voluptatis. Quomodo, anima mea, non extra te ipſam exis, dum huius beneficij magnitudinem & charitatis efficacitatem perpendis, quam Chriſtus tibi in hoc Sacramento communicat? Si Chriſtus eſt charitas, quid illâ melius? Si, *qui eſt in charitate, manet in Chriſto*, quid eo ſecurius? Si Chriſtus manet cũ eo, quid eo lætius? quòd ſi id totum in hoc conuiuio aſſequeris, quid eſt illo amabilius? ô conuiuium infinitæ charitatis, in quo ipſamet charitas ſpeciebus panis & vini velata, ingreditur intra me, vt conuertat in ſe. O dilecte mi, permuta me totum in te, vt ſemper te diligam, laudem, & glorificem in æternum, Amen. *S. Thom. ibid. ex S. Bern.*

In hac conſideratione hærendum eſt in perpendendis tribus, quæ inſinuauimus; quòd videlicet, qui me in hoc Sacramento inuitat, ſit Deus, qui eſt *ipſa charitas*, & à charitate permotus, admirandum hoc inſtituit conuiuiũ; *cibus* deinde qui hîc proponitur, eſt præcipuè ipſamet charitas, quæ eſt Deus; & ille ingreditur intra me aſſidetq; in medio cordis mei, ſicut c *Salomon* amabilis Domini ſedebat in medio *ferculi, quod fecerat ex lignis Libani, quod conſtrauit media charitate propter filias Ieruſalem*, hoc eſt, animas ſanctas, vt ſic eas ad ſe attraheret. Ac denique perpendendũ, quòd finis & fructus huius conuiuij, ſit *coniunctio charitatis*, permanente Deo in me, tanquam in ſuo ferculo & loco quietis; & me in ipſo, tanquam in *protectore* meo, & *loco refugij*. Quid conſiderandũ in hoc Sacram. c Can. 3. 10.

Pvnctvm IV.

Qvarto conſiderandæ ſunt ſupremæ huius *vnitionis excellentia*, ex ſimilitudine, qua Chriſtus Dominus ad eam declarandam eſt vſus: a *ſicut ego viuo*, ait, *propter Patrem, ita qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* quibus verbis propoſuit Chriſtus Dominus maximam quam potuit ſimilitudinem in hunc finem; quæ in eo conſiſtit, quòd ſicut Filius Dei, per generationẽ æternam accipit à ſuo Patre naturam, & vitã Dei, & omnes perfectiones, virtutes, & opera Dei, ita vt Filius per hanc generationem ſit vnus Deus cum Patre ſuo, viuat in eo, & per eum; ſit ſapiens, bonus, ſanctus, infinitus, & omnipotens ſicut Pater, cum quo habet vnum Excellẽtiæ vnitionis D.N. a Ioan. 6. 58.

Digitized by Google

& idem ſentire, velle, & operari in omnibus rebus; ita etiam qui dignè Chriſtum in hoc Sacramento ſumit, virtute huius ſumptionis fit particeps naturæ & vitæ Chriſti, perfectionum & virtutum eius; fit Chriſto conformis in ſentiendo, volendo, & faciendo idem, quod ipſe Chriſtus; ita vt ſit vnus ſpiritus cum eo, vt poſſit dicere illud Apoſtoli: b *viuo iam nõ ego, viuit verò in me Chriſtus:* & c *mihi viuere Chriſtus eſt,* quia viuo in eo, & per eum, & ipſi viuo. O dulciſsime Ieſu, ſiquidem tanto affectu cupis me *vnum* eſſe *tecum,* ſicut tu es *vnum* cum Patre tuo, ingredere animam in hoc Sacramento, & effice in ea *vnitionem*, quam per illud mihi promiſiſti, vt per eam glorificeris in æternum, Amen.

b *Gal.* 2. 20.
c *Phil.* 1. 21.
Oratio.

IN hac conſideratione diligentiùs eſt perpendendum verbum illud PROPTER ME; cùm dixit Chriſtus, *qui mãducat me, viuet propter me:* quod verbum omnia genera cauſarum complectitur; quo ſignificat ſe futurum *cauſam* perfectiſsimam omnium viuentium operum, quę fecerit, qui eum comederit. nam inſpiratione ſua erit illorum *principium*, excitans illum ad ea facienda; erit & *vltimus finis*, ad cuius gloriam omnia dirigat; erit *exemplar*, quod in illis faciendis imitetur; ac denique erit *materia* & *argumentum* verborum, cogitationum, & affectuum, quos ille habebit; ita vt ſemper viuat propter Chriſtum, ſicut qui d *nihil ſcit aliud niſi Ieſum Chriſtum; & eum crucifixum;* nec diligere vult alium, nec de alio loqui niſi de Chriſto, nec facere niſi per Chriſtũ & *propter Chriſtum*. Hoc modo Chriſtus erit vita noſtra, quam nobis in ſanctiſsimo Sacramento communicat; & ideo per excellentiam e *panis viuus* appellatur; quia per eum viuimus vitam Dei, & vitam Chriſti vniti cum ipſo, ſicut ipſe eandem vitã viuit cum Patre ſuo. O verè *panis vitæ*, viuifica me vita tua cæleſti ac diuina, vt ex nunc non in me viuam, ſed in te, nec vitam viuam hominis, ſed vitam Dei, illi vnitus in ſecula, Amen.

d 1. *Cor.* 2. 2.
e *Ioan.* 6. 51.
Oratiuncula.

PVNCTVM V.

Effectus vnitionis huius.
I.
a 1. *Cor.* 15. 48

CONSIDERANDI quintò ſunt admirandi huius vnitionis effectus, ex aliquibus ſimilitudinibus.

PRIMA eſt ſimilitudo ſumpta ex *pane & vino*, in quibus hoc conuiuium celebratur. NAM ſicut cibus corpori coniũctus communicat illi proprias qualitates; ex quo prouenit, vt craſsiores cibi craſsiores nutriãt humores; & delicatiores cibi, humores delicatiores, magiſq; ſalubres, ita Chriſtus Dominus noſter in nos ingreſſus, & animab. noſtris vnitus, ſuas proprietates & qualitates cæleſtes nobis communicat, charitatem ſuam, humilitatem, obedientiam, patientiam, & reliquas virtutes; ita vt ad noui huius hominis & cęleſtis Adami imaginem ita renouemur, vt de nobis di-

Digitized by Google

cere liceat; a *qualis eſt ſecundus homo de cælo cæleſtis, tales ſunt & cæleſtes;* & qualis porrò eſt Chriſtus, tales ſunt qui illum comedunt. Et quamuis verum ſit, quòd omnes virtutes communicet, ſingulariter tamen cuiuis dat illam, qua ille magis indiget, magiſque deſiderat ac quærit per talem cibum; ſicut *manna*, quod, licèt haberet omnem *ſaporem*, reſpondebat tamen voluntati & guſtatui ſingulorum, ſicut ſuprà obſeruauimus.

II.
Ad eundem modum licet etiam conſiderare, eſſe in hoc Sacramento eundem illum Dominum, qui dixit, b *Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum.* Quod vt perficiat, ingreditur in nos, & tanquam vitis collocat ſe in medio cordis noſtri, vnitque ſibi palmitem animæ noſtræ, & omnes eius propagines, potentias ſcilicet, quibus dat virtutem ad dulciſſimos benedictionis fructus proferendos, pias nimirum cogitationes, affectus feruentes, verba ſancta, & opera perfecta. Neque verò eſt ſolùm *vitis*, ſed etiam *cultor* & *agricola*: *ipſe* enim palmites *putat*, vt fructum afferant; *inſpirat* enim ei, ad quem ingreditur, quid ſit putandum, quid mortificandum; & *auxilium* ad id faciendum *præbet*, vt vnitio conſeruetur, & fructus accipiat ex ea copioſiores. O anima mea, ſiquidem noſti, palmitem à vite abſciſſum non poſſe fructum ferre; & ad nihilum valere vltrà, niſi vt in ignem mittatur, coniunge te cum hac ſuprema vite, quæ eſt Chriſtus: recipe eum intra viſcera tua, reſeca quidquid in te eſt, quod ab eo te ſeparet, vt ab inferni igne liberatus, æternùm ardeas igne amoris eius, Amen.

b *Ioan.* 15.5.

III.
Licet etiam conſiderare, in ſanctiſſimo hoc Sacramento latère Dominum illum, quem S. Iacobus: c *Inſitum verbum* appellat, *quod poteſt ſaluare animas noſtras.* nam per Incarnationem fuit inſitum & vnitum humanæ naturæ (ſicut aliqua fructuoſa arbor inſeritur trunco ſterilis arboris) & in eâ opera edidit plus quàm humana. Hic itaque idem Dominus per huius Sacramenti communionem ingreditur animam meam, & inſeritur illi per gratiam: cumque ego naturâ ſim ſtipes ſterilis, qui non profert niſi fructus amaros peccatorum, dum ipſe in me inſeritur, facit me proferre fructus dulces ac diuinos, non tanquam à me, ſed tanquam ab ipſo illi prouenіant. ſicut ſtipes amygdali amaræ propter d *inſertam* propaginem dulcis, profert amygdala dulcia. O dilecte mi, arbor dulciſſima, de cœlo allata pro ſalute mundi; iam mihi non ſatis eſt dicere, ſicut Sponſa: d *ſub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi: & fructus eius dulcis gutturi meo*: Sed vlteriùs cupio, vt in meipſum ingreſſus, facias me vnum tecum, quò virtute tua dulces proferam fructus ſimiles tuis, qui permaneant in vitam æternam.

Amen.

c *Iacob* 1.21.

D.N per communionem inſeritur animæ.

d *Cant.* 2.3.

PVNCTVM VI.

Cur D N. non ſub ſpeciebus pretioſioris materiæ.

TANDEM ex prædictis omnibus pergam ad conſiderandum, quòd Chriſtus Dominus noſter hoc Sacramentum inſtituerit in ſpeciebus panis & vini potiùs, quàm alterius cibi pretioſioris aut rarioris, vt ita ſignificaret, quàm frequenter eſſet ſumendum; à quibus perſonis, & qua diſpoſitione; & vnitionem atque effectus, quos in ſumentibus operatur.

I. 4 *par. Med.* 13. *pun.* 8. 3.

PRIMVM hac ratione declarauit intimum deſiderium, quo tenetur, exhibendi nobis *quotidie* hoc conuiuium, & vt nos quotidie præparemus, vt eius participes efficiamur. Nam Reges terræ ad ſuam magnificentiam putant pertinere, quòd eorum conuiuia ſint ſumptuoſiſſima, ſed ſimul rariſſima, bis aut ter in anno: Rex verò cæleſtis magnæ quoq; tribuit excellentiæ, vt *conuiuium*, quod ipſe parat, ſit ſplendidiſſimum, ſed ſimul cupit eſſe *quotidianum*, & quidem per totam vitam: & ita inſtituit illud in forma panis & vini, qui cibus eſt quotidianus; vt intelligamus, quòd ſicut corpus, quamuis nullum fuiſſet præceptum datum de conſeruanda vita, neceſſitate tamen & oblectatione trahitur, ad comedendum quotidie panem & vinum, quibus ſe alit: Ita anima, quamuis nullum eſſet præceptum ſuſcipiendi hoc Sacramentum, debet meritò id facere frequentiſſimè, tum ob neceſſitatem conſeruandi vitam ſpiritualem; tum ob delectationem, quam ex hoc cibo percipit; & vt Domino ipſi rem gratam faciamus, qui adeò amanter nos inuitat, iubetque, vt a *panem* hunc *ſuperſubſtantialem* quotidie ab ipſo petamus, quia valde cupit illum nobis dare. Imò vt magis ad illum ſumendũ nos alliciat, etiam nobis minatur: b *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*; nec vitam gratiæ, nec vitã æternæ gloriæ. O Pater amantiſſime, fac me dignum, qui quotidie ſumam hunc *panem quotidianum*: &, ſiquidem deſideras, vt adeo frequenter illum ſumam, adiuua me tua gratia, vt fructum magnum ex eo hauriam.

a *Mat.* 6. 11.

b *Ioan.* 6. 53.

Oratio.

II. c *Luc.* 14. 21.

DEINDE panis & vinum, ſunt *ordinarium & commune alimentum* cuiuſuis generis perſonarum, diuitum & c *pauperum*, magnorum & paruorum: Ita Chriſtus Dominus noſter, qui eſt in hoc Sacramento, vult eſſe alimentum omnium fidelium, cuiuſcunq; ſint ſtatus & conditionis, altioris vel inferioris; quia omnes inuitat, vt apparet in illa parabola Regis, qui fecit cœnam magnam, & inuitauit etiam claudos & cæcos, &c. & grauiter valde tulit, quòd multi ſe excuſarent, vt obſeruauimus in Meditationibus huius parabolæ.

3 *part. Meditat.* 63.

III.

TERTIO ſe coniunxit Chriſtus Dominus noſter cum ſpeciebus pa-

nis & vini, quæ fiunt ex multis granis tritici & botri inter ſe coniunctis; ad ſignificandum, quòd hoc Sacramento non ſe iungat ſpiritualiter, niſi *animabus, charitate* inter ſe ipſas & cum proximis *coniunctis*. Itaque ſicut non poſſunt conſecrari grana tritici aut botri, donec fiant panis & vinum, prædicta vnitione; ita etiam, quamuis Chriſtus Dominus noſter per ſacramentalem communionem ingrediatur in hominem, non coniungetur ſpiritualiter cum illo, ſi eſt diuiſus & diſiunctus, deficiente charitate, quæ illum vniat, & niſi debitè ſe diſponat ad remouenda impedimenta. quod obtinebimus, ſi inſtar frumenti noſipſos contritione molamus & pœnitentia, & ſicut vuas patiamur nos vera humilitate & ſubiectione ab omnibus calcari, propter amorem Dei. Hinc prouenit magna animi fortitudo, ad omnia ſpiritualis vitæ opera, magna animi alacritate perficienda. nam ſicut d *panis* (vt ait Dauid) *cor hominis confirmat, & vinum lætificat*; & quamuis ſint ordinarius cibus, non tamen faſtidium generant, potiuſq; eſſe ſolent tanquam condimentum, dũ alijs cibis miſcentur: Ita etiam panis iſte, & vinũ cæleſte, confortat & lætificat ſpiritum; & quamuis quotidie ſumatur; ſi tamen dignè accipiatur, non generat faſtidium, quin potiùs e *qui edunt, adhuc eſurient; & qui bibunt, adhuc ſitient*, quia continet in ſe f *omnem ſaporem ſuauitatis*, non terrenæ, vt g *manna*, quod *nauſeam attulit filijs Iſrael*; ſed cæleſtis quæ recreat Angelos cæli. O Dilecte animæ meæ, qui tot vijs & modis me prouocas ad fruendũ ſupremo iſto *conuiuio*; ne patiaris, vt inordinato amore bonorũ terrenorum me excuſem, nec ad illud accedam h *ſine veſte nuptiali*, quæ eſt charitas; exue cor meum ab omni amore terreno, & indue Diuino; vt amanter aſſiſtam conuiuio amoris; & per illud eiuſdem amoris perfectionem obtineam, perfecta tecum charitate coniunctus, Amen.

Vnit ſe D N. charitate vnitis.

d *Pſ.* 103.15

e *Eccleſ.* 24 29.

f *Sap* 16.20.

g *Nũ.* 21.5.

Oratio.

h *Luc.* 14.18

MEDITATIO XLIII.

DE SANCTISSIMO SACRAMENTO, QVA pignus eſt & ſignum gloriæ, quam ſperamus.

CVPIENS *Deus Dominus noſter dare nobis aliquod* ſignum, & pignus gloriæ, *quam nobis promiſit, ad noſtram conſolationem, & fiduciæ noſtræ ſecuritatem, inſtituit hoc ſanctiſſimum Sacramẽtum, in quo omnia concurrunt, quæ ad eum finem poſſint deſiderari, vt in ſubiectis punctis patebit.*

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM primò, quòd hoc ſanctiſſimum Sacramentum

ſignum

Digitized by Google

Cur pignus Euchariſt. & quale.

ſignum ſit & *pignus gloria* nobis *promiſſa*; quia in ſe includit rem pretioſiſſimam & dilectiſſimam, quam Deus habet; cuius valor eſt infinitus, & valet tantum, quantum ipſamet gloria, quam nobis promiſit: ſicut inter homines, vt ſolutio debiti ſit ſecurior, certumq́ue ſit, quod qui aliquid promiſit, illud implebit, aliquod ſignum & pignus tradit pretioſum, aut rem magni pretij, & quàm valdè amet qui promiſit, ſitque maioris aut ęqualis valoris cum re, quæ poſtea eſt reddenda. Hoc poteſt expendi, diſcurrendo per tres diuinas perſonas, quæ hec pignus tradunt; & per ipſummet pignus.

I. Pater æternus. a 1. Mach. 13. 16.

PRIMVM non potuit PATER AETERNVS dare nobis pignus pretioſius, & quod plùs amaret, quàm ipſum *filium ſuum*, qui æquè eſt bonus atque ipſe. quomodo Reges & Principes, vt pacem & inducias reddant ſecuriores, aut ingens aliquod debitum; ſolent proprium a *filium* natu maiorem *obſidem* dare. Et quandoquidem in hoc Sacramento dat nobis *filium ſuum vnigenitum* Ieſum Chriſtum, obſidem gloriæ, dedit ergo nobis ſummum quod potuit, non ſolùm vt pignus eius, ſed etiam reliquorum omnium, quæ nobis promiſit, adeo ſecuros nos reddens, quod eſt ex

b Rom. 8. 32.

parte ſua, atque ſi iam illa nobis dediſſet, iuxta illud Apoſtoli; b *qui etiam proprio ſuo filio non pepercit; ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit!* quaſi diceret; qui filium ſuum dedit mihi Redemptorem, & in cibum dat; nunquid non dabit ſuam gratiam & gloriam, & reliqua omnia, quæ mihi promiſit! Adeò ſum certus, quòd mihi illa ſit daturus, quod eſt ex parte ſua, atque ſi iam illa dediſſet. Quia

Oratio.

in hoc dono includuntur reliqua, quę mihi eſt daturus. Gratias tibi ô Pater amantiſſime pro tali *pignore*, quod mihi præbes ſaluationis & perfectionis meæ, oro ſupplex DEVS meus, ne, quod eſt adeò certum ex parte tua deficiat ex mea; ſed iuua me, vt fructum capiam ex *pignore* mihi oblato ad conſequendam rem ipſam mihi promiſſam.

II. Filius Dei.

DEINDE ipſemet FILIVS DEI Saluator noſter non potuit nobis dare maius pignus, quàm ſeipſum in hoc Sacramento occultatum, In quo continentur omnes *tituli* & *rationes*, quas adferre poſſumus pro noſtra ſalute; ſicut qui promittit grande aliquod ius primogenituræ, & pro pignore dat priuilegium, ſeu inſtrumentum, in quo illud fundatur.

c Heb. 2 11. d Coloſ. 1. 15. d Rom 8. 29.

Nam Dominus, qui hîc eſt, c *eſt frater noſter* d *primogenitus* & vnicus æterni Patris, & hæres cœli: qui factus eſt homo, vt ait Apoſtolus, ad eos ſaluandos, qui erant ad gloriam prædeſtinati; per quem conſecuturi ſunt finem ſuæ prædeſtinationis; & qui ſanguinis ſui pretio comparauit nobis cælum, reſerans eius portas, vt eò ingredi poſſimus, per media, quæ ad id nobis offert.

Si itaque hoc totum eſt hîc incluſum, quod maius pignus dare potuit

Digitized by Google

ad ſecuritatem obtinendi cælum, quod nobis comparauit & promiſit?

DENIQVE Pater & Filius non poſſunt nobis dare maius inuiſibile pignus gloriæ, quàm ipſum SPIRITVM SANCTVM; de quo Apoſtolus dicit, quòd ſit e *pignus hæreditatis noſtræ* cæleſtis. quod f pignus, vt idem Apoſtolus ait, *dedit in cordibus noſtris*, ad ſecuritatem promiſſorum eius. ad hoc enim venit in hunc mundum, & etiamnum manet in hoc ſanctiſſimo Sacramento. Quare in eo habemus duplex pignus gloriæ maximum, quod eſſe poteſt; *alterum* viſibile, ipſum videlicet ſanctiſſimum Sacramentum, in quo eſt ipſe Chriſtus Dominus, verus Deus & homo; *alterum* inuiſibile, ipſe videlicet Spiritus ſanctus, qui per idem Sacramentum nobis datur. O Trinitas beatiſſima, innumeras ago gratias; ob talia pignora ſupremorum tuorum promiſſorum nobis relicta. Satis oſtendis Domine, te fidelem eſſe ſolutorem, cui graue non eſt tanta & tanti momenti pignora ad nos aſſecurandos tradere. Exulta, anima mea, cùm talia habes pignora: gaude ea ſpe, quæ illis innititur; ſtude eum glorificare, eique ſeruire, qui tradit ea, quò ad promiſſam gloriam poſſidendam peruenias, Amen.

III. Spiritus Sanctus. e *Eph.* 1. 14. f 2. *Cor.* 1. 22.

Oratio.

PVNCTVM II.

DEINDE conſiderandum, quòd hoc ſanctiſſimum Sacramentum Ita ſit pignus *promiſſæ* nobis *gloriæ*, vt ſit etiam medium efficaciſſimum & potentiſſimum ad eam aſſequendam: ex quo prouenit etiam, vt ſit pignus certiſſimum; quia nullum eſſe poteſt certius ad finem aliquem conſequendum, quàm quòd idem ſit medium efficaciſſimum, quo ille obtineatur.

Euchariſt. medium ad gloriam impetrandam.

I.

QVOD ad gloriam reipſa conſequendam eſt neceſſarium, eſt *venia* præteritorum peccatorum; *præſeruatio* à futuris, & *alimentum* acceptæ gratiæ, cum perſeuerantia in ea vſque ad mortem. In his omnibus eminet hoc ſanctiſſimum Sacramentum, ob Chriſti Domini noſtri in eo *præſentiam*. nam etſi Baptiſmi & Pœnitentiæ Sacramenta remittant peccata; hoc tamen *remiſſionem* illam plurimùm confirmat; quia ipſemet Rex, qui peccatum dimittit, admittit nos ad ſuam menſam, in ſignum certum, quòd ea nobis remiſerit. PRAESERVAT nos etiam à culpis, quia propenſiones carnis refrænat contra Dæmonis tentationes, animum corroborat, & nos præuenit aduerſus omnia huius mundi pericula. ALIT deniq; *nutritq;* vitam gratiæ, ſicut cibus vitam corporis; idq; facit adeò efficaciter, vt etiam ipſum gratiæ augmentum, quod dedit, poſſit vſque ad vitam æternam conſeruare. Hoc totum innititur *promiſſioni* Chriſti Do-

Digitized by Google

a Ioan.6.50. mini noſtri dicentis; a *Hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo mãducauerit, non moriatur. Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Quibus verbis ſecuros nos reddit, quòd hic Diuinus panis (ſicut etiam ſuprà inſinuauimus) virtute ſua cæleſti liberet nos ab omnibus, quæ vitæ æternæ aduerſantur; quia liberat nos *à morte prima*, quæ eſt culpa, &
b Apoc.2.11 à b *morte ſecunda* animæ, quæ eſt damnatio, & ſuo etiam tempore liberabit *à morte corporis* in reſurrectione. Concedit verò nobis præterea quidquid eſt vita æterna, quia nobis dat vitam gratiæ, quam ad finem vſque conſeruat; ac demum dabit etiam vitam gloriæ, qua fruitur anima; & in fine mundi dabit etiam vitam glorificatam, qua fruetur corpus.

Oratio. HORVM omnium pignus habemus in hoc ſanctiſſimo Sacramento, quia ad ea omnia præbet virtutem, atque robur comedenti ea frequentia
c Apocal.22 2. & reuerentia, quâ oportet. O c *lignum vitæ*, poſitum in medio Paradiſi Dei, in *ſignum*, & pignus *immortalitatis*, & *vitæ æternæ*; da mihi, vt comedam tuum dulcem fructum, qui animam meam ab omni mortis genere præſeruet, largiatur verò omne genus vitæ. O anima mea, ſi vitam æternam deſideras, cum Spiritu comede hunc *cibum*, qui pignus eſt & cauſa eius. O corpus meum, ſi ad beatam vitam cupis reſurgere; manduca pretioſiſſimam hoc *corpus*, quod eſt certum pignus tuæ reſurrectionis & vitæ glorioſæ, quę tibi eſt promiſſa.

II. Præſentię D.N. in nobis effectus. VERVM vlteriùs adhuc pergit excellentia huius pignoris, quia *præſentia* ſua efficit aliquid in nobis, quod eſt *pars æternæ vitæ*, & tanquam radix & fons eius, cum qua ſit æternùm permanſura; eſtque impoſſibile vitam æternam ei denegari, qui illud habuerit: eſt autem *ipſa vnitio* cum Chriſto Domino noſtro, *media* eius *gratia*, & *charitate* Spiritus ſancti,
d Ioan.4.14. Lect. 5. illud Ephef. 1. 14. Arrha hereditatis noſtræ. quæ d *fons eſt aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam.* Et (vt aduertit S. Thomas) non ſolùm eſt *pignus* noſtræ hæreditatis, ſed etiam *arrha*. nam pignus ſolùm datur, donec ipſa ſolutio fiat, & tunc redditur ſoluenti: at arrhæ dantur in perpetuum: ita Sacramentum altaris, & donum fidei ac ſpei, non ſunt niſi pignus gloriæ, quod durat tempore huius vitæ tantùm; ac vnio cum Chriſto, quę fit in ipſo ſacramento, & vnio cum Spiritu ſancto, quæ fit per caritatem, eſt arrha gloriæ, quæ durabit per totam
e 1.Cor. 3. 8. æternitatem, niſi nos ipſi deſimus; quia e *charitas numquam excidit*; &
f Ioa.14.16. f *Spiritus ſanctus manet nobiſcum in æternum.* O dulciſſime animarum iu-
Oratio. ſtarum Sponſe, qui loco arrhæ tradis te ipſum, eas tibi coniungens vnitione charitatis; quamuis anima mea digna non ſit ſuprema iſta excel-

lentia,

Digitized by Google

lentia, ne tamen, quæſo, illam ab ea excludas, propter infinitam tuam miſericordiam.

PVNCTVM III.

TERTIO conſiderandum, hoc Sacramentum eſſe *pignus gloriæ*, quatenus eſt quoddam excellentiſſimum conuiuium, in quo idem nobis Deus proponit hîc comedendum & bibendum, quod offert in ipſa gloria, conditum tamen & accommodatum *ſtatui* noſtro, qui ſtatus eſt *viatorum*; occultatum videlicet & ſpecierum velo coopertum.

Quomodo ſe Deus offerat hîc.

I. Vt Beatos in cœlo, ſic filios ſuos in terra cõuiuio cœleſti recreat.

CIRCA quod perpendam, quòd Chriſtus Dominus noſter (iuxta id quod promiſit ſuis Apoſtolis) habet in cœlo omnes beatos ad ſuam a *menſam ſedentes; vt in ea edant & bibant* in ſolemniſſimo conuiuio, in quo cibus qui proponitur, eſt propria ipſius *diuinitas & humanitas*, quam videntclarè: & ſic omnia ſua deſideria explent, & inebriantur vino amoris beatifici, bibentes ex illo torrente ampliſſimo deliciarum cœleſtium. in quo conuiuio ipſemet Chriſtus (teſte S. Luca) b *præcingit ſe, & faciens illos diſcumbere, miniſtrat illis*, quia ipſemet dat illis hoc præmium iuſtitiæ; *præcingit* ſe tamen, eò quòd ſit adeo infinitus, vt nemo poſſit apprehendere aut videre niſi præcinctum, & commenſuratum meritis ipſorum. Hinc deſcendam ad perpendendum, quòd Deus hic infinitus, qui facit hoc conuiuium in cœlo, memor filiorum, quos habet adhuc in terra; ſtrictiùs adhuc ſe *præcingit*, vt illos inuitet, conſtituens ſe totum, diuinitatē ſcilicet & humanitatē ſub his panis & vini accidentib. adeò exiguis & anguſtis, vt *oculis* tantùm *fidei* præſentem illum videamus; & intra nos ipſos recipientes, impleat ille noſtra deſideria, ſicut hîc expleri poſſunt; & nos inebriet vino ſui amoris, dans delibandam ſuauitatem deliciarum ſuarum. quod totum tanquam pignus nobis præbet, cum ſpecius, quod poſtea eſt nobis in plena poſſeſſione daturus. Quamobrem immenſas illi gratias agam, deſiderans ex intimo corde meipſum præcingere, mortificare, & ſtringere, vt illi aptiùs ſeruiam. ſiquidem ipſe adeò ſe præcingit, vt mihi indulgeat. O dilecte mi, ſi tu exiſtens in latiſſimo Cælo, deſcendis in terram, vt te conſtringens, mihi magis indulgeas; quid magnum eſt, ſi ego à terra aſcenſurus in Cælum, conſtringam me obſequij tui cauſa! Auge Domine mihi fidem, vt ita conuiuio delecter, quod mihi exhibes in hac vita, vt perueniam ad fruendum illo, quod mihi promittis in futura, Amen.

a *Luc.* 22. 30
b *Luc.* 12 37.

Oratio.

II. Petite & accipietis panem &c.

HOC Spiritu meipſum excitabo ad vitam quandam Cæleſtem inſtituendam, vt efficiar dignus hoc *conuiuio*, in quo idem omninò mihi

proponitur, quod exhibetur in Cælo. propterea enim Chriſtus Dominus noſter in precatione Dominica, priùs iuſſit petere: c *fiat voluntas tua, ſicut in Cælo & in terra*, vt mox peteremus *panem hunc* noſtrum *ſuperſubſtantialem dari nobis hodie*; hac ratione nos inſtruens, quòd qui dignè ſit hunc panem comeſturus, debeat ad illam puritatem aſpirare, quæ eſt in Cælo, implens videlicet hîc Dei voluntatem, ſicut impletur in Cælo.

c Matt. 6.9.

III. Euchariſtia viaticum ad alteram vitam.

Denique ex his colligam, quòd hoc Sacramentum, cùm ſit pignus gloriæ, & initium conuiuij, quod exhibetur in Cœlo, ſit verè *viaticum* ad tranſeundum ex hac vita in alteram; quod ſuſcipiendum eſt in eo periculo fide magna, atque fiducia. nam vt Elias d *in fortitudine cibi illius*, quem Angelus illi dederat, *ambulauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Horeb*: ita ego in virtute & fortitudine Diuini huius *panis* hoc iter ſecurus perficiam, vſque ad *montem gloriæ*. Quo verò in illo tranſitu panem hunc fructuosè accipiam, expediret aſſueſcere, vt quotieſcumque ad communionem accedo, eo Spiritu me diſponam, atque ſi pro *viatico* ſumerem: cogitans fortè illam communionem fore vltimam vitæ meæ; ſequens etiam in hoc Sapientis conſilium dicentis: e *quando ſederis, vt comedas cum Principe*, in hac ſcilicet menſa, *ſtatue cultrum in gutture tuo*; quaſi diceret; ita comede hunc panem, atque ſi iam haberes cultrum ad guttur tuum, & in proximo eſſes, vt exſpirares. Et propter hanc cauſam Chriſtus Dominus noſter inſtituit hoc Sacramentum nocte ante ſuam paſſionem; vt etiam ſignificaret (quod ſuo loco obſeruauimus) hunc cibum corroborare animam ad patiendum & moriendum, & ad tranſitum ex hac vita ad futuram.

d 3. Re. 19.8.

e Pro. 23. 2.

Oratio.

O Redemptor dulciſſime, qui in tuo ex hoc mundo diſceſſu Apoſtolis tuis dixiſti: f *Iterum veniam ad vos, & accipiam vos ad meipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis*. Veni quæſo ad viſitandum animam meam per *gratiam & præſentiam* venerabilis huius Sacramenti; cuius virtute deduc me ad locum, vbi tu es, vt ibi videam quod modò credo; & poſſideam quod ſpero, fruens Diuina tua præſentia, Amen.

f Ioan 14.3.

(***)

MEDITATIO XLIV.

APPLICANTVR QVINQVE ANIMAE SENſus ad Sanctiſsimum Sacramentum.

MODVS *hic orandi per applicationem ſenſuum* (de quo in ſecunda Parte egimus) *eſt vtiliſsimus circa Sanctiſsimum Sacramentum: remotis videlicet quinque corporis ſenſibus;& excitatis ijs quos habet anima. Aliquid ad hanc rem tetigit S. Bonauentura in ſuo tractatu de ſeptem itineribus æternitatis, ſicut diximus* in §.11. Introductionis huius operis; *ſed tamen hic alium quendam modum ponemus omnibus faciliorem.* *Medit. 26.* *Itiner. 6. Diſt. inſt. 6.*

PVNCTVM I.

PRIMVM erit, interno animæ aſpectu fide illuſtrato aſpicere quidquid eſt obiectum huius aſpectus circa hoc Sacramentum,& ex eo varios concipere *affectus*,quos ei videro accommodatos.

PRIMVM enim aſpiciam quantitatem, colorem, & figuram panis & vini,ſeparata à ſua ſubſtantia, quam Deus ſuâ omnipotentiâ deſtruxit, cuius loco ſubſtituit ſuum corpus & ſanguinem; & actu exercens hanc fidem *captiuabo* meum *intellectum*,vt hoc credat, negans iudicium, quod à ſenſibus procedit, & confitens, quòd poſsit Deus ſua omnipotentia plus facere,quàm ex illis noſtra ratio poſsit percipere. Dicam itaque: credo, quòd quamuis videam colorem panis,& percipiam odorem, & ſaporem panis; non ſit tamen hic ſubſtantia iſta panis; quia fides hoc docet, & ita Deus reuelat. I. In Euch captiuandus intellectus

Mox aſpiciam eodem interno aſpectu maieſtatem Chriſti Domini ibi exiſtentis,adeò *integri* & *glorificati*, atque exiſtit in Cælo. Aſpiciam ſacrum eius *caput* corona gloriæ exornatum; Diuinum eius *vultum* radijs immenſi ſplendoris; *manus, pedes,& latus* cum pulcherrimis *vulneribus*, quę in illis ſunt,totumq; ue eius corpus incomparabiliter ſplendidius ſole,ſpecioſiſsimum ſuper filios hominum. Altiùs poſt à aſcendens,aſpiciā,quòd ipſe ſit Deus, a *ſplendor gloriæ Patris,& figura ſubſtantiæ eius*, tam infinitæ pulchritudinis, vt omnes clarè ipſum videntes faciat beatos. Ergo quem hac ratione cogitatum, modò concipiam affectus reuerentiæ & humilitatis,demittens oculos à conſpectu tantæ maieſtatis; & meipſum in eius præſentia contrahens: Modò eliciam affectus gaudij ac lætitiæ, quòd cū videam elegantem adeò,& reſplendentem, & ita prope me. Aliàs pro- II. Chriſtus in Euch. oculo interno aſpiciēdus. *a Heb. 1. 3.*

Digitized by Google

rumpam in affectus laudis & actionem gratiarum, quòd voluerit ſe illic collocare cum tota ſua gloria & maieſtate.

III. Coniunctio maximi cum minimo.

Oratio.

Tertio aſpiciam *coniunctionem* illam *externæ* panis *ſpeciei*, cum ipſa Chriſti *maieſtate*; obſtupeſcens vehementer, quòd videam ſimul coniuncta duo extrema adeò diſtantia, alterum adeo paruum & vile, qualia ſunt accidentia panis & vini; alterum tam grande & altum, qualis eſt homo & Deus ſimul, qui tegit magnitudinem ſui ſplendoris velo abiectæ adeò creaturæ; quo me prouocat ad imitationem eiuſmodi humilitatis. O dilecte mi, qui in hoc Sacramento viſibili manes modo inuiſibili; *videam* te ego *fide*, & reuerear tuam magnitudinem, atque ſi te clarè viderem; ſiquidem idem ipſe es in Sacramento, & in Cælo; & æquè dignus reuerentiâ & amore in alterius vilitate, atque in alterius celſitudine.

Pvnctvm II.

Auditus animæ.

Secvndvm erit *internæ animæ* Avditv percipere, quæ Chriſtus Dominus noſter mihi dicit, exiſtens in ipſo Sacramento; cogitans, quòd inde mihi ad cor loquens, varia dicat, quæ ſint è re mea.

I. Inuitat. a Pro. 9.5.

Cogitabo itaque interdum, quòd me ad ipſum comedendum inuitet, vtens verbis illis Sapientis: a *venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis. Relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ.* Quibus verbis inuitat, vt accedamus & ſumamus ipſum in hoc Sacramento, ſed reiecta priùs infantia huius vitæ; quia cibus eſt grandiũ & eorum, qui cautè prudenterque vitam ſuam inſtituunt. Et eodem modo licet cogitare, quòd mihi dicat illud Canticorum; b *comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi*; & illud Iſaiæ, c *Omnes ſitientes venite ad aquas, audite audientes me* (attenta ſcilicet auditione) *& comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra.* Vnde concipiam deſideria illum ſumendi, obediendo eius *voci*, eíque dicendo: vnde mihi Domine, vt me ad menſam tuam inuites? ego accedo, quia tu ita iubes. loquere quæſo mihi, dum comedo, vt cor meum liqueſcat amore tui.

b Cant. 5.1. c Iſaiæ 55.1.

II. Hortatur. d Matt. 11.29.

Alias cogitabo, quòd inde me exhortetur ad ſui imitationem, dicẽs; d *diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*: diſcite à me humiliari, & vos occultare, & mutua charitate adinuicem inuitare.

III Et Angeli inuitant. e Matt. 25.7

Alias aſpiciam, quòd Angeli, qui ſuum Dominũ ibi circundãt, mihi dicant; e *ecce ſponſus* veſtrarum animarum *venit, exite obuiam ei* cum *accenſis lampadibus*, affectibus ſcilicet, & accenſis deſiderijs, eidem vos perpetua charitate coniungendi.

IV. Inſpirationes aduertite. f 1. Reg. 3.9.

Deniqve poſtquam diuinum Sacramentum accepero: dicam ei illud Samuelis: f *loquere Domine, quia audit ſeruus tuus*: & attendã diligenter

ad

Digitized by Google

ad inſpirationes,quas mihi ſuggerere dignabitur;vt audiens,promptè illis obediam,dicens illud Dauidis, g *Audiam quid loquatur in me Dominus*, qui eſt intra me,ſcio enim quòd *loquetur* verba *pacis* & vitæ æternæ. g *Pſal.*84.9

PVNCTVM. III.

TERTIVM erit interno animæ ODORATV percipere odorem & fragrantiam Chriſti Domini noſtri in hoc Sacramento; qui in Sacro Miſſæ offert ſeipſum æterno Patri *hoſtiam* & *Sacrificium,in odorem ſuauitatis.* ô quàm ſuauiter olet æterno Patri hoc Sacrificium, quod eius placat iram! O quàm eſt potens eius odor,ad diſsipandum & annihilandum fœtorem omnium peccatorum, & criminum totius mundi! O Pater ſupreme, cui adeò eſt gratus ſuauiſsimus huius ſacrificij odor, dimitte mihi propter illum grauia peccata mea; iramq́; tuam placa, quam contra me habes propter illa. I. Odoratus animæ.

DEINDE odorem quoque percipiam virtutum ſanctiſsimi huius Sacramenti.nam vt ſuccinum,Balſamum,& res aliæ odoriferæ,frangrantia ſua confortant non ſolùm eas contingentem,ſed alios etiam,qui ſunt aliquantum remoti; ita huius Sacramenti *odor* non ſolùm ſumentem confortat,ſed etiam aſpicientem,& adorantem,& ſumere cupientem. Et ſicut idem Dominus dixit: a *Vbicunque erit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ,* attractæ ſcilicet ab eius odore, vt illud comedant, & carnibus eius nutriantur: Ita *animæ*,quæ *aquilarum inſtar* in oratione & contemplatione *volant*, percipientes ſuauiſsimum corporis Chriſti odorem, ad illud accedunt,vt comedant,& pretioſiſsima eius carne alantur. O caro IESV fragrantiſsima, conforta me odore tuarum virtutum, fac me percipere fragrantiam tuæ charitatis: b *trahe me poſt te odore vnguentorum tuorum*; vt tibi perfecti amoris vnitione coniungar. II. Odor virtutum V. Sac. a *Matth.*24.28. Oratio. b *Cant.*1.3.

PVNCTVM IV.

QVARTVM erit interno animæ GVSTATV percipere primùm, quantoperè Chriſtus oblectetur,exiſtens in Sanctiſsimo hoc Sacramento,& in quauis *hoſtia*,quamuis illa collocetur in vili & abiecto loco,& quantum delectetur,cùm piè ſumitur. Reliqui cibi, quia mortui ſunt,delectant quidem comedentem,ſed non ipſi delectantur:at hic Diuinus *cibus*, quia eſt *panis viuus*, plurimùm delectatur, cùm comeditur, & ampliùs ipſe deſiderat ab hominibus comedi,quā ipſi deſiderent illū comedere O panis vitæ;gratias tibi,quòd adeò delecteris, quòd noſter ſis cibus & nutrimētū;purga quæſo guſtatū animę meę, vt ita dulciſsimo tuo I. Guſtatus animæ. Oratio.

ſapore

ſapore afficiatur,teq; recipiendo ita recreetur,ſicut tu,dum ſumeris,recrearis.

II. Suauitas. DEINDE percipiam *ſuauitatem* Chriſti in hoc Sacramento,attendens, quòd dignè ipſum recipientibus impertiatur *ſaporem* quendam *diuinitatis*,multò magis varium ac dulcem,quàm Manna,habet enim ſaporem ciborum omnium ſpiritualium,& ſapit omnes virtutes,idque tanta ſuauitate,vt res omnes etiam amariſsimas huius vitę dulcoret;quare in mortificationis & aliorum operum ſtudioſorum exercitatione cogitabo, dici mihi illud Pſalmi: a *Guſtate & ipſa experientia videte,quàm ſuauis eſt Dominus.* O dulciſsime IESV,quàm es *dulcis* te amantibus, & cum amore ſumentibus! ô fons dulcedinis,qui delibandum te copioſiſsimè tradis, per duplicem iſtam fiſtulam duarum ſpecierum Sacramentalium;imple animam meam ſuauitate tua ſuprema, vt omnem ego reijciam terrenam.

a *Pſal.*33.9. Oratio.

PVNCTVM V.

I. Tactus internus. QVINTVM eſt, interno TACTV tangere ſpiritualiter, & ſuo tempore etiam corporaliter hoc Sacramentum, à cuius *tactu* procedit *virtus ad ſanandum*,viuificandum, exhilarandum, ac perficiendum eos omnes, qui debitè illud tangunt: ſicut olim a *ex veſtibus ipſius Chriſti* Domini noſtri *virtus exibat,ad ſanandum fluxus ſanguinis*,& alias infirmitates,eas b *tangentium*,vt in tertia Parte dictum eſt.

a *Matt.*4.23. *Marci* 5.30. b *Luc.*6.19

II. Oſculari, &c. ALIAS cogitabo, quando labijs meis accedo ad ſumendam *hoſtiam* conſecratam, quòd ſumma reuerentia & tremore dem oſculum Chriſto Domino noſtro; idemq; recipiam benigniſsimè dulciſsimo eius ore; dicens illud Canticorum, c *Oſculetur me oſculo oris ſui; quia meliora ſunt vbera tua vino,fragrantia vnguentis optimis.* O Saluator dulciſsime, da mihi d *pacis oſculum*; pacificans me cum Patre tuo! O Sacramentalis panis & vini ſpecies,quæ eſtis tanquam *pectus dilecti mei*, plenum lacte deliciarum cœleſtium,quæ multò ſunt pretioſiores vino voluptatum terrenarum; tangite,& ſatiate me lacte iſto veſtro, vt omnis mihi caro deſipiat.

c *Cant.* 1. 1. Oratio. d *Ioan.*20.20

III. Vulnera attingere. INTERDVM exacuam fidem, ad credendum & videndum per eam ſacratiſsima Chriſti Domini noſtri *vulnera*; tangens meo ſpiritu pedes, manus,& latus eius, inſtar illius,qui accedit ad bibendum aquam & ſanguinem,quæ ab ipſo latere profluxerunt:& viua fide illa tangens, exclamabo cum S.Thoma,e *Dominus meus, & Deus meus.* O Deus animæ meæ, vulnera cor meum ſagitta charitatis,per *vulnera*,quæ in ſacro tuo corpore ſuſcepiſti; extingue ſitim animæ meæ,per *ſanguinem & aquam*, quæ ex tuo latere fluxerunt:ablue me aqua illa, purifica me, accende, & perfice

e *Ioan* 20. 28. Oratio. De V. vulneribus.

Digitized by Google

me. fac mihi poteſtatem ſpiritu ingrediendi intra glorificata iſta vulnera;& ſiquidem tu cum illis in me habitas, ego cum tota anima mea volo intra illa,& intra te habitare,& me tibi coniungere amoris vnitione, donec ſim vnum tecum in æterna gloria, Amen.

MEDITATIO XLV.

PRO SOLEMNITATE SANCTISSIMI SAcramenti: & pro peragendis cum Spiritu Proceſsionibus huius diei, & eius Octauis.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM primò, quòd Chriſtus Dominus noſter in hoc Sacramento veniat in noſtram terram, ad renouanda quæ fecit, cùm in ea verſaretur.

PERPENDENDVM ergo eſt primùm, quomodo Chriſtus Dominus, cùm in terris degeret, deambulauerit per omnes plateas & *fora* Iudææ & Galilææ,& per Synagogas & priuatas *domos*,& in ipſo *templo* Ieroſolymitano, benè faciendo omnibus. ſic enim S.Petrus ait de eo, a *qui pertranſijt benefaciendo,& ſanando omnes oppreſſos à Diabolo, quoniam Deus erat cum illo,* non ſolùm per gratiam, ſed per vnitatem perſonæ; & bonum quod faciebat, erat in omni genere rerum, exercens varia officia, quæ ſuprà retulimus; ita vt quocunq; iret, veſtigia relinqueret ſuæ diuinitatis & omnipotentiæ; immenſæ charitatis & miſericordiæ. I. Chriſtus per omnes tranſitus ſanat, &c. a *Actuum* 10 38.

EADEM ratione cogitabo, quòd Chriſtus Dominus noſter in ſanctiſſimo hoc Sacramento *ambulet*, ac *diſcurrat* per templa, fora, & plateas Chriſtianorum, *benè faciendo omnibus*, qui viua fide Deum accedunt; cõfitendo illum, adorando,& toto corde laudando. Nam & nunc Sanctiſſimum hoc Sacramentum pertranſit benefaciendo & ſanando oppreſſos à diabolo; quoniam Deus eſt in eo,& ita communicat illis omne genus bonorum, cum ſplendoribus cœleſtis ſuæ lucis, & inſpirationibus diuini ſui Spiritus, docens eos tanquam *Magiſter*; ſanans tanquam *medicus*, parcens ſicut *Saluator*,& paſcens tanquam *Paſtor*, proprio ſuo corpore & ſanguine. Et quamuis hæc omnia copioſiùs illis largiatur, qui ipſum ſumunt, aliquam tamen partem etiam illis impertit, qui fide viua ipſum aſpiciunt, adorant,& glorificant. II. In SS Sacramento idẽ facit.

HOC ergo Spiritu comitari ipſum debeo in *proceſsionibus*, ſicut fuiſſem III.

comitatus,cùm ille viueret in carne mortali,ſi habuiſſem eam fidem,quã nunc habeo;ſicut plebs deuota comitabatur illum, & ſequebatur Saluatorem,vt eius dulci ſocietate frueretur.

Oratio ad S.Euch. O dilecte mi, gratias tibi propterea, quòd ita ex inſtituto volueris nobiſcum manere: qui etſi tuam habitationem habes in Cœlis,*lætitia* eos replens;vis tamen etiam in terra noſtra manere,implens fora eius & plateas tua *miſericordia*.Siquidem ergo tam es potens ſub iſto velo, atque es in ipſo Cœlo,& antea eras in terra; veni nunc ad pauperem hanc animæ meæ habitationem; deambula per omnes eius potentias & ſenſus, benefaciendo omnibus,vt omnes tibi ſeruiant,& ęternùm glorificent. Amen.

PVNCTVM II.

I. Ingreſſus D.N. in Spiritalem Ieruſalem. a *Matt.*21. b *Ioan.*12.

DEINDE conſiderandum,quòd velit Chriſtus Dominus ſpiritualiter nunc renouare ſolemnem illum ingreſſum in Ieruſalem, in die Palmarum.tunc enim ingreſſus eſt Ieruſalem a *manſuetus*,& humilis, *ſedens ſuper aſinam,& pullum filium ſubiugalis*; ad quem excipiendum exijt *plurima hominum turba*, quia magno applauſu in proceſsione illum ducebant,& *ſternebant veſtimenta ſua in via*, vt per illa tranſiret;*alij autem cædebant ramos de arboribus,& ſternebant in via*; b *alij accipiebant ramos palmarum,& omnes clamabant dicentes: benedictus qui venit in nomine Domini*, b *Rex Iſrael*,a *hoſanna in altiſsimis*.

Quem adeò ſolennem ingreſſum fecitChriſtus Dominus,tum vt oſtẽderet,quanta animi ſui voluptate (quantum erat in ſe) inter illos maneret,etiamſi multi illum perſequerentur & malè haberent; tum etiam vt eius Diſcipuli,& plebs deuota,externa illa ſigna fidei, amoris, ac pietatis

*P.*4. *Med.*3. & deuotionis erga ipſum darent.Et ob alias denique cauſas,quas ſuo loco poſuimus.

II. Pompa externa Eccleſiæ.

EADEM nunc ratione vult ipſe deferri per plateas, & fora Eccleſiæ, ingenti *pompa* & *maieſtate*.Eſt ipſe in hoſtia ſacra manſuetus, humilis, & velo illo coopertus,ac nube leui accidentium panis; omnes tamen fideles & Eccleſiæ Principes honori ſibi ducunt,ſi illum comitentur, exornãtes plateas ramis,& pretioſis periſtromatis,portantes faces & luminaria,adhibitis cantoribus,& varia muſica lætitiæ, celebrantes eius in mundum aduentum maxima *pompa* & *honore externo*, qui poſsit ei in terra exhiberi. Propter quæ omnia, & lætari & exultare debeo: ſi enim de honore illo gaudeo, exhibito eidem Domino in die Palmarum, quamuis eius exitus fuerit maior ignominia; quantò magis exultare debeo ob honorem,quem omnes nunc ei deferunt, qui dirigitur ad maiorem eius gloriam?

Digitized by Google

Mox perpendam, quòd Chriſtus Dominus noſter ſolemnē hanc pompam ita diſponat, vt nobis aperiat, quàm libenter nobiſcum maneat; & ſe nec defatigatum eſſe, nec tædio affectum, quamuis multa ſint propter quæ ſic affici poſsit; cùm apud multos peccatores malè ſæpè habeatur, qui indignè communicant, aut Sacrum Miſſæ indecenter offerunt. Et quamuis meritò de huiuſmodi illata ipſi iniuria dolere debeam; laudabo tamē illum ſimul, eò, quòd non idcircò cum peccatoribus eſſe defatigetur, quò iuſtis & pijs benefaciat. III. Libenter nobiſcum manet neq; defatigatur

Ex quo magnum concipiam deſiderium, vt omnes cum magno ſpiritu ita has proceſsiones celebremus, vt ipſe Chriſtus Dominus noſter honore hoc, quo illum proſequimur, valdè delectetur. neq; enim ſatis ſibi eſſe exiſtimat habere nudam iſtam & externam pompam, quæ caret Spiritu & pietate interna. O dilecte mi, ſi oēs ſterneremus veſtimenta noſtra ſuper terram, ponentes omnia noſtra ad pedes tuos, vt pro libitu de illis ſtatueres! Vtinā oēs profunda humilitate ſe in terram proſternerent, permittentes ſe ab omnibus humiliari & calcari; vt tu ab omnibus exaltareris ac glorificareris: Vtinam omnes, palmas in manibus geſtantes, te comitaremur, obtentis, de hoſtibus noſtris, glorioſis victorijs, quarum gloriā tibi ſoli tribueremus: Vtinam omnes magno te Spiritu laudarēt, & gloriā tibi darent, ob continuas victorias, quas refers quotidie per ſanctiſsimū hoc Sacramentum, deſiderantes, totum mundum earum eſſe participē. lauda, anima mea, & glorifica hunc Dominū, quando eū comitaris, aut eius præſentiæ aſsiſtis, coniungens canticum Seraphinorum cum illo altero Hebræorum, dicens cum magno ſpiritu: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, pleni ſunt Cœli, & terra gloria tua, Hoſanna in excelſis; benedictus qui venit in nomine Domini Hoſanna*, ſalua nos, *in excelſis*. Amen. IV. Pompa ſine Spiritu caſſa. Excitatio animæ. *Eccleſia in præfatione Miſſæ.*

Pvnctvm III.

Tertio eſt conſiderandum, Patrem æternum his adeò honorificis *proceſsionibus* velle reddere præmiū in terris, ignominioſis illis profectionibus, quas habuit filius eius Dominus noſter in nocte & die ſuæ paſsionis per plateas, & fora Ieruſalem.

Perpendendvm ergo, qua ratione tunc ab *horto Gethſemani* iuerit ad domum Annæ & Caiphæ, deductus à miniſtris ligatus, cum facibus & laternis, haſtis & gladijs, & cum magno ſtrepitu militum, qui triumphum agebant de ipſo vincto, illum ſubſannantes; & altero die eadem ignominia, ab vna domo ad alteram, & ab vno ad alterum tribunal deduxerint, donec exijt in montem Caluarium, baiulans ſibi crucē, præcone proclamante quæcunque illi adferrent ignominiam, vbi tandem fuit collocatus I. Paſſionis D N memoria renouanda in proceſſionibus.

in horrendo throno crucis, inter duos latrones, multis cum blaſphemantibus, & maxima ignominia & crudelitate ſubſannantibus.

II. Faces in proceſſion. In Præmium itaque harũm *profectionum* vult Pater ęternus, filium ſuũ his *proceſsionibus* in terra honorari ab omnibus, deferentibus faces, & alia luminaria in manibus; in ſignum, quòd ipſe ſit *lux vera*, quæ illuminat mundum vniuerſum; & comitantibus fidelibus militibus ſuæ Eccleſiæ, cũ concentu muſico hymnorum & laudum; & quem Sacerdotes in humeris geſtant; & in præparatis magnæ Maieſtatis Thronis collocant, cui omnes genua flectunt, & tanquam ſuum Deum ac Redemptorem adorant; mandante omnibus Patre, vt id faciant, multò efficacius, quàm Rex Aſſuerus mandauerit, honorari Mardochæum, deducendo illum cum magna pompa per omnes plateas ciuitatis, exclamantibus ipſius Regis familiaribus, a *ſic honorabitur, quemcunque voluerit Rex honorare*. O Pater æterne, gratias tibi ago pro *honore*, quem vis exhiberi Filio tuo vnigenito in terra, in præmium dedecoris, quo in eadem fuit affectus. O dulciſsime Redemptor, gaudeo de honore, quo te hodie afficiunt fideles tui ſerui, quem optimè es promeritus ignominijs; quas pro illis ſuſtinuiſti, ego flecto genua ante hunc thronum, in quo tu ſedes, in ſanctiſsimo hoc Sacramento, meamq; coronam, & quidquid habeo, ad pedes tuos proijcio; dicens cum illis ſenioribus; b *dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem; quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.*

a *Eſther* 6. 9.

Oratio.

b *Apoc*. 4. 11.

III. Fidelis Deus reddendo præmia. HINC intelligam, quàm ſit fidelis Deus in reddendis præmijs, etiam in hac vita ijs, qui illi ſeruiunt; in eadem re illos exaltans, in qua ipſi ſe humiliarunt. & ſi ego Chriſtum Dominum in hoc Sacramento veneror, ille etiam me *honorabit*; ſicut ſi irreuerenter cum illo agam, ero etiam inhonoratus. ad quod iuuerit reuocare in memoriam hiſtoriam c *Arcæ Teſtamenti, quam Dauid duxit* in proceſsione, maximo *Sacerdotum & Leuitarũ comitatu, & totius populi, in magno iubilo, & in clangore buccinæ, vbi Dauid ſaltauit totis viribus ante Dominum*: & quamuis *Michol deſpexerit eum in corde ſuo*, illum tamen non pœnituit facti, ſed ſtatuit potiùs ſe humiliare & *vilior fieri plùs quàm* antea fuiſſet. Contrà verò Oza, qui temerè & irreuerenter eandem Arcam tetigit, repentè idcircò mortuus eſt: vt intelligã, ſi hoc ſanctiſsimum Sacramentum irreuerenter tractauero, me fore caſtigandum ſicut Ozam; eoq; ſupplicium ſeuerius in me futurum, quò maiorem reuerentiam ei debeo exhibere, qui illâ dignior eſt quàm fuerit Arca. quòd ſi verò reuerenter egero, & honorẽ, ſicut Dauid exhibuero, *pulſans, & ſaltans* in iubilo cordis, & in affectibus amoris; *meipſum humilians*, & *viliorem* in eius præſentia faciẽs, nihil curans, quod homines cõtra hoc dixerint, ille me honorabit in terra, & multò magis in cœlo. Verùm ego,

c 2. *Reg*. 6. 14.

gloria

Digitized by Google

gloria mea, maiorem honorem nolo, quàm te honorare: tuus honor eſt meus; & illud mihi honori tribuo, quòd tu omnibus ſis honori. quòd ſi honori tuo aliquid accedit ex meo dedecore, illud ego pro ſummo honore meo ducam, vt glorificem te, qui dignus es infinito honore & gloria in æternum, Amen.

PVNCTVM IV.

QVARTO eſt conſiderandum, Chriſtum D.N. velle ſibi fieri in terra ſolemnem aliquam *celebritatem*, ſicut ſit in cælo; vt hac ratione benedictiones è cælo in terram deſcendant.

I. Celebritas D. N.

PERPENDAM ergo, hunc Dominum eſſe in cœlo, Angelis & Sanctis ſtipatum, qui continuè diem feſtum ei celebrant; & alij quidem, ſicut viginti quatuor ſeniores, mittunt a *coronas ſuas* ad pedes eius, dicentes quòd ille ſolus *ſit dignus honore & gloria*; alij, ſicut b *quatuor animalia, requiem non habent, ſed die ac nocte dicunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt*; alij c *offerunt phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum*, & quiſque ſuo modo eum glorificat, & cantica offert laudis & gratitudinis. Ita vt d *per vicos & plateas* cœleſtis illius *Ieruſalem ſemper cantetur Alleluia*, & e *gaudium ac lætitia, gratiarum actio, & vox laudis inueniatur in ea*.

a *Apoc.* 4. 11.
b *c.* 4. 8.
c *cap.* 5. 8.
d *Tob.* 13. 22.
e *Iſaiæ* 51. 3.

II.

ET quamuis hoc ita ſit, delectatur Chriſtus D.N. deſcendere ad *villam* noſtram in ſanctiſſimo hoc Sacramento; vultque vt noſtro modo *thronum* illi conſtituamus, *feſtúq;*, quamuis agreſtes & pagani, agamus, imitantes pro viribus aulicos ipſius cæleſtes. nam ipſe non ſuum in hac re commodum quærit, ſed noſtrum, vt hac ratione oſtendentes amorem, quo illum proſequimur, occaſionem habeat nos honorandi, & magna bona conferendi: ideoque ad imitationem beatorum, debeo illum honorare *tribus* præcipuè *affectuum generibus*.

Quomodo D.N. honorandus.

1. Humilitate.

PRIMVS affectus eſt HVMILITATIS, vt, ſicut illi ſeniores, ſpoliem me omnibus quæ habeo, & *fatear nihil eſſe meum*, ſed ipſius; demque illi de omnibus gloriam.

2. Viua Fide.

SECVNDVS affectus eſt VIVÆ FIDEI, magnitudinis illius, & muneris, cuius cauſa venit, poſteaque venturus eſt, ad nos iudicandos; quem, ſicut quatuor illa animalia, laudabo propter *ſanctitatem* & *Omnipotentiam*, propter ſuam *æternitatem* & *immutabilitatem*, & quòd nunc veniat ad me ſaluandum tanquam Pater, qui poſtea eſt venturus ad me coronandum, ſicut iudex.

3. Oblatione.

TERTIVS affectus erit OBLATIONIS, quo illi offeram *phialam cordis* mei, perfectiſſimo charitatis auro inauratam, plenam thure feruen-

Digitized by Google

tium orationum, cum myrrha mortificationis mei ipſius, diſſoluendo me ipſum in igne amoris, vt bono ſim odori huic Domino, cui debeo feſtum exhibere meliori quo potero modo, admirans quòd is Dominus, cui tanta feſta in cælo exhibentur, dignetur etiam ac delectetur feſtis, quæ illi exhibentur in terra; ſicut Rex qui poſtquam feſtis interfuit, quæ in Aula eius exhibebantur, delectatur ad ea accedere, quæ in pago aut villa peraguntur. Mihique perſuadebo, quòd, ſicut Chriſtus D. N. propter noua obſequia, quæ illi exhibentur in cælo, dat ibi noua gaudia accidentaria; ita præmijs ſit affecturus ſeruitia, quæ iuſti exhibent illi in hiſce feſtis terræ, nouis gratijs & augmento virtutum illos cumulando.

Oratio. Mat. 6. 10. O Rex ſupreme, ſi liceret ex terra facere cælum, f *ſanctificando nomen tuum, & faciendo voluntatem tuam*, in hac *valle lachrymarum*, ſicut faciunt Spiritus beati in ſuo paradiſo deliciarum! certus enim ſum, quòd tunc vallis lachrymarum, eſſet mihi vallis conſolationum: & paradiſus deliciarum, veniens ad vallem lachrymarum, conuerteret planctum meum in gaudium, & impleret me lætitia. *Adueniat*, Rex meus, *regnum tuum* ad me, & ſiquidem tu es mecum in Sacramento, acue fidem meam, & accende me charitate tua, vt te agnoſcam ac diligam, ita vt tu regnes in me, & ego fruar te, regnans tecum in Regno Patris tui in æternum, Amen.

MEDITATIO XLVI.

DE PATERNA DEI PROVIDENTIA IN DIſtribuendis ſtatibus & officijs, prout cuique expedit magis ad ſalutem.

PVNCTVM I.

Deus pater noſter quomodo dicatur. a Mat. 23. 9.

Tria Cælestis Patris propria.

PRIMO conſiderandum, quòd Deus Dominus noſter eminenter ſit a *noſter* PATER, geratque hoc munus erga nos infinities meliùs, quàm omnes terreni Patres; qui cum illo comparati, non merentur hoc nomē. ex quo fit, vt non ſolū creet ac generet nos in Eſſe naturæ & gratiæ; & in vtroque conſeruet ac ſuſtentet medijs, modiſque valdè ſtupendis, vt prædictum eſt; ſed etiam *paterna* eius *prouidentia* curam habeat, vt nos in ſtatu & officio apto & commodo ad noſtram ſalutem conſequendam collocet, inſpirando, impellendo & alliciendo vnumquemque ad eum ſtatum, qui ſit illi aptior ad hunc finem. *Quoſdam* permouet

Digitized by Google

ad ſtatum Matrimonij, *alios* ad ſtatum continentiæ & religionis, *alios* eligit ad officium Prælatorum: b *ſicut enim* (ait Apoſtolus) *corpus vnum eſt, & membra habet multa*, quorum ſunt diuerſa munia; ita vult in myſtico Eccleſiæ & ciuilis reipublicæ corpore eſſe plura membra, & c *vnumquodque eorum* ſicut in naturali corpore *poſuit, ſicut voluit*; ita Diuina ſua prouidentia ſtatuit, vt in *myſtico* eſſent quidam homines tanquam *capita*, qui alios gubernent, alij tanquam *oculi*, qui eminerent in virtute & doctrina; alij ſicut *manus*, qui vitæ actiuæ opera exercerent; alij ſicut *pectus & cor*, qui veluti occultarent ſe in ſecreto vitæ contemplatiuæ, & vnitiuæ; alij ſicut *pedes*, qui in ſeruilibus & humilibus miniſterijs occuparentur, & quoniam Deus nouit vniuſcuiuſque complexionem, ingenium, & facultates ſiue talenta; ita prouidentia ſua inducit eos ad ſtatum & officium, eorum naturæ accommodatum: niſi homo ſe ſubtrahens à directione & gubernatione Diuina, eligat ſtatum & officium pro ſuo arbitratu & apprehenſione in malos fines, aut per mala media.

b 1.Cor.12.12

c 1.Cor.12.18

Gratitudo erga Deum ex duobus.

Ex hac veritate ben è perpenſâ concipiam magnam *gratitudinem* erga Deum Dominum noſtrum, pro *paterna* hac ſua *prouidentia*: in qua re tamen duo ſunt aduertenda. PRIMVM, vt ſi necdum elegerim *ſtatum vitæ*, recurram ad ipſum Deum, ſerioque illum ab eo petam, adhibitis interim medijs licitis, quæ non declinent à Diuina ipſius prouidentia: illa enim ſtatum & officium illud mihi deſignabit, quod expedit mihi per talia media, ſi meam fiduciam in ea ponam: quòd ſi media, quæ ego apta eſſe exiſtimo, non ſufficient, ſciet benè ipſa alia adhibere, vt quod intendit, aſſequatur. cuius rei admiranda exempla ſunt in ſcriptura, qualia ſunt matrimonium Iſaac cum Rebecca, Tobiæ cum Sara per Angelum Raphaelem; electio Ioſeph, vt eſſet Vice-Rex Aegypti; & Dauidis, vt eſſet Rex Iſrael.

I. Eligendo ſtatum vitæ.

II. Statu ſuo contentum eſſe.

QVOD ſi iam in ſtatu aliquo ex prouidentia Diuina ſum conſtitutus, quieto omninò animo me eſſe decet, & confidere, me per illud *medium* conſecuturum æternam vitam; ſiquidem in eum finem Deus me ad illum ſtatum vocauit. Quòd ſi ſtatus ille aut officium ſit *vile*, non propterea erubeſcam, nec exiſtimabo me quaſi derelictum: ſicut è contra, ſi fuerit officium altum, non me inaniter efferam, ſed vt ait Apoſtolus, d *vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat*, ſiue ſeruus, ſiue liber, ſiue magnus, ſiue paruus. ſi ſtatus & officium ſit magnum, in eo permaneat in *humilitate*; ſi paruum, in magna *fiducia*, præſtat enim eſſe pedes in Eccleſia, & ire poſtea ad cœlum, quam eſſe caput, & deſcendere ad infernum. Quare exulta, anima mea, in Deo tuo: e *in cuius manibus ſortes tuæ ſunt*; & quamcumque ille tibi dederit, accipe cum

d 1.Cor.7.20

e Pſa.30.16.

lætitia.

Digitized by Google

lætitia. *ſors* enim *ſtatus* & *officij*, quod ille tibi deſtinauerit in hac vita, dirigitur à Diuina prouidentia, vt obtineas gloriæ & beatitudinis ſortem in futura.

Pvnctvm II.

I. Suauitas diſpoſitionis diuinæ.

DEinde conſideranda eſt ſuauitas Diuinæ *prouidentiæ* in ſtatuum & officiorum *diſtributione*, quæ eminet in vna re ita propria Dei, vt nullus ſit princeps, nec monarcha, qui eam poſſit adhibere. quia enim Deus eſt vniuerſalis gubernator totius mundi, valdéque gloriatur, ſe a *à fine vſque ad finem attingere fortiter, & diſponere omnia ſuauiter*, diſtribuit hominibus inclinationes & propenſiones, ad diuerſos ſtatus & officia, adeo admiranda ſuauitate, vt nullum ſit officium etiam grauiſſimum & leuiſſimum, ad quod aliqui non ſint vehementer *propenſi*; etiamſi aliud nihil eos ad illud impellat, quàm ſola indita eis propenſio. imo etiam filij eorundem parentum, & vterini fratres, quales fuerunt b *Eſau & Iacob*; diuerſas omninò & valde repugnantes à natura propenſiones habere ſolent. Nam vt figulus ex eadem luti *maſſa* facit vaſa variarum formarum, quæ ad diuerſa miniſteria deſtinantur, & ex eadem ſeminali materia fiunt diuerſa membra eiuſdem corporis, in quo varias habent formas, & varia munia exercent; ita Diuina ſapientia & Omnipotentia ex eadem generis humani *maſſa* producit varios homines, cum diuerſis propenſionibus, ad munia & occupationes diuerſas: quo nomine plurimã illi gloriam dabo; attendens, quòd omnes huiuſmodi propenſiones cedãt in meã vtilitaté; vt videlicet ſint, qui delectẽtur, me in *bello* defendẽdo, alij me in *pace* gubernando, alij *colendo* terrã, alij veſtes *conficiendo*, alij *faciendo alia*, quib. ego indigeo. vt. n. ait Apoſtolus, c *ſi totũ corpus eſſet oculus*, quis poſſet ambulare? & ſi totum eſſet pedes, quis aſpiceret? & ſi eſſet lingua, quis ambularet, & ſi eſſet manus, quis loqueretur? Sicut ergo omnium membrorum munia, etiamſi varia, ad vnius tamen corporis vtilitatem conducunt; ita varij *ſtatus* & *officia* hominum, & eorum ad ea *propenſiones*, commodum mihi adferunt; ideoque tanquam de proprio meo officio gratias Deo agere, gloriamque ei reddere par eſt; qui ſua prouidentia tantam propenſionum varietatem hominibus diſtribuerit: & iuxta hoc meritò attendam bonam propenſionem, quam mihi Deus eſt largitus; vt illa vtens, illum ſtatum & munus ſubeam, quod bonæ illi propenſioni eſt conforme, gratias largitori agens, quòd ita ſuauiter me gubernet, nec velit me violenter trahi ad aliquod officium vel ſtatum, in quo viuam tanquam remigando; præcipuè ſi ſtatus aut officium ſit diuturnum, aut duret per totam vitam.

a *Sap.* 8. 1.

b *Gen.* 25. 25

c 1 *Corin.* 12. 17.

Digitized by Google

O Pater amantiſſime, gratias tibi pro ea ſuauitate, qua homines gubernas, iucundum his faciens *onus*, quod alijs eſt permoleſtum; vt d *vnuſquiſque onus ſuum* facilè iucundeque *portet*, & omnes mutuò ſe cum lætitia iuuent. Id mihi quæſo concede Domine, vt ad meum *onus* portandum ita ego me accommodem, vt ſim vtilis meis proximis, ſicut eoſdem vtiles mihi eſſe cupio. Oratio. d *Gala*. 6. 5.

II. Propenſio ſupernaturalis ad ſtatum.

Deinde in eadem ipſa Diuinę prouidentię ſuauitate eſt perpendendum, quòd ſi nobis deſit naturalis *propenſio* ad ſtatum & officium, quod vult nobis imponere, det nobis liberaliter *ſupernaturalem propenſionem*, medijs inſpirationibus & illuſtrationibus Diuinis, quæ tot rationes vtilitatis & conuenientiæ manifeſtare ſolent in eo ſtatu & officio eſſe, vt, quamuis alioqui arduum illud ſit ac difficile, iucundum reddant ac facile. Et ita nos docet experientia, quòd multi propter huiuſmodi Diuinam inſpirationem & impulſum inclinent vehementer ad ſeculum deſerendum, amplectendum verò ſtatum religioſum, aut officium permoleſtum & abiectum; id quod facient maiori ſua voluptate, quàm alij amplectantur ſtatus & officia iucundiora & faciliora ipſi naturæ & carni; quia gratia Dei abundè ſupplet, quod naturæ deeſt.

III. Rationib. docet conuenire cuique ſtatum ſuum.

Qvod ſi quando Dominus Deus noſter non det hanc *inclinationem* & ſenſibilem *delectationem* in electione ſtatus; ad minimum dat rationes adeò efficaces; vt omninò intellectum conuincant, & faciant iudicare, conuenire ſibi, talem ſtatum amplecti, quem voluntas certo firmoque decreto acceptat & amplectitur, vincens ſuperiori Spiritûs lumine naturalem omnem repugnantiam & horrorem.

Oratio.

O Devs animæ meæ, in manus tuas me totum proijcio, fidens tuæ Diuinæ *prouidentiæ*, quòd ſis daturus etiam delectationem & conſolationem in officio aut onere ferendo, quod mihi volueris imponere. Quòd ſi caro eam iucunditatem ac delectationem non ſenſerit, quam appetit; ſatis mihi erit, quòd eam percipiat Spiritus; hanc reputans magnam & propriam iucunditatem, amplecti & facere, quod tibi arridet. Hæc mea ſit, Domine, vnica *propenſio*, in omnibus ſequi tuam voluntatem in æternum, Amen.

Pvnctvm III.

Tertio conſideranda eſt eiuſdem prouidentiæ Diuinæ *efficacitas, in proſpiciendo* de auxilijs ſufficientibus, ad ferendum ſtatum & officium, quod ipſius directione ſuſcipitur, quia nemini aliquid mandat, quod illi ſit impoſſibile, nec *onus grauius* imponere vult, quàm

Digitized by Google

Cuilibet ſtatui proſpicit Deus gratiâ ſpeciali.

poſſit is ferre, iuxta vires, quas habet, & facultates gratiæ, quas Deus ei tribuit. Ideoq; & coniugatis ad ferenda Matrimonij onera & ſui officij, ſpecialem dat gratiam per Sacramentum Matrimonij, & Sacerdotibus, ad ferenda onera ſui officij, dat Spiritum Sanctum per Sacramentum Ordinis; & Religioſis dat gratiam, iuxta onera Religionis quam profitentur; Prælatis & aliorum gubernatoribus, dat etiam ſufficientem Spiritum ad illam gubernationem. & quò illa grauior eſt ac difficilior, eò copioſior Spiritus datur. Vnde cùm Deus Moyſi abſtulit partem gubernationis plebis, dixit; a *auferam de Spiritu tuo, tradamq; ſeptuaginta ſenioribus, vt ſuſtentent tecum onus populi*: quaſi ei diceret; tantam ego tibi gratiam & facultatem dabam, vt totum onus ferre poſſes; cùm autem partem huius oneris alijs dari velis, ego partem eius Spiritus & facultatis, quam ſoli tibi dabam, à te auferendo, illis communicabo, vt portare poſſint ipſi partem oneris, quod ſubeunt. Ex quo fit, vt æquè mihi ſit facile ex Diuina prouidentia, duplicatum onus ferre, atque ſimplex. nam ad duplicatum ferendum duplicatas quoque vires dabit. quare magno feruore licebit mihi illud Pſalmi Deo noſtro dicere: b *proba me Domine & tenta me: vre renes meos, & cor meum*: impone mihi *onus* officiorum & laborum pro tuo libitu; *quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt* ſemper: *& complacui* mihi *in veritate* & fidelitate *tua*, ob quam ſum certus, quòd aucturus ſis gratiam & vires, ſi onus auxeris, & labores.

a *Num.* 11. 17

b *Pſal.* 25. 2.

Periculoſum eſt ſtatum contra Dei voluntatem ſuſcipere.

Ex his quæ ſunt dicta intelligam, periculoſiſſimum eſſe, *ſtatum* ſuſcipere contra Dei voluntatem, & *per media* alioquin *prohibita*. Nam hoc eſt abſcindere filum mediorum, quæ Diuina prouidentia ad animæ meæ ſalutem diſpoſuerat. quare omnes errores, qui in illo ſtatu mihi euenerint, mihi tribuentur; dignumq́ue me conſtituam, cui Deus non det vires & gratiam, ad ferenda onera, quæ ego ipſe ſponte mea contra ipſius voluntatem ſuſcepi; ideoque ſuccedet mihi, quod Chriſtus D.N. dixit: c *omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cæleſtis, eradicabitur.* quo tamen non obſtante, quando error eſt iam factus, nec habet *remedium*, propterea quòd ſtatus ſit perpetuus, aut ob aliquam aliam cauſam, non debeo deſperare de Diuina *miſericordia*; cuius adeo eſt infinita charitas, vt, quando aliquis ex via illa recedit, qua ipſe illum paterna ſua prouidentia ducere ſtatuebat, ſcit, poteſtq́ue alia ratione eum reducere ad viam vnde exiuerat, educens bonum ex malis; & ex erroribus id, quod ſit rectum; modò facti pœnitens, ſicut alter *filius prodigus*, redeat confidenter, ac ſe in eius manus proijciat, qui neminem ad eas recurrentem repellit, aut deſerit.

c *Mat.* 15. 13.

Digitized by Google

Monita ad ſtatus electionem faciendam poſita fuerunt in 3. parte Meditatione 7. & 8.

MEDITATIO XLVII.

DE PROVIDENTIA DEI CIRCA INSTITVtionem ſtatus Religioſi, & Varietatem Inſtitutorum; aliquorumque ad ea vocationem.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDVM eſt primò, prouidentiam Diuinam ſtatuiſſe, vt intra ſuam Eccleſiam eſſent *domus* & *familiæ Religioſorum* Diuino ipſius cultui mancipatorum; idque ob altiſſimos & præſtantiſſimos fines, quorum præcipuos hîc perpendemus. Cur in Eccleſia ordines Religioſorum.

I. Et quid ſchola perfectionis. *S.Tho.*2.2. q.186.

PRIMVS eſt, vt ipſa Religio ſit *ſchola* Chriſtianæ *perfectionis*, quæ in perfecta charitate, & coniunctione cum Deo, & cum proximis conſiſtit, reiectis rebus omnibus, quæ quoquo modo ab ea retrahunt, quò *præceptum dilectionis*, maxima qua fieri poterit perfectione, impleatur. Quare ipſa Religio eſt etiam *domus charitatis*: eſt enim a *generatio quærentium Dominum, & faciem eius*, & locus b *fratrum habitantium in vnum*; congregatio & c *Eccleſia filiorum ſapientiæ*; quorum natio & conditio eſt *obedientia & dilectio*. a *Pſal.*23.6. b 132.1. c *Eccl* 3.1.

II. Imitationis. d *Matt.*5.48

HINC fit, vt Religio ſit etiam *ſchola imitationis Dei & Chriſti* D.N. in qua Religioſi incumbunt in imitationem exemplarium Dei virtutum; contendentes d *eſſe perfecti, ſicut Pater cœleſtis perfectus eſt*, & imitari ipſum Chriſtum, ſeruantes non ſolùm eius præcepta, ſed etiam ipſius conſilia amplectentes eo modo, quo illa ipſe cuſtodiuit.

III. Domus Refugij.

TERTIVS finis fuit, vt Religio eſſet *domus refugij*, ad quam fideles ſe reciperent, vt ſalui eſſent à periculis huius mundi, & ſecuriorem redderent ſuam ſalutem, per *media*, quæ in ipſa Religione ſunt efficacia ad fugiendas culpas, & occaſiones earum; & ad obtinendas virtutes, cum perſeuerantia in eis vſque ad mortem: ita vt per ſtatum Religioſum, & Religioſas domos, impleatur quod cupiebat Dauid, cum dixit Deo D. N. e *eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt ſaluum me facias.* e *Pſal.* 30.3.

IV.

Quartus finis fuit, vt ipſa Religio ſit *domus recreationis* Deo D.N. in me-

Digitized by Google

f *Geneſ. 2.8.* g *Prou. 8.31.* dio terræ, & f *paradiſus voluptatis* eius. cùm enim g *eius deliciæ ſint eſſe cum filijs hominum*; ita diſpoſuit eius Diuina prouidentia, vt eſſet aliqua domus priuata aliquorum ſingularium amicorum, & ſibi familiarium, h *Iſai 56 6.* quibuſcum ille conuerſaretur, & ſuas haberet delicias, h *quia & ipſi adhærent Domino, vt colant eum & diligant nomen eius, vt ſint ei in ſeruos.* & i *Cant. 2.4.* ita Religio eſt *domus orationis*, & i *cella vinaria*, vinorum ſcilicet cœleſtium & penetrale Regis cœleſtis, quò ipſe ſuos dilectos introducit, & reuelat ſua ſecreta.

V. Eccleſiæ candelabrum. k *Mat. 5. 14.* QVINTVS finis eſt, vt Religio eſſet tanquam k *candelabrum* Eccleſiæ, & *ciuitas ſupra montem* altum *poſita*, *vt luceat omnibus* fidelibus *qui in domo ſunt*, tam doctrinæ quàm vitæ exemplaris lumine, ad confirmandam veritatem & puritatem Chriſtianæ Religionis, & ad exhortandos reliquos ad eam ſequendam, & glorificandum Patrem noſtrum, qui eſt l *Philip. 2.15* in cælis; vt impleant quod Apoſtolus dixit: l *vt ſitis ſine querela, & ſimplices filij Dei, ſine reprehenſione, in medio nationis prauæ & peruerſæ; inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo.*

VI. Locus meritorum. SEXTVS finis fuit, vt Religio eſſet *locus* conſtitutus ad *comparanda multa merita*, & magna *incrementa virtutum*; ita vt, qui in ea degunt, ad altiſſimos gloriæ gradus aſcenderent, ad conſortium primariorum Angelorum, qui in ea ſunt; eò quòd vitam ducunt Angelicam potiùs, quàm Qui affectus & deſideria Religioſorũ. humanam. CONSIDERATIONE horum *ſex* finium, ſi ſum Religioſus, meritò curabo *ſex* hoſce *affectus* & *deſideria*, quę ſint inſtar m *ſex alarum Seraphinorum*, quos vidit Iſaias, perfecti ſcilicet *amoris* Dei, & proximi m *Iſaiæ 6.2* affectum, deſiderium *imitandi perfectionem* Dei & Chriſti D. N. *fugiendi occaſiones* peccatorum & imperfectionum; vt quàm fieri poſſit maximè, *ſalutem* meam *aſſecurem*; *conuerſandi* familiariter cum Deo D. N. *vitam ducendi* exemplarem ad ædificationem proximorum, & *creſcendi* in virtutibus, donec magna gloriæ incrementa obtineam. His alis volans, accelerabo ad exequendas obligationes mei ſtatus, confidens prouidentiæ Diuinæ, quæ Spiritu ſuo adiutura ſit meum volatum & conatum.

Oratio. O Pater miſericordiarum, ſiquidem me ad ſtatum adeò altum, & ob fines adeò præſtantes vocaſti, ſupplex oro, ne vita mea ſit vilis & abiecta; ſed vitæ altitudo conſona ſit cum ipſo ſtatu, vt vtroque tandem obtineam altitudinem gloriæ, Amen.

Sex hi fines erunt tamquam regulæ, *ſiue* amuſſis, *ad cognoſcendas vocationes hominum ad ſtatum Religionis. nam, quæ à Deo ſunt vocationes; alicui ſemper ex prædictis motiuis innituntur.*

PVN-

PVNCTVM II.

DEINDE conſiderandum, eandem prouidentiam Diuinam ſtatuiſſe, vt eſſent *variæ* Religiones, & diuerſa Inſtituta ac Regulæ; vt maiori cum ſuauitate obtinerentur fines prædicti; cuius rei tres fuerunt præcipuæ cauſæ. In ordinib. varia inſtituta & regulæ & cur.

PRIMA, ſicut perfecta charitas *varios* habet *actus* circa gloriam & cultum Dei, & vtilitatem proximorum; exercens erga eos varia opera miſericordiæ, ſpiritualia & corporalia, *vna* verò ſola Religio non poſſet in omnibus ſimul eminenter eſſe conſpicua; ſtatuit diuina ſapientia, vt *varia* eſſent Religionum Inſtituta, quorum *aliqua* magis eminerent in contemplatione & amore vniente cum Deo; *alia* Inſtituta eminerent in rebus Diuini cultus, *alia* in pœnitentia, & ſeria carnis afflictione; *alia* in operibus miſericordiæ ſpiritualibus erga proximos, docendo eos, concionando, Sacramenta adminiſtrando; alia in operibus miſericordiæ corporalibus, miniſtrando infirmis, redimendo captiuos, defendendo Eccleſiam ipſam à ſuis hoſtibus: Et hac ratione in omnibus ſimul Religionibus ſplendent omnia *opera Charitatis* excellenter & eminenter: quia aliæ in re aliqua excellunt, in qua reliquæ non ita. Quare Religio eſt ſicut illa *domus*, quam *Diuina ædificauit ſibi ſapientia*, fundatam ſuper *columnas ſeptem*, quæ ſunt ſeptem hæc Inſtituta, quæ iam retulimus, elaborata varijs ornamentis mediorum efficaciſsimorum ad ſuos fines conſequēdos; *qualia ſunt*; frequentia in vſu Sacramentorum, examina conſcientiæ, directio Magiſtrorum ſpiritualium, ſilentium, clauſura conueniens, & alia ſimilia. I. Septem genera Inſtitutorum. a *Prou.* 9.1. Media Religioſ. ad finem ſuum.

DEINDE quoniam Chriſtus Redemptor noſter, *exemplar* eſt *infinitæ perfectionis* in omni genere virtutum; ita vt vna Religio non poſsit excellere & eminere in imitatione omnium eius virtutum, propter magnam noſtram imbecillitatem ad tantam expeditionem; adinuenit prouidentia Diuina hanc viam variarum Religionum, vt aliæ eum imitarentur excellentiſsimè in paupertate, *aliæ* in obedientia, *aliæ* in zelo animarum, *aliæ* in humilitate, & humilibus exercitijs; præbente vnaquaque Religione exemplum ſuæ virtutis, in qua excellit alijs Religionibus, & toti Eccleſiæ, quæ hoc nomine eſt inſtar Reginæ, & ſponſę Ieſu Chriſti, iuxta illud Dauidis: b *adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate*, ſimili varietati veſtitus ſponſi ſui, cuius illa ſequitur veſtigia. Et iuxta hoc, ſi ſum Religioſus, attendere debeo, quid illud præcipuum ſit, in quo mea Religio emicat, tam in imitatione Chriſti D. N. quàm in *operibus Charitatis*, quæ eius amore & intuitu eligit; & ſtudere, vt in eiſdem II. Chriſtus exemplar perfect. b *Pſa.* 44. 10

ego etiam excellam, non tamen alia negligendo: vt ob ſingularem hanc diligentiam illud in me locum habeat, quod Eccleſia ſingulis applicat Sanctis: c *non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem excelſi.*

c *Eccl.* 44. 20.

III. Diuerſæ hominum inclinationes.

Tertia cauſa fuit, quoniam Deus D.N. optimè nouit, diuerſiſsimas eſſe hominum inclinationes & cõſtitutiones; eſſeq; difficillimum, accommodare ſe omnes *vni via*, ſiue modo tendendi ad perfectionem; ſtatuit itaque Diuina ſua prouidentia, vt eſſent varij modi, vt ſinguli aliquem inuenirent inclinationi ſuæ & viribus accommodatum, & hac ratione ſaluti ſuæ certiùs conſulerent, magiſque in virtute proficerent. nam aliqui propendent in ſolitudinem, nocetque illis cum hominibus conuerſari; *alij* contrà ad conuerſandum propendent, quibus nocet ſolitudo; *alij* cõſtitutione corporis ſunt robuſti, & inclinant ad ſubeundas magnas aſperitates, *alij* debiliores tanta non poſſunt ferre. Vt itaque omnes perfecti eſſe poſsint, vult Deus D.N. varias eſſe *vias* & *modos* omnibus accommodatos, & paternâ ſuâ prouidentiâ inclinat ac dirigit vnumquemque ad eum modum, qui magis illi conuenit. d *O infinita ſapientia, quæ omnia facis fortiter, & diſponis* ſuauiter! gratias tibi ob ædificatam intra tuam Eccleſiam *domum* Religionis, cum magna Inſtitutorum varietate, quę eam tanquam columnæ ſuſtentant; & menſam varijs edulijs refertam, *regularum & legum*, ad neceſsitatem & oblectationem in ea habitantium accommodatarum. & ſiquidem altiſsima tua prouidentia dignata eſt me vni harum columnarum adiungere, liga me quæſo fortiſsimè cum ea, vt ſemper in tuo ſeruitio perſeuerans, iuxta meum ſtatum, eò tandem perueniam, vt e *fiam columna in templo* ſancto tuo, *vt foras non egrediar ampliùs* in æternum. Amen.

d *Sap.* 8. 1. Oratio ad perſeuerãdum.

e *Apoc.* 3. 12.

Pvnctvm III.

Tertio conſideranda *cura* & *ſolicitudo* Diuinæ prouidentiæ *in vocandis hominibus* ad ſtatum Religionis, & ad vnumquodque Inſtitutum; in qua re perpendenda ſunt quædam eminentiora in hac vocatione.

Vocatio Dei.

I.

Primvm, quòd nullus poſsit præſtantem hunc ſtatum ſuſcipere, nec ingredi Religionem, vt oportet, niſi ſit vocatus à Deo *ſpeciali* ad id *vocatione*. nam caſtitas, obedientia, & paupertas Religioſa, adeò excedũt naturæ noſtræ imbecillitatem, vt nemo poſsit tantum animi & audaciæ per ipſum habere, vt illas ſibi promittat, aut ſeruare poſsit. Ideoq; Chriſtus D.N. de caſtitate loquens, dixit: a *non omnes capiunt verbum iſtud; ſed quibus datum eſt*, à Deo ſcilicet: & iterum: b *nemo poteſt venire ad me*, (imitando eius perfectionem) *niſi pater cæleſtis traxerit eum*; ſuis videlicet inſpirationibus eum vocando, & auxilium ad veniendum porrigendo.

a *Mat.* 19. 11.
b *Ioan.* 6. 44

Digitized by Google

II. Deinde perpendam, quoniam Religioſus ſtatus non eſt omnibus neceſſarius, vt perueniant ad cælum; ideò Deum D.N. non vocare omnes ad illum; ſed tantùm quos vult, idque non ipſorum *meritis*, ſed *mera* ſua *gratia & miſericordia*; & ita ſæpè relinquit in ſeculo optimos, & vocat alios non æquè bonos, vt eos perficiat: quia ita vult illis benefacere, iuxta illud quod aliquando ipſe dixit ſuis Apoſtolis: c *non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos* in hoc ſtatu; *vt eatis* per mundum vniuerſum, *& fructum afferatis, & fructus veſter maneat*. Gratias tibi Magiſter ſupreme, quòd me in *tuum diſcipulum* elegeris, vt ſim in *ſchola* perfectionis, relictis alijs multis, qui præ me digni erant ad illam venire. Non potuiſſem ego ſtatũ hunc eligere, niſi tua miſericordia me ad id præueniſſet: ſiquidem ergo dignatus es me eligere, ſupplex oro, vt me adiuues ad fructus ferẽdos, qui permaneant in vitam æternam. Amen.

c *Ioan.* 15. 16

Oratio.

III. Tertio perpendam, eos qui à Deo vocantur ad Religioſum ſtatum, debere ſtatim tali *vocationi* reſpondere; quia *magna gratia* eſt, & ſingularis *fauor* Dei erga ipſos; inſignis verò inurbanitas eſſet & ingratitudo, magnæque ruinæ occaſio, illi reſiſtere; quia fortè idem Dominus æterna ſua ſapientia, vidit hunc ſtatum eſſe illis medium ſuæ ſalutis, quem ſi repellant, dicet illis, quod inuitatis nolentibus venire ad cœnam, quòd ſcilicet d *nunquam eſſent cœnam ipſius guſtaturi*: & quod dixit alteri, qui moras trahebat in ſequẽdo ipſum: e *nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei*. Quare magna ſolicitudine attendere debeo, num ſim aliquis ex vocatis. nam ſi id aduerto, & annuo vocanti; ſignũ eſt eſſe me ex electis: quòd ſi ſequi renuam, & reſiſtam, timere poſſum, eſſe me ex reprobis.

d *Lucæ* 14. 24.
e *Cap* 9. 61.

IV. Qvarto perpendam, eandem prouidentiam Diuinam ſpeciali vocatione vnumquemque vocare ad eam Religionem, quæ magis illi conuenit; attendendo ſimul ad duo. nam Deus, quà eſt *vniuerſalis* Religionũ gubernator, omnibus proſpicit de hominibus, qui illas conſeruent: quà verò eſt *particularis* gubernator vniuſcuiuſque, inſpirat cuique, & vocat ad eam Religionem, quæ ſit magis ipſum adiutura ad ſuam ſalutem & integram perfectionem.

Cura Dei erga nos.

Quare tali vocationi reſiſtere, magnus eſt error. in ea enim, ad quam verè vocatur, facilè & ſuauiter finem ſuum poterit aſſequi, quem in altera aut non aſſequeretur, aut non perſeueraret in ea, eò quòd illi deſit ad id præſtandum facultas, ſicut in proxima Meditatione eſt dictum. Ex hac conſideratione gratias Deo D.N. agam, ob eam *curam*, quam de *omnibus* Religionibus gerit; confidens in eius Diuina prouidentia, quòd ſit illas ad ſuam gloriam conſeruaturus; quiſq; etiam eam fiduciã habere poteſt quòd ſit ad eã Religionem vocatus, quæ magis illi expediebat; animum

Digitized by Google

f *Pſal.* 83. 7. ſibi faciens ad perſeuerandum, & f *aſcenſiones*, & incrementa virtutum, *in corde ſuo diſponens, in loco*, in quo à Deo eſt collocatus, *donec perueniat ad videndum Deum Deorum in Sion.*

MEDITATIO XLVIII.

DE BONIS, QVAE IN STATV RELIGIOSO continentur, & quàm ſit præſtans hoc beneficium.

AD huius beneficij excellentiam cognoſcendam, conijciendi ſunt oculi in miſerias huius mundi, ex quibus Deus ducit Religioſum; & in excellentias ſtatus, in quo eum collocat; ac denique in præmia, quæ illis promittit in hac & in futura vita.

PVNCTVM I.

I. Duplex mundus. a 1. Ioan 2. 16. PRIMVM conſiderandum, quòd intra hunc mundum viſibilem, qui *bonus* eſt, & *factura* Dei, ſit alius *mũdus in malitia fundatus*, cuius princeps eſt Dœmon, & cuius ſtudium, vt ait S. Ioannes, a *eſt concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* quare hic mundus eſt congregatio quædam hominum, qui ſe tradiderũt inordinato amori voluptatum carnalium, diuitiarum, & inanium honorum; vnde proueniunt b Lucæ 8. 14 b *ſpinæ* culparum, & anxietates, quæ mundanos homines pungunt, & *ſuffocant ſementem* Diuinarum inſpirationum; & poſtea ſunt *fomentum* ignium æternorum. Malus hic mundus duas habet partes: *Altera* eſt extra 1. Mali mũdi duæ partes. Eccleſiam, Infidelium videlicet congregatio, qui, quòd fide careant, facilè in vitia innumera labuntur; nec ſiſtunt, donec in inferna præcipitentur. ex hoc mundo educit Deus ſua miſericordia omnes fideles, collocans eos in ſua Eccleſia, vbi poſsint ſaluari.

2. *Altera pars* eſt intra ipſam Eccleſiam, quæ eſt congregatio peccatorũ, inordinatè appetentium & quærentium delitias, diuitias, & honores ſeu dignitates, cum *iactura* charitatis, & *periculo* ſuæ ſalutis. nam iſti ab hoc amore ducti, reſiſtunt vocationi Diuinæ, ſicut reſtiterunt tres illi, qui vocati ad cænam, cùm venire nollent, in perpetuum fuerunt ab illa excluſi. Iuſti in medio malorũ. Pericula iuſtorum. *In medio* huius mundi habitant *iuſti*, qui hæc licitè poſsident; quibus tamen periculum imminet ab *occaſionibus*, quæ oriuntur ex bonis temporalibus, quibus fruuntur; & ex malo exemplo hominum huius mundi, qui-

buſcum

buſcum habitant; & ob calumnias & moleſtias, quas ſuſtinent ab ijs, qui eadem concupiſcunt, & quærunt quæ ipſi poſsident. quapropter Chriſtus Dominus N. loquens de *quodam diuite* alioquin iuſto, ſed quia reſtitit vocanti, vt eſſet perfectus, dixit: c *facilius eſſe intrare camelũ per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* Ab hoc mundo adeò periculoſo educit Deus D.N. ex infinita ſua miſericordia Religioſos; collocans eos in *ſtatu* ab his diuitijs, delicijs, & vanis libertatibus ſpoliato & immuni; vt ſint liberi à peccatis, & periculis, quæ illa ſecum adferunt. quare tot beneficia accipio à Deo in Religione, quot ſunt vitia, & anguſtiæ, ſiue anxietates, quas video eos habere, qui degunt extra Religionem. quocirca continuas illi gratias agam. O dulciſsime Ieſu, vnde mihi tantum bonũ, vt, ſicut amico tuo Abraham, ad cor dixeris, d *egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui; & veni in terram, quam monſtrauero tibi.* gratias tibi quãtas poſſum maximas, quòd me eduxeris de Vr Chaldæorum, igne videlicet quaſi Dæmonum; ne in mearum cupiditatum igne conflagrarem, & perirem. & ſiquidem ab eo igne me procul remouiſti, ne patiaris me ad eundem iterum accedere; accende potiùs me igne charitatis, vt omninò cupiditas in me extinguatur.

c Matt. 15. 24.

Oratio.

d Geneſ. 12.

PERGAM tamen vlteriùs perpendere Diuinæ prouidentiæ in hac re *adinuentiones*: ne, cùm aliqui adeò ſint addicti bonis temporalibus, quæ poſsident in mundo cum periculo pereundi, niſi illi ob amicas inſpirationes, quibus vocantur, velint ſpontè illa relinquere; ſolet ipſe quodammodo illos cogere, vt relinquant; permittens eos in calamitates aliquas incidere, in morbos, in tentationes, & interdum etiam in grauia peccata; vt ad oculum videntes ſuum periculum, illud refugere ſtudeant, ſicut Angeli videntes e *Loth* tergiuerſari, & *diſsimulare*, quaſi nollet exire è Sodomis, propter affectum ad res, quas ibi habebat, *apprehenderunt manum eius, & duxerunt eum, & poſuerunt extra ciuitatem*: ne, deſcendente igne ſuper eam, & ipſe cum ſuis conflagraret. O Pater amantiſsime, quas tibi gratias reddam, quòd f *me compuleris intrare* in domum tuam, vt ignem effugerem, quo mundus conflagrabat; conſerua me intra illam, etiam vi laborum & calamitatum; quò liberatus ab ignibus, qui mihi minantur, præmia conſequar, quæ me expectant. Amen.

II. Deus quì ſuis proſpiciat.

e Geneſ. 19. 16

Oratio.

f Lucæ 14. 23.

PVNCTVM II.

DEINDE conſiderandum, quòd Religioſus ſtatus, valde excellẽter contineat in ſe tria genera bonorum. PRIMVM eſt bonum HONESTVM, quod omnes virtutes complectitur, tam morales quàm Theologicas, cum omnibus donis Spiritus Sancti. SECVNDVM eſt bonũ

Stat⁹ Relig. tria genera bonorum continet.

Digitized by Google

DELECTABILE,quod complectitur a *Pacem Dei, quæ exſuperat omnem ſenſum*; Et gaudium Spiritus ſancti,cum omnibus delicijs, quas adferunt opera virtutum. TERTIVM eſt bonũ VTILE, quod complectitur omnia media,apta ad conſeruandam & augendam vitam animæ, & conſequendam æternam, & etiam quæ iuuant ad tranſigendam vitam corporis temporalem,cum emolumento Spiritus. Totũ hoc eminentiſsimè inuenitur in Religione; ita vt de ea dicere liceat, quod Sapiens dixit de ſapientia Diuina: b *venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas*, & diuitiæ plurimæ *per manus ipſius* : *& ignorabam quoniam horum omnium mater eſt*. Et ita eſt,quòd Religio ſit verè Mater omnium virtutum;in ſua perfectione:illa enim eſt,quæ eas nutrit, & lacte ſuæ doctrinæ alit;facitq; vt creſcant per illa media, quæ adhibet,vt actus ſuos exerceãt; clauditque illas veſtibus votorum intra domum ſuam, ne euagentur extrà, eaſq; e extollit ad tantam altitudinem, vt certent cum Angelica perfectione. nam (vt ait S.Baſilius) non eſt aliud Religio,quàm trãſitus quidam ab humano more viuendi,ad eum, quem Sancti habent in cælo; & ex ſimilitudine eius,quod in cęlo ſit,cognoſci poteſt vita,quam Religioſi profitentur in terra.

a Philip.4.7.

b Sap.7.11.

Religio Mater virtutum.

Reg.8.ex fuſi. & de cõſtit. Monaſt. cap.19.

Nam Religioſi *ſpecialem* hîc *poſſeſsionem* accipiunt c *Regni Dei*, quod eſt *iuſtitia,& pax,& gaudium in Spiritu ſancto*; qui particulari ſua aſsiſtentia Pater eſt omnium iſtorum generum bonorum, quorum Religio eſt Mater,quibus *filios* ſuos replet. O Pater amantiſsime, gratias tibi, quòd me deduxeris ad habitandum in *domum* Sanctitatis; faciens me eius *filium*, quę Mater eſt virtutum,vt ſimul cum illis nutriar. Audi,anima mea,conſilia Matris tuæ dicentis: d *Fili mi cuſtodi ſermones meos,& præcepta mea recõde tibi*; e *conſerua præcepta Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ*; & viues,non vitam quam ſolebas,ſed aliam ſupra humanam, vitã ſanctam, hilarem,pacificam,cœleſtem ac Diuinam. Incipe ſtatim exequi, quæ illa iubet,& experieris reipſa,quod promittit.

c Rom.14.17.

d Pro.7.1.
e Cap.6.20.

In vnoquoque trium horum bonorum licet diſcurrere in particulari ac perpendere,quòd Religio ſit Mater charitatis,contemplationis,temperantiæ, &c. & delitiarum, ac fructuum, quæ ab eis proueniunt,vt in exemplis puncti ſequentis apparebit.

PVNCTVM III.

AD benè cognoſcendas inæſtimabiles huius ſtatus diuitias,conſiderandum eſt colloquium S.Petri cum Chriſto Domino N.quod referunt Euangeliſtæ his verbis; a *reſpondens Petrus dixit* IESV: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te:quid ergo erit nobis?* IESVS *autem dixit illis: Amen dico vobis,quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit*

Colloquiũ S.Petri cum Chriſto.
a Mat.19.27.
Luc.18.28.

Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut Patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poßidebit. In hac interrogatione Petri, & reſponſione Chriſti, perpendendum eſt, quòd Religio ſit quoddam *admirandum pactum* inter Deum & hominem, quo homo offert ſe facturum ſummum quod poteſt propter Deum; Deus verò offert homini propterea excellentiſsimos fauores & præmia.

QVID FACIAT RELIGIOSVS ERGA *Deum.*

PRIMVM ergo perpendam, *duo* eſſe, quę Religioſus facit erga Deum, expreſſa hîc à S. Petro. PRIMVM eſt, relinquere quęcunque relinqui poſſunt: nam voto PAVPERTATIS renunciat *dominio* bonorum têporalium, quæ poſsidet, & iuri in illa & voluntati ad ea ampliùs quærenda; ita vt ſi totus mundus ipſius eſſet, totum relinqueret; contentus ſolùm neceſſarijs ad vitam tranſigendam; idq́; cum dependentia à voluntate Prçlati. Voto CASTITATIS renunciat *omnibus* voluptatibus carnis, non ſolùm illicitis, ſed etiã licitis; quales ſunt in Matrimonio; renuncians omni iuri habendi vxorem, filios, aut familiam, & ad conſeruandam hanc puritatem carnis offert ſe, ad eam per pœnitentiam mortificandam *clauſurâ & cuſtodiâ* ſenſuum. Voto OBEDIENTIAE renunciat *propriæ libertati*, offerens ſe ad abnegandum proprium iudicium, & propriam voluntatẽ, vt faciat illam quæ eſt, & Dei Prçlatorum, qui Dei nomine ipſum gubernant. Ad quod præſtandum expedit ſe à Patre, matre, fratribus, amicis, vicinis, & relinquit propriam Patriam; omnes ita abnegando, atque ſi illos non noſſet; paratuſq́ue eſt ad ſanitatem & vitam profundendã, quando lex charitatis & obedientia id exigeret. Ex quo intelligitur, quòd religioſu offerat Deo, ex ſe ipſo, & omnibus rebus ſuis, perfectum quoddã *holocauſtum*: dans illi, vt ait S. Gregorius, quidquid habet, ſcit, & poteſt. Sed quid magnum dulciſsime Ieſu, quòd ego tale holocauſtum de me offerã in tuum obſequium, ſiquidem tu aliud multò maius in meam vtilitatem obtuliſti? tu renunciaſti rebus omnibus huius vitæ, vt mihi remediũ adferres; æquum eſt ergo, eaſdem vt ego relinquam, quò tibi ſeruiam.

I. Relinquit quæ relinqui poſſunt

S. Baſil. Reg. 8. ex fuſiſ.

S. Greg. hom. 12. in Ezech

ALTERVM, quòd Religioſus offert, eſt *ſequi Chriſtum D. N.* ita vt quiſque iuxta facultates ſuas *imitetur* clariſsimas *virtutes*, quæ in illo eminuerunt, & *conſilia* perfectionis, quæ ipſe nos docuit: quem aſpiciunt tanquã *exemplar vitæ ſuæ*, & cum eo familiariter agunt in oratione, b *ſequentes hunc Agnum quocunque ierit*, nunquam ab illo aut oculos auertentes, aut ab eius conſortio ſe procul ſeparantes.

II. Sequitur Chriſtum pro viribus.

b *Apoc. 14. 4.*

Excellentię Religioſorum.

QVO verò appareat plurima contineri in his duabus rebus, quas Deo offert Religioſus; licet eis applicare, quod S. Paulus dixit de Sanctis antiquis: nam pręclara c *fide* ſicut *Abraham*, exeunt de *terra ſua, & è domo Patris ſui*; vitam ducunt tanquam peregrini, *expectantes ciuitatem habentem fundamenta, cuius Artifex & Conditor Deus*: Et ſicut idem ille Abraham, offerunt in holocauſtum *filium ſuum vnigenitum Iſaac*, iugulantes obediétiæ voto propriam ſuam voluntatem, vt expleant Diuinam; confidentes quòd poſsit Deus illam reſuſcitare cum vita meliore, quàm priùs haberet: Et, ſicut Moyſes, d *negant* filiationem & nobilitatem huius mundi, *eligentes potiùs* cum iuſtis affligi, *quàm temporalis peccati habere iucunditatē, maiores diuitias æſtimantes theſauro AEgyptiorum, improperium Chriſti*; nihili facientes hominum iudicia; *nam inuiſibilem tanquam videntes ſuſtinent*. Hac fide exeunt ipſi à tyrannide Pharaonis, qui eſt Dęmon, tranſeuntque *mare rubrum* ſiccis pedibus, penetrantes & deijcientes murum difficultatum quæ remorantur ingreſſum in terram promiſsionis æternæ; *obturant ora leonum*, propriarum videlicet paſsionum, *extinguunt impetum ignis* ſuarum cupiditatum; *conualeſcunt de ſuis infirmitatibus*, & imbecillitatibus, *fortes facti ſunt in bello*, & pugna tentationum; *circumeunt in melotis & pellibus caprinis*, veſtibus ſcilicet rudioribus & aſperis cilicijs; *egentes*, eſurientes & ſitientes; *in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in cauernis terræ*, excellentem hanc vitam tenentes, vt veſtigia ſequantur ducis ſui Ieſu, *quibus dignus non eſt mundus*.

c *Heb.* 11. 8.

d *Heb.* 11. 24.

Retributio.

QVANDO hęc duo prædicta pręſtitero, ſicut S. Petrus, in virtute fidei, & confidentiæ in gratia & Omnipotentia Saluatoris, potero eidem dicere: *quid ergo erit mihi?* O Saluator dulciſsime, non hoc intendo, vt tibi propter *mercedem* ſeruiam: ſatis enim magnum eſt præmium, tibi ſeruire, quia tu talis es: ſed vt imbecille cor meum excitem, dic mihi quæſo, *quid mihi erit?* quod reddes mihi præmium propter ea, quæ amore tui facio?

QVID FACIAT DEVS ERGA Religioſum.

MOx perpendam, quæ Deus facit erga Religioſum, ea reducendo ad tria illa, quæ Chriſtus S. Petro promiſit, eoq; ordine, quo ipſe illa poſuit.

I. Dabit ſedē & thronum cœleſt. *S. Aug. Beda & alij.*

PRIMVM eſt, quòd in die *iudicij* daturus ſit illi SEDEM & *thronum* excellentiſsimum, pro eo loco, quem deſeruit in mundo, vt Religionem ingrederetur; ita vt, cùm reliqui omnes homines comparebunt ante *tribunal* Chriſti, vt de eis iudicium feratur, ſint Religioſi cum Apoſtolis, ſedentes in *throno gloriæ*, tanquam iudices cum ſingulari gaudio & ſpeciali

honore,

Digitized by Google

honore, eò quòd imitati fuerunt ipſum Iudicem ſupremum in *pauperta-te, caſtitate, obedientia*, & in reliquis virtutibus, ad quas amplectendas nobis in Euangelio conſilium dedit; quia propendet valde, vt a *glorificet eum, qui ipſum glorificauerit*, & eos *exaltet*, qui, vt ipſi honor deferretur, ſeſe abiecerunt, & *humiliarunt*. a 1. *Reg*. 2. 30 b *Mat*. 23. 12.

II. Dabit centuplum in hac vita.

SECVNDO promittit dare illi CENTVPLVM *in hac vita*; quod præmium interdum numerat, & in eodem genere redditur: nam (vt Caſſianus ait, & ipſa experientia docet) qui *domum vnam* aut *agrum*, patrem, fratrem, amicum, aut fidelem famulum, vt Religioſus fieret, reliquit; inuenit omnes domos, reditus, & Eleemoſynas totius Religionis cum multis centenarijs perſonarum, quæ erga ipſum faciunt officium Patris, fratris, & amici, ſeruiuntque ipſi maiori fidelitate, quàm ſeculares; & propter *honorem*, quem reliquit in mundo, recipit non quæſitum centuplum in *honore*. Et ipſa ſpecialis Dei prouidentia, eſt centies millies pluris facienda, quàm omnia quæ reliquit. nam eo ipſo, quòd eius amore reliquerim quæ habebam, recipit ipſe in ſe, dare quæ conueniunt, modo ſuperiùs indicato; ſicut experti ſunt ipſi Apoſtoli, cùm Chriſtus diceret; c *quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt*; Nihil. *Collat. vltima cap. vltimo.* *Medit* 31. c *Luc*. 22. 35.

Conſolatur.

ALIAS redditur præmium in alio genere, quod eſt multò pretioſius; cùm loco rerum quas dimiſimus, tantam nobis immittit conſolationem, propterea quòd ab eis nos expediuerimus, vt excedat in centuplum eam, quam habuiſſemus, res noſtras retinentes. Deliciæ enim Spiritus incomparabiliter excedunt delicias carnis, magiſque delectatur perfectus Religioſus, dum opprobrijs afficitur, & dum colit paupertatem; quàm ambitioſus & auarus, dum afficitur honore, & abundat diuitijs. Et vt etiam in hac re ſecuros nos faceret Saluator noſter, adiecit (S. Marco teſte) qui ſua reliquerit propter Chriſtum, accepturum centies tantum, d *cum perſecutionibus*. O Pater amantiſſime, quas tibi gratias reddam, quòd me ad tuam *domum* deduxeris? verè ſiquidem e *melior eſt dies vna in atrijs tuis, ſuper millia* extra illam; præferoque *abiectus eſſe in domo Dei magis, quàm habitare* & honorari *in tabernaculis peccatorum*: neque maior vllus honor, aut maiores deliciæ eſſe poſſunt, quàm viuere ſub tua protectione. Quid poſſum, Domine, propter te relinquere, pro quo tu non reddas centuplum? ſi *patres* meos deſero; tu ſuccedis, vt mihi ſis Pater; ſi *hæreditati* renuncio, tu es hæreditas mea; ſi *omnia* reliquero, tu mihi es omnia. O *cambium* cæleſte! O Diuina *permutatio*! accipe me Domine in tuum, ſiquidem adeò liberaliter tradis te ipſum in meum. *S. Baſil. de conſtit. monar. c*. 7. Oratio. d *Mar*. 10. 30 e *Pſal*. 83. 11.

III. Dabit vitã æternam.

TERTIO promittit VITAM AETERNAM, addens ijs, quæ omni-

bus fidelibus promiſit, ſpecialem quandam prouidentiam, deducendi illos ad eam vitam, per media adeò ſecura, vt eadem obtineant multò faciliùs, & cum maiori præeminentia. Quamobrem dicunt Sancti, *perſeuerantiam* in Religione *ſignum eſſe prædeſtinationis*: nam in præmium quòd renunciauerit proprio iudicio, & ſui ipſorum gubernationi, Deus ipſe ſingulari cura eos gubernat, vt felix & fortunatum præmium conſequātur. Gaude, anima mea, quòd te Deus elegerit ad felicem hunc ſtatum; ſit tibi *cella cælum*, viuenti in ea puritate, qua Angeli viuunt in cœlo. ſi enim in ea perſeueraueris vſque ad mortem, ex ea deduceris in cœlum, vbi regnes cum Chriſto in æternum, Amen.

S. Bernard. ad fratres de monte Dei. S. Lauren. Iuſtin. de perfect. monaſt. conuerſ. c. 7.

MEDITATIO XLIX.

DE EXACTISSIMA DEI PROVIDENTIA ERga Prædeſtinatos, & bonam eorum mortē, ac perſeuerantiam in gratia, & quàm ſit præſtans beneficium hoc prædeſtinationis.

SVPREMVM *beneficium, quod nobis Deus confert in hac vita, eſt, quòd ſua Diuina prouidentia ita res noſtras diſponat, vt piam mortem in eius gratia & amicitia obeamus. in qua morte tota conſiſtit noſtra ſalus; & propterea in ea, compendio continentur omnia beneficia prædeſtinatorum, de quibus Apoſtolus ait: multos Deus* a prædeſtinauit, conformes fieri imaginis filij ſui: quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit. *Quibus verbis tria ſingularia beneficia prædeſtinatorum indicat;* PRIMVM *eſt, quòd eos vocet ante mortem, ita vt reipſa iuſtificentur.* SECVNDVM, *quòd eos iuſtificet, ita vt in ea iuſtitia ad mortem vſque perſeuerent; ex quo ſequitur* TERTIVM, *vt eos glorificet præmio æternæ gloriæ. Prouidentiam ergo Dei circa hæc omnia, vocamus* PRAEDESTINATIONEM; *cuius cauſas, effectus, & ſigna expendemus pro ratione noſtri inſtituti, & ad noſtram conſolationem, & vtilitatem.*

a Rom. 8. 29

S. Thom. 1. p. q. 23.

PVNCTVM I.

I. Vocat & iuſtificat ante mortem.

PRIMO eſt conſideranda exactiſſima prouidentia Dei D. N. circa vocandos & iuſtificandos nonnullos peccatores *ante mortem*; eò quòd illos ad cœlum prædeſtinauerit. Hæc VOCATIO adeò ſingularis in eo conſiſtit, vt tali tempore & opportunitate, tanta frequentia &

efficacia inſpirationum, totque internis externiſque pulſibus eos vocet, vt tandem conſentiant vocationi Diuinæ, & conſequantur gratiam iuſtificationis, ſicut euenit bono illi a *latroni* in cruce; & interdum adhibet etiam media extraordinaria, & quaſi prodigioſa, ſicut quotidiana experientia nos docet: de qua re ſunt aliqua dicta ſuprà *Meditatione* 27. a *Luc*.23. 42

II. Perſeuerantiæ dat donum.

DEINDE conſideranda eſt ſpecialis prouidentia eiuſdem DEI D. N. circa MORTEM iuſtorum, qui ſunt prædeſtinati, *vt perſeuerent* in eius gratia, & in ea vltimum diem ſuum obeant. Nam primò eos præuenit ſingularibus fauoribus, ne tentationibus ſuccumbant; & præſeruat à multis, quę illos potuiſſent deijcere: dirigit itẽ *modum* & *genus mortis*, quæ illis ad ſalutem conſequendam magis conuenit, ſiue id ſit cum ingentibus doloribus, ſiue cum exiguis; ſiue ſenſim, ſiue repentè, b *ne malitia mutet eorum cor*, aut præuidentes iam accedere ſibi horam mortis, grauiter affligātur. *Quoſdā* deducit per magnos timores, ne euaneſcant, & per ſuperbiam pereant: *alios* per magnas conſolationes, ne deficiant, aut pereant per diffidentiam: *quoſdam* ſingularibus proſequitur fauoribus, tanquam præmijs ſingularium ſeruitiorum. b *Sap*.4. 11. *Trident. ſeſſ.* 6. *can*. 26.

DENIQVE per media admiranda & ſecreta, dat illis *perſeuerantiæ donum*; de quo dixit ipſe Chriſtus Dominus: c *qui perſeuerauerit vſque ad finem, ſaluus erit*. & quoniam hoc donum non cadit ſub noſtrum meritum, illud eſt demiſsè à Deo petendum, & Sancti orandi, vt & ipſi pro nobis petant; idque faciendum nobis eſt per feruentes orationes; quæ & illæ medium ſunt prædeſtinationis. O Deus æterne, cuius opera ſunt perfecta: ſiquidem in me cœpiſti opus ſalutis meæ, imponas illi perfectè finem; *donum perſeuerantiæ* mihi donans, quo tandem obtineam coronā. O Sancti cæleſtes, quibus Deus hoc donum conceſſit, impetrate & *illud* mihi; ſupplicantes ei, vt talē mei prouidentiam, & mortis meæ gerat, vt ſit principium æternæ vitæ meæ, Amen. c *Mat*.10. 22. *S. Thom*. 1. 2. q. 109. a. 10. & q. 114. a. 9. Oratio ad Deum & Sanctos.

PVNCTVM II.

Cauſæ prędeſtinationis

DEINDE conſiderandæ ſunt *cauſæ*, ex quibus altiſſimum hoc beneficium prouenit, vt illud obtinendi ſpem habeamus.

I. *Epheſ*.1. 5. Miſericordia & bonitas.

PRIMA cauſa, eſt infinita BONITAS & MISERICORDIA Dei, quæ videns omnes homines naturâ ſuâ eſſe inſtabiles; & ob ſuam libertatem & ſimul imbecillitatem, facile eſſe, vt omnes perirent, reſiſtentes medijs generalis ipſius prouidentiæ, voluit aliam *maximè* ſingularem de aliquibus gerere; in quibus, abſque meritis eorum a *oſtenderet ipſe*, (vt ait Apoſtolus) *diuitias gloriæ ſuæ*, quos propterea appellat *vaſa* a *Rom*.9 23.

miſe-

Digitized by Google

miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam ſuam, ſicut Meditatione 12. perpendimus.

II. Merita D.N. b Rom. 8.29

SECVNDA cauſa eſt, infinita MERITA Chriſti D.N. propter quæ voluit æternus Pater, certam aliquam familiam electorum illis aſſecurare, b *qui conformes eſſent imaginis* ipſius, *vt eſſet ipſe primogenitus in multis fratribus*, illi ſimilibus in Eſſe gratiæ & gloriæ, ſicut erant in natura. Ex quo fit, vt quamuis *hi* prædeſtinati *pauci* ſint reſpectu eorum, qui ſua culpa perierunt, reijcientes conformitatem ipſius Chriſti; abſolutè tamen (vt ait

c Apoc. 7.9.

S. Ioannes) c *eſt illorum turba magna, quam dinumerare nemo poteſt*: ſic enim decebat magnitudinem miſericordiæ Dei, & dignitatem Saluatoris, & efficacitatem meritorum eius.

Ex duplici hoc fonte magnos concipiam gaudij affectus, ob hanc *electionem* tot *prædeſtinatorum* à Deo factam; & confidam, me vnum eſſe eorum; ſiquidem ſalus mea talibus nititur *pignoribus*; ſi tamen, vt, qui ad

d 2. Pet. 1.10

Chriſtianiſmum ſum vocatus, d *ſatagam* (vt ait S. Petrus) *per bona opera certam meam vocationem & electionem facere*. nam ex parte DEI numquam mihi deerit ſufficiens auxilium ad obtinendam perſeuerantiam, & bonam mortem; quamuis ipſius DIUINA Maieſtas velit id totum eſſe mihi *occultum*, ne quid de DIUINO eius ſeruitio remittam. Ne itaque, anima mea, nimijs anxietatibus turberis; ſed confidenter proijce te in manus adeò beneuoli Patris, & miſericordis Redemptoris, ſperans, finituros ipſos perfectè opus, quod ſua gratia in te cœperunt. Et quandoquidem ea eſt eius *voluntas*, vt tam *prædeſtinatio* ipſa, quàm *perſeuerantia* tua tibi ſit *occulta*, lauda illum idcirco, & deſiſte ea ſcrutando, neque enim par eſt

e Eccl. 3.22.

velle ſcire, quod non voluit DEUS reuelare, e *ſed* (vt ait Sapiens) *quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper*, vt illa impleas; & ſic peruenies cum *prædeſtinatis* ad fruendum præmio illorum.

PVNCTVM III.

Indicia & coniecturæ cognoſcẽdi prædeſtinatos.

VLTIMO conſiderabo, multa eſſe *indicia* & *coniecturas*, ad cognoſcendos eos, qui ſunt prædeſtinati; quæ ſeriò eſſent nobis procuranda, tum ad noſtram conſolationem, tum ad reſumendum maiorem animum: ſiquidem nulla maior cauſa lætitiæ nobis eſſe poteſt; quā

a Luc. 10.20

quòd noſtra nomina (vt ipſe Saluator dixit) *ſcripta ſint in cœlis*. Hæc *ſigna* ſunt in primis, *audire* libenter verbum DEI, *obedire* occultis eius inſpirationibus, *conari* eius mandata & conſilia opere *implere*, nominatim verò, omnia ipſius amore relinquere; frequentare Sacramenta & orationis exercitia, eſſe beatiſſimæ Virgini deuotum, & valde addictum ad miſericordiæ opera exercenda; & ipſe continuus *timor* DEI & iudiciorum e-

Digitized by Google

ius, *ſignum* eſt prædeſtinationis. eum enim imprimit cordi noſtro Deus, vt vineæ noſtræ bonus ſit cuſtos. Denique per hæc, quæ diximus, b *ipſe Spiritus Sanctus* (vt ait Apoſtolus, & explicat S.Bernardus) *teſtimonium reddit* internum *Spiritui noſtro, quòd ſimus filij Dei: ſi autem filij, & cohæredes Chriſti*. O Rex æterne, ſupreme c *Paſtor*, *cuius oues* in eo *cognoſcuntur, quòd vocem tuam audiant*, & vitam tuam imitentur; concede mihi, vt quæ mihi dicis, audiam; & quæ mandas, exequar; vt *pignus* hoc habeam, quòd ſim *ouis* electi tui gregis; & in die iudicij me ad tuam dexteram colloces, & in regnum tuæ gloriæ tecum deducas, Amen. b *Rom.* 8. *Serm.* 2. *de Octa. paſch.* Oratio. c *Ioan.* 10.

Ad tollendam anxiam ſolicitudinem noſtræ perſeuerantiæ & prædeſtinationis, iuuerit diligenter expendere, quæ Meditatione 31. *ſunt poſita. vt verò eandem ſecuriorem reddamus, eo modo quo hic fieri poteſt, plurimùm iuuerit, quæ proximè ſequitur Meditatio.*

MEDITATIO L.

DE HVMILITATE ET RESIGNATIONE, quæ nos diſponunt ad copioſos fructus ex Diuina prouidentia colligendos.

HVMILITAS, *quæ nos diſponit ad magnos fauores Diuinæ erga nos prouidentiæ, non ſolùm illa eſt, quæ pertinet ad eos, qui fuerunt peccatores, & fundatur in* peccatorum noſtrorum cognitione, *de qua actum eſt* prima Parte; *Sed illa humilitas, quæ pertinet etiam ad ſanctiſſimos, & ipſam Chriſti Domini noſtri animam, quæ fundatur ſupra cognitionem illius nihili, quod ex nobis ipſis habemus; de qua actum eſt in* Meditationibus 6. huius Part. *in quibus quatuor præcipua puncta expendimus.* PRIMVM, *quòd totum Eſſe corporis & animæ meæ, cum omnibus membris & facultatibus, & cum ornatu eis addito tam naturali quàm ſupernaturali,* nihil meum ſit, *ſed omnia Dei, qui illa dedit; & niſi ipſe ea dediſſet, manſiſſem ego in abyſſo* nihili, *vt perpendimus in Meditatione 2. & 17.* SECVNDVM *punctum fuit, quòd poſtquam* totum *hoc accepi; non poſſim illud conſeruare; & niſi Deus actu ſemper conſeruaret, ſtatim totum illud rediret in* nihilum, *vt* Meditatione 28. *dictum eſt.* TERTIVM *fuit, quòd vſus omnium mearum facultatum & ſenſuum, & omnes eorum actiones, ita dependeant à Deo, vt ſine actuali eius concurſu nihil poſſim, ne quidem cogitare, ſicut ibi fuit expenſum.* QVARTVM *fuit punctum, quòd etiamſi plurima acceperim, omnia tamen ſint* nihil, *comparatione ipſius Eſſe Dei, & perfectionum ac virtutum eius, vt* Meditatione 6. *fuit di-* S. *Thom.* 2.2 *q.* 4.1. *ad* 4.

Digitized by Google

ctum. Addo QVINTVM, *quòd ex meipſo ſim fons totius eius, quod eſt* nihil, *&* *eius, quod minus eſt, quàm* nihil, *peccati ſcilicet; ſicut expendimus in* Meditatione 4. 1. *partis. Hoc inquam totum inuenietur ſimul collectum in hac Meditatione, cuius argumentum & materia erit ſimilitudo illa, qua frequenter vſus eſt*
a Mat. 1. 83 *Chriſtus, dicens*: *a* Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. quicunque ergo humi-
b Luc. 18. 16 liauerit ſe, ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in regno cælorum: *& illud*: *b* ſinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos: talium eſt enim regnum cælorum.

PVNCTVM I.

PRIMVM eſt conſideranda *heroica* HVMILITAS, quæ in hac Chriſti Domini comparatione nobis proponitur; & fructus Diuinæ prouidentiæ qui ex ea colliguntur. cuius cauſa me in conſpectu Dei cóſtituam, cogitans, me paruum aliquem puerum eſſe. cuius hæ ſunt proprietates. PRIMA, quòd ſi maculatus ſit, non poſſit ſeipſum purgare, niſi alius ipſum purget; SECVNDA, ſi cecidit in terram, non poteſt ſurgere, niſi ab alio eleuetur; TERTIA, ſi ſtantem ſuper proprios pedes illum conſtituant, non poteſt conſiſtere niſi ad id ſuſtentetur, nec vel ad vnum paſſum progredi, niſi ducatur; QVARTA, ſi eſurit aut ſitit, nec poteſt comedere nec bibere, niſi ei porrigatur; QVINTA, ſi friget, aut labor aliquis, aut periculum inimicorum immineat, non poteſt ſeipſum liberare, niſi adſit qui liberet; nec ſe defendere, niſi ab alio defendatur; SEXTA, pro complemento ſuarum miſeriarum, nec ſcit, nec poteſt petere quod ſibi deeſt, nec quidem illud nouit, vt petere poſſit. Hæ ſunt *miſeriæ* vnius infantis; pro quibus non eſt aliud remedium, quàm pietas & amor matris, quæ materna prouidentia filio adeſt, & in omnibus ſubuenit. talem itaque meipſum eſſe exiſtimabo in conſpectu Dei, attribuens mihi prædictas infantis proprietates.

(Proprietates miſeriæ. Similitudo infantis. 1. 2. 3. 4. 5. 6.)

I. Imbecillitas. PRIMVM, tanta eſt mea IMBECILLITAS, vt ex meo ſolo libero arbitrio peccare poſſim, & multis me culpis maculare; ſed, poſtquam peccaui, non poſſum ſolus me lauare, aut à culpis purgare, niſi Deus me la-
a Pſal. 50. 4. uet, ac purget; quare meritò cum Dauide dicam Deo: a *Laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.*

II. Facilè cadit. DEINDE, pondere deprauatarum mearum *propenſionum*, & corporis huius corruptibilis, quod animam deprimit, facilè *in terram decido*; & proſtratus in ea hæreo, cum affectibus inordinatis ad res terrenas, eò quòd ſim filius Adami terreni. quare poſtquam cecidi, *non poſſum ſolus ſurgere*, niſi Deus manum porrigat, erigatque: alioqui ſemper ita proſtratus

hære-

Digitized by Google

hærerem; ſicut domus Iſrael, de qua dixit quidam Propheta: b *domus Iſrael cecidit, & non adÿciet vt reſurgat.* b *Amos* 5. 1.

TERTIO, ſi Deus miſericordia ſua me *erigit*, & ſuper pedes ſtantem conſtituit, dans mihi virtutem aliquam aut ſpiritum deuotionis; non poſſum ſolus meipſum *continere*, nec quod accepi conſeruare, nec vel paſſum vnicum progredi, niſi idem Dominus me ad id adiuuet. quare ſemper decet, me eſſe in timore relabendi; iuxta illud Apoſtoli: c *qui ſtat, videat ne cadat.*

III. Solus conſiſtere nequit.

c 1. *Cor.* 10. 12

QVARTO, ſi eſurio & ſitio *ſpirituales cibos*, qualia ſunt Sacramenta, verbum Dei, opera iuſtitiæ, nec poſſum per meipſum illa quærere, nec ita illa comedere, vt mihi proſint, niſi Deus ad vtrumque iuuet. quòd ſi incidat aliquod deſiderium proficiendi, non poſſum illud explere, niſi Deus, qui illud ſuggeſſit, *gratiam* quoque præbeat ad executionem.

IV. Cibos ipſe ſumere nõ poteſt.

QVINTO, tot ſum tentationibus & periculis circumdatus à Dæmone, mundo, & carne, vt ſit mihi impoſſibile proprijs viribus ab eis liberari; niſi Deus liberet; nec habeo arma, quibus me defendam, niſi Deus dederit. ſemper rigerem peccatis, & torpore, niſi Deus igne ſui amoris calefaceret; & contrà, ſemper arderem igne amoris proprij, niſi Deus viua ſuæ gratiæ aqua æſtum illum temperaret ac refrigeraret.

V. Deus à tentationibus nos liberat.

DENIQVE tanta eſt mea miſeria, vt d *quid orem ſicut oportet, neſciam*, niſi ipſe Dei ſpiritus id ſuggerat; nec mea pericula & neceſſitates cognoſcere poſſum, niſi Deus earum grauitatem mihi reuelet. Hæc eſt miſeria, quam à me ipſo habeo. Ex quo efficitur, quòd facere me *infantem*, non ſit, me eſſe harum rerum ignarum; nec actu in huiuſmodi miſerijs hærentem: ſed ſit agnoſcere me propenſum, & ad incidendum in eas obnoxium: ex quo, tanquam ex radice, naſcitur perfectio: ſic enim Apoſtolus; e *fratres nolite pueri effici ſenſibus* & cognitione, *ſed malitia paruuli eſtote: ſenſibus autem perfecti eſtote.*

VI. d *Rom.* 8. 26 Quid orandum ſuggerit.

e 1. *Cor.* 14. 20.

POSTQVAM haſce omnes miſerias, quas ex meipſo habeo, benè perpendero; oculos attollam, ad expendendum, qua ratione *infinita charitas*, & paterna Dei *prouidentia* accurrat, vt omnibus ſubueniat; idque maiori multò cura & ſolicitudine, quàm matres carnales ſuccurrant paruulorũ ſuorum neceſſitatibus: quia fieri poteſt, vt illæ aliquando filiorum ſuorum obliuiſcantur, at ipſemet Dominus ait: f *& ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.* Quare ipſe prouidentiâ ſuâ accurrit, vt maculatum me *lauet*; in terra iacentem *erigat*; conſiſtentem pedibus *teneat*; eſurienti conuenientem *cibum porrigat*; à meis hoſtibus oppugnatum *defendat*, doceatque me orare, ita vt ex parte ipſius pro-

VII. Deus omnes miſerias tollit.

f *Iſa.* 49. 15.

uidentiæ numquam mihi deſit remedium; id quod magis eſt in promptu & ad punctum, quàm ſi fuiſſet in ſola mea libera poteſtate. Ideoque affectus humilitatis, ac diffidentiæ de me ipſo, eò quòd me agnoſcam æquè imbecillem, atque ſi vnus *infans*, coniungam affectum amoris & fiduciæ in Deum, quem video tanta cura & ſolicitudine meo attendere remedio; ne conſideratio meæ infantiæ reddat me puſillanimem; ſed potiùs magis animet. nam ſicut mater maiorem prouidentiam & curam gerit filioli paruuli, qui nullam ſui curam habere poteſt, aut per ſe remedium inuenire, quàm adultioris filij, qui poteſt ſe ipſum iuuare; ſic Deus D.N. *indulgentem* magis habet prouidentiam, & magis particularem humilium, qui ſe in proprijs oculis infantes iudicant, quàm eorum, qui multum ſibi arrogantes, magnos & fortes ſe eſſe exiſtimant. Et ita ipſe ait; g *quomodo ſicut mater blandiatur, ita ego conſolabor vos, ad vbera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis!* O felicem illum iuſtum, qui ex *humilitate* ſe reputat *infantem*; quia idcirco fruetur admiranda adeò & indulgente prouidentia. O beatam humilitatem, per quam Dei prouidentia fructus profert adeò copioſos! O Pater benigniſſime, quò ego magis miſerias meas agnoſco, eò te magis diligo, propter eam curam, quam ponis in me liberando. Et ſiquidem à tua Omnipotentia ita fui conſtitutus, ſicut *infans*, indigens continuo tuo auxilio & aſſiſtentia; aſſiſte mihi prouidentia tua paterna, vt à te laudando numquam deſiſtam: ſiquidem h *ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem*, quæ tibi arridet, & placebit in æternum, Amen.

Deus ſubuenit humili.

g *Iſaiæ* 66. 12.

Oratio.

h *Pſal.* 8. 3.

PVNCTVM II.

Reſignatio omnium qualis eſſe debeat.

CONSIDERANDA deinde eſt humilis *reſignatio*, quæ in hac ipſa comparatione proponitur, & fructus diuinæ prouidentiæ, qui ex ea proueniunt.

PERPENDENDVM ergo eſt, quòd *infans* naturâ ſuâ nullam habet curam ſui, aut eorum, quibus indiget, ſed prouidentiæ & curæ maternæ ſe & omnia relinquit: quia nulla ipſi eſt cura de *lacte*, quod accepturus eſt, num ſit aptum vel ineptum; nec moratur, quòd inuoluatur *pannis* ſubtilioris aut craſſioris telæ, aut *crepundijs* ſericis vel rudioris pãni: quia quibuſuis eſt contentus; non obſeruat, num in palatijs ſplendidis habitet, aut in mollibus pretioſis cunis collocetur; aut in paupere domúcula, & vili præſepi iaceat; nec inaniter ſe effert, eò quòd vt filiæ Regis, honor ſibi aliquis deferatur; nec affligitur, quòd parui fiat & contemnatur, eò quòd ſerui alicuius ſit filius; denique cùm ipſe nihil de ſe curet,

Digitized by Google

talis eius eſt conditio, qualis eſt Patris & matris ſuæ; & talis eius educatio, qualis eſt prouidentia eorum, qui curam illius gerunt. *Infantis inſtar curas omittere.*

In hunc ergo modum ſtudere debeo facere me *infantem*, in conſpectu Dei D.N. virtute id faciens, quod infans facit naturâ ſua; reijciens ſcilicet à me anxias omnes curas, & a *omnem ſolicitudinem meam in Deum proijciens, quoniam ipſi eſt cura de me*: & b *ipſe me enutriet*, geretque curam mei, ſicut infantis filij ſui; proſpiciet mihi de cibo, veſtitu, honore, & reliquis, vt ſuprà eſt dictum. Exultare igitur debeo, ob *ſortem* bonam, quæ mihi cõtigit in tali patre & matre, qualis ipſe eſt Deus; cuius cura & prouidentia erga me, excedit infinitè eam, quam Reges omnes & principes, & quam parentes omnes & matres huius mundi, erga filios ſuos habere poſſunt. ſi enim verum eſt illud Apoſtoli: c *ſi quis ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior*, quomodo erit poſsibile, vt Deus D.N. qui promiſit, & in ſe recepit curam noſtri gerere, & impoſsibile eſt, vt ſeipſum neget, & fidelitati ſuæ deſit: vt ille inquam, negligat magnam ſuorum, quorum cura ipſi incumbit prouidentiam habere, & maximè filiorum, qui in eius domo verſantur, nec aliud quàm ipſius patrocinium habent, eò quòd ſint *infantes*. Cuius rei dulciſsimũ eſt teſtimonium id, quod ipſe dixit Prophetę Ionæ: d *non parcam ego Niniue ciuitati magnæ, in qua ſunt plus quàm centum viginti millia hominum, qui neſciunt quid ſit inter dexteram & ſiniſtram ſuam*: Atque ſi dixiſſet, etſi non mouerent me ad commiſerationem viri, qui ſunt in Niniue, ſufficeret vt teneręſcerem, quòd viderem in ea centum & viginti millia innocentum *infantum*, qui nihil curant proſperitates, per dexteram manum ſignificatas; nec aduerſitates, ſignificatas per ſiniſtram; quia, vtpote infantes, nullâ horum curâ tanguntur, quos tamen nolo negligere, qui ſum illorum Pater.

a 1. Pet. 5. 7.
b Pſal. 54. 23.
c Tim. 5. 8.
d Ionæ 4. 11.

Oratio. [illegible]

O Pater benigniſsime, quantas poſſum tibi gratias ago, pro illa ſpeciali prouidentia, quam geris eorum, qui demiſsè manibus tuis ſe totos committunt. Ne permittas Domine in ignorantiam e *Ephraim* me incidere, *cuius tu quaſi nutritius eras, & portabas in brachijs tuis, & neſciuit, quod curares eum*, nec agnouit bonum, quod à te accipiebat, & miſeriarum remedium, quod illi adferebas. Nouerim me Domine, & nouerim te, vt propria mea miſeria con[illegible] habere infinitæ miſericordiæ tuæ. Amen.

e Oſee 11. 3.

PVNCTVM III.

TERTIO conſiderandi ſunt quinque alij *fauores*, & *priuilegia* paruulorum & humilium, quæ in prędicta Chriſti Domini ſententia inſinuantur. *Priuilegia paruulorũ.*

I. PRIMVM eſt, quòd propter ſuam *paruitatem* inuenient ingreſſum in

a *Mat.*19.14 Regnũ cœleſte. regnum cœlorum, a *ſinite*, inquit, *paruulos venire ad me: talium eſt enim regnum cælorum*, & qui non ſe fecerint paruulos, non ingredientur eò, & proinde amittent media, finemq́ue ipſum paternæ Dei prouidentiæ, qua re ipſa non fruentur.

II. Magni futuri in eodẽ. SECVNDVM eſt, quòd illi ſint *magni* futuri in eodem regno, ad eam videlicet menſuram, qua ſe hîc humiliauerint. quo enim magis hîc ſe demiſerint, eò erunt in hac vita ſanctiores, & ampliora præmia in futura conſequentur. Quamobrem dixit S. Baſilius, quòd augmentum in humilitate, ſit augmentum in omni virtute; & quò humilitas eſt profundior, eò virtus eſt altior. *Sermone de abdicatione rerum.*

III. b *Matt.* 18.5. Chriſti in eos amor. TERTIVM eſt, quòd b *qui recipit vnum ex paruulis his in nomine Chriſti, recipit ipſum Chriſtum.* cùm enim illis coniungatur Chriſtus per *amorem*, quodcunque bonum aliquis eis impertiat, accipit ipſe tanquam ſibi ipſi factum. Quòd ſi Chriſtus D.N. adeò delectatur, dum alij huiuſmodi paruulos ſuſcipiunt, & ſicut ipſummet tractant; quantum credemus ipſum delectari, cùm ipſemet illos ſub ſua protectione in domum ſuam, in Regnum ſuum, & in ipſum cælum ſuſcipit? ſemper enim hic Dominus facere conſueuit, quod alios faciendum eſſe docebat, & exemplum operis ſuę doctrinæ pręmittere.

IV. Væ qui ſcãdalizauerit. c *Matt.*18.6. QVARTVM priuilegium eſt, quòd qui aliquem ex his paruulis *ſcandalizauerit*, data ſcilicet illi occaſione alicuius peccati, ſit ſeueriſſimè caſtigandus, c *expedit* enim (inquit) *ei*, *vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundo maris*, quàm ſcandalo eſſe huiuſmodi paruulis. ſicut enim ad ſuas rationes ponit, quidquid boni eis confertur; ita propriam reputat iniuriam quamcunque illorum offenſionem.

V. Humilibus [illegible] Ange[illegible]. QVINTVM priuilegium eſt, *quòd habeant* cuſtodes *Angelos*, *qui vident in cœlis faciem Patris*: licèt enim omnes homines habeant Angelos ſuos cuſtodes, vt ſuprà eſt dictum; humiles tamen præcipuè hac prouidentia gaudent, tam ex parte Dei, quàm ex parte ipſorum Angelorum, qui ſingulari cura huiuſmodi *paruulis* aſsiſtunt, quia magis nouerunt illorum neceſsitatem; ipſiq́ue exactiùs ſuo gubernatori Angelo ſubijciũtur, magiſq́ue gratos ſe oſtendunt, ob officium ſibi exhibitum, & acceptum ab

d *Gen.*21.15. eis bonum. In cuius rei teſtimonium [illegible] ſcriptura, quòd d *Agar, cùm erraret in ſolitudine, conſumpta aqua in vtre, abiecit puerum Iſmaelem ſubter vnam arborem, & abijt procul, ne morientem puerum videret: exaudiuit autem Deus vocem pueri, dixitq́ue Angelus Dei ad Agar; noli timere: exaudiuit enim Deus vocem pueri, ſurge, tolle eum, quia ingentem magnam faciam eum.* Cùm itaq; mater & filius eadem neceſsitate premerentur, & vterque fleret, non tamẽ dicit ſcriptura, quòd Deus audiuerit vocem matris, ſed *pueri*, nec Angelus Dei venit intuitu matris, ſed pueri; quamuis propter eum etiam matri

proui-

Digitized by Google

prouiderit. vt in hoc euentu, quaſi depicta appareat beneuola Dei & An-
gelorum eius cura erga paruulos; quorum neceſsitates & lachrymæ, ſunt
voces, quibus & Deus & Angeli teneraſcunt. Et quando ipſi e *Parentes de-* e Pſal. 26.10
relinquunt, & à ſe abijciunt paruulos, *Deus illos ſuſcipit* protegitque, deſti-
nans Angelos, qui ſingularem illorum curam gerant. O *felix infantia*, quæ
tantum locum habes apud Deum, & Angelos eius. Tu es porta cæli,
& menſura magnitudinis & perfectionis in eo ſuper te, f *aperit Deus* libe- f Pſal 144.
ralem *manum ſuam*; *& implet te* copioſa *benedictione*; propter te diligit eũ, 16.
qui te recipit, oditque eum, qui te repellit aut offendit; te amantem g *Deus* g Pſal. 137.6
reſpicit propè, vt ei ſubueniat, cumq; *exaltet*, eum verò qui te odit, *à longè*
cognoſcit, vt eum humiliet & caſtiget; te tacente, propria tua *neceſsitas cla-*
mat, & gemitus tui aſcendunt ad *tribunal* Dei, vnde Angeli ad tibi ſubue-
niendum expediuntur. Quis mihi daret, vt te corde toto diligerem &
amplecterer, cumque imitarer, qui pro me factus eſt *infans*? O dulciſsi- Oratio.
me Ieſu, qui adeò puram Spiritus *infantiam* & paruitatem dilexiſti, vt
propter eam acceperis etiam ipſam corporis paruitatem, factus pro no-
bis *paruulus*, & nobis præbens exemplum, vt humilitate *parui* efficiamur;
fac me ad imitationem tui *paruulum*, vt particeps effectus paruitatis hu-
ius, quam in hac vita elegiſti, particeps quoque fiam magnitudinis, quam
habes in altera, in æternum. Amen.

MEDITATIONES DE VLTIMO ET SVPREmo beneficio cæleſtis gloriæ.

H*IS de gloria cæleſti Meditationibus finem imponam huic libro;*
quia & illa eſt vltimus vitæ noſtræ finis, & omnium be-
neficiorum Diuinorum, *quæ ſunt media deſtinata à Diuina*
prouidentia ad eam conſequendam; quorum vnum & quidẽ
efficaciſsimum eſt, Deo ſupplicare, vt nobis det clarificatos fi-
dei oculos, ad illam intuendam & contemplandam, ſicut dedit
S. Ioanni, quando ille dixit: a vidi Sanctã Ciuitatẽ Ieruſalẽ a Apoc. 21.2.
nouã deſcendentẽ de cœlo, à Deo paratã ſicut ſponſam, ornatã viro ſuo, &
audiui vocẽ magnã de throno dicentẽ: Ecce tabernaculũ Dei cũ homini-
bus, & habitabit cũ eis. *O Deus æterne, qui cæleſtẽ Ieruſalẽ facis ad nos deſcen-* Oratio.
dere, dans nobis in terra degentibus notitiã eius; clarifica oculos animæ meæ, vt eius
ciuitatis præſtantiam & eminentiam cognoſcam, magnã eius ſanctitatẽ, pacis vi-
ſionẽ, inauditam nouitatem, admirandum ornatum, & ineffabilem quam tecum
habet deſponſationem. O ſi b ſonaret in auribus meis vox tuæ inſpirationis, b Cant. 2. 14.

qua

Digitized by Google

qua mihi diceret; Ecce tabernaculum *Dei cum hominibus ; & aperiret pulchritudinem & elegãtiam huius tabernaculi, & vnionem illam, quam cum felicibus eius habitatoribus habes. Eia dulciſsime animarum Sponſe, oſtende mihi faciem tuam, quia decora eſt, & vox tua ſonet in auribus meis, quia dulcis eſt ; oſtende mihi bona, quæ promittis, vt me animem ad illa ita procuranda, vt ad gloriam nominis tui tandem illa obtineam. Amen.*

MEDITATIO LI.

DE GLORIA COELESTI, QVO AD EIVS LOcum, & ſocietatem beatorum.

PVNCTVM I.

S.Thom. 1. p.q 3. & ſequent & q 82. Additio. Quid ſit beatitudo. 13 de Trinit. c.4. & 5.

CONSIDERANDVM eſt primùm in genere, quid ſit *gloria*, quid *paradiſus* & *beatitudo*; quæ, vt afferunt Theologi, eſt quidam ſtatus perfectus, in quo conueniunt omnia bona, aut eſt ſtatus quidam æternus, ſecurus, immutabilis, & expeditus ab omnibus malis culpæ & pœnæ, quæ timeri aliàs poſſent; plenus verò bonis omnibus naturę & gratię, quæ poſſunt deſiderari; ideoque ille beatus eſt, teſte S. Auguſtino, qui habet omnia, quæ vult; & non vult aliquid mali. Hoc poteſt facilè expendi, ſi diſcurram per omnia mala, quæ habeo, aut imaginor poſſe mihi euenire; & per bona omnia corporis & animi, quæ rationabiliter deſiderare poſſum, reiectis imperfectionibus huius ſtatus, in quo nũc viuimus, & earum loco poſitis quatuor hiſce excellentijs.

1. PRIMA eſt AETERNITATIS, quia ſcilicet duratura eſt beatitudo, quantum durabit ipſe Deus, a *cuius regni non erit finis*.

a Luc.1.33.

2. SECVNDA eſt SECVRITATIS, quòd ſit æterna futura. nouerunt enim Sancti, nullam poſſe eſſe culpam, propter quam Deus ſemel collatam ipſis *beatitudinē* auferat; nec mutaturum decretum, quo ſtatuit, nunquam ipſos è cœlo excludere.

3. TERTIA excellentia eſt IMMVTABILITATIS, quia eſſentialis gloria nunquam patietur detrimentum, nec beatorum gaudium vnquã imminuetur, quin potiùs accedent frequenter recentes accidentales gloriæ, quæ eam reddent amabiliorem.

4. QVARTA eſt SATIETATIS ſine faſtidio, ita vt ipſa immutabilitas nunquam *tædium* adferat, neque quies *defatigationem* fruendi eadem gloria; eò quòd adſit continuata quædam nouitas delectationis, quæ fuit

Digitized by Google

primo die, quo incepit. Hæ proprietates & excellentiæ beatitudinis, & gloriæ expendentur in ſingulis punctis ſequentibus. nunc licet eas in genere expendere, conferendo felicem illum ſtatum cum eo, qui eſt in hac vita mortali, qui etiamſi ſit proſperrimus, ſemper tamen illi deſunt multa bona, & admiſcentur multa mala, eſtque ſtatus temporalis mutabilis, inquietus, tædijs & faſtidijs plenus. quamobrem dixit Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis: b *nolite theſaurizare vobis theſauros in terra: vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur: Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo,* vbi nihil horum eſt metuendum: quibus verbis indicat *diſcrimē* inter theſauros terrenos & cæleſtes; quòd terreni ſint perituri, & re ipſa pereant, aliquâ ex tribus cauſis; vel quòd ipſo vſu conſumantur, vt ſunt cibi; vel quòd aliquid in ipſis oriatur, à quo deſtruuntur, quales ſunt veſtes, quæ à tinea in ipſis orta corrumpuntur; aut denique quòd aliqua externa cauſa illos nobis auferat; quæ cauſa ſunt latrones, & qui per fraudē aut calumniam ſibi retinent, quæ ad nos pertinebant. Ex quo prouenit, vt qui *cor* ſuum in his *theſauris* ponit, multis incommodis & cordis amaritudinibus ſit ſubiectus. *Cæleſtes* verò *theſauri* ex omni parte ſunt incorruptibiles & æterni, quia vſu non conſumuntur; ſed eadem integritate, qua cœperunt, durant per totam æternitatem; vt nec marceſcant, nec inuetereſcant, nec ex eis tinea vlla culpæ naſcitur, à qua corrumpantur; vaſa itē, in quibus illi reponuntur, etſi ex ſe fictilia ſint frangiq́; poſsint; ita tamen à diuina Omnipotentia ſolidantur, & fortificantur, vt frangi nulla ratione poſsint: Nec vlli prædæ patent, violentiæ, aut fraudi; quia in cœlum nec latrones intrare poſſunt, c *nec aliquid coinquinatum aut abominationem faciens aut mendacium*. Et quamuis *theſauri gratiæ & virtutum* in hac vita periculo ſint expoſiti; hoc tamen inter hos tres theſauros intereſt; quòd *temporales*, etiam nobis inuitis, deſtrui & amitti poſsint; *ſpirituales* verò gratiæ & virtutum, non niſi nobis conſentientibus, & culpâ noſtrâ, non tamen nobis inuitis: Theſauri denique *cæleſtes* nullo modo amitti poſsūt; nec eſt poſsibile, beatum velle carere illis. ſi ergo deſideras, anima mea, veros theſauros; contemne fide viua primos, quære autem magno ſtudio ac diligentia ſecundos, vt peruenias ad fruendum ſecurè vltimis. O felix ſtatus, qui talibus theſauris ditatur! O Sapientia diuina, d *quæ es hominibus theſaurus infinitus; quo qui benè vtuntur, participes fiunt amicitiæ Dei,* fac me participem theſaurorum gratiæ tuæ, vt ad infinitos gloriæ theſauros poſsim peruenire.

b *Mat.* 6.19 *Luc.* 12.33. Diſcrimen inter terrenum theſaurum & cæleſtem.

c *Apoc.* 21. 27. & 22.15.

d *Sap.* 7. 14.

.
*

PVNCTVM II.

Cœlum Electorum.

DESCENDENDO iam ad particularia ipſius gloriæ, ante omnia eſt conſideranda *excellentia* & pulchritudo ipſius *Empyrei* cæli, & mũdi illius ſuperioris, quem Deus in habitationem ſuorum Electorũ creauit, qui omninò liber eſt ab omnibus malis, & defectibus mũdi huius inferioris, qui vocatur *vallis lachrymarum*; eò quòd repletus ſit innumeris rebus, quæ ad continuum fletum nos prouocant: quibus omnibus cœlum caret, in quo (vt ait S. Ioannes) nec vnica erit lachryma, quia a *Deus absterget omnem lachrymam ab oculis beatorum.* neq; vlla ibi erit lachrymarũ occaſio; ſimul verò habet omnia bona viſibilis huius mundi cum maximo exceſſu, & abſq; vlla imperfectione, quæ hic eſt. Quare cùm S. Ioãnes ait, b *ſtructuram muri ciuitatis Sanctæ Ieruſalẽ, eſſe ex lapide iaſpide; ipſã verò ciuitatem eſſe aurum mundũ, ſimile vitro mundo, & fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata; & ipſas portas eſſe margaritas; & plateam ciuitatis, eſſe aurum mundum tanquam vitrum perlucidum*: Hoc inquam totum veluti *pictura* quędam eſt; quoniam non ſunt res pretioſiores aut elegantiores in hoc mundo, quibus quæ in cælo ſunt, poſſint comparari. nã verè quidquid eſt in terra, rudis quędam delineatio eſt, ſi cum eo, quod eſt in cęlo, conferatur. nam vt ait Apoſtolus: c *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum*: quæ incomparabiliter præſtant rebus omnibus, quæ ſenſibus noſtris percipiuntur, & diſcurſibus ex eis prouenientibus.

a *Apoc* 7. 17. & 21. 4.

b *Apoc.* 21. 18

c 1. *Cor.* 2. 9. *Iſaiæ* 64. 4.

SED veniendo ad ea, quæ ſpectant in particulari ad cœlum Empyreũ, perpendam quatuor illius loci excellentias.

I. Clariſſimũ.

PRIMA eſt, quòd ſit *clariſſimum*, ita vt nunquam in eo ſit aliquid tenebrarum aut noctis, ſed continua & perpetua dies, cum quadam luce grata & iucunda, cœleſti ac diuina; quia DEVS ipſe eſt eius Sol, ideoq; illud illuminat claritate digna Deo; & Agnus, qui eſt CHRISTVS Dominus N. ſplendore Sacratiſsimæ ſuæ humanitatis, ita illud illuſtrat, vt ſimul lætitia repleat.

II. Temperatiſſimum.

DEINDE, locus eſt *temperatiſſimus*, abſq; vlla temporum varietate, quę nobis hic adfert moleſtiam. neq; enim hiems ibi eſt, æſtas, autumnus, æſtus, ſiccitates, aut humiditates, ſed vniformis quædam temperies, adeoq; grata & diuina, vt nec defatiget, nec tædiũ vllũ adferat. Atq; ita eſt locus *quietiſſimus & ſanctiſſimus*: quia nullæ eò perueniunt tẽpeſtates, terrę motus, tonitrua, aut fulmina, nõ peſtilentiæ, non aeres corrupti, nec maledicta miſerabilis huius terrę: quia illa eſt *terra benedictionis* pleniſsimę, & *terra* verè proprieq; *viuentium*, quò nec vel mortis vmbra poteſt pertingere.

Digitized by Google

TERTIO eſt locus *ſecurus, diuturnus*, & *æternus*; abſque timore metuve, quòd ſit finem habiturus, aut rimas acturus; nec poteſt eò aliquid ingredi; quo locus ipſe turbetur, aut eius pars aliqua labefactetur aut concutiatur; ſed ſolidus perſiſtit, firmuſque: & qui in illo manent, ſunt in perpetua quiete, ſerenitate & ſuauitate perfecta. III. Securus a æternus.

DENIQVE, locus eſt *pulcherrimus, amœniſſimus*; ac *delicioſiſſimus* omniũ locorum, quæ in terra ſunt delicioſa & amœna, etiam quam paradiſus ipſe terreſtris, qui tamen appellatus fuit *Paradiſus voluptatis & delitiarum*: & quia locus hic cœleſtis deſtinatus eſt non bonis & malis, nec viatoribus & peregrinis, ſed ſolis bonis, & vt præmium ſit electorũ, qui in ſeruitio ſui Regis fideliter laborauerint. Quòd ſi tot bona Deus poſuit in hoc mũdo viſibili, qui locus communis eſt hominibus & beſtijs, iuſtis & peccatoribus, quæ bona, quas delicias, quas diuitias poſuerit in illo loco, Angelis & hominibus quidem communi, ſed proprio tantùm iuſtorum? O locum *fortunatiſsimum* & feliciſsimum! O Paradiſum ineffabilium deliciarum, & habitationem dignam Deo noſtro! e *O quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit*, & præ magnitudine deſiderij *deficit anima mea*, dum cogitat de *atrijs Domini*. O quando veniam, vt in eis habitem, & tãta fruar pulchritudine! Claudite vos oculi mei, neque reſpicite ea, quæ ſunt in hac terra: quia quidquid in ea eſt, vilitas eſt & abiectio, comparatione eorum, quæ videbitis in cœlo. IV. Delicioſiſſimus. d *Gen.* 2 8. e *Pſal.* 83.2

PVNCTVM III.

TERTIO conſideranda eſt elegantia & excellentia *ciuium* ſupernæ illius ciuitatis, in quorum contubernio me æternùm victurum ſpero. Ciues cœli

PERPENDAM ergo primùm, quòd illorum *numerus* ſit *ſine numero*: ita tamen, vt licèt ſint innumeri, omnes ſe inuicem nouerint, & inuicẽ tanta familiaritate inter ſe conuerſentur, atque ſi eſſent pauci: quæ quidem materia eſt maximi gaudij. De ſolis Angelis ait Daniel, a *millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſsiſtebant ei*: & de hominibus ait S. Ioannes, ſe b *vidiſſe turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*: nam etſi verum ſit paruum eſſe numerum beatorum, comparatione c *infiniti numeri ſtultorum*, ac damnatorũ, & propterea dixerit Chriſtus Dominus: d *anguſtam eſſe portam, & arctam viam, quæ ducit ad cœlum, & paucos eſſe, qui eam inueniant*, reuera tamen ſunt plurimi: & propterea idem Dominus dixit, e *in domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, priori ſententiâ incutiens nobis *timorem*, ſecundâ autem excitans noſtram *fiduciam*, & *ſpem* obtinendi locum, vbi tot alij ſunt futuri. I. Sine numero. a *Dan* 7.10 b *Apoc* 7.9 c *Eccl.* 1 15. d *Mat.* 7.13 e *Ioan.* 14 2

II. Glorioſiſſimæ qualitatis.

DEINDE, horum *ciuium qualitas eſt glorioſiſſima,* quia omnes ſunt nobiliſsimi, ſanctiſsimi, ſapientiſsimi, prudentiſsimi, affabiliſsimi, & eminentiſsimi in omnibus rebus, quæ poſſunt deſiderari, in conditione, cõplexione, ciuilitate, diſcretione, & in omni denique virtute. nã non poteſt eò peruenire dæmon, aut peccator aliquis, aut f *aliquid coinquinatum,* aut quod vel odorem habeat culpæ alicuius, & imperfectionis veſtigiũ. Omnes ſunt *lilia*, abſque ſpinis; *granum* ſine palea; *triticum* ſine zizanijs; quia ſpinæ, palea & zizania extra cœlum manent, inferni igni in pabulum deſtinata. Si ergo ita delector conuerſatione alicuius hominis ſapientis, prudentis, & ſancti; quanta afficiar delectatione agens cum tot adeoq; insignibus & eminentibus ſapientia, prudentia & ſanctitate?

f *Apo.* 21. 27.

III. Admirabilis ordinis & varietatis.

TERTIO, *ordo* ſimul cum *varietate*, quam habent, eſt *admirabilis.* neq; enim omnes ſunt æquales in his, quæ iam diximus; ſed g *ſicut ſtella differt ab ſtella in claritate*, & in magnitudine; ita beati habent in pulchritudine & claritate ſua cœleſti diuerſitatem; ſed ſumma tamen proportione & ordine in ſuis gradibus. Tres ſunt Hierarchiæ, & nouem Chori Angelorum, Archangelorum, Principatuum, Virtutum, Poteſtatum, Dominationum, Thronorum, Cherubinorum, Seraphinorum; qui valdè diſtant in naturis, ac donis ſapientiæ & gratiæ, cũ pulchritudine ineffabili, inter quos etiam ſunt homines eorum Choris immixti, & aliqui ſupra omnes illos, quia eos excellunt in ſanctitate. ſunt enim Chori Patriarcharum, & Prophetarum, Apoſtolorum & Euangeliſtarum, Martyrum & Confeſſorum, Pontificum & Doctorum, Sacerdotũ & Religioſorũ, Virginum & Viduarum, & aliorum ſtatuum oẽs in ſumma pace & concordia; ita vt de illis liceat dicere illud Canticorũ: h *Quid videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorũ? O ciuitas pacifica,* pacifici Salomonis *ſponſa*: quid aliud eſt in te, niſi chori Sanctorũ, qui nunc in lætitia cantant, fuerunt verò *ſtrenui & fortes* bellatores; qui nunc fruuntur ea pace, quam ſuâ victoriâ obtinuerunt? O ſi poſſem ita pugnare, ſicut *ſtrenui iſti milites* pugnauerunt; vt dignus eſsẽ, qui in iucunda adeò illorum ſocietate viuerem! hinc magnum concipiã deſiderium Deo ſeruiendi, quàm potero excellentiſsimè. ſi .n. pertingere poſsũ vſq; ad Chorũ Seraphinorũ, non debeo contẽtus eſſe alio inferiori loco, ſed i *emere*, vt hîc Dominus ſuadet, *ab ipſo aurum ignitum, probatum, vt locuples ſiam*, amando magno feruore & puritate, qui dignus eſt infinito amore.

g 1. *Cor.* 15. 41.

Ordo ciuiũ cæleſt.

h *Cant.* 7. 1.

i *Apoc.* 3. 18.

IV. Vnionis & concordiæ perpetuæ.

PRAE omnibus verò eminet *vnio & concordia* in tanta multitudine & varietate; quæ vnio ſtrictiſsima eſt & iucundiſsima. oẽs enim diligunt ſe *mutuo amore* quodam ardentiſsimo in Deũ, cũ ſumma voluntatũ conſenſione, abſq; vlla repugnantia, lite, ambitione, aut inuidia. *Maiores* enim tenerè diligunt *minores*; cupiuntq; illis, quidquid ipſi habent, cõmunicare.

Mino-

Digitized by Google

Minores intenſè diligunt *maiores*, gaudentes de bono, quo ab illis ſuperantur; Bonum vnius etiam eſt bonum alterius; & bonum omnium, eſt bonum ſingulorum: nam quiſque accipit alterius bonum, atque ſi eſſet proprium; gaudetque de illo tanquam de ſuo, propter eminentiam charitatis: omnes ſedent ad eandem *menſam* diuinitatis, & ex *eodem* cœleſti *poculo* hauriunt: *eadem* omnes habent *exercitia*, quia eodem ſpiritu, & eidem Deo ſeruiunt, quia k *Deus eſt* in omnibus, & eſt *omnia omnibus*, illos omnes coniungens inter ſe, & ſecum. O Societas beata, in qua nec multitudo confundit, nec excellentia inaniter euaneſcit, nec turbat varietas, nec inæqualitas adfert diſſenſionem, aut amorem remittit. Si placet tibi, anima mea, *dulcis* adeò *ſocietas*: ſtude ex nunc virtutes imitari, quas in illa animaduertis Sequere eius *obedientiam*, amplectens Diuinam eius in terra *voluntatem*, ſicut illi eam in cœlo exequuntur; imitare fraternam ipſorum *vnionem* & *charitatem*, amando proximos omnes ſicut fratres, & pacem cum omnibus colens: Subijcere maioribus, honora minores, gaude de omnium bono; & ſic in vita imitaberis eos, quos etiam cupis in gloria imitari. k 1. Cor. 15. 28.

Hi ſunt præcipui *fructus*, quos ex hoc puncto percipiam, petens à Deo D. N. vt mihi eos concedat ob merita horum nobiliſſimorum *ciuium*, à quibus idem etiam mihi erit petendum, dicendo: O felices Sancti, qui in eiſdem periculis fuiſtis, in quibus nunc ego verſor, ſed fruimini iam ea quiete, quam ego deſidero; adiuuate me veſtris precibus, vt veſtras imiter virtutes; eoque perueniam, vt veſtrarum coronarum fiam particeps, fruarque veſtra ſocietate in æternum, Amen. Oratio ad Electos.

MEDITATIO LII.

DE ESSENTIALI GLORIA ANIMAE, ET corporis ſenſuumque eius.

PVNCTVM I.

CONSIDERANDA in primis eſt *magnitudo gloriæ*, quæ propria eſt animæ, facitque illam plenè beatam: quæ adeò eſt excellens; vt teſte S. Thoma, non potuerit Deus præſtantiorem illi beatitudinem communicare; quia hæc continet in ſe ipſummet Deum; ideoque in hoc conſiſtit hæc gloria, vt anima tota ſit quaſi Deificata, plena Deo, & *facta vnus* Deus per participationem æternam & immutabilem; Deo ita ſe S. Thom q. 92. Addit. 1. p. q. 25. a. 6. ad 3.

Digitized by Google

illi cõiungente; ſicut ignis ſolet amplecti & penetrare ferrũ, cõmunicans illi ſuam lucem, ſplendorem, calorem, & reliquas ſuas proprietates, ita vt ferrum videatur eſſe omninò ignis. Ex quo prouenit, vt anima ſatietur plenaq; ſit omni bono, quod deſiderat; iuxta illud Dauidis: a *ſatiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Hoc poterit diſtinctiùs expendi diſcurrendo per tres ſpirituales animæ facultates.

(a Pſal. 16. 15 Bonum animæ ex eius potentijs.)

(I. Memoria b Pſ. 70. 16)

MEMORIA ita b *intrabit in potentias Domini*, & ita immergetur in abyſſum diuinitatis eius, vt *memoretur eius iuſtitiæ ſolius.* erit enim plena Deo, ſemper illum ſibi præſentem habens, nec potens eius obliuiſci, aut ad rem aliam diuertere. recordabitur continuè acceptorum anteà bonorum, & quæ nunc recipit, & ſperat ſe accepturam, cum ſummo ſuo gaudio; nunquam tradens obliuioni id, quo tantoperè oblectatur: nec recordatur alicuius, quod vllam pœnam ipſi adferat; nam ſi recordatur laborum, & periculorum huius vitæ, & peccatorum quæ admiſit; ex omnib. gaudium haurit & lætitiam, & motiua ad continuas Dei laudes, vt continuè gratias Deo agat propter beneficia ſibi aliàs collata, & quæ nunc confert, & conferet ſine fine: vbi locum habet illud Dauidis: c *memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, & iuſtitia tua exultabunt*: memores, quàm iuſtus fideliſque fueris cum ipſis, omnia implens opere ipſo, quæ illis promiſeras.

(c Pſ. 144. 7)

(II. Intellectus d 1. Cor. 13.)

INTELLECTVS erit plenus DEO, per claram eius diuinitatis & Trinitatis *viſionem*: ibi videbit d *abſque figuris & ænigmatis facie* omninò *ad faciem* totum Deum, Patrem, & Filium, & Spiritum S. & cognoſcet quomodo Pater Filium generet, & vterque Spiritum S. producat; & quomodo tres Perſonæ vnus ſint tantùm Deus, infinitus, æternus, immenſus, & incomprehenſibilis: videbit omnes diuinas eius *perfectiones*, infinitam eius bonitatem, ſapientiam, charitatem, omnipotentiam, & prouidentiam. Videbit altiſſima *myſteria* incarnationis filij Dei, & ſacratiſſimæ eius humanitatis, & *ſtupenda opera*, quæ Deus operatus eſt, tam naturæ, quàm gratiæ; ita vt omninò ceſſent ignorantiæ, errores, dubia, & opiniones quas hîc habebat. Ceſſabit fides, quia videbit quod credidit; e *& ſpes, quia poſſidebit, quod ſperauit*, & in particulari videbit clarè ſecreta Dei iudicia, circa hominum gubernationem, quæ ipſum hîc vexabant, iuxta illud Dauidis; f *exiſtimabam vt cognoſcerem hoc*, iudicia ſcilicet ſecreta: ſed quia ea aſſequi non poſſum, *labor eſt ante me*, & ſolicitum me tenet. Et adhuc magis & in particulari, videbit *immenſa ſecreta paternæ prouidentiæ*, quâ DEVS ipſum gubernarit, & eius ſalutem direxerit, vt tandem ad exitum perueniret; cognoſcet pericula, à quibus ipſum liberauerit, & occulta beneficia, quæ illi contulerit. Ex quo ad ſummum gaudium occaſionem & motiuum accipiet. Denique ibi g *ſatiabitur* de-

(e Rom. 8. 24)

(f Pſal. 72. 16)

(g Pſal. 16. 15)

ſide-

Digitized by Google

ſiderium inſatiabile, quod homines habent ad ſciendum, cùm videbit Deum, in quo ſunt omnia: & aſſequetur modo quodam ineffabili, quod ſerpens dixerat in paradiſo, h *fore ſicut Deos, ſcientes bonum & malum*, gaudens ſummè de bono, & nullam habens partem in malo. h *Geneſ.* 3. 5

III. Voluntas.

VOLVNTAS quoque erit *plena Deo*, diuinitati eius coniuncta, amoris quadam vnione perpetua, continua, intima, & amica, cum omnibus generibus & titulis, quæ eſſe poſſunt amoris ſancti, quia omnes locum habent in Deo clarè diſtinctéque conſpecto; quem voluntas diliget, vt *Patrem*, vt *amicum*, vt *ſponſum*, *benefactorem*, infinitum, ſummum bonum, primum *principium*, & vltimum *finem ſuum*: ex quo amore emerget i *torrens* quidam continuus, perpetuus, & copioſiſſimus ineffabilium *voluptatum Dei*; ex quo hauriet, *& inebriabitur à* tanta *vbertate domus Dei*, tota immerſa k *in gaudijs* infinitis *Domini ſui*. Ex quo fit, vt tota anima plena ſit futura omnibus virtutibus, quarum actus ſumma exerceat voluptate. *Obedientia* enim parebit Deo magna cum delectatione; *Humilitate* totam eidem ſe addicet, & beneuola recognitione ſe mancipabit; *Religione* reddet illi debitum cultum & adorationem. & cum maxima reuerentia, & gratitudine continuas aget gratias, cum iubilis & canticis & Alleluia perpetuis: nulla enim ibi erit animi perturbatio, nullæ contradictiones, nec aliquid quod impediat aut remittat varietatem iſtarum delectationum; quæ adeò erunt eleuatæ ac diuinæ, vt nemo l *niſi qui accipit*, probatq; eas, nouerit, *ſunt enim ſicut Manna abſconditum*, cuius ſapor non cognoſcitur, niſi delibetur. i *Pſal.* 35. 9 k *Mat.* 25. 21 l *Apoc.* 2. 17

IV. Nota. Satietas ſumma gloriæ. *S. Thom.* 1. *p. q.* 26. *a.* 2.

DENIQVE ad ſemel aſſequendam *magnitudinem & ſatietatem gloriæ*, hanc rationem expendam, quæ omnes alias complectitur. Quòd Deum facit beatum, illumque ſatiat, & infinito gaudio perfundit; ſufficiet, vt proportione quadam idem in me efficiat: Cùm ergo Deus, ex quo Deus eſt, & per totam ſuam æternitatem ſit beatus, ſatur, & abſque vllo tædio, lætus & exultans, eo ſolo quòd ſe ipſum videat ametque, nullâ externâ re ad id indigens: ego quoque ero beatus, eroque ſatur, lætus & exultans eo ſolo, quòd videam Deum, illum amem, & eo fruar; ita vt nulla re extra ipſum, ad plenam beatitudinem indigeam, nec in hoc opere vllum ſit tædium, nec vlla defatigatio; ſed nouitas quædam æterna, & æternitas quædam ſemper noua; Deum ſemper videndo, & deſiderando ſemper videre, & gaudendo, quòd ſine ceſſatione illum videam. O *gloria* mea, quando te videbo ita clarè, vt ſaties deſideria cordis mei! quando tanta mihi aderit animæ puritas, vt diuinam faciem tuam videre liceat? vtinam numquam feciſſem, quod tuæ bonitati diſpliceret, & felicem adeò viſionem impediret. Accipe, Domine, facultates omnes animæ meæ, eaſque ſtatim occupa in ijs, quæ ſemper ſunt factura.

Oratio.

Memoria

Digitized by Google

Memoria mea ſemper occupetur in te aſpiciendo ; *Intellectus* meus in te cognoſcendo ; *Voluntas* in te diligendo ; *Lingua* mea in te benedicendo, *Senſus* & omnia membra mea in obediendo : omnibus exultantibus in te, de te, & propter te, in ſæcula, Amen.

ntis o- o ſimi- ſt iis, : in cæ- erun-

Ex dictis intelligam, *exercitium orationis mentalis*, quæ opus eſt trium internarum animæ facultatum, vt ſuprà eſt dictum, eſſe delineationem quandam & figuram gloriæ; in qua oratione conſiſtit beatitudo huius vitæ, quam vocant inchoatam, quæ refert illam, quam anima noſtra habebit in cœlo. Quamobrem meritò dixit S. Bern. cellam Religioſo eſſe cœlum: quia exercitia, quę fiunt in cælo, fiant etiam in cella, vbi cognoſcitur & amatur Deus; vbi Religioſus fruitur Deo, eumque ex toto corde diligit, ac laudat: ideoque ipſimet Angeli gaudent in cellis, ſicut in cęlis; quia in illis obſeruant orationis opus, quod ipſi præſtant in cælis; & eodem modo cuiuis, orationi addicto, oratorium ipſum erit cælum, ſi orauerit, ſicut oportet.

fratres Monte

PVNCTVM II.

oan. Cli- grad. 28 or. 15 42. hom. q. Addit.

DEINDE conſideranda eſt *excellentia gloria corporis beati*, cum *quatuor* eius gloriæ dotibus, per ſingulas diſcurrendo.

I. *Mat. 13. 43.* rpus orioſum n 4. do- us ſuis. *ph. 5. 27.*

PRIMA dos eſt CLARITAS cum admiranda pulchritudine. tunc enim *iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorum*, ad ſimilitudinem corporis Chriſti D.N. quamquam qui beatior erit, magis quoque ſplendebit, Chriſti verò corpus præ omnibus : Habebit omnium partium ſuarum perfectam integritatem in magna proportione, cum colore, & figura admiranda, b *abſque vlla* deformitate, *macula aut ruga, aut aliquo huiuſmodi*; quo eius ſplendor obſcuretur. Vulnera verò, quæ quis in hac vita pro Chriſto accepit, quorum in eo cicatrix, aliudue ſignum maneat in corpore, erit tanquam *encauſtum* ſine *gemma* pretioſiſſimæ, quæ illud reddent pulcherrimum. Præter externam autem pulchritudinem, erit quoque valdè ſpectabilis, & iucunda interior eiuſdem corporis pulchritudo, eò quòd erit perlucidum; in quo apparebit tota *harmonia* oſſium, venarum, & arteriarum, cum ingenti omnium ſplendore; & propterea comparatur auro, quia ſplendet, & vitro ſeu cryſtallo, quod eſt tranſlucidum.

Greg. 27. or. c. 27. ho q. 85. dit. 4. 1.

II. *po. 7. 16. i. 49 10.*

SECVNDA dos eſt IMPATIBILITAS immortalis, ſiue immortalitas impatibilis, c *quia non eſurient, neque ſitient amplius*, nec ſentient dolorem vllum aut infirmitatem, nec mortis metum. nam quamuis ſint in medio ignis, non comburentur; neque ſi flumina aut maria penetrent & merguntur, humectabuntur. Semper habebunt talem *virorem*, qui num-

quam

quam marceſcat; talem *ſanitatem*, quæ nullum detrimentum patiatur; & quamdam impatibilitatem æternam, vt & d *cor & caro eorum exultent in Deum viuum*, à quo lætam adeò fœlicemque vitam accipiunt. d *Pſal.* 83.3

III. Tertia dos eſt Agilitas, ſiue *celeritas*, propter quam ita anima dominabitur in ſuo corpore, vt poſſit illud ab vno in alium locum ſine vlla defatigatione aut mora, quæ pœnam aliquã adferat, mouere, ſed sũma celeritate ac velocitate, inſtar e *ſcintillæ*, aut fulguris, *diſcurrent* per cœlum Empyreum, pro ſuo libitu, nunc ad *thronum* Ieſu Chriſti D. N. nunc ad eius Matris ſanctiſſimæ, aut aliorum ſanctorum. e *Sap* 3.7.

IV. Quarta dos eſt Svbtilitas ſiue ſpiritualituas, quia nõ ſubiacebit operibus vitæ vegetantis, pluſquam ſi eſſet ſpiritus. quare totam vitam ducet ſine vllo cibo & potu, ſine ſomno, & alijs operibus quæ ſunt beſtijs communia: & ideo dixit ipſe Saluator, f *in Reſurrectione; neq; nubent, neque nubentur; ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo*; vt ſint in hoc ſimiles puris ſpiritibus. Habebit quoque ſubtilitatem, vt poſſit in virtute Dei penetrare cælos, & quodcunque aliud corpus, abſque vllo impedimento, ſicut ipſe Chriſtus poſt ſuam Reſurrectionem, g *cùm fores eſſent clauſæ*, ingreſſus eſt in cœnaculum, vbi erant diſcipuli, & exit ex h *ſepulchro, penetrans lapidem, quo illud erat clauſum*, vt eſſet indicium ſubtilitatis corporis eius glorificati. f *Mat.* 22.3[0] g *Ioan.* 20. 19.26. h *Mat.* 28. 2. *S. Thom. lect.* 6. *in* 1. *ad Cor.* 15.

Hae ſunt quatuor *dotes* corporis glorificati; quarum conſideratione animum aſſumam ad patiendum, & ſuſtinendum libenter miſerias & labores huius vitæ, felicitati meæ tribuens eas ita pati; ſiquidem tantum eſt illis præmium conſtitutum. O *felices ignominias*, quarum finis eſt tantus ſplendor; felices pœnas, quæ efficient corpus eſſe impatibile; felices labores, qui in prẽmium accipient tantam quietem & leuamen! O quàm aptè Apoſtolus dixit: i *non eſſe condignas paßiones huius temporu ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Reſume itaque animum anima mea, ad k *mortificationem Ieſu in corpore tuo circumferendam*; ſiquidem corpus tuum ita hîc humiliatum, conforme futurum eſt corpori eius glorificato; amplectere in carne tua eius dolores & cruciatus; ſiquidem immenſam gloriam propterea es acceptura. i *Rom.* 8. 18 k 2. *Cor.* 4. 10.

Pvnctvm III.

Tertio conſideranda eſt *gloria* & *delectatio*, qua afficientur quinque corporis ſenſus, diſcurrendo per ſingulos eorum. Gloria & delectatio 5. ſenſuum. *Doctores in* 4. *ſent. diſt.* 49.

I. Visvs noſter vehementi delectatione afficietur, videns pulchritudinem innumerabilium corporum glorificatorum, in quibus ſumma erit *varietas* facierum & figurarum, quæ mirum in modum oblecta-

Digitized by Google

bunt. Præ cæteris autẽ omnibus delectabitur aſpectu ſacratiſſimę Chriſti D.N. humanitatis, & ſplendentium eius vulnerum; cuius aſpectus adeò erit iucundus, vt S. Iob in med'js ſuis tribulationibus ac doloribus,

Iob 19. 25. ſeſe conſolaretur ſpe huiuſmodi aſpectu, dicens: a *ſcio quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum meum. Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius* pro me: *repoſita eſt hæc ſpes in ſinu meo.*

II. Avditvs delectabitur, audiens dulciſſima verba, quæ beati mutuò ſibi dicent, plena ſapientia, prudentia, & ſanctitate; & laudes Dei, quas o-

Apoc. 6. 8. re proferent, vt dicitur in Apoc. quòd b *quatuor animalia requiem non habent, die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens,*

Pſa. 149. 5. & Dauid ait: c *exultabunt Sancti in gloria, exultationes Dei in gutture eorum.* recreabitur quoque *auditus*, audiens muſicas cæleſtes, & concentus nouos, à ſapientia Dei illic inuentos; ad eorum aures oblectandas, quæ in hac vita audiendis ipſius verbis oblectabantur, vt illa crederent; & præceptis, vt ea exequerentur.

III. Odoratvs recreabitur ſuauiſſimo glorificatorum corporum o-

Matt. 24. 8. dore, præcipuè corporis ipſius Chriſti D.N. de quo ipſe dixit: d *vbicunque fuerit corpus*, ſcilicet meum, *illic congregabuntur & aquilæ*; Sancti videlicet, eius odore attracti. O quantam fragrantiam, & odorum varietatem, adinueniet ibi pietas Diuina, ad eam carnem recreandam, quæ e *fuit hic bonus odor* in ſanctitate vitæ ſuæ!

2. Cor. 2. 15.

IV. Gvstatvs habebit *ſatietatem*, & plenam *ſatisfactionem* cæleſtem, abſque vllo faſtidio, & nauſea, quia Deus D.N. ſine cibis ei communicabit ſuauitatem, quam ex eis accipere potuiſſet, & quidem multò altiori

Sap. 16, 20 & ſublimiori modo: nam ſi f *Manna*, cùm eſſet vnus tantùm cibus, *habebat omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuauitatem*, cum maiori excellentia, quam ipſi cibi haberent; vt ſic populo ſuo & iuſtis Deus in hoc exilio indulgeret, nouerit ſine dubio idem Dominus tale ſaporis *condimentum* conficere, quod eminenter ſapores omnes complectatur, vt ſuis iam beatis indulgeat.

V. Deniqve *Tactus*, qui per totum corpus eſt diffuſus, replebitur delicijs & voluptatibus ſanctis ac puris, ita vt beatus tantus quantus immerſus ſit torrenti deliciarum, & voluptatum Dei. O quàm copioſè reddetur ibi præmium ſenſibus omnibus, ob mortificationes, quas in hac vita

Pſa. 93. 19. ſuſtinuerunt; quandoquidem Dauid ait, g *Secundùm multitudinem dolorũ meorum conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam*, ac porrò etiam corpus meum. O corpus meum, animum magnum concipe ad patiendum pro Chriſto, vt ſenſus omnes tui gaudio illo fruantur, quo fruuntur ſen-

Pſal. 121. ſus eius; h *lætare in his quæ dicta ſunt tibi, te in domum Domini iturũ.* Et quã-

uis

uis p[e]d[e]s tui moueantur, & ambulent ſuper terram, deſiderio tamen fige illos in *palatijs* cœleſtibus,& in *atrijs* cœleſtis Ieruſalem. O i *Ieruſalem,mater noſtra*,quæ es ædificata ex lapidibus viuis tuorum ciuium, magna pace inter ſe ipſos coniunctorum; accipe ex nunc *cor meum*, admittens me in ſpiritu intra te, vt olim animam ſimul & corpus admittas. O Deus infinite,Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti,k *qui ſecundùm miſericordiam tuam magnam regeneraſti nos* in Eſſe gratiæ, & *in ſpem viuam* obtinendi *hæreditatem incorruptibilem,& incontaminatam, & immarceſsibilem conſeruatam in cælis*,quam cuſtodis per viuam *fidem* in tuis electis, quibus eã *reueles in tempore nouiſsimo*; regenera me propter bonitatem tuam in Eſſe filij tui,conſeruans in me ſemper gratiam tuam, vt obtineam ſupernam iſtam gloriæ tuæ *hæreditatem*.Amen.

i *Gal*.4.26

k 1.*Pet*.1.

Oratio.

MEDITATIO LIII.

DE GLORIA COELESTI, QVA PRAEMIA complectitur octo Beatitudinum.

MAGNITVDINEM *gloriæ declarauit Chriſtus Dominus noſter in ſermone habito in monte; exprimens illam ſeptem illis præmijs, quæ promiſit* actibus virtutum heroicarum, *quas beatitudines nominauit; de quibus fusè actum eſt in* tertia parte, Meditatione vndecima. *Illis ergo præmiſsis, meditabimur nunc eadem ſeptem præmia,quatenus inueniuntur in cæleſti gloria.*

PVNCTVM I.

PRIMVM eſt conſiderandum, hanc gloriam eſſe REGNVM illud COELORVM quod Chriſtus Dominus promittit *pauperibus ſpiritu*, & ijs, *qui perſecutionẽ patiuntur propter iuſtitiã*.quod regnũ non eſt aliud, quã *clara Dei viſio* & poſſeſſio infinitarũ eius diuitiarum, cum sãctitate, a *iuſtitia,pace,& gaudio in Spiritu ſancto*, quæ habent Sancti in cælo Empyreo:In quo vnaquæque harum rerum eſt cum magna eminentia. nam ipſa Dei *viſio* eſt clariſſima,abſque vlla admixta obſcuritate; *diuitiæ* illæ ſunt abſque vllo defectu & paupertate;*ſanctitas* eſt pura, abſque vllo genere malitiæ:*iuſtitia*,abſque vlla inæqualitate aut iniuria; *pax* eſt ſolida,abſque vlla diſſenſione & diſcordia; *gaudium* abſque omni veſtigio doloris aut triſtitiæ. b *Hoc Regnum eſt intra vnumquemq;*: & quiſque poſſidet illud integrè, abſque dependentia ab vllo alio. Nam, etſi vnlcus

I. Præmia gloriæ cæleſt.

a *Rom*.14.17.

b *Luc*.17.21 10.

Digitized by Google

cus tantùm fuiſſet Beatus, ille habuiſſet regnum ſuum integrum; licèt ex conſortio dulciq́ue ſocietate reliquorum Beatorum accreſcat illi non exiguum gaudium. Hinc eſt, quòd ſinguli habitatores cœli, accipiant hoc regnum, tanquam ſuum; ita vt ſint veri Reges, & vehementer exultent de Regia ſua dignitate, qua ſimul regnant cum ſupremo omnium Rege, qui eſt Deus: ideoq́ue Triumphans Eccleſia appellatur c *Regina*, quæ eſt *à dextris* ſui Sponſi, *in veſtitu deaurato, circumdata varietate* plurimorum donorum & virtutum, prout decet ſponſam ſupremi Regis. Quid ergo glorioſius eſſe poteſt, quàm tale Regnum poſſidere, & eſſe Regem in ſocietate tot clariſſimorum Regum, d *quorum minimus* incomparabiliter *maior eſt* omnibus Regibus terræ. O Rex Regum, & Domine Dominantium, gratias tibi, quòd tuis ſeruis in *præmium* cuiuſcumque etiam parui obſequij tradas regnum adeò excellens. O Regnum infinitum, & cœlum immenſum, coanguſtatum ad cor iuſti, & comparatum operibus iuſtitiæ eius: e *ſi omnia huius mundi bona adijciuntur quærenti primùm hoc Regnum*, qualia erunt bona, quæ reddentur vt merces præcipua ei, qui dignus eſt illud obtinere. O felices illos, qui ſe ipſos humiliant, & ſpontè paupertatem amplectuntur, aut humiliationem & perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, qui tale regnum pro præmio ſuo habebunt. f *Adueniat*, Domine ad me *regnum tuum*, & g *ingrediatur meipſum*, vt ego ipſum ingrediar, & te fruar in æternum. Amen.

Triumphans Eccleſia Regina.

c *Pſal.* 44.

d *Matt.* 11. 11

Oratio.

e *Mat.* 6. 33.

f *Mat.* 6. 10.

g *Luc.* 17. 21.

PVNCTVM II.

II. Poſſeſſio terræ.

SECVNDO eſt perpendendum; quòd cœleſtis gloria, ſit felix illa POSSESSIO TERRAE, quæ promittitur *mitibus*, quæ hanc, quam pedibus calcamus, tantò excellit, quantò ſtellatum cęlum magnitudine, pulchritudine, ac ſplendore eandem excedit. hæc enim terra, eſt *habitatio* moriturorũ, & *ſepulchrum* eorum, quos in puluerem cõuertit; eſt *vallis lacrymarum*, exiliũ Patriæ noſtræ; miſeria plenũ, quia eſt terra maledictionis, arida, & ſterilis, ob culpam eius, qui fuit primus eius incola; TERRA verò, quæ hîc promittitur, eſt a *Regio viuorum*, in qua nullus poteſt mori, & omnes commutant terrenam vitam cum cœleſti; eſt *vallis deliciarum*, in qua fluunt lac & mel diuinarum conſolationum; nulla ibi ſuſpiria, nullæ lacrymæ, nec earũ occaſiones; eſt terra benedictionis & irrigua cum ſtupenda fœcunditate. nam (vt ait S. Ioan.) continuè irrigatur *fluuio aquæ viuæ*, ſplendidæ inſtar b *cryſtalli, quæ procedit de ſede Dei & Agni, & ex vtraq; parte fluminis plurima ſunt ligna vitæ, quæ afferunt fructus* 12. in anno, *per menſes ſingulos*, reddentia *fructum ſuũ, & folia ligni ad ſanitatem gentium*. O feliciſſimam terram, in qua continuè perpetuoq́; ma-

a *Pſa.* 114. 4.

b *Apoc.* 22. 1

Oratio.

Digitized by Google

nat aqua viua & clara viſionis diuinitatis Dei;& humanitatis Agni Chriſti Ieſu; cuius habitatores ſunt ſicut arbores vitæ; qui ſemper humectantur aquâ huius diuini fluminis; cuius virtute producunt innumeros fructus recentium gaudiorum & deliciarum. O felices arbores, quarum folia adferunt ſalutem gentibus, qui degimus in hac terra. nam propter teſtimonia, quę de eis audimus;& protectionem, quam in eiſdem habemus, ſperamus nos victuros cum eis in cœlo. O quis mihi felicis huius terræ poſſeſsionem daret! ô anima mea, dilige manſuetudinem Agni Ieſu, vt tradat tibi ſupernam hanc terram in poſſeſsionem, quò non poſſunt peruenire c *hædi*, qui in die Iudicij *ad ſiniſtram eius* collocabuntur, ſed *Agni* tãtùm; qui erunt *ad eius dextram*. c *Matt*.25 33

PVNCTVM III.

TERTIO eſt conſiderandum, gloriam cœleſtem eſſe CONSOLATIONEM; quæ promittitur *lugentibus*. Vbi hæc ſunt perpendenda; quis ille ſit, qui conſolatur, quibus rebus, quo modo, & quanto tẽpore conſoletur. QVI conſolatur, eſt ille, qui per excellentiam appellatur a *Paraclitus*, & b *Deus totius conſolationis*, & à quo procedit omne, quod nos poteſt conſolari; & in cœlo hoc efficit eminenter.

III. Conſolatio lugentium.

a *Ioa*.14.16 b 2.*Cor*.3 3.

IBI enim ſunt res innumeræ, quæ ſumma excellentia conſolantur. *nã conſolatur* ipſa clara viſio Dei, & humanitatis Chriſti, præſentia glorioſiſsimæ eius matris, ſocietas & conſortium Hierarchiarum, Angelorum, ſuauiſsima conuerſatio cum Chriſto Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, & reliquorum Sanctorum felicis illius curiæ cęleſtis; vbi quiſque eſt alterius conſolator, quatenus omnium bona conſolantur vnumquemque: *Conſolatur ſecuritas loci*, æternitas illius ſtatus, pax conſcientiæ, quæ exſuperat omnem ſenſum.

QVIS verò modum explicet talis conſolationis? non enim conſolatur ibi Deus, culpas & peccata condonando, triſtitiaſque leniendo; ſed vtrũque horum in æternum inde repellendo; ibi c *gaudium & lætitia inuenitur, gratiarum actio, & vox laudis*, & d *per vicos eius ſemper Alleluia cantatur*; quibus cor recreatur.

c *Iſaia* 51.3. d *Tob*.13.22

ET tota hæc conſolatio erit æterna, abſque vlla vnquam ceſſatione; quia omnes e *ſunt* iam *intra gaudium Domini ſui*, & f *nemo gaudium illud tollet ab eis*. O vita beata, in qua conſolatio æquè æterna eſt, atque ipſa vita; & vita æquè æterna, atque ipſe Conſolator! felix qui *luget* in hac vita mortali; ſiquidem recipiet talem *conſolationem* in immortali. O Deus ſpei, g *reple me omni gaudio, pace*, & conſolatione, *in credendo* magnalia tuę gloriæ, vt huius vitæ dolores & cruciatus tolerem, ſpe firma futurarum

e *Mat*.25.21. f *Ioan*.16 22 Oratio.

g *Rom*.15.13

Digitized by Google

conſolationum, quas mihi daturus es in futura.

PVNCTVM IV.

IV. Saturitas ſitientium iuſtitiam

QVARTO eſt conſiderandum, quòd gloria cœleſtis ſit illa SATVRITAS, quæ promittitur *eſurientibus, & ſitientibus iuſtitiam*: quæ ſaturitas eſt quædam abundantia rerum omniũ, quas poſſunt homines rationabiliter deſiderare. Vbi eſt perpendendum, quòd hæc *terra* ſit *locus* perpetuæ *famis* & *ſitis*.

NAM *aliqui* eſuriunt eſcas & delicias carnis, *alij* diuitias, honores ac dignitates huius mundi: *alij* ſitiunt ſcientias & curioſitates ſenſuum: *alij* denique ſitiunt virtutes & gratias cœleſtes: nec quiſquam in hac vita vnquam ſatur eſſe poteſt: quia temporalia bona non poſſunt implere deſiderium noſtrum; *ſpiritualia autem* dantur in certo pondere & menſura, ſemperque ſupereſt appetitio creſcendi in eis. idcircò enim dicit Sapientia: a *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient.* At Cœlum, eſt locus ſatietatis, & quidem plenæ: nam (vt ait Dauid) b *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, ea enim viſio adeò ditat & exaltat Beatum, vt omnes diuitiarum & excellentiarum huius mundi appetitiones excludat: eò quòd omnia hæc comparata cum ipſa Dei viſione, ſint miſeriæ & abiectiones. Illa enim viſio, deſiderium explet ſciendi. nam, viſo Deo, omnia videntur, quæ deſiderari poſſunt: illa explet etiam ſitim & deſiderium virtutum; quia illis adfert complementum & vltimam perfectionem. Et licèt hoc duret per totam æternitatem, nunquam tamen tædium adfert, ſed quotidie potiùs oblectat, ita recens atque erat initio. Denique ibi implebitur quod ſcriptum eſt, c *præcipitabit omnem mortem in ſempiternum, & auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie*: & illud: d *Non eſurient neq; ſitient amplius, nec cadet ſuper illos ſol, nec vllus æſtus: quoniam Agnus, qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Eſuri*, anima mea, hanc *gloriam*, quæ ſola ſufficit te plenè ſatiare; *eſurias* quoque & ſitias *iuſtitiam*, ſine qua non poteris aſſequi gloriæ magnitudinem.

a *Eccl.* 24. 29.
b *Pſal.* 16. 15.
c *Iſaiæ* 25. 8.
d *Apoc.* 7. 16 *Iſai.* 49. 10.

PVNCTVM V.

V. Plenitudo miſericordiæ.

QVINTO conſiderandum, quòd gloria cœleſtis eſt illa PLENITVDO MISERICORDIAE; quæ promittitur *miſericordibus*, eſt autem perpendendum, tria eſſe diuerſa loca pro tribus diuerſis hominum generibus, *Infernum* videlicet, *Cœlum*, & *terram*, quæ media eſt inter vtrumque; quæ (vt ait Apoſtolus) eſt ſicut magna quædam a *domus*,

a 2 *Ti.* 2. 20.

Digitized by Google

in qua non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea, & fictilia; & quadã quidem in honorem, quadam autem in contumeliam; & b *quadam ſunt vaſa ira apta in interitum*, ob illorum peccata, *alia vaſa miſericordia, qua praparauit ipſe in gloriam*, in præmium bonorum operum ipſorum, quæ in Diuina gratia fundantur. b Rom. 9.

Ex hoc medio loco proueniunt habitatores vtriuſque extremi loci. 2.
INFERNVS enim eſt locus deſtinatus vaſis cõtumeliæ & iræ, in quæ Deus oſtendit ſupremam iram, & vltionem de ſuis inimicis, afficiens eos ſupremo ſupplicio, quod ſeuera ipſius iuſtitia contra eos præſcripſit: *Cœlũ* autem eſt deſtinatum vaſis miſericordiæ, factis in honorem, in quæ Deus oſtendit ſupremam miſericordiam, quam iuſtis deſiderat exhibere, reddens ex infinita ſua bonitate & charitate, ipſis operibus gratiæ ſuæ, præmium æternæ gloriæ. Quare cœlum eſt inſtar domus alicuius, ſiue Abaci, pretioſiſsimis vaſis aureis argenteiſque ornati; inter quæ nullum admiſcetur ligneum aut fictile, quod aut confringi poſsit, ſi pulſetur, aut carie corrumpi, aut igne conſumi: quia omnia ſunt ibi vaſa honoris & gloriæ, nullum contumeliæ aut infamiæ; omnia ſunt vaſa miſericordiæ, quæ à ſua æternitate Deus ſibi elegit ex ſua miſericordia, & c *coronat eos* (vt ait Dauid) *in miſericordia & miſerationibus, replens in bonis deſiderium eorum, & renouans vt aquila, iuuentutem eorum*, abſque periculo aut timore iterũ ſeneſcendi. Ex quo colligam, quamuis Gloria ſit verè d *corona iuſtitia*, tamen hæc gratiæ innitatur, potiùs eſſe cenſendam *coronam* infinitæ *miſericordia*, quam conſecuta ſunt vaſa miſericordiæ, eò quòd fuerint *miſericordes*. Quare habitans anima mea inter Cœlum & Infernum, contende eſſe *vas aureum* per charitatem, & *argenteũ per puritatem*: purifica te à culpis & animi perturbationibus, & ſic fies *vas ſanctificationis*, in quo deponat Deus nunc theſauros gratiæ ſuæ, & poſtea etiam theſauros gloriæ, Amen. c Pſa. 102. d 2. Ti. 4. e 2. Ti. 2. 21

CIRCA *hoc punctum, videri poſſunt qua dicta ſunt in Meditationibus de charitate & miſericordia Dei.*

PVNCTVM VI.

SEXTO conſiderandum, cæleſtem gloriam eſſe claram illam VISIONEM DEI, quæ promittitur *mundis corde*, in qua beatitudo noſtra conſiſtit. VI. Viſio Dei

CIRCA quod perpendendum eſt PRIMO, quòd ſicut in terrá, parentes quando filias tradunt nuptui, dant illis *dotes* & *pretioſa donaria*, quibus ſe ornant; & ipſe ſponſus eo die, quo ſponſam in domum ſuam deducit, eidẽ tradit pretioſa *monilia*, ita Pater æternus vnicuiq; animæ filij ſui ſpõſæ, die quo inducitur in Cœleſtem domũ, in qua matrimoniũ hoc ſpiri-

Tres gloriæ dotes. tuale perficitur, tradit tres pretioſiſsimas gloriæ dotes, reſpondentes tribus Theologicis virtutibus, quas in hac vita habuit habuit, quibus cùm exornata eſt pulchriorq; reddita, impletur eius beatitudo.

I. In præmium Fidei dat illi excellentiſsimum *gloria lumen*, quo clarè
a Pſal 35 10 / b Pſal. 88 16 videt Deum, omniaque illa *myſteria*, quæ credidit in hac vita, nullo amplius occultato, vt impleatur quod dixit Dauid: a *In lumine tuo videbimus lumen, & b in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota*
c Eccl. 11 7. *die, quoniam gloria virtutis eorum tu es.* O quàm c *dulce eſt* hoc *lumen, & quã delectabile eſt oculis videre ſolem!* O Sol iuſtitiæ, reple me diuino iſto lumine, vt te videam in tua gloria, & ſplendore.

II. In præmium Spei datur ſecunda dos, quæ dicitur *comprehenſio*, habere ſcilicet ſemper præſentem & quaſi in proprietate & poſſeſsione, quicquid in hac vita exiſtens, ſperabat ac deſiderabat. ibi enim habet ſibi præſentiſsimum Deum ſuum, Patrem ſuum, Sponſum, & vltimum finem ſuũ, omneque bonum, quo fruitur tanquam re, quam in ſua poteſtate habet, quam magna ſecuritate, nunquã eã amittendi, aut ab ea recedendi, com-
d Cant. 3. 4. plectitur. Sic enim eouſque cucurrit, vt comprehenderet. Et in primo illo cœleſti ingreſſu ſtatim dixit: d *Inueni quem diligebat anima mea, tenebo eum, nec dimittam.*

III. In præmium Charitatis datur ei tertia dos gloriæ, quæ vocatur *Fruitio* ſiue Amor, diligere videlicet ſummè bonum, quod videt; & gaudere de conuenientia & bonitate, quam habet, cum gaudio illo & voluptate ineffabili, quæ ex eo in ipſa oritur, quòd ſe videat ei coniunctam, quem tantoperè diligit, amans ſicut amatur, & fruens mutuo iſto amore.
e Can. 2. 16. Et ita dicit: e *dilectus meus* totus *mihi, & ego* totus *illi.* Dilige anima mea, cordis puritatem, exacuens has tres virtutes, quò Deus tibi det tres ſuas
Oratio. glorioſas dotes. O Pater luminum, da mihi lumen tuæ gloriæ, vt videam quod credo lumine fidei. *O verbum Diuinum*, animarum *Sponſe*, da temetipſum mihi, vt ſecurè poſsideam, quod cum ſpe deſidero. O *Spiritus* ſanctiſsime, oſtende mihi tuam bonitatem, vt cum ſaturitate fruar eo, quod amo cum charitate.

Pvnctvm VII.

VII Adoptio filiorũ Dei. Vltimo eſt conſiderandum, quòd cœleſtis gloria ſit perfecta Adoptio filliorum Dei, quæ promittitur *pacificis*. Perpendam itaq; quòd ſicut Christvs D.N. bis fuit declaratus filius Dei; primùm ſtatim poſt Baptiſmum; deinde in Transfiguratione, veniente ſuper eum
a Matt 3 17. Luc. 9. 35. Spiritu ſancto in figura columbæ, aut nubis, ſonante voce Patris ac dicente: a *Hic eſt Filius meus dilectus*, ita Iuſtus bis declaratur & promulgatur

filius

filius Dei adoptiuus. *Primùm* in hac vita mortali, quando vocatur & iuſtificatur per Sacramenta, quibus illum extollit, talibuſq́ue gratijs & donis illum exornat, vt manifeſtetur dignitas filij Dei, vt indicauimus in Meditatione de Chriſti Baptiſmo. Sed hæc adoptio filiorum adhuc eſt imperfecta, quia periculo eſt expoſita, ne ob noſtram culpam illâ excidamus. Quare etiam ſanctiſſimi, quales erant Apoſtoli, b *qui primitias ſpiritus habebant, & ipſi intra ſeipſos gementes, adoptionem filiorum Dei expectabant*, perfectionem ſcilicet primæ adoptionis, accedente alia adoptione perfectiori, per Chriſti Domini noſtri transfigurationem ſignificata, quæ tribuitur animæ eo die, quo ingreditur in cæleſtem gloriam, & accipit poſſeſsionem hæreditatis, filijs debitæ, cum iure recipiendi in fine mundi corpus glorificatum, cum quatuor dotibus gloriæ, quæ ſuprà fuerunt poſitæ; & tunc manifeſtat magis Deus dignitatem eorum, qui ſunt ipſius filij: vt enim ait S. Ioannes: c *Nunc filij Dei ſumus; & nondum apparuit, quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* O Pater amantiſsime, gratias tibi pro ſuprema hæreditate, quam dilectis filijs tuis largiris, licet hîc eos nonnihil in humilitate contineas, & duriuſculè tractes, d *quia flagellas omnem filium quem recipis!* Quamuis e *complaceas tibi in eo tanquam in filio*; quia ſtatuiſti eum exaltare, & honorare, heredem regni tui illum conſtituendo. O ſi ego hac ſpe filiationis huius perfectæ ita excitarer, & exultarem, vt vitam ducens, ſicut filiũ talis patris decet in terra; ipſe me gloria ſua coronaret in cœlo, Amẽ.

Part. 3. Medit. 3.

b *Rom. 8. 23*

3 *Part. Medit. 21. 22.*

c *Prou. 3. 11*

Oratio.

c 1 *Ioan. 3. 1*

d *Heb. 12. 6*

MEDITATIO LIV.

DE GLORIA COELESTI, QVATENVS COMplectitur ſeptem præmia, quæ Chriſtus in Apocalypſi vincentibus promittit.

GLORIAE *cœleſtis præſtantiam expreſsit etiam Chriſtus* D. N. *in Apocalypſi S. Ioannis; indicans* ſeptem genera præmiorum, *quæ promittit ſe vincentibus daturum; vincentibus ſcilicet Dæmonem & eius tentationes, carnem & eius paſsiones; mundum & vanos eius honores, tyrannos & eorum perſecutiones; ac denique vincentibus ſeipſos, propriaſq́ue voluntates mortificantes, cum perſeuerantia vſque ad mortem: in quibus promiſsionibus proportionatur ſemper præmium & corona, cum modo pugnæ, in qua fuit obtenta victoria, vt in ſubiectis punctis apparebit.*

VII. Præmia alia.

illi cō'ungente;ſicut ignis ſolet amplecti & penetrare ferrū, cōmunicans illi ſuam lucem, ſplendorem, calorem,& reliquas ſuas proprietates, ita vt ferrum videatur eſſe omninò ignis. Ex quo prouenit,vt anima ſatietur plenaq; ſit omni bono,quod deſiderat;iuxta illud Dauidis:a *ſatiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Hoc poterit diſtinctiùs expendi diſcurrendo per tres ſpirituales animæ facultates.

a *Pſal.* 16.15 Bonum animæ ex eius potentijs.

I. Memoria b *Pſ.* 70.16

MEMORIA ita b *intrabit in potentias Domini*, & ita immergetur in abyſſum diuinitatis eius, vt *memoretur eius iuſtitiæ ſolius.* erit enim plena Deo,ſemper illum ſibi præſentem habens,nec potens eius obliuiſci, aut ad rem aliam diuertere.recordabitur continuè acceptorum anteà bonorum, & quæ nunc recipit,& ſperat ſe accepturam, cum ſummo ſuo gaudio; nunquam tradens obliuioni id,quo tantoperè oblectatur:nec recordatur alicuius,quod vllam pœnam ipſi adferat;nam ſi recordatur laborum,& periculorum huius vitæ,& peccatorum quæ admiſit; ex omnib. gaudium haurit & lætitiam,& motiua ad continuas Dei laudes, vt continuè gratias Deo agat propter beneficia ſibi aliàs collata, & quæ nunc confert,& conferet ſine fine: vbi locum habet illud Dauidis: c *memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, & iuſtitia tua exultabunt*: memores,quàm iuſtus fideliſque fueris cum ipſis,omnia implens opere ipſo,quæ illis promiſeras.

c *Pſ.* 144.7.

II. Intellectus. d 1. *Cor.* 13.

INTELLECTVS erit plenus DEO, per claram eius diuinitatis & Trinitatis *viſionem*: ibi videbit d *abſque figuris & ænigmatis facie* omninò *ad faciem* totum Deum, Patrem,& Filium, & Spiritum S. & cognoſcet quomodo Pater Filium generet, & vterque Spiritum S. producat; & quomodo tres Perſonæ vnus ſint tantùm Deus, infinitus, æternus, immenſus,& incomprehenſibilis: videbit omnes diuinas eius *perfectiones*, infinitam eius bonitatem, ſapientiam, charitatem,omnipotentiam, & prouidentiam. Videbit altiſſima *myſteria* incarnationis filij Dei, & ſacratiſſimæ eius humanitatis,& *ſtupenda opera*,quæ Deus operatus eſt,tam naturæ,quàm gratiæ;ita vt omninò ceſſent ignorantiæ, errores, dubia, & opiniones quas hîc habebat.Ceſſabit fides, quia videbit quod credidit; *& ſpes,quia poſſidebit,quod ſperauit*, & in particulari videbit clarè ſecreta Dei iudicia,circa hominum gubernationem, quæ ipſum hîc vexabant,iuxta illud Dauidis; f *exiſtimabam vt cognoſcerem hoc*, iudicia ſcilicet ſecreta:ſed quia ea aſſequi non poſſum,*labor eſt ante me*, & ſolicitum me tenet. Et adhuc magis & in particulari, videbit *immenſa ſecreta paternæ prouidentiæ*, quâ DEVS ipſum gubernarit, & eius ſalutem direxerit, vt tandem ad exitum perueniret; cognoſcet pericula, à quibus ipſum liberauerit, & occulta beneficia, quæ illi contulerit. Ex quo ad ſummum gaudium occaſionem & motiuum accipiet. Denique ibi g *ſatiabitur* de-

e *Rom.* 8.24

f *Pſal.* 72.16

g *Pſal.* 16.15

ſide-

ſiderium inſatiabile, quod homines habent ad ſciendum, cùm videbit Deum, in quo ſunt omnia: & aſſequetur modo quodam ineffabili, quod ſerpens dixerat in paradiſo, h *fore ſicut Deos, ſcientes bonum & malum*, gaudens ſummè de bono, & nullam habens partem in malo. h *Geneſ.* 3. 5.

III. Voluntas.

VOLVNTAS quoque erit *plena Deo*, diuinitati eius coniuncta, amoris quadam vnione perpetua, continua, intima, & amica, cum omnibus generibus & titulis, quæ eſſe poſſunt amoris ſancti, quia omnes locum habent in Deo clarè diſtinctéque conſpecto; quem voluntas diliget, vt *Patrem*, vt *amicum*, vt *ſponſum, benefactorem*, infinitum, ſummum bonum, primum *principium*, & vltimum *finem ſuum*: ex quo amore emerget i *torrens* quidam continuus, perpetuus, & copioſiſſimus ineffabilium *voluptatum Dei*; ex quo hauriet, *& inebriabitur à* tanta *vbertate domus Dei*, tota immerſa k *in gaudijs* infinitis *Domini ſui*. Ex quo fit, vt tota anima plena ſit futura omnibus virtutibus, quarum actus ſumma exerceat voluptate. *Obedientia* enim parebit Deo magna cum delectatione; *Humilitate* totam eidem ſe addicet, & beneuola recognitione ſe mancipabit; *Religione* reddet illi debitum cultum & adorationem. & cum maxima reuerentia, & gratitudine continuas aget gratias, cum iubilis & canticis & Alleluia perpetuis: nulla enim ibi erit animi perturbatio, nullæ contradictiones, nec aliquid quod impediat aut remittat varietatem iſtarum delectationum; quæ adeò erunt eleuatæ ac diuinæ, vt nemo l *niſi qui accipit*, probatq; eas, nouerit, *ſunt enim ſicut Manna abſconditum*, cuius ſapor non cognoſcitur, niſi delibetur. i *Pſal.* 35. 9. k *Mat.* 25, 21 l *Apoc.* 2. 17.

IV. Nota. Satietas ſumma gloriæ. *S. Thom.* 1. *p. q.* 26. *a.* 2.

DENIQVE ad ſemel aſſequendam *magnitudinem & ſatietatem gloriæ*, hanc rationem expendam, quæ omnes alias complectitur. Quòd Deum facit beatum, illumque ſatiat, & infinito gaudio perfundit; ſufficiet, vt proportione quadam idem in me efficiat: Cùm ergo Deus, ex quo Deus eſt, & per totam ſuam æternitatem ſit beatus, ſatur, & abſque vllo tædio, lætus & exultans, eo ſolo quòd ſe ipſum videat ametque, nullâ externâ re ad id indigens: ego quoque ero beatus, eroque ſatur, lætus & exultans eo ſolo, quòd videam Deum, illum amem, & eo fruar; ita vt nulla re extra ipſum, ad plenam beatitudinem indigeam, nec in hoc opere vllum ſit tædium, nec vlla defatigatio; ſed nouitas quædam æterna, & æternitas quædam ſemper noua; Deum ſemper videndo, & deſiderando ſemper videre, & gaudendo, quòd ſine ceſſatione illum videam. O *gloria* mea, quando te videbo ita clarè, vt ſaties deſideria cordis mei! quando tanta mihi aderit animæ puritas, vt diuinam faciem tuam videre liceat? vtinam numquam feciſſem, quod tuæ bonitati diſpliceret, & felicem adeò viſionem impediret. Accipe, Domine, facultates omnes animæ meæ, eaſque ſtatim occupa in ijs, quæ ſemper ſunt factura.

Oratio.

Digitized by Google

Memoria mea ſemper occupetur in te aſpiciendo ; *Intellectus* meus in te cognoſcendo; *Voluntas* in te diligendo ; *Lingua* mea in te benedicendo, *Senſus* & omnia membra mea in obediendo : omnibus exultantibus in te, de te, & propter te, in ſæcula, Amen.

Mentis oratio ſimilis eſt iis, quæ in cælo geruntur. Ex dictis intelligam, *exercitium orationis mentalis*, quæ opus eſt trium internarum animæ facultatum, vt ſuprà eſt dictum, eſſe delineationem quandam & figuram gloriæ; in qua oratione conſiſtit beatitudo huius vitæ, quam vocant inchoatam, quæ refert illam, quam anima noſtra habebit in cœlo. Quamobrem meritò dixit S. Bern. cellam Religioſo eſſe cœlum: quia exercitia, quę fiunt in cælo, fiant etiam in cella, vbi cognoſcitur & amatur Deus; vbi Religioſus fruitur Deo, eumque ex toto corde diligit, ac laudat: ideoque ipſimet Angeli gaudent in cellis, ſicut in cęlis; quia in illis obſeruant orationis opus, quod ipſi præſtant in cælis; & eodem modo cuiuis, orationi addicto, oratorium ipſum erit cælum, ſi orauerit, ſicut oportet. *Ad fratres de Monte Dei.*

PVNCTVM II.

S. Ioan. Climac. grad. 28 *1. Cor. 15. 42.* *S. Thom. q. 82. Addit.*

DEINDE conſideranda eſt *excellentia gloriæ corporis beati*, cum *quatuor* eius gloriæ dotibus, per ſingulas diſcurrendo.

I. *a Mat. 13. 43.* Corpus glorioſum cum 4. dotibus ſuis. *b Eph. 5. 27.*

PRIMA dos eſt CLARITAS cum admiranda pulchritudine. tunc enim *iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorum*, ad ſimilitudinem corporis Chriſti D.N. quamquam qui beatior erit, magis quoque ſplendebit, Chriſti verò corpus præ omnibus : Habebit omnium partium ſuarum perfectam integritatem in magna proportione, cum colore, & figura admiranda, b *abſque vlla* deformitate, *macula aut ruga, aut aliquo huiuſmodi*; quo eius ſplendor obſcuretur. Vulnera verò, quæ quis in hac vita pro Chriſto accepit, quorum in eo cicatrix, aliudue ſignum maneat in corpore, erit tanquam *encauſtum* ſine *gemma* pretioſiſſimæ, quæ illud reddent pulcherrimum. Præter externam autem pulchritudinem, erit quoque valdè ſpectabilis, & iucunda interior eiuſdem corporis pulchritudo, eò quòd erit perlucidum ; in quo apparebit tota *harmonia* oſſium, venarum, & arteriarum, cum ingenti omnium ſplendore ; & propterea comparatur auro, quia ſplendet, & vitro ſeu cryſtallo, quod eſt tranſlucidum. *S. Greg. 27. Mor. c. 27.* *S. Tho q. 85. Addit. a. 1.*

II. *c Apo. 7. 16.* *Iſai. 49 10.*

SECVNDA dos eſt IMPATIBILITAS immortalis, ſiue immortalitas impatibilis, c *quia non eſurient, neque ſitient amplius*, nec ſentient dolorem vllum aut infirmitatem, nec mortis metum. nam quamuis ſint in medio ignis, non comburentur; neque ſi flumina aut maria penetrent & merguntur, humectabuntur. Semper habebunt talem *virorem*, qui num-

quam

quam marceſcat; talem *ſanitatem*, quæ nullum detrimentum patiatur; & quamdam impatibilitatem æternam, vt & d *cor & caro eorum exultent in Deum viuum*, à quo lætam adeò fęlicemque vitam accipiunt. d *Pſal.* 83.

III. Tertia dos eſt Agilitas, ſiue *celeritas*, propter quam ita anima dominabitur in ſuo corpore, vt poſſit illud ab vno in alium locum ſine vlla defatigatione aut mora, quæ pœnam aliquã adferat, mouere, ſed ſũma celeritate ac velocitate, inſtar e *ſcintillæ*, aut fulguris, *diſcurrent* per cœlum Empyreum, pro ſuo libitu, nunc ad *thronum* Ieſu Chriſti D. N. nunc ad eius Matris ſanctiſſimæ, aut aliorum ſanctorum. e *Sap* 3.7.

IV. Qvarta dos eſt Svbtilitas ſiue ſpiritualitas, quia nõ ſubiacebit operibus vitæ vegetantis, pluſquam ſi eſſet ſpiritus. quare totam vitam ducet ſine vllo cibo & potu, ſine ſomno, & alijs operibus quæ ſunt beſtijs communia: & ideo dixit ipſe Saluator, f *in Reſurrectione; neq; nubent, neque nubentur; ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo*; vt ſint in hoc ſimiles puris ſpiritibus. Habebit quoque ſubtilitatem, vt poſſit in virtute Dei penetrare cælos, &. quodcunque aliud corpus, abſque vllo impedimento, ſicut ipſe Chriſtus poſt ſuam Reſurrectionem, g *cùm fores eſſent clauſæ*, ingreſſus eſt in cœnaculum, vbi erant diſcipuli, & exit ex h *ſepulchro, penetrans lapidem, quo illud erat clauſum*, vt eſſet indicium ſubtilitatis corporis eius glorificati. f *Mat.* 22.3 g *Ioan.* 20. 19.26. h *Mat.* 28. 2 *S. Thom. lect.* 6. *in* 1 *ad Cor.* 15.

Hae ſunt quatuor *dotes* corporis glorificati; quarum conſideratione animum aſſumam ad patiendum, & ſuſtinendum libenter miſerias & labores huius vitæ, felicitati meæ tribuens eas ita pati; ſiquidem tantum eſt illis præmium conſtitutum. O *felices ignominias*, quarum finis eſt tantus ſplendor; felices pœnas, quæ efficient corpus eſſe impatibile; felices labores, qui in pręmium accipient tantam quietem & leuamen! O quàm aptè Apoſtolus dixit: i *non eſſe condignas paſsiones huius temporu ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Reſume itaque animum anima mea, ad k *mortificationem Ieſu in corpore tuo circumferendam*; ſiquidem corpus tuum ita hîc humiliatum, conforme futurum eſt corpori eius glorificato; amplectere in carne tua eius dolores & cruciatus; ſiquidem immenſam gloriam propterea es acceptura. i *Rom.* 8. 18 k 2. *Cor.* 4. 10.

Pvnctvm III.

Tertio conſideranda eſt *gloria* & *delectatio*, qua afficientur quinque corporis ſenſus, diſcurrendo per ſingulos eorum. Gloria & delectatio 5. ſenſuum. *Doctores in* 4. *ſent. diſt.* 49.

I. Visvs noſter vehementi delectatione afficietur, videns pulchritudinem innumerabilium corporum glorificatorum, in quibus ſumma erit *varietas* facierum & figurarum, quæ mirum in modum oblecta-

Digitized by Google

Memoria mea ſemper occupetur in te aſpiciendo ; *Intellectus* meus in te cognoſcendo ; *Voluntas* in te diligendo ; *Lingua* mea in te benedicendo. *Senſus* & omnia membra mea in obediendo : omnibus exultantibus in te, de te, & propter te, in ſæcula, Amen.

Mentis oratio ſimilis eſt iis, quæ in cælo geruntur.
ad fratres e Monte Dei.

Ex dictis intelligam, *exercitium orationis mentalis*, quæ opus eſt trium internarum animæ facultatum, vt ſuprà eſt dictum, eſſe delineationem quandam & figuram gloriæ; in qua oratione conſiſtit beatitudo huius vitæ, quam vocant inchoatam, quæ refert illam, quam anima noſtra habebit in cœlo. Quamobrem meritò dixit S. Bern. cellam Religioſo eſſe cœlum: quia exercitia, quę fiunt in cælo, fiunt etiam in cella, vbi cognoſcitur & amatur Deus; vbi Religioſus fruitur Deo, eumque ex toto corde diligit, ac laudat: ideoque ipſimet Angeli gaudent in cellis, ſicut in cęlis; quia in illis obſeruant orationis opus, quod ipſi præſtant in cælis; & eodem modo cuiuis, orationi addicto, oratorium ipſum erit cælum, ſi orauerit, ſicut oportet.

Pvnctvm II.

S. Ioan. Climac. grād. 28
1. Cor. 15. 42.
S. Thom. q. 82. Addit.

DEinde conſideranda eſt *excellentia gloriæ corporis beati*, cum *quatuor* eius gloriæ dotibus, per ſingulas diſcurrendo.

I.
a Mat. 13. 43.
Corpus glorioſum cum 4. dotibus ſuis.
b Eph. 5. 27.

Prima dos eſt Claritas cum admiranda pulchritudine. tunc enim *a iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorum*, ad ſimilitudinem corporis Chriſti D.N. quamquam qui beatior erit, magis quoque ſplendebit, Chriſti verò corpus præ omnibus : Habebit omnium partium ſuarum perfectam integritatem in magna proportione, cum colore, & figura admiranda, b *abſque vlla deformitate, macula aut ruga, aut aliquo huiuſmodi*; quo eius ſplendor obſcuretur. Vulnera verò, quæ quis in hac vita pro Chriſto accepit, quorum in eo cicatrix, aliudue ſignum maneat in corpore, erit tanquam *encauſtum* ſine *gemma* pretioſiſſimæ, quæ illud reddent pulcherrimum. Præter externam autem pulchritudinem, erit quoque valdè ſpectabilis, & iucunda interior eiuſdem corporis pulchritudo, eò quòd erit perlucidum; in quo apparebit tota *harmonia* oſſium, venarum, & arteriarum, cum ingenti omnium ſplendore ; & propterea comparatur auro, quia ſplendet, & vitro ſeu cryſtallo, quod eſt tranſlucidum.

S. Greg. 27. Mor. c. 27.
S. Tho q. 85. Addit. a. 1.

II.
c Apo. 7. 16.
Iſai. 49. 10.

Secvnda dos eſt Impatibilitas immortalis, ſiue immortalitas impatibilis, c *quia non eſurient, neque ſitient amplius*, nec ſentient dolorem vllum aut infirmitatem, nec mortis metum. nam quamuis ſint in medio ignis, non comburentur; neque ſi flumina aut maria penetrent & mergantur, humectabuntur. Semper habebunt talem *virorem*, qui num

quam

quam marceſcat; talem *ſanitatem*, quæ nullum detrimentum patiatur; & quamdam impatibilitatem æternam, vt & d *cor & caro eorum exultent in Deum viuum*, à quo lætam adeò fælicemque vitam accipiunt. d *Pſal*.83.

III. TERTIA dos eſt AGILITAS, ſiue *celeritas*, propter quam ita anima dominabitur in ſuo corpore, vt poſſit illud ab vno in alium locum ſine vlla defatigatione aut mora, quæ pœnam aliquã adferat, mouere, ſed ſũma celeritate ac velocitate, inſtar e *ſcintillæ*, aut fulguris, *diſcurrent* per cœlum Empyreum, pro ſuo libitu, nunc ad *thronum* Ieſu Chriſti D. N. nunc ad eius Matris ſanctiſſimæ, aut aliorum ſanctorum. e *Sap* 3.7.

IV. QVARTA dos eſt SVBTILITAS ſiue ſpiritualitas, quia nõ ſubiacebit operibus vitæ vegetantis, pluſquam ſi eſſet ſpiritus. quare totam vitam ducet ſine vllo cibo & potu, ſine ſomno, & alijs operibus quæ ſunt beſtijs communia: & ideo dixit ipſe Saluator, f *in Reſurrectione; neq; nubent, neque nubentur; ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo*; vt ſint in hoc ſimiles puris ſpiritibus. Habebit quoque ſubtilitatem, vt poſſit in virtute Dei penetrare cælos, & quodcunque aliud corpus, abſque vllo impedimento, ſicut ipſe Chriſtus poſt ſuam Reſurrectionem, g *cùm fores eſſent clauſæ*, ingreſſus eſt in cœnaculum, vbi erant diſcipuli, & exit ex h *ſepulchro, penetrans lapidem, quo illud erat clauſum*, vt eſſet indicium ſubtilitatis corporis eius glorificati. f *Mat*.22.3 g *Ioan*. 20. 19.26. h *Mat*.28. 2 *S. Thom. lect.* 6. *in* 1 *ad Cor*.15.

HAE ſunt quatuor *dotes* corporis glorificati; quarum conſideratione animum aſſumam ad patiendum, & ſuſtinendum libenter miſerias & labores huius vitæ, felicitati meæ tribuens eas ita pati; ſiquidem tantum eſt illis præmium conſtitutum. O *felices ignominias*, quarum finis eſt tantus ſplendor; felices pœnas, quæ efficient corpus eſſe impatibile; felices labores, qui in prĕmium accipient tantam quietem & leuamen! O quàm aptè Apoſtolus dixit: i *non eſſe condignas paſſiones huius temporu ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Reſume itaque animum anima mea, ad k *mortificationem Ieſu in corpore tuo circumferendam*; ſiquidem corpus tuum ita hîc humiliatum, conforme futurum eſt corpori eius glorificato; amplectere in carne tua eius dolores & cruciatus; ſiquidem immenſam gloriam propterea es acceptura. i *Rom*.8. 18 k 2.*Cor*.4. 10.

PVNCTVM III.

TERTIO conſideranda eſt *gloria* & *delectatio*, qua afficientur quinque corporis ſenſus, diſcurrendo per ſingulos eorum. Gloria & delectatio 5. ſenſuum. *Doctores in* 4. *ſent. diſt.* 49.

I. VISVS noſter vehementi delectatione afficietur, videns pulchritudinem innumerabilium corporum glorificatorum, in quibus ſumma erit *varietas* facierum & figurarum, quæ mirum in modum oblecta-

bunt. Præ cæteris autẽ omnibus delectabitur aſpectu ſacratiſſimę Chriſti D.N. humanitatis, & ſplendentium eius vulnerum; cuius aſpectus adeò erit iucundus, vt S.Iob in medijs ſuis tribulationibus ac doloribus,
Iob 19. 25. ſeſe conſolaretur ſpe huiuſmodi aſpectu, dicens: a *ſcio quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum meum. Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius* pro me: *repoſita eſt hac ſpes in ſinu meo.*

II. Avditvs delectabitur, audiens dulciſſima verba, quæ beati mutuò ſibi dicent, plena ſapientia, prudentia, & ſanctitate; & laudes Dei, quas o-
b Apoc. 6. 8. re proferent, vt dicitur in Apoc. quòd b *quatuor animalia requiem non habent, die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens,*
c Pſa. 149. 5. & Dauid ait: c *exultabunt Sancti in gloria, exultationes Dei in gutture eorum.* recreabitur quoque *auditus*, audiens muſicas cæleſtes, & concentus nouos, à ſapientia Dei illic inuentos; ad eorum aures oblectandas, quæ in hac vita audiendis ipſius verbis oblectabantur, vt illa crederent; & præceptis, vt ea exequerentur.

III. Odoratvs recreabitur ſuauiſſimo glorificatorum corporum o-
d Matt. 24. 28. dore, præcipuè corporis ipſius Chriſti D.N. de quo ipſe dixit: d *vbicunque fuerit corpus*, ſcilicet meum, *illic congregabuntur & aquila*; Sancti videlicet, eius odore attracti. O quantam fragrantiam, & odorum varietatem, adinueniet ibi pietas Diuina, ad eam carnem recreandam, quæ e *fuit hic bonus odor* in ſanctitate vitæ ſuæ!
e 2. Cor. 2. 15.

IV. Gvstatvs habebit *ſatietatem*, & plenam *ſatisfactionem* cæleſtem, abſque vllo faſtidio, & nauſea, quia Deus D.N. ſine cibis ei communicabit ſuauitatem, quam ex eis accipere potuiſſet, & quidem multò altiori
f Sap. 16. 20 & ſublimiori modo: nam ſi f *Manna*, cùm eſſet vnus tantùm cibus, *habebat omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuauitatem*, cum maiori excellentia, quam ipſi cibi haberent; vt ſic populo ſuo & iuſtis Deus in hoc exilio indulgeret, nouerit ſine dubio idem Dominus tale ſaporis *condimentum* conficere, quod eminenter ſapores omnes complectatur, vt ſuis iam beatis indulgeat.

V. Deniqve *Tactus*, qui per totum corpus eſt diffuſus, replebitur delicijs & voluptatibus ſanctis ac puris, ita vt beatus tantus quantus immerſus ſit torrenti deliciarum, & voluptatum Dei. O quàm copioſè reddetur ibi præmium ſenſibus omnibus, ob mortificationes, quas in hac vita
g Pſa. 93. 19. ſuſtinuerunt; quandoquidem Dauid ait, g *Secundùm multitudinem dolorũ meorum conſolationes tua lætificauerunt animam meam*, ac porrò etiam corpus meum. O corpus meum, animum magnum concipe ad patiendum pro Chriſto, vt ſenſus omnes tui gaudio illo fruantur, quo fruuntur ſen-
h Pſal. 121. ſus eius; h *lætare in his qua dicta ſunt tibi, te in domum Domini iturũ.* Et quã-

uis

uis pedes tui moueantur, & ambulent ſuper terram, deſiderio tamen figé illos in *palatijs* cœleſtibus, & in *atrijs* cœleſtis Ieruſalem. O i *Ieruſalem, mater noſtra*, quæ es ædificata ex lapidibus viuis tuorum ciuium, magna pace inter ſe ipſos coniunctorum; accipe ex nunc *cor meum*, admittens me in ſpiritu intra te, vt olim animam ſimul & corpus admittas. O Deus infinite, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, k *qui ſecundùm miſericordiam tuam magnam regeneraſti nos* in Eſſe gratiæ, & *in ſpem viuam* obtinendi *hareditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſſibilem conſeruatam in cælis*, quam cuſtodis per viuam *fidem* in tuis electis, quibus eã *reueles in tempore nouiſſimo*; regenera me propter bonitatem tuam in Eſſe filij tui, conſeruans in me ſemper gratiam tuam, vt obtineam ſupernam iſtam gloriæ tuæ *hæreditatem*. Amen.

i *Gal*. 4. 2[illegible]

k 1. *Pet*. 1.
Oratio.

MEDITATIO LIII.

DE GLORIA COELESTI, QVA PRAEMIA complectitur octo Beatitudinum.

MAGNITVDINEM *gloria declarauit Chriſtus Dominus noſter in ſermone habito in monte; exprimens illam ſeptem illis præmijs, quæ promiſit* actibus virtutum heroicarum, *quas beatitudines nominauit; de quibus fusè actum eſt in* tertia parte, Meditatione vndecima. *Illis ergo præmiſſis, meditabimur nunc eadem ſeptem præmia, quatenus inueniuntur in cœleſti gloria.*

PVNCTVM I.

PRIMVM eſt conſiderandum, hanc gloriam eſſe REGNVM illud COELORVM quod Chriſtus Dominus promittit *pauperibus ſpiritu*, & ijs, *qui perſecutionẽ patiuntur propter iuſtitiã*, quod regnũ non eſt aliud, quã *clara Dei viſio*, & poſſeſſio infinitarũ eius diuitiarum, cum sãctitate, a *iuſtitia, pace, & gaudio in Spiritu ſancto*, quæ habent Sancti in cælo Empyreo: In quo vnaquæque harum rerum eſt cum magna eminentia. nam ipſa Dei *viſio* eſt clariſſima, abſque vlla admixta obſcuritate; *diuitiæ* illæ ſunt abſque vllo defectu & paupertate; *ſanctitas* eſt pura, abſque vllo genere malitiæ: *iuſtitia*, abſque vlla inæqualitate aut iniuria; *pax* eſt ſolida, abſque vlla diſſenſione & diſcordia; *gaudium* abſque omni veſtigio doloris aut triſtitiæ. b *Hoc Regnum eſt intra vnumquemq;*: & quiſque poſſidet illud integrè, abſque dependentia ab vllo alio. Nam, etſi vnl-

I.
Præmia gloriæ cæleſt.
a *Rom*. 14. 17.

b *Luc*. 17. 21. 10.

Digitized by Google

cus tantùm fuiſſet Beatus, ille habuiſſet regnum ſuum integrum; licèt ex conſortio dulciſque ſocietate reliquorum Beatorum accreſcat illi non exiguum gaudium. Hinc eſt, quòd ſinguli habitatores cœli, accipiant hoc regnum, tanquam ſuum; ita vt ſint veri Reges, & vehementer exultent de Regia ſua dignitate, qua ſimul regnant cum ſupremo omnium Rege, qui eſt Deus: ideoque Triumphans Eccleſia appellatur c *Regina*, quæ eſt *à dextris* ſui Sponſi, *in veſtitu deaurato, circumdata varietate* plurimorum donorum & virtutum, prout decet ſponſam ſupremi Regis. Quid ergo glorioſius eſſe poteſt, quàm tale Regnum poſſidere, & eſſe Regem in ſocietate tot clariſſimorum Regum, d *quorum minimus* incomparabiliter *maior eſt* omnibus Regibus terræ. O Rex Regum, & Domine Dominantium, gratias tibi, quòd tuis ſeruis in *præmium* cuiuſcumque etiam parui obſequij tradas regnum adeò excellens. O Regnum infinitum, & cœlum immenſum, coanguſtatum ad cor iuſti, & comparatum operibus iuſtitiæ eius: e *ſi omnia huius mundi bona adijciuntur quærenti primùm hoc Regnum*, qualia erunt bona, quæ reddentur vt merces præcipua ei, qui dignus eſt illud obtinere. O felices illos, qui ſe ipſos humiliant, & ſpontè paupertatem amplectuntur, aut humiliationem & perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, qui tale regnum pro præmio ſuo habebunt. f *Adueniat*, Domine ad me *regnum tuum*, & g *ingrediatur meipſum*, vt ego ipſum ingrediar, & te fruar in æternum. Amen.

[Margin: ...ium-...ans Ec-...ſia Re-...na; Pſal 44. Matt. 11. 11; ...átio.; Mat. 6. 33.; Mat. 6. 10. Luc. 17. 21.]

PVNCTVM II.

SECVNDO eſt perpendendum; quòd cœleſtis gloria, ſit felix illa POSSESSIO TERRAE, quæ promittitur *mitibus*, quæ hanc, quam pedibus calcamus, tantò excellit, quantò ſtellatum cęlum magnitudine, pulchritudine, ac ſplendore eandem excedit. hæc enim terra, eſt *habitatio* moriturorũ, & *ſepulchrum* eorum, quos in puluerem cõuertit; eſt *vallis lacrymarum*, exiliũ Patriæ noſtræ, miſeria plenũ, quia eſt terra maledictionis, arida, & ſterilis, ob culpam eius, qui fuit primus eius incola; TERRA verò, quæ hîc promittitur, eſt a *Regio viuorum*, in qua nullus poteſt mori, & omnes commutant terrenam vitam cum cœleſti; eſt *vallis deliciarum*, in qua fluunt lac & mel diuinarum conſolationum; nulla ibi ſuſpiria, nullæ lacrymæ, nec earũ occaſiones; eſt terra benedictionis & irrigua cum ſtupenda fœcunditate. nam (vt ait S. Ioan.) continuè irrigatur *fluuio aquæ viuæ*, ſplendidæ inſtar b *cryſtalli, quæ procedit de ſede Dei & Agni, & ex vtraq; parte fluminis plurima ſunt lignna vitæ, quæ afferunt fructus* 12. in anno, *per menſes ſingulos*, reddentia *fructum ſuũ, & folia ligni ad ſanitatem gentium*. O feliciſſimam terram, in qua continuè perpetuoq; ma-

[Margin: II. ...oſſeſſio ...ræ.; Pſa. 114. 4.; Apoc. 22. 1; ...ratio.]

Digitized by Google

nat aqua viua & clara viſionis diuinitatis Dei;& humanitatis Agni Chriſti Ieſu; cuius habitatores ſunt ſicut arbores vitæ; qui ſemper humectantur aquâ huius diuini fluminis; cuius virtute producunt innumeros fructus recentium gaudiorum & deliciarum. O felices arbores,quarum folia adferunt ſalutem gentibus,qui degimus in hac terra. nam propter teſtimonia,quę de eis audimus;&protectionem,quam in eiſdem habemus, ſperamus nos victuros cum eis in cœlo. O quis mihi felicis huius terræ poſſeſsionem daret! ô anima mea, dilige manſuetudinem Agni Ieſu, vt tradat tibi ſupernam hanc terram in poſſeſsionem,quò non poſſunt peruenire c *hædi*,qui in die Iudicij *ad ſiniſtram eius* collocabuntur,ſed *Agni* tãtùm; qui erunt *ad eius dextram*. c *Matt.*25 33

PVNCTVM III.

TERTIO eſt conſiderandum, gloriam cœleſtem eſſe CONSOLATIONEM, quæ promittitur *lugentibus*. Vbi hæc ſunt perpendenda; quis ille ſit,qui conſolatur,quibus rebus, quo modo, & quanto tẽpore conſoletur. QVI conſolatur,eſt ille,qui per excellentiam appellatur a *Paraclitus*,& b *Deus totius conſolationis*,& à quo procedit omne, quod nos poteſt conſolari; & in cœlo hoc efficit eminenter.

III. Conſolatio lugentium.

a *Ioa.*14.16 b 2.*Cor.*3 3.

IBI enim ſunt res innumeræ,quæ ſumma excellentia conſolantur. *nã conſolatur* ipſa clara viſio Dei, & humanitatis Chriſti, præſentia glorioſiſsimæ eius matris,ſocietas & conſortium Hierarchiarum, Angelorum, ſuauiſsima conuerſatio cum Chriſto Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum,Martyrum,& reliquorum Sanctorum felicis illius curiæ cęleſtis; vbi quiſque eſt alterius conſolator,quatenus omnium bona conſolãtur vnumquemque: *Conſolatur ſecuritas loci*, æternitas illius ſtatus,pax conſcientiæ,quæ exſuperat omnem ſenſum.

QVIS verò modum explicet talis conſolationis? non enim conſolatur ibi Deus,culpas & peccata condonando,triſtitiaſque leniendo;ſed vtrũque horum in æternum inde repellendo; ibi c *gaudium & lætitia inuenitur, gratiarum actio, & vox laudis*, & d *per vicos eius ſemper Alleluia cantatur*; quibus cor recreatur. c *Iſaia* 51.3. d *Tob.*13.22

ET tota hæc conſolatio erit æterna, abſque vllâ vnquam ceſſatione; quia omnes e *ſunt* iam *intra gaudium Domini ſui*, & f *nemo gaudium illud tollet ab eis*. O vita beata, in qua conſolatio æquè æterna eſt,atque ipſa vita; & vita æquè æterna, atque ipſe Conſolator! felix qui *luget* in hac vita mortali; ſiquidem recipiet talem *conſolationem* in immortali. O Deus ſpei, g *reple me omni gaudio, pace*, & conſolatione, *in credendo* magnalia tuę gloriæ,vt huius vitæ dolores & cruciatus tolerem; ſpe firma futurarum

e *Mat.*25.21 f *Ioan.*16 22 Oratio.

g *Rom* 15.13

Digitized by Google

conſolationum, quas mihi daturus es in futura.

PVNCTVM IV.

IV. Saturitas ſitientium iuſtitiam

QVARTO eſt conſiderandum, quòd gloria cœleſtis ſit illa SATVRITAS, quæ promittitur *eſurientibus, & ſitientibus iuſtitiam*: quæ ſaturitas eſt quædam abundantia rerum omniũ, quas poſſunt homines rationabiliter deſiderare. Vbi eſt perpendendum, quòd hæc *terra* ſit *locus* perpetuæ *famis & ſitis*.

NAM *aliqui* eſuriunt eſcas & delicias carnis, *alij* diuitias, honores ac dignitates huius mundi: *alij* ſitiunt ſcientias & curioſitates ſenſuum: *alij* denique ſitiunt virtutes & gratias cœleſtes: nec quiſquam in hac vita vnquam ſatur eſſe poteſt: quia temporalia bona non poſſunt implere deſiderium noſtrum; *ſpiritualia autem* dantur in certo pondere & menſura, ſemperque ſupereſt appetitio creſcendi in eis. idcircò enim dicit Sapientia: a *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient*. At Cœlum, (Eccl. 24. 9.) eſt locus ſatietatis, & quidem plenæ: nam (vt ait Dauid) b *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, (Pſal. 16. 15.) ea enim viſio adeò ditat & exaltat Beatum, vt omnes diuitiarum & excellentiarum huius mundi appetitiones excludat: eò quòd omnia hæc comparata cum ipſa Dei viſione, ſint miſeriæ & abiectiones. Illa enim viſio, deſiderium explet ſciendi. nam, viſo Deo, omnia videntur, quæ deſiderari poſſunt: illa explet etiam ſitim & deſiderium virtutum; quia illis adfert complementum & vltimam perfectionem. Et licèt hoc duret per totam æternitatem, nunquam tamen tædium adfert, ſed quotidie potiùs oblectat, ita recens atque erat initio. Denique ibi implebitur quod ſcriptum eſt, c *præcipitabit omnem mortem in ſempiternum, &* (Iſaiæ 25. 8. Apoc. 7. 16) *auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie*: & illud: d *Non eſurient neq; ſitient amplius, nec cadet ſuper illos ſol, nec vllus æſtus: quoniam Agnus, qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*. (Iſai. 49. 10.) *Eſuri*, anima mea, hanc *gloriam*, quæ ſola ſufficit te plenè ſatiare; *eſurias* quoque & ſitias *iuſtitiam*, ſine qua non poteris aſſequi gloriæ magnitudinem.

PVNCTVM V.

V. Plenitudo miſericordiæ.

QVINTO conſiderandum, quòd gloria cœleſtis eſt illa PLENITVDO MISERICORDIAE; quæ promittitur *miſericordibus*, eſt autem perpendendum, tria eſſe diuerſa loca pro tribus diuerſis hominum generibus, *Infernum* videlicet, *Cœlum*, & *terram*, quæ media eſt inter vtrumque; quæ (vt ait Apoſtolus) eſt ſicut magna quædam a *domus*, (a 2 Ti. 2. 20.)

in qua

in qua non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea,& fictilia; & quadã quidem in honorem,quadam autem in contumeliam; & b *quadam ſunt vaſa iræ apta in interitum*, ob illorum peccata,*alia vaſa miſericordiæ,quæ præparauit ipſe in gloriam*, in præmium bonorum operum ipſorum, quæ in Diuina gratia fundantur. b *Rom*.9.

Ex hoc medio loco proueniunt habitatores vtriuſque extremi loci. INFERNVS enim eſt locus deſtinatus vaſis cõtumeliæ & irę,in quæ Deus oſtendit ſupremam iram, & vltionem de ſuis inimicis, afficiens eos ſupremo ſupplicio,quod ſeuera ipſius iuſtitia contra eos præſcripſit: *Cœlũ* autem eſt deſtinatum vaſis miſericordiæ,factis in honorem,in quæ Deus oſtendit ſupremam miſericordiam,quam iuſtis deſiderat exhibere,reddens ex infinita ſua bonitate & charitate, ipſis operibus gratiæ ſuæ, præmium æternæ gloriæ. Quare cœlum eſt inſtar domus alicuius, ſiue Abaci, pretioſiſsimis vaſis aureis argenteiſque ornati; inter quæ nullum admiſcetur ligneum aut fictile,quod aut confringi poſsit,ſi pulſetur, aut carie corrumpi,aut igne conſumi:quia omnia ſunt ibi vaſa honoris & gloriæ,nullum contumeliæ aut infamiæ; omnia ſunt vaſa miſericordiæ,quæ à ſua æternitate Deus ſibi elegit ex ſua miſericordia, & c *coronat eos* (vt ait Dauid) *in miſericordia & miſerationibus,replens in bonis deſiderium eorum, & renouans vt aquila, iuuentutem eorum*, abſque periculo aut timore iterũ ſeneſcendi. Ex quo colligam,quamuis Gloria ſit verè d *corona iuſtitiæ*,tamen hæc gratiæ innitatur, potiùs eſſe cenſendam *coronam* infinitæ *miſericordiæ*,quam conſecuta ſunt vaſa miſericordiæ, eò quòd fuerint *miſericordes*. Quare habitans anima mea inter Cœlum & Infernum, contende eſſe *vas aureum* per charitatem,& *argenteũ per puritatem*: purifica te à culpis & animi perturbationibus,& ſic fies *vas ſanctificationis*,in quo deponat Deus nunc theſauros gratiæ ſuæ,& poſtea etiam theſauros gloriæ, Amen. 2. c *Pſa*.102. d 2.*Ti*.4. e 2.*Ti*.2.21

CIRCA *hoc punctum, videri poſſunt quæ dicta ſunt in Meditationibus de charitate & miſericordia Dei*.

PVNCTVM VI.

SEXTO conſiderandum, cæleſtem gloriam eſſe claram illam VISIONEM DEI,quæ promittitur *mundis corde*, in qua beatitudo noſtra conſiſtit. VI. Viſio Dei.

CIRCA quod perpendendum eſt PRIMO,quòd ſicut in terrã, parentes quando filias tradunt nuptui,dant illis *dotes* & *pretioſa donaria*, quibus ſe ornant;& ipſe ſponſus eo die,quo ſponſam in domum ſuam deducit, eidẽ tradit pretioſa *monilia*,ita Pater æternus vnicuiq; animæ filij ſui ſpõſæ,die quo inducitur in Cœleſtem domũ, in qua matrimoniũ hoc ſpiri-

filius Dei adoptiuus. *Primùm* in hac vita mortali, quando vocatur & iuſtificatur per Sacramenta, quibus illum extollit, talibuſq; ue gratijs & donis illum exornat, vt manifeſtetur dignitas filij Dei, vt indicauimus in Meditatione de Christi Baptiſmo. Sed hæc adoptio filiorum adhuc eſt imperfecta, quia periculo eſt expoſita, ne ob noſtram culpam illâ excidamus. Quare etiam ſanctiſsimi, quales erant Apoſtoli, b *qui primitias ſpiritus habebant, & ipſi intra ſeipſos gementes, adoptionem filiorum Dei exſpectabant*, perfectionem ſcilicet primæ adoptionis, accedente alia adoptione perfectiori, per Christi Domini noſtri transfigurationem ſignificata, quæ tribuitur animæ eo die, quo ingreditur in cæleſtem gloriam, & accipit poſſeſsionem hæreditatis, filijs debitæ, cum iure recipiendi in fine mundi corpus glorificatum, cum quatuor dotibus gloriæ, quæ ſuprà fuerunt poſitæ; & tunc manifeſtat magis Deus dignitatem eorum, qui ſunt ipſius filij: vt enim ait S. Ioannes: c *Nunc filij Dei ſumus; & nondum apparuit, quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt*. O Pater amantiſsime, gratias tibi pro ſuprema hæreditate, quam dilectis filijs tuis largiris, licet hîc eos nonnihil in humilitate contineas, & duriuſculè tractes, d *quia flagellas omnem filium quem recipis*! Quamuis e *complaceas tibi in eo tanquam in filio*; quia ſtatuiſti eum exaltare, & honorare, hęredem regni tui illum conſtituendo. O ſi ego hac ſpe filiationis huius perfectæ ita excitarer, & exultarem, vt vitam ducens, ſicut filiũ talis patris decet in terra; ipſe me gloria ſua coronaret in cœlo, Amẽ.

Part. 3. Medit. 3.

b *Rom. 8. 2*

3 *Part. Med. 21. 2.*

c *Prou 3. 11*

Oratio.

c *1 Ioan 3. 2*

d *Heb. 12. 6*

MEDITATIO LIV.

DE GLORIA COELESTI, QVATENVS COMplectitur ſeptem præmia, quæ Chriſtus in Apocalypſi vincentibus promittit.

GLORIAE *cœleſtis præſtantiam expreßit etiam Chriſtus D. N. in Apocalypſi S. Ioannis; indicans* ſeptem genera præmiorum, *quæ promittit ſe vincentibus daturum; vincentibus ſcilicet Dæmonem & eius tentationes, carnem & eius paßiones; mundum & vanos eius honores, tyrannos & eorum perſecutiones; ac denique vincentibus ſeipſos, propriaſque voluntates mortificantes, cum perſeuerantia vſque ad mortem: in quibus promißionibus proportionatur ſemper præmium & corona, cum modo pugnæ, in qua fuit obtenta victoria, vt in ſubiectis punctis apparebit.*

VII. Præmia alia.

PVNCTVM I.

1. Præmium feruor. a *Apoc* 2. 7. Lignum vitæ.

PRIMVM ergo conſiderandum, quòd cœleſtis Gloria eſt præmium illud, quod promittit Chriſtus D.N. *perſeuerantibus* in primo FERVORE; aut per pœnitentiam ad eum redeuntibus, dicens: a *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei.* in quibus verbis perpédendum eſt, quæ iſta ſit arbor vitæ, in quo paradiſo conſita, & quid ſit de ea comedere, ac denique, cui ad comedendum detur.

I. PRIMO, ARBOR VITAE eſt ipſemet Deus cum omnibus ſuis excellentijs & perfectionibus. *Fructus* eius *ſunt opera*, quæ ab ipſo procedunt; ſiue intra ipſum maneant, qualis eſt generatio æterni Verbi per cognitionem, & productio Spiritus Sancti per amorem; ſiue extra ipſum, qualis eſt creatio & gubernatio mundi, ſanctificatio & glorificatio Electorũ, quæ vocatur *arbor vitæ*, quia ſemper in ſeipſo viuit, & ipſe eſt b *vita* infinita, & c *apud ipſum eſt fons vitæ* tam naturæ & gratiæ, quàm gloriæ & vitę æternæ. O Trinitas beatiſsima, gaudeo quòd ſis *arbor vitæ*, à qua pretioſæ adeò vitę promanant: Conſerua mihi, ſi ita expedit, *vitam naturalem*; auge *vitam gratiæ*; & tribue poſtea *vitam gloriæ*, Amen.

b *Ioan* 1. 4. c *Pſal* 35. 10 Oratio.

II. Paradiſus. PARADISVS, in quo arbor iſta eſt conſita, eſt *Cœlum Empyreum*, vbi in maxima copia delicias producit, quæ ſunt proprię Dei; quibus fruitur, qui ex ea arbore comedit; quæ comeſtio fit per claram ipſius Diuinitatis viſionem, & humanitatis Chriſti Domini noſtri: in qua d *cognitione conſiſtit vita æterna*; eſtque tanta huius cibi efficacitas, vt ipſos comedentes in vitæ arbores conuertat, ob ſimilitudinem magnam, quam cum Deo ſuo habent: ideoque idem S. Ioannes in fine ſuę Apocalypſeos appellat ipſos beatos arbores, ſiue e *ligna vitæ, quæ ſunt ex vtraque parte fluminis, & afferunt fructus duodecim, per ſingulos menſes reddentes fructum ſuum*: quia ſemper viuunt & producunt recentes & ſuauiſsimos affectus, quibus conſeruant continuè ſine vllo tædio fælicem vitam ſuam. Hæc eſt cœleſtis gloria nomine cibi adeò glorioſi tecta & occultata, quam Chriſtus Dominus Noſter promittit vincentibus. quare, niſi vincam, neq; guſtare illam potero. Accipe igitur, anima mea, tui Redemptoris *conſilium*: &, ſi f *charitatem tuam primam reliquiſti, memor vnde excideris, age pœnitentiam, & prima opera fac*, vt illam recuperes, & vincas torporem tuum: ita ſtude viuere, ſicut *arbor ſita* ad fluenta aquarum gratię, vt ſemper liceat fructus comedere huius arboris vitæ in æternum,

d *Ioan.* 17. 3.

e *Apoc.* 22. 2.

f *Apoc.* 2. 4.

Amen.

PVNCTVM II.

DEINDE conſiderandum, Gloriam cæleſtem etiam eſſe præmium illud, quod CHRISTVS Dominus promittit ijs, qui fuerunt fideles in omnibus tentationibus & perſecutionibus vſque ad mortẽ, dicens: a *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ, & qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda.* 7. Præmiũ Corona vitæ. a *Apoc.* 2.10.

CIRCA quod eſt conſiderandum primò, quòd qui in hac vita ſuperantur à Dæmone & eius miniſtris, & ob metum aut torporem ſuccumbunt peccato, quamuis aliquo breui tempore euadant *mortem primam*, quæ eſt mors naturalis, iam inciderunt in *mortem ſecundam*, quæ eſt peccatum, & deuenient ad *æternam*, quæ eſt in inferno, ita vt non ſolùm non ſint guſtaturi *arborem vitæ*, quæ eſt in *paradiſo deliciarum*, ſed etiã ſint mittendi in *abyſſum pœnarum*; vbi dabitur illis, vt comedant de arbore (ſi ita dicere licet) mortis, cuius fructus ſunt b *ignis & ſulphur*, vermes, ſerpentes, fletus, & *ſtridor dentium, bibentquè de calice* amariſsimo *iræ Dei*, vſque ad fæces. I. Peccatores in mortem 1 & 2. incidunt. b *Apoc* 14.10

CONTRA verò qui vincunt, quamuis aliquid patiantur quoad *mortem primam*, quia ſolẽt interdum in ipſa pugna quoad corpus occumbere, ſicut euenit Sanctis Martyribus, euadunt tamen omninò *mortem ſecundã*, peccatum ſcilicet & infernum, à qua Deus illos liberat, ac donat *corona vitæ*, id eſt, corona immortali, quę ſemper viuat; & quidem vita adeò felici, vt ipſa ſit corona victorię ſuæ. Ex quo efficitur, vt *mors prima*, quę eſt corporis, illis non noceat, ſed potiùs ſit illis vtilis, & ex ea magis ipſi lętentur; quia eſt illis tranſitus ad veram vitam. nam, vt ait Sapientia: c *Iuſtorum animæ in Dei manu ſunt, ideoquè non tanget illos,* quod eſt *tormentum,* & malitia *mortis.* II. Qui peccata vincunt, euadunt. c *Sap.* 3.1.

DENIQVE in die Iudicij eoſdem liberabit à *morte prima corporis*: nam qui victi fuerint; reſurgent ad talem vitam, quę verè eſt *mors ſecunda*: quia d *mittentur in ſtagnum ignis & ſulphuris, vbi cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum*: Victores autem reſurgent ad nouam vitam glorioſam: e *In quibus ſecunda mors non habebit poteſtatem*, quia eorum corpora non ſolùm erunt immortalia, ſed etiam impatibilia, ſplendentia, & iucunda, ob nouã illam vitam. O Saluator mi, aperi aures animę meæ, vt audiam, quid tuus Spiritus dicat Eccleſijs; & adiuua me pugnare contra hoſtes meos & tuos eo feruore & fidelitate, vt licèt moriatur corpus, non patiatur anima, nec me tangat *mors æterna*. Concede mihi ita fideliter in obſequio tuo perſeuerare vſque ad mortem, vt à te accipiam *coronam vitæ*, Amen. III. Etiam in die Iudicij. d *Apoc.* 20.10 e *Apoc.* 20 6 Oratio.

Pvnctvm III.

3. Manna abſconditũ. a *Apoc.2 17*

TErtio eſt conſiderandum, etiam Gloriam eſſe *præmium*, quod promiſit Chriſtus reſiſtentibus ſuis hoſtibus, & eorum conſortium vitantibus, dicens illis: a *Vincenti dabo Manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit.* Circa quam ſententiam eſt perpendendũ, *quid ſit illud* Manna, quod promittitur, quid *calculus candidus*, & *nomen nouum*, & quis ſit is qui accipit, & ſcit illud.

I. Manna. b *Sap 16.20.*

Primvm, *Manna* eſt *dulcedo diuinitatis*, quæ in ipſa gloria percipitur; quæ ſicut alterum illud Manna, eminentiſsimo quodam modo b *continet omne delectamentum & omnis ſaporis ſuauitatem*, quam poſſent adferre diuitiæ, dignitates, amici, & cæteræ res createꝫ; & quam ſenſus omnes percipere poſſent, hac ratione manifeſtans *dulcedinem ſuam, quam habet in filios.* ſed vocat illam *Manna abſconditum*, quia eſt occulta, & hominibus in terra hac degentibus incognita; iuſtis tamen in Cœlo, quia eam experiũtur, eſt notiſsima; imò & iuſti in terra exiſtentes habent neſcio quid eius, quod delibant. Quamobrẽ dixit Dauid; c *Quàm magna eſt multitudo dulcedinis tuæ, quã abſcondiſti timentibus te?* multitudo eſt propter varietatẽ fauorũ cœleſtiũ, quos in ſe cõtinet; magna verò eſt, propter præſtantiã ſingulorum. O quàm dulcis eſt Dei ſapientia illam videnti; & quàm ſuauis eius bonitas illam amanti! quantamcunque *dulcedinem* voluntas noſtra poteſt appetere, tantam & multò adhuc maiorem dabit nobis in gloria Diuinitas eius.

c *Pſa.30.20.*

II. Calculus candidus.

Deinde Calcvlvs ille Candidvs, qui datur in gloria, eſt *pretioſiſsimum internum teſtimonium*, quod Beato dat Deus, quo agnoſcit ipſe approbatum ſe eſſe, & electum ad eiuſdem Dei *fruitionem*, cum certiſsima ſecuritate, quòd nunquam ſit reprobandus, aut ab illa gloria excludẽdus, nec dandus ſit illi *niger calculus*, qui datur infelicibus, in ſignum æternæ eorum reprobationis & damnationis. appellatur autem *calculus candidus*, eò quòd illum det Spiritus S. ijs, d *qui dealbauerunt ſtolas ſuas*, ſcilicet animas, *in ſanguine Agni.* Eſt autem *pretioſus calculus*, qui datur cum delicioſo Manna, ad conuiuas omnes ditandos, & certos ſecuroſq; reddendos de ſui conuiuij perpetuitatẽ. Quòd ſi in hac vita ita iuſtum lætificant e *teſtimonia, quæ Spiritus ſanctus reddit eius ſpiritui, quòd ſit filius Dei, &* f *quòd nomen eius ſcriptum ſit in libro vitæ*; quanta illa erit lætitia, cernere ſe iam non cum teſtimonijs dubijs aut incertis, ſed euidentibus ac certiſsimis, quòd fruiturus ſit æternũm dulcedine, quam cœpit degustare? in die autem iudicij Electis & Victoribus dabit Chriſtus D.N. hunc *calculum candidum*,

Niger.

d *Apoc.7.14*

e *Rom.8.16*
f *Apoc.20 15 & 21.27.*

Digitized by Google

quæ erit ſententia publicæ & manifeſtæ approbationis, qua dicet: g *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum, quod præparatum eſt vobis ab origine mundi*: reprobis autem, qui victi fuerunt, dabit *calculum nigrum* ſententiæ damnationis illorum. Quamobrem attende, anima mea, quomodo vitam tuam ducas, quia in hora mortis eſt cauſa tua examinanda, & *calculi* dandi, & ſuffragia ferenda circa vitam tuam: attende autem, *calculum* ſiue *ſuffragium* non eſſe niſi vnum, quia iudex tantùm eſt vnus: quòd ſi malè vixeris, *ſuffragium* & *calculum* dederit *nigrum*, tuæ videlicet condemnationis; contrà, ſi benè vixeris, proferet *calculum dandum* tuæ approbationis & Saluationis. g *Mat*. 25. 34

III. Nomen nouum.

Tertio Nomen Novvm, quod eſt ſcriptum in *calculo*, eſt *nomen Filij Dei & hæredis regni eius*; quod nomen exprimitur illa approbatione. nam tunc dabit Spiritus S. electis h *teſtimonium, quòd ſint filij Dei, & ſi filij, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*. Vocatur autem hoc *nomen nouum*, quia perfecta adoptio filiorum, & hæreditas gloriæ cæleſtis de *nouo* illis datur; & conſeruabitur in ea *nouitate* in æternum; cuius tanta eſt excellentia, vt impoſſibile ſit eam cognoſcere, aut vt par eſt æſtimare, niſi cùm recipitur in gloria. O felices illi, qui peccata vincunt: ſiquidem tale præmium pro ſua victoria ſunt accepturi. ô quàm erunt læti cum illo cibo *Manna*! quàm diuites & contenti cum *candido* illo *calculo* perpetuæ ſuæ approbationis! & quàm honorati ac glorioſi, cum h *nouo illo nomine filiorum Dei*, quando ſcil. *apparuerit, quod futuri erant, & ſimiles ei erunt videntes eum ſicuti eſt*: imò etiam ipſi damnati, in quadam veluti vmbra & rudi horum omnium cognitione, quam in die iudicij habebunt, clamantes & eiulantes dicent: i *Nos inſenſati, vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt*. O Sancti glorioſi, quorum ſors adeò fuit felix, vt *candidus calculus* æternæ approbationis vobis contingeret; impetrate mihi à cœleſti Patre, qui vos in filios & hæredes accepit, vt ita meam vitam inſtituam in terra, vt eamdem vobiſcum ſortem obtineam in Cœlo, Amen.

h *Rom* 8. 16

h 1 *Ioan*. 3. 2

i *Sap*. 5. 5.

Oratio ad Sanctos.

Pvnctvm IV.

IV. Præmium a *Apoc*. 2. 26 Poteſtas ſuper gentes.

Qvarto conſiderandum, Gloriam cœleſtem eſſe quartum illud præmium, quod promittit Chriſtus a *vincenti & cuſtodienti vſque ad finem opera ipſius*, præcepta ſcilicet, quæ ipſe ſeruanda iuſſit, & opera, quæ ipſe fecit; & ita ait illi: *Dabo illi poteſtatem ſuper Gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur; ſicut & ego* eam poteſtatem *accepi à Patre meo: & dabo illi ſtellam matutinam*.

I. CIRCA quod perpendendum eſt primùm, quanto honore Chriſtus D.N. eos Sanctos afficiat, qui in hac vita fuerunt oppreſſi, & à peccatoribus vexati, commutat enim eorum ſortes: nam iuſtis dabit *poteſtatem ſuper Gentes*, à quibus fuerunt afflicti, etiamſi Reges ſint & Principes; quos tenebunt ſub pedibus ſuis, & exultabunt ob iuſtitiam & ſeueritatem Dei, qua illos caſtigabit ſeuerè in virga ferrea, confringens illos tanquam vaſa terrea, quæ non ſunt vtilia. Quapropter dixit Dauid; b *Exultabunt ſancti in gloria: lætabuntur in cubilibus ſuis. Exultationes Dei in gutture eorum: & gladij ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictã in nationibus, increpationes in populis: Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Vt faciant in eis iudicium conſcriptum* & decretum: *gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius.* O gloria vera, gloria ſolida, & ineffabilis, ad honorandos ſanctos à Deo ipſo deſtinata! O c *quàm honorificati ſunt amici tui Deus, & quàm confortatus eſt principatus eorum*, quibus tu eam poteſtatem tribuis, quam à tuo Patre accepiſti; eò quòd imperio tuo ſubiecti vixerint. Gratias tibi DOMINE pro eo honore, quo illos afficis, concede mihi illos imitari in hac vita, vt eorum particeps fiam gloriæ. Amen.

b *Pſ.* 149. 5.

c *Pſ.* 138. 17.

Oratio.

II. Stella matutina. STELLA MATVTINA; quę eſt dãda, eſt IESVS Chriſtus, verus Deus & homo, qui ſeipſum hoc nomine compellat. nam quà Deus, d *genitus eſt à Patre ſuo, in ſplendoribus ſanctorum, ex vtero eius ante Luciferum*; quà verò homo, natus eſt in mundo, & poſtea reſurrexit; tanquam principium lucis, & primitiuæ reſurrectionis. Hanc *ſtellam dat Chriſtus victoribus*, & ipſum in ſuis operibus *imitantibus*, vt ipſum videant & fruantur, eoque perueniant, vt ad ipſius etiam imitationem ſint ipſi *ſtellæ* in firmamento, & participes eius glorioſæ reſurrectionis, reſurgentes in corporibus glorificatis ſimilibus corpori ipſius. O IESV amantiſſime, qui natus es tanquam *ſtella matutina*, ad expellendas è mundo tenebras ignorantiæ, & tritias, ac amaritudines culpæ; fac me *ſtellam* in militanti tua Eccleſia, vt in eo ſplendens lumine vitæ ac doctrinæ, ſim quoque poſtea *ſtella ſplendens* in Eccleſia triumphanti in æternum. Amen.

d *Pſ.* 109. 3.

Oratio ad D.N.

PVNCTVM V.

5. Præmium Veſtitus albus. QVINTO conſiderandum, gloriam cæleſtem eſſe 5. præmium, quod Chriſtus D.N. promiſit ijs, a *qui non inquinauerunt veſtimenta ſua, & quorum opera coram Deo ſunt plena*; quibus ipſe dicit; *Qui vicerit, veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ; & confitebor nomẽ eius coram Patre meo, & coram Angelis eius.* In quibus verbis includun-

a *Apoc.* 3. 2. 4. 5.

tur

tur tres gloriæ ipſius excellentiæ, quas reddit Deus in præmium victoribus.

Prima eſt, quòd *veſtientur veſtimentis albis*, quia exornabuntur animæ eorum pretioſiſſima *veſte gratiæ*, & luminis gloriæ cum diuina quadam puritate; & replebuntur perpetua lætitia: Et eorum corpora veſtientur quoque pretioſa *veſte immortalitatis* impatibilis, & impatibilitatis ſplendentis, & ſplendoris pulcherrimi, ſupra pulchritudinem ſolis; adimpleturq; in illis quod ſcriptum eſt, b *in terra ſua duplicia poßidebunt, veſtimentum* ſcilicet *ſalutis, & indumentum iuſtitiæ*. O dulcis Redemptor, gratias tibi pro ijs *gloriæ veſtimentis*, quæ in cælo præparaſti pro ijs, qui in terra gratiæ tuæ *veſtem* induerunt; indue me, quæſo, *veſte* hac tua, vt fiam dignus, quem alijs illis poſtea induas. I. b *Iſai*.61.7 10. Oratio.

Secunda excellentia eſt, quòd *non delebitur nomen eorum de libro vitæ*; ſecuros ſcilicet eos reddens, quòd æternùm ſint cum ipſo manſuri in gloria; & ſicut ab ipſa ſua æternitate illos ſcripſit in ſuo intellectu & voluntate, eos eligẽs vt eſſent beati; ita per totam quoque æternitatem permanebunt; ac porrò certos faciens, nunquam fore, vt c *mittantur in ſtagnum ignis*, quò illi mittentur, *qui ſcripti non ſunt in illo libro*. II. Inſcripti libro vitæ. c *Apoc*.20.15

Tertia excellentia eſt, quòd *eos confitebitur* laudabitque *coram Patre ſuo, & Angelis eius*, honori ſibi ducens, quòd illos habeat ſecum; & manifeſtans ſeruitia ſibi ab ipſis exhibita, vt omnes idcircò illos honorent. Quod ipſum explicatiùs adhuc faciet d *in die iudicij*, coram vniuerſis hominibus etiam iniquis; tum ad ipſorum iniquorum *confuſionem*; tum vt videant, quàm fideliter ipſe impleat quod promiſit, honorare ſcilicet eos, qui ipſi fideliter ſeruiunt. O Deus æterne, qui e *non confunderis vocari Deus Abraham*, & reliquorum *iuſtorum*, qui peregrinantur in terra, *quibus* ditiſſimam & nobiliſſimam *paraſti ciuitatem* in cœlo, gratias tibi ob hunc honorem, quo illos afficis. Supplico Domine demiſsè, ne confundaris accipere me in ſeruum tuum; ne me à regno tuo repellas in æternum. Amen. III. Confitebitur eos coram patre, &c. d *Luc*.9.26. Oratio. e *Heb*.11.16

Pvnctvm VI.

Sexto conſiderandum, cœleſtem gloriam eſſe præmium 6. quod promittit Chriſtus D.N. ijs, qui ſunt conſtantes in cuſtodiendo bono, quod acceperunt, dicens: a *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei; & foras non egredietur amplius; & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei; & nomen ciuitatis eius nouæ Ieruſalem, quæ deſcendit de cælo à Deo meo, & nomen meum nouum*. 6. Præmiũ. a *Apoc*.3.13.

Perpendendum hîc eſt primò, quòd qui vincunt hoſtes Chriſti, &

Digitized by Google

Columnæ. ſunt tanquam *columnæ* ſuſtentantes fidem & ipſam Eccleſiam vita & doctrina ſua, habebunt in cœlo honorem tanquam tales *columnæ*, omnibus eos laudantibus ob ſanctitatem & fortitudinem, quam habuerunt in terra: ideoque faciet illos Deus ibi b *columnas templi* ſui cæleſtis, ad eius ornatum illas expoliendo & exornando multò meliùs, quàm *Salomon* exornauerit columnas ſui templi, mille ſcilicet cæłaturis & ornamentis gratiarum & virtutum. Eruntque *columnæ* firmæ, & immutabiles, quia nunquam deſerent locum ſibi à Deo deſignatum; nec vnquam è cœlo exibūt ad priorem ſtatum, in quo fuerant. Et hoc intereſt inter illos, & iuſtos, qui hîc ſunt *columnæ* Eccleſiæ. hi enim eò quòd ex ſeipſis ſint mutabiles, decidunt interdum ex ſtatu ſuo; & propterea dixit ipſe Chriſtus Dominus: c *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Quod ſi viceris, faciam te columnam in templo Dei mei, & foras non egredieris ampliùs.* O Redemptor dulciſſime, *columna* vtriuſque Eccleſiæ Militantis & Triumphantis, qui d *tuam domum ædificaſti* in terra *ſuper ſeptem columnas* magnæ firmitatis; da mihi ita firmiter & conſtanter tibi ſeruire, vt tandem *columna* fiam in tuo ſancto templo. Amen.

b 3. Reg 7. 15 & c.

c Apoc. 3. 11.

Oratio. d Prou. 9. 1.

II. Nomen Ieruſalem. c Apoc. 3. 12.

DEINDE eſt perpendendum, quòd Chriſtus D.N. ad has cœleſtes columnas magis celebrandas & honorandas, promiſerit, e *ſcripturum ſe ſuper* eas tria nomina, e *nomen* videlicet *Dei, & nomen ciuitatis nouæ Ieruſalem, & nomen ſuum nouum*; quod eſt Ieſus & Saluator; ad ſignificandum; quòd illos Deus recipiat, tanquam rem ſuam, & ipſi ſint opera manuum eius, de quibus ipſe gloriatur, quòd ſint perpetui *ciues cæleſtis Ieruſalem*, ſemper gaudentes felici *viſione pacis*, quam ipſum nomen ſignificat. Ac denique ipſemet Ieſus imprimit illis fructus ſui nominis, quibus manifeſtat diuitias ſalutis, quam illis comparauit. O quàm erunt pulcræ *columnæ* iſtæ cæleſtes, ſculpturâ trium illorum glorioſorum nominum! O Deus animæ meæ, ita quæſo, imprime *nomen* tuum cordi meo, vt numquam mea culpa deleatur. O Dulcis Ieſu, ſculpe dulce *tuum nomen* in meis intimis, imprimens mihi affectus ſalutis tuæ. O *ciuitas Ieruſalem*, quæ de cęlo deſcendis, faciens te notam in terra, accipe me in tuum *ciuem*, nunc per beneuolam fiduciam, & poſtea per æternam poſſeſſionem Amen.

Oratio.

PVNCTVM VII.

VII. Præmium. a Apo. 3. 21. Sedebunt in Throno

SEPTIMO eſt conſiderandum, eandem cæleſtem gloriam eſſe illud præmium, quod Chriſtus D.N. promiſit ijs, a *qui vincerent tepiditatem* vitæ, quæ *vomitum* prouocat; dicens, *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in Throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum patre meo in Throno eius.* In qui-

Digitized by Google

quibus verbis perpendenda eſt ſuprema excellentia, quam Sancti habebunt in gloria, ob magnam affinitatem, quam in ea cum Chriſto habebunt: quæ etſi par illi non erit, vt tamen eius magnitudo innoteſcat, explicatur verbis ſignificantibus æqualitatem; & ideò dicit: *vincenti dabo*, vt ſit in regno meo non ſtans inſtar famuli miniſtrantis, ſed *ſedens* in magna quiete & maieſtate, tãquam Princeps & magnus in Aula mea, & *ſedebit* non procul à me, ſed *mecum* in comitatu meo, in præſentia mea, familiariſſimè mecum agens, & bona mea participans. Et *ſedebit mecum*, non quomodocunque, ſed *in throno meo*, ita vt non ſit inter nos rerum partitio; ſed ita vt etiam ipſe ſit particeps honoris, qui mihi exhibetur: atque ſi diſtinctiùs diceret; dabo ei dignitatem Dei, eo modo, quo ipſe eius eſt capax, vt fruatur ea excellentia, quam Lucifer ambiuit, ſed non obtinuit; quia per mala media quæſiuit, cùm dixit: b *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum; ſedebo in monte teſtamenti, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo.* O Deus altiſſime, quantas poſſum maximas ago tibi gratias, quòd hominibus vincentibus ſuperbiam id largiaris, quod Lucifero & eius Angelis, ab eadem ſuperatis denegaſti. c *Tu ſuſcitas de puluere egenum, & de ſtercore eleuas pauperem: vt ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat*, tuæ videlicet, quæ maxima eſt. In hac vita ſtetit ille vigilans & laborans; in futura ſedebit & requieſcet. Hîc fuit in infimo loco proſtratus in puluere, & fæce terræ; illic erit in loco altiſſimo eleuatus ad thronum & magnitudinem cæli. Hîc fuit ſimilis altiſſimo in virtutibus; illic erit eidem ſimilis in præmijs, quæ per illas eſt promeritus. O Rex ęterne, ſi in mortali hac vita tanto afficis honore tibi ſeruientes, vt de eis dixeris: d *Dij eſtis vos, & filij excelſi omnes*; quantò magis in vita immortali illos honorabis, dans illis dignitatem Deorũ, eo modo, quo eius ſunt capaces? felices illi, qui tibi ſeruiunt, qui tantam poſtea celſitudinem conſequentur.

I. — b *Iſai.* 14. 13 — Oratio. — c 1. *Reg.* 2. 8 — d *Pſal.* 81. 6

DEINDE comparationem illam expendam, quam Chriſtus Dominus in hac re adhibuit, ad magis declarandam præmij huius magnitudinem, dicens: *Dabo ei ſedere in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno eius.* Atque ſi diceret: magnos ego labores ſuſtinui & perſecutiones à Dæmone & miniſtris eius; & de omnibus obtinui victoriam, ob quam Pater meus eleuauit me ſuper omnes cælos, & e *conſedere me fecit ad dexteram ſuam* in throno ſuo. Sic igitur ijs, qui propter me paſſi fuerint & pugnauerint vſque ad victoriam conſequendam, honorem illum exhibebo, quem Pater meus mihi exhibuit, iuxta cuiuſque merita, collocando eos ad manum dextram meam; & *in throno meo*, iuxta gloriæ præeminentiam, quam ſuis ſeruitijs fuerint promeriti. O *felices labores*, quibus adeo excelſa præmia obtinentur! O *dulcis victoria*, quæ licèt ad

II. — e *Rom.* 8. 34

tempus carni pœnam; ſpiritui tamen adfers thronum adeò excelſum gloriæ. Aſſume igitur animum, anima mea, ad pugnandum pro Chriſto vſq; ad partam victoriam; ſiquidem ille pollicetur, te poſtea regnaturam cum ipſo *in throno gloriæ eius.*

CONCLVSIO PRAEDICTORVM.

EX dictis in hiſce punctis, concludo ſententiam quandam, complectentem capita quinque, quæ fuerunt argumenta meditationum in toto hoc libro, efficacia ad nos alliciendos ad diuinum obſequium: quòd videlicet labores huius vitæ non ſint pares, nec inferno, *quem peccatis meis ſum promeritus*; nec cælo, *quod mihi eſt promiſſum*; nec ijs, *quæ meus Redemptor fecit, paſſuſq; eſt mei remedij cauſa*; nec infinitæ bonitati *& maieſtati Dei, cui ſeruio*; nec beneficijs *innumeris, quæ mihi contulit, & adhuc ſpero conferet, dum tribuet mihi præmia gloriæ: Quæ fiducia ea præmia obtinendi inniti debet præcipuè bonitati & caritati Dei promittentis, & meritis Ieſu Chriſti D. N. qui illa comparauit, ac deſiderio quod præfert, me faciendi illorum participem; & tot medijs, quæ mihi dedit ad illa conſequenda; & poſſeſſioni, quam idem Saluator iam accepit non ſibi tantùm, ſed omnibus etiam illis, qui ipſi adhærere voluerint, & coniungi, tamquam viua membra ſuo capiti.*

Tituli & nomina fiduciæ obtinendi Dei præmia.

Ad hæc reuocabo mihi in memoriam, quod ait S. Paulus, quandam veluti ſummam faciens horum omnium titulorum; ſiue cauſarum huius fiduciæ; his verbis: Deus qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit in Chriſto, (cuius gratia eſtis ſaluati) & conreſuſcitauit; & conſedere fecit in cæleſtibus, in Chriſto IESV: vt oſtenderet in ſeculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ, in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu, *per eius merita.* O *Deus ditiſſime in miſericordijs, quid tibi reddere poſſumus pro innumeris in nos collatis* beneficijs, *& pro inæſtimabilibus* diuitijs *miſericordiæ nobis communicatis? Tu nos immenſa* charitate *dilexiſti, & propter eam Filium tuum nobis dediſti Redemptorem; cùm eſſemus mortui ob peccata noſtra, gratis dediſti nobis* vitam gratiæ tuæ, *moriente filio tuo pro nobis, eiuſq; morte* nos viuificaſti; *quo reſurgente ad vitam glorioſam,* ſecuros nos feciſti, *quòd reſurgemus cum eo, vt ſimus participes eius gloriæ, & eodem aſcendente in cælum, vt ad dextram tuam ſederet,* pignus *nobis dediſti, quòd eò peruenientes ſedebimus cum eo* in throno eius; *& hoc totum facis, non propter bonitatem noſtram, ſed propter tuam; non propter merita noſtra, ſed propter merita filij tui; ad*

Ephes. 2. 4.

Oratio ad Deum Patrem.

mani-

manifeſtandam in tuis electis magnitudinem infinitæ miſericordiæ tuæ, & ineſtimabiles diuitias tuæ gratiæ, & immenſam dignitatem Saluatoris, qui eam eſt promeritus. & quandoquidem hæc te permouerunt, vt opus noſtræ ſalutis inchoares, eadem te permoueant ad eandem in nobis perficiendam; vt plurimi ſint, qui cœleſtes ſedes impleant, & occupentur in decantandis laudibus tuis, & vnigeniti filij tui Ieſu Chriſti, & Spiritus S. per infinita ſæculorum ſæcula, Amen.

FINIS SEXTAE PARTIS.

13 Sanctifica mihi omne primogenitum. 2.24.2
6 Iſte eſt panis 6.39.2
20 Præcepta Decalogi. 1.22.1

Leuiticus.

12 Mulier ſi ſuſcepto ſemine. 2.24.1
7 Pro maſculo dabuntur quinque ſycli. *Ibi.pun.*3

Deuteronomium.

6 Diliges Dominum Deum,&c. 6.11.1
Ibid Deus noſter vnus eſt. 6.4.1
7 Non poteris eas delere pariter. 1.17 *ſub finem* 4.*ante med*,52. *in ſummario.*
0 Diliges eum, vt bene ſit tibi. 6.11.3
8 Maledictiones & benedictiones quæ ibi ponuntur. 1.25.1.13
32 Vtinam ſaperent,&c. *Par.*1. *ante Med.*7

Ioſue.

25 Dedit ei Calib irriguum,&c. 3.11.5

Regum 2.

16 Dominus præcepit vt malediceret. 6.32.3

Regum 3.

17 Miraculum Heliæ & de coruo. 6.31.8
19 Surge & comede. *Ibid.& Med.* 43.3

Regum 4.

5 De Naaman leproſo. 1.30.2.&3.8.2

Tobias.

9 Si me ipſum tradam tibi in ſeruum. 6.34.5

Iob.

9 Si abierit non intelligam. 2.1.1
12 Interroga iumenta. 6.1.1
20 Panis eius in vtero. 1.8.2
21 In puncto ad inferna deſcendunt. 1.9.5.&3.24.4
26 Appendit terram ſuper nihilum. 6.18.2
31 Si vidi ſolem cùm fulgeret. 3.2.2.&6.2.4
38 Quis præparat coruo eſcam,&c. 6.31.3
42 Auditu auris audiui. 1.*Introd* 8.10.

Pſalmi.

2 Quare fremuerunt,&c. 4.*Introd. Punct.*3
26 Ego autem ſum conſtitutus Rex ab eo,&c. 4.*Introd.*2.1.1.
16 Ego hodie genui te. 6.4.3.
4 Signatum eſt ſuper nos lumen,&c. 6.1.2.&6.19.1
8 Quid eſt homo quòd memor. 6.9.&25.5
16 Satiabor cùm apparuerit. 5.35.2.&6.52.1.Ibid.53.3
18 Exultauit vt Gigas. 2.17.1
Ibid. Lex Domini immaculata. 1.25.3
21 Quare me dereliquiſti. 4.48.3
12 Foderunt manus meas. 4.41.2
Ibid. Diuiſerunt ſibi veſtimenta. 4.44.2
22 Dominus regit me. 6.30.3

23 Attollite portas. 5.1.3
30 In manus tuas. 4.50.2
In manibus tuis ſortes meæ. 4.5.2
Quàm magna multitudo dulcedinis. 1.*Introd.* §. 11. & 46.48.3.
31 Dixi, confitebor aduerſum me. 1.28.4
33 Guſtate & videte. 1.*Introd.* §. 11. & 5.*Introd.*
Diuites eguerunt. 6.31.2
Mors peccatorum peſsima. 1.9.6.*ibid.Med.*29.1
37 In flagella paratus ſum. 4.35.1
38 Menſurabiles poſuiſti dies meos, &c. 6.2.2
39 Sacrificium & oblationem noluiſti, &c. 2.10.3
45 Vacate & videte. 1.*Introd.* §. 11. & 3. p.*Introd.* §. 2.
46 Aſcendit Deus in iubilo. 5.19.1
49 Ignis in conſpectu eius. 1.13.3
Pulchritudo agri mecum eſt. 6.5.3
54 Iacta curam, &c. 6.3.3
67 Aſcendens in altum. 5.18.2. *Ibid* 22.1. & 24.3
68 Intrauerunt aquæ, &c. 4.*Introd.* §.2.
Zelus domus tuæ. 3.10.1. & 4.12.1
Dederunt in eſcam meam fel. 4.40.2
Et in ſiti mea potauerunt me aceto. 4.49.2
83 Aſcenſiones in corde. 2.31. *pun* 1. & 2
87 Pauper ſum ego, &c. 2.7.3. & 4.3.1
88 Quis in nubibus æquabitur Domino. 6.3.2
90 Angelis ſuis mandauit. 6.34.1
100 In matutino interficiebam. 4.29.1
102 Benedic anima mea. 1.32.2
104 Dedit illis regiones. 1.1.1
106 Confiteantur Domino miſeric. eius. 5.1.3
108 Diabolus ſtet à dextris. 4.9.1
109 Sede à dextris meis. 5.9.2
110 Memoriam fecit memorabilium. 6.40.1
115 Pretioſa in conſpectu Domini mors SS. 6.40.1
128 Supra dorſum meum fabricauerunt. 4.35.3
138 Mirabilis facta eſt. 6.2.2. *Ibid.* 10.5
146 Qui dat iumentis, &c. 6.3.3

Prouerbia.

3 Deſcribe in tabulis. 1.25.3. & 5.23.1
9 Sapientia ædificauit ſibi domum. 6.36.1. Ibid. 47.2
13 Vult & non vult piger. 3.8.1
23 Quando ſederis vt comedas. 14.10.3 & 6.42.2
24 Per agrum hominis ſtulti. 2.24.2. Ibid. 43.3
30 Oculum qui ſubſannat. 1.25.2

Eccleſiaſtes.

1 Melior eſt orationis finis. 3.*Introd* 7
12 Hoc eſt omnis homo. 1.25.3. *in conclu.* & 3.3

Digitized by Google

Cantica.

1 Oleum effuſum eſt nomen tuum. 2.21.1
Faſciculus myrrhæ. 4.22.2.Ibid.54.3
Lectulus noſter floridus. 4.43.1
2 Sicut lilium inter ſpinas. 1.20.3
Introduxit me Rex in cellam vinariam. 5.4.4
Veni in foraminibus Petræ. 4.53.3
Sicut virgula fumi. 5.33.2
Vulneraſti cor meum. 4.54.6
Hortus concluſus. 2.4.5
5 Veni in hortum meum. 2.*Part.Introd.*
Labia eius diſtillantia myrrham. 3.11.2
6 Vna eſt columba mea. 6.10.2
Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora. 2.4.3.&5.33.4
Electa vt ſol. 2.3.3
8 Quæ aſcendit de deſerto delitijs affluens. 5.33.2

Sapientia.

3 Non tanget illos tormentum mortis. 6.48.2
6 AEqualiter eſt illi cura de omnibus. 6.30.4
In omni prouidentia occurret illi. 6.29.2
8 Attingit à facie vſque ad finem. 6.30.3
11 Omnia in menſura. 6.15.4
Misereris omnium, quia omnia potes. 6.12.3
14 Tua pater prouidentia. 6.30.2
16 Angelorum eſca. 6.39.2

Eccleſiaſticus.

2 Præpara animam tuam ad tentationem. 3.5.1.& 43.1
3 Quanto magnus es. 2.6.4
7 Memorare nouiſsima tua. 1.7. *initio.*
11 Si ceciderit lignum ad Auſtrum, &c. 1.7.3
12 Deum time & mandata, &c. 3.2.3
14 Da, & accipe. 6.8.2
18 Ante orationem præpara, &c. 1.*Introd.*§.5
23 Vir multum iurans. 1.25.2
28 Vtilis infernus potius quam illa, &c. 1.6.4
32 Adoleſcens loquere in cauſa tua vix. 2.7.2
33 Homo ſenſatus credit legi. 1.25.3

Iſaias.

7 Ecce virgo concipiet. 2.15.3
9 Et vocabitur nomen eius conſiliarius. 2.21.3
11 Habitabit lupus cum agno. 5.25.2
Et erit ſepulchrum eius glorioſum. 3.55.2
19 Ecce Dominus aſcendet ſuper montem leuem. 2.27.1
24 Secretum mihi. 5.35.4
37 Et mittet quod ſaluatum fuerit radicem. 3.3.1
40 Quis appendit tribus digitis, &c. 6.16.3
46 Qui portamini à meo vtero. 6.14.3
45 Ego Dominus gubernans te. 6.30.2.

Digitized by Google

53 Oblatus eſt quia ipſe voluit. 4.1.4
56 Non dicat Eunuchus. 1.20.*in fine.*
Domus mea domus orationis. 3.10.3.

Hieremias.

9 Aſcendit mors per feneſtras. 1.25.2
Cælum & terram ego impleo. 6.14.1
31 Fœmina circumdabit virum. 1.23.1
In charitate perpetua dilexi te. 6.10.1
51 Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata. 1.9.5

Daniel.

5 Mane Thecel. Phares. 1.13.4
6 Tribus temporibus in diem part. *Introd. & med.29 initio.*
7 Libri aperti ſunt. 1.13.4

Oſeas.

2 Dabo ei vallem Achior. 2.14.4
Sæpiam viam tuam. 3.49.2
11 In funiculis Adam. 6.26.4
14 Conuertere Iſrael. 1.32.*initio.*
Diligam eos ſpontaneè. 6.9.2

Ioel.

2 Effundam ſpiritum meum. 5.23.4

Habacuc.

1 Sacrificabit reti ſuo. 3.6.3
2 Si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet, &c. 2.5.3
Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum, &c. 2.26.2
3 Contriti ſunt montes ſeculi, incuruati, &c. 4.1.7

2. *Machabaorum.*

6 Reſpondit præmitti ſe velle in infernum. 1.6.2

Ex Euangelijs pauca hic ponuntur, reliqua in ipſo textu iuxta hiſtor. Euang. facilè reperientur.

Matthæi.

6 Nolite ſolliciti eſſe de craſtino. 6.31.1
Quærite primùm regnum Dei & hæc omnia, &c. 1.1.3
7 Petite & accipietis, quærite, &c. 6.33.4
16 Si quis vult venire poſt me, abneget, &c. 3.7.2
Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, &c. 3.7.3
Vade poſt me Sathana, ſcandalum mihi es, &c. 4.2.3
19 Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.
25 Venite benedicti patris mei, &c. 1.15.1
Diſcedite à me maledicti, &c. 1.15.2

Lucæ.

3 Parate viam Domini, rectas facite ſemitas, &c. 2.16.3
6 Væ vobis diuitibus, quia hic habetis conſolationem veſtram. 3.11.3
9 Qui voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam. 3.7.3

Digitized by Google

12 Stulte hac nocte repetent à te animam tuam,&c. 1.12.2
13 Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus peccatores,&c. 1.7.2
17 Duo in molendino & duo in lecto, vnus &c. 4.46.5
23 Si in viridi hoc faciunt, in arido quid fiet. 1.2.4

Ioannis.

3 Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. 2.2.2
19 Sciens Ieſus, quoniam omnia conſummata ſunt, ait, ſitio. 4.1.6

Ad Romanos.

6 Habetis fructum veſtrum in ſanctif. finem verò, &c. 1.1.1

Ad Epheſios.

2 Propter nimiam charitatem qua dilexit nos,&c. 2.2.1

Ad Hebræos.

4 Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati inf. noſtris. 6.12.5

Iacobi.

1 Suſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras. 6.41.4

Apocalypſis.

2 Sed habeo aduerſum te pauca,&c. 2.31.1

INDEX

RERVM MEMORABILIVM HVIVS OPERIS, EADEM QVA SVPERIORI NVMERORVM DEſignatione.

A.

ACcedia quid ſit 1. 24. 1. varijs modis ea peccatur. ibid. eius damna. ibid. 2. ſupplicia. ibid. bona quæ ex ea deuicta oriuntur. ibid. 3

Actiuæ vitæ actiones & officia Introduct. 3. partis §. 1. indiget contemplatiua. ibid. §. 2. imperfectiones. ibid.

Adam cum quo pacto creatus à Deo. 6. 35. 1. ad mortem damnatus ob tres fines. 1. 11. 2.

Adoratio in ſpiritu & veritate. 3. 26 4

Aduerſitates a Deo gubernantur 6 32. 4

Agni paſchalis cœna cur præceſſerit Euchariſtiæ inſtitutionem. 4. 9. 1

Alapa qua Chriſtus percuſſus quatuor habet circumſtantias. 4. 27. 1

Ambitio crimen 2. 28. 1. inquietudo. 3. 23 2

Ambitioſorum proprietates 3 23 1

Amor Dei in obedientia mandatorum conſiſtit. 4 18. 1

Angeli cuſtodes hominum cur 6. 34. 1. idque gaudentes. ibid. 3 certantibus aſſiſtunt. 3 5. 3 eorum munus 4. 22. 1. vigilantia. 6 34. 4 creatio 6. 18. 1. in eos quàm Deus munificus. 1. 2 1

Angelorum peccatum. 1. 2. 1. ingratitudo. ibid. pæna terribilis. ibid.

Angelus quis & quomodo Chriſtum conſolatus in horto orantem. 4 22. 1

Anima primi hominis creata ex nihilo. 6 26 3

Anima quam Chriſtus ingreſſurus eſt cœnaculo ſimilis & quomodo. 4. 10. 2

Anima damnanda comparatur ſacerdoti degradando. 1 9. 4

Animæ peccato mortuæ conſtitutio 1. 10. 3

Animæ Chriſti puritas & præſtantia 2. 10. 1. virtutes in Deum & homines. 2. 10. 2. & ſeq.

Animi miſeriæ duplices. 6 32 5

Animalium quanta varietas 6 24 1 cur Deus ijs non legatur benedixiſſe. ibid. 3

Apparitionum Chriſti proprietas. 5. 16 3

Apoſtoli quales a Chriſto electi. 3 6. 1 quo modo. ibi 3. cur bini miſſi. 3. 15 2. cur non in-

tellie-

tellexerint Chriſtum loquentem de ſua paſsione. 4. 2 3. quomodo vixerint poſt Chriſti aſcenſionem 5.20.1. eorum obedientia.3.6 4 præmia ob obedientiam.ibid.5. prudentia 3.20.2.ſex eis virtutes à Chriſto commendatæ.3. 15. 3. poteſtas data conſecrandi corporis Domini & cur. 4.15.1
Apoſtolicorum virorum officium quod 3.12.1.cœleſte,non terrenum. ibid.2
Aſcenſio Chriſti facta ex monte Oliueti & cur.5.17.3.quibus comitibus. 5.19.1
Auaritia quid ſit 1.21.1 multis modis ea peccatur.ibid.eius damna 1.21.2.ſupplicia ibid. & 4.31.3.bona quæ ex ea deuiſta oriuntur. 1.21.3
Auditores Chriſti partim ſtulti. 3. 43. 1. eorum differentia in quo conſiſtat ibid.
Aues ex aqua creatæ. 6.23.2

B.

BAlthaſaris regis viſio cuiuis applicanda 1.13 4
Baptiſmus Chriſti quæ præſtet 3.13 4
Baptiſmi & pœnitentiæ excellentia 3.27 1
Baptiſmus ianua ad ſalutem 5.14.3
Baptiſmi & calicis nominibus cur Chriſtus paſſionem ſuam deſignauit. 4. 1.2.
Beatitudo quid ſit.6 51.1.eius excellentia ibid.
Beatitudines octo iuſtar octo graduum ſcalæ cœleſtis 3.11.2
Beatorum excellentia quæ 6 51.3
Benedictiones Dei in ſeruantes præcepta. 1. 25. 3. ex ijs qui affectus excitandi. ibid.
Beneficia creationis,conſeruationis & ſanctificationis qualia 1 5 2
Bonarum mentium eſt timere culpam,vbi culpa non eſt. 3.32.3
Bonorum & malorum tria genera 3. 44.3 ſemper erunt permixti. 3.45.4
Bonitas Dei eſt amabilis. 6.8.1. ob varias cauſas.ibid.& ſeq.

C.

CAſtitatis perfectæ præmia 1.20 3
Cauſæ duæ Dei miſericordiæ 2 1.1
Centenarius numerus quid deſignet 4.55.1
Chananeæ virtutes 3.29.1
Charitatis fraternæ bona 1.23.3
Charitatis feruentis proprietates 3.19.5 & 5.4.4
Character manet in damnatis 1 9 4
Chriſtus è cœlo veniet mundum iudicaturus, in vallem Ioſaphat, comitatus cœleſti exercitu & cruce 1. 14. 2. exprobrabit impijs peccata. ibid. 5. tribus locis ſanguinem fudit. 2. 20 3. cur octauo die circumciſus 2. 21. 2. cur Herodem fugerit. 2. 27. 1. Nazarenus cur dictus 2. 28.3. cur remanſerit Hieroſolymis parentibus inſcijs 2. 29 2. quid illo triduo egerit. ibid quarto. quomodo creuerit ſapientia. 2. 31 1. quomodo obediens fuerit ibid. 3. fabrilem exercuit & cur. ibid. 4. deſertum cur petijt 3.4. 1 cur ieiunauerit ibid 3. cur tentari voluerit 3.5.1.cur matri durè reſponderit 3. 9.2. magiſter,legiſlator & conſiliarius 3. 11. 1.

Digitized by Google

nunquam riſit, ſed fleuit ſæpius.3.11.5. Rex pacificus.ib.9. cur ſuper aquas ambulauerit.3.19.2.cur filium hominis ſe appellet.3 20.1. in terra cur ſcripſerit. 2. 27 2. cur & propter quos paſſus.4.1. 4. in paſſione ſua exercuit omnes virtutes in ſummo gradu & cur.ibid.6. paſſionem ſuam cur toties prædixerit. 4. 2. 2. cur Hieroſolymam ſolemniter ingreſſus 4.3.1 cur aſino vectus. ibid. .cur tunc fleuerit.4.4 1.quàm legis obſeruans.4 7.1.duplex obtulit ſacrificium. 4.15. 1. cur triſtis fuerit. 4. 20. 3. ter orando quid docuerit.4. 21.5. ſudat ſanguinem & cur.4.22.2. quomodo & quot ictibus flagellatus.4 35 3. quàm ignominioſè coronatus. 4.36.3. crucem ſolus portauit. 4 39 3. cur crucifigi voluerit tali loco & tempore.4.40.1. quater nudatus.ibid 3. cur clamans expirarit.4 51.1.cur inclinato capite. ib.3. tripliciter myſteria ſua patefacit. 5.3.1.Rex excellentiſſimus.Introd.2.part.quomodo vocet homines ibid.plura in meditatione fundamentali.

Chriſti adhuc in vtero exiſtentis ardentiſſimum deſiderium redimendi homines. 2 15. 1. animæ præſtantia 2. 10. 1. ingreſſus in mundum ſtupendus 2.16. 1. obedientia & alij heroici actus in circumciſione. 2.20. 2. quale ieiunium 3 4 1. dormientis myſterium 3. 18 1. ſanctitas,omnipotentia,charitas. 4 1.1. tormenta duplicia & quæ.ibid 2 hoſtes varij.ibid. 3. prima iniuria quæ. 4.6.1. pretium quo venditus vile & ſeruile. ibid 5. oratio in horto habuit quatuor valde ſingularia. 4.21. 2. in captione heroicæ virtutes.4.25 2.labores poſt eam.4.26.1.ſilentium admirandum. 4. 29.1. & 32.3.veſtis candida quid deſignet.4. 33 3. quàm grauis ſitis. 4. 49. 1. benignitas in peccatores pœnitentes. 5.4.1

Cœli empyrei excellentiæ quatuor. 6.51 2

Cœnaculum in quo Euchariſtia inſtituta quid deſignet.4. 10 2. & 5.23.1 manſit in poteſtate Apoſtolorum poſt mortem Chriſti. 4 10.2

Cogitationes hominum nunquam ſuperant cogitationes Dei. 4.52.5

Colloquium corporis & animæ damnatæ. 1.14

Communio ſpiritualis quæ. 1 34.1

Confeſſionis actus quàm præſtans. 1. 30. 2. gratiæ & beneficia.ibid. &c. 1 12 1

Contemplatiuæ vitæ munia & actiones. Introd.3

Conſcientię vulnere nulla grauior pœna.1. 6.4 teſtimonium quàm efficax in iudicio. 1.8. 1 omnes patebunt. 1.14.4

Conſeruatio mundi quid ſit 6.1 8.1 eius beneficij præſtantia.ibid. 2

Conuerſio peccatoris vnde ſumat initium. 3.49 3

Cordis munditie in quo conſiſtat. 3.11.8

Cornelij centurionis virtutes. 5.32.1

Corporis mortui conſtitutio ac miſeria 1. 10.1. veſtimentum & domus. ibid. iter & comitatus.ibid. 3

Creaturæ cur à Deo conditæ.1 1.2.& ſeq.ijs quomodo vtendum.ibid.3. Deum eſſe vnanimiter teſtantur. 6.1.1

Crux variè à diuerſis portatur & quomodo. 4 39.3

D.

DAmnati in iudicio bona opera ſua allegabunt.1.13. 2. deſcendent in momento in infernum cum dæmonibus.ibid.3.erunt æterni & quomodo. 1. 16. 2. afficiuntur tormentis culpæ ſuæ proportionatis.3. 24. 5. eorum miſeria 1. 16.

5. ſenſus quomodo puniantur 1. 7. 1. quomodo internæ animæ facultates. ibid. 3
Debitores qui. 3. 25. 4
Deus quòd ſit variè demonſtratur. 6. 1. 1. & ſeq item quòd æternus 6. 2. 1. non eſt ſubiectus ſenſibus. 6. 3. 1. eſt vnus 6. 4. 1. trinus in perſonis. ib. 2 perfectiſſimus 6. 5. 1. infinitè bonus & immenſus 1. 5. 1. 6. 14. 1. 1. omnipotens ibid. amat ſeipſum amore infinito 6. 9. 1. & omnes creaturas ibid. præcipuè homines ibid 4. amore æterno, lato, ſublimi & profundo 6. 10. 1. & ſeq. deſiderat ab hominibus amari 6. 11. 1. & ſeq. eſt miſericos 6. 12. 1. liberalis. 6. 13. 1. eſt vbique tripliciter 6. 14. 2. ſapiens 6. 15. 1. pater noſter dupliciter 6. 46. 1. quid nobis loquatur per oſſa mortuorum 1. 9. 4. luxurioſos quanto odio perſequatur 1. 20. 1. duo creaturarum genera ad imaginem ſuam fecit 2. 1. 1. cur ſæpe nobis ſubtrahatur 2. 30. 1. non eſt author mali 3. 45. 2. non tam ſeuerus contra homines atque in angelos. ibid. 3 habet duo genera filiorum & quos 3. 49. 1. habet in ſe omnes perfectiones eminenter 6. 5. 2 & ſeq. eſt perfectè bonus 6. 6. 1. purus. ibid. 3 communicatiuus ſuarum virtutum. 6. 7. 1.
Dei munificentia in hominem 1. 1. 2. in angelos 1. 2. 1. in primos parentes 1. 2. 2. manus torquet damnatos 1. 16. 6. iuſtitia non permittit quenquam qui vel venialiter peccarit ſine pœna intrare in cœlum 1. 36. 1. ſeptem perfectiones quæ in incarnationis myſterio eminent 2. 1. 3. immenſa charitas 2. 2. 1. ſeruum eſſe grande quiddam eſt 2. 8. 2. cogitationes diuerſæ à cogitationibus hominum 1. 6. 2. liberalitas in electos 5. 39. 1. & ſeq.
Deo ſoli competit eſſe. 6. 2. 2
Diabolus quomodo accuſabit in iudicio 1. 14. 5. ad tria homines incitat 3. 7. 1. excæcat peccatores tempore quo peccant 4. 31. 3. adfuit Chriſto morienti & cur 4. 51. 3. aſtutia in tentando. 3. 5. 2. & 3. 27. 1. crudelitas in homines. 3. 38. 1
Diligentiam Chriſtus non prohibuit, ſed nimiam ſollicitudinem. 6. 31. 1
Diſcrimen inter orationem feruentium & tepidorum 3. 22. 2. inter bonos & malos 4. 46. 2. inter reſurrectionem ſpiritualem & imperfectam 5. 2. 4. inter deum & homines quoad prouidentiam. 6. 29. 3
Diuitiæ diuerſæ. 3. 52. 1
Duo ſigna fecit Chriſtus cùm caperetur. 4. 24. 2

E.

Eccleſia quibus medijs & quàm ſuauiter à Deo gubernetur 5. 21. 1. & 6. 36. 2. eſt vnica tantùm ib. 3. eius deuotio erga B. Virg. varia. 5. 38. 2
Eleemoſynæ vis. 3. 51. 3
Epulonis vita Lazari vitæ contraria 3. 24. 4. Chriſto admodum deteſtab. ib. 4. mors finis deliciarum. ib. 5
Eſuries iuſtitiæ quos actus complectitur. 3. 11. 6
Euangelicæ legis perfectio in tribus conſiſtit. 3. 11. 4
Euchariſtiæ Sacramentum quatuor requirit conſideranda 1. 33. 1. item alia ib. grano ſinapis ſimile. 3. 46. 2. cur inſtitutum poſt lotionem pedum 4. 9. 1. cur poſt eſum agni paſchalis ib. cur pridie quàm pateretur 4. 10. 1. cur in cœnaculo ib. 2. cur ſub duabus ſpeciebus 4. 13. 1. cur ſub ſpecieb. panis & vini ib. 3. 6. 41. 3. 42. 6. cur eleuatis oculis 4. 14. 2. eſt quoq; ſacrificiũ 4. 15. 2. memoriale magnitudinis diuinæ 6. 40. 1. in multis miraculoſum ib. 2. cur memoriale paſſionis Chriſti. 6. 41. 1. pignus gloriæ futuræ 6. 43. 1. comprehenditur animæ ſenſibus 6. 44. 1. comparatur ligno vitæ 6. 39. 1. cum manna ib. 2 ſpirituale conuiuium. 6. 41. 2

Digitized by Google

Examen poſt orationem quomodo inſtituendum. Introduct. 1.5.1

F.

FIdes viua quàm neceſſaria & vtilis 6.1.3. oſtium Eccleſiæ 6.36.3. eius actus quàm difficilis. 5.6.1

Filiorum intempeſtiua mors vnde veniat. 3.39.2

Fletus qui beatus dicitur quos actus contineat. 3. 24.9 triplex eſt. 3.11.5

Fontes quo modo creati. 6.21.2

G.

GAbriel Angelus conſolatus Chriſtum in horto 4. 22 1. annunciat B. Virgini mortem 5. 34. 2. eius ingreſſus ad Mariam & ſalutatio qualis. 2.6.2

Gloriæ magnitudo qualis & quanta 6. 52. 1 tituli & attributa. 6. 53. 1. & ſeq. datur perſeuerantibus 6. 54 1

Gratiæ diuinæ proprietas. 3.26.3

Gubernationis diuinæ quatuor excellentiæ. 6.30 3

Gula quid ſit & quod modis ea peccetur 1. 19. 1. ſuiipſius ſupplicium. ib. 2. ea quomodo homines tententur. 3.5.1

H.

HOmo cur conditus. 1. 1. 1. quid ſit quoad corpus 1. 4. 1. quoad animam 1. 4. 2. omnium peccatorum fons & ſcaturigo. ibid. moriturus qualia cogitet 1 8. 1. timet valde ob tres cauſas. ibidem. 3 ex limo creatus & cur 1. 11. 1. & 6. 25. 1. eius dotes cum Deo collatæ nil ſunt 1 4. 3. ſex excellentiæ 6. 25. 2. & 6. 26 1. & ſeq. circa eius creationem tria expendenda 6.25.1.

Hominum quæ ſalutem deſiderant tria genera 3.8.1

Humilitas multa bona adfert 1. 18. 3. bonum initium magnarum rerum 3. 3. 1. eius actus 3. 53. 2. quam potens. ibid. 3. ea hominis ſanctitas continetur. 3.3.1

I.

IEſu nomen triplici excellentia Chriſto conuenit 2. 21. 1. eius author Deus. ibidem. dignitas & excellentia. ibidem.

Ignatij Loilæ liber Exercitiorum quàm inſignis Introd 1. initio.

Ignis creatio & natura 6 22 5 ante iudicium vniuerſale quàm terribilis 1. 13 3 infernalis quàm atrox 1. 7. 2. tres proprietates Ibid.

Imaginatio quid 1.27.3

Imperfectorum repugnantia 3. 41. 3. inuidia. 3 49 5

Incarnationis myſterium reuelatum primis parentibus & cur 2. 5 1. eius charitas immenſa 2. 2. 1. finis 2. 2. 3. cauſæ 2. 3 1. circumſtantiæ 2. 9. 2 cur tam diu dilatum 2. 5 3. eo Deus infinitam ſuam perfectionem manifeſtauit 2. 1. 2 in eo eminent ſeptem Dei perfectiones & quæ. ibid.

Infamia nil nocet, ſi non adſit crimen. 4 46.1

Infernus quid ſit 1. 16 1. qualis locus. ibid 4. nullus in eo reſpectus. ibid. omnia in illo æterna. 1 16. 2. eius pœnæ. 3. 56 6

Iniuriæ condonandæ & cur 3 50 5

Inſpiratio diuina ſemini comparata 3. 44. 1 eius efficacia 4 3 4. illam tria ſuffocant 3. 44 2

Digitized by Google

Inuidia quid ſit 1.23 1 eius quatuor modi. ibid. mala quæ ex ea oriuntur 1.23. 2. ſupplicia ibidem.
Ioannes Baptiſta in vtero ſanctificatus 2.11.1. idque per ſalutationem B. Virg. & cur ib. 2 q... illa ... ib. 2 1. quænam illius conceptionem præceſſerint 2.13 1. ſingulares gratiæ illi adhuc in vtero latenti conceſſæ. ib.2. quænam mira in eius natiuitate acciderint. ib. ... miraculoſam vitam duxit in quatuor virtutibus 3.1.1 ipſius occupatio erat continua oratio. ibid. Spiritus ſanctus illum induxit ad prædicandum 3.1.2 argumentum concionum eius quale. ib fructus earundem. ib. authoritas quomodo ... apud plebem 3.1.3. humilitas in tribus elucet. ib. item in quatuor 3.2 1. nouus Helias 3.6.1
Ioannes Euang a Chriſto quomodo honoratus in commendatione matris ſuæ. 4.47 3.
Ira quid ſit 1.22. 1 quot peccata ex ea proueniant. ib. eius damna. ibidem. 2. ſupplicia. ibid.
Iudas cur Chriſtum vendiderit 4 6 2. quomodo corpus Domini in cœna acceperit 4 10.3 eius obſtinatio dupliciter punita 4 17 2. pœnitentia inutilis 4 31. 3. in eum Sathanas bis ingreſſus 4. 17.3
Iudæi Chriſto crucifixo quatuor exprobrarunt, in quibus ille maximè gloriabatur. 4.44.4.
Iudicio particulari animæ qui intererunt 1. 9. 1. eius tempus & locus. ibid. 2 proceſſus. ib.3. examen. ib. ſententia damnationis quàm terribilis 1.8 5. ſaluationis quam iucunda. ibid 6
Iudicij vniuerſalis cauſæ 1. 13. 1. locus. ibid. ſigna multiplicia. ibidem. 2. hora incerta. ibid 4
Iudicium temerarium vitandum. 5.24.2
Iuſti cur perſecutiones patiantur. 3.11 10

L.

LAchrymæ quando bene collocatæ. 5.4.2
Latronis boni heroici aliquot actus 4.46 2. cauſa conuerſionis. ibid. 3
Lazarus frater Mariæ Magdalenæ typus peccatoris in quo 3.41 6
Lazarus mendicus canonizatus a Chriſto 3.24. 3. eius vita continuum patientiæ exercitium ib. 1. ſan... ib. mors finis dolorum. ibid. 2
Legatio Gabrielis ad Mariam varie conſiderata. 2. 6.1
Liberalitas Dei infinita in quo conſiſtat. 6.13.1
Lunæ creatio & variæ excellentiæ. 6 22.2
Lux quam neceſſaria mundo 6 19 1 quomodo creata à Deo. ibid.
Luxuria quid ſit, & quibus modis ea peccetur 1. . o . quantopere Deo exoſa, & in inferno quomodo puniatur ib.2. duplici modo vincitur. ibid. 3. eius mortificatio ſex actus complectitur. ib.
Lymbus quis & qualis locus, pro quibus 5 1. 1. ad eum Chriſtus deſcendit. ib.2. quanto tempore ibi manſerit, & quos inde eduxerit. ibid. 5

M.

MAgi videntes ſtellam diuina inſpiratione relictis rebus, Hieroſolymam perrexerunt 2 22.1. tria fecerunt quæ à Dauide prædicta fuerunt. 2.22.3
Maledictiones Dei in tranſgreſſores præceptorum ſuorum. 1.25.1
Mane ſurgendum ob tres cauſas. 6.39 3
Manna figura Euchariſtiæ habet quatuor proprietates. 6.39.2

Man-

Digitized by Google

Manſuetudinis bona 1.22.3. actus. 3.11.4
Manu compreſſa aut extenta Chriſtum percutere quid ſit. 4.30.1
Maria Magdalena & Martha actiuam & contemplatiuam vitam repræſentant 3.41.4
Maria Magd. bis vnxit pedes Chriſti 4.5.1. eius tres virtutes 3.41.4. feruor 5.4.1. cur Chriſtum tangere non debuerit poſt reſurrectionem. 5.4.5
Maria Virgo vas miſericordiæ diuinæ 2.1.3. in quem finem electa ibid. quantis priuilegijs ornata ibid. 4. exultatio S. Trinitatis in eius natiuitate 2.4.1. nomen accepit ex reuelatione Diuina ibid 2 quid ſignificet ibid. præſentata in templo trima. ib. 3. quàm ſanctè ibi vixerit ibidem 4. prima vouit virginitatem ibid. 5. deſponſata Ioſeph ex reuelatione diuina, & cur ibid. 6. quomodo gratia plena 2.8.2. quantum boni attulit domui Elizabet, dum apud eam eſſet. 2.12.3. cum filio cruci affixa quibus clauis 4.47 1. elegit vitam communem 5.33 1. quomodo mortua 5.34.3. quomodo ſepulta ibidem 4. quomodo aſcenderit in cœlum. 5.35.1. qua gloria in cœlo refulgeat ib. 2. & ſeq. tertio die reſurrexit & cur 5.36.2. cum corpore aſſumpta in cœlum ibid. 3. amatur à S. Trinitate præ omnibus angelis. 5.38.1
Mariæ electio in matrem Dei radix omnium aliorum bonorum. 2.3.2. varia nomina explicata 2.4.2 deſiderium vt Chriſtus naſceretur 2.4.7 quatuor virtutes elucent in ſalutatione angelica 2.6.3. lætitia tempore incarn. Chriſti 2.9.1. obedientia in viſitatione Elizabet 2.11.3. obedientia & charitas in circumciſione filij 2.20.1. commiſeratio in egentes 3 9. 1. dolores in paſſione filij 4 1.8. virtutes in paſſ. filij ib. 9. item variæ eius virtutes 5.33 1. Zelus pro gloria Dei ibid. 3. mortem quænam præceſſerint 5.34.2 corpus à corruptione præſeruatum & cur 5 36.1 heroica humilitas circa diuerſa 5 37.1. ei omnium primæ Chriſtus apparuit poſt reſurrectionem. 5.3.8
Matthias cur electus in Apoſtolum. 5.21.3
Meditatio orationi præmittenda. Introd. 1.5.5. quomodo meditandum. ibid. per totum.
Meditationes in quem finem legendæ. Introd. 1.5 13
Miſericordia Dei variè præcellit alia ipſius opera 6.12.1 & ſeq.
Miſericordia complectitur quatuordecim opera. 3.11.7
Modi vitam æternam acquirendi. 3.5.2
Modus Chriſtianè comedendi. 3.7.2
Morbi interdum ob peccata accidunt 3.32 4. aliquando ob gloriam Dei. 3.36.1
Mors cuique à Deo deſtinata, cui ne punctum quidem addi poteſt 1.7.1. multis tamen acceleratur ibid. eius proprietates tres ibid. & ſeq. obliuio quæ incommoda adferat 1 12.1 quid adferat. 1.8.2
Mundus ſimilis gregi ouium 1.14 3. primus à Deo creatus 6.17.1. eſt rotundus & tamen non eget fulcro. 16.18.1

N.

NOuiſſima hominis efficaciſſima ad peccati deteſtationem. 1.7.1
Nubes ſplendida in Chriſti transfiguratione quid deſignet 3.22.3. Chriſtum aſcendentem ſuſcipiens qualis. 5.18.3

O.

OMnipotentia Dei qualis 6.16.1. & ſeq. in quibus occupetur ib. 3. in quibus reſplendeat 6.17.2. variè elucet in multis. 6.21.1

Oratio firmiſſimum remedium contra tentationes 4.21.1. inſtrumentum diuinæ prouidentiæ in quibus 6.33.1.eius neceſſitas & excellentia 3.3 5 perfectæ opus quodnam 5.32.2
Oratio Dei quæ appellatur. 3.30.1
Oratio Dominica præcipuum locum tenet inter omnes & cur 3. 14. 1 bis eam Chriſtus docuit. ibid.exponitur latè.ibid.
Oratio per inſinuationem. 3 41 1
Oratio cum fide coniuncta efficax 4.18.3.alia eius requiſita. ibid. 4
Oratio mentalis quid ſit.Introduc. 1 §. 1 in quatuor conſiſtit.ib. eius excellentia.ibid. initio.quid illam iuuet.ibid.§ 7. quis modus ſeruandus, vt fiat ſine nauſea,ibid.§.9. quod tempus ei tribuendum. ibid. § 12
Originalis peccati damna. 1.2.1

P.

Pacifici qui 3.11 9.eorum præmia.ibid.
Paradiſi terreſtris ſitus,magnitudo & quinque excellentiæ. 6 21. 4
Parcitas hominis ad Deum & Dei liberalitas ad hominem. 3.26. 2
Pauli Apoſtoli virtutes variæ 5.31.1.& ſeq.
Paupertatis ſpiritus actus quinque. 3.11.3
Patientiæ bona. 1 22.3
Pax quale bonum & quibus datur. 2.18.3
Peccator ouis perdita 3 48 1.incidit in varias miſerias corporales & ſpirituales. 3.49.2
Peccatores pœnitentes quid meditari debeant.Introduct. 1.§ 4
Peccatrices quæ vocentur. 3.25.1
Peccatricis Euangelicæ virtutes. 3.25 2
Peccatum maximè abominandum 1.1 4.& 3. 5. 2.cauſa omnium miſeriarum huius & futuræ vitæ 1.6 1.quid operetur, ib. nullis temporalibus pœnis ſatis plecti poteſt,eiuſque rei cauſæ.ib.2.eſt iniuria infinita infinite punienda.ibid.3. maius ipſis pœnis inferni.ib.4 eius cauſæ quam viles & exiguæ. 1.5 3
Peccata intellectus quæ. 1 27.1
Peccatorum memoria non debet eſſe arida 1.3. 1 varia cognomina.ibid. 2. deformitas ibid.3 1.multa occulta. ib.
Pedum lotio cur præceſſerit Euchariſtiæ inſtitutionem. 4.9.1
Perfectio Dei in tribus conſiſtit. 3.13 3
Perſecutiones quid ſint 3 11.10.cur permittantur 3.18.1. à Deo gubernantur. 6.32 3
Perſeuerantia in bono digna conſolatione. 5. 3.4
Petrus in amore Chriſti feruentior 3.20 3.quibus gradibus peruenerit ad negandum. 4. 28. 1 eius confeſſio Chriſto quàm grata 3. 20 4. tres errores 4. 17. 2 imbecillitas 4. 28.2.pœnitentia vnde orta.ibi.4.in illum Chriſti fauores 3.20.5
Pilatus Chriſtum cur flagellari iuſſerit 4.35.1.eius vxor à quo in ſomnis monita.4.38.1
Piſcina probatica figura Sacramentorum. 3.32.1
Piſcis aſſus quid deſignet. 5.8.3
Piſcium genera varia creata. 6. 23.1
Pœnitentiæ Sacram. præſtantia 1.30.1.actus qui 1.31.1 ad illud exequendum duplex diſpoſitio neceſſaria. 3.32 2
Poteſtas remittendi peccata quibus data & quomodo. 5.9.3
Præceptum primum decalogi quomodo violetur. 1 25.1
Prædeſtinatio vnde oriatur. 6.49.2
Prædeſtinatos Deus vocat quoque 6. 49.1.vnde cognoſcantur. ibid. 3

Digitized by Google

Præparatio ad S. communionem 3.28.5. & 3.31.2. & 4.55.3
Priuilegia extraordinaria non omnibus à Deo tribuuntur. 3.21.3
Proceſſio Chriſti in V. S. Euchariſtiæ quomodo conſideranda 6. 45 1. & ſeq eſt præmium variorum itinerum Chriſti in paſſione. ib.3 eſt ſolemnitas æmula ſolemnitati cæleſti. ibid. 4.
Prodigia varia in morte Chriſti 4. 52. 1. & ſeq.
Proprium magnorum peccatorum quod 4.30.1
Proprietas amoris Chriſti in Apoſtolos. 4.8.1
Protoplaſtorum peccatum 1.2.2 pœnitentia. ibid.
Prouidentia diuina 3 5.3 & 3 17 4. quid ſit 9.29. 1. dat quod expedit, negat quod nocet 6. 33.2 ſtatuit hominibus angelos cuſtodes 6 34. 1 gubernat Eccleſiam 6 36 1 elucet in creatione mundi eiuſque gubernatione 6 30.1.2. in ſtatuum & officiorum diſtributione 6.46. 2. in ſuppeditandis auxilijs ſufficientibus. ibid. 3. eſt in eo tota, vt curam gerat ſuarum creaturarũ 6.29. 3. eius modus 3.17 4. & 3.40.1. item 4.54.2.& ſeq 5.28.3.& 6.20.2. tria in ea perpendenda, & quæ 6 29.1. in ea latent infinita bona. ibid 2. ex ea ſequitur, vt nihil eueniat caſu. ibid. ea non ſolùm iuſti, ſed etiam peccatores gaudent. 6 33 4
Puerorum proprietas 6.50.1. priuilegia ibid. 3
Purgatorij pœnæ vnde graues 1.36.2. in eo pœna ſenſus quanta 1. 36. 3. duo circa illud ſcienda. ibid.

Q.

QVatuor interſuerunt iudicio particulari 1.9.1 actus ſuperbiæ. 1.18.1
Quatuor tribunalia coram quibus Chriſtus ſtetit 4. 25 3. circumſtantiæ in Chriſti flagellatione 4.35 3 alapa qua Chriſtus percuſſus. 4.27.1
Quater Chriſtus nudatus. 4.40.3
Quinque virtutes intellectus & intellectum perficientes. 2.26.5

R.

REgula vniuerſalis confidentiæ in diuina prouidentia. 6.31.2
Religio ſchola Chriſtianæ perfectionis 6. 47.1. eius varietas eſt à prouidentia diuina. ibid. 2. continet in ſe tria genera hominum, 6. 48.2
Religioſus duo facit erga Deum 6.48 1. tria facit Deus erga illum, ibid.
Reſurgente Chriſto plures cum eo reſurrexerunt, & ob quot cauſas, 5. 2.4
Reſurrectionem ſuam Chriſtus quot modis publicauit. 5.3.1
Reſurrectionis ſpiritualis iudicium, 5.1.4
Reuelationes varijs modis fiunt. 5.30 3
Roſarium B. Virg. quomodo legendum 5. poſt meditationem, 38

S.

SAbbatho Deus quieuit, quomodo, 6 27.2
Sacerdos quomodo degradetur, 1 9 4
Sacrificium quid ſit, 4.15.2
Sacramenta cur inſtituta, 6.38.1. eorum excellentia & effectus, ib.2. offeruntur omnibus, ib.3
Samaritana an vllum legitimum virum habuerit, 3 26. 1. typus animarum quæ cum creaturis exercent concubinatum, ib 4 eius moderatio. ibid.
Sanctitas hominis humilitate & obedientia continetur. 3.3 2
Sancti quam benè reſpondeant vocationi ſuæ 5.39.1. eorum variæ virtutes. ibid.
Sanguis Chriſti recollectus ab angelis in reſurrectione. 5.2 2
Sapientia Dei qualis, quidque ea operetur. 6.15.1.& ſeq

Digitized by Google

Saulus ante conuerſionem quantus peccator. 5.29.1. cur permiſſus perſequi Eccleſiam, ibid. quando inſtitutus in fide 5.30 2. eius magnus feruor ib.5. in eius conuerſione apparet profunditas iudiciorum Dei, & quomodo. 5.29.4
Senſibus quotupliciter peccetur, 1.26 1. damna ex eorum mala cuſtodia, ib. 2. bona ex eorum bona cuſtodia, ibid. 3
Sepulchrum Chriſti quale, eiuſque qualitates expoſitæ, 4.55.3
Sequentium Chriſtum in paſſione variæ intentiones. 4.39.5
Signa ante Iudicium vniuerſale multiplicia & terribilia, 1.13.2
Signa boni ſpiritus, 5.8.2
Simon Cyrenæus quis & quos deſignet, 4.39.4
Sitis Chriſti in cruce quàm grauis, 4.49.1. triplex, ib.2
Solis creatio & excellentiæ, 6.22.1
Sollicitudo in quatuor poteſt eſſe vitioſa, 6.31.1. eius radix triplex. Introd. 3.5.4
Spiritus ſanctus qua præparatione acquiritur, 5.23.5. quid operetur. ib. 6. tria dat ijs quos implet. 5.25.1. inſpirat perfectionem Euangelicam. ib. 2. & ſeq. facit ſui ſimiles, 5.26.1. quibus detur, 5.22.4 eius præſtantia, ib. 3. cur datus feſto Pentecoſtes, 5.23.5 eius proprietates, 5.26 2. ſeptem dona, 5.27.1. eum Chriſtus cur tam diu diſtulerit, 5.20.3. cur miſerit, 5.22.1
Statura noſtra non poteſt augeri noſtra ſollicitudine, 6.31.4
Stationes in paſſione Chriſti ſeptem, 4.1.7
Stellarum creatio, neceſſitas & excellentiæ, 6.22.3
Sudoris Chriſti ſanguinei cauſæ, 4.22.2
Surditas ſpiritualis quæ ſit, 3.37.1. facit etiam mutum, ibid.
Superbia quid ſit. 1.18.1 duplex, eiuſque quatuor actus, ibid. & 3.53.1 ex ea quæ vitia oriantur. 1.18.1
Superborum ſupplicia. 1.18.2

T.

Talenta quid deſignent. 3.58.1
Temperantiæ virtus quæ bona adferat, 1.14.3
Tenebræ cur in morte Chriſti. 4.48.1
Tentationes à Deo gubernantur ſua prouidentia ad noſtram vtilitatem 6.32.2. earum varietas, 3.43.1
Tepidorum proprietates, 3.54.3
Terræ ruditas initio creationis 6.18.3
Ter dixit Deus creaturas eſſe bonas, 6.27.1
Teſtes in iudicio particulari 1.8.3
Thomas Apoſtolus conuertitur à Chriſto & quomodo, 5.10.2. eius defectus. ibid. 1. illuſtris confeſſio. ibid. 3
Timor hominis morituri ob tres cauſas 1.8.3
Timor immoderatus quàm noxius 4.28.2
Titulus crucis Chriſti exponitur, 4.41.1. à varijs lectus varios deſignat. ibid. 2
Tortores & carnifices infernales qui, 1.16.6. eorum atrocitas. ibid.
Tres rationes efficaciſſimæ ad quemuis peccatorem conuertendum. 4.16.1
Tres in monte Caluariæ crucifixi diuerſi generis quos deſignent 4.46.2
Tria hominum genera diuerſa de Chriſto ſentientium, 3.19.3. titulum crucis legerunt 4.43.2
Tribus medijs prodigioſis ſuſtentauit Deus Heliam. 6.31.9
Trinitatis lætitia in Chriſti incarnatione, 2.9.1. in natiuitate B. Virg. 2.4.1

Digitized by Google

Triplex examen operum noſtrorum inſtituendum, 6.27.1
Triſtitia non garriendo, ſed orando excutitur. 4.41.1
Tunica Chriſti quid ſignif. 4.44.2

V.

Velum templi cur diuiſum in morte Chriſti. 4. 52.1
Venialis peccati malitia, 1.30.1
Veſtes Chriſti cur diuiſæ, 4.44.1
Virtutes Dei exemplares, 6.6.2
Vita ſpiritualis duplicia complectitur opera, Introduct. 3 initio.
Vita actiua quæ. ibid. contemplatiua quæ, ibid. earum actiones & officia, Introd. 3.5.1. & ſeq. prolixè.
Vita mixta quæ, eiuſque excellentia, Introd. 3.5.7
Vocatio quid ſit, 6. 37.1. quibus medijs dirigatur à Deo, ibid. eius duæ cauſæ, 3. 8.9. ei acquieſcendum, 6.37.3
Voluntas propria quæ, & peccata quæ ex ea oriuntur, 1.27 2
Voluntas duplex in cauſa ſalutis neceſſaria, 3.32.2
Vulnerum cicatrices cur Chriſtus poſt reſurrectionem retinuerit, 5.11.4

Z.

Zachæi conuerſionis initium quod, 3. 28.1. deſiderium efficax conuerſionis. ibid. obedientia. ibid 3. perfecta conuerſio, ibid. 4
Zelus Chriſti in duobus, 3. 10.1. iuſtorum aliquando nimius, 3. 45. 3 B. Mariæ pro gloria Dei, 5.33.3.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX

MEDITATIONVM, QVÆ SVPER EVANGELIA DOMINICARVM ET FESTORVM DIERVM, PER TOTVM ANNVM IVXTA

Rom. Eccleſiæ vſum, in hiſce ſex partibus Meditat. R. P. Ludouic. de Ponte è Societate IESV proponuntur, & applicari ad Conciones poſſunt;

IN GRATIAM CONCIONATORVM collectus.

DOminica 1. Aduentus. *Erunt ſigna in Sole.* Luc. 21. Part. 1. Medit. 13.
Dom. 3. Aduent. *Miſerunt Iudæi.* Ioan. 1. Part. 3. Med 2.
Dom. 4. Aduent *Anno Quintodecimo.* Luc 3 Part. 3 Med. 1. punct. 2.
Parate viam Domini. Par. 2. Med. 15 punct 3.
In vigilia Natiuitatis Dom. *Cùm eſſet deſponſata* Matth. 1. Par. 2. Med. 14.
In Natiuit. Dom. *Exijt edictum.* Luc. 2. Par. 2. Med. 16.
Paſtores loquebantur. Part. 2 Med. 19 punct. 1.
Verbum caro factum. Ioan. 1. Part 2 Med 1. punct. 1 & 2. & Med. 9.
In feſto S. Stephan. *Stephanus autem plenus gratia.* Act 6. Part. 5. Med. 28.
In feſt. S. Ioan. Euangel *Sequere me* Ioan. 21 Par 5. Med. 13. pun. 3.
In feſt. SS. Innocentum. *Angelus Domini.* Matth 2. Par. 2. Med. 23.
Dominic. infra Octa. Natiuit *Erant Ioſeph.* Luc. 21 Part. 2. Med. 25. punct. 2. 3.
In Circumciſ. Dom. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo.* Luc. 2. Par. 2. Med 20.
In Vigil. Epiphan. *Defuncto Herode* Matt. 2. Part 2 Med. 28. punct. 3.
In Epiphan. Dom. *Cùm natus eſſet.* Matth. 2. Part. 2 Medit. 22.
Dom. infra Octa. Epiph. *Cùm factus eſſet.* Luc. 2. Par. 2. Med. 29. punct. 2.
In Octa. Epiphan. *Vidi ſpiritum deſcendentem quaſi columbam.* Ioan. 1. Par 3. Med. 3. pun. 3.
Dom. 2 poſt Epiphan. *Nuptiæ factæ ſunt.* Ioan. 1. Par. 3. med. 9.
Dom. 3. poſt Epiph. *Et ecce Leproſus.* Matt. 8 Part. 3. medit. 33.
Dom. 4 poſt Epiph. *Aſcendente Ieſu in nauiculam.* Matt 8. Part. 3. med. 18.
Dom. 5. poſt Epiph. *De Zizanijs.* Matth. 13 Part. 3 med. 45.
Dom. 6. poſt Epiph. *De grano Sinapis.* Matth. 13. Par. 3 med. 46.
Dom. in Septuag. *Simile eſt regnum cælorum hom. patrifamil.* Matt. 20. Par. 3. med. 54.
Dom. in Sexageſ *Exijt qui ſeminat.* Luc. 8. Par. 3 med. 44.

Digitized by Google

Dom. in Quinquageſ. *Ecce aſcendimus Hieroſolym* Luc.18. Par.4. med.2. *Cæcus quidam* Par.3.med.35.
Fer.4 Cinerum *De Ieiunio* Par.3.med.4.& 5.
Nolite theſaurizare Matt.6. Par.6.med 51.
Memento homo quod puluis es. Geneſ.3 Par.1.med.11.
Fer 5. *Acceſſit ad eum Centurio* Matth.8 Par.3 med.20.
Fer.6. *Eſtote perfecti.* Matt.5.Par 3 med.13. punct 3. *Et de dilectione inimicorum.* P. 4. med 45.
Sabbato. *Erat nauis in medio Mari* Marc.6. Par.3.med.19. punct.2.
Dom.1 Quadrag. *Ductus eſt Ieſus,&c* Matt.4 Part.3.med.4 & 5.
Fer.2 *Cùm venerit filius hominis.* Matt.25. Par.1 med.15.
Fer.3 *Aſcendens Ieſus Hieroſolym* Ioan 2.13 Part.3 med.10.
Fer.4 *Sicut fuit Ionas,&c* Matt.12.Par.3.medit.10. punct.2.
Fer.5. *De Chananæa* Matt 15 Par 3 med.29.
Fer.6 *Eſt autem Hieroſolymis.* Ioan.5. Par.3. med.32.
Sabbato *Aſſumpſit Ieſus Petrum,&c* Matt.17 Part.3 med.21.
Dom 2. *Aſſumpſit Ieſus Petrum.* Ibid.Part 3.med.21 & 22.
Fer.4. *Ecce aſcendimus Hieroſolym* Part 4.med 2. punct 2.
Acceſſit ad eum Mater filiorum Zebedæi. Mat.20.Par.3.med.23.
Fer.5 *Homo quidam erat diues.* Luc.16.Par.3 med.24.
Fer.6. *De Vinea.* Matt 21 Par 3.med.55.
Sabbato. *De filio prodigo.* Luc.15 Par 3 med.49.
Dom 3 *Erat Ieſus eijciens dæmonium* Luc.11.Par.3.med 37.
Fer 6. *Venit Ieſus in ciuit. Samariæ.* Ioan. 4.Par.3.med.26.
Sabbato. *Adducunt mulierem.* Ioan.8. Part.3.med 27.
Dom 4. *Abijt Ieſus.* Ioan.6.Par.3.med.17.
Fer.2. *Inuenit in templo ement. & vendent.* Ioan.2. Par.3. med 10.
Fer 4. *De Cæco nato.* Ioan.9.Par.3.med.36.
Fer 5. *Ibat Ieſus in ciuitatem.* Luc.7.P.3.med 40.
Fer.6. *De Lazaro reſuſcitato.* Ioan.11.Par.3.med.41.
Dom de Paſſione. *De memoria eius* Part.4. in eius initio. *De fine eam meditandi ſtatim.* §.1. Introduct. Par.4. *Abraham exultauit.* ibid.
Fer.5. *Rogabat Ieſum quidam Phariſæus.* Par.3 med.25.
Fer.6. *Collegerunt Pontifices.* Ioan. 1.Par.3 med.42.
Dom. in Ramis palmar. *Cùm appropinquaſſet* Matt.21.Par.4. med.3.
Fer.2. *Ante ſex dies Paſchæ* Ioan.12 Par.4.med.5.
Fer.5. *Ante diem Feſtum Paſchæ.* Ioan 13. Part.4.med 8.
Fer 6 Hiſt. paſſionis eſt in tota 4. parte.
Dom. Reſurrect. Part 5.Med.2.& 3.
Fer.2. *Duo ex diſcipulis.* Luc.24. Par.5.med. 7.
Fer 3. *Stetit Ieſus* Luc.24 Par.5.med.8.
Fer.4. *Manifeſtauit ſe iterum.* Ioan.21. P.5.med.12.
Fer.5. *Maria ſtabat.* Ioan.20. Par.5.med.4.
Fer.6 *Vndecim diſcipuli.* Matt.28. Par 5.med 14.
Sabbato. *Vna Sabbati Maria Magdalena.* Ioan.20. Par.5 med.6.
Dom. in Albis. *Cùm ſerò eſſet.* Ioan.20 Par.5.med.8.
Dom.2 poſt Paſcha, aliquid habetur. Par 5.medit.13. & plura, Par.3.med.48.
Dom.3. *Modicum.* Ioan 16. Par.5.med.16.pun.3

Mulier

Digitized by Google

Mulier cùm parit. Ibid. par.4 med.18.pun.4.
Dom 4 *Vado ad eum* Ioan.16. par.5 med.17.
Ibid Med.22 punct.2.
Dom.5 *Si quid petieritis* Ioan.16. par.4.med.18.pun.3. & Par 6.med.33.
Fer 2.*Rogat quis veſtrum* Luc.11.ibid
In Vigilia Aſcenſionis.*Subleuatis oculis*.Ioan.17 par.4. med.19.
In Aſcenſione Dom. par.5 med 18.& ſeq. & med. 14.
Dom.Infra Octa.Aſcenſ.*Cùm venerit Paracletus*.Ioan 15 p.5.Med.22.
In feſto pentecoſtes *Dum complerentur dies*. Act.2 par.5 Med.23.
In feſto SS Trinit.*Data mihi eſt omnis poteſtas* Mat 28. par.5.med.14.pun.2.
Dom.1.poſt pentecoſt *Eſtote miſericordes* Luc 6. part.6.med.12.13.
Dom.2.poſt pentecoſt.*Homo quidam fecit cœn*.Luc.14. par.3.med.56.
Dom 3.*De oue perdita*.Luc.15 par.3 med.48.
Dom.4 *Relictis omnibus* Luc.5. par.3.med.6 pun.4.
Dom 5.*Qui iraſcitur fratri*.Matt 5. part.1.med 22.
Dom 6 *Miſereor ſuper turbam* Mar 8. par.3.med.17.
Dom.8. *De villico* Luc.16. part.3.med.52.
Dom 9 *Videns ciuitatem* Luc 19. par.4.medit.4.
Dom 10 *Duo homines aſcenderunt*.Luc 18. p.3.med.53.
Dom.11 *Et adducunt ei ſurdum*. Mar.7. p 3 med.37
Dom 12 *Homo quidam deſcendebat* Luc.10 part.3.med.50.
Diliges Dominum Deum tuum. par.6.med 11
Dom.13. *Occurrerunt decem viri leproſi* Luc.17. part 3 med.34.
Dom.14 *Ne ſoliciti ſitis*.Matt 6 par.6 med 31.& 32.
Dom 15.*Ibat Ieſus in ciuitatem, quæ vocatur Naim*.Luc.7. par.3.med.40.
Dom.17 *Diliges Dominum Deum*. par.6.med.11
Dom.19.*Simile factum regnum cœlorum homini Regi*,&c.Matt.22. par 3.med.56.
Dom.20.*Niſi ſigna & prodigia videritis*.Ioan.4. par.3.med.30 pun.2.& 39.pun.2.
Dom.21.*De ſeruo qui decem millia talenta debebat* Matt.18. part.3.med.51.
Dom.22.*Cuius eſt hæc imago* Matt.22. par.6.med.25.pun.3.
Dom.23.*Ecce Princeps vnus*. Matt.9. par.3. med.39.
Et Ecce Mulier, quæ ſanguinis fluxum,&c.Matt.9 part.3.Med.31.
Dom.24.*De iudicio vniuerſali* par.1.med.13.

IN FESTIVITATIBVS SANCTORVM.

IN feſto S.Andreæ.*Vidit duos fratres*.Matt.4. par.3. Med.6.
In feſto Concept.B V.Par.2.med.3.
Expectatio partus B.V. par.2.med.15.*Miſſus eſt Angelus* Luc.2. par.2.med.6.
In feſto S.Thomæ *Thomas vnus ex duodecim*.Ioan 20. part 5 med 10.
In conuerſ D pauli *Saulus adhuc*. Act 9. part.5.med.29.& ſeq.
In feſto purific.B.V.*Poſtquam impleti*.Luc.2. par.2.med.24.
In feſto S Matthiæ.*Exurgens Petrus* Actor.1. part.5.med.21.
In feſto S.Ioſeph.*Cùm eſſet deſponſata* Mat.1. part.2. Med.14.
In feſto Annunciat.B.V. *Miſſus eſt Angelus*.Luc.3. par.2. Med.6.
De Incarnat.Chriſti. par 2.med.1.
In feſto S Marci. part.3.med. 5.
In feſto SS philippi & Iacob.P.4.med.18.potiſſimùm in puncto 4.
In feſto corporis Chriſti.P.4.med.11.& P.6.med 39.
In Natiuit.S.Ioan Bapt Par 2.med.13.& Part.3.med 1.

Digitized by Google

In vigil. SS. Petri & Pauli. *Simon Ioannes diligis me, &c.* Ioan. 21. Par. 5. med. 13.
In feſto SS. Petri & Pauli *Quæ dicunt homines,* &c. Act. 12. Par. 3. med. 20.
De vita S. Pauli. Par. 5 Med. 31.
In feſto viſitat B. V. *Exurgens Maria.* Luc. 1. Part. 2. med. 11. & 12.
In Octaua Petri & Pauli. *Iuſſit Ieſus diſcipulos ſuos aſcendere nauiculam.* Matt. 14. par. 3. med. 9.
In feſto Mariæ Magdalenæ. *Rogabat Ieſum.* Luc. 7. par 3. med. 25.
In feſto S. Iacobi. *Acceſſit ad Ieſum Mater filiorum Zebedæi.* Matt. 10 par. 3. med 23.
In transfigurat. Dom. *Aſſumpſit Ieſus* Matt 17 par. 3. med 21.
In feſto S. Laurentij.
In Aſſumpt. B. V. *Intrauit Ieſus* Luc 10. part 3. in Introd. ipſa hiſtoria p. 5. med. 34. 35. & ſeq.
In feſto S. Bartholomæi. *Erat pernoctans.* Luc. 6. par. 3. Introd. §. 8. & eiuſdem part. 3. Med 6.
In feſto decollat S Ioan. *Miſit Herodes* Marc 6. par. 3. Med 16.
In Natiuit B. Virg par. 2. med. 4.
In feſto S. Matthæi *Vidit Ieſus* Matt 9. par. 3. med. 6.
In feſto S. Michaelis. *Angeli eorum.* Matt. 18. part. 6. med. 34.
Niſi conuerſi fueritis in eadem p. med 50.
In feſto SS. Simonis & Iudę. *Hæc mando vobis.* Ioan. 15 p 4 med. 18. punct. 2.
In feſto omnium SS. *Videns Ieſus turbas.* Matt. 5. part. 3. med. 11.
In commemoratione omnium Defunctorum, part. 1. med. 36.
In feſto præſentat. B. V. par. 2. med. 4 punct 3.

DE COMMVNI.

Dedicatio Eccleſiæ. *Ingreſſus Ieſus.* Luc. 19. par. 3. med 28.
In Com. Apoſt *Hoc eſt præceptum.* Ioan. 14. part. 4. med. 18 pun. 2.
Ecce, nos reliquimus omnia Matt 19. part. 6. med. 48. pun. 3.
In Com Euangeliſtarum. *Deſignauit Ieſus.* part 3. med 15.
De vno Martyre. *Si quis vult venire poſt me* Mat 10. part. 3 med. 7.
Si quis venit ad me. Luc. 14. par. 3. med. 11.
De pluribus Martyribus. *Deſcendens Ieſus* Luc. 6. part. 3. med 11.
De pontificibus. *Homo quidam* Matth 25. part. 3. med. 58.
De Doctoribus *Vos eſtis ſal terræ* Matt 5. part 3. med. 12.
De Confeſſoribus. *Homo quidam nobilis.* Luc. 19. par. 3 med. 58.
De Virginibus *Simile eſt regnum cælorum decem virginibus.* Mat 25. par. 3 med. 57.
Simile eſt regnum cælorum homini negotiatori. Matt 13 par. 3. med. 47.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8 - /

Digitized by Google